


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines


Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/




Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google




Digitized by Google

Digitized by Google

Pal. ... 36

SBR069026222127



Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris Theologi & Cancellarii Parisiensis

OPERA OMNIA,

Novo ordine digesta, & in V. Tomos distributa;

Ad Manuscriptos Codices quamplurimos collata, & innumeris in locis emendata; quædam etiam nunc primùm edita:

Quibus accessêre

HENRICI DE HASSIA, PETRI DE ALLIACO, JOANNIS BREVICOXÆ, JOANNIS DE VARENIS Scriptorum coætaneorum, ac insuper JACOBI ALMAÏNI & JOANNIS MAJORIS Tractatus, partim editi partim inediti;

Necnon Monumenta omnia ad Causam JOANNIS PARVI *pertinentia.*

Operâ & studio M. LUD. ELLIES DU PIN, S. Facultatis Parisiensis Doctoris Theologi, & Philosophiæ Professoris Regii,

TOMUS SECUNDUS,

Ea complectens quæ ad

ECCLESIASTICAM ΠΟΛΙΤΕΙΑΝ, & DISCIPLINAM

pertinent.

PARS PRIMA,

Continens

TRACTATUS,

Ad Schisma pertinentes usque ad Concilium Constantiense.

EDITIO SECUNDA.




HAGÆ COMITUM,

Apud PETRUM DE HONDT.

MDCCXXVIII.

Digitized by Google



Digitized by Google



JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

PROTESTATIO;


SUPER

STATUM ECCLESIÆ.

Collat. ad MS. Cod. Victor. 463.

MONITUM.

Pertinere videtur istæc Protestatio ad tempus quo primùm de Schismate ab Obedientiâ Benedicti XIII. *actum est in Ecclesia Gallicana. Anno* 1395.



IN Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Joannes Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis, compellente me scientia mea, absque singularitatis præsumptione temeraria; sed ex prævisione periculorum verisimiliter futurorum in Fide & Christiana Religione, si fierent aliqua de quibus est fama & formido probabilis : dico & protestor coram hac Sacræ Theologiæ Facultate ea quæ sequuntur.

Primò: quòd volo procedere ad unionem Ecclesiæ in universali & particulari tanquam filius ejusdem Ecclesiæ licet novissimus, & hoc non innitendo propriæ prudentiæ; sed insequendo Consilium Regis & Regni pro mea facultate & vocatione, ac etiam deliberationem generalis Concilii hujus Obedientiæ finaliter expectando.

Secundò: quòd nolo revocare in dubium vel disputationem ea quæ hactenùs facta sunt maturo Consilio Regis & Regni, tam super adhæsione ad Dominum Clementem, & consequenter ad Dominum Benedictum, sicut inobedientes & neutrales faciunt, A etiam in hac Universitate; quàm super electione viæ cessionis, & super subtractione an benè vel malè fuerit instituta.

Tertiò : quia fama publica est quòd aliqui volunt deducere materiam præsentem ad hæresim vel schisma, imponendo talia crimina Domino Benedicto, & tendendo his mediis ad ejus depositionem, & fortè consequenter ad persecutionem omnium sibi adhærentium & adhæsurorum. Ego coactus conscientia, significo quòd istud nunc & aliàs apparuit mihi non necessarium; sed penitùs inexpediens : nam per hoc, secundùm videre meum, & sub correctione illius vel illorum ad quos spectat autoritas, schisma præsens multiplicaretur & irremediabiliter, ut schisma Græcorum atque Latinorum, radicaretur; divisio crudelissima & perniciosissima in hoc Regno inter se, & contra alios verisimiliter orirentur; periculum mutationis

Digitized by Google

tionis Regni & aliarum dominationum suscitaretur; substractio cum multis quæ facta sunt hactenùs per Regem & Regnum, in periculum reprobationis saltem de facto reduceretur; accusatio multiplex odiosissima, turpissima & infamis per accusatos contra accusatores saltem facto reverteretur; ut hæc latiùs offero me deducturum.

Quartò: si fiat accusatio prædicta nomine Universitatis vel Facultatis Theologiæ, ego minimus inter eos, sed fidelis filius & zelator sui honoris, quia obligor ex officio providere ne errores in Universitate pullulent, protestor, quòd hoc neque fuit neque est de consensu meo, quia etiam nunquam fui præsens ubi hæc materia pro Facultate tractaretur; cum tamen deberet vel non proponi vel ante propositionem cum summa maturatione & diuturna deliberatione ventilari, multò ampliùs quàm approbatio vel reprobatio unius dicti scholastici, pro cujus tamen discussione opponitur quandoque tractus anni vel biennii, quandoque totum dimittitur indiscussum. Attento denique quod dicitur pluries fuisse ex parte Regis inhibita talis discussio per Facultatem facienda. Et si oppositum fieret (quod avertat Deus) ego pro liberatione animæ meæ in hoc seculo & in futuro apud Deum & homines pro me & meis adhærentibus & ad obviandum prætactis inconvenientibus, quantùm fas habeo, protestor de opponendo me tempore & loco & mediis opportunis.

TRACTATUS

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis

Super præsenti schismate:

Hunc titulum habent MSS. Codd. Victorini 285. & 103. Qui in Editis inscribitur.

SENTENTIA

Magistri Joannis de Gerson

De modo habendi se tempore schismatis.

Emendatus & auctus ex iisdem Codd. MSS. & Colbert. 99.

Scriptus videtur circa initium schismatis.

AD tollendam quorumdam in præsenti schismate pertinaciam, improbitatemque nimiam, specialiter in Patria Flandrensi, si pro meritis aut falsis assertionibus suis certissima & perniciosissima schismata formant & fraternam violant charitatem. Dum homines ab obedientiâ debita Superiorum suorum immediatorum & certorum retrahunt. Dum insuper à Sacramentis Ecclesiasticis & sacrosanctis eosdem, avertunt: dum postremò pro instabili sua opinione & humana traditione Legem Dei sanctam & stabilem deserere, contemnere & violare compellunt. Dignum duxi quædam fundamentaliter per me posita salvo semper in omnibus Superiorum ac sapientiorum judicio nunc sub aliquarum conclusionum compendio proponere.

Quocumque de Papatu contendentium demonstrato, non est hæreticum dicere A. non est Papa.

In casu prædicto stat aliquos esse apud quos istud pertinaciter asserere A. non est Papa, saperet hæresim.

In schismate præsenti tam dubio, temerarium, injuriosum & scandalosum est asserere omnes tenentes istam partem vel alteram, vel omnes neutrales etiam absolutos, esse universaliter extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de schismate suspectos.

In schismate præsenti licitum, immò cautum est præstantibus obedientiam isti vel illi, eam sub conditione tacita vel expressa tribuere. A

Quacumque parte demonstrata, temerarium & scandalosum & sapiens hæresim est, asserere Sacramenta Ecclesiæ suam efficaciam non habere; aut Sacerdotes non esse consecratos, pueros non esse baptizatos, Sacramentum Altaris non esse confectum, & similia.

In schismate præsenti temerarium & scandalosum est asserere quacumque parte demonstrata, quòd non licet audire Missas eorum vel Sacramentis non communicare; præsertim attenta diversitate locorum, temporum atque personarum.

Possibile est aliquos veræ parti assentientes esse veraciter schismaticos, & aliquos falsæ parti modo prædicto assentientes schismaticos non existere.

Salubriùs justiùs & tutiùs est quærere unitatem Ecclesiæ insistendo contrà contendentes de Papatu; & hoc per viam cessionis utriusque vel substractionis obedientiæ, vel alterius licitæ coactionis, quàm subditos per Excommunicationis Censuram vel aliter vexare seu turbare, aut quod una pars Christianitatis ab alterius Communione pertinaciter separetur.

B Ratio primæ conclusionis hæc est, quoniam nulla propositio ad cujus verificationem exigitur veritas unius propositionis contingentis & ad Fidem impertinentis est de necessitate aut integritate Fidei: nam sicut propositio copulativa cujus una pars est contingens, est tota contingens; cujus una pars est falsa aut impossibilis, est tota falsa aut impossibilis: sic in proposito. Constat autem quod ad verificationem illius A. est Papa, exigitur non solùm unam; sed multas contingentes pure esse veras, ut quod electio sit ritè celebrata & ab illis qui habebant potestatem & consimiles multæ. Et simili ratione colligitur quod quocumque Sacerdote demonstrato, ista non est hæretica; iste non est Sacerdos: & consequenter sequitur quod nec ista; hoc non est Corpus Christi in Altari, &c.

Ratio secundæ propositionis; quoniam propositio C dicitur sapere hæresim, quando ex ipsa, consumptis aliquibus veris quæ rationabiliter negari non possunt, sequitur error in Fide; sed possibile est aliquos homines per revelationem vel aliter sic certificatos esse, quod omnia ritè facta sunt in electione & consecratione ejus in Papam A. quod rationabiliter dubitare tunc non possunt. Si negant A. esse vel fuisse Papam, incidunt in errorem illum quod rite electus & consecratus in Papam, non est nec unquam fuit Papa, & quod non succedit Petro, & similia quæ sunt hæretica.

Ratio tertiæ conclusionis: quia multi sunt ex utraque parte & neutrales quibus non est materia ista clarificata, quin rationabiliter possint negare vel dubitare istam propositionem quocunque contendentium D demonstrato. A. est aut fuit ritè electus. A. non est schismaticus aut hæreticus, & consimiles, ad quas sequitur, A. non est Papa. Assumptum docet experientia, & tot Doctorum diversæ adversæque sententiæ. Et constat multos esse simplices qui ad talia dubia investiganda non tenentur alios sequi, nec moventur favore vel odio seu quæstu ad non consentiendum huic parti vel illi & parati sunt obedire veritati sufficienter agnitæ, nec sunt pertinaces; igitur nec excommunicati, nec de schismate rationabiliter suspecti. Tota ratio fundatur in hoc, quòd nunquam fuit tam rationabilis, visibilis & vehemens causa dubitationis in aliquo schismate sicut in isto: cujus signum

Digitized by Google

gnum evidens est varietas opinionum Doctorum, & inter doctissimos & probatissimos ex utraque parte; quinetiam suppletis eis quæ Facti sunt & concessis, adhuc restarent quæstiones Juris ad utrumlibet disputabiles, quæ omnia incertitudinem rationabilem generant in hoc schismate, & ab errore pernicioso plures excusant. Potest igitur illud dici rationabiliter dubitabile quod plurimi & maximè sapientes dubitabile reputant & prædicant.

Ratio quartæ conclusionis colligitur ex præcedenti, & per simile de adoratione Hostiæ in Altari, dum occurrit aliqua dubitatio, quòd Presbyter celebrans non compleverit omnia ritè ad consecrationem requisita; sufficit enim adorare sub conditione implicita, immò semper debet subjungi conditio implicita, ista videlicet vel similis: si omnia ritè facta sint secundùm institutionem Christi & Ecclesiæ. Cur igitur in casu præsentis schismatis tam dubio, & quod non tam propriè tangit statum salutis & Fidei, non poterit aut debebit apponi conditio ista vel consimilis; si talis fuerit canonicè electus & consecratus & non sit hæreticus aut schismaticè depravatus?

Ratio quintæ conclusionis manifesta est advertenti: quoniam neque schisma neque hæresis, neque aliud quodcumque vitium obstat in Ministro quin Sacramentorum collatio habeat suam efficaciam; dummodò conferentes intendant id facere quod Christus & Ecclesia instituerunt & recipiens illud recipere, sicut rationabiliter præsumi debet de omnibus.

Ratio sextæ conclusionis manifestatur ex præcedentibus; quoniam nihil debet rationabiliter à talibus impedire nisi Excommunicatio lata, si non adsit pertinacia. Nunquam Excommunicatio intenditur ferri nisi in pertinaces qui non sunt parati audire Ecclesiam; alioquin frustra ferretur Excommunicatio, immò damnabiliter & in Ecclesiæ destructionem: non autem data est potestas Ministris Ecclesiæ quibuslibet *ad destructionem*, *sed ad ædificationem* secundùm Apostolum. II. *Cor.* XIII. 10. Quemadmodùm finis medicinæ est sanitas, dum rectè confertur; sic finis Excommunicationis est subditorum emendatio: quod si clarè per Excommunicationem videatur, aut videri debeat quod non sequitur emendatio, vel fructus; damnabili impietate ferri attentatur secundùm Augustinum & parabolam de zyzaniis. *Matth.* XIII. cum ibidem notatis. Rursùs ista conclusio apertè trahitur ex tertia & quarta conclusionibus: si enim multi ex utraque parte sunt in statu salutis & non pertinaces, immò parati stare & mori in veritate agnita sufficienter, aut qui sub conditione etiam falsæ parti assentiunt, quæ conditio eosdem ab errore damnabili reddit excusatos; constat quod tales non debuerunt nec potuerunt rationabiliter excommunicari, & per consequens nec eorum communicatio prohiberi. Si dicatur quod etiam Excommunicatio injustè lata timenda est. Hæc propositio malè intelligitur à plerisque, & scrupulos varios imò perniciosos *multis ingerit*. Tamen quantùm ad præsens sufficienter respondetur, quod si lator non reputetur Judex; eadem excusatione qua hoc fit, potest consequenter Excommunicatio non timeri: & multi tenentes unam partem, debent rationabiliter tenere quod alii sint in statu salutis non pertinaces, & parati stare juri agnito; immò qui fortè suo Papæ assentiunt sub conditione, possunt ex hoc communicationem eis impendere: non enim debent suo Papæ tale crimen imponere quod voluit homines non pertinaces excommunicare, vel eos qui eum tenent Papam, sub conditione tamen rationabiliter apposita, si & in quantùm fuerit ritè electus, & non aliter, à Communione Ecclesiastica canonicè segregare.

Ratio septimæ conclusionis est; quia stat aliquem veræ parti assentientem & pertinacem esse, quòd vel propter quæstum, vel propter vanam gloriam vel aliam causam non habet animum paratum ad obediendum veritati agnitæ, si per Ecclesiam vel aliter reperiretur eumdem errare; vel etiam dum in tanto dubiorum involucro pro sua assertione sustinenda, separaret se à membris veris & vivis ipsius Ecclesiæ; cujusmodi sunt multi de parte opposita, ut dictum est: non est enim schisma tantùm in separatione membrorum à capite, sed etiam in separatione pertinaci membrorum ab invicem. Ex quo consequenter habetur quod temerarium & periculosum est pertinaciter unam partem vel alteram generaliter impugnare, & ab ejusdem Communione eam detestando declinare. Altera pars conclusionis patet ex tertia conclusione.

Ratio octavæ conclusionis perspicua est ex præcedentibus; quoniam ubi radix & origo talis vel principalis ipsius schismatis consistit, ibi eradicatio fieri debet & antidotum sumi pro unitatis adeptione: ipsi enim sunt qui peccaverunt, alii autem qui oves sunt, quid meruerunt? Ipsi sunt propter quos tempestas orta est in mari. Dederunt denique & dant scandalum, propter quod ad illud removendum de necessitate salutis obligantur. Non negandum tamen est, quod quilibet pro parte sua obligatur secundùm donum à Deo sibi præstitutum quærere quæ ad pacem sunt, hic orando, ille monendo, alter docendo.

Ultima pars, quod non expedit unam partem generaliter vitare alteram & facere scissuram in principalioribus actibus Religionis Christianæ, & fraternam charitatem violare, patet ex præcedentibus & principaliter ex quinta conclusione & sexta: verum est enim quod singularitas in opinione propria contumaciter alios condemnans, incomparabiliter videtur esse periculosior & deterior quàm communicatio fraternalis per charitatem, quæ est compago membrorum Ecclesiæ, sub intentione semper recta & firma de obediendo Ecclesiæ. Etenim qui aliter agit pro incerto vero, ille se exponit certæ violationi fraternæ charitatis; nec oportet allegare Jura super periculis & maledictionibus eorum qui non obediunt Præceptis & Institutionibus vel Sententiis Summi Pontificis: habet enim locum talium allegatio apud illos qui nulla possunt rationabili causa excusari, quin sciant vel scire debeant talem vel talem esse suum Superiorem; si verò est ignorantia probabilis, sicut est in præsenti schismate apud multos de utraque Obedientia & apud neutros, illi non reputantur talibus Sententiis alligati.

Ex omnibus prædictis videntur posse elici quædam documenta. Primum est quod in præsenti schismate potest apud plurimos applicari rationabiliter documentum Ambrosii ad Augustinum de jejunando vel non jejunando, secundùm diversitatem temporum, locorum & personarum; ita quod idem homo vel diversus pro diversitate temporum vel locorum sive personarum, potest sine periculo schismatis aut damnationis, nunc illi, nunc isti parti, modis dictis obedire; & nunc cum istis, nunc cum aliis communionem præstare. Et hoc totum dicitur propter probabilem ignorantiam juris istius vel illius partis. Et supposito quod ab initio schismatis fortè tentanda fuisset alia via, ad sciendum si per Excommunicationes aut Prædicationes vel aliter, omnes ad unam Obedientiam trahi potuissent; attamen cognito per experientiam quod talia nihil proficerent, immò nocuerunt, quod de die in diem major involutio sequitur: videtur faciendum ut dictum est.

Secundum documentum, est quod inter omnes ejusdem Obedientiæ expedit adhærere Sententiis latis à suo Superiore credito; alioquin non esset vinculum charitatis inter eos.

Tertium documentum, est de casibus reservatis Papæ, de Dispensationibus & aliis in Foro conscientiæ, vel publico: possunt homines secundùm credulitatem suæ partis seipsos quietare, pro facto tenendo id quod eorum Superior creditus fecerit. Neutrales autem viden-

„ let argumentum de Petro eligente Clementem „ quia fuit ex speciali revelatione. 5.° Quia asserit „ posse Sedem Apostolicam vacare præterquam per „ mortem naturalem vel civilem Summi Pontificis, „ aut per renuntiationem liberam & absolutam & „ nullo modo conditionatam, & hoc est hæreticum. „ 6.° Quia asserit quod illi Arbitri possent eligere intrusum; vel unum Papam quasi sub conditione, „ quod est hæreticum quia soli Successores Apostolorum possunt eligere Papam, & illi soli, sunt Sacri „ Collegii Cardinales nec possent alii ordinari sicut „ nec possunt alij Apostolis succedere. Imò nec „ verisimiliter etiam potest dare Arbitris hanc potestatem sub forma prædictæ practicæ, licet Cardinales possent in aliquos de suis compromittere. „ Ex his inferuntur decem conclusiones quæ videntur sequi ex præmissis & nihil aliud addunt in sententia. Deindè ponuntur sex machinationes ejus ad ostendendum quod fuit pertinax „ 1.° Quia inhibuit ne Cardinales „ se substraherent schedulæ datæ per Dominos Duces quæ erat sub forma juramenti, imò quia sequerentur eum in via dicta hæretica. 2.° Quia fingebat sibi fieri modos violentos & protestatus in „ Bulla quòd nihil teneret inposterùm de concedendis 3.° Quia prosequitur propter ista Cardinales „ odio capitali 4.° Quia invitavit homines per beneficia 5.° Voluit postmodùm stare in via compromissi post recessum Dominorum cum certis circunstantiis priùs ab eo concessis. 6.° Quia post reditum Ambaxiatorum de Roma dixerit Cardinalibus quod erant absoluti à juramento, ex quo intrusus nolebat spontè cedere: „ Primò videtur quod tota hæc ratio possit extorqueri contra Universitatem Parisiensem quæ inter tres vias viam compromissi posuit tanquam licitam & practicalem. Imò dicebat in prima Epistola, sibi sufficere si alia via a tribus caperetur à Clemente. Imò & maxima pars allegatorum curreret contra omnem compromissum, & quod majus est, contra generale Concilium; quia in rebus multis falli potest & fallere. 2.° ad puncta sex & primo ad primum: negatur consequentia, quod quis obligaretur &c. quia intrusus desineret esse intrusus; nec est hìc materia Fidei puræ & propriæ, sed materia Facti & Juris humani arbitrii, nec Arbitri super alia materia judicarent quæ esset propria Fidei aut si facerent non oporteret obedire. Ad secundum videtur quod sicut Papa potest simpliciter cedere ita de hoc potest consiliari per Arbitros, an sit expediens hoc facere? Et iis dicentibus quod sic, tunc simpliciter cedet qualiter erit cedendum. Et mirum quod non potest etiam compromittere in certas personas quàm Cardinalis. 5.° Possunt, ut priùs dicitur, Ad tertium: Quidquid sit de potestate ordinaria, non videtur tamen hæreticum dicere quod imò ab homine possunt habere talem potestatem, scilicet à Cardinalibus vel ab Ecclesia ut dicetur, nec est periculum Fidei si Arbitri judicent pro intruso quod eligatur noviter quia desinet esse instrusus. Item non est hìc propriè error Fidei sed in facto solùm. Undè non oportet quod obedientes intruso errent in Fide; sed errant benè in hoc quod credunt electionem fuisse validam, & error ille facti potest recipere excusationem secundùm Doctores, & potest in omni eventu sub conditione Confessio fieri a bonis mentibus quæ agnoscere isto modo culpam possunt, etiam ubi culpa non est. Sic fieri potest in schismate pro majori parte hominum; imò in eis quæ sunt Sacramenta, ut in Adoratione Hostiæ non est periculum errare in facto sæpè ut quod sit hìc Hostia consecrata & adoretur quam in rei veritate Sacerdos consecravit. Cur non potiùs hoc habebit locum in Obedientia Summi Pontificis? Ad quartum per idem. Ad quintum dicitur quod renuntiatio fieret liberè & simpliciter, quamvis præcessissent aliqua præambula & consilia. Alioquin poterit retorquere articulum contra nos quæ prærequisivimus & per juramenti valetudinem obligavimus quod iste cederet, imò usque ad Cardinales. Propter hoc detinetur: qualiter ergo poterit esse cessio valida? Et notetur hìc quomodo ex causa necessitatis potest fieri certa pactio de eligendo aliquem ex duobus vel tribus sicut dicuntur facere quandoque Cardinales quod de Collegio eligent &c. Ad sextum videtur prima facie quòd includit errorem manifestum & est contra historias, scilicet quòd soli Cardinales sint Successores Apostolorum & quod ad illos solos & nullos alios possit dari jus eligendi Papam etiam per totam Ecclesiam; nam quæritur quid erit de Episcopis & Primatibus, horum igitur erunt successores, Jura sunt pro iis. Item tempus fuit quo non erant Cardinales. Item tempus fuit quando totus Clerus immò totus cœtus fidelium eligebat Papam. Item Carolo Magno fuit datum aliquando illud Jus, qui post illud resignavit. Et si dicatur quod habuit a Cardinalibus, mirum est quod Cardinales potuerunt facere & tota Ecclesia non posset; & retorqueretur argumentum in facientem: quia sicut Papa non potest committere non Episcopo quod faceret Episcopus, ita non posset facere quod Episcopus hoc officium committeret non Episcopo. Igitur nec Cardinales potuerunt committere Jus eligendi Papam non Cardinalibus secundùm istam positionem. Item si Sede vacante Cardinales omnes fierent hæretici ut possibile est; quia non magis sunt confirmati quam alii, & maxime quoniam Apostoli tempore Passionis &c. aut si occiderentur aut aliter morerentur, nonne posset adhuc Papa fieri in Ecclesia? Constat quod sic & tamen non a Cardinalibus ut notum est. Quantùm ad conclusiones illas decem respondetur uno verbo quod non sequuntur ex via compromissi & per præmissa. Ad machinationes quæ sunt in facto videtur quod faciliter poterit respondere vel negando vel interpretando facta sua in bonum, quæ interpretantur in malum: nam sicut actus exteriores facile est depravare, ita facile tolerare & justificare. „ Ex medio colligationis quia suasit intruso ne cederet & crimen „ suum deleret quod est hæreticum & schismaticum „ ergo est obstinatior & pejor Antichristo. Et primo renuit facere processus contra ipsum licet requisitus a Cardinalibus. 2.° injunxit Episcopo quod „ oscularetur pedem intrusi. 3.° & 4.° quia misit anno „ præterito Ambaxiatores ad eumdem. 5.° quia ad „ Reges Romanorum Angliæ & Hungariæ misit ne „ se substraherent ab intruso & ne cultum damnabilem obedientiæ Antichristo intruso substraherent. 1.° omnia ista sunt in facto & possunt de facili calumniari & de facili benè interpretari ut dictum est. Ad primum de processibus dicerent multi quod hoc fuit sanctius & utilius ex quo processus nihil proficiebant ad correctionem; cum Excommunicatio debeat esse medicinalis; & dicerent quod hoc de bono opere lapidatur. Ad secundùm de osculo pedis & similibus potest hoc ad bonum trahi etiam si concessum sit fuisse factum; quia potest osculari pes Papæ aut alterius. Ad aliud quod induxerat Reges &c. præsumendum est faciliter quòd benè voluisset quod dimisissent Obedientiam intrusi & ad se venissent & ita non suadebat manere in schismate, & dicerent aliqui quod nimis inculpantur hìc Reges alterius Obedientiæ; quia non oporteret dicere quod sint schismatici & extra statum salutis. Item diceretur quod non induxit Reges &c. ad aliquid nisi ad illud quod præsumebat fore concedendum ab ipsis per unionem Ecclesiæ & non de directo impediebat eorum subtractionem. Et quamvis in rei veritate ista quæ hìc & alibi allegantur contra eum, essent vera in facto, tamen non sufficit hoc ad convincendum aliquem de schismate; sed requiritur etiam quod hoc sit convincibile manifestè & quod negari non possit & ut vulgò dicitur *hic jacet lepus*, imò si teneri quæritur hìc & non alibi poterit deprehendi. „ Quintò probatur ex facto scandali-

„ zatio-

Digitized by Google

„ zationis, incorrigibilitatis; nam incorrigibilitas de „ aliquo crimine scandaloso in Clericis est peccatum „ Idololatriæ patet *Distinct.* 81. cap. *si qui sunt* & cap. „ *maledicam* & glossa *distinctione.* 90. a 1. Scandali- „ zavit ex fictionibus suis quibus simulavit se velle „ viam cessionis & negavit & alia quædam fecit su- „ periùs præmissa. Per præmissa respondetur & quia sunt in facto, quod non possunt convinci &c. Sep- A timò: probatur ex facto fautorio schismatis Fratris Vin- „ centii Confessoris sui contra Fratrem Emeryei In- „ quisitorem in Regno Arragoniæ; comburi enim fe- „ cit processus Inquisitorum illius in quibus habebatur „ quomodo Frater Vincentius prædicaverat in die „ Parasceves qualiter Judas voluerat veniam quære- „ re a Christo dum duceretur ad Crucem; sed prop- „ ter multitudinem non potuit, imo dixit quod oc- „ curreret ei gressu mentis & ita fecit se suspendens, „ cujus anima statim quæsivit veniam a Christo & „ obtinuit. Hoc stat in facto & difficile erit pro- bare si neget quod sit ejusmodi error, imò si fuisset posset abjurare: nec concluditur quod sit pertinax, & per consequens nec hæreticus, licet fortè esset sus- pectus non daret aliam causam comburendi processus factos. Sed dare veram vel saltem fingere non erit difficile ut quod deserviunt...... cum factum vel in Curia sua non debet Inquisitor se intromittere. Item Papa ex certis causis potest ex certis causis aliquem qui dixisset hæreses à pœnis debitis absolvere. Ad illa quæ concluduntur „ 1.° quod protestationes ipsum non protegunt, illud negaretur, nisi sit evidens pertinax in B oppositum. Nam per tales protestationes deffendunt se communiter Theologi a pertinacia. „ 2.° Cum dici- „ tur quod abjuratio schismatis & acceptatio viæ ces- „ sionis non juvant cum nec reconciliatio in forma „ Ecclesiæ quin habere debeat pœnas Juris &c. „ Vi- detur quod propter hoc non sit deponendus a Papa- tu quia nunquam perdidit Jus si non fuerit pertinax & paratus corrigi tempore & loco & modis debitis, sed non videtur posse convinci de pertinacia ex quo of- fert se paratum corrigi per protestationes & petendo audiri cum Judicibus, scilicet Concilio. Undè Pa- pa Joannes XXII. quamvis accusatus fuisset de hæ- resi quam prædicaverat, sæpe tamen revocatio sua quæ secundùm quod videtur recitare Okam fuit con- ditionalis solùm, excusavit eum, nec fuit remotus a Papatu propter ista. Propter robur præmissarum res- ponsionum posset fieri talis ratio. Via cessionis non erat nec est utilis ad unitatem Ecclesiæ faciendam, sal- tem de per accidens: igitur non est sola via nec fuit ad uniendum Ecclesiam, imò nec erat necessaria ac- ceptari sub pœna schismatis, rejectis omnibus aliis C viis; quoniam videtur nota ex terminis; quoniam Ec- clesia per Dei gratiam potest uniri & potest alia via acceptari quàm ista quæ est inutilis, saltem de per ac- cidens ad hanc unionem. Tunc igitur antecedens prædictæ consequentiæ fuit usque nunc dubium, imò est modò probabilius quàm oppositum, propter perti- nacem refutationem ipsius viæ per aliam partem Obedientiæ, ergo consequens est incertum, & per con- sequens non potest sumi ex eo certum argumentum contra refutantem illam viam quod sit schismaticus, imò fortè diceret refutans quod offerentes eam modis quibus obtulerunt reddiderunt hanc viam inutilem, nisi Deus aliter providerit: nam alia pars plus in pro- posito suo firmata est quàm priùs, & respiciens nos ita dixit in corde suo quod *Omne Regnum in seipsum divisum desolabitur*; Luc. IX. 17. & ad eos finaliter regredi com- D pellemur. Non dicuntur ista ad excusationem Benedic- ti, quem pro certo apparens est captiosè & per malum consilium egisse, aut bono consilio nequaquam satis cre- didisse; sed dicuntur ista non ad justificandum Do- minum Benedictum, sed ad videndum quid suis oppo- nentibus respondere posset ne de pertinacia convinci posset à quibusdam: nam in hac materia idem est de iis quæ non sunt & quæ non apparent & quæ ju- dicialiter convinci non possunt & ut detur occasio sa- pientioribus profundiori maturitate perscrutandi & solidandi quæ vera sunt.

TRACTATUS ALIUS DE EODEM. SCHISMATE.

Recognitus ad MS Codd. Vict. 286. *&* 1083.

MONITUM.

Scriptus videtur iste Tractatus, cum primùm in Ecclesia Gallicana de substractione Obedientiæ facienda à Benedicto XIII. *actum est. Anno* 1396.

IN inquisitione veritatis tangentis proximum schis- ma & statum ejus, oportet non esse monoculum; sic quod tamen uno oculo ad rem ipsam attenda- mus, quod fit dum illa tantummodò quæ pro parte nostra faciunt aspicimus, & adversas rationes videre negligimus. Et quia multi, ut suppono, offerent oculis videre volentium, rationes quæ faciunt pro sua opinione in materia quæ nunc ventilatur, scilicet de substractione Obedientiæ à Domino nostro in toto vel in parte; decrevi quædam similiter in aspectu ad- ducere in oppositum facientia. Primò: notetur quæ & qualis persona & cujus fama & status nunc tracta- tur, & quibus privilegiis, qua dignitate & superio- ritate dotatus est. Idcircò summè cavendum est, ne quid temerè aut inconsideratè aut præcipitanter fiat. Secundo: notetur quòd obtulit semper & pu- blicè in primo Consistorio, quòd videlicet habebat promptitudinem animi ad mortem pro ovibus sustinen- dam, antequam non fiet unio Ecclesiæ. Tertiò: no- tetur quòd cessio sua si nunc fieret, non esset con- veniens sed pessima, nisi priùs ab adversa parte alia sentiremus; & ita non debet accusari de perjurio, si non cesserit vel cedat principaliter. Si dicatur quòd nec hoc petitur; sed quòd reddat se voluntarium & promptum ad cessionem. Primò: videatur si jura- mentum hoc importat quod vocaliter nunc istud of- ferat. Secundò advertatur si illa oblatio de promp- titudine ad mortem, satis hoc importat, quod etiam paratus est cedere antequam non fieret pax. Tertiò: videatur si possit habere colorem sufficientem ad ex- cusationem suam, quod vocaliter pro nunc non offert cessionem, antequam sciatur voluntas eorum de ad- versa parte; quia æstimat forsan & non sine appa- rentia, quod adversarii magis fortificarentur vel indu- rarentur: & dicerent interpretantes istam oblationem in malum, quod diffidit de jure suo, & hoc non sine co- lore. Quartò: principaliter notetur, quòd per Bullam in responsione tertia offert simpliciter & absolutè, quòd vult tenere juramentum in forma. Quomodò igitur poterit argui de perjurio? Si dicatur quod intelligit aliter juramentum quod Cardinales & alii, non obstat, quia nondum vidimus, nec venimus ad hoc quòd ces- sio debeat compleri, quousque viderimus de respon- sionibus aliorum alterius Obedientiæ. Et si tunc Papa velit subterfugere & glossare, & ita pacem per hoc impedire, locum habebit interpretatio, & suæ interpretationis si mala sit, impugnatio. Quin- tò: notetur, quòd per Nuncium Apostolicum qui novissimè venit, fecit multa offerre Domino Regi & aliis super declaratione voluntatis suæ, & diffi- cile esset judicare eum; nisi talia scitentur, quæ tamen non est necesse revelare Universati vel om- nibus: præsertim ubi negotia non tractantnr ita secretè quid faciliter sciri possint. Sexto: notetur

quod

Digitized by Google

quod in quarta quæstione inter illa quæ ponuntur, supponitur quòd Papa fuerit protestatus de non recedendo à viis suis, quod multi omninò falsum æstimant, immò potiùs offert omnem viam rationabilem. Septimò: notetur quod via cessionis est inefficax & insufficiens, si alii de alia Obedientia nolint illam recipere; & ideò mirum videretur quòd ad talem viam quæ ex hypothesi possibili esset inefficax, aliquis obligaretur. Si dicatur quod saltem A Papa tenetur secundùm præparationem animi acceptare istam viam. Non video qualiter istud possit negari, quia etiam tenetur acceptare isto modo mortem: sed quod non habeat istam promptitudinem, non potest sciri, cum sit in mente; nec videtur quod teneatur explicare voce vel signis exterioribus pro nunc, propter aliqua tacta circa tertium notatum; quia nec etiam hoc juravit. Et fortè expediens est silere usque ad tempus renuntiationis, propter ambitiones illorum qui tenderent ad Papatum diversis viis, cautelis & modis, & possent impedire factum totum. Octavo: notetur quod possibilis est alia via conveniens & bona, & quæ ab adversariis fortè acceptabitur, & in hoc casu qui clarus est, Papa sufficienter se absolvet apud Deum & homines, si illam viam acceptet per quam fiet pax: nam supposito quod cessio de se esset via melior, tamen potest fieri insufficiens per accidens. Item non semper melius bonum cadit sub obligatione quin sufficiat minus bonum acceptare: duobus enim propositis bonis, majori & minori, stat quod ad nullum obliger. Stat etiam quod ad minus obliger & non ad majus, & stat quod ad utrumque obliger sub distinctione; & in casu isto est quæstio apud Doctores, an tenear acceptare majus bonum. Et non est dubia ista quæstio, si majus bonum sit mihi difficilius; sed si ceteris paribus, & stante æqua facilitate. In casu isto si dimittam majus bonum, dicunt aliqui quod pecco propter contemptum, apud alios oppositum est multum propabile. Undè propter experiendam libertatem meam vel aliquod tale, possum ut videtur licitè majus bonum deserere minori acceptato. Tunc applicetur in casu nostro, & constat quod Papa dicere poterit de ista via & alia minus bona, quod cetera non sunt paria. Nono: notetur quod Papa non potest teneri ad cessionem sæcluso juramento, nisi istæ tres conditiones ponantur. Primò: quòd per cessionem habeatur unio. Secundò: quòd aliter non posset humanitùs haberi. Tertiò: quòd malum illud propter quod fit cessio facienda, sit mortiferum animabus, & quòd per cessionem non augeatur. Nunc benè attendamus, si rebus adhuc stantibus ut stant, præsertim apud adversarios nostros quorum opiniones ignoramus; posset dici apparenter aliqua trium conditionum deesse nunc in cessione. Decimò: notetur quòd etiam de parte nostra Rex Hispaniæ & Rex Arragonum, & præsertim ejus populus, non sunt adhuc determinati ad istam viam cessionis, immò dicunt multi vidisse multas litteras quibus oppositum clarè perpenditur. Et istis sic perdurantibus, constat quod cessio non esset via totaliter sufficiens, immò multi formidant ne jam sit formatus unus rancor & quoddam seminarium discordiæ inter illos Hispanos & Arragonenses ex una parte contra Gallos, & interpretantur quod in odium eorum volunt Papam D deponere, quia de Patria. Undecimò: notetur qualiter per determinationem suarum quæstionum si nunc fierent, posset poni schisma in Fide inter Universitatem Parisiensem & Papam nostrum & sibi adhærentes ex una parte; eamdem & alias Universitates alterius Obedientiæ, quæ sunt æmulæ ejus, & in quibus sunt Clerici, & videat Universitas. Duodecimò: notetur modus qui tenetur de schedulis, & modo vocum seu opinionum vel deliberationum; quia in illis quæ fiunt per modum Universitatis, Facultas Theologiæ ad quam spectat principalissimè illud negotium, non habet nisi quartam vocem, & Facultas Medicinæ tantam. Tertiodecimò: notetur quomodò potest requiri salva conscientia, quòd à Papa qui non est judicatus schismaticus aut hæreticus, posset removeri Obedientia circa ea quæ ad eum semper spectare confessa sunt. Et advertere debent talia agentes super pœnis expressis, & de peccato ad Deum, notatur 2. quæst. 4. cum ibi allegatis. Si dicatur quod Papa ostendit se schismaticum, hoc non est clarum per præcedentia. Item non est talis judicatus ab habentibus potestatem, & non est in potestate libera cujuslibet sic judicare de Papa, & ab ejus Obedientia removere, aut contemnere Sententias suas, vel Jurisdictionem diminuere, & videtur si tales sint suspecti de schismate contra Papam. Item notent Principes quid tales facerent contra eos si impunè auderent & quam fidelitatem servarent; quia sic dicere possent quod essent tyranni. Quatodecimò: notetur si expediret simpliciter Ecclesiæ quod Prælati darent Beneficia, & si meliùs distribuerentur, attento statu eorum & familiarium &c. & an studiosi in Universitatibus haberent Beneficia; & an mali Prælati fierent pejores, quia magis honorarentur, & eis adularetur in peccatis. Quinto decimò: notetur quòd si expediat Principes incitare ad removendum vel diminuendum Jurisdictionem vel redditus Eccclesiæ, sive ratione, sive alterius autoritate, & si bona meB liùs disttibuerentur, & si licitè hoc facerent, & si totus Clerus finaliter infra breve tempus perderetur & affligeretur, majoribus primò destructis & afflictis. Decimo sextò: notetur circa juramentum Papæ; si factum ante Papatum liget eum postquam est assumptus. Item si posset secum dispensare. Item si judicet quod vergat in detrimentum salutis & totius Ecclesiæ observatio juramenti. Item si interpretatio spectet ad eum. Item si magna pars Clericorum, specialiter Doctorum utriusque Juris Divini & humani sit secum, quod observatio illa juramenti esset in detrimentum salutis &c. An excusetur. Item ut jam dictum est, offert quòd vult observare, quòd laboretur interim apud alios. Iterum si habuerit causam malè suspicandi in materia ista & cautè respondendi, attenta variatione circa eum & Clementem; & moribus quorundam Cardinalium, & quod sibi negabatur modus practicandi viam cessionis. Decimo septimò notetur: quòd in prima responsione sua inqua C aliqui dicunt eum reprobasse simpliciter modum cessionis, non potest hoc expressè haberi; quia illud quod ponit de scandalo & pernicie &c. refertur ad modum exequendi illam viam si esset ineptus, & ideò illum petebat modum exequendi. Et circa hoc mirantur aliqui, quomodò hoc sibi potuit rationabiliter denegari, cum maximè hoc tangat eum, & si caput &c. Decimo octavò: notetur & advertat Universitas quomodò aliqui de suppositis improbant simpliciter & de plano vias quas ipsa reputavit utiles, bonas & convenientes, & per quarum quamlibet posset haberi pax, & rationes ad hoc dedit, & se obtulit in litteris patentibus quamlibet illarum contra quemlibet sustinere. Et videatur si circunstantiæ sic sunt immutatæ vel ex persona vel tempore, quòd omnes viæ aliæ præter cessionem sint factæ ineptæ & insufficientes, immò quod illarum coloratores aut opinatores digni sint punitione vel infamatione; & præsertim quia in impugnatione dictarum viarum aliarum fiunt rationes ab aliquibus qui pro omni tempore militant contra eos, si quid virtutis habeant: & si sit in honorem Universitatis ipsa viderit. Decimo nonò: notetur specialiter probatio Concilii generalis, quod tamen necessariò fiendum quidam benè apparenter persuadebant, propter electionem novi Papæ, hæc est radix in sinistra brevi: quia magna pars Catholicorum est neutra, sic quod credit quod neuter sit Papa, aut in dubio suspensam se tenet. Isti verò consequenter habent credere

Digitized by Google

dere, aut dubitare de Cardinalibus utriusque partis, quòd non possint etiam similiter eligere novum Papam; quia si neuter sit Papa, maxima pars eorum nec habet, nec habere potest potestatem creandi novum Papam, nec alii quicunque à Cardinalibus, nisi per Concilium generale; supposito quòd omnes Catholici particulariter consentirent in aliquos certos pro eligendo novo Papa; si non fieret collegialiter nihil esset: alioquin Urbanus intrusus habuisset maximam apparentiam. Si dicatur quod Cardinales soli antiqui creabunt novum. Primò, dubium est apud multos an perdiderunt potestatem eligendi. Item, si alii Cardinales omnes sunt veri Cardinales; si antiqui non habebunt nisi partiales voces: alii enim habent potestatem in electione Papæ sicut ipsi, ideo non esset secundùm istam rationem plena pacificatio omnium sine Concilio generali. Vicesimò notetur. Si Papa incipiat persequi alios, quia videtur inter cetera, quòd illi qui sunt pro se, ab eis persequuntur, & quædam talia, & utatur Excommunicationibus; utrum illæ erunt timendæ vel non? Si removeat Beneficia, utrum reperientur alii qui capiant? Si illi excommunicentur & non curent, utrum præsumendum sit simile, quod alii non curabunt, & quod debent convivere & communicare cum eis sicut ante? Et quod erit remedium in celebrare volente & in articulo mortis; an erit aliquis sic negligens propriam salutem, aut temerarius quod non formidet Sententiam illius quem tenet aut tenere debet Papam, saltem qui non est judicatus non esse talis; & quod erit etiam in vita remedium vel revelamen?

TRACTATUS ALIUS, DE EODEM SCHISMATE.

Recognitus ad eosdem MSS. Codices.

MONITUM.

Scriptus est iste Tractatus & sequens post decretam substractionem Obedientiæ Benedicto* XIII. *anno* 1398. *cùm ageretur in Ecclesia Gallicana de revocanda illa substractione: quod factum est anno* 1403. *Die* 20. *Maij.

PRÆSUPPOSITO quòd Papa possit fieri hæreticus & schismaticus; eo etiam quod de his criminibus posset accusari, si de his esset vehementer infamatus & suspectus; quorum utrumque, quidam negare voluerunt: quæritur utrum, rebus stantibus, ut nunc, turbatis in Ecclesia; sit expediens accusare judicialiter Dominum Benedictum novissimè in Papam electum super hujusmodi criminibus hæresis & schismatis. Primò quòd sic, quia non debent fideles se exponere discrimini. *Amans enim periculum peribit in illo*, inquit Sapiens. *Eccli.* III. 27. Sed obedire homini schismatico vel hæretico ut vero Papæ, esset discrimen peccati mortalis, ut videtur; & non obedire eidem, si sit verus Papa & non schismaticus, est similiter discrimen: ideò in casu dubio sicut est modò apud multos, debet inquiri & sciri veritas. Et videtur fundari posse ista ratio in regula magistrali Theologiæ; quod *dubitans de aliquo actu, an sit peccatum mortale & faciens illum actum, debet esse certus quod peccat mortaliter.* Cujus ratio assignatur illa quæ dicta est; quia exponit se discrimini. Quod autem nunc sit dubium apud multos an Benedictus sit schismaticus & hæreticus vel non; patet ad oculum de multis qui sibi obediunt, & aliis non etiam de sua Obedientia, etiam de eodem Regno, immò & in eadem Universitate vel Collegio. Tollendum est igitur illud dubium a cordibus hominum, ne obediendo exponant se discrimini, ratione dubitationis antedictæ. Notetur 19. Dist. Anastasius, qui communicavit Fotino & Acacio. Secundo sic, non minùs necesse est vel expediens scire an subtractio sit conti-
A nuanda quàm fuit expediens cognoscere an esset facienda; sed expediens fuit secundum ut nunc supponitur, igitur & primum. Antecedens pro prima parte fundatum videtur in sufficienti similitudine. Addito etiam quòd post subtractionem multa facta sunt, & aliqua oblata per Benedictum, propter quæ multi variè sentiunt de subtractione continuanda vel non continuanda; dicentibus aliis, quia Benedictus satis offert & cessant causæ subtractionis, aliis in oppositum asserentibus quòd nec cessant, immò nec cessare possunt, ut unquam possit in Papatu jus habere, propterea necessaria est ut videtur juridica discussio. Tertiò sic, charitas obligat & mandat curare de proximis & eorum salute & reductione ad cognitionem veritatis. Si ergo sumus certi sufficienter, quòd Benedicto nullo modo est obediendum sub pœna schismatis, quia schismaticus est, nos ex hoc debemus procurare quòd alia Regna vel singularia supposita, eidem nullatenùs obediant, & hoc fieri non potest absque discussione juridica ut videtur: nam si non vocarentur alii, ipsi de facili contemnerent quidquid ageremus. Si autem
B adhuc dubitamus, redit argumentum primum quòd exponimus nos discrimini, continuando subtractionem ab illo; cui autem sit obediendum dubitamus. Quartò sic, aut causa præcisa & præcipua subtractionis fuit negatio viæ cessionis, sicut multi tenent dicentes, quod sic fuit pronunciatum per Cancellarium Franciæ ex deliberatione Concilii Prelatorum, nec aliter Prælati judicaverunt; aut fuerunt cum hoc aliæ causæ. Si primum, constat, ut dicitur, quòd offert ipse Benedictus & diù est obtulit eamdem viam cessionis & largiùs quam petebatur: si secundum dicatur quòd fuerunt aliæ causæ; quæritur an cessent? Et sic idem quod priùs. Si non cessant, ipse ergo Benedictus continuat peccatum suum in grande scandalum totius Ecclesiæ, & ita debet confestim fieri processus contra eum ad ejus destitutionem totalem realiter
C & de facto, quatenùs possit Ecclesiæ meliùs de Pastore provideri. Similiter tales causæ, quia non notificatæ sunt apud omnes; nec certè illæ debent manifestari, ne ex ignorantia faciant sibi restitutionem aliqui per quorum auxilium ipse posset multipliciter gravare Ecclesiam & præcipuè suos Cardinales & alios sibi inobedientes quos odit & persequitur (ut multi æstimant) odio capitali, sicut ex minis ejus & processibus (ut fama fert) contra eos inchoatis judicatur, immò per hoc posset destituere omnes Cardinales veteres, & novos creare, exaltare fautores suos, & alios justitiæ zelatores crudeliter impugnare. His autem inconvenientibus quis non videat expediens esse remedium apponere? Hoc autem fieri non potest ut videtur, absque juridica investigatione causarum omnium & motivorum tam Juris quam Facti, super rationabilitate subtractionis & ejusdem continuationis. Addunt aliqui quòd omnia quæ promisit existens in carcere super cessione, refutabit dum erit liber, & allegabit timorem cadentem in constantem virum: alii dicunt quod hoc non impedit; alioquin obligatus esset nunc ad impossibile, quia nihil potest agere nisi in carcere, dum semper in illo est, non est tamen alibi conservandus, nec in Regno, nec extra, ut
D aliorum est assertio. Ad oppositum arguitur sic: discussio juridica debet coram Judice competenti fieri & audita parte. Sed nulla persona vel etiam Communitas nisi Ecclesia, aut Concilium generale repræsentans Ecclesiam, debet esse Judex competens Papæ, immò nec ipsum potest judicare, ut quidam Juristæ dicere volunt; sed pro nunc oppositum supponitur. Concluditur ergo quod ista accusatio, discussio & de-

claratio fieri debebit coram Concilio generali totius Ecclesiæ, saltem istius Obedientiæ. Tunc ultra arguitur. Si non est expediens celebrare hujusmodi Concilium pro hac causa principaliter, non est expediens discussionem fieri; sed nec est expediens celebrare hujusmodi Concilium generale pro hac causa: igitur &c. Supposita majore, probatur minor multipliciter. Primò, ex parte convocantis. Secundò, ex parte convocatorum. Tertiò, ex parte medii in tractando. Quartò ex parte finis in obediendo.

Primò, sic ex parte convocantis. Nulla Congregatio habet vim Concilii generalis nisi fiat in forma Juris, saltem non erit verisimile vel necesse quòd omnes obediant sententiæ talis Congregationis, quæ non erit in forma Juris convocata, & ita erit totum quod ibi agetur dubium, fluctuans & invalidum. Concilium autem generale non potest convocari in forma Juris, nisi autoritate Summi Pontificis, *Dist.* 17, cum ibi allegatis. Et præsertim si sit aliquis talis vel talis reputatus in Ecclesia, & si non pertinaciter refutaverit celebrare Concilium, dum super hoc rationabiliter fuerit requisitus. Istas duas exceptiones reputarent aliqui Juristarum etiam superfluas, quia tenent regulam in suis terminis generaliter esse veram: tamen ita dicimus in proposito. Supponimus insuper quod Benedictus nondum depositus est de Papatu, quia nec fuit juridicè accusatus nec auditus, & per consequens non convictus: nam etsi hæreticus & schismaticus sit Jure deponendus, & apud Deum sic mereatur; non est tamen depositus de facto ante Sententiam ut not. 5. quæstio. 4. *Nova*, & gloss. super hoc verbo. Exempla sunt multa in similibus materiis de Episcopis, aut inferioribus Principibus aut Prælatis. Quod si quis dixerit non esse expectandam Sententiam à Judice latam, dum feratur à Jure cum notorium factum est; istud dicere, est confundere omnem ordinationem politiæ, & contra omnem Ecclesiæ regulam; nam quilibet erit Judex in causa sua sicut ad propositum præsens possemus applicare, nam multa dicuntur à multis esse notoria crimina contra Benedictum, quæ alii vel negant vel approbant. Deinde dicentes quòd Papa hæreticus minor est quocunque Catholico & Jurisdictioni Ecclesiæ subest, intelligunt quòd ab aliis potest ut inferior judicari; sed ante judicium debet semper reputari major: non enim insequimur errorem quorumdam dicentium, injustum non posse justè damnari. Jura ad hæc non allego; quia totus textus Libri Conciliorum ab Isidoro plenus est, quòd Concilium nullum robur habet, nec potest convocari nisi autoritate Papæ, & quòd etiam *ante omnia spoliatus debet restitui*. In Prologo vocat istas duas regulas duas claves & duos gladios sufficientes &c. Et est casus in terminis de Symmaco Papa, qui licet accusatus esset de hæresi, convocavit Concilium & ante omnia restitutus est; postmodùm se purgavit: Reperitur etiam quod Clerus Romanus, scilicet Cardinales puniti sunt, eò quod à Papa discesserant. His suppositis arguamus ultra, quomodò Dominus Benedictus convocabit Concilium, stans in carcere & spoliatus ut dicitur; qualiter etiam ipsemet in causa sua audietur, ut Juris est, si non relaxetur sive detur libertati saltem in Concilio? Qualiter præterea poterit multos à Concilio abjicere, vel petere removeri tanquam inimicos sibi, specialiter proprios Fratres Dominos Cardinales; & an causam habeat super hoc rationabilem videre quid præsumendum?

Secundò, sic arguitur ex parte convocandorum: quòd si verum sit proverbium: *Ubi multitudo, ibi confusio*, precipuè hìc habet veritatem, quando non est unio sub aliquo capite, neque sub eadem Regula sive Lege. Sed convocandi de diversis Regnis, immò de eodem Regno convenient in judicio & opinione super eodem capite, per realem & omnimodam obedientiam, ut verisimiliter supponitur: & hoc est, quia non conveniunt sub eadem Regula sive Lege, quæ est de subtractionis rationabilitate; dicentibus aliis subtractionem benefactam & continuandam fore, aliis non sic, sed & malè facta fuit; & si benè facta, tamen rebus immutatis nunc est mutanda, & ita murmur erit inter eos, & quis compescet illud? Denique nondum scimus an alii Principes volent convenire nobiscum, præsertim ad hoc tractandum si præsciverint: necesse tamen est ut præsciant, nec præsumendum est quin ante omnia hoc scire flagitent, dum proponetur eis istud Concilium. Quod si ab eis veritas celetur & mendaciis seduci quærantur, quàm indecorum hoc esset, immò periculosissimum & scandalosissimum nescit nemo. Quod si dicatur eis nos velle tractare an Benedictus sit verus Papa vel schismaticus, & quod certum putant in dubium revocare, verisimilius est quòd respondebunt se certos esse nec velle hoc discutere, sicut Obedientia partis intrusi nunc usque respondet. Ecce igitur quàm difficile sit vel impossibile convocandos in unam viam conjungere pro discussione negotii quod loquimur.

Tertiò, sic arguitur ex parte mediorum in tractando. Præsupponamus itaque illud quod non est verisimile; quòd omnes unanimi assensu de ista Obedientia velint convenire ad Concilium pertractando hanc materiam, etsi non solam, tamen præcipuè & principaliter istam. Constat quòd Benedictus & sui pro se audientur in sui defensione; propterea videndum est ante omnia, si ea quæ opponuntur contra ipsum vel opponentur sint talia quæ debeant facere fidem omnibus, etiam sibi obedientibus & faventibus; quia si non sint talia & taliter evidentia, non solùm frustra, immò confusibiliter ea proponemus nos qui subtractionis continuationem defendimus, & ponemus nos in periculo noti schismatis, & condemnationis opprobriosæ; addito hoc quòd favor & amor multùm impediunt judicia hominum & justorum, licet hoc non credant vel videant: cum ergo major pars in Concilio erit de eis qui subtractionem aut saltem subtractionis continuationem reprobent, non restat nisi ut condemnemur. Nec valet hoc dicere quod Dominus non permittet errare Concilium; quoniam in eis quæ sunt Facti aut Juris positivi, & breviter in omnibus aliis, præter quam in materiis quæ sunt purè de Fide, Ecclesia fallit & fallitur, servata charitate: patet cum compellit aliquem habitare cum non sua. Istæ verò propositiones. Subtractio fuit benè facta, vel malè facta, non sunt propositiones purè de Fide, sed præsupponunt alias innumeras quæ sunt purè de Facto. Rursùs ad idem: si Benedictus accusetur de aliquibus; quis dubitat quin accusabit Fratres suos & alios adversarios, de pluribus & de fortè majoribus & magis coloratis, & fundatis tàm in materia Fidei quàm in materia schismatis. Exempli gratia. Accusabit Cardinales de rebellione ad eum & conspiratione & crimine machinationum dolosarum, aut de aliis criminibus, ut simonia & similibus. Item habet quædam scripta aliquorum in quibus sunt hæreses manifestæ, dum credunt eumdem impugnare: ut quòd soli Cardinales sint successores Apostolorum. Quòd Ecclesia tota non posset creare Papam, nisi per medium Cardinalium nec unquam potuit. Quòd res expressè prohibita à Deo si juretur, debet servari in reverentiam juramenti. Quòd Jephte occidens propriam filiam meruit. Quòd Deus potuit obligari. Item de aliis. Quòd possunt esse plures Summi Pontifices. Quòd Decreta & Decretales plus nocuerunt Ecclesiæ quàm profuerunt. Quòd claves datæ sunt unitati non uni. Quòd omnis obediens vel procurans obedientiam apud ipsum Benedictum, stantibus terminis in quibus sumus, est schismaticus, per consequens pertinax. Quòd probabile est, stante dubio probabili & notorio, de aliquibus contendentibus de Papatu, dicere quòd alteri est obediendum, est error in Fide & moribus: nam cum casus præsentis schismatis sit in tali dubio probabili & notorio, si unquam fuit vel erit tale dubium, omnes qui obediverunt usque nunc vel obedient uni parti

parti vel alteri, errant in Fide & moribus. Item quòd in eodem dubio quilibet contendens tenetur cedere juri si quod habet & similia. Item quòd à Papa licet appellare, & quòd licitè appellatum est in hac materia; cujus tamen oppositum determinavit nuper totum Concilium Cardinalium, ut dicitur. Item fortè accusabuntur multi de multis criminibus, tàm in Fide quàm in moribus, quæ debent puniri morte, & merentur, secundùm Leges & Decreta, perpetratores talium exheredari pro se & suis & posteris: & ita videre facile est, quod horrenda scissura fieret. Ita tamen debere fieri in contrectando materias ante dictas videtur verisimilius: nam si Benedictus accusetur ad mortem & sui fautores, nonne credibile est, attento suo quod alios similiter accusabit ad mortem si poterit? Præsertim si fautores aliquos habeat eorum quos accusare voluerit inimicos odiosos; immò & fortè accusabit Prælatos Regni de Sententiis Excommunicationis multis, & nominatim, quia consenserunt contra Jura ut dicet, & contra Ecclesiasticam libertatem subsidia pro Dominis temporalibus, absque causa manifestæ necessitatis &c. Prælati è contra volent se tueri; volent etiam dare Beneficia ad nutum sicut modò, & hoc fortè Benedictus non volet neque sui Cardinales. Item fortè retorquebit omnia contra prædecessorem suum Clementem & sui fautores, quæ contra ipsum allegabuntur; saltem quoad ipsa quæ concernunt modos diversos machinandi pro impedimento unionis: non dico quòd justè, sed nec etiam quod injustè: parcat omnibus Deus. Postremò, quoad hoc videnda sunt scripta continentia rationes contra Benedictum, & videantur similiter responsiones atque ponderentur; & fortè videbimus, quidquid sit in re, quod non poterit sufficienter de hæresi aut schismate convinci, quod tamen exigitur; est enim difficillimum convincere aliquem pertinacem & incorrigibilem fuisse, ante judicium: nam & si aliquis millesies repetiverit & protestatus fuerit ante Sententiam quòd deffendet errorem suum nec revocabit; tamen admittitur ad veniam in puncto Sententiæ proferendæ, si se monstret pœnitere & velle stare judicio Superioris sui: quamvis ipse Okam videatur oppositum in Dialogo suo suasisse; contra quod est usus & Lex Ecclesiæ.

Quartò, sic arguitur ex fine Concilii in obediendo. Videamus itaque secundùm veram & justam æstimationem, si quilibet de Concilio tenebit majorem partem benè sententiasse, quamtumcumque sit in sui opprobrium vel damnum vel infamiam: nam cum Concilium etiam totum posset errare, ut dictum est, in his quæ tractanda hìc proponuntur; nonne poterit leviter dicere condemnatus in hoc Concilio: certè Concilium erravit; Concilium malè sententiavit; fuit hìc inimicitia vel odium vel ignorantia facti vel alicujus similis. Consideremus obsecro, si pars quæ subtraxit nec vult obedire, condemnaretur malè egisse aut saltem debere obedire; an pareret huic Sententiæ? Scio quòd facile est dicere ita, obedirent; scio quòd etiam ita obedire possent: sed an hoc debeat secundùm moralem æstimationem & conjecturam credi, ex his quæ ut in pluribus accidunt humanitùs, viderint qui sic vident, ego non video. Si verò nihil sententietur, irrisorium & vanum erit Concilium: si aliquid sententietur quod non teneatur, erit perniciosum & scandalosissimum pro omnibus Conciliis inposterùm celebrandis, & erit schismatum innumerabilium & irreparabilium causativum, non solùm inter istam Obedientiam in partibus suis, immò & inter istam Obedientiam & alteram; quoniam remanebimus in irrisione & in infamia apud eos perpetua, in fabulam quoque & derisum; & fortè non poterit esse concordia in modo restituendi, quia alii volent ex toto, alii ex parte; isti volent in spiritualibus, alii in temporalibus. Aut ergo volumus nos qui subtraximus restituere Obedientiam, & ita melius est quòd nos ipsos liberè faciamus quàm coacti judicio: aut nolumus, & ita exponimus nos periculis prætactis si petamus Concilium. Sed dicet aliquis istud Concilium peti debere non quod fieri debeat aut speretur; sed quod interim absque scandalo tempus protrahatur, quo currente morietur Benedictus, & ita liberabit nos Dominus & eligendi libertatem dabit. Posset hìc allegari illud vulgatum pueris notissimum. *In mortem alterius noli sperare salutem.* Quis scit enim quantùm vivet, quando morietur? Et interim in quo statu sumus, immò in quos status corruimus nemo non videt. Porrò & si cras moreretur Benedictus, attendamus incredibilia pericula. Primò, diceretur ab inobedientibus sibi quod mors ejus fuisset proditoriè accelerata, & ita suspecti de hoc persequerentur: item obedientes nunc sibi, obedientiam negarent ab illo qui noviter esset electus; tùm quia judicarent Cardinales amisisse jus electionis, tùm quia verisimiliter alium eligerent per aliquos Cardinales qui non subtraxerunt, aut fortè ad aliam Obedientiam se diverterent. Immò rebus se habentibus inter nos ut se habent, cæcus est qui non aspicit periculum divisionis civilis in Regno Franciæ, qualis non fuit à diebus suæ institutionis. Et sanè eò periculosior esset divisio quò magis intranea & quò magis inter capita Regni, & quo sub specie Religionis fieret: nam tunc expectandum esset illud quod dicit Scriptura. *Amicus qui vult recedere ab amico occasiones quærit.* Prov. XVIII. 1. Et illud Decreti: *Schisma disponit ad hæresim*; quia recedens ab Ecclesia, errores fingit, ut rectè discessisse videatur. Et hoc jam periculum habemus in janus nisi celeriter & cautissimè providerimus: addito quòd nulla sit implacabilior & irremediabilior divisio, quàm illa quæ fit sub Religionis prætextu; intantùm quòd in hoc casu putet frater se obsequium præstare Deo persequendo fratrem; addito præterea quòd magna pars, ne dicam major, non spontè consensit in subtractionem; vel nunc, dum videt quæ secuta sunt, voluntaria & pronissima est obedire & reverti; nec obstat fortè ad revertendum nisi timor, quo sublato & data audacia, ipsi etiam cum periculo corporis & rerum suarum suam ostenderent voluntatem. Quid si descenderimus ad particularia quæ scienter omittimus? arbitramur indubiè quod rei hujus ingens & horrendus pateret aspectus & stuporem vehementem sola sui cogitatione causaret. Væ væ Regno huic à scandalis, væ pesti schismaticæ, si divisionem in Regno adducat, sicut jam posuit in Imperio: sed væ supra modum, si nobis hæreses parturiat, quibus ipsum schisma irremediabiliter radicetur, & radicatum jugiter alatur, crescat, dilatetur atque roboretur.

Ex his omnibus hinc inde tactis & insolutis, perspicuum est in quali labyrintho vix egressibili positi sumus, & vinculis vix extricabilibus irretiti; quasi videlicet posuerimus in retibus pedes, & in maculis eorum ambulemus, juxta verba Job. c. XVIII. 8. Cum igitur angustiæ nobis sint undique, *& cum ignoramus quid agere debeamus*, ego in insipientia mea hoc solum video residui & consilii cum Josaphat Rege. II. Paral. XX. 12. *ut oculos nostros ad Deum dirigamus*, si fortè avertat iram suam à nobis; si fortè non auferat consilium à prudentibus & senioribus, sicut videtur hactenùs abstulisse. Quamvis hoc fieri in tanta peccatorum abominabilium colluvie, & in tam obstinata & incorrecta flagitiorum nefandorum multiplicatione vix expecto & vix spero; nisi quòd misericordiæ Dei non est numerus, & solus est Medicus qui desperatos morbos ad sanitatem adducit, ne glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis, quasi homo panem effecerit: si quid autem vel in dubio dicere necesse sit pro remedio præsenti, dicam sub correctione.

Videretur; taque ante omnia tractandum hoc negotium inter Dominos omnes de sanguine Regio, communi consensu & absque malevola, aut acerba contentione; cum quibusdam peritis non nimis hinc vel inde affectatis, & qui non tantùm timerent de statu suo

suo in posterùm; nec tamen affectarent novam status exaltationem, quod mentiri velle præsumerentur inordinato timore, odio vel favore cujuscumque: Quibus in unum congregatis & ambulare volentibus in domo Domini cum consensu, sperandum est in illo qui est Deus pacis & dilectionis, cujus locus in pace factus est, & qui est in medio eorum qui se congregant in nomine suo, quòd ipse expediens aliquid A in materia ministrabit: alioquin si seorsùm per contentiones & partialitates & simultates & comminationes negotium hoc de pace restauranda tractetur; non nisi divisiones crudeliores & multipliciores generabuntur, & erit immedicabile vulnus; & tandem, quod Dei pietas avertat, super capita nostra, dum contendemus & rixabimur, immò dum nos plusquàm hostiliter ad mortem persequemur, irruent quaquaversùm hostes alieni, insidiatores Regni hujus ad prædandum & vastandum paratissimi; & nos jam non ut hostes suos, sed ut schismaticos & hæreticos & Sarecenos liberiùs persequendos invadent, ut in fabulis aquila fecisse fingitur, de rana & mure certantibus. Sit utinam vanus iste timor quem timeo; nec tamen timere desinam priusquàm aliquod remediandi genus B aliud, quàm quæri video aspicere meruero.

ADVERTENDUM est quòd etsi dicatur Papam habere de Jure Divino Dominium universale in temporalibus & spiritualibus respectu omnium; tamen constat quòd pro diversitate temporum & locorum & Statuum, nec Papa nec Ecclesia habuerunt aut habere debent in dispensationibus & administrationibus Beneficiorum & temporalium Jurisdictionum simile exercitium aut executionem aut usum. Itaque notum est quòd Ecclesia tempore Christi & Apostolorum nullum habuit exercitium aut executionem Juridicam & civilem circa hujusmodi temporalia: immò Christus plus videtur verbo & facto exercitium Jurisdictionis civilis prohibuisse quàm permisisse, licet non dicam quod prohibuerit aut oppositum consuluerit; ideo, quia talis Jurisdictio temporalis & possessiones fuissent eis ad impedimentum, & tales sunt ad hæc congruentiæ multæ. Sed pro tempore Silvestri & Constantini magni, placuit Domino C ad dilatationem Ecclesiæ suæ inspirare Constantino, quòd tales possessiones daret, & Ecclesiæ quod reciperet: & duravit hujusmodi donatio Ecclesiæ usque ad tempora nostra per successiones Sanctissimorum Patrum Gregorii & Ambrosii & aliorum, quos non est credibile in retentione talium errasse contra Christi jussionem. Sed longè aliter in primitiva dotatione distribuebantur bona talia quàm postmodùm tempore Prælatorum, qui coeperunt paulatim refrigescere à sanctitate priori, & tandem abusi sunt taliter collationibus Beneficiorum & hujusmodi administratione, quod Papæ paulatim & successivè ad se multa revocarunt; usque adeò finaliter, quòd datis occasionibus & acceptis (quas non est hic opus recitare) quasi tota Collatio & Jurisdictio talis penes Papam & ejus Curiam remanebat; ita ut vix esset Prælatus, qui posset minimum Beneficium conferre. Concurrebant ad hoc exactiones multiplices pro Statu Papæ & Cardinalium: & si fraudes & abusus & simoniæ commit- D terentur, relinquo judicandum expertis. Hoc dictum sit pro eo quod aliquibus videtur fore expediens Universali Ecclesiæ redire omnia ad pristinum statum Ecclesiæ seu illius qui fuit tempore Apostolorum, quantùm congruè fieri posset, abjectis talibus Jurisdictionibus pro magna parte, quæ reddiderunt Ecclesiam totam brutalem, & nihil ferè sapientem de his quæ Dei sunt, erga salutem animarum, non ex se quidem, sed abutentium vitio. Vel redeundum esset ad statum Ecclesiæ tempore Silvestri & Gregorii; quando quilibet Prælatus permittebatur in sua Jurisdictione & sollicitudinis parte: & Papa tenebat quæ sua erant, absque tot reservationibus, & continuis magnisque exactionibus, pro sustinendo statum Curiæ & capitis, nimis fortè crescentem super ceteros membrorum status.

Patet ex priori deductione, quòd Papa potest manere Papa Universalis in magna perfectione, immò majori quàm erat Silvester, & tamen nullum habebit exercitium actuale circa temporalia Ecclesiæ Universalis per Dioeceses, quantumcunque habeat Dominium vel plenitudinem potestatis in habitu, quæ potestas ex causis potest cohiberi & arceri, immò debet aliquando, ne exeat in actum; sed dimittat singula singulis ministrare? Nonne Christus fuit Papa perfectissimus. Nonne similiter Petrus? Ipsi tamen omne exercitium abdicaverunt à se in talibus; quamvis Christus cum summa facilitate illud obtinere potuisset. Nihil ergo de perfectione status Summi Pontificis diminuitur, si pro causa rationabili removetur ad tempus, aut suspenditur sibi tam anxia sollicitudo tot curarum immortalium & periculosissimarum in anima & corpore, pro hujusmodi exercitio circa temporalia distribuenda.

Dici potest secundùm Catholicam veritatem, quòd in dubiis potest fieri Confessio sub conditione, & ex tali Confessione veniam absolutam peccator consequatur. Addi potest adhuc, quod omnia aut ferè omnia dici possunt dubia, saltem in foro exteriori, quæ nondum sunt judicialiter definita, propterea nullus erit scrupulus obediendo Domino Benedicto, etiam ubi fuisset hæreticus aut schismaticus, si resipisceret, vel si hoc non constaret per definitivam Sententiam Ecclesiæ. Similiter de subditis rebellantibus, si qui fuissent, diceretur. Quis nesciat multa apud antiquos Patres & nunc quotidie tolerari, & de simoniis & aliis, quæ si judicialiter essent ventilata & convicta, tolerari non possent. Superadditur quod tota res præsens, magnis dubiorum involucris contecta est, & utriusque colorata, sed nec sunt aliqua quæ propriè & nudè contingant opposita Fidei; quoniam magis in factis diversis & diversimodè receptis quàm in Jure constistunt. Nulli idcircò possunt aut vix possunt de schismate & hæresi pertinaces convinci in hac parte. Advertendum quod in delictis tangentibus communitates, aut homines grandis status, consultiùs tolerantur errores communes, quàm vindicari severo rigore quærerentur. Nunquid non tolerantur meretrices? Nam & regulariter verum est, quòd Prælatus non solum potest, immò debet aliqua agere vel omittere propter generalem inclinationem subditorum, etiam ubi quandóque mala esset, quæ aliàs agere vel omittere, in grave delictum sibi verteretur. Juxta quod inferunt aliqui, quòd etiam ubi via cessionis minus bona esset vel fuisset; tamen attentis deliberationibus omnium subditorum super postulatione hujus viæ, Dominus Benedictus illam acceptare tenebatur, sicut nunc acceptavit, quantumcumque aliàs ad eam acceptandam non fuisset arctatus vel arctandus.

QUÆDAM

Per prefatum Dominum de Gerson Edita tempore schismatis Ecclesiæ, pro Concilio unius Obedientiæ.

Recognit. ad MS. Cod. Victor. 699.

DATURUS occasionem sapientibus ut sapientiores fiant, propono eorum examinationi Propositiones negativas quæ sequuntur, super materia communis Concilii hujus Obedientiæ: Ex quibus patebit citiùs, si sit expediens aut non, Concilium hujusmodi celebrari; & si sic, quæ cautela debeat observari.

Non expedit fieri Concilium generale hujus Obedientiæ ad tractandum & sententiandum de criminibus Domini Benedicti, sibi per quosdam impositis, utputa de

Digitized by Google

de perjurio & schismate & hæresi, aut de suspicione vehementi super istis.

Primò, quia Obedientia ista, in se & in partibus suis, divisa est circa judicium de actis per Papam; aliis dicentibus, quia bonus est & sufficienter obtulit, præsertim novissimè; aliis contrarium asserentibus. Tractare igitur talia coram multitudine tam multipliciter divisa, esset potiùs induratio & nova multiplicatio divisionum, quàm illarum sedatio; attento quod ita requireret Dominus Benedictus fieri discussionem super dictis hæreticis & actis per Cardinales & eorum moribus, super gestis illorum & aliorum qui sibi subtraxerunt.

Secundò, quia Concilium hujusmodi ad hunc finem, aut fieret secundùm formam præscriptam à Jure, aut nova inventione. Si primo modo, constat quòd Benedictus deberet præesse etiam sub nova submissione; & tamen rebus stantibus ut stant, non videtur quis locus esset aptus sibi ad securitatem, cum détineatur inclusus; nec videtur quod permanentes in subtractionne, suæ vocationi obedirent, & ita nihil ageretur. Si autem fieret Concilium per novos modos, præter formam Juris; non videtur modus verisimilis ante celebrationem Concilii, quomodò Prælati & Principes in unum concordarent, uno volente unum modum, altero alium, & esset tractatus in tractando hoc dispendiosissimus & sumptuosissimus, sine magno fructu.

Tertiò, quia in determinatione hujus materiæ, necesse esset multa concurre & allegare, tangentia Fidem & mores; sed tales materias non expedit in hoc Concilio ventilare ad determinandum, prout statim dictum est.

Quartò, quia nunc omnia possunt fieri ad unitatem universalem Ecclesiæ erga alias procurandam, quemadmodum si tota hæc materia esset in Concilio isto terminata, sive Papa remaneat, sine non; attento quòd offert omnia quæ noviter electus quicunque posset offerre: immò apud talem aut pro tali noviter electo, fieri possent novæ colligationes & confirmationes pejores prioribus, & fieret verisimiliter nova divisio, aut jam facta continuaretur in hac Obedientia.

Non expedit fieri Concilium ad tractandum determinativè materias Fidei. Ratio ad hoc; quia esset dare occasionem scandali & periculi magni in Fide nostra, si aliud determinaret illa pars, sive altera, in materia quæ omnes tangit, & quæ ab omnibus debet approbari, quemadmodùm patuit de Latinis & Græcis: facile tamen esset & verisimile, quòd determinationem in hac parte factam non approbaret altera pars, præsertim si in aliquo tangi videretur status eorum in materia hac schismatis; sicut tamen tangeret etiam apud istam partem. Et fortè ita apud aliam dicuntur multæ assertiones de Fide, in quibus esset adversissima sententia inter diversas Obedientias, immò & inter multos ejusdem Obedientiæ; ut super materia appellationis à Papa, & super eo quòd renuens cedere aut cessionem facere, est schismaticus; & quòd non adhærens subtractioni, est suspectus de schismate, vel Ecclesiæ adversus, vel in latitudine schismaticorum, & ita de similibus multis.

Constat quòd de prima istarum Propositionum, est controversia in Regno Franciæ apud Theologos & Decretistas, & inter multos de Consilio Regis, & de Parlamento, & alios de Universitate, & inter se mutuò: & de aliis duabus assertionibus similiter, & ampliùs; quoniam altera Obedientia nunquam tales concederet, immò reputaret erroneas; propter quod perspicuum est, non esse tutum talia determinare per modum autoritatis Concilii generalis. Sed nec deberent tales assertiones leviter in particularibus poni; quia reputatur hoc ab aliis ad injuriam suam: ut dicere, quod error sit in Fide, si asseratur quòd stante dubio probabili de Papatu apud duos contendentes, alteri sit adhærendum: quia non videtur esse possibile majus dubium probabile, quàm sit in casu præsentis Schismatis; & tamen utraque Obedientia dixit obediendum suo, & ita similibus; ut quòd non sit alia via humanitùs invenibilis ad sedandum schisma, quàm via cessionis, cum jam videatur reddita per se inefficax; nisi concurrat saltem Concilium generale, quod excludere, non benè saperet, & quia certè circunstantiis negotiorum variatis, possunt viæ & remedia ad unitatem habendam vario modo reperiri, sicut & necessarium esse experientia præsens notum facit.

Non expedit fieri Concilium hujusmodi ad tractandum reformationem Ecclesiæ in moribus, per modum determinationis. Ratio ad hoc, est quoad multa eadem, sicut ad præcedentem Propositionem; addito quòd reformatio Ecclesiæ Universalis fieri non potest in moribus, sine abolitione multorum Statutorum super Excommunicationibus, & ceteris traditionibus nimis multiplicatis, quæ nec observantur nec observari possunt rationaliter ubique, propter varietatem morum & temporum. Et tamen tales remotiones Statutorum & Canonum antiquorum, aut additiones novorum, fieri nequeunt rationabiliter pro tota Ecclesia, sine consensu communi; aliàs posset esse statim diversitas nimia in moribus & judiciis, quoad ea quæ Papa & Concilia statuerent. Si verò diceretur quòd multa bona possunt ibi avisari, & discuti, sed non determinari; pauca esset ibi utilitas in comparatione tanti facti; nam pauci viri literati & probi, faciliter & fortè congruentiùs ista considerarent, extraherent, & ordinarent: nolo tamen dicere quin in multis partibus possit Ecclesia per suas partes reformari, immò hoc necesse esset; sed ad hoc agendum sufficerent Concilia Provincialia, & ad quædam satis essent Concilia Diœcesana & Synodalia, prout super hac re jam aliqua scripta sunt & avisata, si quis vellet ad opus manum mittere & ad fortia. Sed heu *desolatione desolata est omnis terra! quia nemo est qui recogitet corde*, Jerem. XII. II. & *quærunt omnes quæ sua sunt.* Philipp. II. 21.

Non expedit pro restituendo Obedientiam Papæ in spiritualibus fieri Concilium hujusmodi generale. Primò, quia videtur implicatio (sicut tactum est) quòd maneat subtractio hujusmodi à Papa, & quòd fiat Concilium.

Secundò, quia faciliùs ista restitutio & reductio tractari poterit in solo Regno Franciæ, si verum sit quòd omnes alii jam restituerunt Obedientiam, aut in ea permanserunt; si verum sit etiam quod subtractio non est facta Papæ etiam in eodem Regno, nisi sub conditione explicita, ut quidam dicunt, aut saltem implicita, & quæ de Jure & æquitate debet intelligi. Hæc conditio est: quousque Papa fecerit debitum suum, & concesserit ea quæ sibi petebantur, & propter quorum negationem fiebat subtractio: nam cessante causâ, cessare debet effectus. Addito hoc, quod subtractio nullomodò potuit fieri justè, nisi ad finem unionis, tanquam medium ad hoc necessarium; alioquin tantum malum & tàm insolitum nullomodò posset à culpa defendi. Si ergo nunc videatur quòd subtractio non prodest ad unionem, vel non est necessaria propter condescensionem Papæ ad ea quæ petebantur, cessare ipsa debet; quia si rebus stantibus, ut stant erga Papæ promptitudinem de cedendo, non potest de novo fieri subtractio, sicut concedere habent adversarii, ut videtur; non potest aut debet, eisdem rebus stantibus, eadem subtractio continuari.

Tertiò, quia restitutio hujus Obedientiæ, quoad spritualia, fieri commodiùs & breviùs potest per assensum Cardinalium, & reconciliationem mutuam, indulgendo præterita, ratificando quæ ratificanda essent ad cautelam futurorum, & emendationem securiorem præteritorum & conscientiarum serenationem, & ad abolendam omnem infamiæ aut rebellionis notam,

tam, & quatenùs in viam pacis, communi animo & eodem pede procederet hæc Obedientia concordiùs: quoniam faciendo restitutionem debitis modis, nec subtrahentes, nec ille à quo facta est subtractio remanerent notati de talibus; quod difficilius esset, si per Concilium aliquod fieret determinativa decisio.

Non expedit Concilium tale calebrari pro restituendo Obedientiam Papæ in administrationibus Beneficiorum, & aliorum hujusmodi: quia licet annexa sint spiritualibus, tamen possunt temporalia nominari:

Primò, quia rationes aliquæ priores de non expediendo reformationem Ecclesiæ universalem in moribus, tractare faciunt pro hac parte, & pro altero principali argumento ad hanc partem. Tamen advertendum est quòd, etsi concederetur Papam habere de Jure Divino Dominium universale spiritualium & temporalium respectu omnium; tamen constat quòd pro diversitate temporum & locorum & statuum, nec Papa, nec Ecclesia habuerunt aut habere debent in talibus dispensationibus aut administrationibus Beneficiorum & temporalium Jurisdictionum simile exercitium aut executionem, aut usum. Itaque notum est, quod Ecclesia tempore Christi & Apostolorum nullum habuit exercitium aut executionem Juridicam civiliter circa hujusmodi temporalia; immò Christus plus videtur facto & verbo tale exercitium Jurisdictictionis civilis prohibuisse, quàm permisisse, licet non dicam quod prohibuerit aut oppositum consuluerit, nisi pro loco & tempore: quia enim Ecclesia tunc multiplicanda erat per discursum Apostolorum & fidelium; ideo talis Jurisdictio temporalis & possessiones, fuissent eis ad impedimentum, & tales sunt ad hoc congruentiæ multæ. Sed pro tempore Sylvestri & Constantini Magni, placuit Domino ad dilatationem Ecclesiæ, tùm inspirare Constantino quòd tales possessiones daret, tùm Ecclesiæ quòd reciperet; & duravit hujusmodi dotatio Ecclesiæ usque ad tempora nostra, per successiones Sanctissimorum Patrum Gregorii & Ambrosii & aliorum, quos non est credibile in retentione talium, errasse contra Christi jussionem. Sed longè aliter in primitiva dotatione distribuebantur bona talia, quàm postmodùm tempore Prælatorum, qui cœperunt paulatim refrigescere à sanctitate priorum: tandem abusi sunt taliter Collationibus Beneficiorum & hujusmodi administratione, quòd Papæ paulatim, & successivè ad se multa revocaverunt, usque adeò quòd finaliter, datis occasionibus & acceptis (quas non est hìc opus recitare) tota Collatio & Jurisdictio talis penes Papam & ejus Curiam remanebant; ita ut vix esset Prælatus, qui posset minimum Beneficium conferre. Concurrebant ad hoc exactiones multiplices pro statu Papæ & Cardinalium, & si fraudes & abusus & simoniæ committuntur, relinquo judicandum expertis. Hæc idcircò dixi, quoniam fortè aliquibus videretur quòd sit expediens Ecclesiæ Universali redire omnia ad pristinum statum Ecclesiæ, seu illius qui fuit tempore Apostolorum, quantùm fieri congruè posset (abjectis talibus Jurisdictionibus pro magna parte, quæ reddiderunt Ecclesiam totam brutalem & carnalem, nihil ferè sapientem de his quæ Dei sunt erga salutem animarum, non ex se quidem; sed abutentium vitio;) vel redeundum esset ad statum Ecclesiæ tempore Sylvestri & Gregorii, quando quilibet Prælatus dimittebatur in sua Jurisdictione & sollicitudinis parte, & Papa tenebat quæ sua erant, absque tot reservationibus, tot & continuis magnisque exactionibus, pro sustinendo statum Curiæ & capitis, nimis fortè crescentem supra ceteros membrorum status. Ad sciendum igitur istud, cum multis appendiciis de provisione Clericorum sufficientium, &c. & ad providendum, expediens est fieri determinationem & reformationem universalem Ecclesiæ; nam universalem statum Ecclesiæ tangit: sed dictum est priùs, quòd reformatio talis fieri non debet in Concilio solius Obedientiæ istius. Si verò quis objiciat, quòd istud sic stare non potest cum eis quæ dicta sunt de restitutione Obedientiæ, quoad spiritualia; quoniam esset ita benè periculum inobedientiæ culpabilis in uno sicut in alio. Respondetur, quòd A latissima est differentia in spiritualibus & temporalibus quoad hoc, & utinam fuisset benè semper intellecta à prioribus & modernis, fortè quòd adhuc starent Græci cum Latinis: patet enim priori deductione, quòd Papa potest remanere Papa universaliter in perfectione magna, immò majori quàm erat Sylvester, & tamen nullum habebit exercitium actuale circa temporalia Ecclesiæ Universalis per Diœceses, quantumcumque habeat Dominium vel plenitudinem potestatis in habitu: quæ potestas ex causis certis potest cohiberi & arceri, immò debet, ne exeat in actum, sed dimittat singula singulis ministrare. Nonne Christus fuit Papa perfectissimus, nonne similiter Petrus, ipsi tamen omne exercitium abdicaverunt à se in talibus; quamquam Christus cum summa facilitate istud obtinere potuisset. Nihil ergo de perfectione status Summi Pontificis diminuitur, si pro causa rationali removetur ad tempus, aut suspenditur sibi tam anxia solicitudo tot curarum immortalium & pe-

B riculosissimarum in anima & corpore, pro hujusmodi exercitio circa temporalia distribuenda aut conferenda; augeretur potiùs sua perfectio, & gratulari profectò deberet in Domino. Videtur ulteriùs pro hoc multis, quòd non expedit unum solum caput præesse in tali exercitio administrationis temporalium, sicut expedit, immò sicut necesse est unum solum præesse in spiritualibus respectu omnium: cujus ratio est; quia ea quæ Fidei sunt debent eadem esse apud omnes, & hæc identitas & unitas vix aut nunquam perpetuari potest nisi recursus esset finalis ad unum caput: sed de traditionibus humanis pro regimine temporalium Ecclesiæ, totaliter oppositum invenitur; quoniam secundùm varietatem temporum locorum & gentium & respectuum, variandæ sunt Decretales & Ordinationes super collationibus & regimine talium temporalium.

Ex his omnibus quæ latiùs possunt deduci probabiliter, vellent aliqui dicere non esse expediens fieri

C Concilium decisivum super restitutione universali temporalis administrationis Papæ, sed super hoc debet Concilium universale celebrari. Nec oportet illos esse vel dici schismaticos qui occasione data & accidente, talem in temporalibus fecerunt aut faciunt subtractionem; quia etiam stante unitate Ecclesiæ talis subtractio contingebat, vel in toto vel parte fieri fortassis debuisset; & hoc absque graviori scissura in spiritualibus hoc potuisset contingere, & ita sapientissima lucet in hac parte Dei providentia, quæ ex malo schismatis, alia bona sciet elicere. Et si petatur de quo viveret Papa interim & Cardinales: respondetur quòd si faciant debitum suum laborando & diligenter inquirendo finem schismatis, præsumendum est quòd citò invenirent, & tunc providebit eis Concilium generale qualiter erit expediens & honestum pro statu tantorum Dominorum. Similiter de modo provisionis sufficientium Clericorum tunc tractandum esset pro futuro.

Non expedit Concilium præfatum fieri tanquam viarum unionis tantummodò repertivum. Ratio est; quoniam materia hujusmodi jam totaliter aperta est & discussa quoad possibilitatem viarum & rationabi-

D litatem vel irrationabilitatem earum, & non restat nisi convenire istam Obedientiam cum altera in aliqua viarum. Hoc autem fieri potest, si unquam debeat fieri, absque tali Concilio hujus Obedientiæ; quoniam non videtur quòd alia conclusio ibidem concluderetur, quàm quod summarentur adversarii de aliqua via assumenda: si enim una particularis via limitaretur, incideremus in inconveniens quale patimur.

Digitized by Google

Ex his omnibus non determinativè positis; sed tantummodò examinativè, videtur sequi quòd nullomodò expedit nunc Concilium istius Obedientiæ fieri, nisi fortè solùm ad habendum liberam in consulendo deliberationem, & plenam concordiam capitis & membrorum ad invicem, super modo & forma vivendi hanc Obedientiam secum & cum alia, & hanc unionem concorditer prosequendi. Ad quod ampliùs A declarandum, possent adduci particulares circunstantiæ super diversis affectionibus & intentionibus diversorum, & super periculo maximo novarum dissensionum suboriendarum, & vix unquam sopiendarum in spiritalibus & temporalibus; nisi priùs ante omnia limitarentur ea quæ tractanda essent in Concilio super quibus fieret; nisi prætereà fieret talis provisio super præmissis non determinandis quæ tangunt Fidem & Universalem Ecclesiam, quòd convocatio Concilii nulli super ipsa disceptare aut saltem determinare persumerent. Denique constat aliquos affectare totalem penitùs decisionem Benedicti, & alii penitùs hoc nolunt; sed totis viribus obniterentur, nec est ratio patens ad sui destitutionem statim sic invenienda, ut dicunt.

Restat igitur, communi & concordi consilio vel deliberatione, tantummodò quærere cum aliis viam aliquam in qua nobiscum conveniant pro uniendo Ecclesiam, sive via illa sit conventio sive compromissio B habens vim Concilii generalis in modificatione sua, sive Concilium generale formaliter, sive cessio, sive omnes viæ in unum, si debeat perfectus haberi finis, prout multi Doctores opinantur: nam & cessio (ut dicunt) fieri nequit quæ unionem det veram in Ecclesia sine Concilio generali, & per consequens neque absque conventione, & præsertim renuente cedere altero contendentium; quoniam per Concilium taliter arctabitur quilibet, aut arctari poterit quòd requiretur eorum consensus: nam si dissenserint obedire Concilio, erunt palam schismatici, & si schismatici, erunt deponendi: quibus depositis procedendum erit ad novam electionem liberè fiendam, sicut eis à vita separatis aut liberè cedentibus. An verò ista sola causa ultimò tacta sit sufficiens causa ad hoc quod expediat, aut de necessitate celebrandum sit hujusmodi Concilium commune istius Obedientiæ, attenta difficultate in convocando, & expensis & periculis in continuando; judicent illi ad quos spectat & inconvenientibus majoribus prudenter occurrant.

Ut veritatis flamma ex discussionis ventilatione clarior emergat; proponemus & solvemus objectiones C contra viam mediam, quæ prout expedit tacta est. Inprimìs dicent aliqui contra secundum expediens quòd absque discussione eorum quæ hactenùs facta sunt non potest sincerè & pro conscientiarum serenatione illud fieri quod proponitur: nam si Benedictus ex una parte cum suis adhærentibus, aut alii ex altera fiunt culpabiles de schismate aut hæresi vel de rebellione, aut alio tali vitio; qualiter tales absque recognitione propriæ culpæ & postulatione veniæ indulgentiam apud Deum & homines merebuntur? Non remittitur pœna, nisi confiteatur culpa. Sed respondemus quod hæc objectio frivola est & sophystica, atque fieri posset in omni materia dubia, sicut fieret ad impediendum viam cessionis liberæ absque discussione justitiæ. Dicimus igitur secundùm Catholicam veritatem, quòd in dubiis potest fieri Confessio sub conditione, & ex tali Confessione veniam absolutam peccator consequetur. Addimus ad hæc quòd omnia & ferè omnia dici possunt dubia in Foro exteriori, quæ nondum sunt judicialiter diffinita. Propterea nullus erit scrupulus obediendo Domino Benedicto, etiam ubi fuisset hæreticus aut schismaticus si resipisceret, vel si hoc non constaret per definitivam Sententiam Ecclesiæ. Similiter de subditis rebellantibus, si qui fuissent diceretur. Quis nesciat multa apud antiquos Patres & nunc quotidiè tolerari, ut de simoniis & aliis, quæ si judicialiter essent ventilata & convicta, tolerari non possent? Superaddimus quòd tota res præsens magnis dubiorum involucris contecta est & utriusque colorata; sed nec sunt aliqua quæ propriè & nudè tangant opposita Fidei; quoniam magis in factis diversis & diversimodè receptis, quàm in Jure consistunt: nulli idcircò possunt aux vix possunt de schismate & hæresi pertinaces convinci in hac parte. Denique dicimus quod regula magistralis Theologiæ non debet nos scrupulis inquietare; ut fiat discussio illa scilicet regula: quòd si illud sit dubium an liceat, an non liceat illud fieri: si fiat, certum est illud esse peccatum; quoniam per prædicta non habebitur rationabiliter dubium de eis quæ fuerint concordata, & præsupponetur quilibet aut non errasse, aut de erratis pœnitere, & ita in suo honoris gradu, jure aut saltem misericordiâ remanere.

Ceterùm ab aliis secunda fieret objectio contra secundum expediens. Crimina, inquiunt, non ita generaliter remanere debent impunita; alioquin incentivum tribuerent delinquendi: sed nec, salva conscientia, forsan poterit Dominus Benedictus ea ratificare aut non infringere quæ facta sunt; nisi præsertim veniam & novam confirmationem singuli pro se petant, aut nisi de novo habilitentur, sed & ordinentur. Respondemus quòd frequenter, præcipuè in delictis tangentibus Communitatem aut homines grandis status, consultiùs tolerantur errores communes, quàm vindicari severo rigore quærerentur. Numquid non tolerat Ecclesia meretrices? Nonne hæc est expressa prudentissimi Augustini sententia in scriptis suis multis; cujus dicta sicut nec aliorum hìc non inserimus; quia à Clericis satis cognoscuntur; quia insuper magis rationem quare talia dicta sunt, quàm ubi dicta sunt nunc & aliàs offerre conamur. Non deessent rationes & exempla, nisi brevitatis amor obstaret, & si non experientia doctrice pateret veritas. Prætereà quod additur de conscientia Domini Benedicti, satis dissolvitur per hoc idem dictum, quòd etiam ubi fuissent mala perpetrata, illa potest, salvâ conscientiâ, pro bono & utilitate tanti negotii complendi, tolerando dissimulare. Sicut regulariter verum est, quòd Prælatus non solùm potest, immò debet aliqua agere vel omittere, propter generalem inclinationem subditorum, ubi etiam quandoque mala esset, quæ aliàs agere vel omittere in grave delictum sibi verteretur. Juxta quod inferunt aliqui quòd etiam ubi via cessionis minus bona fuisset, tamen attentis deliberationibus omnium subditorum super postulatione hujus viæ, Dominus Benedictus illam acceptare tenebatur, sicut nunc acceptavit, quantumcumque aliàs ad eam acceptandam non fuisset arctatus vel arctandus. Sed hoc omittamus; volumus enim nihil discuti de factis hactenùs vel inde. Rursus, ea quæ facta sunt in promotionibus & similibus, durante subtractione, autorizata sunt per Ordinarios locorum, ad quos de Jure communi spectabant talia: cur ergo non poterit Dominus Benedictus præsumere illos qui à se aut prædecessoribus suis fuerant ad hæc electi & promoti, immemores non fuisse suæ salutis? Quare nequibit absque scrupulo tolerare, ne dicamus approbare quæ facta sunt? Denique quod subjungitur de venia sigillatim postulanda; magis ad verecundam multorum turbationem, quàm ad tranquillitatem & pacem satis esse debebit postulatio veniæ generalis & modis honestis executa. Facit pro prædictis, quòd D omnia Sacramenta, nisi fortè Pœnitentia, vim suam habent, ut collatio Ordinum, Baptismus & similia, quamtumcumque fuerint à peccatoribus distributa, stante tamen debita intentione faciendi quæ Ecclesia facere intendit, & præcipuè ubi non ex affectata ignorantia Juris; sed ex Facti inscitia peccatum exortum est; propterea non erunt reordinandi jam ordinati.

Deindè

Digitized by Google

Deinde tertiò objicient alii contra idem secundum & tertium expediens, & dicent quòd implicatio est in terminis ut Domino Benedicto fiat obedientia tanquam Summo Pontifici, & nihilominùs coarctetur ejus potestas ad certa & per certos modos, & quòd sibi Coadjutores socientur. Sed respondemus primò juxta positionem illorum qui, subtractionem quòd licitè fieri potuisset confirmant, sicut reverà aut in A isto aut in multis casibus potest evenire. Dicimus itaque quòd Papalis dignitas non pro extollentia aut favore personæ, sed pro Ecclesiæ utilitate à Christo statuta est; quamobrem secundùm exigentiam utilitatis Ecclesiæ tanquam finis, debet hæc dignitas agibilia sua moderari, præsertim in eis quæ non sunt expressa in Jure divino: hoc enim dicere est de Jure naturali cujuslibet politiæ quod violari non potest aut mutari. Si ergo contingit quod prædicta fieri, sit expediens pro Ecclesia, attentis circumstantiis negotiorum, aut videlicet propter culpam Domini Benedicti seu aliquas ejus conditiones minùs civiles & utiles Ecclesiæ, etiam ubi non essent culpabiles; aut propter generalem affectionem & deliberationem omnium subditorum, etiam ubi errarent & minùs benè judicarent; dicimus non solùm ista licere fieri, immò posse consurgere obligationem ad agendum; neque in hoc derogatur autoritati Papali, neque plenitudini potestatis suæ collatæ sibi à Christo, sed impletur: nam posse mala & inexpedientia Ecclesiæ facere, quis diceret esse posse? Quis crederet hoc à Christo collatum extitisse? Porro de istis temporalibus administrationibus Ecclesiarum, Possessionum, Jurium, Beneficiorum & similium Christus per seipsum immediatè nullatenùs se intromisit, nec ordinare curavit, sciens & volens talia esse variabilia secundùm exigentiam temporum, personarum & locorum, ad communem Ecclesiæ utilitatem, non ad unius aut paucorum singularem pompam, aut inutilem vanitatem sive voluntatem. Ratio postulat, nec negamus, ut Domino Papæ & suis Cardinalibus fiat sufficiens provisio de bonis Ecclesiasticis, sicut olim Summo Sacerdoti, inferiores suas decimas offerebant: sed hæc provisio nonne poterit adimpleri absque hoc quod necesse sit ex toto Jus Ordinariorum cassari vel suspendi? Profectò sic.

Postremò dicent alii quòd hæc via quæ dicitur media, compleri non potest absque Concilio hujus Obedientiæ generali, & ita cadit in illud quod videtur velle fugere. Hìc respondemus quod si Concilium generale non quæreretur fieri nisi sub modificationibus C tactis in hac via media, non videretur inconveniens aut periculum celebrare hujusmodi Concilium: cessarent enim omnia aut ferè omnia quæ contra ipsius utilitatem audivimus allegari. Nihilominùs illud Concilium nequaquam judicamus necessarium pro complemento celeriori & faciliori hujus viæ, & absque impensis innumeris & tractu temporis; quia nunc interim prius quàm ista concordata sint, dubia quædam oriventur super convocatione Concilii, & quibusdam similibus quæ hìc cessant. Dubitavit fortè alius quòd Dominus Benedictus audita ista via illam aut impediet aut non concordabit: propterea fortè tutius est, ut ante omnia secretè quantùm fieri poterit habeatur consensus Majorum omnium istius Obedientiæ, aut saltem principalium, ut communi consensu totius suæ Obedientiæ fiat oblatio talis; cui universali consensui si renuat assentire, quis non videbit tunc ejus modum procedendi penitùs improbabilem esse? Quis non judicabit ab eo jure recedendum fore? Non enim poterit aliqua tergiversatione fautoria schismatis & subversionis Ecclesiæ denegari. Quod si quis ad extremum dubitaverit similiter de Principibus aliis quòd non approbabunt viam hanc mediam, fatemur hoc non usquequaque certum esse; nisi prout in moralibus sumenda est certitudo ex his quæ ut in pluribus secundùm verisimiles & probabiles conjecturas eveniunt.

Sed si in omnibus prædicta via nihil petit difficile aut onerosum vel inhonestum, quæritur propter quid Principes & Prælati debeant improbare, maximè pro tanto bono reunitionis Obedientiæ hujus totalis obtinendo? Quid enim grave erit quòd omnia indulgeantur præterita, & non discutiantur, quòd Dominus Benedictus habeat bonos Consiliarios non suspectos cuicumque parti, secundùm quorum judicium agat quod acturus est, quòd ipse à vindicando proprias aut alienas injurias immunis sit, & Deo committat, aut certè universali bono Ecclesiæ & pacis illas donet. Idem dicimus de subditis quibuscumque erga Dominum Benedictum. Profectò nihil istorum difficile est, nisi fortè apud illos apud quos humilitas & charitas & Ecclesiastica unitas fuerint onerosæ, scilicet qui turbationibus gaudent, & quærunt quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi; aut qui suis sententiis cervicosa animositate nimis credunt. Aut si difficilia esse ista quisquam contenderit, animadvertat ille obsecro si plures sint in aliis viis difficultates & ambages, aut viam aliquam omni difficultate carentem afferat in medium, nos illam lætis animis complectemur: quod si hoc vel facere non vult, vel, quod magis credimus, non potest; tunc cum aliquid agere necesse sit, pergat nobiscum in hanc sententiam & attendat quid plus habeat damni pro Ecclesia, vel sic stare, immo quotidiè magnis lapsibus cor- B ruere & Dominum Benedictum incarceratum esse, & Cardinales suis honoribus spoliatos, & Principes ad conventionem periculosam dispositos videre; aut quod ita præparemus nos per hanc reunitionem primam & totalem hujus Obedientiæ: quod cum alia celeriter & utiliter tractare valeamus, & qualiter (si quis quæsiverit) jam in parte responsum est, & à prudentioribus erit diligentiùs inquirendum & inveniendum faciliùs.

CONSIDERATIONES
DE
RESTITUTIONE OBEDIENTIÆ
BENEDICTO.

Ex Codice Victorino 699

AD videndum quid expediat in facto præsentis schismatis, utamur resolutione tali: cum expediat progredi ad unionem acquirendam & non cessare sub exspectatione futurorum eventuum; quæritur quomodò fiet progressus iste? Aut fiet per unionem præviam hujus Obedientiæ ad Dominum Benedictum & ad invicem: aut fiet per totalem destitutionem Domini Benedicti. Si primum expediat fieri, oportet quod restitutio sibi fiat; si secundum, oportet quod moriatur vel depositus in carceribus recludatur. Nunc discutiamus quid expedientius est, aut fieri restitutionem universalem Domino Benedicto, aut tendere statim ad ejus mortem temporalem, corporalem & civilem: ad utrumque enim videntur sequi incommoda.

Ad primum, sequitur primum incommodum, quòd ipse Benedictus prosequetur odio capitali, sicut multi formidant omnes quos in subtractione sibi putabit restitisse, & ita divisiones innumeræ inter Clerum & Principes orientur & pugiles malè & ingratè tractabuntur, imò jam erit hoc malum tanto pejus divi- D sione quam habemus, quanto irrimediabilius & sub specie justitiæ vindictas operabitur divisionesque crudeles. Imò difficillimum est quod unquam sit una confidentia pacis inter eum & suos Cardinales: semper dicunt *ab inimico reconciliato*; *Libera nos Domine.*

Secundùm incommodum; quia si Benedictus in libertate sua per triennium vel eò circa noluit acquiesce-re

re Consilio totius Regni & ferè omnium dicentium sibi quòd via cessionis erat optima; qualiter habebitur securitas, quod si videat se restitutum, debeat implere quod nunc incarceratus dicitur promittere super cessione facienda. Tertium incommodum, quoniam si libertate sua restitutus sit poterit creare novos Cardinales & multa facere ad sui ipsius fortificationem pro manendo in Papatu & forsan alibi discedet ut libertatem habeat majorem sæviendi. Quartum incommodum, quia fortè non volet illa quæ facta sunt tempore subtractionis ratificare, imò volet instituere & destituere pro libito, illos exaltando & illos deprimendo: & ita quis non videat miserabilem in sua Obedientia divisionem sequuturam, imò fortè retinebit sibi absolutionem multorum casuum in hac materia ut liberiùs puniat; similiter processus factos non annulabit aut novos faciet: & ita deinceps nullus audebit dicere sibi cur ita factum est quantumcumque foveat aut teneat divisionem in Ecclesia sancta Dei. Deinde volet ad ipsum restitui ad plenum collationes Beneficiorum & ad exactiones Decimarum vel Annatarum sicut priùs: hoc autem permittere fieri, multis prorsùs inexpediens & damnosum. Sed Prælati, inquiunt, debent tenere. Jus suum commune interim dum illud ad se devolutum est & à jugo gravi usurpato debent cervices suas excutere aut jam ereptas denuò non sumittere.

Ad secundum similiter inconvenientia sequuntur primum incommodum super difficultate executionis hujus viæ; quoniam fieri non poterit nisi vel de facto interficiatur: & quæreretur quomodò & per quales; aut quod per viam Juris fiat ejus depositio scilicet per Concilium generale saltem hujus Obedientiæ. Primum videtur omninò crudele & irrationabile: Secundum autem videtur nimis difficile prout in aliis scriptis videri habet, in quibus difficultas ostenditur convocationis hujus Consilii, præcipuè propter discordiam hujus Obedientiæ ad invicem & incarcerationem Papæ. Et si quæreretur inchoari principaliter per accusationem Benedicti; secundum incommodum: quoniam deposito aut mortuo Benedicto etiam ubi sine scissura deteriori & periculis conscientiarum, si posset, quod nullo modo est verisimile: quæritur utrum alius statim eligeretur de parte ista vel non? Si alius eligatur ponimus nos in periculo habendi divisiones & pericula sicut nunc habemus; quoniam *imperscrutabile & pravum est cor hominis & quis cognoscet illud.* Jerem. XVII. 9. nonne Dominus Benedictus sperabatur ab omnibus promptissimus ad cedendum, quid tamen post assumptionem fecerit scimus omnes & dolentes experimur: raro enim electorum Dominorum mores mutantur in melioret. Poterit itaque noviter electus facere sibi amicos carnales, & fortè quantò cautiùs quàm iste, tanto pro unione habenda deterius & ita à remedio longinquius.

Tertium: quia nisi Cardinales priùs reconcilientur & quodammodo ad cautelam verè vel interpretativè rehabilitentur remanebit scrupulus apud multos quod non habent potestatem eligendi. Et multa circa hanc materiam similia apud inferiores ex Dominis & Prælatis.

Quartum: quoniam remanebit nota apud posteros saltem de facto quod Gallici aut alii Papam suum interfecerunt aut despuerunt, nec etiam apparet clarè apud maximam partem hujus Obedientiæ quod causæ sufficientes allegentur quæ convincere possent de Hæresi vel schismate Dominum Benedictum quidquid pauci videre & scire se dicant super hac vi. Deinde essent objectiones & responsiones utrobique & diligenter examinandæ non per affectatos nimis hinc vel inde sed neutrales; & si quid objicitur in tanta materia & tanta unione quod sufficientem Fidem non sit facturum apud omnes, quale est scandalum nemo videt.

Inter has duas vias extremas tanquam inter duo vitia Syllam & Charibdim, videtur initio quærendum aliquod medium expediens quod haberi non negamus difficile; non tamen impossibile judicamus. Si ergo bona & grossa æquitate & antiqua fide procedere voluerimus, quatuor expedientia notemus.

Ante omnia videtur necessarium quod facta huc usque: nullatenùs discutiantur, nec inquiramus quomodo cecidimus in hanc foveam aut laqueos; sed tan-
A tummodò studeamus hinc egredi atque liberari: alioquin esset nos magis & plus involvere & non evolvere, quemadmodùm nos priorum experientia certos reddit.

Secundum: est necessarium deponere omnes animositates & partialitates & rancores & improperia ab utrisque partibus, ac si nulla de præteritis haberetur memoria ut dictum est. Quod si quis dicat quod multi volent hoc facere specialiter Dominus Benedictus: Respondemus hoc esse difficile, non tamen usque adeò sicut sunt allegatæ difficultates in aliis duabus viis extremis: si enim sua Obedientia pro majori parte requirat eum super hoc, sperandum est quod condescendet, quia vexatio dabit aut dedit intellectum ad cognoscendum qualiter inexpediens non credere consilio. Sed dicatur ulterius quod forte fient multæ tales promissiones, sed non tenebunt: Respondemus ut priùs quod de hoc non potest haberi plena certitudo; attamen exponere se tali eventui minùs est
B malum quam sint inconvenientia priùs allegata. Dabitur insuper securitas qualis potest dari super promissionibus adimplendis, associando quosdam Domino Benedicto absque quorum consilio & assensu expresso & manifesto nihil erit validum quod præsumeret aggredi in oppositum illorum quæ promisisset: hoc enim longè faciliùs est quam ab ipso totaliter perpetuo removeri.

Tertium: videtur quod obedientia nec simpliciter neganda est nec ex toto restituenda; sed modificationes quædam sunt apponendæ. Primò: super duobus primis articulis nunc tactis de indulgentia plenè facienda hinc & inde & de approbando, vel saltem non reprobando quæ facta sunt. Secundò super habilitatione Dominorum Cardinalium ad omnem cautelam & quod hinc & inde venia peteretur; non enim debent hæc erubescere Christiani & discipuli humilis Christi & Discipulorum Apostolorumque, pauperum
C sequaces; præsertim ubi per bonos & honestos modos præavisandos illa complebuntur. Tertiò, super collationibus Beneficiorum per Ordinarios & super aliis tactis, circa primum extremum de Annatis & similibus exactionibus: Quartò, super criminibus impositis Papæ ad serenandum conscientias omnium & ut absque scrupulo omnes sibi obediant, poterit Dominus Benedictus dare sic modificatas tamen ut nulli faciat injuriam nec sibi infamiam generet. Nullum istorum quærere debemus aut velle: Expediens videtur hoc totum posse compleri per paucos ex Dominis Principibus & Prælatis & longè faciliùs & amicabiliùs quàm per vias rigoris & alicujus extremitatum prætactarum.

Avisatis itaque, & ponderatis in Consilio Regis modis remediandi mediis & expedientibus, sperandum est multùm verisimiliter quod si Legati mittantur ad alios Principes hujus Obedientiæ faciliter condescendent, & si velint aliqua vel addere vel ampliùs modificare non debebit istud Regnum ita persistere in suis instructionibus & avisamentis; quin det aliis Regnis honorem & partem aliquam in hoc ne-
D gotio: videmus enim proh dolor! quod hactenùs nocuit velle nimis præoccupare alios & quasi ducere post nos & immanere totaliter in iis quæ nos ipsi bona credebamus, sicut utique, bona erant: sed ita se habent homines, ut variæ sint eis sententiæ & in rebus communibus communem volunt deliberandi autoritatem non perdere. Ex corde nostro intelligamus ea quæ sunt proximorum. Postremò si fuerit hæc

hæc Obedientia resarcita & unita, poterimus cum communi consensu offerre alteri Obedientiæ omnem viam ponendi pacem in Ecclesia, sive Concilium generale, sive alterius. Si renuant, nos animam nostram liberavimus à schismate: si concedant aliquam viam ut sperandum est; nos in illam condescendentes Domino propitio tandem schisma sedabimus & pacem acquiremus. Quod si corde pertinaci contendent ista Obedientia ad deponendum Benedictum absque flexibilitate ad oppositum & cum firmo proposito de nunquam obediendo in toto vel in parte illi, è contra de non recedendo; quis aliud quam perditionem hujus Obedientiæ & luctuosissimam horrificamque contumeliam poterit expectare? Sed det meliora Christus viciniora que saluti.

S E R M O

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis. Factus feriâ secundâ Pentecostes. Anno 1403 post restitutionem Obedientiæ.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 463.

EMITTE *Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*. Psal. CIII. 30. Spiritum tuum bonum emitte nobis Domine de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, descendat ipse super hanc plebem tuam in nomine tuo congregatam sicut olim *loquente Petro cecidit ipse Spiritus sanctus super omnes qui audiebant verbum*, quemadmodùm hodierna loquitur Epistola. *Act.* X. 44. Veniat ipse & recreabuntur per gratiam atque renovabitur facies & imago terræ nostræ, quæ est conscientia nostra. Det ipse nobis qui est vita nostra vitam divinam & novam; nobis inquam qui per peccatum corruimus, non solum in senectutem & ægritudinem, sed in mortem & nihilum; quoniam stipendia peccati mors, & *fiunt homines nihil cum peccant*, secundùm Augustinum. *Ad nihilum* (inquit Propheta) *deduces omnes gentes*, Ps. LVIII. 9. id est gentiliter viventes. Tradunt quippe elevati Methaphysici atque Theologi, Dionysius Areopagita, Augustinus, Gregorius, & ceteri, quòd sicut corpus moritur abeunte anima sic anima deserente eam Spiritum sancto mortem incurrit; mortem heu nimis infelicem, horribilem & pavendam. Non igitur absque ratione prædicabitur Propheta per verba thematis: *Emitte Spirituum tuum*, &c. Nam præmiserat conformiter ad prædictam sententiam. *Auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Ps. CIII. 30. Quam creationem & innovationem ut adipisci valeamus in hoc celeberrimo die (in die enim bona venimus ad te Domine Deus noster) convertemus nos ad Matrem unigeniti Dei, ad te Virginem gloriosam sine vetustate peccati, quam vivificavit Spiritus sanctus ab instanti Conceptionis: nam quis audeat asserere te aliquando vixisse vita corporali cum morte spiritus maledicta, quæ obumbrante Spiritu sancto allatura eras vitam mundo: quæ prætereà in hac celebritate Pentecostes, in hoc jubileo remissionis & indulgentiæ, in hoc die latæ Legis olim in tabulis, modò in cordibus illapsum Spiritum sanctum abundantiùs suscepisti, ad tui corroborationem confirmandam in bono, & ad effluentem elargitionem pro nobis pauperculis parentibus tuis de genere Adam. Ad te talem fiducialiter accurrimus pro novæ recreationis per gratiam impetratione: & ut dignè loqui valeamus de causâ hujus magnificæ processionis gaudiosè rememoretur præconium Angelicum: *Ave Maria gratia plena Dominus tecum.* Luc. I. 28.

Emitte Spiritum tuum, &c. O utinam juxta altitudinem materiæ quæ tractanda est, & secundùm splendorem hujus pulcherrimæ congregationis, datus esset mihi intellectus ad capiendum, & lingua diserta ad explicandum propriè & dignè gaudiosam noA vitatem & novellam jocunditatem; pro qua celebratur sacrata hæc Processio super restitutione Obedientiæ Domino nostro summo Pontifici, per quas nos quasi de novo recreati sumus, uniti & regenerati cum eo, & ipse nobiscum, membra cum capite, & caput ad membra non absque immissione Spiritus sancti; ita enim sentire dignum est, ita postulare debuimus per verba nostri thematis, ea ad hoc propositum reducendo. *Emitte spiritum tuum*, &c. Sed altiùs repetentes dicamus ut incœpimus quod anima nostra talis est nobilitatis, excellentiæ & dignitatis ut vivere habeat vita spirituali & divina, vivificante eam Spiritu sancto. Hanc sententiam traxit Apostolus ex verbis Poëtarum: *In ipso ait, vivimus, movemur, & sumus*, Act. XVII. 28. & Statius: *Mentes habitare & pectora gaudet.* Quis ergo negaverit animam nostram ex hac afflata vivificatione effici totam pulchram & novellam decoroque splendore radiantem? B Ita quidem longè ampliùs quàm corpus ex præsentia animæ: & ex adverso anima turpis redditur fœda & horribils plus cadavere sanioso, dum ab ea Spiritus sanctus abscedit. Tolerabilius inquit Anselmus, &c. Ex his cognoscitur excellens dignitas hominis super bestias dum benè vixerit, & ejus infelix calamitas perpenditur dum perversis moribus damnabilem mortem ultra pecudes incurrit. Deducunt hoc Boëtius in suo *De Consolatione*, & Bernardus *super Cantica*. Propterea rursus corpora Beatorum sicut præclarissima sunt & decora juxta pulchritudinem animarum ea vivificantium, ita in damnatis corporibus turpido horrida deformis & cadaverosa comitatur animarum fœditatem. Nos ergo si timemus & expavescimus mortem corporalem (ad nudum quippe nomen ejus contremiscimus) quanto studio mortem spiritus refugere & exhorrescere oportebat? Quamobrem exclamemus cum Propheta humili devotione: *Emitte Spiritum*, &c.

Sed quæreret aliquis de hac vita quo modo conquiritur? & habita quo pacto custoditur? Respon-C demus, quòd ad eam disponit devota humilitatio per Orationem: eam verò custodit debita connexio, per unionem. In signum primi erant Apostoli orantes: Nam orantibus Apostolis Deum venire nunciat. In signum secundi ipsi erant concordes charitate pariterque in eodem loco. Deducamus hæc duo tanquam duas Sermonis nostri partes, tum pro nostra instructione, tum pro insinuatione, cur numerosus populosusque conventus iste vocatus est ex institutione Regis & Prælati mandato. Postquam itaque spiritus malus tradidit nos ad mortem per peccatum mortale; nullum superest efficacius antidotum quàm disponere se rursùs ad vitam per humilitatem orationemque devotam: Deus quippe humilibus dat gratiam. *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum & trementem sermones meos?* Isaiæ LXVI. 2. Et Bernardus: *In veritate comperi nihil ita efficax ad gratiam Dei recuperandam, inveniendam & ser-*D *vandam, quam si inveniaris non altum sapere.* Fiat igitur nunc oratio nostra talis ad Spiritum sanctum. O suavis & benigne spiritus protector certissimè & consolator desolatorum, Pater pauperum, tutor orphanorum, lumen cordium, director errantium, succursor fidelissimus obsessorum, solus & verus amicus in necessitatibus, & adjutor in oportunitatibus, in tribulatione. Nunc coram oculis misericordiæ tuæ & in prospectu tremendæ Majestatis tuæ adimus Thronum gratiæ tuæ, ut vitam & misericordiam inveniamus & vivamus. Repelle quæsumus à nobis multiplicem mortem nostram per septemplicem vitam Donorum tuorum; accedat spiritus timoris Domini, qui

Digitized by Google

qui nequam spiritum superbiæ penitùs ejiciat; & spiritus pietatis malignam invidiam; spiritus scientiæ iram & insaniam; spiritus fortitudinis acediam languidam interimat: denique per spiritum intellectus gula ebria, & per spiritum sapientiæ luxuria, quæ non sapit ea quæ Dei sunt, procul expellatur; ut gustato spiritu desipiat omnis caro. Sic recedente morte peccati adveniat vita gratiæ, & renovabitur ut aquilæ juventus nostra; ut viventes laudemus te & glorificemus in secula. Veni rursus ô suavis & benigne Spiritus, & recrea spirtualem mundum in nobis, sicut septem diebus mundum corporalem instituisti. Dic primitùs ut fiat lux cognitionis & Fidei, & fiet, ad dissipandum tenebras quæ sunt super faciem abyssi, idest animæ nostræ teterrimæ, fiat deinde firmamentum bonæ voluntatis quod dividat aquas ab aquis, id est affectiones superiores & spirituales à carnalibus & infimis. Dic prætereà ut germinet terra conscientiæ nostræ, quæ inanis est & vacua & ferat plantas omnis generis virtuosarum inclinationum, & herbam virentem cum floribus variis sanctarum affectionum, & fructus bonorum operum secundùm genus suum. Porrò fiant luminaria magna in suo cœlo. Charitas ibi radiet ut sol, Fides ut luna, Spes ut lucifer, ceteræ Virtutes ut stellæ, Beatitudines ut planetæ. Producantur insuper volitantes aviculæ, quæ sunt sancta desideria alis contemplationum sublimata & suspensa. Reformetur dehinc anima ad imaginem & similitudinem benedictissimæ Trinitatis, ut tandem quiescat ab omni opere actuoso, & dicat cum Propheta? *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Ps. IV. 9. Ista sunt vota nostra, hæ preces humiles ad Deum nostrum, dum petimus tota devotione: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ*, &c. ut supra.

Portuerat hæc materia nostræ orationis & humiliationis ad Deum longiùs trahi & profundiùs investigari: nam & typus pueri ab Elisæo suscitati qui oscitavit septies, & vivificatio ossium aridorum flante spiritu, & suscitationes mortuorum quas Scriptura commemorat, præbebant multam nobis loquendi materiam: sed revocat nos ad sui elocutionem novitas quæ Processioni huic celeberrimæ causam dedit, quam innovationis explicationem sub triplici consideratione comprehendo.

Prima Consideratio.

PRæcipua & si non unica dispositio in corpore mystico Ecclesiæ ad suscipiendam in suis membris perfectam vitam, est humiliatio sub Deo per Orationem veram & devotam; propterea duratio schismatis jam fermè quinque lustris, nostram ostendit superbiam nondum satis humiliatam; alioquin non despexisset Deus humiles sperantes in se. Ecce autem pestiferum schismatis malum, quod velut insanabilis cancer Ecclesiam depascitur, ægrescitque medendo. Frustra tentata sunt humana remedia, quasi juxta Propheticam maledictionem *perierit consilium a sapientibus.* Jerem. XLIX. 7. Nonne ergo æquum dicere erat cum Josaphat. 2. Paralip. 20. *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros ad te dirigamus*: Quod si quis opposuerit Processiones & Orationes frequenter extitisse per Ecclesiam. Ego vos judices statuo, si sufficiens aderat humilitas interiorque devotio, quæ in morum correctione consistit, quamquam multas Orationes dignas per nonnullos præcessisse non ambigam postulantes cum Ecclesia & Propheta: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Et rursus: *Fiat pax in virtute tua & abundantia, &c.* Ps. CXXI. 7. Quas exaudiens ex alto Deus innovationem quamdam bonæ spei contulit ad universalem integritatem pacis assequendam.

Secunda Consideratio.

SI Dominus noster Papa positus in schola tribulationis sufficienter didicit lectionem humilitatis, mansuetudinis & benignitatis, ut misericors fieret
A cum Christo: prætereà in angustiis suis undique cor ejus fuit fiduciam habens in Domino cum illa fideli Susanna, *Daniel* XIII. 35. Deus absque dubitatione eripiet eum & glorificabit eum; non tantummodò pro se, sed & pro Ecclesia, nisi forsitan subditorum peccata nimis obstiterint. Consideratio ista firmissimo stabilitur fundamento divinæ promissionis. *Cum ipso sum* (inquit) *in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.* Ps. XC. 15 Et patet deductio ex præmissis: nam humilem Spiritu suscipiet gloria. *Et qui se humiliat, exaltabitur* Luc. XIV. 11. etiam in præsenti Nihil quippe ardum & magnificum voluit facere Deus nisi per benè humiliatos. Videte Martyres qui fundaverunt Ecclesiam sanguine suo; & quod est Martyribus caput novum, *nonne Christum oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam*? Luc. XXIV. 26. *Videmus*, inquit Apostolus, *Jesum propter passionem gloria & honore coronatum.* Hebr. II. 8. 9. Et ad Philip. II. 8. 9. *Christus factus est*, &c. *propter quod Deus exaltavit illum*, &c. Ita quicumque humiliaverit se sub potenti manu Dei, in tribulatione capiens ex vexatione intel-
B lectum, ille constituitur in salva guardia Regis excelsi, & in franchisia firmissimi habitaculi quod operatus est Dominus; habet altissimum refugium, protegiturque in abscondito tempestatis. Proprereà nullus contra talem potest prævalere hostilis insultus: nam qualis esset virtus contra Dominum? Quæ prudentia, quale consilium? Joseph innocentem humiliavit Deus, ipsum quoque humilem persecuti sunt fratres sui odio capitali: sed quid aliud fecerunt persequendo quam exaltationem ejus, ita ut indè Salvator vocaretur? Quantis insuper persecutionibus attritus est David per Saül, ne regnaret; regnavit tamen ipso persecutore dejecto, quia magnus esse cœperat in oculis suis. Innumera suppetunt exempla ad hanc rem, quam eventus etiam præsens corroborat. Qualis quantave fuerit humiliatio exterior Domini nostri Papæ, cognoscunt omnes qui dicta & gesta circa eum per quatuor annos attenderunt, nec recitatione mæsta opus est nostram interrumpi lætitiam. Aspeximus post octo dies sæpenumerò, &
C nunc in quantam repentè sublimatus est exaltationem coram omnium oculis, ita ut subjungere valeat illam sibi. II. *Esdræ* VIII. particulam, quam præcedit thema sumptum à Reverendo Patre & Præceptore meo Domino Cameracensi pridiè in Ecclesia Parisiensi. *Et benedictus*, inquit, *Deus Patrum nostrorum qui dedit hanc voluntatem in cor Regis clarificare domum suam quæ est Jerusalem.* Sequitur: *Et me honorificavit in conspectu Regis & consiliorum & amicorum ejus & purpuratorum.* Quam exaltationem & omnium exultationem lætabundam, utinam datum fuisset Domino nostro oculis palam attendere & notare. Nonne dixisset cum Maria: *Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia fecit mihi magna qui potens est.* Luc. I. 46. Et iterum: *Humiliatus sum & liberavit me.* Ps. CIV. 6. Et rursum ad Deum: *Secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* XCIII. 19. Denique mihi videor rectè affirmare, quod ipse Regnum & incolas abundantiùs gestaret in visceribus sanctæ charitatis deinceps & jugiter. Innotescit quip-
D pe inter cetera nostrorum gaudiorum signa quam altis suspiriis & lætis (ut ita loquar) lachrymis innovatio nostra ad Deum & ipsius ad nos per novam Obedientiæ unionem ad præsens per vos auditur, dum ad hoc propositum traduco verbum præassumptum: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* At fortè dicet aliquis minùs instructus: tu lau-

Digitized by Google

dando Dominum nostrum simul eum vituperas, qui dicis eum in schola humiliationis misericordiam & humilitatem didicisse, quasi videlicet antea talibus ipse esset orbatus virtutibus. Sed responsio in promptu est. Primò quia nemo repentè fit summus; & nullus ita sanctus est quin benè sanctificetur adhuc. Prætereà nullus arbitror indignabitur si ipsi Beato Petro & Prophetæ Eliæ, & similibus ego eum non præposuero, quos tamen tribulatos fuisse ut humiliarentur celebris est historia. Petrus ut ex casu proprio addisceret instruere alios in Spiritu lenitatis. Elias quia de propriis virtutibus confidens intumuerat, & se solum relictum ex Dei cultoribus arbitrabatur, profugus à facie mulieris aufugit. Quid si aliqua talis inflata cogitatio subrepserat apud Dominum nostrum ex priori virtutum exercitio quasi solus unionem dare posset & dignus esset Ecclesiæ; aut aliqua similis vanitatis illusio, quam ambitio, subtile malum & dominantibus insidiosissimum secum afferre solita est; quis scit si aliquando dixerit in abundantia sua, *non movebor in æternum*. Ps. XXIX. 5. & tandem expertus sit illud quod sequitur? *Avertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus*. Hæc autem aversio ad præsens accipi potest tribulationis inversio, ex qua humiliatus resurrexit fortior, instar fabulosi Anthei, prout sperare convenit, ipse quoque Ecclesiasticæ unioni faciendæ magis idoneus redditus est tanquam vita, unione & virtute Sancti Spiritus magis adimpletus.

Tertia Consideratio.

Attenta humiliatione Domini nostri, quæ ex suis oblationibus dicitur agnosci. Rex cum suo Regno rationabiliter sunt reuniti, & quasi noviter recreati in Obedientia ejus. Hæc consideratio quamquam sequatur ex præcedenti, eam nihilominùs latiori prosecutione deducamus, attendentes inprimìs quòd non frustra oravit hactenùs Ecclesia verba nostri thematis: *Emitte*, &c. & illud in Prosa. *Veni sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium*. Emittat itaque Spiritus sanctus radios suæ claritatis & sui luminis, quod signatum est super nos, luminis scilicet rationis ad ostendendum nobis bona. Qui radii licet innumerabiles sint, duodecim enumerasse suffecerit, ex triplici virtute sancti Spiritus profluentes: est namque Spiritus sanctus spiritus amoris & unitatis, & spiritus justitiæ & veritatis; est spiritus decoris & honestatis. Notantur hæc *Sap.* VII. 22. ubi ipse describitur *unus & multiplex*, ex hac triplici virtute quam adaptare fas est ad tria appropriata in divinis, tertiam Patri, secundam Filio, primam Spiritui sancto. Ergo in consideratione mea quadripertitos radios supernos & decoros enumerare conspicis. Ad quid? Nimirùm pro clarificatione Domus Franciæ, quæ est Jerusalem illa quam vidit Joannes novam descendentem de cœlo. Convertamus ergo oculos nostræ ratiocinationis ad trinam hanc virtutem, & intuebimur quatuor rationum radios profluere ab amore & unitate, totidem à justitia & veritate, & totidem à decore & honestate, propter quos illuminati sumus videre renovationem & recreationem quamdam super nos & in nobis, quam quæsivimus & oravimus: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur*, &c. Primus radius perspicacis rationis ostendit unitatem mutuam hujus Obedientiæ totius inter se, quæ alioquin divisa maneret. Hoc autem erat necessarium primum tendendo cum aliis ad universalem unionem: nam quo pacto concordassemus alios nobiscum & nos cum eis si in perpetua discordia versati fuissemus? *Conveniet nulli qui secum dissidet ipse*. Pro hac re induci possent historiæ commemoratæ à Valerio Maximo Lib. IV. Cap. 7. De his qui ut prodessent Reipublicæ, privatas inimicitias & discordias deposuerunt: facit etiam quòd discordia in his quæ sunt ad Religionem dissolvit è facili concordiam in civili politia, ad temporalitatem. Quia igitur hoc Regnum cum aliis hujus Obedientiæ confœderatum est temporaliter, ipsum non oportuit ab aliis in spiritualibus dissidere. Alteram unionem manifestat secundus radius, quæ est unio regnicolarum Franciæ inter se, quàm parvipendere non convenit, cum dicat Julius Cæsar: *Orbem universum non posse resistere totius Galliæ consensui*. Hanc unionem esse firmiorem vident qui attendunt. Tertia unitas ab altero radio proditur. Et hæc est inter Dominos hujus Regni adinvicem, quorum divisio quàm pestifera esset nemo nescit, tam pro se quàm pro subditis. Pro quo prodest reminisci Regis illius de quo vidètur meminisse Macrobius *in Saturnalibus*. Hic Rex habens filium sibi odiosum, ex hac dissensione sentiens subditos proniores ad rebellionem & seditionem concitandam, convocata concione retulit se in gratiam cum filio rediisse. Itaque tres Domini Duces nostri si cum Rege & mutuò uniti permanent, sunt funiculus triplex qui difficile rumpitur. Nec ignorare decet illud Salustii: *Concordia parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur*. Per quartum radium unio specialis inter Ecclesiasticos ostenditur, utputa Studiorum cum Studiis, Universitatum cum Universitatibus, Ecclesiarum cum Ecclesiis. Sciunt experti qualis jam dissentio plusquam civilis irrumpebat velut inter Guelfos & Gibelinos, aliis dicentibus ego sum Benedicti, aliis ego sum subtractionis. Et (quod deteriùs erat) jam errores & hæreses caput extollebant, quas si excrescere permissum fuisset, robur æternum ipsi schismati contulissent. Quinetiam status infelix Ecclesiæ in quos anfractus inextricabiles incidisset, si Dominum nostrum ante reconciliationem mutuam sui cum Cardinalibus decedere ex hac vita contigisset? Vident qui vident an Propheticus sermo verificatus esset, *percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis*, &c. Matth. XXVI. 31. Nunc vero ampliùs, & si fortè non penitùs clarificata sunt omnia, deductaque est ad effectum nostra oratio: *Emitte*, &c. volvamus intuitum ad alios quatuor radios descendentes à justitia & veritate. Primus radius fugat inobedientiam, quæ quàm tetra & nequam est, Dathan & Abiron absorpti docuerunt. Si ergo Dominus noster ponat se in debito suo in facto unionis Ecclesiæ & Papalis officii, animadvertite periculum, si non obstante subtractione præterita & causis ejus, nova restitutio nunc non esset subsecuta. Qualiter autem ponat se in debito suo, ego ad Regem refero & ejus Consilium, qui suas oblationes habuerunt, examinaverunt, acceptaverunt. Ab altero radio dissipatur caliginosa opinio quorumdam dicentium nos ideo subtraxisse priùs, ut ad Obedientiam partis alterius migrasse possemus honestiùs. Aliam non minùs tenebrosam æstimationem destruit tertius radius qui Dominum nostrum fingebat nunquam fuisse ritè electum. Et has assertiones temerarias invalescere, honor Regis & Regni, justitia quoque & veritas tolerare diutiùs non debebant. Porrò radius quartus fecit evanescere obcurissimam nubem, immò profundissimam abyssum collustravit, dum quorumdam erat assertiò & vocibus & scriptis, quòd suis culpis Dominus noster perdiderat jus in Papatu, neque ei unquam salva conscientia Obedientiæ novitas poterat exhiberi. Quarta verò tenebrositas caliginosa inundasset abysso si in eam demergi contigisset, cogitare stupor est. Benedictus Deus qui nos pertransire fecit abyssum hanc intolerabilem, & duxit innovationem alteram, de qua postulavimus dicentes, *Emitte Spiritum tuum*, &c. Postremò oculis nostræ considerationis objiciuntur quatuor radii honorabiles & sereni, emicantes à decore & honestate. Primus siquidem honor, est humiles suscipere atque protegere: quis ergo humilem Dominum suum non benignè tractaverit? Si dura responsio ejusdem Domini displicuit usque ad recessum ab eo, mollis è contra

tra

Digitized by Google

tra responsio nonne multo leviùs placere debuit ad regressum, sicut & verè placuit quod tam subita tanquam per omnes restitutio palam dedit intelligi? Adduci poterat hoc loco dictum Virgilii ascriptum Romanis.

Parcere subjectis, & debellare superbos,

& quædam alia quæ propter scientes omittimus. Præterea honor & virtus non infima, subjicere se rationi, ita ut variatis rebus, dum ratio suadet judicia immutari, homo non inveniatur cervicosus, innitens (nolitque reverti) propriæ sententiæ: nam & Spiritus sanctus suasibilis est: quos implet suasibiles efficit. Et nihil intolerabilius est in Republica furore eorum qui habent zelum non secundùm scientiam, qui quod semel conceperint in anima, immutabiliter exequi conantur. Quales ab Aristotele vocantur immansivi in opinionibus, tales ab alio quodam experto Eremita scribuntur esse sibi ipsis & aliis diaboli, nec indigere diabolo alio tentante. Denique maledictus furor talium, quia pertinax; & æmulatio, quia dura: cum è diverso sapientis sit mutare consilium, circunstantiis immutatis, immò non mutatur consilium, sed perficitur; quia finem attingit velociùs, quemadmodùm Christus non venit Legem solvere, sed adimplere, cum tamen multa in aliam formam mutaverit. Hinc Terentius: *nunquam ita quisque benè subducta ratione ad vitam fuit, quin res, ætas, usus, semper aliquid apportet novi, aliquid moveat; ut illa quæ te scire credas, nesciàs, & quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies.* Hac Regem & Regnum obstinatione carere perspicuum facit nova hæc restitutio. Ceterum collucere tertium radium ab honestate video, in quo collucere fas est quod puro animo & absque odii cujuscumque nubecula Rex cum suo Regno substractionem effecerat: nam si ex odio vel alia intentione perversa contra Dominum nostrum substractio emersisset, nihil erat nisi eædem causæ nunc manarent & in eadem substractione stare compellerent. Quartus radius ad extremum dilucidè perspicuèque demonstrat quàm forti virilique zelo res cum suis ad unionem in Ecclesia habendam hactenùs processerint, quin ipsi etiam usque ad cedendum justitiæ suæ eamdem quæsiverunt unionem. Et jam nihil in eis stat nihilque in Domino nostro, quo minùs habeatur; immò cedente altero mortuo, vel ejecto, pax est in janvis nisi ab aliis obstinatione violenta depellatur: quod si fecerint, ipsi viderint de se, nos animas nostras liberaverimus. Quin etiam initia magna jacta sunt pro spe reformationis in Ecclesia tam Universali quam particulari in Gallia ex provisionibus & promissionibus dicti Domini nostri nunc obtentis. Præcessit ergo medicina quædam fortis & velut corrosiva in ipsa substractione. Nunc suavior adhibenda erat in nova restitutione, ut diceremus ex sententia verbum Prophetæ præmissum, quasi jam exauditi ex parte: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur* &c.

Concordantiam præmissorum realem & historicam habemus *Esther* VIII. 16. de sublimatione Mardochæi & confusione Aman. *Nova lux* (inquit textus) *oriri visa est, honor & tripudium* &c. Notetur totus progressus historiæ à profundè speculantibus.

Postquam in prima parte Sermonis, locuti sumus de humilitate quæ est dispositio certissima & necessaria ad vitam Spiritus sancti obtinendam vel in una singulari persona, vel in tota Ecclesia; & hac occasione descendimus ad innovationem gaudiosam, quam hæc humilitatis virtus à Domino nostro progediens in membra derivavit: dicamus sub compendio pro secunda parte, quemadmodùm hæc vita Spiritus Sancti conservatur à mutua membrorum colligatione & debita unitate, nec longè abeundem est. Hanc veritatem sensus edocet. Dividantur membra corporis veri à se vel à capite, mortem inde sequi quis nesciat? Nec ob aliud abhorret natura vacuum, nec resistit minùs suæ divisione quam morti, secundùm deductionem Boëtii. Non secùs debet intelligi in corpore mystico. Sine cujus ampliori deductione tres assumo brevissimas considerationes rei quam agimus accommodas.

Prima Consideratio.

A Expedit ut indulgentia & venia utrinque concedatur super ante acta; alioquin cum natura humana avida sit honoris & impatiens suæ ingloriationis, si unus alteri objectaret cum exprobratione, tu tenuisti talem opinionem, immò tu talem: palam est advertere quod unitas servativa dissolveretur ex facili, & ex consequenti vita spiritualis cujus ipsa est servativa non staret. Ergo recedant vetera, nova sint omnia, & cogitemus malorum esse iram post inimicitias meminisse: pensemus insuper fieri posse ut in diversis sententiis & opinionibus charitatis unitas remaneat, dummodò recta sit intentio à passionibus aliena. Patuit in Paulo, in Barnaba, immò in ipsis sanctis Angelis secundùm opinionem probabilem super Danielem. Denique, non attendamus quî aut qualiter ceciderimus: sed qua ratione emergamus, unionemque ab omnibus desideratam & quæsitam consequamur: quæ unitas, quanto studio prosequi debeat ostendere debent, tum ratio, tum exempla Patrum nostrorum immò & historiæ gentilium, qualis est illa quod Semiramis Babylonica pectens crines, dum seditionem audivisset esse in civitate sua, exivit ut erat B laxis capillis pro dimidio, nec eos composuit, donec seditio pariter in pace composita sedaretur.

Secunda Consideratio.

Si veram quærimus ad invicem pacem & amicitiam, nos ut cum Spiritu sancto uniti simus necesse est. Ista est non solum Theologica, sed Philosophica consideratio quæ dicit amicitiam non nisi inter bonos esse posse; quoniam *non est pax impiis dicit Dominus.*

Tertia Consideratio.

A pace quam Spiritus sanctus in nos veniens afflare & influere paratus est, cetera, pax omnis & unitas derivatur. Hæc consideratio sequitur ex præcedenti: sed animos quorumdam minùs instructorum movere possent quædam dubitationes ad hanc rem, juxta tres hujus celebritatis partes. Prima quæstio. Spiritus sanctus cum sit ubique per potentiam, essentiam & præsentiam; quo intellectu dicitur quando-C que absens ab anima, quandoque ipsi præsens & eam vivificans? Respondetur, quòd hoc dicitur propter effectus novæ cognitionis & amoris. Exemplum familiare ad hoc adducitur de homine, qui dicitur redire ad se dùm sui recordatur &c. Secunda quæstio. Vitalis præsentia Spiritus sancti in nobis, quibus signis agnoscetur & si certitudo inde possit haberi? Respondetur quòd certitudo moralis benè habetur, non simplex & absoluta; nisi per revelationem. Tria sunt signa secundùm mysterium hodiernum. Timor Dei ex sono. Libens sermo de eo. Et operatio efficax per ignem significata. Tertia questio. Spiritus sanctus quare dicitur plus vivificare animam & unire quam Pater vel Filius? Respondetur, quòd ipse est nexus Patris & Filii, procedit per modum voluntatis &c. Aliæ quæstiones sunt de processione Spiritus sancti à Patre & Filio & de errore atque schismate D Græcorum. Item & de effectibus Spiritus sancti & signis hodierna celebritate ostensis super Apostolos in linguis variis, in sono vehementi, cognitione omnis veritatis, in constantia mirabili, in hoc quod ab aliis ipsi reputabantur insani, & quæ erat causa; & ita de similibus multis quæ alium locum requirunt & tempus prolixius: quæ omnia dimittentes postulemus in fine unde exordium cepimus *Emitte Spiritum tuum.* &c.

Digitized by Google

in præsenti per gratiam, in futuro per gloriam. Quod &c.

Notandum quod in recommendatione solita post Sermonem quædam narrata sunt super mansuetudine Domini nostri & indulgentiis quas faciebat etiam capitalibus inimicis, & quædam alia de Rege & Domino Delphino ad propositum materiæ quæ hic insere præterrmisi.

SERMO

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, habitus Massiliæ coram Papa Benedicto: Anno 1403. 9. Novembris.

Exactus ad MSS. Codd. Vict. 698. Colbert. 99. & 5972. & Navarricum unum.

MONITUM.

Iste Sermo primus est eorum quos habuit coram Benedicto XIII. *ad quem Legatus erat, ut ipse scribit in Epistola ad Ducem Aurelianensem infra.*

BENEDIC *hereditati tuæ* Ps. XXVII. 9. SANCTISSIME PATER BENEDICTE, benedic obsecramus, ut secundùm nomen tuum sic & laus & operatio tua, det benedictionem. Benedictus quoniam absque benedictione prævia eloquium nostrum prorsus esset invalidum; eloquium, inquam, quod ego servus tuus pro parte & nomine hereditatis tuæ peculiaris, quæ est Universitas Parisiensis præclarissima absque dubitatione, & primogenita Studiorum habiturus sum cum istis Legatis suis præclarissimis & probatissimis certè Viris Sanctitati tuæ fidelissimis, quibus associatus sum immeritus, & dux verbi factus, & hoc te propitio PATER BEATISSIME, te benedicente, te benigno: alioquin nisi tu Dominus dederis benignitatem, terra nostra quæ est hereditas tua, quo pacto dabit fructum suum? Nisi benedictionem dederit Legislator, subditi quibus passibus ibunt de virtute in virtutem? Denique nisi tu Dominus jusseris benedicere, quo ausu auderet parvitas mea coram summa tuæ Beatitudinis celsitudine in conspectu hujus celebris Conventus indignum os aperire. Igitur BENEDICTE PATER SANCTE benedic tu mihi, benedic & hereditati tuæ. Hanc ergo benedictionis gratiam reportare sperans à benevolentissimo & serenissimo S. T. spiritu; aperio rursùs fidenter os meum, utens compellatione singulari, non quidem pro indignitate; (procul nefas tale) sed pro singulari dignitate, sicut tua singularis est dignitas; ne quis indignè ferat morem istum loquendi ad Deum, & priscam Sanctorum Patrum & Oratorum consuetudinem, & obsecrans dico Prophetica imprecatione: *Benedic hereditati tuæ*. Hereditas hæc tua cujus benedictionem expetimus duplex invenitur, universalis & partialis; juxta quod orationem nostram in duos secernimus articulos, sicut ad duo principaliter missi sumus. Primum & hoc præcipuum est quærere pacem super Israël, hoc est super Ecclesiam, quæ est universalis hereditas tua. Hereditas mea Israël ait ille, cujus Vicarius es in terris, & à quo tu Pastor illi, tu colonus & agricola supremus prælatus es. Propterea sanè cum Beato Martino, cujus instat celebritas, felicem hanc virtutum tuarum consummationem existimare debes, si pacem Ecclesiæ integram reliqueris. Alter proindè nostræ Legationis articulus est, benedictionem gratiarum postulare pro altera hereditate tua quodammodò peculiari, & quæ est Ecclesiasticæ hereditatis pars quædam florentissima & præclarissima & electa, pace aliarum dixerim. De qua gloriari potes Prophetica exultatione, *etenim hereditas mea præclara est mihi*. Ps. XV, 9. Hæc est humilis & devota S. T. filia Parisiensis Universitas, quæ cum Jacob non dimittit te nisi benedixeris ei, consurgente aurora benignitatis & serenitatis tuæ. Eget nimirùm utraque hereditas ista benedictione tua, ut apariente te manum tuam, manum tuæ benedictionis, omnia impleantur bonitate, & Domini sit salus, &
A super populum tuum benedictio tua. Invasit itaque hereditatem Ecclesiæ aper de sylva & singularis ferus depastus est eam. Oves quoque & ceteros armentorum greges, hoc est populos simplices & omnes conditiones hominis miserando more & execranda penitus divisione dispersеrunt, & hereditatem tuam vexaverunt. Quam ego olim cladem juvenis pastorio carmine deplorans Etheus inquam.

Heu gregis impacata lues nimis, heu grave ruris
Exitium experta, heu pecoris sors altera semper,
Aut perit externo insultu suffert vel acerbos,
Hærentesque cuti morbos vicinave damna,
Qualia miserum nunc patitur pecus, omnia postquam
Fato versa malo tempus tulit & fuit error,
Rixaque Pastorum sub quem me & innocuus grex
Ductorem trepidat, fugiunt pars altera Tybrim,
Pars Rhodanum nullo incerto pars altera sistit.

B Tuum verò est PATER BEATISSIME talibus hereditatis tuæ calamitatibus obviare, suæ desolationi opem ferre, suum quoque maledictionis schismaticæ opprobrium in benedictionem pacis decoram & fœcundam immutare. Oves in hac hereditate tua dispersæ sunt, tu eas collige; confractæ sunt, tu alliga; sauciæ sunt, tu sana; errantes sunt, tu revoca; perditæ sunt, tu eas quæsitas & inventas propriis humeris & beatis, benignus imponens gregi suo consocia. Quod si aliquæ fortassis miserabili vicissitudine mutatæ sunt in lupos & belluas feroces & sævas, ut de sociis Vlyssis per Circen poëtica & moralis est narratio, tu eas non enecare non perdere volueris. Bonis quidem & discolis debitor es, sapientibus & insipientibus. Sed potenti virtute benedictionis tuæ in misericordia & mansuetudine tales rursus in ovium simplicitatem transformare stude, si versa est pars hereditatis tuæ in amaritudinem & salsuginem, ob pestiferum schisma in similitudinem horrendi deserti & vastæ solitudinis
C sic ubi pro uvis labruscæ, pro frugibus infelix lolium & steriles dominantur avenæ, ut poëta loquitur, & ut Scriptura ait, sic ubi terra maledicta spinas & tribulos germinat. Flabit Domine spiritus tuus bonus & suavis, & fluent aquæ gratiarum, pinguescent speciosa deserti, & tuæ benedictionis irroratione renovabitur facies terræ, facies universalis hereditatis tuæ: nam & matrem humoris Philosophi lunam vocant. At dices, magna sunt ista nimis & supra virtutem hominis. Magna sunt nec inficior PATER BEATISSIME, immò maxima; sed virtus Dei cui inniti te convenit immensa est. *Omnia possum* (inquit Apostolus Philipp. IV. 13.) *in eo qui me confortat*, Christus. Sed *maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*. Jer. XVII. 5. Magna sunt, propterea magno egent studio, cura, sollicitudine, vigiliis & labore: *nam ubi intenderis ingenium valet*, ait Julius
D Cæsar apud Salustium. Magna sunt, propterea deserenda sunt exigua, & dispertienda linquendaque minoribus. In hoc opus unum præcellentissimum figendi sunt considerationis oculi; mittenda est manus ad fortia; tempus quoque res omnium pretiosissima, in aliis non nisi parcissima raritate dispensandum: alioquin tale aliquid fieret *quasi quis piscaretur hamo aureo*, juxta verbum unius è Cæsaribus, aut quasi vile aliquid quæreretur in tenebris cum cereo centum aureorum: aliquin præterea rediret illa inculpatio Jetro ad Moysen: *Stulto labore consumeris*. Exod. XVIII. 18. Sic Petrus Clementem, sic Bernardus Eu-

Digitized by Google

Eugenium, immò sic Apostolus discipulum suum charissimum monuerunt: II. Tim. II. 4. *Nemo militans*, I. Cor. VI. 4. &c. *Secularia judicia*, VI. 2. &c. Et in Actibus Apostolorum. *Non est æquum*, &c. Notiora sunt hæc quàm ut allegationibus indigeant. Magna denique sunt ista pacis universalis opera; quamobrem ea tecum à multis quærere convenit: nam vulgato proverbio *Quod à pluribus quæritur citiùs invenitur*, & *Ubi duo vel tres congregati sunt in nomine meo*, &c. inquit Christus, &c. Matth. XVIII. 20. Et quis est ô Deus æquissime, quis est ex Christianis Ecclesiæ filiis, qui non inniti debeat pro sua portione & vocatione tantis opitulari miseriis? Quis tam luctuosæ desolationi; quis labefactioni tantæ hereditatis tuæ non condolebit, & condolens quis pro viribus non obviabit? Sed neque hoc prohibere quisdam, nisi mentis inops, voluerit, ut in communi periculo commune sit auxilium. Quod si parum prosperè successit hactenùs labor plurimorum, non ideò desperandum, non succensendum eis, non spernendæ prorsùs operæ.

Non est in Medico semper, relevetur ut eger.
Nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.

Neque; enim *qui plantat, neque qui rigat est aliquid*; *sed qui incrementum dat Christus*. I. Cor. III. 7. Et non mentiebatur qui dixit: *Timidæ sunt & incerta providentiæ nostræ*. Sap. IX. 14. Si post primum naufragium nauta navem, & post prima vulnera miles aciem, & post unam sterilitatem rusticus agrum desereret, ascriberetur hoc non cautelæ, sed ignaviæ; & qui sic consuleret, ageret insulsè. Benjamitæ jussu Domini bis descenderunt in prælium, bis victi sunt, ut primùm purgati humiliati & eruditi, victoriam tertio prælio sortirentur. Super omnia post opitulationem divinam si pacem universalem quærimus, non inefficaciter perquiramus; quæratur necesse est concors unio hujus Obedientiæ tecum, P. B. & secum, hoc est in capite & membris; præsertim in præclarissimo, potentissimo, Christianissimo Franciæ Regno, cujus laudes quia per se celebres sunt, non enumero. Pax malè per schisma & contentiones quæritur; nam ubi divisio perseverat, audiatur quod *omne Regnum intra se divisum desolabitur*, Luc. XI. 17. & quia

Conveniet nulli qui secum dissidet ipse.

Absint igitur procul omnes animositates odiosæ: non fiat aspectus retrorsùm, in quibus periculis & procellis navis Ecclesiæ hactenùs jactata sit, sed docti ab Apostolo Philipp. III. 13. extendentes nos & velum in anteriora, portum pacis optatum concordi laboris annisu petamus. Docent nos historiæ Gentilium, præsertim Romanorum Consulum, qui licet aliundè diffiderent hostiliter, mox in amicitiam conveniebant, dum Reipublicæ pax & utilitas quæreretur. Hoc Titus Livius, hoc Valerius exemplis docent, & vetere Græcorum instituto charistia, seu communis gratia fiebat pro communi utilitate; non prorsùs dissimiliter ab anno jubileo Judæorum. Quod si filii Israel animo pacifico ibant ad prælium, filii Ecclesiæ quibus animis debent quærere pacis bonum? Si Herodes & Pilatus facti sunt amici ad persequendum Christum, qualis debet esse pax ad eumdem adorandum? His exemplis, cum certa ratione permota humilis & devota S. T. filia quamprimùm univit se in se, revocans omnes perditos à suo consortio vel gremio quomodolibet alienatos, & ad honores pristinos restituens; monens insuper & maternaliter jubens ut injuriarum præteritarum nemo memor sit ampliùs; sed honori Matris & utilitati pacis omnia condonentur. Recedant vetera, nova sint omnia, quatenùs liberioribus animis eo pax universalis quæratur, quo nulla particularis obstiterit discordia. *Concordiâ* (inquit Salustius) *parva res crescunt, discordiâ maxima dilabuntur*. Quidque concordiam Fratrum Prædicatorum antea ferè desperatam operata est, commemorans & litteris suis, inserens zelum grandem quem pro eadem concordia dudùm Parisiis ostenderas, studens in hoc & sperans filia tua, tuæ Sanctitati non mediocriter complacere. Habens igitur *Pater Beatissime* filiam pacificam, & Evangelicæ Beatitudinis participem, dignam insuper quæ ad pacem universalis hereditatis tuæ quærendam admittatur ut dicat ex sententia. *Facta sum*

A *coram eo quasi pacem reperiens*. Cant. VIII. 10. Scit ipsa quoniam tale est pacis bonum, ut multa propter eam tolerare, multa indulgere, dissimulare plurima, quæ vel corrigi, vel ad regulam duci nequeunt oportet. Hoc sancti Patres scriptis suis, hoc exemplis docuerunt. Habentur in promptum dicta eorum in Decretis & alibi copiosè. Sed eorum dicta nunc allegare quotando coram scientibus legem loquor, & ubi res in se perspicua est, superfluum, ne dicamus curiosum judicamus, & à sanctorum Patrum vestigiis alienum; quia & ostentationem redolet, & cicatricosam fluidamque reddit orationem. Oritur ex præmissis consequenter intellectus dicti illius saluberrimi & verissimi si sanè capiatur quod *communis error facit jus*, hoc est quòd Prælatus dominante opinione, etiam erronea in subditis, multa vel agere vel omittere tenetur, qualia si faceret, aut dissimularet opinione hujusmodi non extante, ipse gravi delicto teneretur obnoxius. Quæ doctrina præsenti negotio accommodatissima est, si jam eam dilatare liceret;

B sed oratio nostra certis coactanda est limitibus, & ad alia deproperat. Attamen prætergredi ullo modo neque possum nec debeo, dum ad concordem hujus Obedientiæ unitatem exhortor; suadens injuriarum quarumlibet oblivisci, quin summam tuæ mansuetudinis & mititatis laudem admirer; quæ exemplum mansuetudinum David insecuta, caput ad maledictionem inclinavit, ut à Domino benedictionem pro maledictione reportaret, & benedictione hereditatem possideret, & cum Juda Machabæo esset memoria tua in æternum in benedictione. Ecce satan accepta à Deo licentia (alioquin quid ipse potuisset) percussit te plagis multis tribulationum & angustiarum, justissimè quidem in ordine ad providentissimam Dei dispositionem; quoniam; *Justus est in omnibus viis suis & sanctus in omnibus operibus suis*. Ps. CXLIV. 17. Per cujus providentiam fit ut *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Rom. VIII. 28. Et *qui secundùm merita plebium disponit vitam rectorum*, ut ait Gregorius, *qui* etiam *proprio Filio non pepercit*, Ibid. ℣. 32. quin

C eum saturaret opprobriis. Dæmon nihilominùs has commotiones perversissimo intentionis fine mihi suscitasse videtur: ad quid? Nimirum ut essent pedibus tuis in laqueum offensionis & in scandalum. Quo pacto sic? Ut animus tuus generosus in indignationem, & de indignatione in impatientiam, & de hoc in odium & diffidentiam & suspiciones anxias & trepidas, quæ multos supplantarunt laberetur & in vindicandi libidinem excandesceret; & ut tandem abjecta mansuetudine, dimisso omni consilio, ad postremum omni studio prosecutionis Ecclesiasticæ pacis; spiritus tuus natura mitis & suavis, ad solam vindictæ carnificinam, sub zeli justi specie raperetur, laceraretque oves proprias, protereret, abjiceret, dissiparet, & propter suspiciones infidas & turbidas, res omnes timidè gelidèque ministraret; quali arte venatores apros in propriam irritant necem, & lepusculos per vanam pennæ volitantis formidinem in verum tradunt periculum & laqueum. At Benedictus Dominus & Benedictus tu, quoniam la-

D queus iste desiderii vindictæ contritus est: tua quippe mansuetudo non solùm non sublata est à S. T. his fraudibus; sed mira quadam effulgentia magis & magis emicuit, usque ad quemdam intuentium stuporem, usque ad pias lachrymas audientium, & ad exemplum memoriale & verè Christianum apud omnes generationes posterorum. Quæ exempla omnia si referre voluero, nitar incassùm, priùs tempus & lingua deficient. Unum tamen ex innumeris (quod fide-

fidelissima relatione didici) commemoretur exemplum quod dum Parisiis in Sermone publico restitutionis pro parte Regis, feria secunda post Pentecostes coram populosissima & celeberrima utriusque status frequentia retulissem illud suis suspiriis altis & subditis tacentes approbarunt, & non pauci ad pias usque lachrymas (nec mirandum) compuncti sunt. Postquam, sævientibus undique intumescentibusque procellis circa navem Ecclesiæ tu mysticus Jonas projectus es in mare, hoc est in amaritudinem tribulationis, non deseruit te Deus; sed mirabiliter in ventre sacri Palatii velut in ventre ceti conservatum eduxit ad littus libertatis, & facta est tranquillitas major: tota quippe Obedientia ista à tumultu siluit. Eo tunc venit ad verendam tuæ Celsitudinis præsentiam homo quidam non infimæ fortunæ, qui ultrò confessus est te Patrem & Dominum suum, immò nostrum omnium, te Christum Domini, nedum impiè tangere, sed creduli inauditoque parricidio interficere semel & iterum voluisse. Expaverunt opinor qui aderant, qua fronte vir tanti sacrilegii, vir tam nefarii facinoris conscius, non solùm hoc facere, sed vel comparere præsumpsisset: multi cœperunt torvos in eum oculos flectere, dentibus fremere, vix manus continere, nisi quod tuam expectabant Sententiam, & qualem expectabant nisi ut diceres: Tollatur impius, exturbetur sacrilegus, ligatis manibus & pedibus trahatur ad carcerem ut tradatur in mortem. At verò tu nihil horum dixisti PATER CLEMENTISSIME, sed misericordiæ & mansuetudinis sinum aperiens, & clementiæ virgam extendens, præoccupasti confitentem reum, priusquam verba orationis complesset; serenissimo quoque vultu & verbis suavibus plenam præconcepti hujus flagitii veniam indulsisti; vincens in bono malum, & cujus esses spiritus, cujus insuper Vicarius, facto certissimo palam docens. Hoc egisse nonne satis erat ad misericordiam? Addita est assecuratio, trepidare vetans, jurejurando firmata: nam fit ut cui multum dimittitur, multum ingratum sit, si de dimissione hæsitaverit. Dixit namque spiritus tuus bonus & suavis: Hoc faciat mihi Dominus & hoc addat, si ullas unquam adversum te odii vel vindictæ reliquias apud me servavero, immò si quàm pœnam in te posteriùs exercere voluero, illa in caput meum prior cadat. Nec indulgentiam tantummodo ego præsto, si deinceps benè te habueris; sed & tibi tuisque similibus omnibus benevolentiam polliceor ampliorem. O dignissimam Summo Pontifice vocem! O responsum divino viro convenientissimum. O factum misericordiæ singularis, quod Patrem & Pastorem Evangelicum repræsentat. Qui post persecutiones Paulum; post trinam negationem Petrum; & post portionem hereditatis luxuriosæ consumptam, juniorem Filium plus amavit. O divinum factum, quòd utinam omnes populi omnes quaquaversum nationes audirent, tum pro exemplo & imitatione, tum pro arguendo mendacii eos qui te rigidum & austerum, aut iræ memorem criminari moliuntur. Hæc est plenè victoria Christiana, injurias & iras non in injuriis & ira, sed misericordia & mansuetudine vincere, & imitari eum qui etiam in cruce positus dixit: *Pater ignosce illis* Luc. XXIII. 34. &c. Sic Beatissimus Martinus cum urgeretur ut Briccium sibi contumeliosum abjiceret: *Si*, inquit, *Christus Judam, Martinus cur non Briccium tolerabit.* Sileant nunc historiæ Gentilium, quæ suorum quondam Principum mansuetudinem amplissimis verbis extulerunt, ut Seneca Neronem in duobus voluminibus. Cicero Julium Cæsarem in Orationibus. Suetonius Octavianum Augustum in historiis, & alii alios, comparantes eos vel asylo Romuli, vel civitatibus refugii, vel templo misericordiæ, quale describit Statius Thebaidos. Si quidem incomparabilis est istorum laus ad tuam gloriam, sicut umbra ad serenam lucem, fumus obscurus ad purum ignem, palea volatilis ad solidum granum, immò sicut vitium ad virtutem. Ipsa enim talium mansuetudo non pro divino honore & autoritate quam spernebant, & tu colis unicam; sed inanem jactantiam quam tu calcas, anhelabat. Collaudabunt alii cruentas bellorum victorias, & ambitiosos ex his triumphos mirabuntur. Plus apud me valeat assertio Sapientis, quòd *melior est sapiens viro forti & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Prov. XVI. 32. Quam sententiam aliis verbis Lyricus explicat. *Latius regnes fragilem domando spiritum, quam si Lydiam remotis gradibus jungas: & uterque Penus serviat uni.* Quambrorem agnoscee PATER BEATISSIME, cum quanta conscientiæ securitate, cum quali serenitate cordis fas habet dicere religiosissima devotio tua, dum crebrò vel orat vel Missam celebrat: *Pater dimitte mihi debita mea, sicut & ego dimitto debitoribus meis.* Et rursus cum Propheta: *Domine Deus meus si feci istud, si est iniquitas in manibus meis*, &c. Psal. VII. 4. Ita PATER BEATISSIME imitaris Christum qui cum malediceretur non maledicebat, qui tentatus est per omnia ut misericors fieret, quem videmus propter passionem gloria & honore coronatum. Tantummodò non eripiat tibi blanda prosperitas misericordiam illam, illam patientiam penè divinam, quam sæviens adversitas & servavit & reddidit clariorem. Da veniam si scrupulosior sim in hac parte: nam fit aliquando suadente pacis inimico, nunc per se, nunc per adulatores qui sunt arma sua & sagittæ, ut homo qui calamitate pressus æquanimiter omnia nedum toleraverat, sed indulserat; postmodùm succedentibus prosperis repetit omnia à debitoribus suis cum rigore & fœnore, ut appareat indulgentiam priorem non ex virtute, sed vindicandi impossibilitate, natam, nec dimisisse ex corde sed in tempus more simiarum distulisse. Non cadat in hanc exprobrationem vera & perfecta dilectionis tuæ mansuetudo, neque fallat eam simulacrum fictum justitiæ: quasi non meliùs sit vicisse mala per indulgentiam quàm severitatem: quasi rursùs non sit præclarissima justitia indulsisse supplicibus, subditis pepercisse. Sic misericordiam & gratiam invenias in conspectu tremendi judicii Dei, qui sub Bullis patentibus promisit misericordiam misericordibus, qui semel dimissa non repetit, qui jussit non esse memorem injuriæ civium suorum. Sic in oratione tua confitens Domino exaudiaris, & non audias horrendum illud improperium Domini irascentis; *Serve nequam nonne omne debitum dimisi tibi*, &c. Matth. XVIII. 32. Sic præterea cum David consequaris sedem Regni in misericordia, & mititate possideas terram, & delecteris in multitudine pacis super eam. Tandem propter mititatem doceat te Dominus vias suas, ut absque offendiculis ad impatientiæ lapidem dirigat pedes tuos in viam pacis; quam à te pacem petimus PATER BEATISSIME, dicentes: *Benedic hereditati tuæ.* Non quin humana virtus quælibet hanc pacem præbere non sufficiens sit & infirma, nisi major agat Deus, ut apud Virgilium est; præsertim in tam desperato & radicato schismate, quod est quasi cancer ægrescens medendo, & ingressibilis Dedali labyrinthus, & caput hidræ fabulosæ sua rescissione fœcundius, ita ut periisse videatur consilium à sapientibus, & dicere conveniat cum Josaphat Rege: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui ut oculos nostros ad te dirigamus.* 2. Paral. XX. 12. Scimus nihilominùs te post Deum, cujus Vicarius es, decere: scimus ad te Hierarchicum supremum supremam spectare benedictionem hujusmodi hereditatis Ecclesiasticæ, ut fiat pax in diebus nostris, & tu maximè inter montes suscipias pacem populo. Quod si perficis, benedictus eris in omnes generationes, & memoriam æternam his qui post te futuri sunt relinques. Sin autem non perfeceris, inchoaveris tamen & elaboraveris bona & antiqua fide, diligenti studio, pia & humili voluntate, per te & tuos (qui quippe sunt omnes) non perdetur merces tua, non gloria, res ipsa condemna-

nabit mendacii eos qui vel ignorantia vel livore criminantur summam. T. S. dignitatem, tuam vigilantiam, tuam charitatem. Facis hoc sedulò: ita enim te facere & me sentire æquum est. Sed quò ampliùs stimuleris ad agendum, ascende frequenter sublimem mentis tuæ lucem, levando te super te, ubi despectis esursùm terris, verses jugiter & acriter ante mentis oculos in lumine Fidei, in sublimitate Spei, in latitudine Charitatis, cum illo qui ait: *cogitavi dies antiquos*, Psal. LXXVI. 6. &c. Videas inquam acutè, quàm nihil sit omne illud quod mundus affert gloriæ, jucunditatis, potentiæ, quàm vana, quàm lubrica & vento somnioque simillima; immò quàm anxia & amaritudinibus respersa tristissima sint omnia. Ecce omnes morimur, & quasi aquæ fluentes dilabimur super terram, hodie Rex, cras Papa moritur. *Eheu fugaces posthuma labuntur anni*, defleт Horatius, Et Tragicus, *Properat cursu vita citato, volucrique die rota præcipitis volvitur anni.* Et Naso: *volat irreparabile tempus, & nihil est annis velocius.* Et est omnium horribilissimum quòd dicitur, quia *in puncto ad inferna descendunt*, Job. XXI. 13. &: *ite maledicti in ignem æternum.* Matth. XXV. 41. Ceterùm quid quæso usquam est tam altum aut pretiosum, pro quo vel adipiscendo vel retinendo generosus animus & divinorum conscius, se perdere & alios turbare dignum ducat. Viderat hoc ex alto qui tam sapienter exclamavit. *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Eccle. I. 2. Quam sententiam si saperent, immò ut saperent, deberent omnes in potestatibus constituti, secundùm Chrysostomi consilium, scriptum habere in januis suis, in penetralibus, in frontibus, & maximè in cordibus suis. Ampliùs si filii hujus seculi tam avida sollicitudine curant peritura, adeò ut cum eis perire non formident, obsurdescentes ad illam increpationem Propheticam. *Filii hominum usquequo gravi corde*, &c. Ps. IV. 3. Filios igitur lucis, immo te Patrem hujusmodi filiorum, quantam apponere decet curam, quot labores, quasvis vigilias, ubi de rebus æternis agitur, ubi verum & unicè expavescendum pro animabus, tractatur damnationis periculum. Non est ista lis de paupere Regno, ut apud Statium ponitur, neque de lana caprina, ut Satyricus ait: de vita & morte perpetuis res versatur, agitatur & quæritur. Quòd si Pastoralis Præsidentiæ delectet aliquem honor volatilis & nomen inane, terreat eum districtum Judicis examen in reddenda de ovium salute & numero ratione: agnoscat quoniam positus est non in destructionem, sed ædificationem; non ad otium sed laborem, & ut per eum, juxta verbum maximi Regis Artaxerxis secluso ab usu potentiæ, subditi optata cunctis mortalibus pace perfruantur; quoniam hic est finis omnis potentatûs tam secularis quam spiritualis. Sed ad te convertor PATER SANCTE. Finge precor in ipsa sublimitate meditationis tuæ sponsam Ecclesiam talibus utentem querulis plangoribus. Eheu quis consolabitur anxiam! Et quis desolatæ, quis plaga crudeli percussæ medebitur? Inter has angustias quæ me circumvallarunt undique, quale dabitur effugium? Quis mei miserebitur? Ego illa sponsa Regis æterni, quam olim vidit unus ex filiis meis *novam descendentem de cœlo, quasi sponsam ornatam viro suo.* Apoc. XXI. 2. Ego lota in sanguine Agni immaculati, ego tot sudoribus & sanguinibus Martyrum innumerabilium stabilita, violis Confessorum, liliis Virginum coronata. Ego tanta devotione Principum usque ad invidiam dotata, ornata, dives facta. Nunc heu velut misella & ancilla dejicior, premor, despicior! *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*, Isaiæ. I. 2. & *facti sunt hostes in capite.* Thren. I. 5. Pacem insuper, jucundissimum in cœlo & in terra bonum, qua me dotaverat sponsus meus nascens, prædicans, moriens, resurgens & regnans, converterunt in schisma perniciosissimum, quod jam quinque lustris me per omnes artus miseris modis depascitur & absumit: pro mea olim defensione, certamen erat usque ad mortem, & modò nihil aliud agi vel quæri videtur à multis quam ut corruam, & miserabili labefactione deficiam, & hostibus meis ludibrium fiam. Ecce versa sunt omnia ferè in contrarium prioris meæ institutionis, disciplinæ & decoris ornamenta, dum pro corona humilitatis pulvis fœdus vanitatis, & pro A croceis spiritualitatis stercora sola temporalitatis amplexantur, & erigitur super me sapientia animalis & terrena & diabolica, repudiatâ eâ quæ desursùm est pacificâ & quietâ. Si his tecum Ecclesia planctibus, loqueretur PATER BEATE: novi miserationem animi tui, quæ ab utero egressa est tecum, continere non posses quin erumperent lachrymæ ab oculis tuis, quin ad succurrendum inflammaretur totus zelus tuus jam succensus, & diceret ex intimo cordis suspirio. *Domine super hac desolatione ante te omne desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Psal. XXXVI 10. Succurre, fer opem; ut quid natus sum videre mala gentis meæ? Rapidos rector comprime fluctus, & quo cœlum regis immensum, firma stabiles fœdere B terras, & dispersiones Israël congrega. Sed quid ego? Quorsùm rapior? Quid Minervam (ut dicitur) impudens doceo? Præmeditata sunt namque apud tuam considerationem assiduè & acriter talia salutis monita: nihilominùs patere PATER BEATE patere obsecro, commone facere te & orare pro parte devotissimæ filiæ tuæ, ut facias quod facis. Nam equum etiam sponte velocem calcar adjuvat. Fac, ut calcata seculi pompa & iniquis adulationibus ejus, ut nullis retrahentibus uncis vitiosarum passionum, non ira, non odio, non spe, non gaudio fallacibus (melioribus namque hospitibus digna est SANCTITAS TUA) abjecta rursùs adulatorum peste, omnia ad gratiam, nihil ad veritatem loquentium & claudentium januam veritati, ac scrupulos varios (ut soli diligere videantur) ingerentium, de quorum uno dixit Comicus: *Hic profectò ex stultis insanos facit.* Et qui sunt stulti? Utique vanè gloriosi prudentes in oculis suis, prudentiæ suæ innitentes. His inquam procul pulsis, tu totus cum pacificis qui non oderunt pacem, cogites ea quæ ad pacem sunt Jerusalem, totus invigiles implere id C quod pro Matre Ecclesia petit à te filia utriusque velut altera columba Noë, ferens ramum paciferæ olivæ per nos humiles nuncios clamitans pia sollicitudine: *Benedic hereditati tuæ* ut nobis contingat illud Prophetæ. *Dominus benedicet populo suo in pace.* Psal. XXVIII. 11. Sed quomodò & quibus viis benedices populo tuo in pace. Si pergat aliquis particulariùs inquirere; jubet hìc humilis & devota. S. T. filia quiescere, ne suos Patres, te videlicet & Regem Franciæ Christianissimum, aut Legatos ab eodem prævenire arrogantiùs videatur. Simul quia publicam & celebrem Audientiam super hac pacis materia, si & dum tempus fuerit beneplaciti tui supplicat, & sperat obtinere, exhortatura latiùs & fortè particulariùs, ut benedicas Ecclesiasticæ hereditati tuæ. Et tantumdem dictum sit de primo Legationis nostræ Articulo.

D SUPEREST alter & postremus nostræ Legationis Articulus, cujus ideo longè brevior erit expeditio quàm prioris; quia licet necessarius existat, eum tamen neque tantæ dignitatis neque paris difficultatis existimo: hìc supplicamus, ut benedicas hereditati tuæ partiali, & quodammodò peculiari, segregando pluviam voluntariam huic hereditati tuæ. Et quoniam infirmata est præ tenuitate & multis incommodis, tu perfice eam, quam tua tuorumque prædecessorum dextera plantavit. Prævenisti nos PATER BEATISIME in Benedictionibus dulcedinis, heri in osculo pacis, pridem in odore bonæ famæ mansuetudinis & liberalitatis tuæ, ut hanc à te Benedictionem petere, hanc spe certa præsumere auderemus. Denique jam præventos subsequeris, dum aures T. S. tam benevolas, ora-

Digitized by Google

orationi nostræ præbet tua pastoralis sollicitudo; recogitans (ut arbitror) quoniam filia tua primogenita est Studiorum; cujus primogenituræ ratione, competit Benedicto de rore cœli desuper, & de pinguedine terræ, hoc est in spirituali & temporali provisione. Rursùs quia exemplo Axæ filiæ Caleph suspirat sedens super asinam, calcans scilicet omnem brutalitatem, petens Benedictionem à te Patre suo: *Josue.* xv. 19. vis eam à liberalitate paternitatis tuæ irriguum inferius & irriguum superius expectare? Dic igitur verbum Boos ad Ruth. *Benedicta es filia a Domino, quidquid dixeris mihi hoc faciam tibi.* Ruth. III. 10. Et ita fac PATER BEATISSIME, ut sit ante te odor filiæ tuæ sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus. Et bene ager plenus est filia tua Parisiensis Universitas, immo nihil erravero si eam appellavero paradisum voluptatis, in quo est lignum scientiæ boni & mali, & fons scientiæ in quatuor Facultatum flumina condivisus, irrigans universam superficiem terræ. Tu hujus possessor es, tu pastor & cultor ut opereris & custodias illam tanquam agriculturam vivam, ut Aristoteles loquitur *in Politicis.* Ubi sub mysterio nihil deest eorum quæ egregius Poëta Virgilius *in Georgicis*, & Palladius in *de agricultura, de hereditate agraria* conscripserunt, distinguentes agrum quadruplicem, qualem figuraliter in hereditate tua secundùm quadruplicem Facultatem reperimus. Unus ager est apricus & florifer pro apibus, figurans sub quadam appropriatione Facultatem Theologiæ. Alius est pascualis pro ovibus & domesticis animantibus, figurans Facultatem Decretorum. Alter frugifer pro hominum vita, figurans Facultatem Medicinæ. Quartus vitifer & pomifer in omni genere suo, figurans typicè Artium Facultatem. Tuum est igitur hereditatem tuam hanc benedicere, colere & augere, ut fructum suum det in tempore suo. Ecce ipsi Theologi velut apes intellectuales pervolitant in hereditate tua flores sacrorum eloquiorum de rore cœli roscidos; compingunt mel in cellulas & favos, ut sit cera in illuminationem intelligentiæ, & mel in oblectationem affectivæ. Hanc hereditatis tuæ portionem spectans, dicere habes ex sententia illud Eccli. XXIV. 27. *Hereditas mea super mel & favum.* Nam *eloquia Domini dulciora super mel & favum in affectu.* Et, *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*, in intellectu. Ps. XVIII. 9. 11. Venerat in mentem laudes hujusmodi tum augere, tum suo modo deducere, de reliquis hereditatis tuæ partibus, hoc est Facultatibus, quo magis animaretur. SANCTITAS TUA sibi benedicere, sed negligentiùs istud ago brevitati studens & sciens nihil laudum harum te latere. Dicam verò, te concedente, id quod nuper in meditatione mea dum solus essem, & non solus, solus quidem corpore, non solus cogitatione versabatur. Itaque posita erat ante mentis oculos Sedes tua præclarissima, & Thronus sicut sol & luna perfecta; astitit Regina illa virtutum dilectio à dextris tuis in vestitu sapientiæ deaurato circumdata varietate virtutum. Nam ita jussit Rex Optimus & Maximus Christus, ut Sedem Papalem dilectio stabiliret, dum ait Petro interrogato ter, & ter respondente quòd diligeret eum, *pasce oves meas, pasce agnos meos.* Joan. XXI. 15. 17. Quæ dilectio una est in quadam trinitate virtutum, in misericordia & veritate, quæ custodiunt Regem omnem, duabus manibus hinc & inde portantes Thronum ejus, & in præclarissima virtutum justitia, & neque hesperus neque lucifer ita admirabilis. Has sub compendio numeravit Propheta Reginas, eas paci consocians. *Misericordia* inquit *& veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Psal. LXXXIV. 11. Quarum officium alibi descripsit. *Propter veritatem* (inquit de Christo cujus Vicarius es) *& mansuetudinem & justitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.* Ps. XLIV. 5. Hæc præclara dilectio seu charitas una in hac trinitate virtutum, sicut Apostolus insinuavit ad Corinthios scribens, parabat orare pro filia tua Parisiensi Universitate, ut ei, modo quo diximus, benediceres tanquam hereditati tuæ. Nam ubi adesset vel quando rogaret dilectio, si inter Patrem deest & filiam. Nihilominùs affuit & satan à sinistris; ita mihi monstrabat meditatio mea. Aderat & infelix proles sua æmulatio livida, per quam mors intrat in orbem terrarum, monstrum heu horrendum, informe, ingens. Cui quot insunt in dilectione virtutes, tot insunt vitia, crudelitas, falsitas, iniquitas. Crudelitas contra misericordiam, contra veritatem falsitas, & iniquitas contra justitiam. Agnovi ex descriptione Nasonis quænam illa esset?

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.
Nusquam recta facies, livent rubigine dentes.
Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.
Risus abest, nisi quem visi fecere dolores.
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis &c.
Obstupui visu subitò gelidusque cucurrit.
Ossa tremor.

Dum ecce terrifico boatu rabida ora laxans, & dentibus frendens. Eheus PATER SANCTE, cave benedixeris hereditati huic tuæ, quæ facta est tibi sicut leo in silva, odi propterea eam & maledic. Cave benedixeris ei in collatione gratiarum: nam & tardè venerunt, & in multis à tua sententia defecerunt. Abjice eos potiùs à te, calcibus protere, & impera ut discedant maledicti. Ita parabat portentum hoc horrificum magno conatu, contumeliosa nefandaque mendacia contra filiam tuam delatrare; dum tu, PATER BEATISSIME, hoc indignabundè ferens, torvum è latere vultum paulisper in hanc æmulationem impiam, mendacem & nequam visus es declinare, & ut confestim absccederet imperare. Abi hinc in malam horam & in crucem tuam pestis horrida, satrix discordiæ, mater nequitiæ. Vide ne ultra mutire vel apparere præsumpseris. Attende ne filiam criminare studueris apud Patrem, cui etiam pro magno peccato satis esset modicum supplicii. Falleris si te recipi vel audiri existimas, ubi in conspectu meo paterna dilectio verax & justa pro eis decrevit orationem assumere. Dic tu dilectio, hac increpatione deterrita æmulatio tristis abscessit, & dilectio sic orsa est. Facis PATER SANCTISSIME id quod te decet, te Patrem erga filiam & talem filiam; te Vicarium illius qui accusatorem fratrum deturbavit in stagnum ignis ardentis, qui jussit Pontificem agere in spiritu lenitatis; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, qui postremò propter decem justos toti Pentapoli peccatrici pepercisset. Præterea me dilectionem jussit assistere à dextris tuis, quæ naturâ patiens sum, benigna sum, non æmulor, non ago perperam. Age igitur, PATER BEATISSIME, age quod agis, ne ulla te unquam accusatrix æmulatio à meo consortio divulserit. Non audiatur, precor, adversum me crudelis hæc & maligna æmulatio. Absit ut ponat hanc maculam in gloria tua, sprevisse hereditatem tuam, abjecisse à te & pedibus tuis supplices tuos, cultores quoque in vinea Domini Sabaoth, & coadjutores tuos vacuos absque utili provisione ingloriosque remisisse, ubi tanta est provisionis tenuitas de bonis Ecclesiasticis, ut vix pauci ex Magistris & Doctoribus etiam in Theologia, sine aliquo quæstu valeant habere alimenta & quibus tegantur, & hic XVII. annus agitur. Hæc est hereditas tua peculiaris & electa præclarissima Studiorum, velit nolit æmulatio, ubi generatio præterit & generatio advenit, sed ipsa terra tua in æternum stat. Tu Supremus pastor & custos, inopiæ suæ providere, irrigare arida, ruinosa reparare, non conquassare positus es; hoc misericordia petit titulo filiationis, hoc veritas titulo Studii veritatis, hoc justitia titulo militiæ & laboris. Porrò tarditas hujusmodi postulationis benedictionis tuæ per totuli præsenta-

sentationem nunc & non antea non tarditatem meretur exauditionis ut accusat æmulatio, sed celeritatem; quatenùs sint novissimi primi; quia bono intentionis fine fiebat dilatio, magno, sicut arbitrabantur, zelo prosecutionis unionis Ecclesiasticæ movebantur, nec soli movebantur, Reges & Regna cum suo Clero pariter sentiebant. Nunc post experimenta plurima quid inculpandum si mutatis rebus mutaverunt sententiam. Esto rursus fuisset in aliquibus dissidens eorum sententia à tua. Nonne potuit hoc fieri sine mei læsione, quia sine obstinatione. Nonne Paulus & Barnabas tales viri sic contenderunt ut discederent ab invicem? Et Paulus Petro restitit in facie. Et Princeps Persarum bonus, secundùm Gregorium, restitit Michaëli, & utrobique illæsa me Matre omnium Charitate. Advenit ecce supplex & humilis devota filia tua. P. B. absque ulla difficultate præcellentissima Studiorum, & suo nunc adventu dat palam intelligi, quod nulla diffidentia juris tui ut adversarii falsò fingebant, nulla indignatione perversa suum differebat accessum ad petendum sibi benedici per præsentationem rotuli more solito, qualiter nunc præsentat reverenter in approbationem justitiæ tuæ, & in egregiam laudem mansuetudinis tuæ. Neque enim peteret benedictionem gratiarum ab eo quem non crederet juridicum largitorem, neque ab eo quem benignum exauditorem non speraret. Unde in capite rotuli ita scriptum est: Fiduciam accepit B. P. nunc rotulum istum supplicationum generalium & specialium, præsentandum apud S. V. Celsitudinem, humilis & devota eidem Sanctitati Vestræ Parisiensis Universitas, plus in paterna benevolentissimæ liberalitatis vestræ gratia, quam in meritis propriis post Deum spem reponens; plus insuper studens ex hoc rotulo inservire commodis Ecclesiæ quàm avaræ cupiditati, ut denique obedientiam sinceram ac filialem dicta filia erga. S. V. sublimitatem non tantummodo verborum aut litterarum assertione, sed factorum soliditate monstraret. Hæc ibi. Nunc igitur PATER SANCTE per me dilectionem matrem omnium bene viventium exoratus, perque virtutes meas inclytas misericordiam, veritatem & justitiam, propter quas deducere habet te mirabiliter dextera sua, & si per quid unquam de te benè meruimus apud Deum, apud homines justificando te, exaltando te, liberando te, & per spem futuri præmii si nobis perseveranter inhæseris, oramus, petimus, obsecramus ut benedicas huic hereditati tuæ, huic filiæ tuæ alumnæ nostræ, concedendo talem in gratiis suis signationem, aut certè uberiorem, qualem petunt & ab initio dedisses anno primo. Nam hic est annus benignitatis tuæ annus novenarius, ternario ter in se ducto coronatus. Benedices huic coronæ anni, huic anno coronato benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Hanc de te tuaque affluentissima liberalitate spem conceperunt, hanc conceptam multis postmodùm & magnis indiciis roboratam auctamque senserunt etiam heri. Tu autem spem nunc in rem ipsam convertito, tui quippe sunt, sed tu eos majori tibi vinculo constrinxeris, tu postremò non mediocriter illustraveris gloriam tuam & famam tuam, quæ sicut non est ambitiosè quærenda, ita non est negligenda crudeliter. Et ubinam gentium potest famæ celebritas vel scriptis vel vivis vocibus ampliori dilatatione vulgari, quam ubi confluunt & refluunt ex omni fere natione quæ sub cœlo est, viri litteris omnibus & studiis eruditi, ita ut in obscuro esse nequeat, si gratè, si benignè respondens, si benedixeris huic hereditati tuæ, quemadmodùm tu benedices, speramus & obsecramus, fiat fiat. Animadvertis, P. B. redeo enim & ad tuam Sanctitatem & ad meam parvitatem, animadvertis qualiter transfiguravi sub nomine paternalis dilectionis supplicationem pro humili & devota. S. T. filia, & id quidem aptissima videor fecisse ratione. Suam quippe Sedem ubi collocaret dilectio, ubi perorarer si inter Patrem & filiam sacratissima dilectionis nomina, apud ipsos etiam barbaros honoranda defuerit. At verò neque volo neque æquum judico quidquam adjicere, quanquam aliqua dicenda supersint: vereor enim jam multiloquium nostrum minus sit favoris habiturum, dùm occupationes tuæ Celsitudinis alioi sum te vocant & trahant. Quia postremò super isto & priore Articulo Audientias aliquas obtinere clam & palam supplicamus & speramus, ut non frustra spem hanc conceperimus de benignissimo. S. T. spiritu PATER SANCTISSIME. Sic benedicat te Dominus ex Sion, ut sis re & nomine Benedictus. Sic videas bona Jerusalem militantis sponsæ tuæ, & triumphantis illius quæ desursùm est Mater nostra, omnibus diebus vitæ nostræ præsentis & futuræ. Sic prætereà videas filios filiorum tuorum in spirituali propagine & tandem quod est omne bonum & benedictionis consummatio, & omnis consummationis finis, videas pacem super Israël, & nos tecum hìc inchoativè per gratiam, & beato complemento per gloriam in futuro. Præstante eo qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

SERMO

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis, factus in die Circumcisionis Domini coram Papa apud Tarasconem. Cui adjunctæ sunt Considerationes de reformatione & pace Ecclesiæ.

Exactus ad MSS. Codd. Vict. 463. Colbert 99. & Navarricum.

MONITUM.

Habitus est iste Sermo Tarascone anno 1403. *more Gallicano hoc est* 1404. *in die Circumcisionis Domini coram Benedicto* XIII.

APPARUIT *gratia Dei & Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, sobriè, & justè, ac piè vivamus in hoc seculo,* & reliqua, quæ nunc audivit ex Epistola Pauli ad *Titum* XI. II. 12. Vestra devotio. Quoniam apparuit gratia Dei & Salvatoris nostri *Adeamus cum fiducia Thronum gratiæ ejus, ut misericordiam ejus consequamur, & gratiam in auxilio oportuno.* Hebr. IV. 16. nam quia finis noster super nos, & nos debilitati confractique jacemus in imo, & limo configimur; confundatur Pelagiana hæresis, quæ gratiam Dei pro sublevatione necessariam abnegare præsumit. Rursus quia de gratia Dei sermo habendus est, & de nomine Jesu, quem nemo potest dicere nisi in Spiritu sancto, ut ipse Jesus secundùm nomen suum fit nobis Jesus, ut prætereà condemnatos in Curia justitiæ, gratiæ nos Curia suscipiat, dum interim sedet in Throno suæ gratiæ, priusquam Dominus in ira & furore justitias judicet, priusquam legitimum tempus comparendi prætereat; apellemus ad Curiam & Thronum gratiæ, illic nos præsentemus in confessionibus, ubi soror nostra, Mater est ejusdem gratiæ, & Advocata nostra, quæ planè despicere nos non poterit: caro enim & sanguis noster est, & Curiæ suæ jura defendet, jura scilicet gratiæ. Sed quis est Thronus gratiæ? Ille procul dubio puer hodie circumcisus, cujus vocatum est nomen ejus Jesus, ut per Jesum gratia fieret, sicut Lex per Moysen data est, ut salvaretur mundus per ipsum, quem vidimus plenum gratia, immò gratiarum. *Deus meus,* mi-

Digitized by Google

misericordia mea (inquit Propheta.) Ps. LVIII. 18. Et quid misericordia nisi gratia. Sed dicet fortasse timidior aliquis: ego apertos habens oculos cordis in lumine Fidei, & lucernâ Evangelicæ veritatis hodiernæ intueor in hoc puero severitatem divinæ justitiæ; severam valdè, quæ etiam proprio Filio Dei non pepercit; quin eum nuditati, & frigori, & duro vulneri, dum tenellus circumciditur, exponeret: & tu mihi apud ipsum puerum invenire Thronum gratiæ repromittis: *si in viridi hoc fecit* Deus, si innocentissimo Filio non pepercit, *in sicco quid fiet*? Luc. XXIII. 31. peccatoribus servis qualiter ignoscet? Quin etiam Mater ejus, Mater benedicta, quibus oculis peccatores inspiciet, qui tota hodierni doloris sui causa sunt, qui totam suæ grandis anxietatis materiam præbuerunt, dùm propter eos unigenitum dilectissimum ex acri vulnere cruentum, ex nuditate & frigore vagientem cognoscit & dolentem? At vero quisquis hoc dixerit, sciat nil tale timendum; satisfactum est justitiæ, satiata est, non puniet bis in idipsum, eum qui gratiam hujus pueri flagellati meruit, qui factus est à Deo nobis justitia, atque redemptio, in quo, etsi justitia appareat in ejus attritione propter peccata nostra, supereminenter tamen apparet gratia Dei; qui ut servum redimeret, tradidit filium quasi peccatorem puniendum. Sed & tu Virgo dignissima, non abhorre peccatores; sine quibus, nunquam fores tali digna Filio, qui licet ex te genitus est, attamen nobis natus, nobis datus. Adimus ergo cum fiducia te, & Filium tuum, in quibus talis apparuit gratia Dei, ut tu Mater Dei fieres, inveniendo gratiam apud Deum, & ipse homo Filius Dei diceretur: ita ut non dubitaverit Augustinus asserere nullam in rebus per tempus ortis, majorem istâ esse gratiam, dum Verbum caro factum est. De quo Verbo locuturis, det ipse nobis gratuita benignitate verbum efficax, & fructuosum meritis, & precibus tuis Virgo gloriosa, quæ ab Angelo vocata es gratia plena antonomasticè, & divina salutatione, quam repetimus dicentes: *Ave &c.*

Apparuit gratia Dei & Salvatoris nostri, & reliqua. Exhilaresce tu qui perieras miserande homo, erige aures, audi & gratias age; quoniam apparuit gratia Dei, datum certè optimum, & donum perfectum, quoniam gratia Dei vita æterna, & si Dominus dat gratiam, dabit & gloriam. Non igitur in vanum hanc Dei gratiam accipias, non per ingratitudinem in hujus anni principio encæniumtam insigne parvipendas; & attendas vigilanter quia non dixit Apostolus: Apparuit sapientia Dei, apparuit justitia Dei, apparuit potentia; illas quippe magis extimescebat homo reus, proditor, & damnatus, quàm desiderabat; quoniam sapientia accusabat, & non habebat locum negatio, nec valebat excusatio; *Adam ubi es* &c. Gen. III. 9. *Si voluerit mecum contendere* (dicebat Job afflictus) *non potero respondere unum pro mille.* Job IX. 3. Justitia accusatum condemnabat, & non inveniebatur appellatio, *quia audisti vocem uxoris tuæ* &c. Gen. III. 17. Propterea idem Job verebatur omnia opera sua, sciens quod non parceret delinquenti. *Job.* IX. 28. Hinc quoque est Prophetica supplicatio: *Non intres in judicium cum servo tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu. &c.* Ps. CXLII. 2. Potentia denique accusatum & condemnatum puniebat, & non erat evasio. *A facie manus tuæ* id est potentiæ *ego defeci*, plorabat Psalmista Ps. XXXVIII. 12. Et rursus: *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Psal. LXXXIX. 11. Et, *nemo est qui de manu tua possit eruere.* Job x. 7. Non ergo quærebamus sapientiam accusantem, non justitiam condemnantem, non potentiam executioni sententiam demandantem atque sævientem. Ubi sævientem? Sævientem nunc in cœlo contra apostatas Angelos, nunc in Paradiso contra parentes primos, nunc in turri Babel per confusionem linguarum, nunc in terra per diluvium aquarum multarum, nunc in Pentapoli peccatrice, per subversionem perversorum; tandem in inferis per inclusionem omnium; sed solam gratiam miserantem & absolventem petebamus, qua salvi essemus, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos. Et hæc hodie nobis apparuit, dum celavit Deus potentiam in infirmitate, sapientiam in infantia, justitiam in pietate & Circumcisionis satisfactione: tanquam imposuerit Deus silentium eis, & dederit audientiam totam misericordiæ; ita superatis omnibus, datur triumphus gratiæ. Et hæc apparuit hodie nobis valdè necessaria; nam quid ageret, quo se verteret homo condemnatus in Curia justitiæ; si nemini datus esset locus appellationis ad Curiam gratiæ, si non superaret misericordia judicium? dicamus iterùm quod priùs *sempiterna Dei virtus atque divinitas* (teste Apostolo) *ex eis quæ facta sunt intellecta conspiciebantur*, Rom. I. 20. sicut antea dixerat Sapiens, quod *ex magnitudine speciei & creaturæ potest visibiliter earum Creator agnosci.* Sap. XIII. 5. Sed & sapientiam ejus ex operibus agnovit, qui exclamans dixit. *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti?* Ps. CIII. 24. Poterat quoque Dei benevolentia utcumque agnosci, in rerum dignantissima conservatione & directione in suos fines, sicut potentia ex creatione, & sapientia ex gubernatione videbatur. Quapropter fortè gratiam appellat Sapiens nutricem omnium. *Sap.* XVI. 25. Sed ex reparatione lapsi, ex recreatione deperditi, ex justificatione impii maximè apparuit gratia Dei. Nam quæ gratia major, quæ liberalior vel dici vel existimari potuerat, quàm ut tantùm daret Deus homini ut pauper fieret: quis hoc crederet, si non conscius secretorum Dei Paulus assereret: quia pro nobis egenus factus est, ut illius inopia divites essemus. II. *Cor.* VIII. 9. Gratia insuper qualis mirabilior, quam ut taliter compateretur homini misero Deus, quòd miser fieret, opprobrium & abjectio plebis. Ista nonne sunt *viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto*; Luc. I. 78. in quibus apparuit gratia Dei & Salvatoris nostri hodie circumcisi: ampliùs verò Divina natura (ut humano more loquamur) quamvis in suo creaturarum speculo pulcherrimo, in Libro capacissimo, in carmine sonoro & harmonico monstraret potentiam Dei efficientem, & sapientem exemplantem, & bonitatem cuncta finientem; primum ex unitate, secundum ex veritate, tertium ex bonitate creaturarum: rursus primum ex earum modo, secundum ex specie, tertium ex ordine. Similiter ex creaturarum mensura potentiam, ex earum numero sapientiam, ex pondere trahente in suos fines bonitatem, ut quodam circulo intelligibili ex ipso creante, & per ipsum exemplantem, & in ipso finiente sint omnia: nihilominùs mundus hanc sapientiam Dei, potentiam & bonitatem cognoscere habens; non glorificavit Deum, neque gratias egit, sed viluerant sibi omnia, & obscuratum factum est insipiens cor eorum & defecerunt scrutantes scrutinio. Quamobrem ordinavit Deus facere opus novæ gratiæ supra naturam, ut esset gratia Domina Reginaque naturæ. Nam gratia ejus, quæ & misericordia super omnia opera ejus. Quæ gratia licet superborum oculos sua luminositate cæcaverit, illustravit mentes humilium, sicut exultans Jesus in spiritu: *confiteor*, inquit, *tibi Pater cœli & terræ, quoniam abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.* Ita Pater quoniam sic placitum est apud te. *Luc.* x. 21. Placitum non meritum, ut non glorietur ante eum stulta præsumptio omnis carnis, quæ in Dei sapientia Deum non cognovit: ideo placuit per stultitiam prædicationis novæ gratiæ, salvos facere credentes. Hoc autem opus gratiæ apparuit manifestè in eo quod Verbum caro factum est, ubi totum operatur gratia, totum sibi dat. Nil, aut paucum habet natura, neque ex radice superiorum astrorum & constellationum, sicut impietas quorumdam finxit: neque ex actione inferiori elementorum, saltem quoad modum qui subditus fuit. Ubi prætereà patitur misericors & miserator Domi-

Digitized by Google

minus, ut salvetur & regnet prævaricator homo reus. *Apparuit ergo benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*, ut alibi gaudet Apostolus. Apparuit, inquam, mystice hæc humanitas, ut signum magnum in cœlo cœlorum Deo. Nam sibi hypostatica unione conjuncta est, & hæc quasi *mulier amicta sole* justitiæ, quia plena gratiæ luminosæ, & *luna* totius mutabilitatis naturæ, *sub pedibus ejus*, ratione autoritatis imperiosæ, *& corona stellarum duodecim*, quæ sunt duodecim prærogativæ singulares *in capite ejus*, ex dominationis sublimitate. *Apoc.* XII. I. Nam & benigna humanitas Dei Salvatoris nostri, universum mundum spiritualium æternarumque creaturarum purgat, illuminat & perficit, superior eis in ordine hierarchico, stabilita ut sol quidam æternitatis. Imperium quoque possidet super universum materiale atque corporeum, ut ex miraculorum operatione monstratum est. Duodecim postremò prærogativis, quasi totidem syderibus coronata refulget, quatuor in comparatione ad divinitatem, totidem in comparatione animæ ad carnem, & rursus totidem in comparatione ad totam rerum universitatem.

Considera humanitatem hujus pueri hodie circumcisi in ordine ad divinitatem; & invenies, quod in ea tanquam in opere præclarissimo super aliud omne creatum relucent quatuor attributa, quæ sunt Dei potentia, Dei sapientia, Dei justitia, & supereminenter Dei gratia; quæ circulo quodam spirituali infimum summo jungit, pacem operans in terris & in cœlo. Considera animam in ordine ad carnem, & invenies carnem ab ea quadruplici dote decorari, agilitate, subtilitate, impassibilitate, & claritate: & quod in via non ita fiebat, hoc erat speciale dispensationis divinæ miraculum. Deinde si consideraveris humanitatem hujus pueri in ordine ad creaturam universam, videbis eam tanquam instrumentum divinitatis, habere omnem potestatem in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyssis: Beatos illuminat & perficit in cœlo, viatores justificat in terra, alios non plenè justificatos dimittit hic, vel alibi in mare purgationis; alios obstinatos damnat, & deturbat in abyssum damnationis.

At verò quia multus est hic sermo & ad interpretandum difficilis, & oratio nostra ad alia properans expediri desiderat, coarctemus eam infra limites præsentis celebritatis, & duobus quasi gradibus itinere breviato decurrat. Et dicamus quod apparuit gratia Domini Dei, primò in humili subjectione sua, ad Legem Circumcisionis. *Postquam impleti sunt dies octo ut circumcideretur puer*, inquit Evangelista. Apparuit secundo in populi redemptione, secundùm nomen salvationis, *vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*. Luc. II. 21. Causam reddit Angelus apud Matthæum, *quoniam salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Matth. I. 21. Hoc modo Evangelium cum Epistola sociantes, utrumque per alterutrum deducamus, sub duobus tantùm gratiæ Dei signis, quæ sunt humanitas seu humilitas primum signum, & secundum benignitas seu charitas; unum in Circumcisione, in nominatione alterum: ut verum sit quòd apparuit humanitas in primo mysterio, benignitas in secundo, & gratia in utroque Dei Salvatoris nostri. Itaque quis fidelium non perspicuum habeat & compertum gratiam Dei hodie apparuisse, dum attendit quod ipse Legis conditor duro se Legis vinculo quasi servus astringit, & fit sub Lege velut infans, velut impotens & peccatis obnoxius.

Ad quid ista: Nimirùm ut ingratitudo nequam præsumptionis humanæ confunderetur & erudiretur, quæ in tantam prorupit audaciam, magis verò amentiam, ut divinitatis majestatem appeteret, volens esse sicut Deus, sciens bonum & malum: propterea Deus medicamentum contrarium humilitatis opposuit descendens à summo suæ majestatis ad ima vilissima nostræ humanitatis. Sic adversus avaritiam primis hominis, ipse summam liberalitatem. Sic adversus gulam ejus, ipse summam frugalitatem. Sic adversus ingratitudidem nimiam, ipse gratiam ostendit infinitam, *erudiens nos* facto certissimo, *ut abnegantes impietatem* malam hospitem & sodalem perfidam, *& sæcularia desideria* quæ mergunt in interitum, *sobriè, justè & pie vivamus in hoc sæculo*. Tit. II. 12. Sobriè quoad nos. Justè quoad proximos. Piè quoad Deum & Sanctos. Humiliemus igitur animas nostras Legi Dei imitantes hunc puerum, & circumcidamus per disciplinæ cultrum vitiorum superfluitatem à nobis & sensibus nostris. Circumcidatur cor à præsumptionis præputio, ne plus sapiat quam oportet, nec prudentiæ propriæ innitatur. Circumcidatur ipsum ab omni carnalitatis excessu, ut sine sordibus & colluvie voluptatis sit purum & mundum. Circumcidantur oculi, ne videant vanitatem; os & lingua, ne loquantur mendacium; aures, ne audiant detractionem; tactus & gustus ab omni lubricitate; totum corpus à rebellione contra animam contumaci: ut sobriè vivamus in nobismetipsis; vivamus & justè apud proximos, reddentes unicuique quod suum est, *cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem*, Rom. XIII. 7. vivamus tandem piè; Deo adhærentes per Fidem & Spem & per Charitatem; circumcidentes omnem errorem & superstitionem per Fidem, omnem desperationem & præsumptionem per Spem, omne odium, & cupiditatem per Charitatem. Sit in nobis Fides vera & viva, secundùm vim rationabilem ex recognitione immensæ sæpientiæ; sit Spes certa, secundùm vim irascibilem ex professione summæ ejus potentiæ; sit Charitas fervida ex consideratione summæ benevolentiæ & gratiæ, quæ apparuit hodie in circumcisionis humiliatione. Hoc modo sobriè intra nos, justè juxta nos, & piè supra nos vivamus in hoc seculo. Sed væ tibi pessima, væ tibi nequam ingratitudo cordis humani, cordis incircumcisi & certè inhumani; dùm ad tantam gratiam notissimam Dei tui non corrigeris, non emolliris, non flexeris. Humilis est ipse qui est Deus benedictus in secula, & tu cervicem erigis, tu superbis terra & cinis. Tu sordida pellis inflaris & tenderis. Tu, inquam, inflaris & tenderis sordida pellis, saccus stercorum & cibus vermium. Humilis est ipse Legislator tuus observans Legem tuam: & tu quotidiè Legis suæ jugum suave & leve contumaciter excutis & confringis. Humilis postremò invenitur, priùs erga te, misericors & benignus; & tu plenus impietate errores fingis, & sequeris superstitiones, de eo quoque vel superbè præsumis vel desperas superbius: ad ipsum denique nullo pietatis, nullo dilectionis affectu moveris. Pudebat fortassis insequi humilem hominem, usque quò pudebit humilem Christum imitari? Vide stupendum & horresce, flagellabitur in Circumcisione leo de tribu Juda, ut himilietur canis mortuus, filius hominis putredo & verbis. Circumciditur in carne puer Jesus, ut absque præputio nos in corde & sensibus maneamus, ut pretereà cum Abraham nos filium unigenitum cum tota familia & vernaculis, hoc est spiritum nostrum cum affectionibus & cognitionibus universis circumcidere disciplinæ cultro nequaquam omittamus; sed tollamus opprobrium Ægypti, si neque perire de populo, neque fœdus Dei irritum efficere voluerimus. Omnes quidem hoc agere convenit, Clerum præcipuè, sicut ipse præ ceteris in Domini sortem electus est. Exultet igitur cum tremore humili & gratias agat, & appareat in eo gratia Dei & Salvatoris nostri. Sed heu Clerus hodie, quem pro majori gratia gratiæ vicissitudinem rependere dignum fuerat, plus aliis repletur ingratitudine, & præputium sibi fecit impietatibus & secularibus desideriis, neque sobriè neque justè neque piè vivens in hoc seculo.

Ita pergebam in meditatione mea, satyram in Clerum declamare; neque enim in tam uberi indigna-

tionis materia deesse verba potuerant: dum ecce studiositas speculatrix, importunitate quadam sua grandem quæstionum speculativarum silvam apponere videbatur, ut plus sibi quam ædificationi deservirem. Dic, inquit, si Christus circumcisus est, an circumcisus resurrexit in gloria dispar gentibus factus? Ita me piè tenere respondi, ad honorem eorum, ex quibus Christus fuit secundùm carnem, qui est Deus benedictus, & ad perversorum confusionem. Dic particulam illam carnis virgineæ, ut multi ferunt, dimisit in terris; & talis de effuso tunc sanguine quæstio est? Respondi quasdam partes esse de integritate humanæ naturæ & necessitate, sine quibus non subsisteret; quasdam de congruitate, sine quibus neque perfectè neque decenter existeret; quasdam de superfluitate. Primæ duæ resumptæ sunt, sicut in aliis resurgentibus fiet, non oportet hoc de reliquis. Si quis igitur contenderit particulam illam cum sanguine fuisse de integritate humanitatis primo vel secundo modo: illa resumpta sunt, & vel in terra non manent, vel multiplicata sunt. Eratne igitur pars illa carnis vel sanguinis per communicationem idiomatum Deus, & si Deus, utrum homo? Hujus responsionem tanquam egentem & longissima & subtilissima perscrutatione prætereo; & consequenter illam, si sit adoranda adoratione latriæ. Perge ad alia, quia melius est hìc nihil, quam pauca dicere. Dic ad quid proderat circumcisio? Respondeo, proderat originale peccatum delendo & dando gratiam; sed non aperiebat januam Paradisi. Dic quale dabatur pro feminis remedium? Responsio, Fides propria si adultæ erant, vel parentum pro parvulis. An alienigenas obligabat? Responsio. Non. Cur ante diem octavam non impendebatur? Responsio, propter teneritudinem, & ad resurrectionis mysterium. Quid de filiis Israël in deserto non circumcisis? Piè teneo fuisse cum eis à Deo revelante Moysi dispensatum. Dic si per cognationem spiritualem circumcidens cum Circumcisio jungebatur. Puto cognationem hanc magis humana constitutione quam naturali vel divino Jure inventam: quòd si quis aliter sentiat, propter gratiam quæ confertur, dicat consequenter sicut de Baptismo. Dic an circumcisus simulque baptizatus insigniebatur duplici charactere, & si in eo gratia duplex augebatur? Ita, si capax erat utriusque, & dum Circumcisio currebat viriliter. Dic cur Circumcisio quæ data erat in fœdus æternum cessavit, quid dico cessavit, immò facta est mortifera, adeò ut Paulus denunciet. *Si circumcidamini, Christus mihil vobis prodest?* Galat. v. 2. Dico quòd propriè non cessavit, sed transit in Baptismnm cujus erat figura, quid igitur mirandum si re exhibita, figura cesserit? Sed auget quæstionis admirationem, cur propter conservationem circumcisionis & aliorum legalium Paulus restitit Petro in facie, cum tamen ipse quosdam circumciderit: igitur quo pacto reprehendit ipse quod agebat, & præsertim superiorem in autoritate Apostolatu seniorem & in gratia confirmatum die Pentecostes, qualiter inculpat Paulus eum, & narrat non rectè ambulasse ad veritatem Evangelii? Responsio, distinguenda sunt tempora, & concordabuntur Scripturæ. Tempus Circumcisionis tripliciter cucurrit. Currebat primò utiliter usque ad Baptismum. Secundò permissivè apud Judæos usque ad publicationem Evangelii pleniorem, ut Mater synagoga honestas haberet exequias; sed tunc apud Gentes, & post apud omnes pestifera fuit ejus observatio; propterea Petrus & Paulus licitè quosdam circumciderunt ex Judæis tempore illo medio: sed quia ex facto Petri circa Judæos gentiles scandalizabantur, quasi sic deberent circumcidi; Paulus Doctor gentium avertit Petrum de re hujusmodi, qui tota sibi humilitate paruit, & ita neuter peccavit, saltem mortaliter. Sed dic, si Petrus non errabat in Fide, qualiter sibi dixt Paulus, cur ita facis? Dicit certè ex autoritate Legis divinæ jubentis fraternam correctionem, cui Legi nemo non subjectus est. Quid si Petrus versa vice Paulo restitisset in faciem nolens acquiescere, an Paulus se ab eo substrahere, an non obedire, an ad Ecclesiæ Concilium appellare potuerat? Si Concilium in hoc superius erat vel Petro vel è contra; si Paulus restitit Petro ut ejus Cardinalis existens, vel ut æqualem se deputans & nihil à Petro autoritatis, sicut nec Evangelium suum recipiens? Quid si de facto in Paulum Excommunicationis sententias promulgasset, an eas Paulus timuisset? Quid si Petrus perstitisset in hoc errore, nunquid eo facto Papatum perdiderat? Quòd si non, numquid tamen deponendus erat, & per quos & quomodò. An Concilium sine eo potuisset in hoc casu celebrari? Quid si Petrus vi armata errorem suum defendere voluisset. Numquid ipso etiam manente Papa vim vi licuisset repellere, aut verbis aut carceribus, aut ipsa denique morte? Hieronymus prætereà & Augustinus Doctores eximii cum discordent in hac materia, numquid alter eorum dicendus est hæreticus? Ille Paulum dispensatione mentitum, hic Petrum justè reprehensum fuisse defendit. Porrò cur in Concilio de cessatione Circumcisionis Petrus Summus Pontifex non tulit sententiam, sed Jacobus.

Innuebam studiositati ut taceret, & non poneret in cœlum os suum. Tunc exclamans dixit. Numquid non expedit de talibus inquirere, ut sciat quilibet magnus cum pusillo qualitatem suæ potentiæ, suæ subjectionis, sui cordis, quæ sibi competit jure divino, naturali vel humano; alioquin error facilè surriperet, & confusionis horrore cuncta fœdarentur.

Quid est igitur quòd innuis mihi quasi non liceat de potentia Petri disputare? Nonne de omnipotentia Dei quotidiè perquirimus? sed tamen vis ut ista nunc prætercam, revertamur ad puerum Jesum. Dic si puerum istum Circumcisionis dolor attingit, cum utique gaudio magno frueretur, sic & fortè tantus quantus in passione nunc prævisa? Dic si cor ejus motibus oppositis dilatatione & constrictione simul movebatur? Responsio; non oportet, quia gaudium superioris portionis non redundabat in corpus. Dic si verè compatiebatur ei Mater sua conscia tanti gaudii, tantique mysterii non ignara? Responsio; compatiebatur, & jam pertransibat gladius animam ejus, ut non eximeretur ab illa regula, quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei. Et hoc horrendum pro peccatoribus, quia aut hìc erunt in labore hominum per pœnitentiam, aut in societate dæmonum per damnationem. Ceterùm dic, cur hoc potissimùm die Christus circumcidi voluerit, cum superstitiones impiæ in his Januarii Kalendis plùs vigebant? Responsio: ut eas deserendas ostenderet. Cur nondum cessaverunt neque in Clero neque in populo, tam super encæniis, observationibus vanis & variis, quàm super ritibus improbis per Ecclesias, quos appellant ludos fatuorum, sicut verè fatuitates sunt, immò insaniæ sacrilegæ & blasphemæ, quas inter Ecclesiasticos impunè fieri stupor est? Nunquid apponi deberet provisio? Ita deberet sed pluries audisti quia quæstio per debet, solvitur per non facit. Provideat gratia Dei, Salvatoris nostri, & Summi Pontificis diligentia.

Quæstiones hujusmodi multiplicare magis & magis satagebat importunè nimis studiositas speculatrix in meditatione mea. Cui ego. Noli precor mihi molesta esse. Locum & tempus aliud expecta. Non est iste dispositionis speculativæ actus sed ædificationis practicæ. Tu interim secedas aliorsùm: ut de gratia Dei & signis ejus certo pergat itinere sermo noster, præsertim ad signum secundum, quod esse posuimus benignitatem salvatricem, sicut notatur in nominis impositione; si tamen priùs ex eis quæ circa primum signum diximus, quod est humanitas seu humilitas, considerationem moralem quadruplicem nota-

notavero, secundùm quatuor effectus gratiæ Dei, qui sunt, abnegare impietatem & secularia desideria; sed & sobriè & justè & piè vivere in hoc seculo: quamquam malesuada pestis adulatio perstrepat, & susurrans loqui prohibeat, asserens quòd vetere proverbio, *veritas odium parit*; & quòd *non opus est teneras mordaci rodere verbo auriculas*. Sed plus roboris affert Apostolus in fine Epistolæ, stimulans quemlibet prædicatorem in persona Titi; *Hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat*. Tit II. 15.

Consideratio Prima.

Ad apparentem gratiam Dei in Circumcisione humilis pueri Jesu, Princeps & Prælatus quilibet, etsi dicatur solutus Legibus, pati debet Legem quam ipse tulerit, tùm pro subditorum exemplo, tùm pro reverentia præstanda Deo, ut appareat gratia Dei in eo, & non impietas aut secularia desideria videantur dominari. Poteram hìc uti Gentilium exemplis proprias in se Leges quamvis durissimas servantium, quorum Valerius meminit: sed abundè satis est ad exemplum summus Legislator Christus & Pontifex Supremus, qui ob hoc Legem propriam non solvere, sed in semet implere voluit, ut ejus actio esset in hoc Principum Prælatorumque instructio. Ubi nihilominùs notandum occurrit, contra eos qui tanta obstinatione Legibus mortuis humanis adhærent, Legem vivam fundatam in Lege æterna & in æquitate, seu epikeiam penitùs vel ignorantes vel spernentes, quod Lex proficitur & impletur, dum vel in finem meliorem, vel salubrioribus mediis ordinatur, qui finis est Charitas secundùm Apostolum; alioquin Christus Legem antiquam non tam implesset quàm solvisset. Et hoc documentum non mediocriter spectat ad schisma præsens, cujus sedationem invenire non sufficerent Leges humanæ jam conditæ, nisi superior Lex divina viva & Architectonica consulatur: quod, quia fortè non satis actum est usque in præsens, obtigit quod ait Dominus in Isaia. *Timuerunt me mandato hominum & doctrinis: ideo ecce ego addam ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur*. Isai. XXIX. 13. 14. Ex quo loco sumpsit Jesus illud improperium contra Pharisæos, quod irritum faciebant Mandatum Dei propter suas traditiones. *Matth*. 15. 10. Audirent utinam ista auribus suis hi qui Legem Evangelicam, Legem divinam cum professoribus suis deserentes, humanis inventionibus incumbunt toti; adeò ut ad superiorem Legem illam oculos attollere vel non valeant ex ruditate, vel nolint ex iniquitate, vel negligant ex inerti segnitie: cum tamen ubi Leges humanæ non sufficiunt (prout in schismate præsenti compertum videtur) ut ad Legis Divinæ radicem & interpretationem consultatio referatur, & secundùm eam conscientia formetur necesse est.

Quid autem mali, quid periculi, quid confusionis attulerit contemptus sacræ Scripturæ, utique sufficientis pro regimine Ecclesiæ (alioquin Christus fuisset Legislator imperfectus) interrogetur experientia? Consideretur Clerus, cui desponsari debuerat sapientia quæ desursùm est pacifica & pudica, an ipse fornicatus est cum adultera illa meretricula sapientia terrena, animali & diabolica? Status insuper Ecclesiæ nonne factus est totus quasi brutalis & monstruosus? ubi cœlum deorsùm, hoc est scilicet id quod spirituale est, & terra sursùm, spiritus serviens & caro dominans, principale accessorium & accessorium principale, usque ad hoc, ut quidam deliberare non dubitent, quod per inventiones humanas etiam meliùs quam per Legem divinam Evangelicam regeretur, quasi minus sit anima quam corpus, & spiritualis quam carnalis fructus. Hæc assertio per meam Fidem blasphemia est, nedum falsa: Evangelica quippe doctrina per suos professores dilatavit Ecclesiam usque in cœlum, quam quidem filii Agar exquirentes sapientiam quæ de terra est, detruserunt usque in scænum. Et quod non ex toto corruerit est ex gratia Dei & Salvatoris nostri. Hæc ego loquor eò liberiùs quò mihi conscius sum, non ex quæstu, non ambitu, non ad laudem propriam meæ professionis; sed pro assertione veritatis & utilitate publica hæc dicere. Quia ad veritatem Curia ista Theologiam hactenùs minùs debito promovit, ne dicam sprevit, quæ tamen omnem sibi quâ pollet gloriam acquisivit. Per quid? Per prædicationem humilem, generationem devotionis in cordibus fidelium, maximè Principum: nam si desit religiosa devotio; honoratio Ecclesiarum qualis erit? Provideat gratia Summi Pontificis ut nunc cœpit, cum gratia Dei.

Consideratio Secunda.

Apparens gratia in humilitate pueri Jesu Circumcisi, docet Prælatum quemlibet ut juxta Consilium Sapientis *Eccli*. III. 20. positum à Tullio, quantò major est, humiliet se in omnibus & ab omni se superbiæ intemperantiæque signo circumcidat: *tantò enim esse humilior & ad serviendum promptior quisque debet ex munere*, ait Gregorius, *quantò se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione*; nam ab eo cui plus committitur, plus exigitur. Ita ut saluberrimum sit Christi documentum metaphysicali ratione fundatum. *Qui voluerit esse major inter vos, erit omnium minor & minister*, Matth. XX. 26. quia secundùm magnitudinem dominationis, est subjectionis grandior obligatio: quamobrem Summus Pontifex non ficta verborum humilitate; sed veritatis attentione profunda nominatur Servus Servorum. Et certè ita Servus, ut secundùm præparationem cordis, etsi non semper secundùm exhibitionem operis, ipse vitam suam, quantò magis statum suum exponere, pro cujuslibet subditi sui salute, nedum pro toto grege teneatur. Hoc ita sentire Catholicum est stabilitum in hoc veritatis verbo. *Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis* Joan. XI. 11. & ita *corde creditur ad justitiam, ore autem* vel scripto *confessio fit ad salutem*. Rom. X. 10. Alioquin non injustus fuit Lucifer qui ita præesse voluit (secundùm Doctores) ut subjectionis vicissitudinem subditis non referret; cum ex opposito ipse plùs aliorum commodis obsequi velle debuerat. Ex hac iterum consideratione, culpanda redditur pompa superba, pompa malè sobria Prælatorum quorumdam in fastu mundano, quærentium nihilominùs excusationes in peccatis, & dicentium quod hæc pompa honorat Ecclesiam. Honorat verò immò verè onerat & destruit factis & exemplis: neque enim in ornatu splendido, neque in lauto convivio, neque etiam discolorum & commatulorum clientum numero: sed in Spiritu mundo & consideratione sancta honor Ecclesiasticus illustratur. Quòd si quis Prælatorum in pompis istis puerili & vana exultatione delectetur; si ad honores caducos gloriabundus exhilarescat; si de se faciat idolum & statuam Nabuchodonosor gaudens laudari, gaudens coli, & non potiùs exhorreat instar Christi, qui summos inter honores flevit; si non memor sit jubentis: *In vestitu ne glorieris unquam, & in die honoris tui ne extollaris*. Eccli. XI. 4. Videat obsecro, videat talis, ne tandem seipsum tanta propriæ & alienæ adulationis ludificatione decipiat, quod juxta verbum Comici. *Ex stulto*, hoc est ex vanè glorioso, *insanus fiat*. Qualiter insanus? Certè læsus in judicio rationis sicut læditur philocapus. Omnis quippe passio profundata & radicata circa aliquod concupiscibile, sit illud honor, sit opulentia, sit ambitio, sit voluptas, reddit hominem dæmoniaco similem

Digitized by Google

lem secundùm dictum Origenis in experientia fundatum. Mentior si non tempore meo talis apparuit, & verborum copiâ & Jurium scientiâ & abstinentiâ famatus, corpore vegeto & forti; quem usque ad hoc insanum reddidit ambitio cæca, contemptrix alieni omnis consilii, laudibusque suis credula, ut putaverit post illusiones plurimas esse verus Papa concorditer electus: & cùm ita desiperet, nihilominùs affirmabat se per multos annos nihil tentationis à vana gloria sensisse; cum præstereà moneretur ut sapientiorum crederet consilio: non, inquit, quia factum meum tale tantumque est ut alius à me nemo illud intelligat. Sed quid mirandum est in homine fragili dementiam hanc surrepsisse, cum sapientissimus olim Angelorum Lucifer, quia seipsum non in luce veritatis, sed umbra propriæ vanitatis intuebatur, esse voluerit non solùm similis Altissimo, sed *extollitur super omne quod dicitur Deus*, II. Thess. II. 4. ex insana & fantastica præconceptæ dominationis libidine. Vult quoque ritibus & sacrificiis coli per similitudinem ad Deum, sicut sacrilegæ artes magicæ palam tradunt. Propterea saluberrimum est ut Prælatus libenter audiat & frequenter quæ humilia sunt & culpabilia de seipso, quia nemo est qui non peccet, dicatque cum Propheta: *Increpabit me justus, &c.* Ps. CXL. 5. nimis enim habet multos qui vel adulatione vel dignitatis honoratione sibi loquuntur magnifica, apponentes fomentum morbo superbiæ, quem vix ullum medicamen vel theriaca propriæ reprehensionis & fragilitatis sufficit expellere, & dare locum gratiæ Dei Salvatoris nostri.

Consideratio Tertia.

Apparens gratia Dei Salvatoris nostri in subjectione ad Legem propriam Circumcisionis documento est Prælatis, ut justè viventes non imponant onera gravia Statutorum, & Legum humeris subditorum: digito autem suo nolint illa movere, quemadmodùm improperat Christus Pharisæis. Hæc consideratio redit ad primam innitentem illi sententiæ exemplo Christi firmatæ. *Patere Legem quam ipse tuleris.* Et esset profectò grandis in hoc loco quærelarum materia contra tot & tam leves Excommunicationum & Irregularitatum fulminationes, contra tot onera Statutorum Provincialium & Synodalium, ad lucrum quale, vel animæ vel bursæ novit Deus. Contra tot reservatores casuum in Foro Confessionis, præsertim occultorum quæ Confessionem supra quàm dici potest impediunt. Loquor expertus & doctus ab expertis. Sed de his aliàs. Christus Legislator nonne Legem Evangelicam dilatare potuerat? Potuerat equidem: sed humanæ fragilitati gratiosè condescendens necessaria nos docuit ad salutem, ea pro nihilo quasi deputans, quæ mortalem hanc vitam jamjam in momento perituram vel regere vel sustentare viderentur; sciens quod nisi Lex viva Evangelica & æterna dominetur, Leges scriptæ non solùm supervacuæ, sed crebrò perniciosæ reddantur. Vult ergo Prælatus Ecclesiam subditam feliciter dirigi? Vult arbitror: bonos ille viros, timentes Deum, æquitate & meritis conspicuos regimini præficiat, non oneribus Legum & Statutorum subditos præmat: nam super hunc cardinem volvi debet ecce reformatio; quoniam si columnæ putres, si invalidæ sunt sustentare debentes Ecclesiam, partes reliquæ quali virtute subsistent, innitentes parieti inclinato & maceriæ depulsæ? Multiplicentur quantumlibet humanæ traditiones; si cupiditas carnalis & fastus, non humilitas regnet in Prælatis, audiamus quid sequitur incommodi.

Etenim potestas conferendi Beneficia & similia aut relinquetur talibus: & quis dubitaverit, quis non viderit, quantùm subvertent, pervertent & evertent omnia promotionibus indignorum? Si ablatio fiat ab eis, retinente sibi omnium collationem Summo Pontifice, nunquid non supra vires erit hoc negotium? nunquid non cum Moyse stulto labore consumetur? Nonne monstruosum erit videre caput usurpans membrorum omnia inferiorum officia & quasi sit gladius Delphicus ad omnia se aptans? Sed & Curia sua, Curia Romana, quæ ad similitudinem Hierarchiæ Angelicæ ordinanda erat & replenda viris charitate A fervidis & contemplatione suspensis, ut Seraphin; viris sapientia divina splendidis ut Cherubin, viris æquitate firmissimis ut Throni, nonne mutabitur in Curiam peccantium? Et qui nutriri debebant in croceis amplexabuntur stercora. *Thren.* IV. 5. Ita enim arbitratus est omnia temporalia æquus arbiter Apostolus. Fient quoque multi procuratores & conrotarii Beneficiorum: (nolo de simonia quidquam dicere.) Fient insuper non tàm promotores quàm involutores causarum frivolarum atque profanarum, dimissa omni spiritualitatis cura. Quid dico dimissa? Utinam hoc esset, licet sit nequissimum: irridebitur, abominabitur, persequetur, & ad imitationem curiæ diabolicæ, major ille frequenter erit qui astutior, qui perfidior, qui importunior, deterior, cupidior, miserior. Avertat hoc nefas gratia Dei & Salvatoris nostri.

Consideratio Quarta.

B Apparens gratia Dei & Salvatoris nostri Jesu exigit ut Prælatus non potentiam subditis; sed gratiam ostendat, ut ipse præterea dolores & gemitus offerat Deo pro eis se circumcidens, piéque vivens, ne dum aliis prædicaverit (officio enim Prælationis adjuncta est obligatio Prædicationis) ipse reprobus inveniatur. Quidni Prælatus gratiosum se non rigorosum præbeat, cum ipse circumdatus sit infirmitate, egens gratia Dei, nesciens introitum & exitum suum, ignorans an turbationes in subditis ex culpis propriis tanquam occultis vel ab alienis, vel simul ab utrisque suscitentur; ita ut necesse habeat obsecrare cum Propheta. *Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo.* Psal. XVIII. 13. Nam sicut pro delicto populi pastor, ita pro pastoris errore populus plectitur. Hoc vidit Job qui dicit de eo quod *regnare facit hypocritam propter peccata populi.* Job. XXXIV. 30. Qualis autem perniciosior pestis pro populo alia est quam hypocrysis in suo vel Principe vel C Prælato? Sed ita digni sunt aliqui non nisi per reprobos regi, & alii non nisi reprobis præfici demerentur. Quidni igitur ipse pastor semper pavidus inveniatur, non se justificans nec justificari cupiens, extimescens ne dederit causam scandalo, dicens cum David. Reg. XXIV. 17. *Ego sum qui peccavi*, & cum Jona. I. 12. Si propter me turbatio facta est, *mittite me in mare.* Quo verbo Magnum illum Gregorium Nazianzenum usum fuisse, & ob hoc Urbi Constantinopolitanæ cui perutilis erat cessisse, Ecclesiastica meminit historia. Recogitet Prælatus etiam devotionis sibi conscius, præsertim dùm innumerabiles viri in oppositam ad se pergunt sententiam. Recogitet quid dicat Apostolus. *Nihil mihi conscius sum sed non in hoc justificatus sum.* I. Cor. IV. 4. Quis ad hoc verbum non expavescat? Sed & Angelus satanæ transfigurat se in Angelum lucis, insidiatur in D abscondito, spargit ubilibet laqueos, quos obumbrat specie virtutum; ita ut horrendum valdè sit quod dicit Sapiens. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ad mortem ducunt.* Prov. XIV. 12. Sic Prælatus nonnunquam dum esse gloriatur plenus gratia Dei, repletus est insensibiliter astutia diaboli. Quàm multa quotidie (exempli gratia) credit aliquis facere ex magnanimitate, quæ fiunt ex arrogantia & præsumptione; quàm multa ex indulgentia humilique pietate, quæ oriuntur ex desidioso torpore, vel certè (quod mirandum est) ex vana ostentatione & gloriatione superbissima; ad hoc duntaxat ut patientiæ & misericordiæ laudem cum magnis viris meruisse cre-

Digitized by Google

creatur. Sic furor incautus & *æmulatio maledicta quia pertinax.* Gen. XLIX. 7. Zelus quoque non secundùm scientiam, durus, cervicosus, inexorabilis, imperterritus, nemini cedens, nullum scandalum reformidans; sed dicens, si damnari volunt, qua ratione salvare potero vel teneor invitos? Talis, inquam, furor mentitur zelum boni publici & communis libertatis. Sic implicatio frivola, & stultus labor in minimis tantam diligentiam simulant; sic perplexa scrupulositas semper vacillans, nihil expediens, bonæ sibi conscientiæ nomen usurpat, quæ est ex radice superbiæ nolentis se peritorum judicio conformare. Sic ambitus honoris palliat se, quòd non pro se, sed pro dignitatis honore & aliorum ædificatione perquiritur. Sic ambitio retentione dignitatum, in perniciem Ecclesiæ subtili malo fingit se velle multis proficere, nec Ecclesiam exponere discrimini perversorum. Et hoc planè est dæmonium meridianum, quod facit quandoque esse martyrem diaboli, dum esse gloriatur quis in persequentibus Martyr Dei. Monet insuper dicere hominem, *quia dives sum, & nullius egeo.* Et nescit *quia pauper est & miserabilis & cæcus & nudus.* Apoc. III. 17. Sed quid innumerabilia diaboli machinamenta dinumerare contendimus, quibus mentitur & blanditur iniquitas sibi, quasi plena sit gratia Dei? Dicamus potiùs quis evasurus est illa? Respondeat, non ego; sed Propheta, per oraculum quale factum est Antonio. *Humiliatus sum & liberavit me*, Ps. CIV. 6. humiliatus intellectu, humiliatus affectu. Interrogata nimirum gratia Dei quæ essent signa ejus, quibus apparet in homine. Respondit: primum & præcipuum signum meum est humilitas, hæc sedes mea, hæc requies. *Deus* itaque *humilibus dat gratiam.* Jacob. IV. 6. Cognosce igitur humilitatem, & tu meam habitationem ignorare non poteris. Interrogata verò humilitas de signis suis multa numerans, ea tandem ad duo perstrinxit; quæ sunt humile sapere & humile velle; adjungens de homine quem inhabitaverit quòd eum reddit tractabilem quasi perfusum oleo lætitiæ; suasibilem, bonis consentientem, minus semper proprio quàm alieno fidentem consilio; abjectus est & vilis in oculis suis, non se jactans, non justificans, non magna promittens, non sollicitè se excusans. Ex adverso cognita sunt superbæ elationis signa, si se colit, si amat, si complaceat in se sibi, si sapiens est in oculis suis; alienum vel non requirens, vel odiens, vel non implens consilium; pro Sancto jam se habet & pro tali qui dignus sit revelationibus atque miraculis regi. Et quoniam obstupuit in malis, neque se, neque morbum suum novit; se humiliorem, se sanctiorem omnibus judicat; solos qui loquuntur placentia retinet sibi, alios odit, tandemque abjicit, quocunque quæsito colore, etsi ad horam dissimulet amare se veritatem. Si scandalizantur alii, non uritur, sed irascitur eis, tanquam immunis sit à delicto, tanquam scandalo causam nullam præbuerit; immanet in opinionibus propriis quas deserere, neque aliorum monitis, neque consilio, neque experientia malorum sequentium persuaderi potest; ægrescit potiùs & excandescit adversùs monita salubria. Væ væ Ecclesiæ & Religioni cuique à peste tali: vix enim satis deprehendi potest quia tegitur ovina pelle; sed per doctissimos scientes probare spiritus si ex Deo sunt ex fructibus cognoscitur, & maximè dum ad inhonorationis cujuslibet vel parvam æstimationem, quasi furit ut philocaptus ad amatæ suæ læsionem exhorrescit. Nihilominùs cum per tales deprehensa fuerit, vix est invenire remedium; quia nec expelli facilè potest, ne retenta corrigi, nisi per miraculosam operationem gratiæ Dei Salvatoris nostri.

Talem cursum habuerit sermo noster per primum signum, quo apparuit gratia Dei & Salvatoris nostri in ejus humilitate subjiciente se Legi Circumcisionis, & de ipsius imitatione debita per Prælatos & Clerum, ut patiatur Prælatus Legem quam tulerit; utque quantò major est, humiliet se in omnibus; utque non imponat onera gravia cervicibus subditorum; utque gratiosum se, non rigorosum ostendat, & ita abnegata impietate & secularibus desideriis, & sobriè & justè & piè vivat in hoc seculo.

Reliquum est ut per secundùm signum divinæ gratiæ quod esse diximus benignitatem seu charitatem pleniùs signatam in nominis impositione, Sermonis nostri cursus consummationem accipiat. *Vocatum est nomen ejus Jesus* inquit Evangelista. *Luc.* II. 21. O nomen totiens vocatum & desideratum, nomen tandiu cum suspiriis expectatum: sed hodie primitùs impositum, cum vocatum est nomen ejus Jesus: dudum enim longè à peccatoribus salus, id est Jesus, & propè erat ultionum Dominus. Hoc David cognoscens postulabat nomen, non potentiæ & dominationis; sed gratiæ & benignitatis. *Dic*, inquit, *anima mea, salus tua ego sum.* Ps. XXXIV, 3. Jesus tuus ego sum. Nam quid est Jesus nisi salus? Nonne sic tibi loqui videtur David Deo, satis dixisti: Ego Dominus, ego omnipotens, ego justus & terribilis: abscondantur obsecro hæc nomina potestatis, & exhibeatur nomen gratiæ & benignitatis. Et dico: ego Jesus. Hoc est *nomen novum quod os Domini nominavit*, Isaiæ LXII. 2. *quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur*, Luc. II. 21. nomen ab Apostolis prædicatum, sicut dicunt Actus Apostolorum, v. 42. quòd *omni die non cessabant in templo & circa domos evangelizantes Jesum.* Hinc magnus ille Prædicator qui loquebatur sapientiam inter perfectos, nihil judicabat se scire nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum. Jesum præterea toties vivens & moriens nominavit, & imitator ejus Ignatius. Nonne præterea à creaturis omnibus adoratum, quia *in nomine Jesu omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum*, Philipp. II. 10. quòd perspicuum fecit miraculorum operatio? Nomen denique ab omnibus invocandum, quia omnibus salutiferum: nam *omnis qui invocaverit nomen Domini, hic salvus erit.* Rom. X. 13. Et *non est aliud nomen sub cœlo* (affirmat Petrus) Act. IV. 12. *datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Et iterum: *Non est in aliquo alio salus.* Ibid. Si pœnites, & times Deum ultionum, appella ad Deum gratiarum dicens; ut propter nomen tuum Jesus, sit tibi Jesus; quoniam scribit nobis filiolis suis Joannes, *Joan.* II. 12. quia *remittuntur nobis peccata propter nomen ejus.* Nam quis legitur in Evangelio invocasse nomen Jesu, & exauditum non fuisse? Si, damnata morte peccati, remanet morbus concupiscentiæ, audi quia in nomine Jesu serpentes malarum suggestionum tolluntur, & si mortiferum quid delectationis bibitur non nocebit: si feroces insultus inimicorum omnium timueris, attende quia in nomine Jesu dæmonia ejiciuntur & ferè mansuescunt, ut gloriabatur Agatha. Denique turris fortissima prædicatur à sapiente nomen Domini. Si tentatione vel alia afflictione fatigatus deprimeris, imitare Apostolos qui *ibant gaudentes à conspectu Consilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. v. 41. Et Apostolus paratum se offert, non solum ligari sed & mori in Jerusalem pro nomine Jesu. *Ibid.* XI. 13. Apparet igitur gratia Dei in hoc nomine Jesu, quod est in remedium contra malum culpæ, in refrigerium contra malum concupiscentiæ, in præsidium contra malum pugnæ & in solatium contra malum pœnæ. Ampliùs quia necesse est nobis viatoribus inquirentibus cœlestem Jerusalem viam agnoscere; animadvertamus quia deducit nos Dominus super semitas justitiæ propter nomen suum. Porrò, quia ignobilis es, nobilitari desideras; dat Dominus potestatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus. Magna planè nobilitas, quia *si filii Dei & heredes, heredes quidem Dei, coheredes autem Christi*, Rom. VIII. 17. & ex consequenti ejus fratres. Quòd agnoscens Angelus, adorari à Joanne noluit. Apoc. XXII. 9. *Vide*, ait, *ne feceris*,

ris, conservus enim tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu. Egenus es, & multa te petere necesse est, offertur tibi Jesus pro titulo petitionis in Curia Dei Patris, sicut observat Ecclesia instituta ab eo qui dixit. *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. XVI. 23. Quo nomine qui insigniti fuerint salvabuntur, juxta figuram Ezechielis de signo Thau, quo signati salvati sunt. Denique nemo virtutem, nemo sanitatem hujus nominis novit, nisi qui accipit per experientiam & gustat quid illud est. *Oleum effusum nomen tuum.* Cant. I. 2. Qualiter acceperat qui dicebat: *Domine nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ.* Ps. CXXXIV. 13. Et alter. *In te glorificabuntur omnes qui diligunt nomen tuum.* Ps. V. 13. Rursùs alius. *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jesu meo.* Habac. III. 18. Quasi dicat. Gaudeant alii in anxia divitiarum & sarcinarum inutilium accumulatione, alii in effrenatione sordida voluptatum, alii in aliis noxiis atque perituris, ego autem exultabo in Deo Jesu meo; quoniam potissimùm apparuit gratia Dei in eo. Sed ecce denuò sermonem interrumpere conatur studiositas importuna; & quærit quomodò verum habet quòd *omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit*, Joël. II. 23. cum alibi scriptum sit. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum.* Matth. VII. 21. Responsio; requiritur tertium Domine quòd est operis, sicut primum est cordis, secundum est oris. Dic, cur Apostolus tantus vir, petens in nomine Jesu carnis stimulum tolli, exaudiri non potuit? Responsio; non petivit ad salutem: associari quippe debet oratio quatuor comitibus ut exaudibilis semper fiat; quòd piè, id est ad salutem; quòd perseveranter, sine peccati interruptione; quòd justè, hoc est in gratia & pro se. Et ita quisquis in ipso etiam mortis articulo petit hìc puniri in Curia gratiæ, liberabitur à pœna futura, ubi est Curia justitiæ, & evolabit liber in cœlum, sicut deducit Dominus Antisiodorensis, mediante merito Christi, & pœna habita in præsenti: verum quidem quòd dicit Apostolus, quia *nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto*, I. Cor. XII. 3. cum pessimi nedum illud nominare, sed in virtute ejus miracula facere memorentur; quemadmodùm viderunt Apostoli quemdam in nomine Jesu dæmonia eijcientem, sicut & illi reprobi qui dicent in Judicio Domino. *Nonne in nomine tuo prophetavimus & in nomine tuo virtutes multas fecimus, &c.* Rom. VII. 22. quibus dicetur. *Nescio vos.* Responsio; quòd nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu sancto illustrante intellectum, sicut nec aliquam veritatem, nisi vel ipso simul movente affectum & illustrante intellectum ut in bonis. Quòd autem mali faciunt miracula, hoc est per potestatem publicæ justitiæ in attestationem veritatis: propterea non sufficiunt ostendere aliquem sanctum: nisi comes fuerit humilitas & sanctitas. Hæc verò gratia miraculorum ideò datur quandoque reprobis ad ipsorum condemnationem, ne justi pro magno deputent; si vel habeant vel non habeant hanc gratiam. *Nolite*, inquit Christus, *gloriari quòd spiritus vobis subjiciuntur*, &c. Luc. X. 20. Quòd si sigillum & signum proprium divinæ potestatis, quòd est miraculum, adhiberi quæratur, in testimonium falsitatis; Deus hoc nunquam permittit quin reclamaverit vel reclamet, quemadmodùm prædixit, ne credamus signis Antichristi, & hoc est ad probationem electorum. Properabat rursùs quærere studiositas. Cur non modò fit Baptismus ut olim in nomine Jesu? & cur non ad invocationem ejus dantur genera linguarum & operationes miraculorum & similia? Dum hæc interloquendum superirruit zelus fervidus, filius charitatis, abscede hinc (ait) ô studiositas speculatrix, non est tempus disputandi sed plorandi; nam si propterea Deus appellatus est Jesus, si in hoc apparuit gratia ipsius ut salvemur unde tot nobis mala, tot incommoda, qui in ipsum credimus, ipsum invocamus? Ecce imminuti sumus & ira Dei effusa super nos plusquam gentes quæ nomen Domini non noverunt neque invocaverunt. Et ut alia prætercam ecce quam execrando schismate Ecclesiam sponsam suam concuti sinit, dejici, proteri, rumpi, lacerari. *Et ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine?* Ps. LXXXVIII. 50.

A Ubi est illa quam Apostolus tuus scribit apparuisse, gratia, ubi est nomen sanctum tuum atque gloriosum, quod invocatum est super nos? Cur derelinquis nos Domine Deus noster? Ubi abundantia illa pacis quam orituram asseruit in Propheta in diebus tuis, & quam Angeli cecinerunt dicentes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. XI. 14. Sed væ tibi mala voluntas, voluntas ingrata, tu istam à nobis Dei gratiam abscondis, tu divinum illud carmem obturbas dissonis moribus tuis, tu surripis gloriam Deo partem suam. Quidni pace spolieris parte tua? Tu igitur benè vivere docenda esses, non acutè disputare: neque fortassis tempus docendi sed faciendi, quoniam mala radicata quæ in mores abierunt, non verborum fomentis, sed factorum securibus atque ferramentis extirpare necesse est. Sed adsit potiùs tempus miserendi Domine Jesu, *tempus miserendi* ejus *quia venit tempus*: Ps. CI. 14. succurrat gratia tua; appareat illa miseris; quia *adjutor es in opportunitatibus, in tribulatione.* Ps. X. 16. Impera ventis & cessabit quassatio, & aura severior & asperior. Recorderis gratiæ tuæ antiquæ Domine, recorderis in-

B fantiæ susceptæ propter nos; sed & Circumcisionis tuæ & nominationis salutiferæ memor esto. Benedic principio anni benignitatis tuæ, quod ptincipium tu corona misericordia & miserationibus; quoniam illud tibi dedicamus, non fabuloso Jano Bifronti, scientes quoniam *beatus est vir cujus est nomen Domini spes ejus & non respexit in vanitates & insanias falsas.* Ps. XXXIX. 5. Tu Summus es Pontifex noster, des in novitate ortus tui & coronationis tuæ gratiarum ubertatem, & indulgentiarum plenitudinem elargire. Signare dignetur gratia tua nostras expectationes ad Præbendas cœlestis illius & Cathedralis Ecclesiæ tuæ magnæ Jerusalem, Ecclesiæ Triumphantis ad quam tendimus, quam tota devotione cupimus, expectantes beatam spem. Non confundas nos ab expectatione; quia væ patientibus repulsam, si vel in Signatione vel in Bullis, vel processu, vel possessione defecerint. Sit hodierna sanguinis tui effusio expectationum nostrarum valida signatio, sit æternum salutare, ut ubi iniquitas abundavit, superabundet & gratia. Talis erat in meditatione mea zeli plangor querulus,

C commovens, orans, & obtestans, ut sublata mala voluntate de medio nostri (illa enim sola pacem cogit in exilium, illa schisma parit, fovet & nutrit) nos coadjutores gratiæ Dei simus quæ piis conatibus non deerit. Cui studiositas, & cur ait, non inquirit Clerus cum Prælatis suis, qualibus viis occurrere convenit tantis & tot incommodis; seu per Congregationem factam in nomine Jesu, qui aderit in medio; seu per sedulæ disputationis officium, tendentis non ad contentionem, sed veritatis inquisitionem; seu per investigationem criminum regnantium in Christianitate, ut evelli cognita possent; & esset Clerus, exemplo Jesu, populi Salvator non lupus dissipator. Expedit ne me studiositatem in talibus occupari? Cui zelus: expedit quidem & jam multa à tuis sectatoribus conscripta sunt, ut omnia ritè præparentur quæ agenda fuerint in Concilio; alioquin verendum est

D ne schismati radicationem afferret, exemplo Græcorum, & ne scissuras (quod avertat Dei gratia) multiplicaret ampliores, qualia nunc omnia dicere reclamat, ut vides brevitatis amor & subdola blandaque adulatio contradicit. Nihilominùs obsecratione facta per gratiam Domini nostri Jesu Christi & per me zelum domus Dei, ut tempus modicum detur veritati & ejus inquisitioni, propulso omni mordacitatis desi-

Digitized by Google

desiderio, quod longissimum frequenter vanitati datur & fabulationi. Dic, tu studiositas, radices aliquas ex Jure divino sub generalibus principiis utiles ad sedandum pestiferum schisma; quoniam illud primum & principalius occurrit in Ecclesia reformandum. Tunc studiositas visa est quædam aperire sub Consideratione quadruplici, quæ qualia sunt vestrum erit judicium,

Consideratio Prima.

FINIS Politiæ Ecclesiasticæ & cujuslibet Legis eam regulantis est pax salutifera. Hoc satis expressit divinus noster Philosophus Paulus, qui finem Legis & Præcepti, nunc dilectionem esse dixit, nunc Jesum; intelligens in dilectione pacem, in Jesu salutem, ut sit finis pax salutaris. Neque opus est anxia deductione alia, cum natura nos doceat ens quodlibet non minus suam unitatem & pacem appetere quàm entitatem, secundùm deductionem divini Dionysii, Augustini & Boëtii; ita ut pax sit bonum quod omnia appetunt: adeo quòd particularis ordo naturæ plerumque immutatur in rebus, ut unitas conservetur. Manifestat hoc ascensus gravis sursum & levis deorsum. Si in corpore vero, cur non in mystico potest vicissitudo talis quæri, ut pro pace retinenda fiat deorsum quod sursum est, ut pax permaneat? Cum igitur secundùm exigentiam finis cetera debeant moderari, & finis est qui imponit necessitatem rebus, necessitas verò Legem non habet; perspicuum est quod nulla Lex habeat aliquid firmitatis si paci faciendæ vel conservandæ invenitur contraria; sed debet interpretari ut serviat paci, vel penitùs aboleri, alioquin juxta dictum Comici, *summum jus summa est malitia*, conformiter ad jussionem Sapientis. *Noli esse justus nimis.* Eccle. VII. 17. Sic Athenienses fecerunt ad tempus Leges Lycurgi non esse, ut semper essent; & Nasica Scipio; *Dum Consul*, inquit, *Juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus Legibus Romanum corruat Imperium.* Nullo pacto igitur servatur Lex, non observato Legis fine, qui est pax. Sicut in simili, Christianam doctrinam scribens Augustinus, deducit pro regula memoranda, quòd *nullus textus sacræ Scripturæ in sua expositione retinet sensum Spiritus sancti, nisi ille charitatem ædificet.* Et quoniam hujus schismatis tam extranea videtur esse pestis, ut tale nunquam visum fuerit minus habens provisionis humanæ remedium, docente hoc sua indies radicatione; expediat ad ejus expulsionem institutio novorum Canonum, cum ea quæ de novo emergunt, novo egeant auxilio, vel jam conditorum necessaria est moderatio. Sed qualis & per quid moderatio? Sanè per regulam infallibilem & inobliquabilem Legis Divinæ, cujus sectatoribus & amicis *pax multa* est, si Prophetæ creditur, *& non est illis scandalum.* Ps. CXVIII. 165. Ex quibus elicitur conclusio saluberrima, quod nulla via proficiens ad sedationem schismatis repudianda est, quantumcunque Jura vel Leges humanæ videantur opponi; ut de Electione Summi Pontificis, quod est sic & sic celebranda & similes, dummodò Divinum Mandatum vel Jus maneat inviolatum; quòd scire, ad illam spectat scientiam, per quam Legum conditores justa decernunt, Legem æternam imitantes. Hæc est Lex Evangelica, quæ si contemnatur ab aliquibus, illi sunt inepti pacis Ecclesiasticæ tractatores, quemadmodùm inutiles sunt homines ita adhærentes nudis textibus, ut epikeiam, hoc est æquitatem ignorent; quales Aristoteles nominavit *immansivos in opinionibus propriis.* Ex his denique quis non videat quàm impium est, præsertim apud eos qui se Ecclesiasticos dici volunt, si peritos in Evangelica Lege vel non consultare vel abjicere, vel majori sacrilegio, habere probro cognoscantur; hinc errores, hinc præsumptuosæ assertiones, hinc perplexitates inexplicabiles, hinc obstinatæ defensiones adinventionum humanarum in perniciem Ecclesiæ & pacis salutiferæ finis sui surgunt; ut quòd non licet disputare de potentia Papæ, quòd non potest sibi dici, cur ita facis? cum tamen sit peccabilis; quòd non potest in aliquo casu Ecclesia sine eo convocari vel aggregari; quòd hic est Fidei Articulus, Benedictus est Papa (exempli gratia;) quòd non potest in aliquo casu ad Concilium Papa vocari; quòd absque eo non stat salus, cum tamen salus Ecclesiæ in solum Deum ordinetur absolutè & essentialiter, & in hominem Christum de ordinata Lege, sed accidentaliter ordinatur in Papam mortalem: alioquin dum vacat Sedes per mortem Papæ, vel naturalem vel civilem, utputa si sit hæreticus depositus, quis hominum salvus esset? Alii Papam prædicant impeccabilem, alii omnipotentem, alii sine ulla exceptione credunt extra salutis statum quemlibet suæ parti non obedientem. Quod quanta temeritate dicatur ipsi viderint assertores.

Consideratio Secunda.

Quælibet in Ecclesiastica Hierarchia potestas in pacem salutiferam ordinatur. Hæc infertur ex prima. Cum igitur non sit *data potestas in destructionem, sed ædificationem*, teste Apostolo. 2. *Cor.* XIII. 10. Si quis abusui potestatis, hoc est tyrannidi resistit, ille non resistit Dei ordinationi; sed obedit, qui jubet malum tollere de medio sui & partem scandalizantem abjicere, sicut & licet cuicumque erga quemcumque vim illatam vi repellere, cum appositione moderatæ cautelæ. Hæc consideratio facili deductione traducit quorumdam scripta super obedientiæ laudibus & inobedientiæ pœnis, ad oppositum illius quod persuadere conantur: nam si obediendum est hominibus, quantò magis Deo. Elucet prætereà, quòd si salutifera pax tollatur, ex eo quod in Joanne (exempli gratia) potestas Ecclesiastica quædam remanet, quâ repudiatâ pax rediret; abjicere potestatem in hoc casu est eadem benè uti, retentio autem verteretur in abusum. Addito quòd nulla potestas invenitur hìc in via, quæ non subjiciatur Legi Divinæ & naturali, & quæ non sit peccabilis & auferibilis, vel abdicabilis, aut pro tempore ab executione suspensibilis. Fundatur in hac consideratione dictum illud memorabile & verè dignum à Summo Pontifice quod his auribus pluries accepi ab ore Domini nostri: hoc sine adulationis spiritu refero. Paratus sum, inquit, etiam usque ad mortem vel immolationem proprii corporis, si ita res exigat, Ecclesiasticam unionem procurare, quantò ampliùs usque ad proprii status abdicationem. Nam quando daret vitam, qui non desereret vestem aut vittam, coronam seu mitram? Vellent aliqui rursùs objicere contra Epistolam Anglicanam quòd via cessionis in effectu reddi possit practicabilis, casu proposito, invitis etiam contendentibus de Papatu, quamquam si habeat hìc allegationem rationabilem coactio, ipsi viderint; velint itaque, nemo cogit. At verò quidquid de hoc sit, constat viam cessionis esse possibilem, immò in casu necessariam; ad cujus laudem spectat quod scribit Dionysius (non ille Areopagita) ad Donatum, recitativè in Ecclesiastica historia: Dionysius Donato fratri salutem. „ Si invitus, ut ais, in hoc venisti, ostendis in eo, si „ dimiseris volens; oportuerat quidem etiam pati om- „ nia pro eo, ne scinderetur Ecclesia Dei, & erat „ non inferior gloria sustinere Martyrium pro eo, ne „ scinderetur Ecclesia quàm est illa ne idolis immo- „ letur: immò secundùm meam sententiam majus hoc „ puto Martyrium esse quàm illud, quia ibi unus- „ quisque pro sua tantùm misericordia, in hoc ve- „ rò pro omni Ecclesia Martyrium sustinet. „ Hæc ille. Denique plura sequerentur de quibus non est dicendum per singula.

Digitized by Google

Consideratio Tertia.

Quilibet rationis capax, obligatur secundùm vocationem suam, pacem Ecclesiæ salutiferam procurare. Ille orando, hic disputando, hic prædicando, hic exhortando, hic agendo, vel quolibet modo alio. Sumerentur argumenta pro hac consideratione ex radice filiationis ad Ecclesiam, & ex radice dilectionis & justitiæ ad proximum, ex radice pietatis seu religionis ad Deum: nulla si quidem in præsenti schismate potest serpere deterior labes quàm inertia quærendi pacem, sive illa proveniat ex ambitione vel adulatione, vel timore, aut alia occupatione non admittente curam hanc salubriorem, *pectora nostra duas non admittentia curas*, ait Satyricus. Audiamus à Sapiente quid pigrities stulta operatur in agro vel vinea Ecclesiæ? *Per agrum*, inquit, *viri pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant faciem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.* Prov. XXIV. 30. 31. Quod si pestiferum est & maledictioni proximum negligere opus hoc divinum; quàm criminosum est, quàm nefarium laborantibus non applaudere, sed irasci? Propterea stat aliquem adhærentem justæ parti plus esse de schismate culpabilem quàm alterum qui adhæret parti falsæ: ut si primus aliqua passione vitiosa tractus obsistat, quominùs fiat pax, ne audire paratus sit Ecclesiam; alius quærit cum omni sollicitudine vias pacis, promptum habens animum obediendi Ecclesiæ judicio seu veritati, dum sibi claresceret. Ea namque quæ dissensionem afferunt in præsenti schismate sunt talia quæ in facto maximè consistunt, in quibus errare sine periculo salutis potest non solùm iste vel ille; sed etiam in talibus Ecclesia fallere dicitur & falli: sicut dum multo tempore feminam pro Papa coluit. [*falleris vir bone*] Porrò manifestari potest ex radice hac, quales excusantur à vitio schismatis; & quòd stat scire quod schisma est in Ecclesia, & tamen nescire quis in ea sit schismaticus. Ex hoc consequenter aperitur quales sunt anathematizandi & vitandi & quales non: nam velle omnes indifferenter partis falsæ extra Ecclesiam & salutem trudere, quale sit jam tetigimus. His ex rebus perspicuum fit deinceps quanta laude, quibus præconiorum titulis, commendanda redditur partis nostræ diligentia, præsertim in inclytissimo Franciæ Regno, & quantùm à schismatis obstinatione procul existat, ubi quæsita est hactenùs pax salutifera tanto labore, tot expensis, tot Legationibus, assiduisque consiliis. Nec est quod aliquis opponat quasdam vel zizanias vel paleas malarum actionum in quibusdam ortas, inter hanc virtuosæ operationis segetem, vel quod non satis efficaciter diligentia respondit ad votum. Ascribatur hoc humanæ fragilitati: raro enim nascitur granum virtutis, sine palea aliqua defectuositatis. Nihilominùs habet profectò plus veræ laudis zelus ille diligens, quàm aliorum negligens torpor: quoniam schisma si dimittitur absque agitatione, proferet radices malas altiùs & inevulsibiles, & productas roborabit: *nam mala per longas convaluere moras.* Doceat nos schisma Græcorum quod jam nemo curat, nemo non desperat. Quo in loco grandis offertur ad loquendum materia super laudibus Parisiensis Universitatis præclarissimæ Studiorum, super zelo fervido ipsius, quæ non cessavit hactenùs eniti pedibus (ut dicitur) & manibus, aliter quàm desides aliqui & inutiles, qui facere nihil volunt vel nesciunt; obstrepunt tamen facientibus, solis contumeliis fortes & armati. Sed silentium imperat, tum brevitas, tum modestia ne in ejus laude videamur propriam quærere. Ecce autem quis est qui non dicat, qui non clamet, pax, pax, fiat pax, pacem volo, pacem super omnia concupisco. At verò nonne irridetur Deus; quoniam simile est pacem non velle, & illam vel inutiliter & desidiosè velle, vel impossibiliter velle, hoc est mediis ad eam impossibilibus contendere: ut si quæratur unio aliqualiter qualiter haberi non valet, neque viâ debellationis, neque viâ rationis seu reductionis, neque viâ anathematizationis seu separationis, neque viâ condescensionis, aut similiter. Cum itaque pastor teneatur non minùs revocare oves quas judicat errantes quàm servare non errantes; nonne debet, ut fiat unum ovile, modum possibilem & verisimilem hoc agendi velle prosequi, etiam cum dimissione gregis proprii & obedientis, si per hoc salvatur & unitur grex uterque. Nec est hoc deserere gregem more mercenarii & fugere; sed salvare, & ut verè sic dicamus, fugiendo manere. Sed hæc cessio dicit aliquis fieret perniciosum posteris exemplum? Fatemur id posse contingere, nam quibus rebus non contingit abuti; attamen pro incerto malorum eventu, non esset tam certum & optandum præsentis pacis bonum repudiandum vel negandum.

Consideratio quarta.

Tantum est pacis salutiferæ bonum ut pro ejus adeptione neque mundanus honor, neque status, neque gradus, neque propria utilitas debeant aliquem deterrere, & nihil prorsùs, nisi peccatum contra Legem Dei æternam. Hæc consideratio posita est contra illos qui dicunt: Observetur honor partis nostræ, habeamus victoriam, confusionem evitemus. Ecce qualia sustinuit opprobria Summus Pontifex Christus ut faceret utraque unum, reconcilians in suo sanguine ea quæ in cœlo sunt & in terra, factus opprobrium hominum & abjectio plebis, & non dicens: servetur honor meus. Sufficiebat ei testimonium bonum conscientiæ ad Deum. Igitur ut pax habeatur, nulla planè via repudianda est, quæ potest absque peccato deduci, & quantò breviùs, tantò salubriùs; quantò insuper patentiùs, tantò acceptiùs apud omnes; quoniam res tangit omnes, & veritas lucem amat. Quocirca viæ per Dominum nostrum oblatæ (proferam hoc sine adulationis oleo quo non indiget, & salva pace omnium) quia nunquam mihi visæ sunt Juri Divino palam contrariæ; nunquam visæ sunt similiter penitùs reprobandæ, nisi fortè struatur calumnia ex juramento suo, & ex totius Obedientiæ suæ consensu, judicio & requestis aliorsùm tendentibus. Propterea rursùs non improbabile videtur, attentis circunstantiis offerentibus se in præsenti schismate, si pars justa possit à juris sui prosecutione desistere, ut ad injustam jus suum transferret & fieret justa, seu per novam electionem intrusi, seu per aliam viam in Jure scripto non habitam; dummodò Jus divinum utrobique inviolatum maneret, & hæc via propter timorem inhonorationis mundanæ non esset penitùs abhorrenda: nam quidquid à malevolis interpretibus diceretur, desuper resideret inspector cordium Deus, & Judex veritas & charitas abundè remunerans. Nonne laudata, nonne victrix effecta est Mater illa vera infantis apud Salomonem, III Reg. III. quæ filium maluit integrum abjicere, illoque carere quàm divisus in suam cederet portionem: denique in laudem Q. Fabii Maximi præclarissimam dixit Ennius, quòd *non ponebat rumores ante salutem.* Nonne sanctius est ultro dare gratiæ, dare charitati fraternæ, & paci honorem suum caducum, immò vitam propriam cum merito, quam sine laude & pace mox naturalis necessitas utrumque diripiat? Concedatur ergo libenter gratiæ, id quod velit, nolit obtinens, protinùs relinquetur naturæ. Ampliùs non videtur improbabile quin expediat in casu Ecclesiam ad tempus Summo Pastore carere, ut interim per tractatum vel aliter adeptio pacis celerior haberetur. Quod si Canones oppositum sanxerunt, Lex divina non dissonat: nam ex dicto, potest absque Papa mortali stare sa-

salus. Quod si timetur infamatio partis illius vel illius; jam responsum posuimus. Consequenter deducimus, quòd propter timorem succumbendi aut inhonorationis humanæ, quæ utique vitiosa non sunt, Concilium generale Universalis Ecclesiæ non videtur repudiandum; sed pium est credere quod in tractatione præsentis materiæ non erraret. Audiamus ra- A tionem; constat itaque quod in materiis Fidei terminandis error non cadit in generali Concilio. Rationem dant Doctores ex speciali assistentia Spiritus sancti & Christi regentis Ecclesiam, nec permittentis errare in his ad quæ humana investigatio pervenire non potest. Secus in his quæ vel facti sunt vel humana ratione terminari possunt. Nunc autem schisma præsens, quamquam in his quæ facti sunt plurimùm hæreat; ejus nihilominùs terminatio tàm perplexa cernitur, tàmque difficilis, ut supra hominum vires, ingenia, inventiones & consilia videatur. Ubi verò deest humanum, potest & debet absque temeritate divinum auxilium etiam miraculosum expectari: ita enim de sortibus mittendis in casu determinat Augustinus, dum sævientibus tyrannis, inquiritur quis de multis Prælatis pro gregis salute remanebit, qui recedent? Nonne igitur absque periculo causa illa committi Deo & Universali Concilio posset, absque formidine quam major pars vinceret si esset injustior, & maximè in perniciem Ecclesiæ; quod addo, quoniam in casu communis B error faceret jus, præsertim error facti vel ex facto ortum habens. Auxilium tale miraculosum nonne in bello corporali Judas Machabæus, nonne Moyses, nonne Fidelium alii taliter expectaverunt, quando persequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia? Quanta securiori Fide pro hoc schismate finiendo potest in opitulationis divinæ assistentia speciali per tractatum Universalis Concilii spes haberi? Et quis obsecro tantæ presumptionis inveniri poterit, ut determinatis per tot viros celeberrimos, propriam opinionem vel præferret, vel eorum dictamen non imitaretur: pium quoque sentire est ut non nisi viam mediam, viam pacificam, & utrobique honorabilem sententiaret Concilium. Nec tamen ignoro multas circa hæc & alia suboriri difficultatum nebulas; sed eas omnes lux divinæ Legis suis radiis faciliter ejiceret, si non ultra cervicosa contradicendi libido obstiterit; si oculos rationis neque segnities inquirendi clauserit, neque ruditas obtuderit, neque eos lippitudo carnalitatis, neque curarum pulvis, neque fumus C præsumptionis suffoderit, neque postremò malitia cæcaverit, quominùs apparere possit gratia Dei Salvatoris nostri. Ita studiositas per zelum stimulata pergebat in longius; cujus ego sermonem interrumpens & finiens exclamavi: Appareat ô utinam bone Jesu pax nostra salus nostra, appareat tandem aliquando gratia tua, ut post illustrationem sinceram & agenda videamus, & ad ea quæ viderimus implenda convalescamus. Res quippe in obscuro nimis demersa est; nam & nobis caligines, pulveresque difficultatum ambulando sponte suscitamus. Deest insuper apud multos gratia humani consilii, quæ simul apparere & cooperare debuerat gratiæ Dei. Obfuscat eam præterea vel abscondit amor proprius, quærens quæ sua sunt, & incircumciso corde ambulans post desideria carnalia atque secularia, neque sobriè, neque justè, neque piè vivens in hoc seculo; quasi non expectaret beatam illam spem quæ sola desideranda est, sola velut encænium divinæ gratiæ jugiter postulanda. Provideat meliora vicinioraque saluti gratia eadem Dei & D Salvatoris nostri hic nos justificans, glorificans in futuro. Amen.

Sermonis de Circumcisione coram Papa apud Tarasconem finis. Anno 1403.

EPISTOLA

Ejusdem Doctoris & Cancellarii Parisiensis

AD

DOMINUM AURELIANUM,

de Sermone præcedente.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 463.

SERENISSIMO Principi & inclytæ Regum proli, Domino Aurelianensi; suus Joannes Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis indignus, obsequium humile, pacisque præsentis cum æterna, donum feliciter adipisci.

Multa hactenùs scripsi STRENUISSIME DOMINE. Plurima dixi quæ ad Ecclesiasticam pacem utilia videbantur, prosequens pacem exulantem latratu quo potui, ego de genere catulus, offerens insuper pro virili portione ad opus tabernaculi Dei cum hominibus, ea quæ de manu sua videbar suscepisse. Nec ignoro posse ea à tot capitibus in varias facilè traduci sententias & forsan adversas; quæ tamen omnia, si cum distinctione temporum, circunstantiarum quoque se offerentium multiplicitate pensari digna fuerint, arbitror ea inventuris nexu concordi veritatis inter se juncta esse, utpotè quæ circa idem centrum eumdemque cardinem pii desiderii volvebantur. Viam itaque cessionis benè practicatam ego brevissimam & optimam censui, judicans ad ejus receptionem secundùm præparationem animi ambos contendentes de Papatu Jure divino constrictos; nec erat quod allegarent coactionem. Vellent itaque cogebat nemo. Porrò in conclusione substractionis non affui, quam tamen conclusam impugnare pertinaci animositate non præsumpsi: sed postquam Dominus noster Benedictus viam cessionis, & alia quæ petebantur accommoda pro pace & reformatione Ecclesiæ dictus est acceptasse, opposuit se parvitas mea cum odiis & discriminibus non modicis, ut ipse neque Papatum de facto irreversibiliter amisisse, neque hæreticus aut schismaticus judicandus esse causaretur. Placuit quoque restitutio, quam & predicavi coram celeberrimo cœtu populorum. Per hanc itaque Obedientia nostra secum unita portum pacis generalis attingere faciliùs sperabatur. Denique non tàm missus quàm coactus Legatus, ad Dominum nostrum super hac materia pro parte Universitatis præclarissimæ Studiorum, cui ego filius negare potui nihil, proposui primò Massiliæ, dehinc Tarascone sermonem hunc, quem decorus præsentiæ vestræ nobilissimæ fulgor illustravit. Hunc sermonem sicut & præcedentem propositionem postulare dignata est Celsitudo vestra ab exiguitate mea: qualis autem ego sum ut vel hoc vel aliud quippiam denegare præsumpserim? En accipite itaque, sermonem qualiscumque ille est, ubi aliqua, sed pauca ex dictatis in margine posita sunt, quæ brevitas præceps eripuit ne proferrem. Benè valeat præclara Dominatio vestra ad communem pacem & propriam salutem consequendam. Scriptum Tarascone: Anno Domini 1403. in vigilia Epiphaniæ.

EPISTOLA

DOMINO CAMERACENSI

Existenti in Curia.

Ad eumdem MS.

DECREVERAM Reverende Pater & Præceptor singularis, accuratiùs, si vacasset, per dictata quædam scribere; conquesturus de sinistra vel interpretatione vel relatione dictorum, immò plurium non dictorum in sermone Circumcisionis habito Tarasco-

rascone, coram Domino nostro, tempore Legationis meæ pro parte almæ Universitatis Parisiensis Matris meæ. Experior itaque veram esse Comici sententiam: *nihil esse quin male narrando possit deteriorari.* Hanc ego esse unam ex maximis difficultatibus æstimo, quæ reddunt officium prædicationis onerosissimum: quas difficultates A atque discrimina Gregorius & Chrysostomus quilibet in *suo Pastorali*, & Augustinus IV. *De Doct. Christiana* copiosissimè narraverunt. Fit enim plerumque (loquor centies expertus) ut præsentes in Sermone aliquo non solùm depravent benè dicta, sed ea quæ nullo modo dicta sunt, constanter affirment pro prolatis. *Stultorum* quidem *infinitus est numerus.* Eccle. I. 15. Est tamen Sapientis assertio. *Stultus non capit verba prudentiæ, nisi ea dixeris quæ versantur in corde suo.* Prov. XVIII. 2. Verum quoque est dictum Apulæi, *multos esse qui solis auribus corporis philosophantur*, intellectum verò vel nullum habent, vel illum variant pro varietate passionum & affectionum; quemadmodum in sonitu campanarum sumimus argumentum: dicunt enim (ut vulgari more loquar) quod volumus. Porrò mihi conscius sum, nihil protulisse tunc quod non esset sacræ Fidei, monitisque salubribus accommodum, & examinata veritate stabilitum: nihilominùs quot, bone Jesu, super eodem Sermone mihi relata sunt quæ nedum non dixeram, sed nec cogitaveram. Quot perversè capta & perversiùs impugnata! Audacter asserere quosdam postmodùm prædicantes, viderint ipsi quo studio vel contradicendi vel vanè complacendi, seu zelo vel ignorantia moti, quæsisse veritates per me positas impugnare, & per rationes palam erroneas: sed nolo sequi relationes solas hominum in tanto negotio defendendæ veritatis, ne pugnemus, ut dicitur, in tenebris. Habuissent igitur dictorum meorum formam propriam & limitationem, adeò ut transpositio sæpe vel omissio unius vocabuli sententiam variasset: habuissent, inquam, formam ipsam; habuissem viceversa solidè quæ dixissent, nunquam refugissem pro veritatis defensione congredi: sed quid agerem; nihil objectum est quod sciverim dum essem præsens, potensque verbotenùs respondere; sed longo postmodùm intervallo me absente & surdo, vocibus eorum plurima variaque in oppositum dicta prædicataque, ego solis rumoribus accepi, quibus, cur non magno conatu respondere paraverim, jam expressi. Novissimè autem hesterno vespere scripsit unus ex amicis fidelissimis se audisse ab altero, qui similiter audierat ab aliis gravibus (ut dicebat) viris, C me dixisse inter cetera, quòd homine in articulo mortis existente, quilibet Sacerdos habet æqualem potestatem cum Papa in indulgentiis dandis à pœna & culpa. Hanc verò assertionem certissimus sum nec sensisse nec dixisse; quamquam si de potestate ordinis in casu necessitatis fieret locutio, scitum est satis quid Doctores sententient. Denique quid dixerim, unde error talis potuerit ab aliquibus, parum forsan advertentibus ad verborum formam elici; pono diffusiori sermone in chartula colligata in præsentibus. Tu Præceptor sapientissime, coram tuis oculis totus palam sum tibi intùs & in cute notus; digneris accipere baculum defensionis meæ in hoc articulo, quo apprehenso voces oppositas (si ita dignum visum fuerit) valeas compescere. Postremò totum ipsum Sermonem quem hactenùs reconditum absque multiplicatione in alias manus habui, mittere (si ita censueris) paratus sum intentione talis finis. Det Dominus ipse benè valere jugiter in Domino ad consecutionem beatæ Spei, & ad unionem celeriùs remeandam in regionem Ecclesiæ sanctæ Dei.

SEQUUNTUR.

ACTA QUÆDAM, DE SCHISMATE TOLLENDO,

Post mortem Innocentii VII. *Romæ sedentis, qui obiit Anno* 1406. 16. *Novembris, & vivente Petro de Luna.*

Scripta Anno 1406. & antequam electio Petri de Corario in Gallia nota esset.

PENSATA diuturnitate schismatis & extraneitate, cum perplexitate radicata in cordibus hominum etiam sapientum, consurgente tàm ex Facto quàm ex Jure, ubi jam per tot annos labores humani, cum Juribus positivis, nihil aut modicum B profuerunt; expedit reperire modum providendi aliàs non usitatum vel practicatum; juridicum tamen secundùm naturale Jus & Divinum; ut vel tollatur schisma viventibus contendentibus, vel saltem non ultra per generationes & generationes contendentium continuè substitutorum, jugiter protendatur: propterea notentur Propositiones infra scriptæ.

Prima Propositio.

Nullus præcisè, ex eo quod est istius vel illius partis vel neuter, debet reputari ineligibilis ad Papatum de Jure divino; quoniam ex eo solùm quòd ipse vel hæreticus vel schismaticus pertinax, convinci non potest: quæ duo sola ab electione præpediunt.

Secunda Propositio.

Nullus præcisè, ex eo quod de istius vel illius partis, vel neuter, est sic ineligibilis ad Papatum de Jure positivo, vel Sententiis latis ab homine; quin possit habilitari, sine hoc quòd expresè & particulariter confiteatur se errasse, vel schismaticum extitisse.

Tertia Propositio.

Possibile est, & fortè expediens pro bono unionis certis modis procurando, quòd processus hinc inde facti, vel annullentur vel cessent, ponendo scilicet rem totam in terminis Juris Divini; sicut esset vel fuisset, si nulli tales processus emanassent: ne Jura facta pro utilitate Ecclesiæ, militent contra eam. Notetur hìc revocatio Sententiæ condemnantis Regem Franciæ de hæresi, quia Papam in temporalibus non agnoscebat superiorem.

Quarta Propositio.

Non repugnat Juri Divino, & ex consecuenti nec Juri humano, in casu utili vel necessario; quin Papa possit eligere successorem, etiam unum de altera Obedientia: potest insuper ordinare modum alterum eligendi successorem ab eo qui nunc institutus est, D saltem quoad illa quæ sunt purè positiva, ut quòd infra tale vel tale tempus eligant Cardinales sub tali vel tali pœna, & similia. Posset denique, & fortè expediret, quòd modis non repugnantibus Juri Divino, transfunderet jus suum (præsertim de consensu suæ Obedientiæ) in alteram partem; sicut vera Mater dicebat de illa quæ non erat vera Mater; *date illi infan-*

Digitized by Google

fontem vivum, III. Reg. III. 26. & sicut in aliis reperibile est exemplum.

Quinta Propositio.

Non repugnat Juri Divino, & ex consequenti nec Juri positivo ut priùs, quod Papa ex nunc committat aliquibus quod, etiam post mortem ejus, ipsi habeant potestatem relaxandi vel tollendi processus factos contra partem alteram, dum & qualiter visum fuerit expedire ad unionem consequendam.

Sexta Propositio.

Concilium generale utriusque partis, non obstante contensione de Papatu, potest celebrari pro dando Ecclesiæ suam unionem per viam cessionis vel alterius provisionis: nec obstare debent Jura quæcunque positiva, ut quod *spoliatus ante omnia debet restitui*, vel quod Papa debet præsidere, aut quod debeat esse æqualitas in vocibus & similia.

Septima Propositio.

Non repugnat Juri Divino, & ex consequenti nec Juribus humanis debitè interpretatis, quin ex duobus Collegiis amborum contendentium, possit fieri unum Collegium ab utraque parte receptum, pro dando Ecclesiæ verum & indubitatum Christi Vicarium, aut nunc, aut suo tempore & loco opportunis. Nec repugnat, quod contendentes constituant se mutuo Vicarios generales ipsis viventibus, si hoc ad unionem celeriùs & faciliùs consequendam expediens videretur.

Octava Propositio.

Expedientiùs & diviniùs est quærere unionem Ecclesiæ, conformiter ad Jus divinum vel Evangelicum, quàm stabilitatem literalem Jurium humanorum, & quàm propriæ partis honorem temporalem, aut contentiosam victoriam, per reductionem aut debellationem; præsertim ubi ista ultima retardarent primum, & viderentur impossibilia, circunstantiis hinc inde debitè consideratis aut ponderatis.

Nona Propositio quæ est Corollarium.

Pax multa esset diligentibus Legem Domini, & non esset illis scandalum schismatis, si non irrita fieret hujusmodi Lex per ambitionem palliatam, per traditiones hominum nimis literaliter, ne dicatur pertinaciter, observatas: sicut olim Christus *Marc.* VII. 7. 8. ex verbo Isaiæ conquestus est, *Isaiæ* XXIX. 13. Vertat ipse omnia in bonum, qui est pax nostra & Deus benedictus in secula. Amen.

ALIA DISPUTATIO DE SCHISMATE *Tollendo.*

Collat. ad MS. Cod. 106.

PRÆSUPPOSITIS terminis in quibus est nunc Factum Ecclesiæ, post mortem recentem illius de Roma. Quæritur, pro videnda meliùs resolutione materiæ; utrum expediat aliquem substituere in prætenso jure ipsius defuncti, ad tollendum tandem funditùs per cessionem suam schisma præsens? Videtur quod sic; quoniam ad habendum unionem in Ecclesia, oportet serenare conscientias utriusque partis: sed alii non serenabuntur, nisi fiat nova electio. Probatio, quia semper reputabunt suam Obedientiam errasse, & quemlibet in ea esse inhabilem ad electionem activam vel passivam; quæ habilitatio fieri non poterit per solos Cardinales suos, sed per verum Papam æstimatum: necesse est igitur ut aliquis noviter eligatur. Item si Cardinales de Roma non eligerent infra tempus Juris, ipsi incurrerent Sententias, vel pœnas à Juribus institutas, contra differentes nimis
A electionem: non est autem verisimile, quod velint illas ferre. Item prædicti Cardinales non eligendo infirmarent partem suam, imò ut diceretur redderent se minùs habiles ad prosequendum unionem Ecclesiæ, dum sine capite remanerent: Nam unus electus benè affectatus ad pacem, plus posset proficere, offerendo cessionem, & illam prosequendo, quàm possent soli Cardinales de Roma sine tali viro.

In oppositum arguitur, quod non expedit, stantibus terminis nostris quod fiat adhuc quæcunque electio: nam quæritur si eligant, de quo fiet electio, an de Papa nostro, aut de aliquo istius Obedientiæ, vel de aliquo alterius Obedientiæ? Non primum, quoniam alia Obedientia diceret semper, quod tam Papa noster quàm alter istius Obedientiæ inhabilis est, ut sit electus; moti ad hoc, quoniam reputant nos, & specialiter Papam nostrum schismaticos & hæreticos, aut de hæresi vehementer suspectos: & non
B est in potestate eorum talem aliquem eligere, sicut nec habilitare. Si fiat secundum, nos de ista Obedientia nihil reputabimus factum sine nostris Cardinalibus, & consensu veri Papæ nostri. Oportet igitur ad minùs, quod audiantur Cardinales nostri & vocentur, priusque fiat electio nova ad sedandum schisma præsens.

Item, si novus eligatur, erit semper continuatio schismatis, & error posterior pejor priore; nisi quis dicat voluntariè, quod noviter electus statim offeret cessionem, & alia pro Ecclesiastica pace necessaria: hoc autem quam sit incertum, experientiæ priores manifestant. Item si Cardinales de Roma differant electionem, usquequò sufficienter summaverint partem nostram in capite & in membris, ipsi agent pro utilitate sua & fortificatione partis suæ. Probo: nam potuerunt quærere (& rationabiliter ut videtur) quod Papa non cedat, sicut Obedientia sua petivit,
C & sicut ipse promisit, imò sicut tenetur de Jure Divino, prout erit declarandum: quod si cedat, remanebit apud eos electio libera ad generalem Ecclesiæ unionem. Addito quòd habilitet (quantùm in se est) illos de Roma ad eligendum, & quod Cardinales istius partis conveniant cum eis ad eligendum. Si autem Papa requisitus de cedendo, hoc nolit facere, ipse jam faciet Obedientiam suam sibi contrariam & adversam: Et ita Cardinales sic differentes electionem suam, facerent partem suam fortiorem.

Propter ista notandum occurrit, quòd si quilibet de Ecclesia parvus & magnus, quæreret quæ sunt Jesu Christi plus quam sua, facilis haberetur exitus ad schisma terminandum: sed quia oppositum verum est, propterea necesse est venire scandala, & suscitata continuari, nisi provideat Deus exalto: & istud est quod affert difficultatem in materia præsenti, etiam apud benè affectatos, de modis inveniendis ad pra-
D cticam unionis Ecclesiæ: nam quidquid speculatum fuerit & discussum, (quod hoc vel illud medium potest haberi de Jure naturali & Divino ad exequendum unionem Ecclesiæ) multa sunt in facto, de quibus ut dicitur, non judicat Legisperitus: utputa, si tales vel tales ad quos spectat executio, velint uti talibus mediis licitis & meritoriis, aut non. Exemplum ad hoc est grossum de Medico peritissimo, qui circa infirmitatem unius patientis, sciret optimè dicere & videre, quod talis medicina curativa est suæ infirmitatis secundùm suam artem, sed in practica sta-

Digitized by Google

ltatuit, quod infirmus abominabitur illam medicinam, & nolit accipere; constat quòd apud illum Medicum erit consequenter aliter judicandum, attento isto quod in facto versatur. Puto autem, quod in principio prosequutionis unitatis Ecclesiæ per viam cessionis, consideratio ista fuisset valdè utilis, & valdè ponderanda sicut & nunc: non enim semper illud quod A absolutè melius est in se, est melius ex circumstantiis omnibus simul positis & attentis. Dimissis attamen pro nunc eis quæ in facto versantur, super voluntatibus hominum variis, & quandoque depravatis, nunc per ambitionem radicatam & cæcam, nunc per contentionem & invidiam, nunc per cupiditatem vel timorem humanum, & ita de similibus passionibus; dicamus aliqua, quæ de Jure Divino & naturali fieri possunt in præsenti materia, stantibus terminis: hoc enim proderit, ut non ita faciliter mentiatur iniquitas sibi, faciens de non causa causam in procrastinatione, sive tergiversatione ad unionem Ecclesiæ, non solùm prosequendam, sed utiliter & efficaciter prosequendam: est enim idem, non quærere pacem Ecclesiæ, & illam viis non possibilibus, vel non verisimilibus inquirere.

Prima Conclusio.

Non repugnat Juri Divino, & per consequens nec humano (quod ei debet conformari) quin Dominus B Benedictus possit à vocatis Cardinalibus alterius partis, in prætensum jus alterius substitui. Probatur hoc; quoniam si repugnat, hoc est maximè, vel quia reputatur hæreticus, vel schismaticus, aut de talibus criminibus vehementer suspectus, vel quia talis substitutio cederet in dedecus Ecclesiæ, & præsertim alterius Obedientiæ, quasi malè tenuissent aut sensissent. Sed hæc duo impedimenta possunt tolli, stantibus terminis in quibus sumus, & per consequens poterit convenienter Dominus Benedictus in prætensum jus alterius substitui. Et primò, certum est apud benè considerantes & prudentes, quòd secundum impedimentum quod allegatur de decore alterius partis, nullius est momenti: nam per tale factum, nullus posset concludere, plus quàm modò, eos hactenùs malè tenuisse; quoniam cederent nostro, & ei adhærerent de novo, non tanquam ex jure quod habuisset prius, sed ex jure noviter acquisito, secundùm æstimationem eorumdem; non enim negare habent, quin sui Cardinales habeant potestatem eligendi. Quod si aliqui leviter C loquerentur in tali materia, nihil est de talibus curandum apud eos, qui famam suam non in ore fatuorum hominum, sed in ore Dei & veritatis habent reponere: sicut Christus volens unire populum suum, non distulit propter opprobria hominum & scandalum perversorum. Quòd si quis dicat ultra, alteram Obedientiam semper ex hoc facto remanere culpabilem & non correctam vel absolutam, & pœnitentem, nec esse per hoc in statu salutis: quoniam non dimittitur peccatum nisi confiteatur erratum; ista est frivola objectio, veniens ex ignorantia Juris divini, vel ex nimia adhæsione ad traditiones hominum positivas, vel ex sinistra ambitione, aut alia passione oculum rationis excæcante, prout aliàs in alia materia simili latiùs deductum est. Tenendum est hìc pro certissima conclusione Theologiæ, quòd sicut potest fieri Confessio in multis casibus dubiis vel scrupulosis, sub conditione, tam in eis quæ sunt de Jure, quàm quæ sunt de Facto, sic potest dari Absolutio conditionalis. Nunc ad propositum, puto quòd nullus est in Ecclesia quin paratus sit in corde sentire & ore dicere (si opus esset) quòd si & ubi errasset in aliquo circa meteriam Ecclesiæ vel aliam, ipse quæreret veniam à Deo & hominibus, & placerent sibi omnes Absolutiones quæ fieri possent, ad superabundantem cautelam: qua præparatione habita, dico quòd absolutio generalis in omnes qui aliter sensissent, quàm se haberet veritas in Facto Ecclesiæ, prodest omnibus talibus apud Deum; nisi aliud obstaret peccatum, vel pertinacia certa in aliquo particulari credendo, in quo non esset paratus quomodolibet audire Ecclesiam: & hoc maximè habet locum, ubi est error probabilis circa ea quæ vel Juris sunt humani vel in Facto; sicut maxima pars totius materiæ quæ nunc currit, trahit dubietatem ex his quæ facta sunt, in quibus nunc homines non solùm hìc aut illìc falluntur, sed Ecclesia, in una per tempus magnum adorata est pro Papa [*Error.*] & in similibus innumeris. Defectus autem istius considerationis turbavit multos plus justo, & pronos reddidit ad imponendum crimina schismatis vel hæresis huic vel illi parti. Denique, expedientiùs esset, ut aliqui relinquerentur conscientiis suis & divino judicio, quàm propter eorum severam punitionem, tota Ecclesiæ politia turbaretur: patet in politiis, quæ multa crimina dimittunt, ne per eorum punitionem deteriora contingerent. Ex istis, aperta est via ad tollendum impedimentum primum, quòd tangebatur contra possibilitatem elegendi Dominum Benedictum: posset enim dominus Benedictus sub generalibus verbis protestari, quòd nunquam fuit aut esse intendit errans in aliquo contra Fidem, vel contra Unitatem Ecclesiæ: & quòd submittit se omnibus, quæ contra ipsum possunt allegari, judicio totius Ecclesiæ, si & ubi reperiretur quod in aliquo defecisset; quamvis non habeat conscientiam quòd defecerit. Quæro, nunquid non ista protestatio sufficit liberare eum apud omnes, quòd non est pertinax in errore quocunque, ex quo paratus est audire Ecclesiam? unde, & si probaretur millesies quòd fuisset prius hæreticus, aut schismaticus; tamen hoc non posset probari de præsenti, quòd esset talis, & per consequens non esset impedimentum quin valeret electio, etiam secundùm reputationem aliorum. Quòd si quis allegaret traditiones humanas ad oppositum in Decretis, vel Decretalibus, quomodò tales errantes priusquàm absolvantur, debent anathematizare & abjurare errores suos, & multa alia: Respondeo primò, quòd hoc non habet locum, nisi ubi error manifestus est & certus: aliter dum est dubius, vel solùm probabilis; quia sufficit tunc abjuratio generalis, seu conditionata modo dicto. Diceretur ulteriùs, quòd pro tanto bono Ecclesiæ consequendo (sicut est Unitas, ad quam Jura omnia debent tendere, & secundùm finem istum interpretari) tales rigores Jurium positivorum non essent observandi: Exempla sunt ad hæc innumera in casibus longè minoribus: ad quid enim diceretur Theologia (quæ tractat de Jure Divino) superior & architectonica, nisi quia interpretari habet Jura omnia inferiora, secundùm ordinem & finem charitatis & unitatis (quæ charitas, est finis Præcepti secundùm Apostolum;) alioquin, frustra esset ipsa Theologia; alioquin prætereà, istæ Constitutiones positivæ in multis frequenter errarent, & fierent summæ injustitiæ, immò & perplexitates inextricabiles includerent, vel afferrent: testatur schisma præsens.

Secunda Conclusio.

Non repugnat Juri Divino, quin tempore & loco Dominus Benedictus (quantumcumque sit verus Papa) possit requiri, stantibus terminis in quibus sumus; ut pro unione Ecclesiæ consequenda ipse cedat, factis priùs per eum, quæ ad unitatem hanc habendam D essent utiliter requisita. Primò determinatum habemus illud quod aliis versum est in dubium, scilicet, quòd Papa verus potest meritoriè cedere, patuit in Cælestino, & per Decretalem expressam, & per historias Chronicarum, imò & ipse Dominus Benedictus notat in responsionibus suis, quòd nunquam viam cessionis simpliciter renuere voluit, vel etiam oppugnare

Digitized by Google

gnare; quam etiam offert in casu, quo per eam unio celeriùs haberi videbitur. Deinde, ut videamus si de hoc possit rationabilirer requiri Dominus Benedictus, & si expediat; attendendæ sunt circunstantiæ quæ sunt in facto; attendenda est scilicet dispositio alterius Obedientiæ, vel specialiter Collegii vo- A cati Cardinalium de Roma, si unquam verisimiliter vellent eligere nostrum, modo prædicto in prima conclusione vel non: attendenda est etiam dispositio Obedientiæ nostræ, & Principum, atque Prælatorum, debentium prosequi illud quod bonum est; quia sine prosecutione, verba quantumcunque sanctissima, modicùm operantur, an scilicet vellet unquam quòd non cederet, vel ut nolens compelleretur: attendenda est dispositio nostri, si ex responsionibus suis appareat, quòd posset ad hoc punctum deduci; quod si sic, res esset longè facilior; si non, difficultas esset mirabilis & quasi impossibilis, præsertim ubi reperiret fautores pro sua reputatione magnos viros; & si Cardinales sui starent secum, sicut multi fortè crederent propter experientiam præteritæ substractionis, quæ ad optatum eorum non pervenit; & quoniam ista utrobique benè considerare, magis est negotium spectans ad bonam prudentiam moralem, consurgentem ex experientiis multis negotiorum humanorum: propterea viri etiam illiterati, possunt meliùs sæpe in talibus judicare & deliberare, quàm literati, supposito B tamen semper, quòd in hoc vel in illo eligendo, non devient à regula sapientiæ speculativæ, quæ tractat de Jure divino, quòd est simpliciter Jus dicendum, ligans & obligans & inabdicabiliter, & cui omnis homo subjicitur, etiam Papa: hoc dicitur, quia si prudens non fundet se nisi in experientiis, contempto eo quòd secundùm Jus Divinum fieri vel non fieri potest; ipse facilè se seducit, sicut cognosco fuisse in aliis quibusdam prosequentibus viam cessionis, & fundantibus se in falsis principiis, quæ finaliter oportuit refellere, & ita totum destruere quòd ex illis probabatur.

Tertia Conclusio.

Attentis terminis in quibus sumus: expedientiùs est quòd vocati Cardinales de Roma, modò non eligant, quàm oppositum. Propterea, debent ad hoc per Regem & Dominos celeriter exhortari, ut convenientibus Legatis istius Obedientiæ in unum cum aliis Legatis alterius Obedientiæ, possit recipi conclusio securior pro unione Ecclesiæ consequenda. Deducitur ista conclusio ex duabus præcedentibus; C quoniam habitum est, quòd hoc modo vel illo potest fieri electio de Jure Divino, sine læsione Jurium humanorum, imò cum eorum impletione; quoniam implentur cum Juri Divino famulantur. Et tamen nondum constat sufficienter, ut videtur, quis modus esset facilior & possibilior; quoniam hoc jacet in facto, scilicet in voluntatibus istius vel illius Obedientiæ, prout novissimè tangebatur in præcedenti conclusione. Ista verò quæ sunt in facto, meliùs cognoscerentur, si fieret conventio in unum, quam nunc absentibus hominibus utriusque partis ad se invicem, & non se mutuò intelligentibus, aut sufficienter cognoscentibus.

Secundùm dicta, procedunt rationes hinc & inde; nam prima ratio ante opposita, solvitur per dicta in prima conclusione, de possibilitate eligendi Papam nostrum: Item, de possibilitate differendi usquequò Papa noster fuisset auditus & sua Obedientia, & visum fuisset, quomodò vellent omnia ratificare, ut securè fieret electio alterius, imò & sui, post cessionem factam, & cetera ea concernentia: nihil enim esset quòd hoc fieri impediret; imò certè, factum suum humile & charitativum, magis novam electionem mereretur quam demereretur: ita quòd non est excludendus à possibilitate novæ electionis, sed nec necessariò includendus, quoniam sic limitare, esset præcludere viam Spiritui sancto, in cujus nutu est inspirare, ut ille vel iste eligatur: item, esset pactum, quòd maximè vitiat electiones. Secunda ratio affert magis difficultatem in Facto quàm Jure, quoniam in Jure si Cardinales sunt boni viri, & zelatores unitatis, ipsi modicum curabunt de talibus ceremoniis Juris, ubi etiam oporteret eos subire pœnas illas pro tanto bono; quamquam multi arbitrarentur quòd ad hæc toleranda, nullo modo tenerentur, propter majus bonum prosequendum. Tertia ratio similiter jacet in Facto, quoad secundam partem, de illo qui noviter eligeretur, qui faceret mirabilia, &c. Si enim hoc constaret; quòd non multùm videretur inexpediens novam statim fieri electionem talis: sed ubi reperiemus? Quis est, & laudabimus eum? Quis magis talia faceret, quàm Dominus Benedictus sperabatur? Ceterum prima pars falsa est, assumitur de infirmatione partis alterius: nam probatum est oppositum, quòd non magis in bono possunt confirmare partem suam qualitercumque voluerint eligere. Si autem sermo fiat de confirmatione in schismate & malo, perdantur isti cum ista invalidissima & pessima confirmatione pertinaciæ suæ in hoc malo: rationes post oppositum si videantur, confirmant ea quæ dicta sunt hinc & inde.

Ex omnibus istis, concluditur illud quòd est nunc expediens fieri per Regem, & alios suæ Obedientiæ, dum interim nescitur si Cardinales de Roma elegerint: expedit enim modis omnibus tendere ad hoc, ut differant quousque potuerint magis informari de intentione istius Obedientiæ per Legatos solemnes: expedit secundò, quòd ista Requesta fiat in terminis generalibus, non descendendo quòd eligant Dominum Benedictum, nec etiam excludendo: patet hoc, quia esset præcludere libertatem, & tollere spem proficiendi nobiscum ad universalem unionem: esset enim nimis confundere partem nostram, si per expressum excluderemus electionem Domini Benedicti: esset etiam eam minus extollere, saltem æstimatione aliorum, si sic absolutam ejus quæreremus. Et pro hoc expedienti, facit illud quòd Rex jam à dimidio Anno dicitur hoc requisivisse per literas, à vocatis Cardinalibus de Roma, quæ petitio utinam esset diligentiùs prosecuta. Expedit tertiò, quòd Universitas Mater nostra, more suo stimulet Dominos & Regis Consilium, ut hæc Legatio celeriter impleatur. Primò per equitatores veloces præcurrentes; dehinc per solemniorem Ambasiatam: nec oportet circa hæc exspectare deliberationem sive consensum Papæ, vel quorumcumque aliorum; quoniam supplicationem & conclusionem justam esse monstratum est: Imò qui vellet hanc conclusionem impedire, nullo modo videretur audiendus; sed vel monendus vel contemnendus. Expedit quartò, ut Mater nostra scribat super hoc Domino nostro Papæ sub terminis generalibus exhortatoriis, imò quibuslibet aliis Christianis, & quòd unanimi consensu, sine partialitatibus, vel æmulationibus, aut patrociniis, ista materia palam & honestè, & pacifico animo prosequatur. Si autem nova veniant, quòd jam per alios electio facta est, tunc erit aliter deliberandum. Potuerunt nihilominus prædicta valere, ut si non videatur alius exitus, laboremus quòd post mortem Papæ nostri, D nulla fiat electio per Cardinales, nisi talis & taliter quòd pax habeatur tunc, etsi non velociùs, aut citiùs; ita enim pridem Rex postulaverat, dum præsens electus est. Fiat additio sive correctio per sapientes; quoniam istud in transcursu positum est.

Digitized by Google

TRILOGUS
IN MATERIA
SCHISMATIS

Ejusdem Doctoris & Cancellarii.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 699. & Navarricum unum.

MONITUM

Conscriptus est iste Trilogus post renovatam subtractionem Obedientiæ Benedicto XIII. *in Consiliis Statuum Regni Gallicani habitis die* 21. *Decemb. Anni.* 1406. *Dissentiebat in hoc à Parisiensi Universitate Tolosana, cujus Epistolam refert & refellit hoc in opere Cancellarius noster, non secus ac Epistolam Benedicti* XIII.

Subjecta est Epistola Regis Christianissimi Caroli VI. *die* 12. *January Anno* 1407. *data.*

SÆPENUMERO sublimem rationis speculam (nec mentior) solus ascendi; quatenùs super omnes vitiosarum passionum nebulas positus, eo quoque omnia supergressus, quantùm fas habui, quæ aspectui vero obstare crederentur, ego liberiores mentis oculos hac illacque versarem super hoc mare magnum & spatiosum humanæ fluxibilitatis; præsertim ad videnda quæ, pro sedatione procellarum suarum & elationum contra navem Ecclesiæ, hactenùs agitantur. Horresco memorans, conspicio naucleros Ecclesiasticæ navis hujus, strictis quasi gladiis verborum decertare mutuò, faces insuper ardentes contumeliarum & exprobrationum scriptis insertarum, jactare. Omnes se vicissim impetere, ita demùm confligere, ita collidi, quòd omissis hostibus exteris, & spretis salutaribus studiis id unum satagere credi possunt, ut quilibet quemlibet extra navem Ecclesiæ dejiciat, & deturbet. Seorsùm vos acclamant isti, horrifico boatu, seorsùm vos, in malam horam vestram procul abscedite; quoniam schismatici estis, viperarum genimina estis, infelix cuculi proles estis; vos denique omni mulctatione & anathemate debito parricidis & Patriæ proditoribus, digni estis. Aliorum ex adverso & si mitior sit res, tamen acerba est: immò vos, inquiunt, discedite à nobis, ut schismatis nutritores & fautores, ut criminis participes cum schismatico, cum perjuro, cum hæretico, cum Ecclesiæ subversore certissimo. Inter has belligerantium voces, inter literas maledicas hincinde volitantes, timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: mala sunt & valdè mala quæ video; sed nesciens interim, quorsùm res evadat, deteriora præsagio, vel formido: væ, væ si hæreses caput extulerint. Jam tamen quæstiones Fidei jactitantur inter eos, multa quoque (pro solidis veris hactenus habita) proponuntur ut dubia: & quis novit si corruptus passione præsenti animus, errabit (ut solet) à vero; seu determinando quæ falsa sunt, aut quæ non expediunt; seu repudiando ea quæ ab aliis verè determinata cognoscentur; Ceterùm à nonnullis pugnatur velut in tenebris, ita amicos non secernunt ab hostibus, ita quid feriendum, quidve impugnandum sit non vident, oculos petere habent, & feriunt tales palpantes velut cæci, & ambulantes in circuitu. Exemplo quoque eorum qui domum Loth circumvallabant, ipsi tanquam acrisia percussi, viam neque egrediendi, neque ingrediendi inveniunt. Ipsi rursus machinas magnas gravissimarum infamiarum congerunt, ex Jurium allegatione generali: sed infirmo vel deficiente veritatis fundamento, in eis qui facti sunt, nutabundæ redduntur hæ machinæ, immò corruunt, & in eis ædificantes regestæ, eosdem propria mole sternunt; talis est de gigantibus poëtica fabula: hodiè prætereà, velut olim in ipsa Babylonicæ turris ædificatione, fit in Ecclesia confusio linguarum, ut se non intelligant hi, qui vel ædificant vel ædificare se dicunt turrim ejus. Quid acturus sum miser hæc aspiciens, quid moliar hæc
A advertens? obsistere neque fas, neque vires habeo, non moveri impossibile.

Sic lugebam mœstus, sic angustiabar anxius, væ & væ crebris plangoribus ingeminans; dum ex secreto mentis triclinio, duæ comites germanæ, cum fratre uterino, astitisse mihi visæ sunt, familiariter satis notæ: nomen fratris *Zelus*, cujus habitatio in camerula irascibilis: nomen unius sororis *Benevolentia*, cujus locus est in concupiscibili: altera vocatur *Discretio*, residens in rationali: hæ sibi mutuò datæ erant in adjutorium, tanquam uno germanitatis nexu unitæ circumplectentes se cum fratre, quoniam zelus absque benevolentia nimium rigidus est, gravis, & austerus: benevolentia absque zelo, mollis & languida: zelus demum & benevolentia, sunt absque discretione, ad seductionem erroremque valdè prona: Porrò absque eis discretio quid posset, quid prodest? Et Hæc trina societas, die noctuque pluries altercata est, intra secreta domûs meæ cubicula, meum quoque frequenter rupit silentium; zelus præcipuè, cujus aliquan-
B dò vehemens adeò improbusque fit impetus; ut nunc verbis, nunc scriptis erumpere gestiret extrinsecus; non hoc, non illud discrimen advertens, neutri parti satis parcens, dummodò Pax Pax fiat, acclamaret. At verò benevolentiæ tractus quasi contrarius, & si suavior, non multo minùs validus erat ad ignoscendum omnibus, & de eis favorabili interpretatione judicandum. Quibus sic decertantibus, discretio se mediatricem moderatricemque præbebat. Operosum, magis vero impossibile mihi esset juge certamen istud describere; nihilominùs aliqua stilo mandare curavi, tum ad oblivia vitæ sollicitæ, etenim, *dulce loqui miseris veteresque evolvere questus;* tum præterea, ad exercitium qualecumque otiosi studii: hoc mihi si dabitur, satis erit: etsi nemini ex aliis sim allaturus quippiam commodi; attamen si quos juvat adesse, paulisper secedant à me, & Zelum Benovolentiamque & Discretionem, non me loqui putent, Zelum imprimis.

Zelus. Quid super est consilii ô sorores, quousque
C non pudebit inertiæ, usquequò tandem mens placida contenta quiete est? Quale quantumque fit concordiæ bonum, quâ *parvæ res crescunt*, sicut *discordia maximæ dilabuntur*? dum etiam atque etiam recogito, quibus non anxietatibus urgeor? Quibus non mordeor doloribus, quando per quatuor lustra & ampliùs, propriam ego Matrem intueor: & ô quamlem Matrem Christe? Illam tuam sponsam unicam Ecclesiam (intueor dico) non in una sui parte, non uno lætali vulnere sauciatam, quin insuper eam ipsam non barbarica tantùm debacchatione lædi conspicio; sed per suos introrsùm in visceribus suis, eò acerbiùs, quo delicatior locus est: video (heu) his oculis, per schismaticam belluam infinitorum capitum, illam piam Matrem dejici, lacerari, & per omnes artus truculenta rabie, ac plusquam belluina feritate discerpi: ferre nequeo credite, etsi ferreus esset animus. Si naturales affectus etiam in bestiis, si passiones vitiosæ in reprobis tanta audent, quanta res-censere stupor sit, non minas, non ictus, non ver-
D bera, non fustes, non ignes, non ipsa demum mortis immania, imminentis horrenda discrimina pavent, dum sequantur quà sua voluptas quemque trahit, vel sua passio rapit: horum exempla tum in animalibus respectu fœtuum, tum in hominibus philocaptis, in avaris, in vanè gloriosis, in iracundis, & ceteris hujusmodi quotidiana cernuntur: si hoc, inquam, ita in furore vel vitio; quid audere debet pietatis, quid posse virtutis affectio? quam tantò vehementiorem

Digitized by Google

rem ad bonum esse convenit, quanto diviniorem, & ex consequenti fortiorem illam esse constat: propterea, nemo dubitaverit, quin verus Matris Ecclesiæ zelator, neque incedat, quam sibi monstraverit vel ratio, vel conscientia, vel autoritas, vel inspiratio; vel tandem ipsa necessitas ad liberationem suæ Matris ab hac mortifera peste, & à voracibus bestiæ hujus schismaticæ faucibus: quod si prodesse sors acerba vetuerit, tum pulcherrimum erit pro Matre, pro pace, pro libertate tali occumbere morti: sed neque hoc magnum nobis, quibus pro præmio spes fida regnandi promittitur; quando gentes quæ spem non habent, spontaneæ neci sese devovisse, celebres collaudent historiæ, tum Romanorum de duobus Deciis, & Curio; tum exterorum de Codro. Ipsos subinde Martyres nostros, quia singuli singulas animas suas pro Fide Ecclesiæ tradentes salvaverunt, nos immortali devotionis titulo templis extollimus. Quid de labore illo quo non una anima, non paucæ, sed totum Ecclesiæ corpus præsens & futurum sua salute potietur.

Benevolentia. Tace Frater obsecro, & ferventiorem justo spiritum comprime. Caveto tu sciens & videns ne nos & te in aperta pericula mittas. Egisti hoc pluries, dum succensus quispiam, fervido spiritu tuo te medium (veluti contentiones sedaturum) inter pugnantium utrinque conflictus opposuisti: ita Christum comedit zelus domus Dei, dum mortuus est, *ut faceret utraque unum.* Sic apud Poëtam, senior ille Galesus occubuit.

Dum medium paci se offert justissimus unus.
Qui fuit, &c.
Et pius Æneas dextram tendebat inermem,

pacem acclamans, dum jaculo femur transfixus est: hac tu cogitatione deterreri potueras, ut Sapientis usus consilio *Prov.* XVIII. 6. non misceres te rixæ alienæ, ne vel te & nos omnes, morsibus sævis odiorum & infamiæ lacerandos objectares; lacerandos dixerim, aut ab altera partium, seu (ut frequens est) ab utraque: vulgati dicti memineris, *Natans inter duas aquas, in utraque submergitur*: Jam experientia propria hoc te docere & si cetera deessent, debuerat. Nonne tutius erat consilium propheticum Amos V. 13. *Vir prudens in illo tempore tacebit, quia dies mali sunt?* Nonne prætereà salubrius id quod Ezechielis visio habet, lugere & gemere super cunctis abominationibus quæ fiunt; & cum Jeremia sedere tristem, aut cum Regio Propheta, optare pennas sicut columbæ, volare & requiescere, & in solitudine salvum fieri à pusillanimitate spiritus & tempestate, dum est contradictio in civitate.

Omissa in Tractatu cui Titulus Trilogus in materia Schismatis. Parte prima

Hæc addita ex MSS. Codd. usque ad hæc verba: passionum tumultibus.

IN *medio ejus injustitia, & dolus.* Ps. XXXV. 4. Istud nonne securum potiùs, quàm conari contra rectum fluvii potiùs; quàm arci cadenti se opponere an alterum præbere. Potiùs denique quàm in frustra niti & fatigando non nisi odium quærere, quod extremæ est dementiæ: a Salustio sumpsit Hieronymus.

Zelus. Itane Soror? precor absiste me frustra cohibere magna molientem: quis extrema sui ipsius etiam tentare pericula refugiet si fortè vel tenuis spes arriserit obviandi publicis animarum, Fidei ac Religionis jam latè emergentibus incommodis. Nondum ad sanguinem restitimus; nos contra usque ad mortem pro justitia certare jubemur: quantominùs nos curare convenit verba hominum, in re tanta, exemplo Fabii Maximi de quo preclarè Ennius ait quòd *non ponebat rumores ante salutem.* Et ut apud Nasonem est *sunt & sunt jurgia tanti.*

Discretio. Quid eniteris zelus meus; quo pacto rem A supra vires loqueris & præsumis? Ecce luctuosissimum absque exemplo, imo nullis unquam luctibus æquandum schisma pestiferum regnat. Ecce exitialem supra Pharisiaca contentione de Papatu dissentionem quæ non vetustate consumitur ut ferè omnia; sed in dies altius radices malas agit & tanquam fama, monstrum horrendum, ingens vires acquirit eundo. *Expectavimus pacem* deplorat Jeremias XIV. 19. *& ecce turbatio* Sic Ecclesia insanabili quodam canchro depascitur ægrescitque medendo. Sic suam hydram patitur quæ ex succisione fæcundior fit; ipsa insuper quasi Minotaurus inegressibili labyrintho circumdatur & more ferarum habet in retibus pedes suos: quod si dira hæc pestis in hoc mali supremum, quod abominor, evaserit ut nequiorem se prolem parturiat, hæresim videlicet & errores in Fide, quis non videat de remedio actum esse? quis ultra præsumpserit huic duplicæ plagæ lætiferæ curationem humana arte inveniendam fore? quando schisma & hæresis, perniciosissima societas B circumligabunt se, compriment se, fovebunt se, malis vinculis & . . . . . una . . . . . conjuncta, ut nec spiraculum sit inter eas. In hoc igitur tanto malo ad quod tollendum tot summorum virorum operas & studia frustra consumpta vides; qualem proficiendi spem habeas tu videris.

Benevolentia. Benè mones Soror Discretio benè suades, supra vires nostras est hoc negotium & quærit Frater noster stulto amore consumi.

Zelus. Quis saltem prohibeat me benè conscium quidpiam eniti, dico non jam ad schisma funditùs & repentè tollendum, quadam temeritate illud præsumerem; sed enitar si fortè id potero & Deus annuerit cohibere, ne deterrimo collapsu schisma ruat in hæreses. Ruat autem quomodo? Certè per contentiosam animositatem hominum volentium sibi facere nomen; aut eorum prætereà quos vexat ille qui cuncta male ministrat impetus, aut eorum qui neque propriam nec aliorum vocem intelligunt garrientes ut picæ, & C quia ad pauca aspiciunt de facili enuntiantes; aut postremò eorum quos sedulitas de pace major quàm satis est, paci officit: nam *qui nimis emungit elicit sanguinem* Prov. XXX. 33. *& summum juris summa injustitia fit.* Faciam igitur intereà quod licet, depulso inerti otio, ego quadam litterulâ, quia vox longius audiri non potest, alloquar omnes in communi pia & simplici fide tanquam medius pacis, precabor, obsecrabo, contestabor per communem omnium Matrem Ecclesiam; ut seposita interim animositate aut simultate qualibet, insuper passionum tumultibus se audiant, semet intelligant, se coram videant: fallit me expectatio mea, si non protinùs abjectis armis ambulabunt in domo Domini cum consensu, aut ostenso signo ad sagittam, hoc est sine debito, ipsi sine deviatione improvida, medium veritatis attingent: aut si pugnandum fuerit argumentationibus, ipsi exemplo Israëlitarum ibunt omnes animo pacifico ad prælium.

Zelus. Quid me aspicitis ô Sorores, grandia videor polliceri; sed grandiora Fides potest, amor audet, doloris materni necessitas invitat.

Benevolentia. Magna prorsùs repromittis Frater, D sed major in exolvendo difficultas reponitur: tot sapientes hucusque nequeunt id facere quod attentas solus & justus: ita ne tot animorum varietates, tot votorum mille species adunabis, quando idem homo, plerumque secum dissidet, & in eadem domo rixæ regnant incompescibiles? Quid ages præsertim, ubi animo deliberato placet error, placet divisio, pax sola voce, non corde conquiritur, ubi denique tanta,

ta, quanta esse posset, finium varietas invenitur.

Zelus. Noli tandem obsecro ô Germana Benevolentia, noli molestum silentium tam pertinaciter indicere; permitte me confabulari in amaritudine animæ meæ, sine illud quòd me premit evomere; dolor inclusus urit acrius: Ego saltem literulis infodiam quæ sentio, nullum ibi discrimen formidatur.

Discretio. Age ergo Frater si detinere non possumus, permittimus interim scribere te omnia quæ in animum venerint; tantummodò ab injuriosa temeritate, ab irreverentia qualibet abstineto. Cave ne deseras germanas tuas, Benevolentiam & Discretionem, quatenùs benevolus sit & discretus sermo tuus, nec accusans, nec excusans alios plus debito, sed aureæ mediocritatis semper in te ornatus effulgeat & placeat, mordaci odiosa dicacitate ejecta.

Zelus. Faciam quod hortaris, Soror Discretio. Nam & tu Benevolentia significas te hujus esse sententiæ: vis enim omnia interpretari benevolè, secundùm nomen tuum; non tamen ita benevolè quòd lædatur veritas, sed ut charitas nutriatur, & veniat dies, qua exultantes canere fas sit Canticum istud, *Misericordia* seu benevolentia *& veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.* Ps. LXXXIV. 11.

Benevolentia. Assentio Frater, nil aliud sanè magis expostulo, si id ipsum agere supernus Arbiter Deus concesserit. Comitabimur ergo te, tu id quod suggesserimus, tuis verbis exprimito: at verò super omnia vide ne sis zelus talis qualem Apostolus nominavit, Rom. X 2. *non secundùm scientiam,* quem præterea dixit zelum contentionis, I. *Cor.* III. 3. quia videlicet nec Discretionem nec Benevolentiam Germanas tuas audiebat zelus talis.

Zelus. Fiet utique, ne dubites, & quidquid in utramque partem dicendum videbitur, illud deliberato, sed brevi libramine rationis explicabo; nunc alloquens omnes in commune, nunc ad particulariora me deflectens; quòd si post, finito verbo, deprehenderitis me prævaricatorem pacti hujus, vestra erit correctio, & meum ultro parcere corrigentibus. Multa tamen (id advertite) locuturus sum nominatim sub modo triplicis Epistolæ, qualia loqui vel posse vel debere personas introductas, non meam, licentia oratoria conjecturat. Principiò miseret me fœdæ confessionis tuæ Sanctissima Mater Ecclesia, videre filios tuos in utero tuo acerbissima pugna confligere, discerpere viscera tua & nulla ratione pacem quam omnes acclamant voce, posse reipsa contingere. Et quò ruitis viri Patres & Fratres; non sit, obsecro jurgium inter vos, quoniam Fratres estis unius Patris Dei; unius Matris Ecclesiæ, uterini estis. Si sententiæ diversæ sint inter vos, ut humana fert fragilitas (quoniam incertæ ac timidæ sunt providentiæ nostræ, præsertim ubi variatur narratio in eis quæ facta sunt) numquid propterea contentiones odiosæ regnabunt inter vos? numquid exemplo mulierculārum, res injuriis peragetur? Nonne salubrius est & Christiano dignius vinci à bono quam malo vincere? imò hoc pessimum est, illud optandum. Credite mihi, pax malè per schismata quæritur, non utiliter injuria injuriis, sic nec calliditas calliditate, nec morbus morbo repellitur aut sanatur. Si præterea contentiones & rixæ sint inter vos, nonne carnales estis? ego quidem dico quòd unusquisque vestrum dicit: Ego sum Benedicti, ego substractionis, ego neutrius, & quòd venire solet inter oves, dum cæca nocte prædator lupus irruerit, fugiunt, pars hæc fauces lupi nescia incurrit, hæc in oppositum parietem impingit, hæc nullo certo vagatur attonita. Non aliter spiritu quodam vertiginis agitatur cœtus Ecclesiæ; pars palpat velut in tenebris ignorans quæ petat, pars ambulat in circuitu, pars sistit expectans lucem veritatis certam de tenebris splendescere, pars neque scit neque vult quidquam agere; nihilominùs ipsa & agentes utrinque ridens djiudicat. Alios rapiunt & transversos agunt passiones variæ, pessimæ consiliatrices, ira, odium, invidia, cupiditas, ambitio, timor & similes; adeò ut pro personis persequendis, sincerus amor pacis, & serenissima veritatis amicitia deserantur aut impugnentur: quo facinore, quale aliud execrabilius cogitari possit, nequaquam invenio. Per tales, si non obviatum extiterit, exponetur Fides discrimini; si suis litteris fidentes, si eas instrumentum suarum passionum efficere molientes, determinaverint aut asseruerint (levius debito) in hanc vel illam partem ea quæ meliùs intractata manerent: ut si diceretur Papam non esse caput universale Ecclesiæ Jure Divino; Papam non expedire esse unicum pro Ecclesia; Papæ passim in facie resistendum esse, passim & ab eo appellendum: vel ex adverso, si quis assereret quod in nullo casu Papæ dicere liceret, cur ita facis? & similia. Quosdam præterea videre est qui tanta animositate suis aut cœptis aut consultis inhærent, ut nullis ad oppositum rationibus, nulla incommodorum experientia flecti possint. Malunt omnia secum ruere, omnia frangi, vel turbari, quàm pedem retroflectere à via sua, etiam in via, & ob hoc jam non via: quoniam progressui obstare reperiuntur vel spinarum, hoc est vitiorum, sepes horrida; vel fossatorum, hoc est cordium profunditas incognita; vel latrunculorum malignitas, vel comitum mutua impugnatio, vel viarum districtus humiles, quos cervicosa turgidaque præsumptio nequit prætergredi, quia nequit humiliari. Irascuntur denique tales odio immortali contra omnes, quos viderint vel audierint, non dicam adversari sibi, sed non plenis vocibus & totis assentire sententiis. Alios ad omnem ventum instar arundinis videmus mutabiles, quia pro buccella panis, justitiam desererent. Alios tandem invenimus (& utinam multos) qui parati sunt obedire veritati cognitæ; sequi præterea, quod sequi licebit vel expediet, multa quidem licent quæ non expediunt: hi nullos odiunt, nullos persequuntur, quos absque malignitatis admixtione cum puro & simplici oculo veritatem quærere cognoverint; etiam si non datum fuerit invenire. Reminiscuntur quod Paulus & Barnabas absque peccato dissenserunt, ita ut discederent ab invicem; nullo tamen odio seipsos persecuti sunt, nullis maledictis & injuriis se invicem consectati leguntur. Qua in re, videntur egisse non satis benevolè, nec discretè (ne loquamur acerbius) illi qui sub nomine Venerabilis Universitatis Tholosanæ, quamdam nuper Epistolam grandem, Serenissimo Francorum Regi transmiserunt, plenam maledictis, pungentem injuriis, corruptam opprobriis in illos omnes qui non secum sentiunt, qui substrahendo, non secum in obedientia (ut dicunt) debita perseverant. Verum sepositis interim propriis ad seipsos affectionibus, & odiis ad alios (obnubilant enim ista veri judicium) animadvertant, quid ex oppositis substrahentes possunt rescribere, nominatim illi de alma Universitate Parisiensi, qui profundiori nota quæruntur inuri.

Exemplar litterarum responsivarum ex persona Universitatis Parisiensis ad Epistolam Tholosanam.

POSTULATA inprimis REX CHRISTIANISSIME Majestatis tuæ licentia, convertit se humilis filia tua, respondere Tholosanis quibusdam per Epistolam, tali sobrietate qualem te decet audire, & nos loqui, contextam non qualiter meruerant hi qui maledictis improbis, qui execrandis execrationibus, infamare Regiam dignitatem, cum generali Consilio suo conati sunt; rupto de repentè diutino silentio. Loqui-

Digitized by Google

quimur ergo sic ad eos REX SERENISSIME Te audiente, Te Judice.

Eia Fratres, super quibus accusamur à vobis; si talia erant, qualia exaggerando declamat (immo satyrica dicacitate mordet) charitativa illa Epistola vestra (nisi canina potius appellanda erat) profectò, vestrum vos accusat quadriennale silentium: cur enim tunc confestim, ut nunc serò, neque arguistis, neque statuistis contra faciem nostram, nos Fratres vestros, qui tam manifesta & sacrilega impietate vestris judiciis errabamus, sed pertinaces nos ac desperatè errantes linquebatis? Quo pacto igitur nunc frustra nos impetitis, si tales judicamur à vobis; aut si ad Regem vestrum & nostrum duntaxat sermo vester est? Qua ratione ipsum & omnes de generoso Sanguine suo, non protinùs ab errore revocastis, quos juratis vos scire, vos firmiter credere nequaquam pertinaces esse in substractione per eos effecta, & sic palam effecta, ut nulla possit tergiversatione negari. Testis es ô Rex eorum quæ dicimus. Qua igitur vel infidelitate vel inertia, non monuistis eos continuò, si tam certo & probroso schismatis anathematisque vinculo (vestris judiciis) nisi resipiscerent, ligabantur? Atqui, stupidos fortè vos & elingues effecerat timor: quis timor? timor cadens in viros constantes: unde ortus? inde ortus, quod sicut scribitis; vir quidam Legatus ex vestris, ferè necatus est in Concilio Parisiensi celebrato. O quam providè trepidastis! *nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.* Poterat unicuique vestrum si obmutire præsumpsisset simile contigisse: nondum verò ita desipitis fratres, ut hæc dicatis, & si ita loquimur; alioquin quo animo certare vos pollicemini usque ad mortem pro justitia, qui nondum usque ad sanguinem restitistis: si vos quos plus triennio pavor puerilis exercuisset, trepidantes timore ubi non erat timor: nam qualis timori locus servabatur, ubi tam promptos defensores & propulsores injuriæ, Episcopus ille mox invenit, Dominos Duces, sicut testamini? Quid si cerebrosus, si capitosus, si præsumptuosè loquax, aut minax erat ille vester Episcopus, non est nostrum definire: sed neque est usquequaque incredibile, cum si talis erat, dum in turbam alacrium, ingenioque vivacium juvenum incautus impegit; quod exagitatus ab eis secundùm meritum suum, & exsibilatus extitit.

Sed ad silentium vestrum regredimur: Respondere postulamus: ubi tunc erat dolor ille ingens, qui (sicut ex historiis trahitis) mutos etiam ex natura loqui cogit, dum recentior erat injuria, dum plaga nova, curationi proximior; dolor iste vester quo nunc æstuare vos jactatis, quorsum abierat? aut unde nunc subitus emergit; denique dolor iste, dum ab initio erat quasi mustum novum absque spiraculo, nonne in strepitus vastos fortius erumpere, nonne clamores horridiores extorquere debuerat? At verò scandalum vobis erat formidini: quale scandalum, passivum an activum, datum scilicet an acceptum; & responsionem qualemcunque paraveritis; damnat vos Gregorius qui tradit, *non esse deserendam propter scandalum veritatem vitæ, doctrinæ, & justitiæ*, qualem hic asseritis. Sed exitum substractionis aut (sicut sermo vester loquitur) partum infelicem præstolabamini; quid ita quæsumus, numquid ab eventu negotiorum, mentiri jam actorum bonitatem congruum vel necessarium judicatis; videte ne fallamini. Quanta sunt optimo initiat principio, quanta in quibus nihil virtuosæ & moralis prudentiæ defuit, quæ tamen successu prospero vel intento caruerunt, ad quod potest violatè traduci illud:

Careat successibus opto,
Quisquis ab eventu facta notanda putat:

Nostrum est plantare, nostrum est rigare secundùm prudentiam à Deo nobis inscitam, hæc verò nihil sunt omnia; sed qui incrementi consummationem dat, Christus est. Narrat Judicum Liber, filios Israël pugnantes Domini monitu, bis magna strage corruisse; quis tamen dixerit eos de aggressu pugnæ propter hoc inculpandos? At fortè prolixus sermo Epi-

A stolæ vestræ, talem temporis tractum ut elaboraretur exigebat, utque coacervaretur interim grandis congeries maledicorum in nos verborum, ut interim grandiloquam tragœdiam contumeliarum, ut sales asperos, satyricæ, improbæque reprobationis, expueret in nos fraterna illa vestra dilectio. Sed profectò si fuisset iniquitas nostra, ut talia audire meruisset (quod libera voce refellimus) certè tamen vestra amicitia ex similitudine quadam studiorum nobis obnoxia, vestraque prudentia & gravitas, qualis deceret studiosos, digna apparebat, quæ pulchriori, & non illoto obscœnoque sermone uteretur: dignum erat illud speculum, quale vos esse gloriamini, quòd radiis purioribus rutilaret; digna denique vinea vestra, quæ non in has maledictorum labruscas degeneraret. Poëticum est involucrum, Musas agrestes ideo in picas conversas esse, & quosdam agrestes in ranas, & alios in simias, Aracnen in araneam, Niobem in silicem,

B & alios in alia; quia linguis abusi sunt, eas in maledicta laxantes. Præclarè demum ab Aristotele dictum est, *honorem esse in honorante*; ita proculdubiò illiberalis & contumeliosa vituperatio, sordidat exprobrantem. Nam qualis unusquisque est, talia dicit, sicut qui de terra est de terra loquitur. Sed vituperare nos, sicut tamen Epistolæ facies ostendit, vestra nullatenùs erat intentio, qualis ergo nimium laudare obedientiam, & inobedientiæ scelus detestari, causam prætereà defendere Papæ & Ecclesiæ, denique à devio nos infaustæ substractionis avertere? Estne igitur vestra, Fratres, prudentia tam oblita sui, ut arroget sibi docendi nos officium, in re præsertim notissima, quod obedientia bona est, inobedientia mala, graviterque plectenda, quis hoc ignorare præsumi potest? Maximè apud nos, quorum studium antiquius, solemniusque, tam numero, quàm merito & autoritate semper extitisse, nec ipsi negaretis: nam & inimici nostri sunt judices, quod tantùm ceteris supereminet Universitas nostra, quantùm inter virgulta cupressi. Ampliùs verò pro inobedientia (si ita

C necesse fuerit) nos edocenda erat, ne dispendiosissimus sermo trahendus per autoritates emendicatas, ingestasque sine ordine; per pueriles periodos assiduè similes, & plus æquo sonoras; per fastidiosam nugacis repetitionis ejusdem sententiæ sterilitatem: denique irascendo, dentibus frendendo, & tabescendo in nos; quasi belluina feritate mox conculcandi, lacerandi, devorandique videremur. Poteratis Fratres, poteratis aliter vestram jactare eloquentiam; aliter vestrum officium, vel docendi, vel monendi, vel corrigendi ventilare. Nimis elapsum esse à memoria vestra monstratis illud Ciceronis documentum, cui Scriptura sæpe concordat, *sit monitio sine contumelia vel exprobratione.* Nam & *Michaël disputans cum diabolo de corpore Moysi* &c. Judæ. 9. Rursùs Fratres elocutionis vestræ accuratio, vel deserenda erat penitus, vel accuratiùs incorruptiùsque servanda. Quod dictandi vitium, non magnopere culparemus, si non vitiosissi-

D mo & prorsus intolerabili genere confutationis uteretur, illa elegans eloquentia vestra; quæ enim vitiosior confutatio seu argumentatio adduci poterat, quàm quæ ad utrumque flecti potest? Quem defectum, si per totum hunc terminum oculis videre nequivit vestra solertia, tot litteris erudita; quo ausu nos in obscurioribus commonere præsumpserit consideret. Hoc itaque quod dicimus, monstrabimus digito, tantummodò oculos aperire non pudeat. Si obedientia laudanda est, ut totiens inculcatis, quasi non ita sentiremus; si hæc sit gladius vester acutissimus, quo nos jugulare, immò cruentis vulneribus confodere satagitis; attendite quàm facili retorsione gladium ve-

 strum

strum in jugulum vestrum convertimus, *obedire* siquidem *oportet Deo magis quam hominibus.* Act. v. 29. non hoc inficiabimini. Oportebat ergo ut Deo jubenti recedere à consortio vel hæretici, vel schismatici vel in talibus vehementer notoriè diffamati, aut in nocumentum Ecclesiæ præsidenti, vosipsos præstaretis obedientes: quod quia non fecistis, fas habemus ex consequenti more vestro concludere, quòd inobedientia hæc vestra plecti debet pœna tali, immò majori, quàm nostra, facta (ut fieri dicitis) ejus Vicario, nam contemnenda est hæc potestas, ut altera superior honoretur. Scimus his auditis, quid agitis, quid obstrepitis, quid rugatis faciebus stomachantes acclamatis? Nos certè nullum fovemus in hac parte schismaticum, nullum hæreticum, nullum depopulatorem Ecclesiæ, nullum de his vehementer & notoriè diffamatum. Ita excusatis vos Fratres. Nos è contra proponimus, accusamus, suademus, purgantes nos similiter per negationem eorum quæ nobis imponitis: erat idcircò radix hæc difficultatis & controversiæ, ad quam evellendam, totis eloquentiæ illius vestræ Tullianæ nervis, incumbere debuerat charitas vestra: quæ radix? Probare videlicet Dominum Benedictum non esse schismaticum, non hæreticum, non adversantem Ecclesiasticæ unitati, aut non de his meritò vehementer infamatum; aut esse talem, qui non convertit Obedientiæ suæ honorem in instrumentum destructionis Ecclesiæ. Hoc est quòd in contentione versari, quòd unicum confutari conveniebat, non de obedientiæ præconiis & inobedientiæ suppliciis, immò de partialibus maledictis membranam occupare. Et istud tamen, cur curare modò & non antea citiùs effecerit vestra fraternitas, nondum perspicua ratio inventa est; nisi fortè uti voluerimus suspicionibus malevolis in vos qualiter abutimini in nos: diceret enim forsan suspiciosus aliquis, quòd livida æmulatio vestra, ob præclarissimam Studii nostri famam, aut aliundè malè parta, nunc tandem nacta opportunitatem, egesta est, quasi si aperiatur sepulchrum patens, intùs spurcidum & olidum. Suspicabitur alius non invidiam, non odium, non rancorem; sed vel adulationem, vel ambitionem suæ promotionis avidam, rupisse hoc vestrum silentium; dum spes arrisit novarum provisionum habendarum, si nova restitutio fieret, præsertim vobis petentibus & altercantibus, & usque ad periculum capitis decertare pollicentibus: longè verò sint à nobis interpretationes hujusmodi malevolæ & incertæ Fratres charissimi. Numquam id agere nos contingat quod in nos fieri rationabiliter inculpamus: ista quidem est rixatio vel feminea vel canina, seu puerilis, dentibus & unguibus injuriarum causam ducere; ista pugna Goliad à contumelioso contemptu certamen inire. Esto tamen, fuerit in nobis aut nostrûm nonnullis intentionis corruptio; quoniam quis potest gloriari se mundum habere cor, cum non sit homo super terram justus qui non peccet? Nihilominùs quale super hac corruptela adducitis efficax argumentum, ut tam certo, tam absoluto, tamque generali vos feriatis judicio; quasi vocis illius immemores intonantis, *nolite judicare & non judicabimini.* Luc. vi. 37. Esto, sint inter nos aliqui ambitiosi ad Beneficia, aliqui leves ad judicia, aliqui odiosi ad Dominum Benedictum, unde tamen constat substractionem per tales emersisse? Omittamus nos respondere, quomodò talia fingere habet vestra discretio de Rege nostro & vestro, de Dominis Ducibus consanguineis suis, de Baronibus Regni, prætereà de Consilio Regis, de Prælatis & toto Clero Franciæ, postremò de toto Regno Hispaniæ. Exclamabitis hìc immò jam exclamastis quod per nos seducti sunt, excæcati sunt, alienati sunt: mirum verò si vos soli & absentes & pauci, apertos habetis oculos in eorum regimine; si vobis solis sua illuminatio, suaque directio debeantur: attendite ne intolerabiliter nimis arrogetis. Scitis & creditis firmiter quòd Rex & Domini de suo Sanguine generoso, non adhærent substractioni pertinaciter, hoc est vestrum verbum: certe neque nos pertinaciter adhæremus. Adhæremus tamen, sicut & ipsi, donec interim nobis (paratis corrigi si erramus) clarius aliquid commodiusque pro A Ecclesia dilucescat. Aut igitur eos omnes, pari nobiscum crimine, parique reatu convolvite, quia substraxerunt se sicut nos (sed non vultis quia non audetis) aut nos sicut ipsos habetote excusatos; quoniam pertinaces esse non volumus, quod tamen omninò facere refugitis. Sed dicetis, si non estis pertinaces, cur à damnatæ substractionis continuatione non cessatis? Interrogetis similiter cur ab eadem Rex non abscedit: quod si perurgetis quærentes rationem, nostra est communis responsio; quoniam nostram interim conscientiam sequimur: nam quantùm licet dubitare de Domino Benedicto; an perdiderit jus in Papatu, aut quòd obedientia ad ipsum est Ecclesiæ pestifera, tantundem fas est ab ejus obedientia secedere: neque enim negabitis, quoniam pro culpa hæresis aut schismatis Papa fieret inferior quolibet Christiano; Jura sunt ad hoc plenissima; neque prætereà latet vos, potestatem Papalem, datam esse in ædificationem Ecclesiæ, non in destructionem: quo abusu in destructionem Ecclesiæ notorio existente, nonne exemplo Pauli, B resistere in facie gerenti se pro Papa, liceret? Nonne sibi dici posset, cur ita facis? Athanasius Summus olim Pontifex, & aliorum nonnulli, super hoc sunt in exemplum. Et ô Deus arbiter æquissime, quo pacto mirantur istud quidam hominum, quasi non intelligibilis sit hæc absurditas, cum in rebus longè minoribus id licere fieri, magno assensu concederent! Si enim Palatium suum, sive Civitatem suam Papa facibus accensis, pro sua libidine quæreret concremare; si paganos armatos, si agrorum depopulatores moliretur apud Christianos intromittere (etiam ubi nihil Fidei prædicaretur adversum) si virgines ingenuas, aut matronas honorabiles violare satageret; quis tam indulgentissimus unquam aut blandus adulator ad Papam fuit, qui negaret his ausibus obviandum esse; qui Papam ipsum, si verba non sufficerent, diceret non debere factis arceri? Jure naturali conceditur vim vi repellere; ideòque conceditur personæ singulari fas esse Papam aut Regem vel ligare vel carceri mancipare, (eis in- C justè persequentibus hanc personam) si sibi non aliundè pateret propriæ mortis, aut impudicæ violationis effugium. Si hoc in damnis corporalibus tam liquidum est, quid de spiritualibus incommodis, longè gravioribus, relinquitur æstimandum? Jungamus hanc rationem ad rem quæ agitur. Si substracti habuerunt probabiles vehementesque conjecturas, aut certas rationes, ex his quæ facta sunt, quòd Dominus Benedictus adversabatur Ecclesiasticæ unitati, nunquid non bono fine, & intentione poterat hæc fieri substractio? Quæretis quo pacto? Sic quippe, ut non assumeret obedientiam sibi factam, in velamen aliquod nequitiæ aut protelationis schismaticæ pravitatis, idque mille mediis; aut continuando honores suos sine procuratione unionis, aut promovendo sibi faventes in hac libidine dominandi, aut nunc apertè, nunc occultè, non faventes sibi persequendo. Videtis clarè, si quid videtis, quòd nullis hoc loco utimur sophismatibus, immò ne sophismatum paralogismi vos decipiant (sicut fefellisse videntur) D nos ipsam ad nudum difficultatem revelamus; cum proprium sit Sophistarum secelare, & positiones suas vel involvere vel transferre. Nullas prætereà Legum interpretationes subdolas aut fictas adducimus, solis innitimur Regulis Juris Divini & naturalis, quas pro vobis assumitis, quasque immutabili veritate subsistere, nequaquam ignoratis. Hæ sunt Regulæ quas Summus Ecclesiæ Prælatus, propter Ecclesiæ utilitatem stabilivit. *Quod Papæ, si apostatet a Fide, resistendum est*

Digitized by Google

est in facie; & si non rectè ambulet ad veritatem Evangelii: & quòd vim vi licet repellere; quòd Deo magis est Obediendum quam hominibus; quòd bonum publicum præferendum est bono particulari, quod ad publicum ordinatum est. Istis inquam innittimur, non ut falsò criminamini talibus, *quòd facienda sunt mala ut bona eveniant; quòd persequendus est Papa verus, ut schismaticis salus detur*: nondum ita vestri similes sumus, ut ita A desipiamus. Quid ergo multos turpiter planè involvunt sophismata dum nimis fugiuntur: quia enim videre nequeunt, quomodò Papa verus aut pro tali habitus, desinere possit esse Papa, aut non habendus esse pro tali, ipsi non capiunt qua ratione substractio possit (immò & debeat in casu) justissima reputari: hoc est, inquiunt, inobedientem esse, hoc est persecutorem capitis existere; cum tamen nulla secessio à capite dici debeat inobedientia, neque persecutio, nisi Legi Divinæ fuerit contraria. Est autem Divina Lex, jubens recedere à tabernaculis impiorum; jubens fratrem, postquam audire noluerit Ecclesiam, habendum esse sicut ethnicum & publicanum; jubens præterea oculum aut membrum aliquod eruendum esse, ne totum corpus sua contagione depravet: quæ divina jussio, qualiter ad rem quæ tractatur adaptari debeat, insinuatum est; scimus tamen quid adhuc respondetis, negatis in hoc negotio causas tales in facto. Hoc verò est quod in disceptatione nostra B versatur, hoc probare quod negamus aut improbare quod æstimamus: debuerat charitatis vestræ prudentia, aut non notissima ingerere, non nos mille conviciis insectari, non verberare latratibus auras, non nos priusquam intelligeritis arguere.

Et quoniam idipsum non peroratis, & res longiori disputatione eget, quàm ut sub Epistolæ brevitate possit coarctari (quia denique jam pluries tam scriptis quà vivis vocibus declaravimus rationabilitatem nostræ substractationis) hoc tandem dictum sit pro responsione ad Epistolam vestram si non potiùs Epistola vestra Libellus diffamatorius appellari meruerit: nec latet nos quàm multa alia posuistis, quæ si in rigidum examen intrarent, illa de errore in Fide, de crimine in bonis moribus, de inobedientia læsæ Majestatis Regiæ, & aliis pluribus damnanda paterent: quæ omnia ostendere, sicut & principalem causam nostram justificare paratos nos offerimus, quantùm & quemadmodùm tu Rex sapientissime jusseris, qui hactenùs nos individuos coadjutores tuos assumere dignatus es; neque enim diversum à te quidquam C agere fas putat discretio nostra. Et si improbè provocati ad certamen impar, minore numero & virtute sufferre molestum sit, potuerant ista sufficere: si non vicissitudinem referre vellemus, reddentes pro malo bonum, & Benedictionem monitoriam pro exprobatione maledica, cum illo qui gloriandus ait, *maledicimur & benedicimus.* 1. Cor. iv. 12.

Itaque petimus rationem, Fratres, quo fructu, quave utilitate complacuerit sejungi à communi Regis & Regni Consilio: periret quippe omnis politicus ordo, si ea quæ communi sunt assensu conclusa, quilibet pro suo motu capitis, vel inculpare vel ad novam censuram revocare contenderet. Ubi enim fuit unquam tam aperta, tam concors sententia, quæ non adversis calumniantium linguis carpi posset? Aliis amore, aliis ignorantia, aliis sola contrariandi protervia, aut pruritu novas res moliendi vexatis; sed neque Conciliis generalibus præstitus est olim assensus unanimis taliter, ut non ex aliqua parte contradictores invenirentur: æquum est idcircò, Legibus- D que & Consuetudine sancitum, ut ore majoris partis stet omne Communitatis judicium. Alioquin si cuilibet assiduè fas esset obniti, nihilo plùs ageretur, quàm si inter naucleros ejusdem navis, odiosum continuaretur jurgium; illis velum tendere, istis laxare, aliis dextrorsum, aliis sinistrorsum ex adverso conari, implicabili animositate tentantibus: deliberatione enim majoris partis acceptata, nonne consultius est, ei vos opem ferre, vel nequaquam pertinaciter adversari & ita portum qualemlibet attingere, quàm sub dubia spe melioris portus, confundere interim omnia seditione certissima? multa proinde tolerari debent jam facta, quorum incœptis contradicere dignum erat. Esto, vobis appareant, vel fortè sint saniora consilia, nihilominus apud Communitatem (cujus estis pars parva) ambulantem in opposita sententia, quid prodest tractus vester pertinax aliorsum; immò quid aliud operatur, quàm contentiones, scandala, animositates, & disturbia, ad rem omnem quæ agitur salubriùs finiendam. Negotium aliquod grande priusquam certa conclusione firmetur, opus habet consultatione, in qua sit animus in consulendo liber: porrò acceptata conclusione, tunc est tempus faciendi, non djiudicandi. Quod si opposueritis Præceptum Domini, ut non peccet aliquis sequendo multitudinem; hoc de criminibus, quæ benè fieri nequeunt, intelligi necesse est: non enim talia unquam licere, faciet quantuslibet numerus peccantium, & stultorum, quorum infinitus est numerus. At verò secùs est in eis quæ fieri benè possunt, in quibus conscientiam propriam ad aliorum formare judicium, quandoque licitum, quandoque debitum est, qualiter esse dicimus in proposito, ubi ea quæ in facto sunt, non quæ Fidem immediatè respiciunt, ventilantur. Objicies fortassis, quòd non sinceris animis, non mediis usquequaque juridicis, non per personas omni vitio carentes conclusio substractionis excepta est: quasi non ita possit fingi in omni negotio publico, quasi præterea per solos bonos beneplacitum suum operetur Deus, operatur & per malos, quales etiam inter vos aliqui sunt, nisi confirmatos vos Pharisaicè jactetis præ ceteris hominibus, & exceptos ob illa regula, *si dixerimus quia peccatum non habemus, &c.* 1. Joan. i. 8. Quot Principes infideles, quot tyrannos iniquos legimus & vidimus, à quibus æquissimas Leges, & Edicta, quis nesciat emanasse? qua in re perspicuum esse debet, quòd negotii qualitatem magis attendere conveniet, si justo fine, si pia intentione fieri potuerit, quàm suspicionibus duci, ex agentium hac vel illa voluntate. Petereà Fratres, cessent contumeliæ, abeant sinistræ de nobis suspiciones, quales habere de vobis nec vultis nec volumus. Credite Fratres, nos benè conscii nobis sumus de processu hoc ad pacem Ecclesiæ, qui utinam tam prosperum successum caperet, quàm piè semper optamus; optare autem hoc magis nostrum est, quàm illud exhibere. Tandem quia res (ut arbitramini) discussionem exigit ampliorem;) non enim propter aliud nos ad certamen provocare debetis (obsecramus te Rex Serenissime, sicut jam obsecravimus pro Concilio totius Obedientiæ celebrando, in quo conveniant seniores, videre de Factis & de Jure (quod ex Factis exoritur) examinatissimam veritatem, quam semper amplecti paratos nos offerimus, in nomine ejus qui est veritatis, in quo benè valere & sobria modestia sapere omnes optamus Fratres nostros in eodem Domino charissimos.

Talia in aliorum personam transfigurata sint (ô Sorores) pro recussione eorum, qui nimia acritate sententiam propriam defendere, & alienam carpere reperti sunt. Et quoniam ita tibi placitum est (ô Soror Benevolentia; hoc enim nutu tuo significas) convertatur Oratio nostra ad eos, qui acta omnium, præsertim Superiorum, tota severitate recensent atque dijudicant, nullum eis refugium ad correctionem, nullum locum ad veniam vel excusationem relinquentes: cum profectò malè nimis essent res humanæ, si semel peccantibus clauderetur misericordiæ sinus: quod si misericordia conceditur hominibus, illa obsecro, quibus rationabiliori judicio præstabitur, quàm hominibus occupatis, quàm hominibus ad regimen Reipublicæ constitutis? siquidem ad eos ex omni

Digitized by Google

ni parte fallendos invigilat assiduè subditorum quorumdam malignitas; nunc mendaciorum fuco, nunc blanditiis adulationum, nunc accusationum confictionibus, nunc ingestione suspicionum, ut vel sic rapiant, spolient, & detrahant, vel ut amorem simulent, tanquam solliciti de salute Domini sui; si multos accusaverint, si mendaciorum novitatibus aures A prurientes Principum fricaverint, si accensos odiis, si stimulatos ira animos eorum magis inflammare urgereque studerint. Quamobrem, non abs re videtur dixisse Seneca; *Consulendum esse bonæ menti suæ de re; quam*, inquit, *bonam mentem nemo occupatus invenit*: & alibi tradit: *hac ratione esse vel difficile vel impossibile, ut idem sit Princeps & vir bonus.* Ipsi profectò Superiores non tam super homines quàm homines super eorum capita positi sunt; & non tam invidia quàm misericordia digni habendi, tanquam miserabiliores ceteris hominibus & velut positi ad sagittas causa deceptoriæ jaculationis; quorum multorum stultitiam, adulatio in insaniam vertit; aliorum iracundiam in favorem, aliorum benevolentiam indulgentemque naturam, trahit ad prodigalitatem crudelissimam; rapiunt enim à pauperibus quod apud ditiores effundunt: parcunt denique delinquentibus, languida quadam specie benignitatis illecti; sed redit hæc misericordia stulta ad inno- B centum perniciem truculentam. Quantus erat ille Rex & Propheta David, quàm sagax, quàm pervigil? ipse cum ad unius servi mendosam vocem seductus est, ut hereditatem, cujus Pater de David optimè meruerat, ad eumdem servum traduceret, postmodum quod etiam monitus non restituit sed dividendam imperavit. Quorsum hæc omnia? nimirùm ut commonefacerem tolerandos esse pia compassione defectus Superiorum, magis quàm dijudicatione severa persequendos. Neque mihi quispiam opposuerit illud Sapientis, *Exiguo conceditur misericordia*: *Potentes autem tormenta potenter patientur.* Ipsi verò Principes in hoc exigui sunt, eoque ampliùs, si ex ignorantia fortè sua, ipsi sibi grandes, sibi fortes & beati videantur. Rursus, si plura in hominibus vitia correctio imposita tolerat, reservans ea divini censuræ judicii; idem fieri de principatuum delictis necessitas major expostulat: ut non protinùs pro quolibet errore spernatur eorum principatus, cum Apostolus Dominis etiam dyscolis, & Christus Pharisæis hypocritis obedire præceperit, & Aristoteles definit Principem non debere repercuti. Vidit hoc Tragicus ille, qui monuit Athenienses, ne leonem introducerent in civitatem, introductum verò eum cum omni C mansuetudine & lenitate tractarent, quæ similitudo satis est accomoda rei quam agimus. Quod si de quolibet principante hæc vera sunt, ipsi Domino omnium, & servo omnium, de Domino omnium Papa loquor, quis non hoc commune misericordiæ debitum impendendum arbitretur? Esto, Dominus Benedictus erraverit, non offerendo celeriter viam cessionis; attendatur in eo potuisse cadere deceptiones quales numeramus provenientes ex subditis: attendatur humani cordis fragilitas ad honores quærendos avida, & pertinax ad retinendos; attendatur quantas vires habeant suspiciones ingestæ à malevolis, nec esse facilè illos pro libito divellere: attendatur insuper pœnitentia ipsius, offerentis jam pridem id quod ab initio quærebatur. Denique si erratum est ab eo, nunquid sibi janua pœnitentiæ, quæ cuilibet inferiori aperta est, occludetur? nunquid pœnalis carcer; nunquid innumeri dolores alii in corpore, in bonis, D & in fama, jam plus quadriennio tolerati, diluere sufficiunt hoc erratum! Viderint hi qui sint monstrantes oppositum verbo vel opere, ne plus hostili odio personæ, quàm unitatis publicæ zelo se prodant inflammatos. Itaque placet hoc loco inserere quandam Epistolam, quasi nomine suo ad Regem Franciæ destinatam, quæ sic contexta est.

Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei, Charissimo Filio in Christo Carolo Francorum Regi Christianissimo, Salutem Apostolicamque Benedictionem, & miserationis spiritum assumere. Si demolitio Jerusalem terrestris, olim perstrinxit ad lachrymas cor Prophetæ Jeremiæ, & Salvatoris Jesu: Si præterea corporalis separatio sponsi à sponsa fideli, tantæ est molestiæ, si denique ipsa etiam natura suo docet instinctu turturem assiduos gemitus edere, dum compari viduatam se senserit: nullus mirabitur, si in desolatione miserabili spiritualis Jerusalem, & in acerbissima separatione, quam in ea sensit animus, conqueror & ploro. Quis igitur dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ad deflendum jugiter luctuosissimam Sacrosanctæ Ecclesiæ labefactationem divisionemque. Quis me consolabitur? quis medebitur? Consilium quale mihi proveniet? Ita planctus lugubris, dolor, & angustia tangunt omnes in commune filios Ecclesiæ. Sed longè sæviùs atque profundiùs dilacerat infelix cor meum, inaudita miseria, hoc exterminium, ista perditio: nimirum data mihi illa est in sponsam singularem, quæ omnium Mater est universalis; his nihilominùs oculis aspicio tam nefando schismate eam vexari, quæ Mater est pacis & unitatis, tam execranda & atroci persecutione eam fœdari, quæ fons est pietatis, tandem vili dejectione & ignominiosa servitute eam ipsam proteri, quæ libertatem & honores largitur æternos. O pia Mater omnium, ô mea singularis sponsa, quousque durabit pessimus iste languor tuus? quamdiu debacchabitur furor impius in viscera tua, satis nimisque tuis in membris perseverat hæc horrenda divisio. Et heu quale tibi ministrabo consilium, tuis quo pacto medebor incommodis? Cruentum hoc vulnus tuum in me descendit ut vides, quoniam hinc vastatrices curæ, hinc sollicitudines pervigiles, intus timores anxii, foris pugnæ, in tribulatione, violentia, & diuturno indignoque carcere qui mihi de propria comparatus est domo, & de specioso olim, nunc domesticorum manu obruto Palatio. Quid referam probra? quid diffamationes iniquas? quid sinistras interpretationes dictorum factorumque meorum? quid mille mei & meorum inenarrabiles afflictiones? Attamen non est hìc malorum summa: utinam in caput meum refluerent omnes ærumnæ tuæ ô fidelis sponsa usque ad duræ mortis perpessionem sine detrimento animæ; & tu benedicta libertate foveres in gremio pacis omnes filios tuos, & oves pascuæ tuæ. Et ô Pater Maxime & Optime, ô Salutifer Christe, ut quid natus sum videre mala gentis meæ? ut quid datus sum custos, sponsus & pastor, si non aliam opem, aliud solamen, & aliud ferri dabatur auxilium. Porrò si Sancti Patres quibus infausta tempestate succedo, gemebant olim sub verendo pondere curæ pastoralis, sicut Gregorius & aliorum plurimi, etiam dum Ecclesia suo honore & prosperitate floreret, quid nunc dicturus sum in sua & mea tam incomparabili calamitate, & in tanta malorum mole? Hinc vel maximè perspicuum esse debet, me in tali statu afflictionis & mœrorum perniciosè retinendo, non esse contumacem. Alioquin profectò miserabilior & stolidior sum omnibus hominibus, qui miseriam certam cum certa damnatione quærerem: sed avertat hanc insaniam à servo suo misericors Deus. Ceterum, nonne variis & laboriosis antea Legationibus attritus sum, si fortè resarciretur truculenta hæc ruptura, & si discussis tenebris, serena veritas oriretur. Sed nunc elevans me dignitas, gravius allisit, & coangustavit undique: itaque gravis forinsecus cernitur corporalis afflictio; subter verò introrsus plaga sævit acrior, dum pia recogitatione considero, quemadmodùm omnes conatus mei, omnis zelus pius, omne fervens desiderium ad pacem adipiscendam cassati sunt. Et ô mores, ô tempora, ecce quod supra modum auget infelicitatis cumulum, à nonnullis etiam de perversa intentione notor

Digitized by Google

tor & inculpor: quid dicam ad hæc? Planè & constanter negabo. Potuit aliqua fortassis subrepere ignorantia, quæ tam vicina est humanæ fragilitati; & in hoc me, meaque omnia prorsùs justificare nequaquam audebo: : illud namque Apostolicum verbum, quem hominum non exterreat; *nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Cujus dicti quæ alia est ratio? nisi quod *in multis offendimus*, Jacobi III. 2. & quoniam *non est homo super terram qui vivat & non peccet*, Eccle. VII. 21. & quod *incertæ sunt providentiæ nostræ*, Sap. IX. 14. & *justitiæ* omnes sordidæ, *tanquam pannus menstruatæ*, Isaiæ. LXIV. 6. denique quales sumus in oculis divinæ majestatis novit nullus. *Et si justus fuero* (inquit Job IX. 21.) *hoc ipsum ignorabit anima mea*: verùm si maligna fraude, si cupida ambitione, putavi quidquam agere quod Ecclesiasticæ unioni vel obstaret, vel eam retardaret, sit in animam Judex Deus; quoniam potiùs talia ab initio usque in præsens obtuli, quæ salubria & sufficientia pro unitatis prosecutione fideliter æstimabam & adhuc existimo, si non obfuisset pater ille mendacii, qui omnia in malum & turbationem evertisset. Nosse potes hæc omnia *Fili Serenissime* & *Christianissime*, coram quo fiducialiter hanc querelam effudi, nec habeo necesse regias aures adimplere longa narratione talium oblationum per me factarum, tam de via conventionis utriusque Obedientiæ, per consilium à Fratribus meis Cardinalibus primitùs datum, quàm de via compromissi, & novissimè de via cessionis. Cui viæ, immò & martyrio, sicuti palam testatus sum jugiter adhæsi, secundùm præparationem animi. Nec ab hac unquam promptitudine discessurus sum, si & dum veram parere unionem cessio videbitur: testes sunt apud te harum oblationum patentes Literæ meæ, nisi doloso aliorum silentio contectæ sint. Arbitror autem nunc elucescere, si levior fuisset & oportunior (pro ineundo tractatu unionis) prima conventionis oblatio, quàm subito in cursu talem arripere viam, quæ in has truderet angustias; & cui nullum unquam præbuerunt assensum adversarii, absque quibus generalem fieri unionem, quis exspectet? Nolo tamen *Inclyte Fili*, ex his dictis vel dicendis, tuam inculpare devotionem ad pacem Ecclesiæ, quæ utinam devotio nulla unquam mendaci informatione (super meis & aliorum gestis) quæsita fuisset illudi & corrumpi. Sed admirari non sufficio, quo pacto ego qui sic egerim, si tracter, infamer, includar, & nondum pro liberatione mea ab indignis carceribus tuum meruerim auxilium. Nonne tui Antecessores proprium habuerunt, succurrere non solùm vexationibus Ecclesiæ, non solùm Summis Pontificibus in sua Sede reponendis; sed omnibus communiter injustè passis, quasi nobilis Franciæ Domus, templum tale esset misericordiæ, quale apud Athenas fuisse memoratur, ubi cunctis afflictis erat præstò subsidium. Nunc enim *Fili Charissime*, vera Regum Franciæ progenies, & heres exemplorum insignium; vides coram oculis tuæ Serenitatis illum quem pro justo Papa coluisti & colis; illum quem ut Patrem Summum in terris, & animæ tuæ Pastorem Sanctum frequentibus titulis extulisti; Illum prætereà, quem tu cum Regno tuo successisse confiteris per electionem legitimam Christo & Petro; illum quoque quem prudentissimus Pater tuus vivens coluit ut talem; illum deinceps qui (etiam si caduci numerentur honores) nobilis est Prosapiæ; illum denique, qui Deo propitio vitam hucusque duxit innocuam, sine quavis infamiæ nota deforis; quia quid intus agatur, Judex erit cordium inspector Deus; tu, inquam, talis vides me, talem (de me enim loquor; & me laudasse coëgit necessitas) vides modò sic inclusum, sic contumeliosè tractatum, (tanquam essem unus ex servis abjectissimus) sine honore, sine dignitate, sine statu, sine genere, & vitæ celebritate. Nihilominùs aut dissimulas Fili, aut contemnis præbere succursum, neque me expedire jubes, qui unico mandato tuo, ab his me incommodis potes liberare: quamquam compertum habeo non te jubente ista fieri, neque persuaderi sanè potest, ut credam generosum animum tuum erga meas ærumnas tanta duritie stringi: quoniam mollesceret ad compassionem, si profundè & religiosè considerationis oculos ad tantæ rei indignitatem converteret. Quid de te loquor, quoniam ipsos etiam barbaros & paganos pietas naturalis tangeret, si viderent personam, nuper talis autoritatis, gradus, & honoris, & nobilitatis, repente dejici & concludi intra parietes domesticos, & hostiliter oppugnari. Existimo quòd & in Regno tuo, maxima pars, meæ calamitati compatitur, sicut & dolorem aliorum Regnorum experior. Proindè si ex Consiliariis tuis aliqui (utinam boni sint omnes & fidi) seducere vellent Regium animum, ne mihi meoque statui misereretur, videant saltem tales; & ponderent tuam & Regni tui famam: quoniam dedecus Filii, est Pater sine honore, & in subditorum infamiam redundat Præsidentis opprobrium; quale est insuper illud quod ab adversariis & æmulis quotidiana insultatione jactatur. Vellem silerent, & ego digitum ponerem ori meo, sed vox altior & populosior est, quàm ut tegi possit; & qualis vox? Quòd à Gallicis tenetur obsessus dirè & hostiliter Papa suus: vox, quòd Domino suo supremo adversi sunt, nec alterum sequuntur & suum persequuntur: vox, quòd pro libito mutant Papas, nunc instituunt, mox destituunt: vox, quòd facto ipso & si non verbo fatentur se reos in schismate, & partem corroborant quam impugnant: tales & plures circunvolant rumores & improperia, & quam apparenter id fiat, viderint illi qui talium sunt occasio. At vero fortassis objicient aliqui, me in causa esse omnium quæ lugemus. Nam cur, inquiunt, dignitatem tuam per fas aut nefas retines? cur non ad ea quæ petuntur condescendis? Possem huic objectioni planis & validissimis obniti responsionibus ad justitiam meam (nisi quod propositum hic habeo alterum) & quoniam advertis quam lubricus & instabilis esset omnis Dominii status si repentè ad vocem cujuslibet cedendum esset juri suo, jure vel injuria sine discretione, sine fructu, sine manifesta necessitate; sed non hic insistendum decrevi. Hoc unum postulo & exhortor in Domino, pro communi bono totius Ecclesiæ, quatenùs depulsis ira, odio & vindicta & quæ retrò sunt obliviscentes, extendamus nos in anteriora ad unionem promerendam, tu præcipuè inter ceteros qui singularis protector es & cultor Ecclesiæ ut sollicitè consulas, quid prodest, immò quantùm paci obest quod includor carcere, ego qui tam libero & parato sum animo ad omnia pro eadem pace: ubi nihilominùs pars adversa perstat in errore suo, neque verbo significans, neque facto velle se cognoscere veritatem justitiæ nostræ, neque offert aut recipit viam aliquam per quam intrusus suam habeat Sedem deserere quam occupat, ut saltem pari pede pax quæratur. Scis tamen quot & quantis Legationibus pulsati sunt, ex quibus ita esse non ignoras si non fictitiis relationum commentis elusus es. Nunc quali spe prosequimur partem universalem, si particularis, si multiplex & jugis sit inter nos divisio? Qua fiducia resistemus falsitati, si veritatem nostram inutiliter confundimus? Prodesse quid expectamus in non obediendo ei qui canonicè non dubitatur electus & esse tanquam corpus lacerum membris à capite divulsis, quando cernimus alios pertinaci animositate in sua unitate non verè una conjunctos? Nec ista dico, sit veritas, tanta sollicitudine ad liberationem corporalem (quam & si tamen opto quis mirabitur) quantùm pro affectu boni & honoris totius Ecclesiæ & dignitatis Pontificalis Sanctæ Sedis Apostolicæ, tui præterea & Regni tui & totius Obedientiæ adhærentis veritati. Quamobrem concludendo precor & obtestor *Fili Charissime* in Christo, quatenùs hanc queri-

Digitized by Google

querimoniam filiali devotione & Christiano altoque animo suscipiens, jubeas carceralem circa me confestim cessare custodiam, quæ prorsùs indigna est; etsi non fortè demeritis propriis erga Deum, Ecclesiasticæ tamen dignitati, illi proindè qui Pater nominatur & est talis Regis, qui demum Christianus est & Christus Domini; in quem Christianos immò filios proprios abuti sævitia tyrannorum quantum qualeque A piaculum sit animadvertis. Audent quidam sacrilega impietate (sicut accepi) impurum & procax os laxare, ad notandum me pro hæretico aut schismatico, qui utinam tam tenacis essent Fidei aut Religionis, quàm longè sum ab hac blasphemia. Errare, ut cum Augustino fatear, potero; sed hæreticus non ero, neque est alia indigniùs à me vel impatientiùs ferenda injuria. Ideòque obnitens talibus cum uno Sanctorum Patrum liberè pronuncio, mentiuntur. Te rursùs invoco Filii, ut feras mihi sic afflicto velociter auxilium, quemadmodùm in tali necessitate (qualis nec tibi unquam nec sanguini contingat tuo) nequaquam dissimulare; sed totis conatuum viribus obviare satagerem. Pone quæso ante providentiæ tuæ oculos qualis futura esset Ecclesiæ facies, & quam fœda negotiorum turbatio, perplexitas & involutio scaturirent, si nunc migraremus à carne, non habito priùs alio rerum stabilimento, vel ordinis serenitate, sicut haberi potest dum vivo, si non vel nequiter vel praviter abjicior. Postremò si hucusque, ut humana est B ignorantia vel infirmitas, quidam irrationabiliùs processerint; non pudeat vel sero vinci ratione & superari veritate, nec in casu jaceant, sed indè resurgendo cogitent: neque enim poterit aliter efficaciùs ostendi simplex conscientiæ puritas in processu, & non præceps ira, non tumens ambitio, non cæcus odii rancor, vel edax vindictæ furor, sed pacis amor unicus dominabitur tractantibus ipsum hoc tantæ sobrietatis & reverentiæ negotium. Et tu Pater misericordiarum & Deus totius consolationis & pacis, qui promisisti misericordiam misericordibus, qui dimittere præcipis si nobis dimitti volumus, da clementer veniam delictis propriis & alienis, sis mihi propitius ut hac una vindicta contentus sim quòd errata corrigas, suppleas defectus, & deinceps omnium pedes in viam salutiferæ pacis dirigere, denique cor Regis quod in manu tua est, ad hoc inclina & inclinatum corrobora; cui des gloriam & honorem nunc & in perpetuum.

His ita se habentibus & allegatis, sentio quid postulatis, ô Sorores charissimæ, postulatis itaque ne tegam silentii velo unam ex Epistolis, quales missæ videri possunt ab inclytissimo Franciæ Rege pridem, velut post reditum ab Ambasiata facta Summo Pontifici, substractione nondum facta: parebo libens, vos assistite.

Patere obsecro, Sancte Pater perpaucis alloqui Pastoralem Celsitudinis tuæ Præsidentiam, patere rogare ea quæ ad pacem sunt Jerusalem; quatenùs benignè facias in bona voluntate tua Sion ut ædificentur muri Jerusalem, *Psal.* L. Nihil hìc exprobrando dicturus sum, sed te obsecraturus sum ut Patrem, tum hortando, tum commonefaciendo cum instructione filii mei ut ea ante oculos tuos statuantur, quorum attentionem actualem obliterare potuerunt, seu curæ variæ turbantes rationis oculum suo pulvere, seu blanda quorumdam assentatio commune Magnatibus malum, nihil ad veritatem, omnia ad gratiam dicentium; aut proindè naturalis quidam D amor sui, quo sui cognitio nonnunquam impeditur, aut denique sub dolo machinamenta eorum qui sub ovina pelle vulpe tegunt. Quæ enim ex sublimioribus personis se ab his pestibus securam satis esse jactaverit. Vide ô Pater Sancte, & si vides non pigeat profundiùs iterum atque iterum circumspicere quale quantumve est pacis bonum quod omnes in communi appetunt, conclamitantes, Pax, Pax, adeò sine pacis pulchritudine omnia sunt deformia, anxia, molestaque. Omnia quoque pacem suam quamdam non minùs quam vitam desiderant, abhorrentes divisionem: quantò magis ignoscere, immo verò dignam pro meritis laudem rependere te convenit Pater Sancte, omnibus & singulis quos pacem appetere, quærere, prosequique cognoveris, quos audieris persequentes ex adverso, exitiale schisma præsens quaquaversum viâ; præsertim quàm compendiosiorem eis vel ratio vel necessitas cognata rationis ostenderit. Talem de te spem tui mores, tua vita à puero benè instituta mundo præbuerunt, hanc insuper exspectationem, tua gesta responsaque in negotio præsentis schismatis apud omnes genuerunt ut tu præcipuus judicatus sis, cui pastoralis baculus pro conterendo nequissimum maligni schismatis caput donaretur, quem præterea Papalis Sedes susciperet ornanda sessione tua si præsideres in ea. Nihilominùs ultronea cessio si ita res exigeret, locum liberum ad pastoris uniti collationem apparet. Videbantur hæc sufficere tali omni exspectationi; attamen ipsam vallavit jusjurandum quo controversia omnis finem capit. Sed ô dolor plusquam dolor, ô Sancti Sanctæque omnes, unde malum istud irrupit quod confunderet nos ab exspectatione nostra? Heu quantùm mortalia pectora cæcæ noctis habent, quàm terribiliter nullos excipiens enunciavit Propheticus sermo: *Pravum cor hominis & imperscrutabile, quis cognoscet illud?* Jerem. XVII. 9. Da veniam Pater Sancte fideli meæ interrogationi: si animis nostris hanc in veritate spem tui ipsius ingenueras: si cor in ore & fronte gerebas, quid causæ quidve fascinationis irrepsit, quod nos vel falleret vel confunderet ab exspectatione, ab illa inquam exspectatione, quæ pollicebatur nobis te agente reversuram pacem Ecclesiæ, rediturum seculum aureum in terris. In cujus prætereà assumptione ad Papatum nova lux oriri visa est, in hoc quoque diluculo matutino sydus quoddam benevolum sereno nobis fulgore micare putabamus. At heu exspectavimus pacem & ecce turbatio, in deterius quippe versa confusaque sunt omnia. Meruit hoc, inquies, subditorum improbitas, volens me ipsum Patrem eorum ad illud compellere quod ultroneus agere debueram. Primùm (Pater Sancte) non violentia, sed oratio plurima præmissa est, petis à quo? à me filio tuo, cum tota Ecclesia Regni mei, per tales quales nosti, C tales quibus alii supplicant, & quorum fide ac prudentia gubernamur, frater germanus & duo patrui: quod si suspiciosum forsan erat orare illud ducum quasi foret species violenta jubendi, facilis planè patebat exitus; præoccupasses eorum preces, offerens absque ulla procrastinatione illam quæ petebatur juramenti impletionem; ostendisses præparationem animi ad cedendum, si & dum cessio tua pacem allatura esset Ecclesiæ: itaque via cessionis nonne ab omnibus qnamtumcunque tibi vel tuæ estimationi faventibus esse sanctissima & compendiosissima judicata est? quanquam non esse te cogendum ad ipsam fuerit quorundam sententia; sed te voluntarium, te spontè offerente eam quæ communi assensu probabatur viam, quis oro coëgisset? Si qua igitur fuerit coactio ex renisu tuo venit. Affirmant viri sapientes & litterati qui mecum sunt, te pro salute gregis astrictum esse secundùm præparationem animi, non solùm ad cessionem sed ad martyrium, & hoc modo cedere non est relinquere gregem sed salvare: quid quòd ultra communem Legis divinæ obligationem, juramentum solemne superadditum te ligavit. Dices fortè te nec juramento nec officio constrictum ut confestim Papatui renunties, præsertim non expectato fructu pacis. Profectò, Pater Sancte, neque hoc quærebatur: quod si de me meorumque sinceritate quædam malevolæ suspiciones alienæ ab hac veritate gratis assumptæ sunt;

Digitized by Google

sunt; audi quoniam multos supplantavit suspicio illorum, qualibus utique suspicionibus præbere levem auditum, nihil magno viro indignius, nihil pro suo & suæReipublicæ statu incommodius reperitur: hoc quippe agit suspicio talis apud Rempublicam, quod zelotypia apud domesticam; zelotypia autem quales non domos inquietat & turbat, eas aliquando funditùs evertens! Esto fuerint qui stillarent auribus tuis, quòd aliqui magis ad personæ tuæ dejectionem quàm Ecclesiæ reformationem anhelabant, quòd Papatum ambiebant alii, quòd pars una Papam optabat de cognatione & patria, quòd pars altera pro ambitione aut vindicta, aut aliis causis reprobis incedebat in via pacis. Examinandum sanè erat non quid tales dicerent, non quid garrirent incerto auctore susurri; sed quid veritas à Domino dirigenda postulabat: neque enim staret omnis politia, si pro adulantium aut malè suspicantium confictione & non pro agendorum veritate regeretur. Et memineris PATER, si fefellit te talis malevolorum suspicio, dum te protestationem publicare suasit, quam postmodùm libens retractasti. Protestationis autem hæc erat Sententia: quòd visis modis procedendi qui erga te & tuos tenebantur (notabas violentiam) tu omne inde secuturum & per te concessurum invalidum reputabas & inane: quasi videlicet te pertinacem facere contenderet, aut blanda adulatio, aut subdola inimicantium confictio, nisi sagaci retractatione providisses. Quinetiam si quæsisset aliquorum (ut tibi videtur) vel arrogantia vel impietas cogere te ad illud quod sponte agere volueras; nonne satius erat te vincere in bono malum, quàm à malo vinci; sapientiam enim non vincit malitia. Pessima certè victoria, vincere vult aliquis homines si ab ira, ab odio, ab impatientia & vindictæ zelo superatur, & adeò superatur aliquando ut omissis omnibus quæ alioquin agenda fore cognosceret, ipse se in aperta peccata & in magna mortis hujus & æternæ discrimina trudit dum frendens dentibus ait: Ergo ne invitus compellar ad hoc vel ad illud? Ergo ne malis gratibus meis hæc & illa sum acturus? Itane ego Dominus obtemperabo subditis tanquam eorum vilis servus? quis contemptum hunc; quis meæ hujus dignitatis vituperium ferre posset, mori satiùs est quàm talia perpeti, fracti prorsùs animi & abjecti esset talibus assentire. Has voces PATER SANCTE, scis non esse modestiæ Christianæ, neque de schola illa prodire ad quam invitans Christus, *discite*, inquit, *a me, quia mitis sum & humilis corde*, Matth. XI. 29. *qui cum malediceretur non maledicebat, cum pateretur non comminabatur.* I Pet. II. 23. Quid si quis ex æmulis tuæ Dignitatis, cognoscens magnitudinem cordis tui, aut suspicans fortè pronitatem ad suspiciones, sparserit rumusculos tales pro exagitatione turbida suscitanda, per quem omnia sibi suspecta fierent, ac proindè certum discrimen intrares: sic aprum vani catulorum latratus à tuto cubili removent & efferunt enecandum, sic *qui timet pruinam, irruet super eum nix*, Job. VI. 16. sic postremò trepidantes aviculæ in veros laqueos cadunt ob inanem motarum plumarum formidinem. At verò suspicionibus his rejectis, ne ab eis dum reprobamus capi videamur, audire te videor & dicere, quòd viam æquissimam obtulisti; viam conventionis in quam totus etiam cœtus Cardinalium primitùs condescendit; viam præterea quam appellas justitiæ. Viam primam PATER SANCTE, nondum quemquam repudiasse cognovi, nisi quod per se insufficiens apparebat, propter quod ulterior oblatio viæ cessionis quærebatur, ad quid ita? nimirùm ut tantus apparatus conventionis nequaquam fine congruo fraudaretur, qui finis ex omnium quos consulimus & aliorum penè omnium judicio non aliter commodè quàm per utriusque contendentium cessionem haberi sperabatur. Sufficiebat autem (ut tibi visum est) oblatio tua generalis, ne eadem facta in particulari, cornua daret adversæ parti, tanquam diffideres de jure tuo, qui tam leviter cedere spopondisses: sed non fallitur, non irridetur inspector cordium Deus, *sapiens* (ut quidam ait) *vitam suam non populari rumore, sed conscientiæ veritate metitur.* Quid si quidam imperiti aut superbi aut malevoli tuam hanc humilitatem sanctissimam, tuam charitatem Christi imitatricem, zelum tuum ferventissimum in oblatione spontanea viæ cessionis sinistrè detorsissent ut formidas: alii super numerum plures, graviores insuper tum fide, tum amicitia tua, tum pietate Catholica te hæc agente collaudassent utentes Salomonis judicio, quòd veram habuisses maternam charitatem, qui infantem Christum vivum in Ecclesiastica sede sua alteri cedere maluisses quam dividi. Ceterum verò non parum urgebat te præstitum juramentum, nisi glossis corruptis aliquis illud fœdare voluerit, aut dicere quòd quia in deteriorem exitum vergebat, non erat observandum: absit, PATER, ut nos omnes tuæ Obedientiæ filii judicaverimus unanimiter, ut qui discors sit nescio, quòd via cessionis ceteris eminebat, eratque sancta & Deo accepta, si ipsa sub juramento promissa nequiret salubriter, vel offerri vel exequi; quid verisimilius est decipi vel unum vel universos? Quid probabilius falli paucorum conscientias, vel omnium? Addo quòd si errasset universitas Obedientiæ tuæ in hac sententia, nihilominùs pastoralis pietas astringebat te potiùs condescendere nobis piè errantibus quàm omnia tàm certæ turbationi exponere: quippe ad hunc intellectum verè enunciatum est quòd *communis error facit jus*: non enim præsumere debueras omnes ad tuam sententiam citiùs attrahendos fore, quàm ad aliorum judicium te unicum vel admodùm paucos tecum posse converti; nam hoc ultimum liberum tibi erat non alterum, obsistentibus tot capitibus, quot tamen convenisse in unam viæ cessionis oblationem, nonne miraculum est & penè divinum? Opponet demum aliquis patere satis nunc quàm inutilis & cassa fuerit hæc via cessionis, quæ nihil hactenùs pro pace valuit operari. Hoc argumento viam conventionis, aut illius quam nominas justitiæ liceret inculpare, quas nihil adhuc profecisse cognoscimus. Sed non acceptæ sunt respondebis, hæ viæ, ideoque non tentatæ: ita certè, nec viam cessionis acceptasti tu, cujus interat eamdem primitùs offerre; eamdem dico, totiens ante Papatum per te PATER, ventilatam, laudatam & ferè pro unica commendatam: quod si præsumitur pro via conventionis aut altera si fuissent acceptatæ, quòd dedissent pacem Ecclesiæ, multò ampliùs hoc existimare convenit de acceptione libera viæ cessionis: quod si post oblationem tuam charitativam altera pars contumaciter renuisset peragere, ipsa de se suaque salute vidisset, tu liberatus nobiscum, tu gloriosus, tu ab omnibus re & nomine Benedictus evasisses. Verum ignosce PATER SANCTE, si nimis urget Celsitudinem tuam multiloquium zeli mei, talia ego non ad damnandum, sed hortandum pronuncio, quatenùs eos qui pacem Ecclesiæ prosequuntur non inculpes sinistris interpretationibus, quasi depravato animo erga te vel dignitatem tuam moveantur, quatenùs præterea, condescendente te capite nostro, ad humilem membrorum voluntatem, instar Christi ambulemus omnes uno animo, uno passu, una via; donec occurrat nobis pax vera in eo qui fecit utraque unum, Domino nostro Jesu Christo qui est Deus benedictus in secula.

QUID superest agere ô Sorores? dum pars invenit utraque causas, tùm excusationis propriæ, tùm accusationis alienæ? qua ratione posset hoc fieri, etiam si tu benevolentia tanto nisu conareris ut pars quælibet excusanda censeretur; sed neque in tam contrariis judiciis videri possunt accusandi. Et ô Sanctissima Mater Ecclesia cui sententiæ interim cessura es? Quam

Digitized by Google

amplexaberis, quam probabis? Christiana Respublica inter has contentiones animosas & incertas quid aget? intereà quò se vertet, quali poterit regimine gloriari? Dudùm contendentibus Pompejo & Julio Cæsare plusquam civilibus armis, Romana Respublica neutrius partem probans remanserat in medio desolata cum Catone, qui nulli similiter parti favens erat. Ita enim dicit Seneca. Utrum verò simile sit in schismate nostro tantò deteriori quantò animæ mors quàm corporis plus horroris habet non determino: utinam veniat Dominus qui & illuminet abscondita tenebrarum & posita in lucem compleat in opere, parum quidem videre est si non datur operari. Hoc quidem solum relictum videtur, ut quia cum ignoramus quid agere debeamus humano consilio, confugiamus ad divinum, nisi vobis aliud ô Sorores videatur.

Benevolentia. Mihi Benevolentiæ idem prorsùs est judicium Frater, ut nullis accusatis malevolè, sicut observare (nisi me fallit amor tui) studuisti, convertamus nos ad Dominum; quatenùs ad nos convertatur, ambulans super aquas præsentis fluctuationis ventisque imperans & mari, & fiat eo jubente tranquillitas. Quid tacita recogitas Soror nostra Discretio, dic & tu quid censes agendum.

Discretio. Ego verò, hoc idem nihilominùs, ne tentari videatur Deus, conari decet nos ad laborem, si fortè piis attentationibus aspiret Deus vires.

Zelus. Verissimè suades per meam Fidem, Soror Discretio saluberrimè & divinè: vis igitur ut ea prælia quæ penes nos servamus recondita super hoc negotio proferamus in medium, tùm de medio pacis inveniendo, tùm de Concilio sic vel non celebrando, tùm de Papæ accusatione & excusatione, cum reliquis; illorum enim inspectio dare posset occasionem sapientibus profundiora cogitandi.

Discretio. Video te Frater, ad ingenium redis, totus flamma es, nequis non velle foras erumpere, scio quæ tu loqueris, illa quodam impetu magis projecta sunt quàm digestè ordinata, sine stilo, sine limitatione. Attamen si ita fert animus tuus nec compesci potest, tu in alia nobiscum concione ea propone; nos secedere ad alia tempus vocat & verba tua (ut aspicis) jam popularis concio, jam scholasticus cœtus, jam Curia Regalis exspectat: tuam rem ergo age & benè habe.

Zelus. Polliciti memor obedientia ultrò, & tu benè habeas soror, nec ullo unquam in negotio me deserere, tuo quoque spiritu ô germana Benevolentia procul omnis à nobis & ceteris maligna perversitas exturbetur &c.

EPISTOLA
CHRISTIANISSIMI
REGIS FRANCIÆ

Justificativa substractionum factarum à Petro de Luna, non obstante obedientia suo prædecessori & sibi quandoque præstita.

Exacta ad MS. Cod. Vict. 463.

CAROLUS Dei gratia Francorum Rex, universis Christi fidelibus Salutem in Domino, & ad eam quam summmoperè desideramus Ecclesiasticam unionem unanimiter aspirare. Pax Ecclesiastica quæ sub unico & certo Christi Vicario conjungere debet universa membra populi Christiani, secundùm ipsius Christi, & Apostoli sui documentum; dum olim post mortem felicis recordationis Gregorii Papæ undecimi conturbari cæpisset, dumque schisma, perniciosum monstrum, horrendum, ingens in eadem Ecclesia suboriri cerneretur ex causis toto Orbe notissimis, Christianissimus tunc ac præclarissimæ memoriæ Progenitor noster Carolus quintus, suasus multis vehementibusque rationibus deliberavit adhærere, & obedientiam præstare illi quem Collegium Cardinalium jurejurando asseruit in vita & in morte atque publicavit se canonicè in Summum Pontificem & verum Christi Vicarium spontè & concorditer elegisse. Arbitrabatur namque verisimiliter idem Progenitor noster ut erat totus fervens in zelo Domûs Dei, & ex sua Fide pia alios dijudicans, quòd ceteri Principes ac Prælati cum universo Clero & populo protinùs obedirent consimiliter dum electionem hujusmodi per Collegium præfatum Cardinalium sufficienter eis innotesceret, ritè fuisse celebratam: sed aliter evenisse dudùm jam deploramus; neque enim potuerunt usque hodie dicti Cardinales hoc ipsum persuadere magnæ parti Christianitatis quod volebant, quodque memorato Progenitori nostro suaserant. Nos ideircò cernentes, experientia temporeque docentibus quòd hæc obedientia præstita invalida erat ad tollendum funditùs schisma pestiferum quod in exilium gravissimum pacem desideratissimam & optimam detruserat; deliberavimus eamdem pacem ad proprium cubile suum, quod est Ecclesia, velut ad suam regionem per alias vias totis conatuum viribus reducere: hinc Concilia crebra, hinc Legationes laboriosissimæ ac sumptuosissimæ per omnes penè Christianitatis regiones frequentatæ, tandem aspirante Deo, viacessionis utriusque contendentium, pro reversione pacis turpiter exulantis inventa est compendiosior & absque ulla dubitatione expedientior judicata. Hanc proindè viam cum omni solemnitate præsentari fecimus successori illius cui Progenitor noster (sicut diximus) obedientiam præstiterat, quam obedientiam ideò maximè postmodùm ab eodem successore pro tempore substraximus; quia non satis apertè per viæ cessionis compendium videbatur velle pacem reducere, postpositis disceptationum interminabilium anfractibus & inegressibilibus aliarum viarum labyrinthis. At ubi visus est nobis ad salubriora se convertisse consilia, rursùs absque omni mutabilitatis culpabilis nota obedivimus eidem; ita tamen animo nostro gerentes, si & quamdiù hæc obedientia nostra non obstaret Ecclesiasticæ unioni, quemadmodùm in Concilio ultimo Ecclesiæ Regni nostri meminimus satis datum intelligi: neque enim voluimus unquam scienter (neque fas esse credimus) obedientiam præstare cuiquam mortalium in pacis universalis præjudicium, in schismatis fomitem, in discordiæ instrumentum. Et ô Salutifer Christe Princeps pacis, quamdiù jam quæsivimus pacem & non venit! Expectavimus tempus medelæ, tempus scilicet juratæ conventionis utriusque contendentium pro cessione celebranda, & ecce turbatio. Animadvertite hæc Domini Principes Christiani quibus est dolori talis tantaque Matris Ecclesiæ dissipatio. Attendite insuper vobis & universo populo Christiano vos Sacri Pontifices in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo. Attendite quæsumus, nolite dissimulanter agere, ubi depopulatur gregem Christi miseris modis, tempestas hæc sævissima horrendaque vorago. Exurgat in unum populus universus tollere de medio sui deformissimum hoc portentum, unde fit in opprobrium hostibus incredulis propriisque animabus damnationis æternæ discrimen apertum; decidat vel invitus unus aut alter, immò uterque contendentium ab occupata Sede Petri potiùs quam unitas eorum contentione depereat. Nam dum neutri populus obediet, neuter ampliùs de Primatu vel frustra contendet, neque audietur ultra vox illa crudelissimæ feminæ *nec mihi nec tibi, sed dividatur*; sed illa piæ Matris *date illi infantem vivum*. III. Reg. III. ℣. 6. Nos verò qui nihil ita, post animæ salutem desideramus quàm videre serenissimam pacis faciem nostris effulgere temporibus, judicamus ex præmissorum & similium consideratione nullum ad præsens

Digitized by Google

sens patere validius in tam desperato malo remedium, quàm quòd neutri contendentium, aut sibi fortè successorum præstetur deinceps obedientia à populo Christiano; deficiente siquidem fomento, tantus ignis iste infernalis in se tandem deficiens, dante Deo collabetur. Quapropter præcedentibus & habitis super hoc, vicibus repetitis, magnis & maturis deli- A berationum consiliis cum sapientibus, peritis & devotis hominibus Deum & eorum salutem gerentibus præ oculis. Nos ut Ecclesia Regni nostri ac Delphinatus Viennensis, pro nobis & subditis nostris eorumdem Regni & Delphinatus, decrevimus talem amplecti neutralitatem in Festo Ascensionis proximæ venturo, nisi intereà nobis ultrò pax advenerit, processuri nihilominùs ulteriùs assidua sollicitudine cum aliis Principibus & Catholicis omnibus, donec evulso schismate pax plantetur. Quod si mirabuntur forsan aliqui ex aliter affectatis unde nobis ista licent, attendant potiùs quòd hanc nobis Legem facit ipsa quæ Legem nescit dura necessitas, immò & filialis pietas, quæ per medios etiam ignes & gladios Matrem talem ita collaborantem eripere conaretur. Ecce morbus inveteratus & putridus, qui ex fomentis levioribus in deteriora quotidiè velut cancer serpit: si ergo ferramentum cauterizans adhibeatur, nullus rectè culpaverit. Demum cum pro hac neutralitate in unum tractanda Principes ac Magnates utriusque Obedientiæ commoda celeritate congregari non possent, nul- B lus suo quæsumus contemptui deputet jus partis nostræ, quam probabilissima ratione, prælibatus Progenitor noster & nos hactenùs fuimus insecuti, in hac neutralitate condemnatum vel depressum; cum nunc non de jure hujus vel illius, sed de cedendo juri vero vel prætenso pro unione consequenda res agatur. Quamobrem vos omnes & similes hortamur in Christo & per eam quam de immaculatæ sponsæ suæ Ecclesiæ laceratione fœda compassionem geritis obtestamur, arripite nobiscum validum hoc & efficax sicut exspectamus in Dei virtute pestis hujus exterminium, ut denegatio hæc obedientiæ utrique contendentium afferat nobis tandem perpetuam unanimemque obedientiam sub uno & certo Christi Vicario; quatenùs serviamus Deo in pulchritudine pacis & requie opulenta. In quorum omnium fidem & testimonium præsentes Literas nostri Sigilli fecimus munimine roborari. Datum Parisiis die 12. Januarii. Anno Domini 1407. & Regni nostri. 28.

EPISTOLA
PETRI EPISCOPI
CAMERACENSIS
AD
Dominum nostrum Papam Benedictum XIII.

Scripta Anno 1408. *die* 26. *Januarii.*

BEATISSIME Pater, humillima recordatione præmissa, usque ad pedum oscula beatorum. *Exspectans expectavi Dominum*, Psal. XXXIX. 1. si fortè intenderet mihi: si tandem mihi tantam concedere gratiam dignaretur, ut cum Simeone dicerem: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei, salutare tuum*, Luc. II. 29. salutarem videlicet pacem, & Ecclesiæ D tuæ unionem. Sed jam, proh dolor! expectando hæc & spes mea quæ differtur, immo penè tandiù differendo aufertur: affligit animum videlicet, *Pater Beatissime*, præfatam unionem. S. V. unà cum Sacro Collegio, totis viribus laudabiliter prosequatur. Ex his tamen quæ personaliter vidi, & fide dignorum relatione jugiter percipio, vix spero quòd adversarius vester daturus sit pacem Ecclesiæ per viam quam quæris. Viam dico cessionis, quam ille tam solemniter promisit, juravit, & vovit. O Utinam sperare liceat meliora! Utinam feliciorem eventum divina Clementia provideat. In illo tamen casu adversùs hanc nequitiam & ad providendum malis, quæ (nisi Deus avertat) parantur Ecclesiæ, tria posse videntur prodesse remedia.

Primum remedium. Certam & solidam ex utraque parte Constitutionem facere super provisione unionis in casu mortis &c. Quod citiùs factum fuisse quam utile foret, quis non videat &c.

Secundum remedium, est generale Concilium vestræ Obedientiæ quam citiùs commodè poterit convocare. Quæ ita fieri intelligo, ut circa unionem Ecclesiæ per viam prædictam nihil interim de contingentibus omittatur.

Tertium remedium hìc taceo, quia non nisi ex generalibus Concilii consensu ac communi auxilio, videtur posse utiliter practicari, vel prætactari salubriter.

Nec ista scribo quasi præsumam, juxta Græcum proverbium *docere Minervam.* Sed ut in tanta re utcunque possum debitum fidelitatis exolvam.

Ceterum *Pater beatissime*, cum pro nunc non sperem hìc me posse proficere, ideò hac aliisque de causis satis urgentibus, quas exprimere non est opus, compellor ad Ecclesiam vestram Cameracensem reverti. In qua multi de grege Christi (cujus regimen mihi indigno à S. V. commissum est) meam non æquanimiter ferunt tam diuturnam absentiam. Ibi verò & ubilibet semper paratus ero ad Vestræ Sanctitatis beneplacita & mandata. Quam conservare dignetur Atissimus feliciter & votivè ad regimen & unionem Ecclesiæ suæ sanctæ &c.

Hæc Epistola missa fuit de Janua per me Petrum Episcopum Cameracensem, 26. Januarii: Anno M.CCCCVIII. secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, Domino Benedicto Papæ XIII. tunc cum suis Cardinalibus existente in Portu Veneris, & adversario suo cum suis Anticardinalibus in Civitate Lucana.

REMEMORATIO

C *Quorumdam quæ per Prælatum quemlibet pro parte sua nunc agenda viderentur, & plus substractione durante quàm post vel antea.*

Collat. ad MS. Cod. Vict. 463.

MONITUM.

Scripti sunt hi tres Tractatus substractione durante ante Concilium Pisanum Anno 1407. *aut* 1408.

PRIMÒ converti debet ad Dominum tota Fidei devotione, quatenùs inspiret quæ recta sunt & inspirata feliciter in actum deducat. Quia *nisi Dominus ædificaverit* &c. Ps. CXXVI. 1. Postmodùm convertatur ad consilium humanum, cum bonis, prudentibus & literatis habendum, super modo sui regiminis quoad se & plebem suam, secundùm mores nunc currentes: nam si in causis temporalibus consilium tam sollicitè postulatur, immò carè emitur, quantò ampliùs diligentia in hoc opere spirituali sumenda est. Item videtur expediens quòd inquirant, deliberent & judicent sic congregati super provisione adhibenda, quantùm Deus concedere dignabitur, in punctis sequentibus quæ tangentur, ut detur sapientioribus occasio. Sciatur imprimìs si commodè vel de necessitate Prælatus ipse debeat residere in sua Dioe-

Diœcesi, vel si utiliùs pro Republica universali & sui gregis absens existat. Sciatur dispositio domus propriæ, quatenùs secundùm exigentiam redditiuum numerus habeatur non excedens familiarium; sit honesta in eis in habitibus & gestibus & per omnia conversatio; quia per eos Dominorum mores judicantur, sint tales in quibus confidentia dispositionis temporalium talis haberi possit, ut Dominus ab eorum sollicitudine possit liber remanere, & vacet ad ea quæ Dei sunt. Sciatur dispositio Curiæ Jurisdictionis suæ in Judicibus, Advocatis, Procuratoribus, Promotoribus, Sigilliferis, Tabellionibus, clientibus, & ceteris; ut calumniis innocentum, & actionibus improbis via, quantùm erit possibile, præcludatur, ac perindè bonum nomen sibi generet Prælatus apud plebem: quia sic libentiùs & efficaciùs in spiritualibus monitis audietur, & super omnia vitetur nota omnis avaritiæ vel cupiditatis; alioquin odiosum erit & aspernatum quidquid agere molietur. Sciatur de Sententiis Excommunicationis in speciali, qua facilitate & levitate fulminantur; quod inducit damna spiritualia plurima incredibiliter, & tandem contemptum omnium Divinorum. Sciatur ad quos usus pœnæ pecuniariæ ordinantur, & an illæ pœnæ sæpe imponantur, ubi aliæ pœnales & utiliores deberent adhiberi, secundùm modum & quantitatem & emendationem delictorum. Et an applicare eas usibus non piis, sed propriis, sit occasio murmurandi in plebibus. Sciatur qualis est modus faciendi jurare in verbo quolibet reos interrogandos, de quibus satis apertè præsumitur & scitur quod dejerabunt; nec statur juramento eorum, sed quæstionantur: numquid esset salubrius ab hujusmodi juramentis in nullo facientibus fidem, & peccatum gravissimum inducentibus abstinere? Sciatur quomodò aliqui per juramenta aliorum purgantur, & an sæpissimè sciatur quod dejerant, & hoc solemniter, immò & sic purgati, apud aliquos, sicut fama est, iterum tanquam rei ad certam pecuniæ summam taxantur exolvendam. Attamen si rei, cur absoluti; absoluti, cur puniti? Sciatur de causis motis inter Episcopum & Clerum vel Capitulum suum, quomodò celeriter poterunt terminari, & faciat in hoc Prælatus debitum suum, non curando de utilitate temporalis, vel Jurisdictionis amplificatione, pro pace habenda. Et hoc quantùm secundùm conscientiam posset facere Consilium suum, non Advocatorum, sed illorum qui præmissi sunt judicabit. Sciatur de collatione Ordinum, ubi summa deberet adhiberi cautio qualiter geritur, specialiter qui & quales assumuntur ad Sacerdotium, quemadmodùm sine utilitate, immò cum grandi Ecclesiæ dedecore multiplicantur: ex hoc enim præcipuè quod hæc janua non satis observata est, processerunt mala in Ecclesia, concubinariorum & fœneratorum, Clericorum & mercatorum, & brevi verbo, hominum dissolutissimam vitam atque perditissimam, plus quam rurales homines ducentium: ita ut etiam non videatur esse remedii locus, propter multitudinem jam radicatam, & hoc absque scandalo deteriori, neque per Sententias Excommunicationis, neque per aliam Censuram Ecclesiasticam, nisi fortè potestas secularis in auxilium vocaretur. Sciatur si quæ simonia vel species simoniæ, aut turpis quæstûs in hac Ordinum collatione committatur; & provideatur. Sciatur post ista condecenter ordinata, quæ de propinquo concernunt officium pastorale, quando & qualiter poterit fieri visitatio Diœcesis, non ad quæstum suscipiendum, sed bono zelo & gratuito ad corrigendum vitia, ad plantandum virtutes; ut sit Prælatus cum suis portans facem sanæ doctrinæ & honestæ conversationis, & illuminans patriam, det pacem gentibus, & liberet populum Domini. Sciatur, sive Prælatus interesse poterit personaliter sive non, quales viri poterunt & debebunt ad hoc deputari, qui non tam pro fructu temporalium quàm pro zelo animarum sciant, velint & possint laborare: rationabile tamen est quòd eis honestæ ministrentur expensæ cum gratuitate alia, præsertim ne quæstum aliundè à populis clam vel palam cogerentur vel inducerentur accipere, & sic vituperaretur ministerium eorum tanquam ex avaritia deturpatum. Et hoc planè rationabiliùs libentiùsque fieri debet pro tali causa spirituali quàm pro temporalibus defendendis, pro quibus tamen magno pretio defensores emuntur, locantur, atque sub pensionibus annuis retinentur: præponendi essent (ceteris paribus) illi de patria & Clero proprio, nisi quod dicit Christus, quòd *nemo Propheta acceptus est in patria*. Luc. IV. 24. Et hoc agit familiaris cognitio atque convictus. Sciatur an aliquis secularis Theologus Doctor cum uno vel duobus Baccalauriis posset ad hoc agendum haberi; quoniam longè majoris autoritatis esset unus talis apud populum, quàm sint ad præsens Religiosi, præsertim Mendicantes: & hoc inter cetera facit raritas, & ablatio suspicionis quæstus. Rursùs cum Theologo tali necessarius esset unus Jurista practicus cum uno Notario, qui omnia quæ corrigenda atque reformanda reperirentur (nec possent in via terminari) conscriberet. Attamen ubi putas tales habebuntur? proculdubiò talium benè compositorum, activorum, & resolutorum hominum ad agendum talia incredibilis est raritas.

Sciatur per Visitatores (ut præmittitur) constitutos ab ipso etiam initio, modus, tempus, & ordo suæ visitationis, & quatenùs nulla suboriatur in processu confusio, prædeliberent quas partes priùs, quas posteriùs visitabunt. Sciatur ab hujusmodi Visitatoribus seu reformatoribus non tam Juridicis quàm pacificis, apud quales status plus est de spe proficiendi; quia forsan aliqui de Clero ad ista se impudenter opponerent. Quo casu tutius esset hominibus spretis, converti ad alios salubriter admonendos, ne projicerentur margaritæ ante porcos, & daretur sanctum canibus, & audientes hoc alii similiter contemnerent. Sciatur ab istis quot Villæ, quot Monasteria, quot Curæ in Civitatibus sunt visitandæ, & præmittant in omnem locum quò erunt ipsi venturi, aliquos qui adventum notificent, & ad audiendum se præparent per cessationem operum suorum. Et pronuncient quatenùs omnis seu vir seu mulier diligenter se examinet, si quomodocunque indigeat Absolutione super casibus reservatis, vel super Excommunicationibus, vel super aliis quibuscunque ad Prælatum spectantibus; & super his posset haberi forma una in scriptis quæ prælegeretur eis & publicetur in Officio Divino congregatis per omnes Ecclesias. Sciatur continuò in principio visitationis Villæ vel Curæ, qualis est Curatus, cujus status, cujus litteraturæ, cujus diligentiæ, si sciat formas Sacramentales baptizandi, conficiendi, inungendi; quia certè multi sunt qui hæc ignorant: & ex hoc videtis, quantum est periculum atque scandalum; quia nisi Deus misericordissimè suppleat, neque baptizant neque absolvunt; & si sciant, attamen sæpe ita præcipitanter & ineptè pronunciant, quod totum corrumpitur. Item si habent concubinas, quotiens celebrant, & similia. Item sciant nominare saltem in generali peccata, Articulos Fidei, & alia ad quæ ipsi tenentur, pro subditorum grossa saltem instructione. Sciatur ab eodem Curato de statu parochianorum suorum, de peccatis eorum in generali solùm: si qui sint excommunicati: si qui sint peccatores publici, ut adulteri vel usurari, vel similes, quia ea quæ publica sunt, possunt exponere. Item in temporalibus, qui & quales patiuntur necessitates magnas, & quibus de causis, quatenùs possint misericorditer relevari. Et si in casibus Excommunicationis vel subventionis temporalis faciendæ non possit statim totum compleri; notentur in Registro quæ agenda super hæc erunt, & detur terminus atque locus indigentibus talibus pro subveniendo, qualiter erit oportunum. Postquam ista fuerint di-

Digitized by Google

diligenter & prudenter ad partem inquisita; debebit Theologus secundùm exigentiam auditorum formare suum Sermonem grossè & palpabiliter sine curiositate, & solùm ad correctionem morum & ædificationem virtutum: debebit etiam eos commonere in generalibus Fidei. Postmodùm si aliqui sint qui volunt confiteri vel habere consilium sive solamen super conscientia sua, offerat se paratum ad omnes gratis atque benevole suscipiendos, audiendos atque docendos, & maneant hic quousque satisfactum sit omnibus, quantùm erit possibile fieri, vel ad tempus assignet. Sciatur diligenter de statu Mendicantium, & de Prædicationibus & Confessionibus, & fiat provisio quæ poterit. Sciatur status Religionum tam virorum quàm mulierum, ubi non dubium est quin multa & innumera sint reparanda specialiter apud mulieres Religiosas plures: sed fiat provisio quæ poterit, & hoc magis per amorosas & pias exhortationes quàm severas punitiones, nisi necessitas & utilitas manifestiùs appareant. Sciatur status Beguinarum & aliarum in conventiculis viventium; quia erga tales reperiuntur aliquando doctrinæ & superstitiones pestiferæ: similiter apud quosdam qui pro Eremitis se gerunt. Sciatur status Rectorum de scholis & puerorum suorum, quia pro certo magni sæpe defectus & abusus incredibiles fiunt, nisi debita observetur disciplina. Et proverbium est: *adolescentior juxta viam suam, & cum senuerit, non dimittet eam.* Prov. XXII. 6. A pueris videtur incipienda Ecclesiæ reformatio, interim quòd sint disciplinæ susceptibiles. Sciatur si & qualiter possit assequi Decretalis quæ instituit, ut in qualibet Ecclesia Cathedrali sit Theologus pro legendo Theologiam, sicut Meldis nunc observatur ut fama est. Et videatur si talis melior erit secularis atque Canonicus quàm Mendicans. Sciatur similiter de Inquisitore habendo, & si non autoritate Apostolica propter substrationem quæ nunc est, saltem autoritate Ordinaria, & talis ex officio suo videtur esse Episcopi Vicarius: sed plus solito statuatur vigilare super his requirendis & extirpandis. Sciatur si Religiones abundantes in redditibus vel alia Collegia, poterunt induci ad scholares aliquos in Theologia Parisiis mittendos; quia multùm videretur expediens, & Decreta Patrum hoc sonant. Sciatur diligentissimè quæ superstitiones regnant per Diœcesim, & habeatur modus conveniens eas paulatim, si subitò nequeant, extirpandi, & specialiter superstitiones quæ publicè fiunt in scandalum Religionis Christianæ.

Sciatur quomodò ritus ille impiissimus & insanus qui regnat per totam Franciam, poterit evelli aut saltem temperari. De hoc scilicet quod Ecclesiastici faciunt, vel in die Innocentum, vel in die Circumcisionis, vel in Epiphania Domini vel in carnisprivio per Ecclesias suas, ubi fit irrisio detestabilis Servitii Domini & Sacramentorum; ubi plura fiunt impudenter & execrabiliter quàm fieri deberent, in tabernis vel prostibulis, vel apud Saracenos & Judæos; sciunt qui viderunt, quod non sufficiat Censura Ecclesiastica; quæratur auxilium potestatis Regiæ per Edicta sua vehementer urgentia. Sciatur quales solent fieri insolentiæ in Templis & locis sacris, dum ibi tripudia & comessationes in nuptiis exercentur. Sciatur quales Blasphemiæ juramentorum passim & impunè regnant ubique, nec tamen desunt Leges bonæ, si essent viri virtutum qui has exequi procurarent, exequantur ergo. Sciatur num usurarii vel Judæi regnent, & an vel qualiter tolerari debeant. Sciatur cum maturo consilio, an Sacerdotes concubinarii sint tolerandi sicut meretrices publicæ; ne scilicet pejus eveniat, si ad deponendum quærantur compelli, ex quo sic sunt multiplicati; ex quo etiam tales facti sunt, qui continentiam servare nullo modo volunt: quo supposito, certum est quòd remotis concubinis aliter fortè deteriùs libidinem suam explerent. Quod si tolerandi sunt, videatur si populus erit in securo de audiendo Missas eorum, an etiam ipsi concubinarii tales sint excommunicati & Irregulares, sicut magna pars Doctorum in Decretis tenet: & si sic, videatur an in Foro Pœnitentiali possunt sacramentaliter absolvere; quia si non possint, periculum imminet gravissimum omnibus parochianis. Materia ista indigeret magna discussione propter hæc & similia pericula, & non essent leviter ferendæ Sententiæ Excommunicationum contra talia delicta, quando certum est quòd non possunt neque tenebuntur, & tamen incredibiliter ligant, etiam innocentes. Videri posset quod nullus concubinarius Sacerdos, nisi judicialiter sit convictus, pro & tali denunciatus, debet vitari à subditis, etiam quantùmcunque notorius, quia si toleratur à Prælato, cur non debet tolerari à subditis? Alioquin via aperiretur infinitis scandalis atque periculis: quod si Sancti priores oppositum tenuerunt, non viderant quanta est malitiæ radicatio, & quam impossibile est rigorem antiquum Ecclesiasticæ disciplinæ nunc servare. Sciatur qualia sunt Statuta Synodalia, & quæ observantur, & quæ non; & removeantur inutilia, similiter Sententiæ Excommunicationum quæ non prosunt aboleantur; quia non sunt nisi laqueus. Et certum videtur quòd multæ tales Sententiæ, ex quo sunt de Jure purè positivo, abolitæ sunt per non usum, nec ligant ad præsens. Tutius esset tamen ut autoritate Prælatorum expressè tollerentur, pro conscientiarum majori serenatione. Fiunt insuper (prout dicunt Confessores experti) quædam reservationes super aliquibus peccatis (ut super adulterio secreto) quæ multò plus obsunt quam prosunt; quia vix possunt induci homines confiteri, etiam apud eos quos eligunt, quantò minùs apud Episcopum vel Pœnitentiarium: videretur enim sufficere reservatio casuum enormium publicorum. Sciatur an in qualibet Ecclesia Parochiali sit aliquod scriptum rememorativum eorum quæ generalia sunt nostræ Fidei, tam in Latino quam in vulgari: sunt enim quædam tabulæ super his utiliter compositæ, quas expediens esset apud omnes Curas Ecclesiasticas infigere: Curati saltem illas videre possent, ut de ignorantia sua excusationem non haberent, & paucus esset labor, sumptusque exiguus. Postremò si præsens esset Episcopus, saluberrimum videretur Sacramentum Confirmationis præstandum generaliter: dicit enim Venerabilis Guillelmus Episcopus Parisiensis quòd propter cessationem hujus Sacramenti tepiditas grandior est in fidelibus & Fidei defensione. Ista sunt, & (non est dubium) alia multa, quæ tractanda viderentur diligenter per Prælatum quemlibet vice sua, non quod possint omnia ad regulam æquitatis dirigi, & omnes à suis pravitatibus penitùs arceri; sed quantulumcunque modicum fiat, valebit ad eos qui prædestinati sunt & præordinati ad vitam seu ad eorum correctionem, seu ad consolationem, & majorem in bono confirmationem. Denique liberabit Prælatus ex hoc animam suam, & exemplum præclarum virtutis reliquis præsentibus & posteris relinquet.

SEQUUNTUR OCTO CONCLUSIONES

Per plures Doctores in Italiæ partibus approbatæ, quorum dogmatizatio utilis videtur pro exterminatione moderni Schismatis.

Ad eumdem MS. Vict.

VERI Cardinales in electione Papæ vices gerunt Universalis Ecclesiæ Christianæ. Patet quia per talem electionem constituitur Papa verus

rus Vicarius Christi, & caput corporis ejus mystici, quod est Ecclesia; sed hoc non potest facere nisi Christus, vel ipsummet corpus mysticum, aut habens in hoc ipsius potestatem seu autoritatem. Veri Cardinales hujusmodi vices Ecclesiæ gerunt, non solùm in Papæ electione; sed etiam in his quæ circa eam ritè & legitimè fiunt pro Ecclesiastica unione. Patet, quia electio Papæ finaliter ordinatur ad unionem Ecclesiæ: nam ideò eligitur unus Papa, ut in eo tanquam in primo capite sub Christo sit Ecclesiæ unio; & ideò propter unionem Ecclesiasticam est electio Papæ, & non è contra. Veri Cardinales adjicientes in electione Papæ juramentum seu votum de cedendo in casu præsenti, scilicet pro tollendo tam diuturno & obstinato schismate, & pro danda pace & Ecclesiastica unione, hoc ritè & legitimè faciunt, non suo proprio aut privato nomine; sed vice & nomine totius Ecclesiæ: & ideò qui tali juramento & voto ligantur, toti Ecclesiæ obligantur, à qua obligatione sine totius consensu vel autoritate non solvuntur. Patet satis ex præmissis, quæ omnia possent faciliter non solùm divino & humano Jure; sed etiam naturali seu morali ratione fundari. Ex his tribus suppositionibus inferuntur aliquæ propositiones quæ sequuntur.

Quicunque tenent Dominum Angelum vocatum Gregorium, esse Papam, & ejus prætensum Collegium esse veros Cardinales, habent consequenter tenere propositiones antedictas de eis verificari, & ideo habent concedere dictum Gregorium per juramentum & votum ab eo factum toti Universali Ecclesiæ obligari, & suos prætensos Cardinales pariter teneri, ut (quantùm in eis est) ipsum faciant hoc juramentum & votum efficaciter adimplere, aliàs ab Universali Ecclesia reputandi sunt perjuri & fractores voti.

Talis prævaricatio voti & juramenti tàm solemniter, & in tàm favorabili materia facti, non solùm esset gravissimum & mortale peccatum, quinimò si essent pertinaces, prævaricatores hujusmodi reputandi forent, non solùm schismatici; sed etiam hæretici, aut de hæresi vehementer suspecti.

Prætensi Cardinales ex obligatione dicti juramenti vel voti, & aliàs ex autoritate Juris divini & humani, si probabiliter videant dictum Gregorium (prout hactenùs fecisse videtur) frivolis excusationibus dictis, sui jaramenti & voti impletionem subterfugere, debent & tenentur post debitam monitionem, se ab eo & ejus obedientia & communicatione substrahere, & contra ipsum tamquam notoriè schismaticum, & vehementer de hæresi suspectum, ac peturbatorem & illusorem totius politiæ Christianæ procedere, & ad idem faciendum alios fideles, & præcipuè Prælatos & Principes inducere & monere; alioquin non poterunt excusari à fautoria schismatis vel hæreticæ pravitatis.

Adhærentes dicto Gregorio tanquam Papæ & præcipuè majores Prælati & Principes, post debitam informationem à Cardinalibus, vel aliàs sufficienter instructi, de dicta malitia ipsius Gregorii, tenentur se ab ejus obedientia substrahere sub pœna fautoriæ prædictæ.

Doctores Studiorum generales, & præcipuè Theologi & Juristæ ac etiam Prædicatores ad populum, debent & tenentur de præmissis fideles instruere. Et in hoc commendandum est Studium Bononiense, à quo nuper emanavit determinatio conformis ad præmissa.

SEQUUNTUR ALIÆ PROPOSITIONES

Utiles, ad exterminationem præsentis schismatis, per viam Concilii generalis.

Ad MSS. Codd. Vict. 469. 463. & 828.

IN unitate Ecclesiæ capitis, Christi sponsi Ecclesiæ, plenè ac perfectè consistit unitas corporis mystici totius Ecclesiæ Christianæ, juxta illud: *Christus est caput Ecclesiæ*. Eph. v. 23. Et illud: *Omnes unum corpus sumus in Christo*. 1 Cor. XII. 20. Licet Papa in qnantùm Christi Vicarius quodammodò dici possit caput Ecclesiæ & ipsius sponsus, tamen Ecclesiæ unitas non necessariò dependet aut originatur ab unitate Papæ. Patet ex prima: & etiam, quia nullomodo existente Papa, semper Ecclesia remanet una. Juxta illud in Canticis. VI. 8. *Una est columba mea*. Et illud Symboli: *Unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*. A Christo capite & sponso Ecclesiæ corpus mysticum quod est Ecclesia originatur, & immediatè potestatem habet & autoritatem; ut ad suam unitatem conservandam, ritè valeat seipsam ad generale Concilium ipsum repræsentans congregare. Patet ex illo verbo Christi. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum sum*. Matth. XVIII. 20. Ubi advertendum est, quòd non dicit, in nomine Petri vel in nomine Pauli, sed in nomine meo. Dans intelligere, quòd ubicunque congregantur fideles, cum hoc fiat in nomine suo, hoc est in Christi Fide, & pro Ecclesiæ suæ salute, ipse assistit eis tanquam director & infallibilis rector. Confirmatur, quia aliàs Christus non fuisset sufficiens fundator Ecclesiæ sponsæ suæ. Non solùm autoritate Christi; sed etiam communi Jure naturali præmissam potestatem habet corpus mysticum Ecclesiæ Dei. Patet, quia quodlibet corpus naturale naturaliter resistit suæ divisioni & distractioni; & si sit corpus animatum, naturaliter congregat omnia membra omnesque vires suas ad conservandam suam unitatem, & repellendum suam divisionem: simili quoque modo & quodlibet corpus civile, seu civilis communitas, vel politia ritè ordinata. Ideoque corpus spirituale seu mysticum Ecclesiæ Christianæ, quod ordinatissimè compositum est (ipsa quidem Ecclesiastica politia in Canticis describitur, *velut castrorum acies ordinata*. Cant. VI. 9.) simili jure uti poterit ad suam unitatem conservandam, & quamlibet schismaticam divisionem repellendam, tanquam suæ ordinationis destructivam. Præmissa autoritate & autoritativa potestate usa fuit Ecclesia primitiva. Patet, quia in Actibus Apostolorum quatuor leguntur Concilia generalia congregata; & non habetur quod sola autoritate Petri fuerunt convocata, sed communi consensu Ecclesiæ. Et in uno Concilio Jerosolymis celebrato, non Petrus, sed Jacobus illius loci Episcopus legitur præfuisse, & Sententiam protulisse. Post incrementa nascentis Ecclesiæ primitivæ, præmissa autoritas & potestas congregandi generalia Concilia rationabiliter limitata fuit & restricta, sic scilicet quòd sine autoritate Papæ nulli liceret hujusmodi Concilia congregare. Patet ex Juribus communibus, quæ habentur in Decreto & Decretalibus. Et ratio fuit, ut honoraretur Sedes Apostolica, & ut obviaretur hæreticis vel schismaticis, qui quandoque ad libitum pro potentia Principum secularium Concilia vocari & congregari procurabant, ad suorum errorum fulcimentum. Præmissa limitatio seu restrictio non tollit, quin prædicta autoritativa potestas semper absolutè remaneat in ipsa Univer-

Digitized by Google

versali Ecclesia. Patet, quia Jura positiva non possunt ab Ecclesia absolutè tollere illam potestatem quæ ei competit divino & naturali Jure. Non obstante limitatione seu restrictione præmissa, in certis casibus Ecclesia sine autoritate Papæ potest Concilium generale celebrare. Patet per prædicta: & etiam, quia illud quod est in favorem Ecclesiæ introductum, non est in ejus damnum & grave periculum observandum. Sed prædicta limitatio seu restrictio, quæ in favorem Ecclesiæ Jure positivo legitur introducta, ut dictum est, posset in certis casibus eidem gravissimè præjudicare. Et specialiter possunt tres casus assignari.

Primus est, si vacante Sede occurreret hæresis, vel alia Ecclesiæ persecutio, cui esset per generale Concilium obviandum.

Secundus, si in casu necessititatis aut manifestæ utilitatis vocandi Concilium, Papa esset furiosus aut hæreticus, vel aliàs ad hoc inutilis aut insufficiens vel si super hoc requisitus.

Tertius, si plures essent contendentes de Papatu, ita quòd nulli eorum tota obediret Ecclesia, nec ad alicujus eorum aut amborum simul vocationem compareret, sicut esse videtur in præsenti schismate.

In his igitur aut similibus casibus clarè patet ex præmissis, quòd absque autoritate Papæ posset & deberet Ecclesia generale Concilium celebrare. Jura positiva quæ communiter dicunt, quòd absque Papæ autoritate non est fas generale Concilium congregari, debent civiliter intelligi; scilicet quando est unicus Papa concorditer ab Ecclesia receptus & ad congregandum hujusmodi Concilium, occurrente evidenti utilitate, idoneus & paratus. Patet ex prædictis & ex doctrina Aristotelis in Ethicis, ubi loquitur de epikeia. Pro sedando præsenti schismate absque autoritate Papæ immò ipso contradicente, potest autoritate Universalis Ecclesiæ generale Concilium congregari: & non solum per Dominos Cardinales convocari; sed etiam, in casu, per quoscunque fideles, specialiter majores & potentiores, qui vel autoritativa potestate, vel charitativa admonitione scirent & possent ad executionem cooperari. Patet ex præmissis: & etiam quia in tanta necessitate omnes fideles & specialiter Majores & potentiores debent Ecclesiæ succurrere, & malis ejus tam evidentibus celeriùs occurrere. Possent autem ad præmissa rationes & autoritates tam divini quam humani Juris induci: sed benè affectatis ista sufficiunt, & in fundamento prædicto possent superædificari aliquæ aliæ propositiones magis particulariter respicientes Concilium nunc in civitate Pisana convocatum, quas dimitto; quia ita clarè sequuntur ex præmissis, ut eas non sit necesse benè intelligentibus ampliùs declarare.

TRACTATUS

J. Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DE UNITATE ECCLESIASTICA.

Recognitus & emendatus ex MS. Codd. Vict. 463. & Navarr. uno.

MONITUM.

Habet istud opus Epocham suam, Annum scilicet 1408. (ut ex MSS. restituimus, non annum 1440. ut perperam legebatur in editis) 29. Januarii, quod initium est Anni 1409. secundùm præsentem calculum. Quo tempore Pisanum Concilium mox habendum erat.

UNITATIS Ecclesiasticæ tractatoribus, unus ex zelatoribus ejusdem pacis viam feliciter invenire. Etsi alligatum corpus vinculis occupationum teneatur, ne pergat ad sacrum Concilium Pisis, Deo auspice, celebrandum; nihilominùs *verbum Dei* (sicut dicit Apostolus) *non est alligatum*. II. Tim. II. 9. Proptereà decrevit spiritus promptus, & pacis avidissimus, verbum aliquod Dei, literulis insertum quaquaversùm spargere, quà infirma nequit ire caro: non quidem ad determinandum, absit hæc temeritas; sed ad examinandum & dandum in tabernaculo Dei cum hominibus, id quòd ex talento qualisque scientiæ commissum est.

UNITAS quippe Ecclesiastica ad unum certum Christi Vicarium, stantibus terminis in quibus est nunc Ecclesia, Anno Domini 1408. 29. Januarii non est retardanda, propter allegationes quasdam ex Juribus positivis sumptas contra celebrationem Concilii generalis, aut viam cessionis: ut quòd Concilium non potest celebrari sine autoritate Papæ. Quòd spoliatus ante omnia debet restitui. Quòd recusandi sunt tanquam inimici qui subtraxerunt se ab Obedientia. Et allegari potest justus metus. Quòd Papæ nemo dicere potest, cur ita facis? præsertim si non sit expressè errans contra Articulos Fidei, cùm à nemine valeat judicari, & nemini sit subjectus, nec possit effici schismaticus. Quòd periculosum est pastori deserere gregem suum cedendo. Rursùs quòd quilibet fecit debitum suum pro Ecclesiastica unione, nec est in culpa. Denique, quòd inquirendum est de justitia veræ partis, sine cujus cognitione non possunt hi qui erraverunt pœnitere, & si qua sunt similia. Ponuntur igitur adversus istas Considerationes XII. generales, quarum applicatio specialis sufficit studiosis ista refellere.

Consideratio Prima.

Unitas Ecclesiæ generalis sicut impedita est per divisiones filiorum suorum tanquam membrorum putrescentium & contra Deum peccantium; nam *peccata nostra*, juxta verbum Propheticum, *diviserunt inter nos & Deum*; sic per unionem oppositam, scilicet reconciliationem cujuslibet ad Deum, corrigendo pravos mores, humiliando se & orando, rursùs debet hæc unitas impetrari; alioquin manente causa schismatis, qualis de sua cessatione poterit spes haberi, nisi tamen in pura gratia Domini nostri Jesu Christi, qui immeritis & ingratis conferre solet magna? Nihilominùs coadjutores ejus esse nos oportet; nunc præcipuè quando pacis inimicus sæviet acriùs, quantò reditus pacis propinquior apparet, imittet quandoque si poterit validissimum ad continuationem schismatis impedimentum, divisiones scilicet inter eos qui prosecuturi sunt unionem, ministerio superbiæ, cupiditatis aut invidiæ.

Consideratio Secunda, contra primam allegationem.

Unitas Ecclesiæ essentialis semper manet ad Christum sponsum suum: nam *caput Ecclesiæ Christus* Ephes. v. 23. in quo sumus omnes unum, secundùm Apostolum. Et si non habet Vicarium, dùm scilicet mortuus est corporaliter vel civiliter; vel quia non est probabiliter expectandum, quòd unquam sibi vel successoribus suis obedientia præstetur à Christianis; tunc Ecclesia tam divino quàm naturali Jure, cui nullum obviat Jus positivum ritè intellectum, potest ad procurandum sibi Vicarium unum & certum semet congregare ad Concilium generale repræsentans eam, & hoc non solùm autoritate Dominorum Cardinalium, sed etiam adjutorio & auxilio cujuscunque Principis vel alterius Christiani: non enim habet corpus Ecclesiæ mysticum à Christo perfectissimè stabilitum minus Jus & robur ad procurationem suæ unionis, quàm corpus aliud civile, mysticum vel naturale verum; neque enim est de immediato ac immutabili Jure, divino vel

Digitized by Google

vel naturali, quòd Ecclesia se non possit congregare & unire sine Papa, aut sine aliquo particulari Statu vel Collegio, ubi in casu cadere potest mors vel error.

Tertia Consideratio, contra secundam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Vicarium Christi, qui quodammodò accidentalis atque mutabilis est, non debet impediri minimè, vel differri propter contentionem duorum de Papatu, aut fautorum suorum, si quærant sic manere per allegationes Jurium positivorum, & justificationes varias, & conquestiones quod sunt spoliati, & quòd debent ante omnia restitui vel aliunde. Sed videtur expediens quòd ea quæ retro sunt obliviscentes isti de Concilio, *in anteriora*, sicut Apostolus loquitur, *se extendant*, Philipp. III. 13. ut juxta narrationem ab Augustino commemoratam, plùs quæratur quomodò liberabitur Ecclesia ab hac schismatis fovea profundissima, quàm qualiter & à quibus in eam est prolapsa.

Quarta Consideratio, contra sextam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium sic amanda est, ut pro sua adeptione possint rationabiliter plurima mala singularium personarum dimitti, nunc vel in posterum sine pœna. Et quædam vera seu prætensa Jura possunt differri, sic quòd fiat cessatio voluntaria de eis, vel etiam coacta per auctoritatem Concilii. Hoc nimirum dictat naturæ Lex, ut pars quælibet pro suo toto salvando se det & exponat. Quid, si quis contendentium justificare se, seu injustè secum agi contenderit; dicatur ei: Tu te tuaque omnia debes Ecclesiæ, tu qui Pastorem te nominas, quantumcunque sis innocens, debes pro ea vel salvanda, vel unienda, vel non graviter scandalizanda paratus esse ponere vitam propriam; quanto magis præsentem quamlibet Dignitatem, quærendo quæ sunt Jesu Christi, & hoc non secundùm dictamen proprium vel carnale; sed publicum & incorruptum spirituale, prout Concilium quòd utique sapiens est, judicabit. Neque prorsùs hoc agendo deseres gregem; sed pasces, unies & manere diceberis.

Quinta Consideratio.

Unitas Ecclesiæ ad unum Christi Vicarium non habet necesse quòd nunc procuretur, servando terminos literales, aut ceremoniales Jurium positivorum, aut processuum ordinariorum, in evocationibus, accusationibus, delationibus, aut similibus; sed summariè & de bona grossaque æquitate potest procedere Concilium istud generale, in quo residebit sufficiens autoritas judicialis utendi epikeia, idest interpretandi omnia Jura positiva, & ad finem celeriorem & salubriorem habendæ unionis eadem adaptandi; aut si opus fuerit relinquendi: quòd enim pro Ecclesiastica pace & salute institutum est, si ritè, non tyrannica malignitate fuerit institutum, non debet contra eam militare, ne potestas data videatur Constitutionibus humanis, in destructionem Ecclesiæ, non in ejus ædificationem. Autoritas verò doctrinaliter utendi epikeia, residet principaliter apud peritos in Theologia quæ est architectoria, respectu aliarum; & consequenter apud peritos in scientia Juris Canonici & civilis, prout ex principiis Juris divini & naturalis habeant accipere fundamenta.

Sexta Consideratio, contra quartam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unnm certum Christi Vicarium, videtur per Concilium nunc celebrandum sic procuranda, quòd primò detur securitas tam per Principes quàm per alios quoscunque pro duobus contendentibus, si voluerint comparere, procedendo ad implendum juramenta sua atque vota. Quòd si noluerint confidere, quæratur ab eis cessio per Procuratores legitimos. Quòd si utrumque contempserint, procedatur, contemptis ambobus contendentibus, ad electionem unius per communem assensum totiùs Concilii roborantis & approbantis illud quòd duo de Collegio Dominorum Cardinalium aut eorum pars major & sanior constituerint aut fecerint. Quòd si voluerint aliqui pertinaciter adhærere alteri contendentium, nec insequi Sententiam Concilii, quòd non est leviter præsumendum; viderint ipsi de salute sua, quia Concilium istud & sequaces ejus se apud Deum & homines à schismatis imputatione liberaverint.

Septima consideratio, contra tertiam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium sic privilegiata & sancta est, ut eam sincero zelo quærentes, nullo modo debeant reputari à contendentibus sui aduersarii, sed amicissimi in Christo; dum cessionem ipsorum voluntariam quærunt, vel eis nolentibus cedere, petunt dejectionem, quatenùs ut spiritus eorum salvus fiat, nec Ecclesia diutiùs perturbetur. Agunt quippe tàm rem ipsorum contendentium, quàm id quod quilibet Christianus agere debet. Immò jussionem Dei habent in tam desperato & inveterato Matris communis morbo. Hæc est radix inviolanda & sufficiens piæ necessitatis & necessariæ pietatis, in qua Christianissimus Rex Francorum, verè innocentissimus, nec quærens quæ sua sunt, nec quempiam odio habens, fundavit hactenùs omnem agibilium varietatem laudabilem, circa pacis reductionem, sicut littera sua Patens indicat; cujus initium est post salutationem, *Pax Ecclesiastica*, &c. Præclaram itaque attulit excusationem Cicero *in Philippicis*, dum inconstans in amicitia Cæsaris & varius fuisse culparetur, cujus est hæc sententia, quia verba non habeo, „ Cæsarem, ait, nunquam dilexi, nisi pro quanto diligere visus est Rempublicam. „ Dum ergo mutavit amorem ad eamdem Rempublicam, factus tyrannus; ego consequenter adversùs „ eum amicitiam commutavi.

Consideratio octava, contra tertiam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium non debet impediri, propter restitutionem Obedientiarum ambobus contendentibus, tanquam spoliati sint, priùs faciendam: nam quòd injustus detentor vel prædo spoliatus, sit restituendus, est magis ex institutione positiva & judiciaria, non purè naturali vel divina. Propterea tenet in solis casibus expressis, nec in præjudicium Juris divini & naturalis & boni communis est aliquatenùs observanda: neque enim restitutio debet fieri (exempli gratia) hæreticis, neque schismaticis manifestis, neque furiosis, & ebrijs in sui perniciem, neque intrusis in Papatum, neque petentibus uxorem non desponsabilem aut affinem in gradu prohibito Jure divino, neque petenti Beneficium quòd tenere non potuit, alio jam existente legitimo possessore, neque postremò volenti rebus detentis abuti in contumeliam Creatoris, aut in hominis liberi servitutem, aut contra castitatem alicujus &

& vitam, & si qua sunt similia. Multas autem exceptiones hujusmodi, contra contendentium quemlibet intervenire videre facile est.

Consideratio nona,

Contra octavam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium videtur meliùs procuranda, si neque ante Concilium neque in Concilio, neque postmodùm quærantur fieri justificationes vel injustificationes eorum quæ hinc inde facta sunt; ut de intrusione hujus vel illius in Papatum, de processibus primò fulminatis in alterutrum, de violatione juramentorum & votorum, de substractione aut neutralitate, vel libertatis Ecclesiarum particularium reductione, de imputatione schismatum vel hæresum, de adhæsione reprobanda vel laudanda alterius partis Obedientiæ, de Sententiis Excommunicationum aut aliarum pœnarum. Cessent quippe talia, & juxta rationes pro via cessionis, & practicam ejus aliàs pluries ostensam procedatur; auferendo processus factos & justificando, vel ratificando, aut etiam tolerando præterita; prout rerum qualitas patietur, aut plurima ad statum quo priùs erant ante schisma præsens absque alia discussione reponendo, providendo rursùs ambobus contendentibus de sufficienti securitate & statu post cessionem, si eam per se, vel Procuratores legitimos ultrò facere etiam serò voluerint; quæ cessio eis per Concilium, pro purgatione omnium priùs impositorum, tanquam sufficiens reputetur valitura.

Consideratio decima,

Contra septimam & quintam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium tanto zelo quærenda est; ut vix possit sobria esse, & non temeraria reputatio alicujus Christiani quod sufficienter ad hoc debitum peregerit: quantò minus hoc quispiam audere debet asserere juramento; præsertim ubi pars hominum maxima reputat contrarium: hoc enim quid aliud est quàm pertinaciter & incorrigibiliter talem in erratis persistere? Rursùs occurrere possunt casus multi, in quibus pro adeptione pacis publicæ aut justæ defensionis, sicut vim vi repellendo, liceret à ritè electo in Papam substrahere obedientiam: liceret in neutralitate manere: liceret ipsum corporaliter incarcerare: liceret ei administrationem omnem publicam interdicere: liceret per appellationem aut simile remedium sibi resistere, fieretque sic obedientia vera, potius quàm contradicto vel resistentia: liceret prætensas Sententias suas qualescunque non timere, nec timendas asserere; sed lacerare eas & in caput suum retorquere: liceret prætereà accusare eum de schismate vel hæresi, tam doctrinaliter in locis publicis per Theologos & sapientes, quàm secretè in correctione fraterna, cui subjicitur tanquam peccator in Foro Pœnitentiæ & Juridicè coram tota Ecclesia, cui similiter subjectus est tanquam deviabilis in deviabili. Liceret Concilium generale eo invito celebrare: liceret tandem ipsum ad cessionem compellere, vel renitentem dejicere ab omni honore & gradu, immò & vita privare. Hæc omnia denique taliter licere possunt stabili jure divino & naturali, quòd adversùs hanc veritatem nulla Lex vel Constitutio puri hominis cujuscunque, sine nova authorizatione Dei fieri debet, quin erroris intolerabilis damnanda sit. An verò prædicti casus in schismate præsenti occurrerint, discutiendo nequaquam assumimus, cùm distinctiones particularium casuum omitti debere magis æstimemus.

Consideratio undecima,

Contra octavam allegationem.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium
A non requirit ut errantes, præsertim in dubio probabili circa Obedientiam veri Papæ pœnitere non possint, nec esse in statu salutis; nisi expressè & absolutè confiteantur erratum suum, cum sæpe in talibus Pœnitentia vel Absolutio conditionata sufficiat. Sed nec oportet omnes inculpare de schismate, qui in tanta juris Papalis dubietate consurgente ex factis dubiis & variis, certam vero Papæ non præstiterunt obedientiam. Sicut nempe verus Papa potuit in schismatis culpam labi, si pertinax fuerit in recusando ea quæ pacem universalem habebant reducere, ut Concilium generale, vel promptitudinem animi ad viam cessionis juratæ & voti complementum: sic excusari poterunt multi adversantes ei, si fuerit hoc zelo unionis habendæ, si fuerit ex dubio probabilis ignorantiæ; dum tamen paratos semper Ecclesiam audire exhibuerint semetipsos, & obedire cognitæ veritati.

Consideratio Duodecima.

B

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium sicut inchoanda impetrandaque est per orationes devotas, & morum correctionem; sic in ejus reformatione, à summo usque deorsum per omnem suorum membrorum principalium vel non principalium juncturam, debet cum facta fuerit, studium vehementissimum & continuum adhiberi, ne justo Dei judicio deterius quid contingat; si post concessam, Dei misericordiâ, unionem salutarem, recidivatio prior fiat. Qualia vero in Ecclesiastica politia veniant reformanda, poterunt docere tam Libri experientiæ, quàm multiplices chartulæ jam super hoc editæ, & relationes Ecclesiasticorum in Concilio fide dignæ. Denique si contingerit forsitan generale Concilium retardari propter Principum vel aliorum in diversis patriis divisiones vel aliunde; sic quod multi Notabiles vel nequeant vel noluerint comparere, nec mittere, sed differre; & Domini Cardinales utrobique sentiant probabili conjectura quòd tales multi & magni de utraque parte non obedirent suæ electioni: videretur expediens, in hoc casu, quòd ipsi Cardinales comparentes in Concilio, invenirent saltem modum tollendi per-
C petuitatem in hoc schismate, providendo quòd post decessum amborum contendentium, etsi non citiùs pax haberetur; quia meliùs esset serò quàm nunquam & hoc juxta modum qui in alio Concilio Franciæ fuit conclusus; ut per suos Ambasiatores quæreretur & prosequeretur apud ambos contendentes & sua Collegia de non eligendo, scilicet quempiam in casu mortis hujus & illius, cum ceteris clausulis ad hoc opportunis.

SEQUUNTUR QUATUOR CONSIDERATIONES AD

D
Fulcimentum & declarationem præmissorum.

Consideratio Prima.

UNITAS Ecclesiæ ligatur quadruplici Lege; Divina scilicet vel Evangelica, Naturali, Canonica & Civili: quarum duas extremas regulare necesse est per primas secundùm epikejam, id est bo-

bonam æquitatem. Hoc itaque ex traditionibus earumdem Legum ultimarum convincitur; quarum annotationes aliquas pro minus eruditis & illiteratis placet adducere.

Prima annotatio. „ Non debet reprehensibile judicari, si secundùm varietatem temporum Statuta „ quandoque variantur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit; quoniam ipse Deus ex his quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo. „ Hæc Innocentius tertius in Concilio generali, & habentur *in Decretali*: *Non debet, de consanguinitate & affinitate in antiquis.*

Secunda annotatio. „ Quoniam nulla Juris sanctio, „ quantumcunque perpenso digesta consilio ad humanæ naturæ varietatem & machinationes ejus inopinabiles sufficit, nec ad decisionem lucidam „ suæ nodosæ ambiguitatis attingit, eò præsertim „ quòd nihil adeò certum clarumque statuitur, quin „ ex causis emergentibus, quibus Jura jam prædicta „ mederi non possunt, in dubium revocetur, &c. „ Hæc Joan. 22. *in Proœmio Clementi.*

Tertia annotatio. „ Non possunt omnes casus seu „ Juris Articuli, Legibus comprehendi; sed cum aliquo casu sententia Legum manifesta est, is qui Jurisdictioni præest, ad similia procedere atque Jus „ ita dicere debet. „ Hæc habentur in l. *non possunt. ff. de Legibus.*

Quarta annotatio. „ Certum est quòd is committit in Legem qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem: hoc habetur in Regula Juris. *Certum. in* 6. Contra facit, qui id facit „ quod Lex prohibet. In fraudem Legis facit, qui „ salvis verbis Legis sententiam ejus circumvenit. „ Hæc habentur in l. *contra legem. ff. de legibus.*

Quinta annotatio. „ Nulla Juris ratio aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos interpretatione duriore contra ipsorum commoda perducamus ad severitatem. „ Hæc habentur in l. nulla ff. *de Legibus.* Cum quo concordat Regula Juris Canonici in 6. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Item ipsæ Leges cupiunt ut Jure regantur. Item ait Scipio Nasica: *Consul dum Juris ordinem sequitur, id agit ut cum Legibus suis Romanum corruat Imperium.* Ideo Juris ordo est in casu, ut scilicet Juris ordo non servetur.

Consideratio Secunda.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium nequit modo procurari commodè, sine recursu ad epickeyam, seu bonam æquitatem, quæ interpretatur litteram Jurium positivorum, secundùm intentionem Legislatorum radicatam in Legibus æternis ac immutabilibus divinæ Legis, per quam Legum conditores justa decernunt, atque secundùm dictamen Legis naturalis. Hic autem processus antonomaticè & summè judicandus erit juridicus, si innitetur Legibus & Juribus & Canonibus, propriè & verò nomine sic vocandis. Veritas considerationis legitur clarissimè in Libro experientiæ per prudentes & circunspectos, nec protervos, nec malè affectatos; dùm considerant materiam præsentis schismatis cum circunstantiis omnibus, quales nunquam visæ sunt concurrisse in aliquo casu Lege positiva memorato. Quid igitur mirandum, si non habeatur in eisdem traditionibus positivis modus ad remediandum expressus, quemadmodum multi vigebant morbi prius quàm Leges nunc conditæ latæ essent, quibus non erat expressè provisum: & cum Leges hujusmodi factæ sunt, constat quòd non poterunt infinitati casuum possibilium providere: sunt autem ipsius Juris divini & naturalis Regulæ tales immobiles & æternæ, ut exempli gratia.

Principia Juris Divini & naturalis.

OBEDIRE *oportet Deo magis, quàm hominibus.* Act. v. 29. Dedit Deus potestatem hominibus *in ædificationem, non in destructionem* Ecclesiæ. II Cor. 10. *Nihil possumus contra veritatem.* Ibid. ℣ 81. *Plenitudo Legis* atque finis ejus *est dilectio.* Rom. XIII. 10. Dilectio est causa unionis atque pacis. *Dilectio non quærit quæ sua sunt.* I Cor XIII. 5. Finis omnis potestatis & Hierarchiæ Ecclesiasticæ est dilectio, pax & unio. Finis imponit necessitatem his quæ ad finem sunt, idest, secundùm exigentiam finis cetera debent moderari. Necessitas non habet Legem. *Felix necessitas quæ ad meliora compellit*, Gregorius *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis* uniendis & salvandis. Joan. X. II. *Inimici hominis domestici ejus*, idest, carnalis sensus. Mich. VII. 6. *Spiritualis homo omnia dijudicat.* I. Cor. II. 15. Medium virtutis accipiendum est, ut sapiens judicabit. Vim vi licet repellere. Fas est unicuique se tueri & rem suam defendere contra vim injustam. Qui suo jure utitur, nemini facit injuriam. Deteriora sunt animarum, quàm corporalium vel rerum exteriorum detrimenta. Depositum non est reddendum in depositarii vel Reipublicæ detrimentum. Salubriùs, panis aut vestis aut gladius abusivis substrahitur quàm donetur. *Unicuique mandavit Deus de proximo suo*, Eccli. XVII. 12. *Diliges*, inquit, *proximum tuum sicut teipsum.* Matth. XXII. 31. Quod pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet. *Si pes tuus aut manus* & ita de capite *scandalizat te, projice abs te.* Matt. XVIII. 8. *Qui Ecclesiam non audierit, sit sicut ethnicus & publicanus.* Ibid. 17. Toleranda sunt zizania, ne simul eradicetur & triticum. *Ibid.* XIII. 29. Communis error facit jus. *Non perjurabis.* Ibid. ℣. 33. *Redde Altissimo vota tua.* Ps. XLIX. 14. Omne juramentum & votum quod sine detrimento salutis potest custodiri, servandum est. Cujus est condere vel doctrinaliter vel judicialiter, ejus est similiter interpretari. Intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi, & similia multa.

Consideratio Tertia.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium, dum procuratur per epikeyam seu bonam æquitatem, non exigit in sic epikeyentibus seu Legum positivarum interpretibus quòd habeant evidentiam mathematicam seu demonstrativam; sed satis est si certitudinem moralem seu civilem & politicam attulerint. Considerat quippe bonus epikeyes circunstantias omnes particulares, quales non potuit Legislator prævidere nec exprimere; quibus attentis aspicit finem qui sequeretur, si rigorem litteralis expressionis observaret: qui dum videt ex hac observatione læsuram fore in Legibus Divinis, vel æternis, contra intentionem debitam Legislatorum; dictat vel doctrinaliter vel authoritativè, quòd Lex scripta sic vel sic applicanda est, seu deferenda, secundùm imaginationem Philosophi de Regula Lesbia, quæ erat plumbea, & non ferrea, idest flexibilis, non immutabilis. Constat autem quòd de circunstantiis moralibus non potest haberi certitudo nisi moralis, secundùm Philosophi sententiam in Ethicis. Exempli gratia: Tyrannus persequetur Rempublicam cautelis dolosis sicut lupus rapax; nihilominùs ipse teget se vestimentis ovium, quæ sunt tam verba quàm facta apparenter sanctissima, in quibus est frequenter equivocatio vel hypocrisis. Ago, inquiet, ista pro Republica, ago pro salute populi, pro quibus paratus sum etiam mori; nec dicentibus oppositum quomodò libet fides detur. Ita mentietur tyrannus, & multos ex simplicibus seducet. Prudentes verò & judices quorum est epikeya uti, legent in operibus suis oppositum, secundùm artem Christi. *Ex operibus eorum cognoscetis eos.* Matt. VII. 16. Vult dice-

Digitized by Google

dicere consideratio, quòd prudentibus ipsis credendum est, etiam si nescíverint rationes evidentes & incalumniabiles adducere; alioquin periret confestim omnis politia. Denique aptæ sunt hoc loco parabolicæ narrationes de lupo & ove, quam lupus diversis fraudibus, nunc ostendendo similitudinem & amicitiam, nunc, falsam imponendo calumniam quærebat fallere, ut voraret. Propter quod monuit Christus: *Attendite a falsis Prophetis*, Ibid. ℣. 15.

Consideratio Quarta.

Unitas Ecclesiæ ad unum certum Christi Vicarium, nunc per Concilium Pisanum, Domino concedente, procuranda, debet solidius inniti sententiis & deliberationibus hujusmodi Concilii & sapientum in eo venturorum, etiam si non offerant rationes evidentes; quàm allegationibus vel assertionibus, vel excusationibus, aut justificationibus, vel contendentium de Papatu, vel fautorum suorum. Deducitur faciliter consideratio ex hoc, quòd medium virtutis accipiendum est, ut sapiens judicabit, & ut spiritualis qui omnia dijudicat dicet, non ut carnalis homo, qui non sapit quæ Dei sunt, sibi fingit: quis enim dubitaverit, quando plures causæ concurrere habeant pro omnibus de Concilio, ut eis fides detur qui laborant ad unionem dandam, quàm pro aliis contendentibus ad suam Præsidentiam talem qualem occupandam. Amor quippe nimius & carnalis ad seipsum & ad suos, nonne fallere solet, & in errores impios traducere, etiam usque ad imitationem Luciferi; ut adorari velint sicut dii, neque reputent se subditos esse cuiquam, *sicut filii Belial sine jugo*, Judic. XIX. 22. nec sibi posse dici, cur ita facis? Qui nec Deum timent, nec hominem reverentur; cum tamen humiliores esse debeant, & ad serviendum promptiores ex prælationis munere, quantò se obligatiores esse conspiciunt in reddenda ratione. Postremò tamen hoc summoperè cavendum est Judicibus, ne usus epikeyæ passim & absque manifesta ratione fiat, transmutando Legem scriptam: alioquin tolleretur protinùs à Legibus sua stabilitas; quibus nutantibus totam Reipublicæ disciplinam innitentem eis collabi, & ex consequenti Rempublicam corruere vel conturbari necesse est. Inde contigit apud Romanos ista severitas, etiam in nece propriorum filiorum, ne labefacerent optimam Reipublicæ disciplinam.

***Sequuntur in MS. Cod. quatuor aliæ considerationes excerptæ ex Sermone habito Tarascone Anno 1403. suprà. Et post istas considerationes, in eodem MS. habetur sequens Opusculum, quod est veluti* Commonitorium *informe ad revocanda in memoriam quædam Capita, ad defendendam convocationem Concilii Pisani. Sic autem incipit ab abrupto.* Debent.**

Prodit nunc primùm ex MS. Cod. Victor. 463.

DEBENT Ecclesiæ succurrere. Malis ejus tàm evidentibus celeriùs occurrere. Possent autem ad præmissa, rationes & autoritates tam divini quàm humani Juris adjici: verum assertivè ista sufficiunt & in fundamento prædicto possent superædificari aliquæ aliæ propositiones magis particulariter respicientes Concilium nunc in civitate Pisana convocatum, quas dimitto; quia ita clarè sequuntur ex præmissis; ut eas non sit necessarium benè intelligentibus ampliùs declarare.

Nota, esse Legem quæ regulat Ecclesiam.
- Divinam ab Evangelio.
- Naturalem à principiis naturæ.
- Canonicam à Pontificibus & Ecclesia, per Spiritum eis largè datum.
- Civilem à Legibus pro vita civili & politica.

Difficultuant aliqui Concilium.

A Primò: quia solus Papa potest convocare Concilium 17. *Dist.* Et quòd ista duo Collegia faciunt unum sine autoritate.

Secundò: quia quilibet spoliatus debet restitui 2. p. causa 3. q. 1. c. 1.

Tertiò: quia ab accusatione videntur inimici repellendi 2. causa 3. q. 5. & similiter excommunicati.

Quartò: quia oporteret clarè probare hæresim vel schisma, & quòd quilibet desierit esse Papa, 2. causa 23. q. 1. & in fine de schismaticis.

Quintò: quia isti non sunt schismatici, ex quo non separant se à membris suis, causa 23. q. 5. c. *Non vos* & per definitionem Tho.

B Sextò: Benedictus nisi alius non ejiciatur, non tenetur cedere. causa 7. q. 1. quia periculosum, nec possunt cogi, ut dixit Epistola Angelicana.

Septimò: schisma non potest dici evasisse in hæresim, nec sufficiunt crimina notoria immò, glo. d. 40. c. *Si Papa.* Hoc dicere, reprobatur & profertur glo. quæ dicit *quod oportet Papam errantem contra Articulos Fidei.*

Octavò: quomodò procedendum per accusationem, vel inquisitionem vel denunciationem.

Nonò: si habeant sequaces quid fiet?

Decimò: quid si allegant 1. d. 93. obedientiam autem inferiores ordines inferioribus debent c. 1. n. 2.

Undecimò: quid justificabit oblationes suas, & injustificabit substractiones & neutralitates libertatum Curiæ Romanæ.

Duodecimò: quilibet dicet, *inimici nostri sunt judices.*

Videatur Tractatus propositi Wairnensis & tres considerationes suæ.

C Item Tractatus Magistri Henrici de Hassia.

Notetur quòd Ecclesia potest novam Legem condere & abrogare pro tempore & necessitate jam factas.

Notetur factum Scipionis. Allegavi & fundavi pridem in Sermone Circumcisionis Tarascone.

Item Littera neutralitatis in Latino justificat totum processum.

Videtur primò declinanda omnis controversia, quod erit possibile.

Etiam cedere deberent &c, Erga contendentes qui nihil mali egissent.

Secundò: recurrendum ad Epikeiam & finem Legis, qui est Pax; alioquin esset brutalitas & lethalis error.

Tertiò: supponendum quòd Ecclesia potest sibi Legem condere & interpretari; quia propter eam datæ sunt.

D Quartò: non videtur procedendum ad Excommunicationem aliorum, nisi videatur finis possibilis; sed per admonitiones.

Quintò: dentur securitates quantùm erit possibile.

Sextò: qualiter restitutio est contra Deum & impossibilis & ridicula.

Septimò: qualiter ex voto & scandalo tenentur cedere; justificatur neutralitas.

Octavò: videatur quòd nihil ex odio actum est; sed pro amore Christi & Ecclesiæ, cui maximè quilibet obligatur &c.

Nonò: fiat statim post electionem reformatio generalis Ecclesiæ, notentur avisata.

Digitized by Google

Decimò: fiant orationes & morum correctio, quod est præcipuum.

PROPOSITIO

FACTA AB EODEM DOMINO

***Joanne Gersonio Doctore & Cancellario Parisiensi, Coram Anglicis Parisios euntibus ad Sacrum Concilium Pisis, & hoc ex parte Universitatis Parisiensis. Anno Domini* 1408.**

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 698. & Colbert 99. & 5972.

Titulus occasionem & tempus hujus operis prodit.

CONGRATULATUR vestræ devotioni, vestro zelo ferventi, vestræ laboriosæ sed laudabilissimæ Legationi. Congratulatur & applaudit ò Reverendissimi & Præclarissimi Patres, ò Doctissimi & Sapientes Viri & Fratres in Christi dilectione charissimi. Congratulatur, inquam, & congaudet amatrix & admiratrix & cultrix bonorum omnium Parisiensis Universitas. Itaque non æmulatur nec gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Quidni congaudeat igitur super veritate, quam ut soletis amplectimini, & complexam retinetis, retentam ad effectum deducere totis studiorum nervis conamini? Est autem modò congratulationis nostræ spiritualis thema satis accommodum verbum Ozee Propheticum: Ozee cap. I. II. *Congratulabantur* [*in Vulgata habetur congregabuntur*] *filii Israël, & filii Iuda pariter.* Itaque libet exclamare, *Ecce quam bonum & quam jocundum habitare fratres in unum*, Ps. CXXXII. I. convenire scilicet & congregare ad unum Concilium. Nam *in Concilio justorum & congregatione, magna opera Domini*, Ps. CX. I. 2. Et hoc est Concilium sacrum & venerandum, ad quod Legati pergitis, quod Pisis, Deo duce & auctore celebrabitur, utinam felici prout optandum & sperandum est adventu. Ait quippe veritas, quòd *omne regnum in se divisum desolabitur*, Marc. XII. 25. & è contrario unitum in se Regnum manet. Quod vidit Salustius, *Concordia*, inquit, *parvæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.* Cur ergo non benè sperabitur dùm adunatur Ecclesia, dum convocatur cœtus, dùm conveniunt seniores? Videte de verbo hoc, præsertim cum teneamus certissimam Christi promissionem dicentis: *Ubi duo vel tres*, &c. Matt. XVIII. 20. Audivimus præterea lætanter & gaudenter, quòd *congrabuntur*, &c. At verò ne prolixior vel evagatior sermo tædio sit vel oneri; coarctemus si placet totam dicendorum materiam, totamque deductionem thematis ad quatuor sententias sumptas ex themate, ex verbis ipsi protinùs appositas, & videamus quid in illis loquitur Deus; quia loquetur pacem in plebem suam. Postquam enim dixit Dominus per Ozee c. I. II. *Congregabuntur filii Israël & filii Juda pariter*: pro prima sententia mox subjunxit, *& ponent sibi caput unum*, ecce secundam sententiam: *& ascendent de terra*, ecce tertiam; *quia magnus dies Israël*, ecce quartam. Incipientes ergo prosequamur, & invenimus puto causas quatuor sufficientes, quare *congregabuntur filii Israël & filii Iuda pariter*: ipsi enim qui sunt populus unus Dei, fœda nunc divisione proh nefas! dispersi sunt, velut olim in figura sub Roboam & Jeroboam contigisse meminit scriptura 3. *Regum* 17. Et est tanquam materialis aliqua ratio & confusa hujusmodi Concilii celebrandi. Invenimus præterea causam finalem luculenter expressam in altera sententia. *Et ponent, inquit sibimet caput unum.* Denique tangitur causa dispositiva, & velut efficiens celebrationis hujus Concilii, dum dicitur in altera sententia, quòd *ascendent de terra*, & quid terra mysticè, nisi terrenus affectus? Quid igitur ascendere de terra, nisi de terrenis affectibus quibus oppressi sunt hactenùs multi, ad spirituales & divinas affectiones se potenter eri-
A gere, & erigendo salubriter ascendere; tanquam audiret quilibet de excelso clamantem Deum: *Exurge qui dormis*, Psal. XLIII. 23. Et rursùs: *Surgite postquam sederitis*, Psal. CXXVI. 2. Habemus præterea causam quodammodò formalem, & ad hujus celebrationem Concilii vivificè præparantem, quæ forma est semen Dei vivum & efficax, semen Spiritus Sancti, habens virtutem formativam & reformativam totius unitatis, totius Ecclesiæ corporis, in una Fide & Spe & Charitate sub uno Deo & Domino per omnem juncturam, secundùm deductionem Apostoli *ad Ephes.* 4. Quod notatur in hoc verbo Jesrahel, quod interpretatum sonat idem quòd, semen Dei, vel seminavit Deus. Et quale semen istud? Planè illud de quo alibi Propheticus sermo dicit: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus*: Isaiæ I. 9. Gratias tibi Deus Israël; quoniam accessit nunc dies magnus Israël, magnus scilicet dies seminis Dei, quòd habet in se artem & virtutem vivificam, qua mysticum cor-
B pus Ecclesiæ se vivificare potest & unire salubriter, in cujus efficacia & virtute congregabuntur filii Israël & Juda pariter. Benè hæc jacta sunt fundamenta, sicut ex Cicerone sumit Lactantius. Hæc autem fundamenta sunt perfectibilitas Ecclesiæ per Congregationem, ut causa materialis; ordinabilitas Ecclesiæ ad unius capitis positionem, ut causa finalis; intelligibilitas in epikeizando seu interpretando, ut efficiens; insita fœcunditas in se conservando, ut formalis dispositiva. Superædificemus fabricam quadrangularem quatuor considerationum principalium, ad dilatationem ædificii præsentis Congregrationis ampliorem. Et dicamus pro prima consideratione, juxta primam causam in verbo notatam.

Consideratio Prima.

Congregatio filiorum Israël & Juda pariter, quæritur ab Ecclesia, quemadmodùm materia quærit formam & imperfectum perfectionem, & mulier virum,
C sive sponsa sponsum. Tradit divinus Dionysius, & post eum Boëtius & Augustinus quibus experientia suffragatur, quòd res quælibet non minus diligit aut appetit congregationem sui ipsius, quàm propriam entitatem, nimirùm quia ens & unum convertuntur. Hinc est ille dolor, illa concussio ille vehemens horror in corpore vero; dum membratim quæritur dividi vel dispergi. Sic nemo dubitaverit quin Ecclesia divisionem suam refugiat & horreat, cum sit corpus mysticum secundùm deductionem Apostoli *ad Ephes.* 4. & I. *Corinth.* 12. & *ad Roman.* 12. & alibi sæpissimè. Est etiam terribilis ut castrorum acies ordinata: aciei verò quis nesciat separationem maximum afferre detrimentum. Est insuper Ecclesia civitas, de qua gloriosa dicta sunt; est Regnum Dei, est Hierarchia subcœlestis, & ita de multis similitudinibus; secundùm quas convincitur divisionem ei, atque separationem schismaticam esse penitus odiosam. Potuerat hoc loco fieri sermo prolixior, deducens perfectionem Ecclesiastici corporis stare principaliter in unitate tanquam in con-
D summatione omnis boni. Fallor itaque si non optabundus Propheta postulabat hoc, imprecans pacem super Israël; sciens quoniam posuit Auctor ejus Deus fines suos pacem. Vide si non hinc ortum est illud Christi ad ipsam Jerusalem quæ figuram tenet Ecclesiæ. *Jerusalem, Jerusalem quotiens volui congregare filios tuos sicut gallina congregat pullos suos, & noluisti.* Matth. XXIII. 37.

Digitized by Google

37. Ad hoc quippe mortuus est Jesus, ut *filios suos dispersos in unum congregaret*, Joan. XI. 52. tanquam *lapis angularis faciens utraque unum*. Ephes. II. 14. 20. Et ecce heu fera pessima, monstrum horrendum ingens, monstrum biceps, portentum, jam annos habens XXXI. schisma pestiferum, pulcherrimam hanc & perfectam pacem quantùm in se fuit laceravit, dissipavit, & in exilii longinquam regionem trusit. Sed veniat ô utinam pax, juxta votum Isaiæ. Veniat & requiescat in cubili suo, quod est Ecclesia, quatenùs expulso disconvenienti schismate, forma pacis conveniens inducatur: nam qualis est ista deformitas, qualis imperfectio, videre corpus mille partibus miseris modis laceratum, dissipatum & dispersum; cujus lacerationi nulla hactenus profuerunt efficaciter humana remedia, quin potius schisma hoc horrendum velut insanabilis cancer *ægrescit medendo*, ut de Turno loquitur Virgilius; ipsum denique tanquam fabulosa hydra redit ex successione sua fœcundius. Hinc scandala populorum sine numero adversus Fidem nostram, Religionem nostram, mores sanctos, adversus spem quoque futuræ beatitudinis, contemptum seculi, sanctitatem immobilem jurisjurandi, voti Sacramentorum virtutem, obedientiam ad Deum & ad omnem disciplinam. Quare? Quia sævissima dominandi libido, mater infausta schismatis hujus pestiferi confundit hæc omnia, fasque nefasque velut hianti voragine mergit, sorbet & obruit. Quid porrò de paganorum infideliumque fabuler probro & irrisione adversùs Catholicos. Demum tota illa flebilis Jeremiæ lamentario si ad calamitatem Ecclesiæ præsentem deflectatur, nescio si satis illam, ut dignum est expresserit dum ait: *Quomodò sedet sola civitas plena populo*, &c. Thren. I. I. Nequit prorsùs æquari verbis, quantùm res ipsa videatur indigna, pro qua reformanda celeriter, expeditissimum est quòd congregentur filii Israël & filii Juda pariter.

Consideratio Secunda.

Pro causa secunda. Congregatio filiorum Israël & Juda pariter quærenda exequendaque est, ut ponant sibimet caput unum. Iste est finis, hæc intentio imminentis sacri Concilii Pisis celebrandi, ad quod vos cum ceteris, religiosa & filiali ad Matrem Ecclesiam pietate pergitis & perveniatis oro feliciter. Non ignoratis scio, o doctissimi & sapientes viri, quòd caput Ecclesiæ primarium & principale semper unum est, invariabile & permanens, sicut testatur Apostolus. Eph. V. 23. *Caput*, inquit, *Ecclesiæ Christus*. Christus autem *manet in æternum* (ut idem ait Hebr. VII. 3.) sempiternum habens Sacerdotium & Papatum. Itaque salutifer Christe, caput nostrum es, à quo fluunt in Ecclesia sensus omnes & motus vivifici, spirituales ac gratuiti, ac proinde nunquam Ecclesia tua esse potest acephala neque te sponso suo viduata. Nihilominus tu quondam ascensurus ad Patrem reliquisti sibi Vicarium super terram, tanquam caput aliquod secundarium; fluens & refluens in stabili loco tui Sacerdotii & Papatus essentialis indefectibilis & manentis usque ad consummationem seculi, quando evacuabis omnem dominationem, principatum & protestatem, & tradideris Regnum Deo Patri. Nunc autem proh dolor! viri Patres & Fratres, nunc scandalizantur adversùs hoc caput primarium duo contendentes, dum simul illud, quod fieri nefas est, repræsentare volunt, vel vices gerere, vel in suum locum succedere. Sic in impiam cecidimus maledictionem hanc, quòd *facti sunt ejus hostes* Ecclesiæ *in capite*. Thren. I. 5. Oportebat quidem ad unitatem Papalis Sacerdotii unicum Sacerdotem & certum Vicarium Christi super terram assumi, succedentem Petro, & non Pharisaïca contentione dicere sicut olim conquestus est Apostolus. I. *Cor.* I. 12. Ego sum Gregorii, ego sum Benedicti. Sanctius quoque, filialique ad Matrem charitati convenientius est relinquere Papalem Dignitatem & Petri Sedem uni tertio, sub pace possidendam, sub quo congregati essent filii Israël & filii Juda unus populus Dei; quàm fœdissima seditione partiretur Obedientia, & spargeretur grex, quasi non esset unum ovile & unus pastor: quasi rursùs indecens esset quòd congregarentur filii Israël, & filii Juda pariter. Meditabar hæc nuper in abscondito scrutinio cordis mei priusquam proferrentur; dum ecce animalis homo non sapiens quæ Dei sunt, sed ea quæ de terra sunt loquens; numeratus quippe est inter filios Agar, de quibus dicit Scriptura, quòd exquisierunt sapientiam *quæ de terra est*. Jacob. III. 15. conjungitur quippe ipsi sapientiæ terrenæ, animali & diabolicæ non ei quæ de sursum est, *Ibid.* propterea obscuratum habet intellectum. Ipse, inquam, animalis homo ut impatiens, hebes & præceps; & quo pacto, inquit, opus est congregatione filiorum Israël & Juda, quasi res incerta sit super jure pretium, quasi præterea liceat vel expediat nunc Concilium generale novum celebrari. Non itaque licet, cum non possit Concilium generale sine Papa celebrari, & nisi primitùs, ante omnia, spoliatus ab Obedientia sua, restituatur eidem. Quomodò præterea decens esset ea quæ certa sunt & tam per longissimos temporis tractus in consuetudinem versa, rursùs in discussionem, tanquam dubia revocari, & quòd vera & justa pars exponat se discrimini condemnationis; nam eventus Judiciorum varii sunt, qui falluntur & fallunt. Denique quid expedit contraniti voluntati divinæ, suæque providentiæ, quæ justo judicio permittit hæreses fieri, & dicit *esse necesse ut veniant scandala*. Matth. XVIII. 7. qui etiam ait: *Nolite arbitrari quòd venerim pacem mittere in terram; sed gladium*. Ibid. X. 34. qui demum olim prohibuit fieri congregationem filiorum Israël & Juda pariter, asserens divisionem ab eo factam esse. Multa majoraque parabat animalis homo delatrare adversùs celebrationem Concilii, asserens quòd nec licebat, nec decebat, nec expediebat illud fieri; dum exhorrui fateor: nihilominùs aio ad eum. Obmutesce importune & stulte; aut expecta donec considerationum cœptarum numerus impleatur. Audies fortè ea quæ contradictionibus tuis imponere possint silentium. Extorsi velut ab invito dilationem, ut tertia & quarta considerationes liberiori sermone complerentur.

Consideratio Tertia.

Congregatio filiorum Israël & Juda pariter habet fieri tanquam à causa dispositiva, quæ removet, prohibens; dum ipsi ascendunt de terra, hoc est, secundùm moralem intellectum, dum de terrenis affectibus ascendunt ad cœlestes, & fiunt de animalibus spirituales; dumque litterâ dimissâ quæ occidit, ipsi spiritum qui vivificat, amplectuntur; hoc tamen observato, ne quid nimis: ne dum nimis observari quæritur spiritus, obruatur simul caro cum spiritu. Unde quæso tamdiu, Viri Patres, tardata est fieri congregatio Concilii generalis & sacri; nisi quod tamdiu non fuerunt auditi spirituales viri, quales (si Apostolo creditur) dijudicant de omnibus. Ecce quid præclara Universitas Oxoniensis, unde sibi meruit congratulari, pridem ad hoc Concilium petendum determinavit se & misit in Franciam, scio qui præsens interfui dum proponeretur hæc conclusio compendii, sub hoc themate Joëlis. I. *Vocate cœtum, coadunate senes*. Sed pridem antea Parisiensis Universitas ab exordio nascentis divisionis deliberavit solemniter & concordi sententia conclusionem hanc petendam & prosequendam esse, quam ex parte sui proposuit Reverendus Pater ac Præceptor meus præcipuus Dominus nunc Cameracensis, coram Ludovico Duce Andegavensi, tunc regente in Francia. Circa quod tempus scripsit pro eadem conclusione Clarissimæ memoriæ Magister Henricus de Hassia Magister in Theologia

Digitized by Google

logia Parisiensis, & Vice-Cancellarius sub Magistro Joanne de Calore tunc Cancellario Parisiensi. Scripsit insuper Dominus Præpositus Wormacensis magnus & devotus & Licentiatus in Artibus Parisiensis: scripserunt quoque alii sicut ex eorum Tractatibus adhuc constat. Ampliùs verò scripsit post multos annos Universitas Parisiensis Epistolam grandem A continentem tres vias, inter quas Concilium generale numeratum est. Ecce quot viri spirituales & eruditi, non innitentes soli litteræ, ascendentes de terrenis affectibus, & in liberum atque purum æther lucidissimæ veritatis, desideriorumque splendidorum sese attolentes, quæsiverunt olim multo studio concorditer, quòd congregarentur filii Israël & filii Juda pariter. Et hæc est non parva congratulationis materia, quod in unam conventum est sententiam per duas Universitates toto Orbe celeberrimas: & ipsis nonne fides dari debet, cum illic sint viri spirituales & sapientes, secundùm qualium judicia medium virtutis accipere jubet Philosophus? Illic præterea sunt idonei conditores Legum doctrinaliter & instructivè, quibus similis interpretatio per epikejam debita est. Illic sunt qui mentiri nesciunt de quibus noverunt, dum à vero falsum, à licito illicitum sciunt secernere. Cum ergo conveniunt congregatio multiplex sapientum in celebrationem hujus Concilii generalis tanquam in rem expedientem, ut in prima causa di- B cebatur; in rem præterea decentem, sicut visum est in secunda; nam quid decentius quàm ut unum corpus habeat caput unum: postremò superest ostendere rem hanc esse per se licitam atque legitimam, quod in quarta & ultima consideratione videbimus, quæ talis est.

Consideratio Quarta.

Congregatio filiorum Israël & Juda pariter sumit suam efficaciam & virtutem à Divino semine, quod per Ecclesiasticum corpus tanquam sanguis vivificus diffusum est, & radicaliter seu inseparabiliter insertum. Ponamus pro solido fundamento præsentis considerationis & aliorum tam dictorum quàm dicendorum textum Apostoli ad Ephes. IV. 3. 4. 5. 6. *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestra. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium qui super omnes & super* C *omnia* & in *omnibus*. Sequitur. ℣. XI. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi; donec occurramus omnes in unitatem Fidei & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, Sequitur ℣. XV. XV. *Veritatem autem facientes in charitate crescamus in illo per omnia qui est caput Christus. Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Eliciamus ex his paucissimis, sed sententiosissimis Apostoli verbis, aliquas veritates.

Prima. Congregatio Ecclesiastica ad unum caput Christum facit, & conglutinatur per vinculum amorosum Spiritus sancti, mediantibus qualitativis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam vivificam & decentem. Hæc autem Dona, sunt virtutes Theologicæ, Fides, Spes & D Charitas; sunt etiam Sacramenta Ecclesiastica; sunt diversæ divisiones gratiarum, prout unicuique concessum est: hoc est semen in quo conveniunt ambæ Obedientiæ; hoc autem semen si abstulisset schisma pestiferum, jam de pace reformanda actum esset, prout aliàs scripsit ipsis Romanis Parisiensis Universitas.

Secunda. Congregatio Ecclesiastica ad unum caput Christum copiosior est atque fœcundior quàm fuit congregatio Synagogæ; non enim habuit Synagoga talem in Sacramentis & aliis multis commutationem adjunctionis sicut Ecclesia: nam extra eam stabat salus, quemadmodùm salvatus Job ostendit.

Tertia. Congregatio Ecclesiastica ad unum caput secundarium multiplicior est & major quàm congregatio civilis sub uno Rectore vel Imperatore vel Rege. Connexio quippe talis politicæ civilitatis fit per Leges & dona naturæ principaliter, & in illis constituit suam unitatem: Ecclesia verò ut politia ordinata, habet hanc unitatem, & ultra hanc habet alteram supernaturalem & divinam quæ dicta est. Et ita sequitur consequenter, quòd Ecclesiastica pluribus Legibus regitur quàm altera politia.

Quarta. Congregatio Ecclesiastica non habet vel habuit ex se potestatem seipsam ordinandi & constituendi per gradus varios atque hierarchicos dignitatum & administrationum, quales in ipsa reperimus à summo Præsulatu usque ad infimum administrationis gradum, quicunqne sit ille. Patet; quia supernaturalis est hæc institutio, consurgens ex solo beneplacito liberalissimi conditoris: nec (ut opinor) voluisset unquam oppositum sentire præfatus Magister Henricus de Hassia, dum ponit quòd Ecclesia posset sibi instituere Summum Pontificem, si non fuisset immediatè constitutus à Christo; addit enim quòd hoc potuisset Ecclesia à Spiritu sancto edocta & autorizata, quod est probabiliter sentiendum.

Quinta. Congregatio corporis mystici ad unum caput Christum semper habebit per omnem juncturam gradus dignitatum & officiorum & administrationum, de quibus dictum est. Patet ex illo verbo, *donec occurramus omnes &c.* Propterea dicitur Ecclesia desponsata Christo in sempiternum *Ozee.* II. 19. Dicitur prætereà habere semper in se semen ad sui propagationem & conservationem usque ad consummationem seculi.

Sexta. Congregatio Ecclesiastica ad unum caput Christum, Lege stante, non remanebit in sola muliere, immo nec in solis laicis; sed erunt usque ad consummationem seculi Episcopi & Sacerdotes aliqui fideles.

Septima. Congregatio Ecclesiastica dici potest habere duplices partes integrantes eam: quædam sunt fluentes, quædam permanentes, & ut ita loquamur, essentiales. Primæ, sunt ipsæ personæ mortales constitutæ in graduum varietate. Aliæ, sunt ipsimet gradus dignitatum & administrationum. Exemplum in Papa & Papatu, in Episcopo & Episcopatu, & similibus; Papa fluit, Papatus stabilis est.

Octava. Congregatio Ecclesiastica constituitur in suis partibus fluentibus & quodammodò materialibus, ministerio hominum, secundùm Legem primitùs inditam & insitam corpori Ecclesiastico, & prout ipsum habet in se semen vivum & efficax seipsum multiplicandi atque conservandi in successione specifica ad partes fluentes, & in successione eadem materiali quam ad essentiales. Patet veritas ex illo verbo Apostoli: *nemo sibi assumat honorem*. Hebr. V. 4. &c. Et de Prædicatoribus dicit: *Quomodo prædicabunt nisi mittantur*, Rom. X. 15. &c. Et hæc veritas similiter posset inflecti ad depositiones & degradationes & resecationes partium scandalizantinm; sed pro nunc omittatur.

Nona. Congregatio Ecclesiastica, habet claves Ordinis & Jurisdictionis alio & alio modo in se & in suis partibus fluentibus. Ut exempli gratia, claves datæ sunt Petro autoritativè, sed toti Ecclesiæ universaliter & susceptivè. Vel datæ sunt Ecclesiæ ut in actu primo, & Petro in actu secundo.

Decima. Congregatio Ecclesiastica sic instituta est ut castrorum acies ordinata, vel ut corpus integerrimè perfectum; sic quod non est in potestate Papæ, vel alterius cujuscunque, deordinationem vel multitud

Digitized by Google

tudinem in suis partibus essentialiter inducere. Unde nec Papa posset inducere quod nulli essent Episcopi nec Curati, nec Cardinales, pro quanto sunt successores Apostolorum in Ecclesia sancta Dei: sunt enim gradus omnes seminati à Christo in Ecclesia primitiva, quamquam parvula, in qua nondum erant sic explicati gradus Ecclesiasticæ hierarchiæ, ut nunc inspicimus; quemadmodùm spica totos numeros suos habet in grano, & nux arbor in nuce virtualiter continetur; has vocant Philosophi inchoationes formarum in materia.

Undecima. Congregatio Ecclesiastica licet non possit instituere Papatum, vel destituere; nihilominùs potest per se vel per Concilium eam repræsentans statuere alium modum eligendi Papam quàm modò fit, ut aliàs visum est. Potest insuper removere Papam etiam ritè electum & alium constituere, si ita sibi visum fuerit expedire ad ædificationem Ecclesiæ; ut in casu gravis scandali, vel in dubio aliter interminabili, quàm per cessionem vel dejectionem Papæ, aut alio tali casu; ipse enim Pastor instituitur pro utilitate gregis: & dum Præsidentia sua cedit in grave detrimentum, mercennarius reputandus est, immò latro, immò lupus rapax, si quærit in Præsidentia tam damnosa remanere. Et hìc fundatur possibilitas practicandi viam cessionis, saltem quoad effectum suum contradicentibus, contendentibus & invitis. Hìc fundatur præstereà, quomodò in casu veritatis istius, Congregatio urgens Papam ad cessionem vel dejiciens eum, si pertinaci libidine dominandi motus renuat, non est judicanda quòd eum persequatur; sed ei potiùs & Deo & Ecclesiæ toti multipliciter obsequatur.

Duodecima. Congregatio Ecclesiæ licitè & meritoriè potest in casu fieri sine Papa vel autoritate sua. Itaque cum possit dupliciter fieri Congregatio, uno modo concordativè vel assensivè seu charitativè; alio modo autoritativè: constat de primo congregandi modo, quod sine Papa possibilis est, immò fuit sæpissimè prædicatus, tam apud Apostolos quàm apud Imperatores sanctos & Catholicos, qui sæpe convenerunt in unum priusquam essent evocati vel autorizati à Papa. Patet de quatuor primis Conciliis memoratis in Actibus Apostolorum. De primo nondum erat adhuc Petrus factus Papa; quin simul erant congregati ad examinationem testimoniorum de Resurrectione. Unde & quælibet Congregatio libera non subjecta tyrannidi, habet hanc facultatem seipsam congregandi. Patet in Confraternitatibus, & aliis multis conventionibus charitativis. Secundus modus convocationis habet majorem quæstionem; nihilominùs oportet eum concedere possibilem, alioquin periclitaretur Respublica Ecclesiæ, si necesse esset autoritatem Papæ priùs intervenire. Exempli gratia. Immineat casus periclitationis Ecclesiæ, sit in temporalibus, sit in spiritualibus, & quod tunc nullus esset. Papa, nec posset priùs institui quàm esset providendum Ecclesiæ per assensum communem. Item in casu quo Papa perdidisset usum rationis perpetuæ. Item in casu quo Papa depravatus esset in intellectu per hæresim, & in effectu per enormes & scandalosos mores, quod ad destructionem Ecclesiæ patenter laboraret. Item in casu quo requisitus sufficienter & monitus, dare nollet autoritatem Concilio, ut fortè est in præsenti casu; quia signum est quòd non vult audire Ecclesiam, si non vult eam congregare. Item ubi probabiliter dubitatur, quòd fideles nunquam ei præstabunt obedientiam qualemcunque aut non satis utiliter atque concorditer. In talibus & similibus casibus Congregatio Ecclesiastica sumit autoritatem & virtutem seipsam uniendi ex divino semine per universum corpus suum diffuso, ut dictum est. Et ad hoc est textus Legis *Deuter.* 17. & notat Christus *Matth.* 18. resolvens tandem omnia ad Ecclesiæ judicium: *Si*, inquit, *Ecclesiam non audierit*. Matth. XVIII. 17. Obmutescat igitur animalis sive litteralis & carnalis homo, & spirituali magis credat, deducenti & probanti per priora, quòd expedit quoad primam considerationem, & decet quoad secundam, & licet quoad hanc quartam, quòd congregentur filii Israël & Juda pariter. Ad quid nimirum; ut ponant sibimet caput unum, non ad disceptandum & discutiendum & arguendum & litigandum, sicut phantasiari videbatur animalis homo: hoc enim fortassis inducere posset indecentiam & multam turbationis materiam. Ceterum quoad allegationem quæ fiebat ab animali homine, quòd necesse & expediens erat esse schisma, sicut olim Dominus voluit dissensionem esse inter filios Israël & filios Juda: solutio facilis est, quoniam non sunt facienda per homines mala ut eveniant bona; neque enim scient ex malis bona elicere, sicut Dominus ex nostris peccatis & scandalis potenter elicit bona, tanquam attingens à fine peccatorum usque ad finem comprehensorum fortiter, & disponens omnia suaviter, faciens ut omnia cooperentur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Denique non potest, lege stante, politia Ecclesiastica quæ est Monarchica in aliam transformari, sicut in alia politia. Tandem multis prætermissis; neque enim locus neque tempus, non stilus, neque ingenium, non memoria patiuntur omnia dicere quæ dicenda essent, fiat ad Opuscula, & Tractatus super his confectos recursus liberior. Concludamus ergo ex quatuor causis, per totidem considerationes tactis potiùs quam deductis, quòd expedit, decet & licet quòd congregentur filii Israël & Juda pariter.

Congratulatur amatrix bonorum omnium Parisiensis Universitas, Mater mea, ut dicere cœpimus; congratulatur vestræ devotioni, vestro zelo fervevti, vestræ religiosissimæ ad Matrem Ecclesiam pietati, vestræ tandem laudabilissimæ Legationi, ô Reverendissimi & spectabiles Viri Patres & Fratres: det auxilium Deus in progressu & egressum felicissimum & votivum. Denique offert seipsam totam & in membris singulis eadem Universitas, ad omnia communi consensu & deliberatione avisanda, tractanda, communicanda, concludenda, prosequenda cum omni humilitate & favore, nihil quærendo quod suum esse videatur, sed quod omnium; ut habeatur unum & certum caput secundarium in Ecclesia sancta Dei, postpositis contentionibus omnibus & discussionibus odiosis, quæ ad hanc rem non satis attinent, sed magis ad divisionem, & practicando viam compendiosissimam & sanctissimam cessionis amborum contendentium, ut jurarunt solemniter & voverunt. Neque prætereà sit contentio, quis in hoc negotio prosequendo videatur esse major, vel potior, vel doctior. Scit eadem Universitas, quòd stabimus omnes ante Tribunal Dei: illic videbitur quo quisque animo, quo zelo, qua intentione pacem veram suæ sponsæ quæsierit. Sit igitur hæc gloria nostra, testimonium conscientiæ nostræ, sit gloria Deo: nam denuncians Angelus pacem hominibus præmisit, *Gloria in excelsis Deo*. Luc. II. 14. Denique si filii Israël prout Scriptura loquitur, ibant animo pacifico ad prælium: quali animo & quàm pacifico eundum erit ad hoc pacis Concilium, sine æmulatione, sine contentione sicut decet congregationem Sanctorum, sine irascendo in via, quemadmodùm monuit Joseph fratres? Prætereà nullus detur locus diabolo qui in seditionibus habitat. Fiat in pace locus Deo, qui dirigat pedes nostros in viam pacis, & doceat viam prudentiæ ipse qui est via, veritas & vita, & Deus benedictus in secula. Amen.

SERMO

Joannis Gersonii Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

FACTUS

CORAM ALEXANDRO PAPA

In die Ascensionis Domini.

Exactus ad MSS. Codd. Vict. 698. & Colbert. 5972.

Sermo iste habitus est in Concilio Pisano statim post electionem Alexandri V. quæ facta est die 19. Junii. Anno. 1409.

Adjuva Rex cœlestis, & tu Regina Genitrix Virgo pauperem & inopem de Regno Israelitico locuturum.

DOMINE *si in tempore hoc restitues Regnum Israël?* Originaliter *Act.* 1. 6. & recitativè in Epistola præsentis Festivitatis. Non sum nescius BEATISSIME PATER, Vosque Cardinales Orbis terrarum, & ceteri Domini, sapientia clara fulgentes, me subire Sermonis onus prorsùs impar exiguis viribus. Idcircò pulsabo januas devotè Regis cœlestis, ut imperfectum meum suppleat, humili det gratiam, linguam infantis faciat disertam. Et quo faciliùs exaudiar, oretur pariter ejus pia Genitrix, illique salutatio præsentetur Angelica. *Ave gratia plena*, &c.

Domine si in tempore hoc &c. Quæsierunt hoc Apostoli ab ascendente Domino eisdem quidem verbis, sed sensu vario; qua varietate, brevitatis studio, prætérita; quoniam duplex est Regnum Israël, hoc est videntium Deum; alterum cœleste, triumphantis Ecclesiæ, cujus cives Deum vident per speciem; alterum terrestre, militantis, cujus cives Deum intuentur per Fidem. Dicam primùm quomodò cœlestis, deinde terreni ruinas, Ascensio Dominica hodie restituerit. Hanc mihi partitionem non meus sensus, sed divinus contulit Apostolus; à quo scriptum memini, Deum Patrem proposuisse in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo quæ in cœlis & quæ in terra sunt. Ecce me docet Apostolus tuus, vas electionis tuæ Domine Jesu, quæ tibi respondere liquerit quærentibus Discipulis. *Domine si in tempore hoc* &c. Nam si per te essent instauranda quæ sunt in cœlis, uti affirmare illum perspicio, quid tibi levius quam hanc illis veritatem respondere, te propterea scandere cœlos, ut civitatem diminutam, & magna parte sua per scelus orbatam turpe, reintegrares. Ipsa malorum omnium prima parens superbia, Luciferum illum qui manè oriebatur, cum tertia stellarum parte traxit ad tenebrosum occasum. Et quis crederet non inde Regni superni claritatem obumbratam? Tollite ex hoc cœlo visibili Luciferum, & cum eo tertiam partem stellarum; cui dubium est noctes obscuriores futuras? Quis nesciat imperfectam remansisse sanctorum Angelorum societatem, suo numero diminuto? Quis in dubium vocabit, corpus civitatis istius præstantissimorum membrorum avulsione sensisse læsionem, & integritatem pulcherrimam amisisse? Nullus opinor. Ergò claudicabit Sanctorum gloria, nec Dei civitas de sui integritate lætabitur. Si natura tanto tempore vacuum infectetur & sic exhorrescat, quo pacto supernas sedes vacuas, oculis æquis aspiciet Sanctorum gloria? Denique gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatorum. Quòd si gaudium ingerant oculis lachrymæ meæ, quid delitiæ meæ? Et si delitiæ meæ gaudium sint Angelorum, quomodò non magis fuisset eorum qui ceciderunt permansio. At illud civitati cœlesti deest. Fuisset igitur aliqua Sanctorum jucunditas, stantibus Angelis, quæ ruentibus sublata est. Ergo, inquies, confirmati spiritus, ceterorum ruinam mœsti deploraverunt, & qua parte Beatorum civitatem luctus ingrederetur? Non dico flevisse, non mœstos, non tristes extitisse, viderunt culpam peccantium, non inde lætati sunt propter charitatem, A neque contristati propter confirmationem. Viderunt deinde pœnam, & lætati sunt justi videndo vindictam atque ad dejectionem impiorum affuerunt Conditori: etenim Michael & Angeli ejus præliati sunt cum dracone, & putas victoriâ potitos non inde sumpsisse gaudium? Sed aliud est aliquam deesse lætitiam imperfectè civitati, aliud tristitiam admittere. Nonne vides delectationes ipsas intellectu purissimas & contrarietate carentes, cum adsunt, lætificare, cum absunt non contristare. Accessit ad mali cumulum, quòd ea superbia quæ conceperat in cœlis dolorem, in paradiso terrestri peperit iniquitatem; quando per invidiam indignata carnem eo viliorem ascendere, unde præstantior spiritus corruerat, homini condito ad replendas sedes in cœlo vacuefactas, in serpente dirum virus aspersit: sic enim invidiâ mors intravit in orbem terrarum, quamvis initium extiterit omnis peccati superbia. Ita ex omni parte optatæ restitutioni supernæ civitatis malignus obviabat. Attamen B spes eum fefellit, restituta est; immò & amplificata dignitate. Cecidit Lucifer per superbiam; ascendit alius Lucifer per humilitatem. Invectæ tenebræ per occasum primi; purgatæ fuerunt per ortum secundi. Ille minuit Sanctorum numerum; iste restauravit & amplificavit diminutum. Ille Regni violavi integritatem; iste violatam reparavit. Ille in cœlo sedes vacuefecit; iste novis laudatoribus vacuefactas adimplevit. Ille multos ex Angelis, exemplo malo, traxit in præceps; iste plurimos homines justificatos tamquam centesimam ovem priùs errantem propriis humeris reportavit in cœlos. Iste ex omni parte satan deluditur; nec enim in cœlos reascendere potuit, unde tanquam fulgur ceciderat, hoc est, furoris impetu fuerat præcipitatus, & ascensum quem homini, atque restitutionem quam invidit civitati nullatenùs impedire prævaluit. Verùm gladio suo manu potentioris erepto jugulatur, & dum intentione corrupta ab ingressu gloriæ noC vos cives prohibere gloriosumque Dei Regnum integritate pulcherrima fraudare satagit, tam civibus fabricat coronas, quàm nova dignitate Regnum honestat. Lucifer inde cecidit, sol ascendit. Vanitas è cœlis ejecta est, veritas in cœlo revecta est. Amiserat illa civitas creatum Angelum, ac recepit Creatorem hominem. Unde & hic verum est illud Apostoli: *Non sicut delictum, ita & donum.* Rom. v. 15. Vis etiam audire novum genus gaudii, quòd nisi homo peccasset, civitas illa non sensisset. Non vereor ne nimis audacter loqui videar, cum sequar Bernardum Auctorem, qui non putat Deum nostrum totam habiturum gloriæ suæ laudem, donec veniant qui in conspectu Angelorum psallant sibi. *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, annis quibus vidimus mala.* Ps. LXXXIX. 15. Hoc genus lætitiæ cœli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios, hoc nemo unquam lætatur, qui nunquam non lætatur. Opportunè post tristitiam gaudium subit, post laborem quies, post naufragium portus: placet cunctis securitas; sed D ei magis qui timuit. Jocunda omnibus lux; sed evadendi de potestate tenebrarum jocundior. Transisse de morte ad vitam, vitæ gratiam duplicat deest laudi si desunt qui dicant: *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Ps. LXV. 12. Hodie felix illa civitas novis exultat gaudiis, ad hunc diem cœlestes ruinæ perduraverunt. Ante hunc diem nemo ascendit in cœlos, cum de Christo scripserit Propheta, quòd *ascendit pandens ante eos iter.* Mich.

Digitized by Google

Mich. II. 13. An verò ipso ascendente coascenderint qui cum resurgente resurrexisse leguntur? Animas omni labe purgatas credo, sed de corporibus haud quidquam temerè definire velim. Ergo læti fuerunt Angeli Christo concepto, læti nascente, læti prædicante, læti hominem redimente, læti resurgente, sed lætiores ascendente. Quid ita, quia multa docentur mysteria Christo præsente, quæ priùs absente nescierunt. Nec id mirum videatur, cum scripsit Apostolus. Eph. III. 10. *Innotescere Principibus & Potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformem sapientiam Dei.* Porrò quòd priùs sola spe tenuerant ruinas suas resartiendas, hodie re lætiore comprehendunt. Quis mihi det ô Domine Jesu, ô gloriosissime restitutor Regni cœlestis? quis mihi det ut possim concipere quanta intuleris hodie cœlis Festa gaudiorum, quanta jocunditate Beatorum Spirituum agmina ad novam solemnitatem invitaveris, quanta tibi lætitia calcatori torcularis, cum rubris vestimentis cœlos introgredienti tota superna Curia certatim obviam venerit, advenisse gratulata est; quantis laudibus triumphatorem prosecuta est, quàm jocundis obsequiis in sedem excelsiorem collocare studuerit. Si plus gaudeat super unius peccatoris pœnitentia, quam super nonaginta novem justis qui ea non egent *Luc.* 15. 7. quantùm de te gavisa est Deo homine, mortis victore, tot pœnitentes in ipsam domum paternam non reducente, sed reportante, qui ipse es summum ejus gaudium, summus amor, summa suavitas: in te enim tota desiderat conspicere, te suiipsius oculis ex propinquo contuendum præsentabas. Quam incredibili voluptate sensus omnium intimos tua vox illa permulsit. Congratulamini mihi ô amici & vicini, quia inveni ovem quæ perierat, inveni drachmam perditam, mortuus filius revixit. Celebremus alacriter ô Christianitatis rectores inclyti, celebremus tantam Festivitatem, repræsentemus in terris Angelorum lætitiam quæ pro nostra illis salute partim ingesta est. Nobis congratulemur quorum est, hodie relaxata, imò & captivata captivitas, *ascendens* enim *Christus in altum captivam duxit captivitatem.* Eph. II. 8. Gaudium ingens: hodie chirographum nostræ damnationis deletum est. Quid ni, illa natura hodie in cœlum it, cui dictum ante fuerat, *terra es & in terram ibis.* Gen. I. 19. Et ut thematis sententia concludatur, à Domino in tempore hoc restitutum est cœleste Regnum Israël. Hæc pro priori parte nostri Sermonis satis sint. *Domine si in tempore hoc* &c.

TRACTETUR jam hæc interrogatio de Regno peregrinanti Ecclesiæ, quod ab Abel justo ducens originem, etsi posteà sæpè laboraverit, tamen nunquam universum intercidit. *Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, & non potuerunt mihi.* Psal. 138. 1. Floruit aliquando sub Patriarchis, Ducibus, Judicibus, Regibus, Sacerdotibus; verùm Apostolorum tempore nationibus subjectum mirò defloruerat. Responde tu quærentibus Domine Jesu, non ego, sicuti certè nunc operibus, nunc vocibus respondisti, & si minùs fortassis ad affectum quærentium, tamen ad veritatem.

Audistis *Joan.* XV. 16. quoniam misi vos ut eatis & fructum afferatis, eripiendo cives Israëliticos è manibus Regis Babylonis. Auditis quoniam præcipio vobis *Marc.* XVI. 14. ut euntes in mundum universum prædicetis Evangelium omni creaturæ, ut sitis mihi testes in Jerusalem & in Judæa & Samaria & usque ad extremum terræ. Cur hoc? nisi ut quaquaversum hoste depulso, Regnum Israëliticum vestro ministerio dilatetur. Hujus rei gratia dedi quosdam vestrum Apostolos, quosdam Prophetas, quosdam Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, *Ephes.* IV. 11. 12. in ædificationem Regni Israël. Propterea alteri vestrum alteram manifestationem spiritûs partim dedi, partim dabo ad utilitatem reparationis Regni desolati; & ne nudos hostium telis exponerem, succinxi lumbos vestros in veritate, indui vos loricam justitiæ, dedi pedum calceos in præparatione Evangelii pacis, contuli scutum Fidei, galeam salutis & gladium spiritûs, quòd est verbum Dei. *Ephes.* VI. 14. 15. Quia verò imbecillibus quales adhuc estis, hæc arma
A potiùs forent oneri quam usui: Edico vobis *Act.* I. 4. ab Jerosolymis ne discedatis, quoad usque receperitis virtutem Spiritus sancti supervenientis in vos, quâ non arma tantùm sine molestia ferre, verum etiam cunctos impetus hostiles elidere, immò & exercitus fundere atque fugare possitis: nam quomodò damna cœlestia restituentur, nisi ex his civibus Regni terrestris quidam sursum ascenderint.

Hæc illis charus Præceptor: cujus vocibus diligenter paruerunt. Unde post Spiritus sancti susceptionem *profecti prædicaverunt ubique domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Marc. XVI. 20. Ubique circumtulerunt sagittas potentis acutas cum carbonibus desolatoriis, *Ps.* CXIX. 4. ubique vicerunt regna, effugarunt aciem gladii, fortes fuerunt in bel-
B lo, castra verterunt exterorum. *Hebr.* XI. 33. 34. Ita brevi crevit Ecclesia: inclyta facta est & posita est in superbiam seculorum, dominata est à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum. Adoraverunt eam omnes Reges, omnes gentes servierunt ei. *Ps.* LXXI. 8. 11. Sed quid ad hæc Ascensio. Multum per omnem modum. Quippe quamdiù Dominus in terris cum Discipulis conversatus est, humi repsit eorum dilectio, dulciter siquidem eum amaverunt, & præ ejus dilectione spreverunt alia. *Ecce*, inquiunt, *reliquimus omnia & secuti sumus te.* Matth. XIX. 27. Verùm nescio quomodò præsentia visæ carnis, spiritualis amoris puritatem non admittebat. Inde sæpe tanquam carnales objurgantur. Inde Petrus impatienter audiens verbum de morte Magistri, satanas vocatur. *Matth.* XVI. 23. Inde cuncti molestè tulerunt, quod de ascensuri Magistri discessu audierunt. Inde plus illis sapiebat Verbum caro, quam Verbum veritas, Verbum sapientia, justitia, virtus, pietas. Inde scriptum est illud: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet.* Joan. XVI. 7. Et illud aliud: *Nondum erat Spiri-*
C *tus datus, quia nondum fuerat Jesus glorificatus.* Joan. VII. 39. Sed post Magistri discessionem, aptiores subindè fuerunt sanctum suscipere Spiritum, à quo roborati atque firmati discerent amare validè, prædicare veritatem intrepidè, frigida corda succendere, discerent plus invenire saporis in Verbo Deo quam in Verbo homine. Experientur altiorem amoris gradum jam eis ostensum à Christo dicente. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Joan. VI. 64. Ad hunc gradum Paulus ascendisse videbatur dum dicebat: *Et si cognovimus Christum secundùm carnem, sed jam non novimus.* II. Cor. V. 16. Fortassis & Propheta cum diceret: Spiritus ante faciem nostram Christus Dominus. Hujus igitur spiritualis amoris viribus ac robore Regnum Israëliticum restituerunt. Sed heu & plus quam millies heu, quam grandis nobis materia lachrymarum objicitur. Circumferamus oculos quorsumcunque libuerit, nusquam pax, nulla tranquillitas, nusquam secura quies, ubi calamitas, affli-
D ctio, perturbatio. O me miserum, quomodò Regnum ubique diffusum per bellatores inclytos, coarctavit in angustum ac restrinxit Rex impius Babylonis, quomodò majorem antiqui Regni portionem abstulit Christo, & eam ipsam quæ secundùm sibi nomen retinuit, innumeris tempestatibus jactatam afflixit: nam quota sunt humani generis portio Mahometici, ac ab octingentis fermè annis suave Christi jugum cervicibus excusserunt? Quota Indi feruntur Christianæ crucis insignibus exornati, sed Ecclesiæ Romanæ Primatum ignorare. Quota Græci, ac il-

Digitized by Google

los mala tempestas à Sede Petri disjectos, non modò schismatis; sed non nullius etiam hæresis macula fœdavit. Latinitas ipsa purior ac immaculatior Sedem habet Petri, pro cujus Fide ne deficeret, specialiter oravit ille qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia. Ipsa tamen multis quàm diuturnis A quàm violentis schismatibus, tùm antea sæpe, tùm nostra tempestate miserabiliter concussa languit. Unde nuper tantarum calamitatum impatiens Ecclesia, multis suspiriis ac gemitibus clamavit ad Dominum. *Domine si in tempore hoc restitues Regnum Israel?* Act. I. 6. Aliqua ex parte audita est. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino. Etpercussit inimicos suos in posteriora, opprobrium sempiternum dedit illis.* Psal. LXXVII. 65. Asportavit duplicem Sobnam, tanquam gallum gallinacium, Isaiæ. XXII. 16. 17. 20. & fidelem Eliacim substituit. Nam cujus est ista tua substitutio PATER BEATE nisi Christi? Unde convocatio Concilii tam mira? Unde priùs discordantium inaudita consensio? Unde tot Præsulum ac præsapientum con cursus tam celer? non a Deo certè dissensionis, sed pacis. Non vocavit Papa: fuit Conventiculum. O ridenda ac irrationalis nimium ratio. Neque verò ad quatuor illa Concilia quæ in Actibus Apostolicis describuntur Petrus vocasse memoratur. Neque Synodus Nicena jussu Silvestri, sed Constantini convenisse legitur. Ad quintum Universale Patrum Concilium contra Theodorum Nestorii discipulum, nemine convocante sese certatim Patres exhortati sunt. Fuere ergo conventicula? Cave dixeris. Coluntur B à Gregorio tanquam Evangelia. Quid si schisma dubios reddit Christianos, quem duorum pro Papa colant? Quid si (quod perrarum est) Summus Pontifex labatur in hæresim, ut legimus Liberium Arrianæ pravitati subscripsisse; Marcellinum idolis sacrificasse? Quid si in tolerandis oneribus Christianitatem gravaret? An adversus tantos morbos ullam relinquis medelam? Relinquo inquies. Credo sanè: nam imperfectam nimium Ecclesiasticam politiam astrueres, nec à Deo cujus perfecta sunt opera salubriter institutam, quod credere nefas est, si quis in eam morbus posset incurrere, contra quem nulla posset adhiberi medicina; sed tamen nulla memoratis casibus relinquitur, si non aliquando sine Papæ vocatione convenire possit Ecclesia. Libenter hìc diutiùs insisterem, sed brevitate prohibeor.

Quoniam ergo te certum ac indubitatum Pontificem nobis exhibuit Deus, ut reliqua mala per te tollat, & Regnum Israël nimis restrictum iterum amplict; ad te jam convertitur & clamitat Ecclesia quærens: *Domine si in tempore hoc*, &c. Non ab longis inquit retro diebus quisquam, me Summus Pontifex in tantam spem erexit recuperandæ meæ dignitatis antiquæ sicuti tu, quem video contrariè dispositum illis qui me dimiserunt. Fac obsecro ut non frustra speraverim. Considera etiam atque etiam quòd cùm mihi donatus es, tuus esse certè desiisti, nec si te vocem Dominum, tu me propterea famulam arbitreris. Sic Sara obediebat Abrahæ Dominum illum vocans. Non ego certè tua sed tu meus, omnia siquidem mea sunt, sive Paulus sive Apollo sive Cephas. Tu te etiam filiorum meorum servum vocas, si non es cur te vocas? Si verè es, negato Dominum, & vide quantùm mihi debes. Si quispiam te filiorum meorum rationabiliter uti velit; non potes te sibi negare vel furari qui suus es, quin per te vel alium suæ necessitati succurras; quamvis nil ambitioni, nihil avaritiæ vel malitiæ debeas: si tantùm singulis, quantùm universis; certè quantùm universis tantùm mihi, quare suspirabunda atque plorabunda peto ut mala mea respicias, ut Regnum Israël hoc tempore restituas. Justum petit PATER BEATISSIME, eam exaudi, universum studium tuum ad Regni sui restitutionem conferas, de vetusta illa Saracenorum ruina, quamvis ô si resarciretur. Vix ausim aliquid dicere, licet non existimentur Christiani populi Rectores hoc absoluti Præcepto quod hodie tuis auribus insonuit: *Marc.* XVI. 14. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, aliisque similibus, quandiu fuerit aliqua Gens sine Christo, nec se putassent Patres eorum Apostoli, nec illi quatuor principales Doctores Ecclesiæ, post quorum tempora tanta pestis exorta est. Verum ab hac disputatione, brevitatis amor avocat, ac prope rapit ad alia. De Indis quid dicam? Habent Christum, an purè quis doceat? Quis te vetat ad eos mittere qui referant omnia? Facilè in eis Fidei sinceritas corrumpitur, cum Ecclesiæ Romanæ non cohæreant, à qua Fidei certitudo petenda est.

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per tela per ignes.

Et ex te nullus eo curret spe lucrifaciendæ tantæ Gentis? Memento tamen illi te esse debitorem. Jam verò de Græcis loquerer, quibus multa Latini debemus. Verùm hunc locum eò negligentiùs tanseo, quod te Græcum erga Græcorum revocationem omnes adhibiturum operas intelligo; festina PATER festina, ne fugiat hora, ne labatur occasio desuper oblata, cui non est facile similis reditura. Ad rem feliciter tractandam tempus omnium primum est. Itidem dicendum puto de ea parte Latinorum, quæ nondum tuam claram justitiam insequitur. Sed duobus hominibus humano judicio divinoque condemnatis adhuc inhæret, quoniam & tua vigilantia, & obedientium Principum sedulitate, & tuæ veritatis perspicuitate, spes est citò Deo benè juvante redituram. Labore tantum opus est. Igitur his tanta brevitate decursis, pergit iterum Ecclesia quærere de ea parte quæ tuam justitiam agnoscit. *Domine si in tempore hoc*, &c. Tecum fortè cogitas, cur hoc quærat: nam cum hæc pars sit schismate liberata, quænam in ea ruinæ reparandæ relinquuntur? Gaudet sanè schisma esse hinc depulsum, sed non radicitùs credit avulsum. Hærent terræ radices, ex quibus pullulaverat malum germen. Veretur ne si non succindantur, denuò repullulet, quare cupit ut fodiat altiùs labor tuus, non futura sine metu, nisi viderit cunctas malorum germinum stirpes penitùs avulsas. Sed quæ sunt ais istæ radices? Absit si hoc à mea tenuitate, prorsus absit ut tuam summam sapientiam velim instruere: scio ab insania paululum distare, volentem docere Minervam. Sed effundo coram te cordis mei affectum, immò profero voces Ec- C clesiæ Sanctorum, & sine suspicione docendi oro ut eas exaudias. Quis enim nesciat nos in Orationibus effundere coram Deo corda nostra, nec eum velle docere? Malo tamen dicat ipsamet Ecclesia voces Sanctorum suorum, dicat quas velit stirpes excindi, & quas plantari. En loquitur, non jam in me, sed in eam intendite. Væ miseræ mihi, væ infelici, ex quo dignitatis culmine, manibus iniquorum, detracta sum, quomodò mutatus est color optimus, obfuscatus faciei nitor? Cœlestis pulchritudo terrenis sordibus inquinata, exangue corpus effectum, miserandum, incultum, hispidum, vestimentis fragrantibus spoliatum. Ecce Rex & Conditor meus, me Regni Sanctorum cœlestis expressam imaginem esse decreverat, ut quantùm fas esset, terrenarum rerum oblita, cœlo propinquarem, & Regnum illud supernum oculis mortalium præsentarem. Sic enim sub Moyse nomine dictum fuerat. Exod. XXV. 40. *Vade omnia facias secundum exemplar tibi monstratum in monte.* Sic retulit posteà discipulus quem dilexit, se vidisse *Civitatem Sanctam Jerusalem descendentem de cœlo habentem* D *claritat[em] Dei.* Apoc. XXI. 2. Duplici verò similitudine illam imitabar: Primum quidem, quia sicut in cœlesti Regno Cherubin, Seraphin & ceteri quinque usque ad Angelos ordinantur sub uno capite Deo, ita in meo corpore sub Summo Pontifice Primates vel Patriarchæ, Archiepiscopi & Episcopi, Ar-

Digitized by Google

Archipresbyteri, Presbyteri, & Abbates & reliqui. Est alia principalior, & cujus gratia hæc instituta fuit, ut quantùm patitur corpus corruptibile quod cœlestes habent perfectè, habeant terrestres ex parte. Illi vident per speciem; videant isti per Sapientiam & Fidem. Illi Deum tenent præsentem per comprehensionem; teneant absentem isti per Spem. Illi Deo fruuntur plena Charitate; fruantur isti quanta possunt in corpore prægravante. Deum colant & adorent quomodò Beati, casti sint quomodò Beati, sapiant *quæ sursum sunt, non quæ super terram* Coloss. III. 2. quomodò Beati; & sic possem discurrere per ceteras virtutes, rectè sanè sic ordinavit sapiens artifex: Nam si propria ratio mea quæritur, & mei collatio ad cœlestem civitatem facienda est. Ego sum via & motus in illam, illa finis ac terminus. Ego peregrinatio raptim transiens, illa patria semper manens. Ego militantium juge certamen, illa lætus victorum triumphus. Ego vallis miseriæ, illa mons lætitiæ. Ego mare tempestuosum, illa portus tranquillis. Ego exilium, illa natale solum. Itaque quemadmodùm motus ex suo termino ad quem vadit, sic ego ex illa propriam traho rationem. Quantùm ad illam accessero, tantùm veritatis acquiro. Si tendere desidero, amisso nomine proprio, in alteram formam convertor. Unde Deus Conditor meus ascendens in cœlum, quid aliud voluit quam ut eum mente sequerer quò progrediebatur corpore, ut illic esset cor meum, ubi esset thesaurus meus, amor meus, spes & desiderium. Nonne affixit mihi pennas quibus in terris corpore jacerem, mente volarem in cœlos? Sunt enim pennæ volucris mihi, quæ celsa conscendunt poli, quas sibi cum velox mens induit, terras perosa despicit. Sed quæ sunt illæ? Fides, Spes, Charitas, nihil cum terra commune gerentes, sed totæ cœlestes. Nonne secundùm has virtutes me consuscitavit Deus, & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu? O mira atque desiderabilis imitatio, quâ cœlestior quàm terrestrior effecta non dubitor! Omnia civitatis illius ordinem eloquuntur, cœli, sydera, elementa, mixta; cum ordinatissimis Legibus Deo serviant. Unde & natura duce, ante Christum meum natum, gentilium Sacerdotum potestates ita erant ordinatæ, ut Archiflaminibus Flamines subessent, à quibus adhuc Provinciarum ac Diœcesium discretionem partitionemque retineo, Potestates autem terrenas quis ordinatas ambigat? *Non est potestas nisi a Deo, quæ autem a Deo sunt ordinata sunt.* Rom. XIII. 1. Verùm ordinis mei pulchritudo longè præstantior, expressior atque vicinior. Hujus curam præcipuam ac penè unicam, custodibus quos mihi reliquit in terris, meus Conditor mandavit. *Exemplum*, inquiens, *dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joan. XIII. 15. Si similitudines pulcherrimas cœlestis ordinis in terris posui, vos illas servate, vestrum est officium ut ceteros purgetis, illuminetis, perficiatis, quatenùs cœlestem portent imaginem: idcircò vos purgavi, illuminavi, perfeci; quia nec sordulentum mundificat, nec tenebrosum illuminat, nec diminuta perficiunt. Et vos quales custodes meæ sponsæ substitueritis, etiam atque etiam cautè consideretis: quandiu rectè his mandatis est obeditum, spiritus valuit, caro jacuit, eximia per totum orbem terrarum diffusa sum. Pax ubique portabatur, ubique recipiebatur, ferrea corda linguis igneis & verbis ignitis liquescebant. Sed heu! quid de calamitate præsentium temporum querar misera? quibus, pro cœlesti ordine perturbor confusione, & ex similitudine cœlesti quæ mihi vita est, ad inferni similitudinem *ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat*, Job x. 22. quæ mihi mors est, manibus impii pertrahor? Denique ex distinctissima membrorum decentia in chaos Anaxagoreum nisi manus conditoris retentaret, prope dilaberer. Siccine mi Rex te sequor? Siccine cœlos peto? Siccine Matris cœlestis veneratur imago? Vix jam Ordo meus quem instituisti legitur in Libris, quantò minùs in moribus? Cernere est Archiepiscopos, Primates suos vel ignorare vel contemnere; adversus illos aut consuetudinis diuturnæ præscriptionem, aut exceptionem allegare. Et nonne hæc eadem ab inferioribus suis Archiepiscopi patiuntur? Cernere est professos paupertatem, ita ut nec in privato nec in communi sibi quidquam reservaverint, quo liberiùs in terris charitatis ardore Seraphin, scientiæ plenitudine Cherubin imitarentur, aut ad Prelaturas nisibus summis aspirare, aut si hoc non audeant, ad Beneficiorum minorum, quod est inusitatius, Commendas currere, non veritos ne cum uxore Loth retrospicientes in salis effigiem redigantur, neque satis memores Ananiæ & Saphyre. Mirum est non alios æquè festinare ditari his quorum professio vetat ditari. Cur enim assiduè pulsant aures Apostolicas, quatenùs nova Privilegia valeant extorquere. Si hoc ut publice proficiant, magis quàm marsupia repleant, splendidè vivant, paupertatem quam voverunt exuant, ipsi viderint; quamquam multa me experientia Magistra docuerit, nolim tamen judicare. Videas alios novem Ordinibus non contentos; non enim novenis Beneficiis saturantur, tamdiù novos hiatus pandere quamdiù vivant, conjungere domum ad domum, agrum agro copulare, quasi in medio terræ soli habitarent, ipsum verò væ propheticum prosfabula contemnere. *Isaiæ.* v. 8. Videas ferè omnes summis importunitatibus in Leges irruere, dum nunc petunt gratiam obtinendorum simul incompatibilium, nunc in absentia posse fructus colligere, nunc ante annos magnas Dignitates assequi, nunc ad sacros Ordines non compelli, & mille alia rectis Legibus vetita. Ubi nonne est intolerandum magnos Prælatos commissos sibi greges lupis exponere, & quotidiè ad denariorum Regiorum supputationes sedere, non veritos Præceptum Apostolicum transgredi. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus*, 2. Tim. II. 4. eo sensu quo per Sacrosanctum Concilium olim expositum fuit. Quid de illis loquar, de more patriæ pro mitris utuntur galeis; pro veste linea vestiuntur ferrea; arma ferunt, bella gerunt, fundunt sanguinem, Præsules negant, Duces exhibent, spiritum nesciunt, carnem fovent; quasi arma militiæ nostræ essent carnalia, & non potentia Deo ad destruendum omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Quod si ad hæc arma necessitas vigentior detruserit (uti non nunquam accidere fateor) non est magis speranda victoria ex pugna Josue, quàm oratione Moysi. Porrò illud quàm absurdum, in hierarchiis institutos nullos actus hierarchicos exhibere, non purgere, non illuminare, non perficere. Atque utinam exemplo suo malo non inficerent, non errores traherent, ac imperficerent pauperum plebeculam paratam in alterutrum sequi aut bona exempla virtutum, aut prava vitiorum. Quid turpius quàm videre doctos aut benè moratos, aut extra Ordines jacere, aut in imis collocatos, ignaros autem & improbos altissimum gradum tenere; videre alios esurire, alios ebrios esse. Quod si ad institutionem Sacerdotum atque provisionem venire delectet, doleo seminaria seri litium, ubi lites sequi prope nefas est. Vix aliquod Beneficium infra Prælaturas confertur, quin ipsum, uni Summus Pontifex, alteri verò Legatus aliquis, item Ordinarius alteri conferat. Quid est hoc aliud quàm litium materiam exhibere? Nec illud minùs absonum quod magis favoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupiditate, aut consanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi quàm judicio aut delectu provisiones istæ fiunt? Nec ad ea Dona spectatur quæ Spiritus sanctus membris meis variis varia distribuit, ad regimen ordinatum: atque per se sufficiens mei corporis. Unde fit ut auris ad videndum, ad audiendum oculus nonnunquam applicetur, similisque ceterorum membrorum confusio fiat, quâ nulla major pernicies. Ex quibus hæc radicibus pullulasse crediderim? Profectò ex fœdis in-

inquinamentis Clericorum. Unde periere virtutes, ex quibus secunda similitudo mea ad cælestem Hierarchiam intemerata salvabatur: sublatus est simul omnis decor ordinis in quo prima fundabatur. Priores illi sub quibus magna felicitate floruit, sapientia cœlesti, fideque fervebant. Isti posteriores, carnali prudentia corrumpuntur. A Illi inflammabantur amore Dei, isti flagrant amore mundi. Illi firmabantur in vero bono spe solida, isti spe mendacii, falsis bonis inhærescunt. Quo fit ut quemadmodùm illi per sapientiam spiritus ceterasque claras virtutes meum Regnum fundaverunt, ornaverunt, ampliaverunt, sic isti per carnis prudentiam ceteraque fœda vitia idem diruant, maculent, restringant: Nam cum caro concupiscat adversus spiritum, cui dubium est Leges carnis spiritualem politiam potius subruere quàm salvare, deterrere quàm emendare, minuere quàm augere? Rectè dicit Ethnicus: *Imperium facile his artibus retinere quibus initio partum est.* Unde quia meis propugnatoribus artes illæ desunt, quibus mihi dignitatem ac opes antecessores eorum pepererunt, undique in meam dignitatem ac divitias fit impetus. Et sicut ex illis tanquam pacis radicibus pax latissimè exorta est; sic ex istis tanquam discordiarum stirpibus omnia schismata & creata sunt & nutrita. O indignum B facinus, ô sceleratissimam proditionem, milites mei & iidem filii quos ad honores maximos opesque sublimavi, projectis armis sponsi mei, lorica justitiæ, scuto Fidei, galea salutis & gladio spiritûs ad hostem capitalem transfugerunt, pactoque turpissimæ pacis fœdere armaturam illius induerunt, loricam injustitiæ, scutum prudentiæ carnalis, galeam amoris mundani, gladium carnis, quod est verbum mendax diaboli. Unde pugnant contra me & in materna viscera vires convertunt. Quos advocem defensores? quos quæram adjutores? quos mihi propugnatores sperem? non à filiis derelicta tantùm, sed hostiliter impugnata? Olim sæviente tyrannorum rabie, me tutata est constantia Martyrum; invalescente hæreticorum fraudulenta calliditate, me protexit sapientia Doctorum; modò quid agam cum *amici mei & proximi adversum me appropinquaverunt & steterunt?* Psal. XXXVII. 12. An non ergo sunt prudentes congerendis opibus, instruendis dapibus, cumulandis honoribus, pompis fovendis, & negligentes regendis plebibus, alendis pauperibus, diligendis humilibus & superfluitatibus coercendis? An non potiùs de Beneficiis disceptant per Leges Justiniani, quàm populum erudiant & do- C ceant Legem Christi? doceant dico, immò discant. Nam quem è Sacerdotum numero mihi dabis non ignarum Legis Christi? An non augmentis plus inhiant facultatum quàm lucris animarum? quis autem hæc à carnis prudentia proficisci negaverit? Jam verò multas mihi moverunt lachrymas carnalis amoris argumenta clarissima, cum alium ambitione corruptum, per scelus dignitates rapere conari cernerem, Magnates adire, eorum abuti potentia, per eam vim adhibere, aurum polliceri, minis terrere, allicere blanditiis, fas nefasque confundere, non revocatum neque metu Legum neque exemplorum Dathan & Abyron, Simonis Magi, regis Oseæ. Lugebam quoque cernens alios avaritia rapaci oves spoliare exactionibus, exactiones cumulare, accusationes struere, serere lites, falsis criminibus innocentes impetere, congerere pecunias, terrenis tantummodò negotiis intendere; quibus salubriter consultum putarent, si mallent Aristotelem audire quàm Apostoli præterire Mandatum. Ille Patribus familias opulentis consilium dat, ut administrandarum facultatum atque familiæ negotium Pro- D curatoribus imponant, ipsi verò simul vivant aut philosophentur. Sed modicum miror apud istos Aristotelem contemni, apud quos nihil valet Apostolorum exemplum salubre, qui ne verbum Dei relinquere cogerentur, septem Diacones pro ministerio mensarum instituerunt. *Act.* VI. 2. Nec sine lachrymis inspicere poteram alium concubinatu pollui, cui tamen ut puritatem Angelicam æmuletur connubium est interdictum; luxuriam non clam, sed in propatulo habere, fœdis factis fœda verba conjungere, dapibus implere ventrem, inebriari vino doctum, & ad calicem vigilanti stertere naso; & mille malis aliis propè conspectis, fluebant mihi lachrymæ, nec fluere desinent, nisi malas istas radices pejorum germinum Matres succissas agnovero. Nam quid postremò de spe mendaci proferam? Quid Sacerdotes sperare dicam utrum sempiternam gloriam? Hæc profectò eorum postrema cura est. Sed quid? sperant Beneficia consequi, sperant emolumenta terrena: sub nova Lege veterascunt, cum novis præmiis æternisque relictis ad Legis Moysi vetustatem resolvuntur, & ex Schola credo Stoïcorum, non certè Christianorum honores istos caducos Beneficiorum virtutis præmia ducunt. Quòd facturos non existimo, nisi ita oculos ad opes honoresque converterent, ut onera non adverterent, nisi honorum dulcedinem & non onerum amaritudinem inspicerent. An tibi videtur nauclerus summis tempestatibus usque ad finem dierum meorum mari jactandus, rectè primum putare terrenum commodum quod tantis periculis conjunctum viderit. Non putabit, inquies, nisi tempestatis immemor. Ceterum quis viator pro laborum præmio eam pecuniam sumpserit, quam, nisi per medios latrones prædonesque manu semper portaverit possidere non liceat? Nullus inquies nisi salutis oblitus. Ergo si in Beneficiis statum lubricum sempiternæque pœnæ nimis facile periculum inesse certum sit, quis intelligens non ea magis suscipere metuat timore periculorum, quàm quærat spe commodorum? Quo circa soleo mirari quid id sibi voluerunt qui primùm gratias expectativas applantaverunt: sed ut video jam dudum vera rerum vocabula amissa sunt.

Habes itaque vel maximas afflictionis meæ causas, quia dum omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, & quod sibi utile est, non quod multis, dum suavi carnis pastui tantùm carnales intendunt, currunt ad honores, onera rejiciunt, quærunt jocunda, molesta fugiunt, quod in alieno statu dulce viderint ad se rapere, quod in proprio amarum cognoverunt in alios projicere moliuntur. Inde discordiæ, lites, schismata, rixæ, simultates, & totius Ordinis mei turpissima confusio. Quæro Domine si ab his pestibus hoc tempore liberabis ac restitues Regnum Israël? Et precor ut restituas; quod facturum subindè spero: quippe spiritualibus litteris eruditissimus, Sacerdotes Dei Legem ignorare non feres, uti sine damnationis periculis ignorare nequeunt; quod multis auctoritatibus sacræ Scripturæ confirmarem; sed brevitati studendum est. Denique cum à puero te cœlestis Religio susceptum adeò spiritualiter vivere docuerit, ut id tibi in naturam conversum sit, advocabis spirituales viros ad Beneficia, ab his carnales arcebis. Excludes quos spes improba ad importunè petendum impulerit, sed invitos intrare coges quos parvi pendere terrena, comparatione cœlestium agnoveris. Exinde confusionem præsentis temporis reduces ad distinctionem ordinis. Coges quemque suum tenere locum, suo gradu contentari, officium exercere Ordinis suscepti, limites non excedere, non perturbare terminos positos à patribus. Jubebis quemlibet esse contentum mensura statum decente. Et quoniam pravæ cupiditati terminum imponit nemo, tu omnibus præfigere conaberis. Præcipies seminare spiritualia, qui metunt carnalia. E contra Leges rectè latas, quantalibet importunitate petentium fatigeris, nunquam dispensabis, nisi aut necessitas urgeat, aut communis provocet utilitas: alioquin fuerit potiùs crudelis dissipatio quàm justa dispensatio. Cavebis dispensationem ipsam Lege communiorem facere, ne turpe sit, si regulam sua vincat exceptio. Si hæc feceris ad quæ te suscepti officii debitum astringit, tum

Digitized by Google

tum schismatum avulsis radicibus pax ipsa Christiana sibi terrarum orbem denuò vendicabit. Et in hoc positum est unicum pacis stabile fundamentum, sine quo si quis ædificare voluerit, nihilo plus agit quàm si det operam ut gravia tecta parietibus arundineis superimponat. Morum corruptio fuit prima causa A mali; quare morum correctio erit prima causa boni. Verùm hic labor, hoc opus est, ne hoc facere possis, nisi te propinqui tui ac domestici juverint. Proinde Gregoriano exemplo persuasus advocabis tibi tantorum laborum socios Clericorum ac Religiosorum quosque prudentissimos ac optimos: ornabis domum tuam sanctis, prudentibus, modestis, integris, incorruptis. Quam enim domum decet sanctitudo, si non tuam Dòmine? Certè parum profutura est tua unius justitia, si eam vicerit dissimilis aliorum affectio. Uteris subinde membris tuis, Regisque summi secutus exemplum, quemadmodùm ab illo discurrunt assiduè spiritus Angelici ad hominum ministeria, sic diriges per orbem terrarum pacis Nuncios. Vide tamen qualibus membris utaris, sunt quædam paralytica, si volueris in dextrum movere, pravè potiùs ferentur in sinistrum. Proinde magna cura tibi subeunda est, ut ad hoc ministerium idonea diligas. Posthabebis rerum minorum curas, ut hinc maximè major ac efficacior inservias. Vide quæso si careas oneribus, vide si quis alius tanta sollicitudine fatige- B tur quanta tu. Verè hoc dixerim summus honor, summum onus. Sed ne te onus terreat si benè ministraveris: summi oneris summum præmium. Vide denique si non tibi incumbat cum eximio Rege psallere, durum quidem, sed vigilantis viri Canticum: *Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino*, Psal. CXXXI. 4. Sed quem locum. Pacem nempe. *In pace factus est locus ejus*, Ps. LXXV. 3. Sed quænam est hæc pax? tranquilla bonorum concordia. *Non enim est pax impiis, dicit Dominus*, Isaiæ XLVIII. 22. Tolle igitur vitia, reduc virtutes. Redde mihi formam, redde vitam, redde etiam cum Domino gratum locum invenire, cùm hoc tempore regnum Israël restitueris. Hæc Ecclesia tecum. Cujus vocibus nihil aliud adjicio, nisi precationem humilem, ut det Deus dies vitæ ac robur virtutis, ut sub tuo Pontificio pulchræ pacis dilatationem amplissimam videre possimus. Amen.

SERMO

Ejusdem Doctoris & Cancellarii

CORAM REGE FRANCIÆ

Nomine Universitatis Parisiensis, pro Pace Ecclesiæ & Unione Græcorum.

Gallicè in MS. Cod. Vict. 284.

Habitus post Concilium Pisanum, cum post triennium habendum esset Concilium generale.

PAX *hominibus bonæ voluntatis*. Lucæ II. 14. Sæpenumerò multisque de causis fiducialiter venit ad Regalem tuam Majestatem ô REX CHRISTIANISSIME (perpulchriorem titulum tibi dare non possum. D Dominus noster summus es Rex sacerdotalis divinitùs consecratus:) venit, inquam, humillima tua & devotissima filia, Parisiorum Universitas, Studiorum Mater, defensatrix Fidei, sanctæ Ecclesiæ lumen; sed nunquam pro subliminiori, nescio si tam pro sublimi & generali materia sicut in præsentiarum, quæ est de pace universali totius sanctæ Ecclesiæ, tam Latinorum in se, quàm Græcorum cum Latinis: ut simus (si fieri potest) cum omnibus hominibus pacem habentes, ut sit *pax hominibus bonæ voluntatis*, velit Deus pacis; velit benedictus Salvator noster Jesus Christus, qui est Dominus & sponsus creaturæ totius sanctæ Ecclesiæ, qui est Princeps pacis: ut pulchrum hoc & jocundissimum Canticum, quod cantavit multitudo magna cælestis militiæ Angelorum in gloriosa sua nativitate, quam proximè celebraturi sumus, verificetur, veniat & omninò adimpleatur in tempore nostro: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Clarè monstravit Deus pacem illam sibi esse percharam, cum fecit eam tam solemniter denuntiari mundo in nova sua nativitate, qui nil fecit nisi ut pacem faceret, pacem prædicaret, pacem relinqueret, mortuus est & resuscitatus pro pace illa. Qui enim interrogaret, quare ex te natus est Deus, Virgo Maria gloriosa? Responsio: pro pace, ut faceret utrunque unum. Quare fuit circumcisus, à tribus Regibus adoratus, ad templum delatus? Responsio: propter pacem. Quare suscepit mortem amarissimam & passionem pœnalissimam? Propter pacem *Disciplina pacis nostræ super eum*, Isaiæ. LIII. 5. Quare resuscitavit semetipsum, nisi ut pacem daret, & nunciatur pacem? Pax vobis. Quare cælos ascendit, & Spiritum sanctum misit? Certè omnia hæc fecit ut ad pacem traheret, & ut in hereditatem perpetuam daret pacem: *nihil* enim *aliud est Paradisus, quam pax sine fine*, sicut dicit August. XIX. *De Civitate*. Omitto concordantias. Quapropter mirandum non est, si filia Regis; filia tua, qui Rex es Christianissimus, & propter hoc amantissimus & desideratissimus pacis, exemplo Assueri &c. mittat modò ad loquendum & hortandum ad pacem illam, utendo Angelorum verbo & dicendo: *Pax hominibus bonæ voluntatis*. Sed heu mala voluntas semper conatur turbare, frangere & impedire dulcem illam & concinnissimam pacis melodiam. Non admirandum est hoc; habet enim vocem nimis fractam, rudem & discordantem, etiam sibi ipsi, nec concordare potest: semper enim litigat, semper se turbat & dissentiones movet, & quod majus est, per diversa contrariaque vitia, atque malas affectiones se dissipat ac dilaniat. Confusa sunt hic omnia, spes, metus, mœror, gaudium; vix hora tibi dimidia fit in cœlo silentium: qualem ergo concordiam cum aliis invenires? *Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse*. Ideò non dixerunt Angeli *pax hominibus* solùm, sed addiderunt *bonæ voluntatis*. Scire itaque dignemini me recitare velle, qualiter paulò ante quasi me retraxeram in secretam cameram mentis meæ, claudendo ostia & fenestras corporalium sen- C suum, ut meliùs considerarem & decernerem quod dicendum foret, posteaquam Regis Filia Mater mea honoratissima me ordinasset ad proponendum hoc factum pacis generalis, tam Græcorum quàm Latinorum coram Regali tua Majestate, in præsentia Dominorum & Procerum tuorum nobilissimi sanguinis tui & sapientissimi Consilii. Nec erat mirandum, si cogitabundus fuerim effectus, & tanquam timens multùmque attentus; cum ex altera parte sentirem exiguitatem meam, ignorantiam meam ac debilitatem, in tamque brevi tempore, ut trium vel quatuor dierum, & inter tam plures alias occupationes, propter Indulgentiarum factum præsens Jubilei. Inter cogitandum ergò visum fuit mihi, quòd mala voluntas res horrendissima, turpissima & monstrosa se manifestaret mihi. O Deus qualis horror? Rectè videbatur infernalis inimici filia. Et reverà sic est ipsa. *Vos ex patre diabolo estis* &c. Joan. VIII. 44. Appropriatè conditionem gerebat perversæ cujusdam vetulæ litigatricis & iracundissimæ, & figuratur per bestiam monstrosam, quam vidit Joannes in Apocalypsi, exire mare, quæ septem habebat capita, & cornua decem, quæ sunt septem peccata mortalia, & decem, Præceptorum Dei transgressio. Considerando bestiam illam horribilem & monstrosam, audivi eam clamare quasi per irrisionem, deinde vertit se in magnam iram & indigna-

dignationem. Quomodò (inquit mala voluntas) quomodò vel quo pacto, quave præsumptione vult modò hæc Universitas proponere pacem Græcorum & Latinorum; sibi curæ est anseres reddere sufferatos, aut in ordinem disponere simearum multitudinem vel formicarum. Mirabile est qualiter persistere possit aut vivere, quæ sic se omnibus vult immiscere & de omnibus loqui; sed in facto fuerit magisterium. O sancta Maria, quale incœptum, ô Deus qualis sensus! Non possunt concordare Latini ad invicem, non quidem media pars, non quarta, non certè duo parva Regna, ut Franciæ & Angliæ: quid dico de Regno aut civitate, non facilè ad invicem concordantur quatuor vel sex personæ; quemadmodùm dixerunt Athenienses Oratori eis de pace loquenti, quòd non posset concordare tres personas in sua domo, seipsum, uxorem & ancillam, & nos veniemus modò omnem mundum parare & concordare? Sancta Maria quale incœptum, necdum habes finem! unde emergit novum hoc propositum, nova incœptio potiùs quam aliàs. Quis dedit novum hoc consilium, & illam spem vel fiduciam de Græcis qui super omnes alios odio habent (ut dicitur) & contemnunt Latinos judicatque eos hæreticos & schismaticos, & etiam potiùs se verterent ad Turcas quam ad Latinos: sed & hanc materiam quis prosequitur, quibus mediis, quibus elargitionibus, quibus expensis practicabitur?

Hoc modo conabatur mala voluntas & multò fortiùs quam dicam, reprobare, retardare & prorsùs impedire sanctissimum hoc & dignissimum universalis pacis negotium cum Græcis & Latinis; & demùm minabatur per iram magnam. Juravit per potestates suas omnium vitiorum atque mortalium peccatorum: juravit per patrem suum satanam, cui non est potestas super terram quæ possit comparari: juravit per quatuor filias ejus, quæ à Poëtis dicuntur Eumenides, furiæ infernales, & à Philosophis passiones nominantur; quòd pacem illam sit impeditura, & tantùm se effecturam, ne sit potestas nec occasio cantandi super terram hanc notam; *Pax hominibus bonæ voluntatis.* Nam omnia ad se esset tractura; priùs hoc incœperat per hæresim, hoc est, quòd mala voluntas nutritura esset discordiam per filiam suam dominandi ambitionem. Sed Deo volente mentietur illegitima illa proditrix; quoniam bona voluntas virgo pulchra, nobilissima & Deo placens filia; dissipat omnem ejus conatum. Et quomodò hoc fiet? Certùm benè fiet, bona voluntas habitabit cum hominibus, quibus dabit confortationem per nobile omnium virtutum exercitium, cum omni militia cælesti, quæ quidem militia auxilium est multò potentius quam possit habere mala voluntas, secundùm quod monstratum fuit Heliso Prophetæ. *Plures*, inquit, *pro vobis fuerunt quam adversariorum*, IV. Reg. VI. 16. Bona voluntas figuratur per hoc quod dicit Joannes in *Apoc.* sua. *Signum magnum apparuit in cælo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim*, Apoc. XII. 2. Per solem convenienter intelligitur sancta Universalis Ecclesia, vel Ecclesia Francorum, vel Parisiensis Universitas, ubi sunt Sapientes, fulgentes tanquam firmamentum. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti*, dicit Daniel. c. XII. 3. Femina illa quæ est circundata & amicta sole, justitiæ est bona voluntas, quæ habet lunam universæ mutabilitatis sub pedibus affectionum ejus. Ad hoc aspirat hoc quod modò signum Papale & Arma ejus [*Alexandri V.*] sunt, Sol, & p. Luna, est tanquam subjecta pedibus bonæ voluntatis. Duodecim stellæ bonam voluntatem coronantes, sunt veritates pulchræ & claræ, tam Fidei nostræ quàm aliarum rerum. Et ubi meliorem coronam faciunt & pulchriorem illæ veritates, quàm in filia Regis Universitate Parisiensi? Ideò decrevi secundùm hanc figuram sumere duodecim considerationes, veluti duodecim veritates fulgentes in corona bonæ voluntatis, quæ apparet in cælo Universitatis. Non enim mirandum est Domine, si filia tua Universitas (quæ bonam habet voluntatem) aggreditur loqui de hac pace universali. Ipsa namque est ea quæ exemplo fortis & studiosæ mulieris, quam laudat Sapiens Prov. XXXI. 19. *manum suam misit ad fortia.* Ipsa suscipit res grandes & fortes. Et in Canticis c. VII. 10. *Facta sum coram eo tanquam pacem reperiens.* Si nunquam locuta fuisset de pace sanctæ Ecclesiæ, quæ divisa erat per damnabilem voluntatem duorum de Papatu contendentium, res non eo in statu essent in quo sunt & erunt in dies meliores (Deo volente) ut obtineatur nunciatio ista Angelica: *Pax hominibus bonæ voluntatis*: & videtur meliùs in præsenti necessitate quàm aliàs) quamvis aliàs deliberatum fuerit per totum Concilium Gallicanæ Ecclesiæ, hanc materiam prosequendam esse. Ideò non est res tam nova vel singularis, sicut allegabat mala voluntas. Habemus modò certum quemdam & unum Papam; qui Doctor est excellens in Theologia. Ideò meliùs novit in quo consistit illa divisio Græcorum, & quid sit de ea. Ipse natione Græcus est, magnæ experientiæ, & qui jam commisit Legationem. Insuper generale Concilium celebrandum erit infra triennium, in quo Græci comparere poterunt. Insuper Græcorum Imperator & sui maximoperè hanc desiderant unionem & pacem, cum multis aliis bonis circunstantiis quæ poterunt in sequentibus declarari. Sed ad respondendum objectionibus malæ voluntatis, quæ miratur & irridet quòd Universitas in præsentiarum de hac universali pace loqui velit, & ad ostendendum justificationem & rationabilitatem hujus incœpti, accipiemus (ut dictum est) nonnullas considerationes, apponendo aliquas deliberationes & consilia ut ponatur ad practicam & executionem hoc sanctum negotium. Et fient septem principales quæstiones vel suppositiones.

Prima Consideratio.

Tanquam pro prima stella, quæ erat in corona bonæ voluntatis, dicamus homines esse ordinatos à Deo, veluti corpus quoddam mysticum, ad exemplum corporis naturalis, quod pacem habere debet & unionem in suis membris. Hæc est determinatio Apostoli in pluribus locis. Ad *Roman.* 12. & 1. ad *Cor.* 12. Et ad *Ephes.* 4. Ideo non se ostendit membrum vivum inter homines, qui non sentit nec dolet quando aliqua divisa sunt membra, & si non nitatur ne schisma, discordia & divisio, hoc corpus dissipet & frangat. Propterea dicebat Plato, quod *melior conditio in aliquibus hominibus, est illorum qui se reputant natos ut aliis sint præsidio atque opitulamini.* Ideo apparet ulteriùs quòd ad unumquemque quantumcunque parvum, spectat acquirere hanc pacem & unionem; quod verum est, inquantùm conditio sua facere potest, modo uno vel altero, secundùm quod corpus unum naturale nullum habet membrum, quin ad aliquid deserviat, & quod non habeat interdùm officium ad ædificationem & conservationem totius corporis. Et quia in filia Regis, in Universitate sunt membra ex omnibus partibus mundi venientia, ut se undequaque expandant; ideo non est mirabile, si ipsa unitatem quærat ac pacem in toto corpore mystico hominum. In hac consideratione fundatur hoc principale Præceptum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. V. 43. quoniam in bono suo tuum consistit bonum, nec malum habere potest, quin tu quoque aliquid amittas; in hoc fraterna fundatur correctio, Matthæi. XVIII. 15. *Si peccaverit* &c. Nec est quisquam quin huic subjectus sit Legi si peccet, quia nocet unicuique. In hoc fundatur quod dicit Sapiens, *Eccli.* XVII. 12. quod *unicuique mandavit Deus de proximo suo.* Et in hoc reprobatur damnabilis irisio Cain.: *Nunquid custos fratris mei sum ego?* Gen. IV. 9. Nota quomodò sumus omnes

Digitized by Google

omnes fratres, sub uno Patre Deo, & ab uno homine Adam. Hìc errant illi qui dicunt: Salvet se qui potest, ego duntaxat de me curo, nescis in cujus manu mundus sit sicut intelligunt dissimulantes. Nota quomodò Eremitæ proficiunt aliis.

Secunda Consideratio.

Quòd homines ad invicem debent esse uniti per bonam voluntatem ad loquendum de bonitate, nonmodò naturali vel morali; sed gratuita & spirituali. A Quare sciendum est tres modos bonitatum esse inter homines, quantùm sufficit ad præsens. Una quidem naturalis est, quæ in donis naturæ fundatur, sicut est Intellectus, Memoria, Ratio & Libertas: de hoc dicunt Metaphysici, quod ens & bonum convertuntur. Unaquæque res tantùm habet bonitatis quantùm habet esse, vel entitatis. De illa bonitate non est meum propositum; quia unusquisque homo quantùmcunque malus vel damnatus, habet illam bonitatem naturalem. Quilibet homo ad imaginem Dei formatus est, quamvis aliqui eam turpem faciunt & immundam per eorum peccata. Alia bonitas moralis fundatur in virtutibus moralibus, politicis & civilibus, B ut sunt Prudentia, Temperantia, Fortitudo & Justitia, propter quas servandas facti sunt fortes civiles. Et quamvis hujusmodi virtutes non sint perfectæ sine gratia Dei; sunt tamen laudandæ. Et in his virtutibus communicationem habent omnes hi qui benè vivunt secundùm Leges & ordinationes vitæ præsentis. Et in hac bonitate uniti esse debent omnes homines cujuscumque fuerint Legis, Pagani, Turci, Judæi vel Saraceni: debent enim vivere prudenter, temperatè, fortiter & justè. In hac unione fundantur temporalia Dominia, Regna, Imperia, Ducatus, Comitatus & alia, ubi sunt plures qui Legem Dei non habent. Sed tertia bonitas quæ magis est ad propositum, propriè sola est bonitas spiritualis gratiæ & Theologicarum virtutum, Fidei, Spei & Charitatis, quæ quidem bonitas communicatur per sancta Ecclesiæ Sacramenta. De hac bonitate & unione loquebatur Apostolus, cum dixit: ***unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*** Ephes. IV. 5. Et quoniam omnes homines in hac bonitate uniti, esse debent unius Fidei, unius Spei & unius Charitatis, per idem Sacramen- C tum Baptismi & alia Sacramenta: infideles non habent illam unionem, sed solummodò fideles & Christiani qui faciunt & nominant unam Ecclesiam; alii sunt tanquam membra mortua, præcisa vel abscisa & putrida. Adjici potuisset quarta bonitas quæ est justitiæ originalis, & quinta quæ est gloriæ; sed sunt extra propositum nostrum. Hìc patet unionem sanctæ Ecclesiæ fundatam esse in multo nobiliori & diviniori bonitate voluntatis quàm alias politias, nec eam alias insequendo & more aliarum mutari posse. Verum est quòd inter membra quæ sunt extra corpus hoc mysticum Ecclesiæ, aliqua talia sunt de quibus nulla habetur spes, quæ nunquam per humanam viam reverti volunt: alia sunt de quibus habetur aliqualis apparentia, & ad reducenda illa laborandum est; sed de primis, esset dare panem sanctum doctrinæ canibus & pretiosos lapides porcis, contra illud *Nolite sanctum* &c. Matt. VII. 6. Hìc patet quomodò, D quando & quibus prædicare debent Prælati atque Theologi. Nunc autem dicitur Græcos pro majori parte non esse obstinatos, ideo &c. quia vexatio dat intellectum.

Tertia Consideratio.

Homines bonæ voluntatis habere debent super terram caput unum cui sint uniti; quemadmodùm cernimus in corpore naturali quod sine capitis unitate vivere non potest. Hæc est determinatio Apostoli in locis præfatis. Et quamvis principale caput & tanquam essentiale, sit Deus in carne humana & caput Ecclesiæ Christus, voluit tamen constituere caput secundum, tanquam Vicarium quod in his inferioribus esset. Et quemadmodùm solummodò est una bonitas spiritualis ipsius gratiæ, hoc est una Fides, una Charitas & unum Baptisma; sic solummodò esse debet unum caput summum per quod communicetur illa bonitas defensa & custodita, & caput hoc vocamus Papam, Patrem nostrum Sanctum, qui est verus & solus Christi Jesu Vicarius; alioquin facilè Ecclesia laberetur in divisionem, nisi esset ei caput quoddam principale & summum, ad quod potest & debet fieri recursus. Hoc potest ampliùs dilatari ex Scripturis Legis nostræ. Ideò patet illos esse schismaticos, qui impediunt vel turbant illam unionem per malitiam vel stultam assertionem; propterea laborandum est, ut omnes obediant uni capiti principali, sicut laborandum est ad unitatem. Et conducit hæc consideratio proposito nostro, si Græci dicere velint Patriarcham eorum Constantinopolitanum esse caput Sanctæ Ecclesiæ, absque hoc ut sint subjecti Universali Papæ Romano: hoc enim esset dicere Sanctum Petrum non esse Universalem Papam; & etiam conducit ad ostendendum quomodò ipsi tenere debent determinationes factas per sanctum Papam Romanum.

Quarta Consideratio.

Homines bonæ voluntatis non adeò & intantùm astringuntur habere unum caput temporale, sicut unum spirituale. Hæc consideratio conducit nostro proposito de Græcis, si dicere velint quod Imperator Constantinopolitanus debet cognosci pro uno & solo capite temporali totius mundi, tanquam successor Augusti Cæsaris, vel Constantini. Hujus considerationis veritas liquet per hoc, quòd non est adeò expediens omnes homines gubernari & uniri per similes Leges civiles atque politicas, sicut gubernari debent per unam eandemque Fidem & eosdem Articulos ac Sacramenta. Dicit expressè Aristoteles; quòd secundùm varietatem hominum variandæ sunt & Leges; ideo comparat lineæ plumbeæ quæ plicari potest & flecti: & nos hoc videmus in diversis consuetudinibus & localibus Legibus, quæ non servant Leges Romanas. Nota de regula Lesbyæ &c. v. *Ethicorum.* Sed posset hic objici fortiter & subtiliter, & dici: quòd in Ecclesia sancta, multa sunt Decreta & Decretales quæ pariformiter sunt immutandæ, secundùm diversitatem hominum & Patriarum. Ideò per hanc rationem potiùs esse deberet unus Papa quàm unicus Imperator. Potest hìc responderi; quod qui solùm respiceret gubernamen sanctæ Ecclesiæ in Decretis & Decretalibus, quæ sunt pro gubernatione Jurisdictionis & possessionum Ecclesiæ ejusque temporalitatis, objectio hæc locum haberet; sed non est principale de Jurisdictionibus suis, sed principale est de Lege Evangelica, quæ solùm una esse potest, absque ulla variatione, non obstante quacunque varietate hominum vel Patriarum. Et dicere contrarium est error communis, quòd unusquisque sit salvatus in secta sua: hoc enim esset dicere, quòd quisque salvandus esset in errore suo & falsitate; quia duntaxat esse potest unica vera Lex. Sed adhuc instabit aliquis & fortiùs quam priùs, & diceret quòd pari modo, solummodò est Lex una naturalis quæ immutabilis est & invariabilis, & sic solùm habendum esset unicum summum caput quod cognoscat de hac Lege naturali, sicut est unicum quod cognoscit de spirituali Lege. Respondetur hìc, & inter respondendum notabilissima aggreditur consideratio. Fatetur respondens quod concludit adversarius; solùm unicam esse Legem naturalem, & consequenter non decere esse plura quàm unum caput quod de hac Lege cognosceret per modum summitatis, & de modo illius

Digitized by Google

illius Legis; sed est illud idem quod cognoscere debet de Lege divina, quia illi & secundum illud subditum est; & regulari debet Lex naturalis: ut ad sciendum quid sit vera Prudentia, vera Temperantia, vera Fortitudo & vera Justitia. Ideo dicit divina sapientia. *Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt.* Prov. VIII. 15. Et Apostolus. I. Cor. II. 15. *Spiritualis anima dijudicat omnia*: & multa ad hanc habentur sententiam. Nota rationes Aureoli ad hoc.

Quinta Consideratio.

Homines per hoc quod unicum principale caput habent, ad tenendos ipsos tam in bonitate voluntatis, quam bonitate morali & bonitate spirituali, convenientiùs & diviniùs se hoc modo in unitate tenent, nec hoc ullo modo est in præjudicium cujuscunque Dominii temporalis spiritualis, sive Regum sive Prælatorum. Aristoteles demonstrans solùm posse esse unum Deum, nobis hanc ostendit considerationem, cum ait: *Entia nolunt male disponi, pluralitas principantium mala, unus ergo Princeps.* Hic sunt duo extremi errores. Dicunt aliqui homines Ecclesiasticos, Papam vel alios non posse ullam tenere temporalitatem vel Jurisdictionem, sicut Padua & Vuiclef. Alii dicunt terrenos Dominos nullum prorsùs jus habere in temporalitate. Sed hoc verum non est, quemadmodùm de manu mortua exemplificari posset, immò aliqui subjecti possunt esse Principibus, & Principes eis, secundùm diversos modos tenendi temporalitatem; nec dicere oportet omnes Reges vel Principes hereditatem eorum vel terram tenere à Papa & de Ecclesia, ut Papa habeat superioritatem similem & juridicam super omnes, quemadmodùm aliqui imponunt Bonifacio octavo. Omnes tamen homines, Principes & alii subjectionem habent ad Papam inquantùm eorum Jurisdictionibus, temporalitate & Dominio abuti vellent contra Legem divinam & naturalem, & potest superioritas illa nominari potestas directiva & ordinativa potiùs quam Civilis vel Juridica. Nota contra dominantes in Clero. Hæc materia admodùm ampla est ut declaretur; & expediens foret ut sæpiùs & prolixiùs declararetur exponereturque à Theologis, tàm Dominis quàm eorum Officiariis, tàm Prælatis quàm eorum locum tenentibus, ad divisionem tollendam & pacem nutriendam, quæ persistere non potest sine Justitia reddente unicuique quod suum est, *cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Rom. XIII. VII.

Sexta Consideratio.

Homines recognoscere debent generaliter, determinationem quam facit Papa Romanus per generale Concilium suum Ecclesiæ, in materiis Fidei & Legis divinæ, veram esse & tenendam. Hæc consideratio fundatur in Articulis Fidei nostræ, quòd est una Sancta Ecclesia Catholica, quæ per Spiritum sanctum gubernatur, nec in Fide errare potest, *Credo unam sanctam Catholicam Ecclesiam.* Et valet hæc consideratio ad inducendum Græcos quòd non teneant determinationem Ecclesiæ in Articulo processionis Spiritus sancti, & in aliis quæ sunt de Fide: & si allegent se non sufficienter vocatos fuisse, vel quòd appellent de illa determinatione ad Concilium generale tam Latinorum quam Græcorum: per hoc non debent reputari pertinaces obstinati vel anathematizati. Hìc diligenter considerandum esset, quid dicere vellent; vel inveniendum esset medium expediens, ut omnia ponerentur ad concordiam, non persistendo in probatione omnimoda veritatis hujus Articuli contra eos: vix enim convincerentur homines qui vellent repugnare. Nota hìc quomodò aliquæ determinationes Parisiis factæ, duntaxat ligant Diœcesanos, & si sic dici posset de Latinorum Ecclesia. Notate si de uno Articulo posset fieri non Articulus, ponendo res in talem statum, in quali erant ante determinationem. Exemplum: determinatio Bonifacii annihilata fuit per quemdam successorem ejus. In hac consideratione fundata fuit Lex quæ dicit, quòd Leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita
A nec Principes Prælatos.

Septima Consideratio.

Homines non generaliter astringi debent per determinationes positivas Paparum, ad tenendum & credendum unum eundemque gubernandi modum in rebus quæ non proximè respiciunt, vel sine medio, Fidei nostræ veritatem, vel Legis Evangelicæ. Hæc consideratio benè capta & intellecta est tanquam principalis clavis, ut inveniatur introitus concordiæ inter Græcos & Latinos; sunt enim divisi à Latinis in multis vivendi modis quæ fortassis non verterentur in præjudicium Legis Dei: & in omnibus talibus dicit Augustinus: Patriæ consuetudinem servandam esse. *Si fueris Romæ*, &c. Exemplum: ipsi celebrant in pane elevato vel fermentato, hoc contra Fidem nostram non est, nisi inquantùm aliàs errarent ob hanc occasionem, ut dicendo quòd tres Evangelistæ mentirentur in scribendo, scribentes Deum celebrasse
B Pascha suum, tempore ordinato, secundùm Legem antiquam; quia si ad Scripturam sacram admissa fuerint vel ostensa mendacia, tota Scripturæ vacillabit autoritas, ut dicit Augustinus ad Hieronymum. Aliud exemplum: quia Græcorum Sacerdotes Matrimonium contrahunt, habent etiam multas ceremonias & observationes Ecclesiæ, alias quam Latini, sicut dicit quædam autoritas: *Qualibet Provincia sensu suo abundat.* Aliud exemplum: de modo baptizandi. *Baptizetur servus Christi.* Aliud exemplum esset: si sint astricti confiteri plusquam semel in Anno, & recipere eorum Sacramentum: quamvis enim Confessionis Sacramentum de necessitate sit, & dicere oppositum est hæresis; ipsum autem impedire vel turbare, est crimen admodùm enorme: possunt tamen servari complures ordinationes ad hoc Sacramentum recipiendum, quæ non sunt de Jure divino. Nota quòd potest hìc materia interseri de secreto Confessionis, & quomodò apud multos fuit abolita Confessio propter revelationem. Aliud exemplum: si Græci habeant Leges vel consuetudines
C Beneficia conferendi, vel solvere eorum Decimas tali vel tali modo alio quam Latini, vel si non solvant talia subsidia ut fieri solet in Ecclesia Gallicana; & ad hoc facit quòd dicunt aliqui, eos aliàs scripsisse Papæ: *Potentiam tuam recognoscimus, avaritiam tuam implere non possumus, vivite per vos.* Nota ad propositum divisionem populi Judaïci sub Roboam. Nota quòd bonus Princeps permittet Leges & consuetudines diversorum subditorum si non sint clarè contra Jus naturale; & facere contrarium esset sæpè destructio politiæ, sicut dicebat Dominus de Arras, *Flandriam aliter se gubernare velle quam Gallia; vel Burgundia gubernari vellet.* Per hanc considerationem benè captam initum est, ut procedatur in reformatione Ecclesiæ Gallicanæ & libertatum ejus, non obstante contradictione quam facere volent forsitan aliqui de Curia Romana.

Octava Consideratio.

Homines bonæ voluntatis ad habendam pacem in
D sancta Ecclesia, tam in generali Græcorum & Latinorum quàm in particularibus reformationibus, debent dirigi & instrui principaliter per sanctam Scripturam, in qua datur Jus divinum, & consequenter per Philosophiam moralem. Insuper per sancta Decreta & Decretales, deindè per Leges civiles. Hæc consideratio patet; quia qui non potest discernere & co-

Digitized by Google

cognoscere quod est Jus divinum, vel solummodò Jus positivum, leviter errat judicando de uno sicut de altero, & nescit separare pretiosum à vili; & adhuc magis necessarium est post Ecclesiæ dotationem quàm priùs: nihil enim magis turbat totius Christianitatis politiam, quàm velle eodem modo gubernare hominum spiritualitatem & temporalitatem, & existimare quòd temporalitas propriè sit spiritualitas & Jurisdictio propriè spiritualis: dico propriè; quia in omni eò quod sanctè datum est Ecclesiæ, est aliqualis spiritualitas per dedicationem, appropriationem vel attributionem. Hic clarè habemus quare & quomodò spectet ad filiam Regis & Matrem Studiorum Universitatem Parisiensem, quærere pacem & laborare ad eam; quoniam in ea sunt viri docti, experti in supradictis scientiis plures & potiùs quàm alibi, præsertim in Theologia, secundùm quod Dux de Lencastre dicebat antiquo Domino Burgundiæ, quemadmodùm sæpiùs audivi ex ore ejus: *Habemus*, dicebat dux De Lencastre, *habemus in Anglia viros subtiliores in imaginationibus; sed Parisienses veram habent solidam & securam Theologiam.* B Nota quòd cavendum est ne mala Theologia & curiosa hanc Universitatem invadat, sicut in Anglia & in Praga. Posset adjungi quomodò sit expediens multos esse Theologos Parisiis tanquam in fonte, ut si aliqui vellent seminare malam doctrinam populo vel Principibus secretè, ut mox possent convinci per autoritatem Theologiæ, magis interdum quàm per argumenta. Ideo admodùm necessarium est Principi quòd nunquam credat viro perito vel alii de facto Fidei nostræ, si talis non audeat vel non velit publicè doctrinam suam dicere; immò talem revelare deberet Princeps. Posset hic videri quòd malè faciunt hi qui infamant viros doctos cum prædicant veritatem, imponendo quòd malam habent intentionem, si aliter dici non posset doctrinam eorum falsam esse. Certè non sunt homines quos magis quàm tales vitare deberent Principes; quoniam ponunt eos in periculum persequendi veritatem, & ut efficiantur tyranni, & per illos evenerunt quasi omnia mala præterita in Christianitate. Notemus hìc & concludamus, quòd Regnum Franciæ non gubernatur per tyrannidem cum diligat studia.

Nona Consideratio.

Homines bonæ voluntatis debent post hanc unionem factam in Concilio generali Pisano, laborare magis quàm priùs ad uniendos Græcos cum Latinis. Primò (ut dici solet) quòd *una bonitas aliam postulat*: si Deus nobis inter nos unionem contulit, eò plus laborare debemus ad honorem & augmentationem Ecclesiæ suæ; alioquin esset ingratitudo. Deinde debemus habere majorem spem quod Deus nos audiat & exaudiat quam priùs; quia ex exhibitione præsentium munerum fit certior expectatio futurorum. Ulteriùs, ista prosecutio est expediens, ne aliquis dicere possit primam unionem prosecutam esse ob aliquam malam affectionem; sed solùm propter bonum totius Ecclesiæ sanctæ, sine odio vel favore inordinatis: Papa etiam est Græcus natione, & doctor Theologus excellens, ideo Græci potiùs induci debent sub eo & per eum. Et hìc accipio & formo primam supplicationem & petitionem quam facit Regis filia, quæ est ut unio jam incœpta omninò perficiatur taliter quòd omnes Latini obediant vero Papæ nostro Alexandro quinto; alioquin hæc unio Græcorum (de qua loquimur) non tam convenienter fieri posset. Et etiam forsitan dici posset, quòd scribitur in Evangelio, Luc. XIV. 30. *hic homo non potuit consummare.* Rex non potuit perficere unionem quam inchoarat. Et illud. *Medice cura teipsum*, Ibid. IV. 23. id est uni te priùs. Ideò expedientissimum videtur, quòd per Legatos solemnes procuretur reductio Hispanorum & Arragonum, Scotorum & illorum de Henodia aliorumque, quòd est multò potius faciendum quàm priùs; inquantùm materia clarior est & parata magis quàm priùs; nec oblivioni dandum est, quod persecutio A unionis Græcorum nullomodo impediet illam quæ est Latinorum, sed dabit magnam occasionem hominibus bonæ voluntatis, ut citiùs veniant ad communem unionem; nisi dicatur quòd alii nollent laborare super reductione Græcorum, nisi sub eis: ita oportet unum facere, aliud non omittere; sed debet obviari & tolli tantum malum. Ideo expediens apparet quòd in primis in hoc Regno tam inter Principes quàm inter milites, cives & Ecclesiasticos fiat unio quantùmcunque fieri possit; obliviscendo divisiones præteritas, sive contigerint ratione duorum damnatorum contendentium de Papatu, sive aliter.

Decima Consideratio.

Homines bonæ voluntatis debent faciendo utilitatem universalis pacis habere principalem spem in auxilio Dei, potius quàm in potestate aut scientia humana. Heu quid potest fragilis humana voluntas sine Deo! qualis præsumptio est de illis de quibus loquitur Scriptura: qui dicebant, *Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia*, Deut. XXXII. 27. hoc est, potestate nostra fecimus res illas, & non Deus eas fecit. Et rursùs. Ps LI. 9. *Ecce homo*, id est, hic est homo, *qui non posuit Deum adjutorium suum* &c. Elevemus considerationis nostræ oculos ad res mirabiles, quæ factæ fuerunt tempore elapso, & inveniemus omnia facta esse per bonam voluntatem, habendo spem in Deum potiùs quàm in seipsam: hoc potest videri de mirabilibus quæ fecit Moyses in veteri Lege de bellis, de Juda Machabæo, & aliis sine numero. Et singulariter omne hoc apparet in fundatione sanctæ Ecclesiæ, inter quos dicebat sanctus Paulus: Phillipp. IV. 13. *Omnia possum in eo qui me* C *confortat* Christus. Nota de Sancto Thoma. Joan. XIV. *Domine*, &c. Habemus quòd Angeli in nocte Natalis Domini cum cantarent primi hoc dulce Canticum: *Gloria in excelsis Deo*, Luc. II. 14. &c. fecerunt quasi quandam partitionem: dederunt gloriam Deo & pacem hominibus; in signum quòd omnia debemus ordinare ad gloriam Dei, & illi omnia attribuere. Ideò mala voluntas præsumptuosa, nec potest, nec debet habere pacem, quæ potiùs quærit gloriam suam quàm illam quæ est Dei, & Deo partem gloriæ suæ (quantùm in ea est) tollit; quid mirum si & Deus eidem gloriam suam tollat? Exemplum de Gigantibus & aliis, etiam de illis in Libro Machabæorum c. V. 62. qui volebant se reddere nominatos; sed non erant illi *per quos salus facta est in Israël*: & Judas Machabæus cum primum pactum fecisset cum Romanis, & nimis confidit in eorum auxilio, superatus fuit. Hinc sumo & formo secundam supplicationem petitionemque filiæ Regis, quæ est ut Processiones & Orationes publicè D fiant per universum Regnum, cum Prædicationibus ad inducendos omnes ad morum correctionem, & ad auxilii de cœlo postulationem. Et per hoc inprimis Processionem fecit Regis filia Dominicâ transactâ, quæ fuit Dominica tertia Adventûs; & hoc fieri potest intantùm vel plus ut videtur, sicut credo, quemadmodùm fieri debet tranando mare. Posset hìc sisti ad magnificandam Orationis vim & potestatem; sed hoc fieri poterit in Prædicationibus & Exhortationibus supradictis. Expediens est hìc & necessarium ejicere omnia sortilegia & stultas credulitates, falsas prophetias & observationes superstitiosas damnatasque contra honorem Dei, Fidei & Spei, quæ debet haberi in eum; quia *quæ communicatio Christi ad Belial?* II. Cor.

Digitized by Google

II. Cor. VI. 15. Notate contra alia peccata abominabilia ad Deum vindictam clamitantia, &c. Notate quòd Prædicationes & conversiones morum per quos & qualiter fient, simul & Legationes; & apparet aliquibus quòd mendicantes multùm debeant se intromittere & fortiter ingerere: professio eorum est mendicare.

Undecima Consideratio.

Homines bonæ voluntatis debent diligenter per prudentiam humanam & per magnam consultationem ac laborem procedere in isto negotio pacis universalis. Sumus (ut dicit Apostolus) I *Cor.* III. 9. *coadjutores Dei*, & ut dicit vulgatum adagium: *Juva teipsum*, *& Deus te juvabit*: alioquin hoc esset tentare Deum. Et forsitan mala voluntas, quæ semper ad benefaciendum cor habet deficiens, hunc refugit laborem, dicendo pacem illam nimis difficulter obtineri posse. Respondet bona voluntas; hoc verum esse, sed tendit ad ardua virtus: difficile est pacem obtinere; sed merces erit ingens & gloria perpetua, Herculem duri celebrant laboris: difficile est; etiam Reges & Principes incipere & aggredi debent res difficiles & arduas, & non se in parvis occupare negotiis. *Magnum magna decent.* Notate de occupationibus Curiæ Romanæ in Beneficiis conferendis: difficile est; sed Deus est omnipotens, à quo auxilium expectamus & cujus causa agitur. *Spera in Deo & ipse faciet*, Ps. XXXVI. 5. *nec est manus Domini abbreviata.* Isaiæ. LIX. I. Notate de mirabilibus divisionibus: difficile est facere; sed nihil est adeò difficile, quod non bona voluntas exequatur per magnum laborem & diligentiam: *labor improbus omnia vincit*, & etiam bona voluntas unus spiritus est cum Deo: difficile est; sed qui non poterit reducere omnia ad unionem, magnum erit reducere partem, nec labor erit perditus illorum qui ad hoc conabuntur: mercedem recipiet & unusquisque secundùm laborem suum; mille & mille se salvare possunt in hoc labore, qui fortassis damnarentur in otiositate & delitiis. Item quotidiè melius invenietur veritas; & negotii punctum & difficultatem quæ ibi sunt difficile est; sed melius est attentare id quod fieri poterit, quàm semper sinere ut increscat horribile hoc schima de pejori in pejus per incuriam. Nescio quando incipere oporteat eum qui nunquam laborare volet, & melius valet citiùs quam tardè, & tardè quam nunquam, sicut in schismate præterito: difficile est; sed nullum est negotium religiosius nec devotius, quàm reducere ad unitatem & bonam viam fratres nostros, per quos Fides ad nos devoluta est. Nonne Sanctus Dionysius Galliæ Apostolus natione Græcus fuit per quem suscepimus veram pacem & Fidem Christianam, nec hoc fuit sine magna fortitudine & labore: ideo simili modo laborandum est, quod Græci ad nos revertantur, præsertim Universitas, de qua fuit Sanctus Dionysius pro tempore quo erat Athenis. Difficile est; sed difficilius assumpserunt prædecessores tui Domine Rex Christianissime, ut Sanctus Ludovicus qui bis mare transiit adversùs infideles, & se mortis periculo exposuit: hic non est tale periculum mortis, & tamen quis vellet dicere quod opus est dignius & acceptabilius quoad aliquam considerationem, quam esset accipere crucem ad inferendum bellum corporale infidelibus? Difficile est; sed exemplum docere nos debet, sicut sanctus quidam Pater fecit de filio boni cujusdam viri: qui quidem filius missus fuerat ut purgaret campum quemdam plenum spinis & tribulis. Juvenis ille cum videret tantam spinarum multitudinem, corde deficiens dormivit, præ tedio nihil faciens primo die, sic fecit secundo die, sic & tertio, donec Pater interrogaret, si totum purgasset campum. Qui respondit quod non. Tunc Pater adiit campum, & interrogavit filium, ubinam cubuisset? Deinde præcepit ei ut quotidie tantum purgaret spatii in campo, quantùm occuparet locus dormitionis ejus, sic fecit & in brevi totus campus purgatus fuit. Applicatio facilis est: difficile est, & res sumptuosa ac laboriosa;
A sed ubi potest pecunia vel labor melius exponi, ubi poterit judicare populus auxilia, & subsidia meliùs dari & consumi? Hoc paulò antè vidimus in petitione quæ fiebat pro Græcis, quæ non erat tam apparentis utilitatis sicut præsens. Demùm difficile est; sed auxilia tantarum spiritualium gratiarum possunt esse valde magna, ut concedere plenam remissionem, ut de transitu ultra mare; nec habebit illa prosecutio tantos adversarios in se, vel per ignorantiam vel malitiam, sicut multæ aliæ prosecutiones habuerunt: non est Christianus quin judicare debeat hanc prosecutionem sanctam esse, & sine suspicione cujuscunque mali. Ideò lætè recipi debent omnes hi qui volunt se in hoc negotio exercere & immiscere; & non modo recipi, sed investigari & hortari. Sed etiam, quis scit si Deus velit ut finis mundi appropinquet, & velit omnia verti ad unam Fidem Christianam, ad unamque Religionem & & unionem, qualis fieri debet priusquam mundus finiatur? quamvis nihil denun-
B ciem nec prophetisem de expectatione illius, cum Deus non voluerit secretum hoc Discipulis suis & Apostolis revelare, dicens: *Non est vestrum nosse*, &c. Act. I. 7. Sumamus hìc tertiam supplicationem Filiæ Regis, quòd Rex velit ordinare solemnes viros ex magno suo Concilio, cum quibus esse poterunt deputati Universit[illegible], ut magis videatur de modo procedendi in hac materia, tam in Regno quam in Comitatibus; sive per Litteras publicas & exhortationes illud faciendum fuerit, sive per Legatos, sive per ordinationem novarum confœderationum, sive per manutentionem & confirmationem illarum quæ jam initæ sunt, ne etiam videantur alii vilipendi, & omnia fieri sine eis: quod omnes tangit, &c. Notate de Lotharingis & Alemanis, &c. Et hìc fieri posset mentio major de necessitate, quæ est, quòd Christiana Regna adinvicem pacem habeant, & Principes inter se; sed superiùs dicti scient citò discernere, & poterunt fortè ordinare ut aliàs fiat verbum vel secretè vel in publico. Notate quòd Deus vult universum mundum uniri sub uno Imperatore in temporalitate ad publicandam Fidem ubique. Et videmus quod discordiæ in temporalitate admodùm nocent ad habendam generalem pacem in spiri-
C tualitate, & è contra. Et ergo, ô Rex benigne, *fac in bona voluntate tua Sion*, id est Ecclesiæ militanti, *ut ædificentur muri Jrusalem* cœlestis. Ps. L. 20.

Duodecima Consideratio.

Homines bonæ voluntatis diligenter laborare debent, quòd Concilium quod futurum esse, est conclusum, infra triennum teneatur. Et quia Græci possint & velint convenire non est (ut apparet) dispositio altera convenientior ad pacem de qua loquimur, quàm esse debeat dictum Concilium; nec alio meliori modo negotium hoc poterit expleri, sicut postremum Concilium fuit necessarium propter pacem Latinorum, & fuit prima via & conclusio quam proposuit Universitas Parisiensis, ad pacem habendam.
D Hæc est sufficiens occasio ad mittendum undequaque, &c. Sumamus igitur hìc quartam & finalem supplicationem filiæ Regis, & est, quòd tàm erga Sanctum Patrem nostrum & omne Collegium Cardinalium, quàm erga Græcos & omnes alios Christianos qui laborarunt, quàm negotia principalia & accessoria quæ requirentur ad celebrandum hoc Concilium taliter prædisponantur, quòd cum ventum fuerit ad factum

Digitized by Google

factum, nulla sit divisio, rixa vel confusio; provideatur bonus ordo celebrandi hoc Concilium, de loco, de tempore, de rebus tractandis; sive de reformatione Ecclesiæ in bonis moribus fuerint, sive de restitutione libertatum Ecclesiarum particularium, sive de facto hoc principali Græcorum, sive sit de modo se habendi contra omnes infideles ad Christianitatis augmentationem, ad honorem Dei & animarum salvationem. A *Et pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras*: Philipp. IV. 7. illuminet, & dirigat bonam voluntatem omnium in viam pacis universalis & particularis, temporalis & spiritualis, & quòd in tantùm vocemus *Noël Noël*, hoc est, Pax Pax, donec veniat, ut simus participes illius divini & Angelici Cantici: *Gloria in excelsis Deo*, &c. Hic fundatur una de principalibus supplicationibus filiæ Regis, quæ est, quòd reformatio bonæ justitiæ & convenientis fiat in universo Regno: charitas enim incipit à seipsa, nec est charitas similis huic, quàm ea quæ est sanare seipsum & corpus suum. Verum est aliàs filiam Regis curasse, ut proponeretur hæc materia adeò prolixè, & postremò eam renovavit ad petitionem Dominorum nostrorum. Et quamvis in particulari contineat ferè innumerabilia puncta; in generali tamen omnia ad quatuor principalia puncta referuntur. Unum est respectu regalis personæ tuæ, qui caput es, & illorum qui sunt proxima membra tua. Secundum in facto justitiæ. Tertium in facto modi. Quartum in facto belli. B Homines bonæ voluntatis habere debent ordinem & obedientiam ad unum solum caput in spiritualitate; in bonitate unius spei & unius charitatis, hoc est, in una Catholica Fide, quemadmodùm in una anima. Aspicio quòd tria sunt necessaria ad pacem faciendam, scilicet posse, scire & velle; aut potentia, scientia, benevolentia; vel æquitas, veritas, charitas seu pietas, quæ sunt tres pacis sorores. Ea propter mala voluntas ad pacem pervenire non potest; quia pro posse, habet languorem; pro scire, errorem; pro bono velle, furorem; nec in se habet æquitatem, ut subdat se Deo & ad gloriam suam, nec veritatem, ut credat Legi suæ, nec charitatem, ut compassionem habeat de proximo suo, nec etiam de seipsa; ipsa est ad benè operandum tanquam deficiens, sine vigore; sicut dormiens, sine humore; sicut indurata, sine amore & fervore. Quid mirum ergo, si pax non sit in hominibus, in quibus habitat mala voluntas? Sed bona voluntas, quæ conditiones habet omninò contrarias, amat, vult & desiderat pacem & inducit per multas rationes ad hanc C pacem universalem Latinorum & Græcorum tendendum esse.

Sufficiet inpræsentiarùm breviter recitare duodecim rationes, quarum quatuor fundantur in æquitate, respectu Dei; quatuor in veritate, respectu nostri; quatuor in pietate & charitate, respectu proximorum nostrorum: & eas recitando, ponetur ad quamlibet rationem una consideratio per modum consilii, ut detur ordo procedendi vel practicandi hanc materiam. Nec est quidquam quod bona voluntas ruputet impossibile; quia figit spem suam non in se, sed in Deo omnipotenti, ut dicebat sanctus Paulus: *Omnia possum in eo qui me confortat* Christus. Phil. IV. 13.

TRACTATUS

qui ascribitur

JOANNI de GERSON

Doctori & Cancellario Parisiensi,

Qualiter fuit status Ecclesiæ in Veteri & Novo Testamento, & qualiter Ecclesia fuit erecta temporibus prædictis, & quot schismata, & quot intrusiones fuerint in Ecclesia Romana, & qualiter in schismatibus præteritis fuit actum, & aliis notabilibus; secundùm veras Chronicas.

Recognitus ad MSS. Codd. San-Vict. 843. & Navarricum.

MONITUM.

Scriptiuncula istac non est Gersonii, nec nomen ejus præfert in MSS.

Cusentinum Archiepiscopum suum vocat Auctor, quà indicatur Italum esse. Scribebat ante sublatum schisma Petri de Luna & Angeli de Corario, hoc est, circa Annum 1407. Quapropter visum est præcedentibus Gersonii operibus hanc subjungere, quamquam haud magni sit pretii.

POSTQUAM superior status & effectus præsentis schismatis, ac acta & agenda in Universali Ecclesia, & specialiter in Romana, secundùm veros Prophetas & Prophetias approbatas, digesta & notata sunt. Pro pleniori notitia prædictorum, acuitur stilus, ut secundùm veras Chronicas & approbatas, & specialiter Antistitis nostri Reverendi Archiepiscopi Cusentini verissimi antiquitatum relatoris & fratris Ptolomæi de Luca venerabilis Chronistæ, status & acta præterita in dicta Ecclesia lucidiùs cognoscantur & sciantur à lectoribus. Invenimus enim, ego Frater Theoforus & socius meus charissimus Frater Eusebius in prædictis & aliis Chronicis, ut infra dicitur; fideliter referendo quæ Cusentinus & Ptolomæus gesta & acta Romanæ Ecclesiæ denotarunt, à Nativitate Christi, usque ad Annum Domini 1316. à quo tempore citra, nullum schisma fuit in Ecclesia Dei, usque ad istud novissimum tempus Petri de Luna & Angeli de Corario. Ex quarum Chronicarum lectione reperimus, quòd Ecclesia tam in Veteri Testamento quàm in novo, exigentibus peccatis & malitia satanæ multas tribulationes passa est. Tamen ab omni tribulatione ipsam semper ac ministros ejus Deus liberavit, cum ipsi humiliter & contrito corde ad Deum conversi sunt veniam petentes & majorem quietem. Aliqua in Novo Testamento habuit Ecclesia Dei à destructione Frederici Imperatoris secundi, usque ad tempora bonæ memoriæ Domini Gregorii Papæ II. quæ quies & abundantia divitiarum reduxerunt Ecclesiam in peccata & vitia, propter quæ Ecclesia patitur præsens schisma, & multa discrimina & majora patietur.

In veteri autem Testamento Ecclesia multas tribu-D lationes passa est. Primò: decem plagas, dum fuit in terra Ægypti. Item, in tempore habitæ possessionis terræ promissionis, usque ad Templi ædificationem, undecim persecutiones passa est Ecclesia. Item, post Templi ædificationem sustinuit durissimam jacturam & schisma quod fuit inter Roboam & Jeroboam. Item, sustinuit transmigrationem totius Sacerdotii & destructionem Templi in Babyloniam per primum Nabuchodonosor. Item, passa est tempore Machabæorum,

Digitized by Google

rum: quo tempore multi fuerunt Pseudo-Pontifices Maximi & schismata, Clerus magnam persecutionem passus, & fuit ultima in Veteri Testamento. Cui persecutioni præsens schisma & persecutio Frederici tertii & magni ultimi Antichristi futuri, similes erunt, secundum Abbatem Joachim Libro *De ultimis tribulationibus*.

In novo autem Testamento Ecclesia etiam varias & diversas persecutiones passa est, exigentibus peccatis, & opere naturæ humanæ hostis. In primitiva enim Ecclesia Summi Pontifices, Apostoli, Prælati & alius Clerus, opprobria, damna & injurias & mortis diversa martyria passi sunt. Item cessantibus martyriis & crescente & ditata Ecclesia à Constantino Magno, ab aliis Principibus & à populo Christiano incœperunt hæreses Menandri primi hæretici, Arii, & aliorum hæreticorum, maxima scandala generantes in Ecclesia Dei. Postquam autem in Ecclesia multiplicata sunt Dominia in temporalibus & spiritualibus, incœperunt intrusiones & schismata in Romana Ecclesia, propter quæ Dominia & potestates continuè fuerunt odia & rancores inter Summos Pontifices, Imperatores Romanos & Dominos temporales. Quæ schismata fuernnt viginti unum cum præsenti, & intrusiones XLI. Quorum primum schisma incœpit Anno Nativitatis Domini, 254. inter primum Cornelium & Novatianum. Secundum schisma fuit Anno 353. inter Liberium & Felicem. Tertium, Anno 388. inter Damasum primum & Ursinum. Quartùm schisma, fuit Anno 419. inter Bonifacium primum & Eulalium Presbyterum. Quintum, Anno Domini 401. inter Simachum primum & Laurentium. Sextum, Anno 530. inter Bonifacium & Dioscorum. Septimum, Anno 767. inter Stephanum tertium sanctum virum, & Constantinum secundum; quod schisma, si benè videatur, quasi per omnia simile est instanti schismati, & plus assimilatur præsenti schismati quàm alia præterita. Octavum schisma, fuit Anno 848. inter Eugenium secundum & Sisinum. Nonum, fuit Anno 930. inter Leonem quintum & Christophorum Presbyterum. Decimum, fuit Anno 982. inter Joannem secundum, nobilem Romanum & Leonem octavum. Undecimum, fuit Anno 1012. inter Gregorium quintum & Joannem Episcopum Placentinum. Duodecimum, Anno 1044. inter Benedictum nonum & Leonem prædictum. Decimum tertium, Anno 1036. tempore Benedicti octavi, qui à Romanis ejicitur & alius intruditur: postea Benedictus restituitur. Demimum quartum schisma, fuit Anno 1052. tempore Benedicti, qui cum jam sedisset multis Annis aliique sunt electi, expulso Benedicto. Decimumquintum, fuit Anno 1078. inter Alexandrum secundum & Codullum Episcopum Permensem. Decimumsextum, fuit 1085. inter Gregorium & Episcopum Permensem. Decimumseptimum schisma, fuit 1100. inter Pascalem secundum & tres Prælatos qui nomen & officium occupaverunt, favore hæretici Imperatoris. Decimum octavum, fuit 1111. inter Gelasium secundum & Bitodinum Hispanum. Decimumnonum, fuit 1131. inter Innocentium secundum & Petrum Leonis. Vicesimum, Anno 1149. inter Alexandrum tertium & quatuor schismaticos. Vicesimum primum schisma, fuit tempore Ludovici de Bavaria, qui Ludovicus, vivente & regnante Joanne XXII. qui Joannes assumptus fuit ad Papatum anno Domini 1319. fecit fieri Anti-Papam Fratrem Petrum de Corbario Ordinis Minorum, à quo coronam Imperii recipit. Tamen facta Doctorum, Anti-Papæ & Anti-Imperatoris annullata sunt infra Annos. Vicesimumsecundum schisma præsens est, & melius coloratum aliquo alio, prophetatum à Spiritu Sancto pro punitione Cleri & reformatione Ecclesiæ. Circa quorum intrusionem schismatum, confictionem processuum, ordinationem, oblationem & finem: ex flore supra dictorum, notum est & potest notari singulariter quòd omnia & singula schismata & intrusiones prædictæ conficta, fota & nutrita semper fuerunt opere, ingenio & invidia pessimorum Sacerdotum & Cleri Dei, sibi semper faventibus & auxiliantibus Imperatoribus & populo Romano, excepto Carolo Magno & tribus Ottonibus primis de Saxonia, qui Ecclesiam multùm afflictam semper erexerunt. Item, notavimus quòd in omni schismate semper ille vicit & obtinuit qui habuit jus, sive primò, sive secundò electus fuisset. Et semper Anti-Papis & sequacibus malè successit. Item, in omni schismate iste Papa visus est habere jus & obtinuit, qui electus fuit à majori parte Electorum & habentium vocem in electionem Papatus. Item, notamus quòd de conversione Magni Constantini citra & postquam Roma & maxima pars Fidem Christi agnovit, quòd Imperatores Romani vel populus Romanus, XXV. veros Summos Pontifices expulerunt de Roma, & ipsos diversis pœnitentiis afflixerunt injustè, quorum Summorum Pontificum nomina sunt hæc: Julius primus, Simachus, Silverius primus, Vigilius primus, Martinus primus, Leo tertius, Eugenius secundus, Joannes octavus, Leo quintus vel sextus, Joannes decimus, Benedictus octavus, Joannes decimusquartus, Joannes decimus sextus, Gregorius quintus, Benedictus nonus, Gregorius septimus, Victor tertius, Pascalis secundus, Alexander tertius, Bonifacius sextus. Item, notatum fuit quod Reges Franciæ qui pro tempore fuerunt, nunquam in aliquo dictorum schismatum adhæserunt schismatico, sed semper veris Pontificibus, immò, quòd plus est, Reges Franciæ, octo Summos Pontifices de Sede expulsos posuerunt & reduxerunt Romam in Sedem propriam, quorum Summorum Pontificum sunt hæc nomina. Vigilius vel Eugenius, Leo, Zacharias, Stephanus, Calixtus, Innocentius, Alexander tertius & Paschalis. Item, singulariter notatum est, quod quandocunque Ecclesia in schismate, vel alio modo vacillavit, semper Ecclesia erecta fuit per aliquos Principes seculares, ut per Carolum Magnum, Ottones de Saxonia, Reges Franciæ, Pisanos, & diversos alios: nunquam enim Ecclesia relapsa vel vacillans, suis operibus vel viribus se erexit. Item, singulariter est notatum, quòd nunquam in schismate per Ecclesiam Concilium generale fuit vocatum; sed illi qui fuerunt in schismatibus veri Pontifices vocaverunt Concilia particularia in diversis locis, prout videbatur sibi expedire. Tamen non reperio aliquod schisma sine Concilio aliquo fuisse ablatum. Item reperio quod tempore Gregori sexti & Clementis secundi, quo tempore erat schisma in Ecclesia, quando Henricus Imperator convocavit & congregavit Concilium generale, non vocatis Papa nec Cardinalibus qui erant discordes, & quòd ibi ordinatum fuit, valuit & servatum fuit in Ecclesia, non obstante absentia Papæ & Cardinalium. Item, notatum est quòd aliqui in Sede Apostolica & tenentes pacem justè suis temporibus regnaverunt sine schismate, quorum nomina sunt hæc: Joannes decimus, Joannes decimus sextus, Silvester secundus, Damasus & Victor secundus. Item, notandum quòd Leo Papa quartus, dubitans ne ejus electio esset bona renuntiavit Papatui, tamen Cardinales videntes ejus bonitatem reelegerunt ipsum: & idem contigit Honorio secundo, natione Bononiensi. Schismata supradicta fideliter extracta sunt à supradictis Chronicis, quæ patent omnibus volentibus eas adire.

FINIS.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

OPERUM

TOMI SECUNDI

PARS SECUNDA:

CONTINENS

TRACTATUS

Pertinentes ad

CONCILIUM CONSTANTIENSE.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS

DE

MODIS UNIENDI AC REFORMANDI ECCLESIAM

IN

CONCILIO UNIVERSALI.

Scriptus paulò ante Concilium Constantiense ad PETRUM DE ALLIACO Cardinalem Cameracensem, & editus ex Manuscripto Helmstadiensi in nova Concilii Constantiensis Historia, quæ prodiit Francofurti & Lipsiæ. Anno 1696.

DE PUBLICA ECCLESIÆ MISERIA,

Tempore Concilii Constantiensis.



DOLENTES quærebamus te de omnibus alienis, flagitiosis & perversis, non in Christi Fide, non in illa primitiva Apostolica Ecclesia inventis, imò nec apud illos sacros Apostolicos & eorum Cardinales & Coëpiscopos, ut credo, imaginatis, quæ nunc moliuntur vineam Domini extreminare, domum Dei depascere, & quæ jam nostri hujus temporis Rectores Ecclesiastici amplectuntur ut virtuosa, scribunt ut juridica, præcipiunt servanda, prædicant in detrimentum totius Ecclesiæ & in utilitatem privatam, veneranda. Igitur zelus domus Dei comedit nos, licet ideò opprobria exprobrantium ceciderint super nos.

Vestra igitur Paternitas, quam ferventem ad domum Dei, ad sponsam Christi, ad Ecclesiæ Catholicæ unionem, amorem à retroactis temporibus habere conspexi sæpius; à me, vestro Capellano, & immeritò fratre & amico, tacta dolore cordis intrinsecus, voce querulosa & dolenti quærebat. Ecce *sedet sola civitas* Ecclesiæ, quæ olim erat *plena populo*, unanimi consensu unita, sed peccatis exigentibus, nostris temporibus periculosè divisa. Jam *non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus:* jam nullus est, qui ad instar Christi & Sanctorum *pro Republica laboret*; qui pro ovibus laboribus periculis & morti se det; qui fideles & simplices in Fide corroboret, & confortet. *Omnes amici ejus spreverunt eam*, scilicet Ecclesiam, cum eis paupertatem prædicat, cum eis avaritiam interdicit, cum eis castitatem annuntiat, & *facti sunt ei inimici.* Jam proh dolor! Tyrannorum pedibus subjicitur, ad tributa redigitur, propriis commodis innititur, & sub titulo coloris pacis & unionis Respublica Ecclesiastica prosternitur, & in plures seditiones scinditur.

Sed jam dolenter quæritur: Num fidele remedium pro hac Christi unica sponsa, unica Matre nostra inveniatur? Hoc exquisivi à juventute mea, hoc exposco, hoc desidero, &, ut putas, non videbo?

A Ergo dolenter quæro, quid vestræ Paternitati cordialius ac ardentius respondeam inposterùm, salva semper protestatione, quod si quid minus dixero justum, secundùm Christi Fidem, & regulam Apostolorum, revocabo, ex corde compatiendo, & pro posse meæ imperitiæ, ac munitus armis justitiæ domui Dei, columbæ Dei, sponsæ Dei, electæ Dei, nostro pio & laudando desiderio consulendo.

DE UNITATE ECCLESIÆ,

Deque Ecclesiæ distinctione in Catholicam & Romanam.

CONSTET in principio, quod loquitur Cyprianus: (*Decreti Part. 2. caus. 24. quæst. 1. cap. 18.*) *Ecclesia una est*, quæ latiùs in multitudinem incremento fœcunditatis extenditur, *una ejus origo est*, unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.

B Sed quæritur: quæ sit illa Ecclesia, quæ unam originem novit, unam domum scit; unius cubiculi sanctitatem custodit? Revera illa, quæ temporalia ad instar Christi despicit, quæ originem Fidei, & funda-

damenta primitivæ Ecclesiæ custodit, quæ sub uno Pontifice & Christi Vicario dilatatur & vivit, quæ sanctitatem cum moribus probis concordat & unit, quæ cum vitiis litigat, & ipsa destruit.

Instat tamen fervor ille vester cœlicus, & querit: quomodò & qualiter hæc unio haberi possit?

Credite mihi, quòd Respublica Ecclesiæ triplici unione possit & debeat de necessitate gaudere. Prima est imperiosa, secunda est jocundosa, tertia est virtuosa. Prima conservatur in unius capitis principantis existentia. Secunda roboratur in multorum membrorum benevolentia. Tertia perpetuatur in Religionis observantia.

Sed jam, Frater charissime, cùm sint verba tua mysterio plena, digneris declarare ipsa.

Volo libenter facere quod jubes, Pater. Sed pro omnium dicendorum corroboratione munio me hac suppositione: Ecclesia Christi est inter omnes Respublicas aut societates rectè ordinatas à Christo, superior, nobilior, atque diligibilior, Patet: quia aliæ sunt cœtus multitudinis temporalis, ista autem est congregatio populi spiritualis; illæ ad tempus patent, ista autem usque ad finem nunquam deficiet; illæ salvant corpora peritura, ista autem animas in perpetuum duraturas.

Prosequar, allectus tuis verbis dulcibus, istius Ecclesiæ unionem. Sed dic quæso, de qua Ecclesia intelligis, cum ille Sanctus Athanasius in Symbolo dixerit: *Et unam, sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Si enim idem sunt Catholica & Apostolica Ecclesia, superfluum fuit replicare, quod per unum potuit explicare. Si vero idem non sunt, dic quæso, in quo differunt?

Reverà, ut benè noscis; Chatholica universalis Ecclesia, ex variis membris unum corpus constituentibus, sive ex Græcis, Latinis, & Barbaris, in Christum credentibus, ex hominibus & mulieribus, ex rusticis & nobilibus, ex pauperibus & divitibus est conjuncta & nominata. Cujus corporis universalis Ecclesiæ, caput Christus solus est. Ceteri verò, ut Papa, Cardinales, & Prælati, Clerici, Reges & Principes ac plebeii, sunt membra inæqualiter disposita.

Nec istius Ecclesiæ Papa potest dici nec debet caput sed solùm Vicarius Christi, ejus vicem gerens in terris, dum tamen clavis non erret.

Et in hac Ecclesia & in ejus Fide omnis homo potest salvari, etiamsi in toto mundo aliquis Papa non posset reperiri, & non inveniretur.

Et causa est, quia in hac solum Ecclesia est Christi Fides fundata, & huic soli Ecclesiæ est potestas ligandi & solvendi tradita. Quia dato quòd nullus Papa esset, adhuc aliquis fidelium, remedium ligandi & solvendi, veniret. In hac sunt septem Sacramenta. In hac est tota salus nostra.

Hæc Ecclesia de lege currenti nunquam errare potuit, nunquam deficere, nunquam schisma passa est, nunquam hæresi maculata est, nunquam falli aut fallere potuit, nunquam peccavit, (ut de omnibus patet XXIV. *per totum*. q. I.)

In ista etiam omnes fideles, in quantùm fideles sunt, unum sunt in Christo, in cujus Fide non est distantia Judæi, Græci, Domini & servi.

Alia verò vocatur Ecclesia Apostolica, particularis & privata, in Catholica Ecclesia inclusa, ex Papa, Cardinalibus, Episcopis, Prælatis & viris Ecclesiasticis compaginata. Et solet dici Ecclesia Romana, cujus caput Papa creditur; ceteri verò Ecclesiastici, tanquam membra inferiora & superiora in ea includuntur.

Et hæc errare potest, & potuit falli & fallere, schisma & hæresin habere, etiam potest deficere.

Et hæc longè minoris autoritatis videtur esse universali Ecclesia, ut dicetur inferiùs. Et est quasi instrumentalis & operativa clavium universalis Ecclesiæ, & executiva potestatis ligandi & solvendi ejusdem. Nec de recta conscientia majorem habet vel habere potest autoritatem; & executionem potestatis, quam sibi ab Universali Ecclesia conceditur.

Differunt ergo hæ duæ Ecclesiæ sicut genus & species; cum omnis Apostolica sit Chatholica, &
A non vicissim: & ideò solebat loqui Apostolus in suis Epistolis: *Salutat vos Ecclesia: quæ est Babylone*, I. Petr. v. 13. & sic de similibus.

DE UNIVERSALIS ECCLESIÆ *Conservenda unione.*

SED, inquit, vestra solers Paternitas: Pro cujus igitur Ecclesiæ unione & redintegratione est laborandum, animas ponendum?

Reverà pro illius Universalis Ecclesiæ salvatione, & fidelium errantium, & membrorum deviantium causa, illius secundæ Ecclesiæ Apostolicæ redintegratione, omnibus postpositis est laborandum. Quòd extra illam non est salus. (XXIV. *q.* I. *Can.* 22.

Sed quæritis: quis primò membra deviantia incipiet reducere, & unionem procurare?

Reverà, ubi Papa non esset suspectus, & ubi non agitur de unione capitis, ad eum primò pertineret: aliàs ad majorem partem, vel totam congregationem
B Episcoporum & Prælatorum & Principum secularium pertinere credo. Et quidquid illi egerint in hac causa, quasi Fides est tenendum.

Sed quòd motiva multùm innituntur veritati, jam quæritis: quid habent Principes seculares facere in Ecclesiæ reductione, & membrorum unione?

Certè, si veritatem & pacem diligitis, si bonum commune respicitis, si corpus naturale perpenditis, ubi manus in auxilium venit totius corporis, & quòdlibet membrum currit ad salvationem ejus: ad Ecclesiæ congregationem, pacificationem, redintegrationem, quam pro communi utilitate debemus recipere, non solùm Principes seculares, sed rustici & laboratores, & quicunque quantumcunque etiam minimi fideles, debent occurrere & morti, si oporteat, se exponere pro totius gregis salvatione, exemplo antiquorum, bonum commune zelantium, & morti pro eodem se exponentium. Ut patet legenti in Valeri Maximi *lib.* I. 2. 5. & 6 & Tullium *de*
C *Officiis* quasi per totum? Et Christi exemplo: qui, licet sciret locum, ubi eum traditurus erat Judas, voluntariè ivit, morti se dedit, *ne tota gens periret.* Joan. XI. 50.

Et si ad ista tenentur seculares, quantò magis Prælati & Ecclesiastici Rectores.

Instat tamen prudentia vestra: quid oportet pro Universalis Ecclesiæ unione laborare, si ipsa Ecclesia est & fuit semper indivisa, unica, & nunquam passa schisma?

Pater mi, si dignemini intueri, nec dico Ecclesiam universalem posse reuniri, cum ipsa schismate non possit dividi, quia etiam in unico supposito potest salvari: Sed dico, quòd pro ejus unione sit laborandum, & pro ejusdem membrorum concordia & pacificatione. Quia cum & ipsa sit in charitate fundata, & bonum commune vocata, & *charitas non quærit, quæ sua sunt*: Ideo in ipsa Ecclesia non solùm nobis nati sumus fideles, nec nostra justitia & pax nos solùm debent illustrare; sed & fratres nostros &
D alios Christianos. Ideo dicit Propheta: *Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te.*

Item. Laborandum est pro universalis Ecclesiæ unione, sic solemus dicere; quia executio potestatis & autoritatis ejusdem, quæ est in Ecclesia Apostolica, impeditur valde propter contendentes de Papatu, & propter schismata. Imò aliquando redditur dubia. Et quia Universalis Ecclesia operatur ad modum theoricæ Magdalenæ, Apostolica verò ad modum

Digitized by Google

dùm practicæ, Marthæ. Et finis intentus communis in arte, est practica. Imò ne finis clavium Universalis Ecclesiæ impediatur, qui est autoritas ligandi & solvendi; à majori fit denominatio: dicimus propterea, laborandum esse pro unione universalis Ecclesiæ.

DE IMMINENTE CONCILIO *Generali Constantiensi.*

SED jam, ubi multis præmissis, finis suppositionis advenit, accenso ardore nimio utilitatis publicæ Ecclesiæ, Vestra magnifica Paternitas certificari affectat, addens: Ecce dies veniunt generalis Concilii, de proximo celebrandi: cujus celebratio ad hoc tendit, ut fiat capitis unius in Ecclesia Apostolica seu Romana declaratio; ut fiat membrorum una consociatio; ut fiat morum proborum antiquorum reformatio.

Jam capitis unio videtur perire: quia tres se audent Papam vocare. Jam membrorum est divisio: quia sub quolibet illorum trium est membrorum obedientia & subjectio. Jam bonorum morum est dissipatio, imò oblivio: quia simonia, avaritia, beneficiorum venditio, tyrannia & exactio regnat; quasi de consuetudine approbata in populo Ecclesiastico.

Dolenter ergo quæro: Utrum inveniri possit modus in hoc sacro futuro generali Concilio, quo regnaret Rex & Papa in Ecclesia; qui solum esset unus, ne inveniretur alius, qui de se diceret: *Ego sum Apollo, ego Cephæ, ego Christi*: 1. Cor. I. 12. qui sapiens esset, qui faciat judicium & justitiam in terra, quibus diebus salvetur Ecclesia, & habitet confidenter.

Item de secundo quæro instanter: quis modus reperiatur, quo cœtus Christianorum congregetur, quo oves dispersæ simul cubent, simul pascant, & sub uno Christi Vicario vivant, & à guerris & tyrannidibus abstineant?

Sed jam tertiò, quòd principalius & magis necessarium est in Universali Ecclesia, quo deficiente omnia deficiunt, quo existente Petri navicula non turbatur, non fluctuat, non perit; quæro instanter, quibus sacris moribus esset Ecclesia decoranda, quibus Regulis, quibus Constitutionibus sacris, ac Legibus esset fortificanda ac præmunienda, ne consimilia schismata præterita insurgerent in Dei Ecclesia? Ut sic Ecclesia tota pulchra, & virtutibus ac sacris Legibus & Regulis ornata esset, *terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cant. VI. 3. 9.

Hæc igitur tria, quantùm poteritis, Domino adjuvante, dignemini declarare, vestra in hac parte consilia dare.

Libet, Pater, sub compendioso sermone postulatis satisfacere.

DE PONTIFICIS ROMANI *Autoritate atque Potestate.*

SED jam primò de unione capitis volo præsupponere, & potestatem usurpatam diu ab eodem capite limitare.

Quis unquam dubitare potuit, quin Leges, quin Decreta, quin quæque in qualibet politia justè ordinata, propter conservationem boni communis principaliter sint instituta & facta; cujus Reipublicæ salvatio redundat in bonum cujusvis privatæ personæ secundariò: intentio igitur cujuslibet Legislatoris est conservatio & salvatio boni communis. Quia ergo propter quod unumquodque tale est, illud magis: si Leges & Jura propter Rempublicam sunt facta, magis est ipsa Respublica quàm sint aliqua Jura.

Ex quo concludo quòd, ubi de pari concurrunt curatio Reipublicæ & conservatio alicujus viventis personæ privatæ; cesset Lex, cesset Jus, quo tollitur salvatio boni communis, nec habeat virtutem pro tunc alicujus Juris, Legis aut Consuetudinis. In tantùm, ut Dominum nostrum mori expediret ne tota gens periret, ut prædixi. Omnes ergo Constitutiones Apostolicæ, sive Leges factæ in favorem Papæ, Cardinalium
A sive Prælatorum, intelliguntur & intelligi debent, ubi Respublica Ecclesiastica directè vel indirectè, publicè vel occultè, in parte vel in toto, detrimento aut divisioni non videtur subesse: & sic de Legibus Imperialibus & Regalibus possumus intelligere.

Sed fortiùs quæritis; numquid, quoad Dominia, multùm sint differentia secularis Dominatus, & Ecclesiasticus Principatus?

Utique. Quia ille temporalis, iste spiritualis: ille per successionem, iste à Deo per electionem: ille ad defensionem, iste propter ordinem.

Si ergo propter salvationem unius Regni, unius Provinciæ, deponitur unus Rex, unus Princeps secularis, qui per successionem perpetuam descendit: Multò magis unus Papa, unus Prælatus est deponendus, qui per electionem Cardinalium fuit institutus. Cujus Pater & Avus forsan ventres implere non sufficiebant fabis: durum enim est dicere, quòd filius unius Veneti piscatoris Papatum debeat tenere cum
B detrimento totius Reipublicæ Ecclesiasticæ, cum injuria tantorum Regum, Principum & Prælatorum; & quòd sit causa tantarum discordiarum & scandalorum; & quòd absque animarum grandi periculo non procedant; & quòd propter unam electionem hereditariè debeat sanctuarium Dei possidere. Imò dixit Propheta: *Deleas illos ut rotam, & sicut stipulam ante faciem venti*. Ps. LXXXII. 14. Sicut enim stipula citiùs desinit quàm palea; sic credo in corpore mystico Universalis Ecclesiæ, membrum quod ampliùs nocet, occasionaliter sive effectualiter, est citiùs dirimendum & amputandum.

Ergo Papa malus citiùs deponitur, quod est membrum validius, quàm quicunque alius Prælatus, cum ipse sit in totam sollicitudinem, ceteri verò Prælati sint in partem. Et sic de Prælatis ceteris, majores & minores habentibus administrationes: Non enim, si pes dolet, cetera membra dolent, secùs si caput doleat. Quod si per imaginationem amputari posset,
C homine manente, amputari citiùs deberet, ne totus homo perdatur.

Sic, si Papa peccat, totus cœtus Ecclesiasticus convertitur ad peccandum: quia *Regis ad exemplum totus componitur Orbis*: sed si aliquis Prælatorum peccaverit, non propter hoc omnes alii peccant. Tamen Episcopi & ceteri Ecclesiastici, Prælati ac Clerici, ab omni specie mala debent abstinere.

Sed fortè me voluisti capere in sermone, per varia scripta, allegando quòd tàm sancta, tàm alta sit potestas Papæ, ut à nullo mortalium judicari valeat, nec deponi, nisi propter hæresim incorrigibilem: ad hæc allegas Dist. XL. can. 6. Sed perpende, mi Frater, quanta fraude, quanta astutia, temporibus antiquis fuerint facta & scripta quamplurima ad tenendam hanc dignitatem Papatus, quam Christus nunquam concessit æternaliter, nisi ad tempus, illis qui diligunt Deum in toto corde & veritate. Quod dico pro tanto quòd si Petrus, cui principaliter datus est Papatus ante Christi passionem (*Matth*. XVI.) mansisset in negatione, quâ Christum negavit, & mortaliter peccavit, nec pœnituisset: certè post Chris-
D ti resurrectionem nec Spiritum Sanctum cum aliis accepisset, nec Princeps Apostolorum extitisset, nec *pasce oves* meas, ipsi à Domino dictum fuisset. *Joan*. XXI. 17.

Revertor ergo ad propositum & dico, quòd tantam fraudem in administratione hujus Papatus fecerint aliqui antiqui, qui cum multis viris peritis, imò in malitiis imbutis, Deum non habentes præ oculis, multa

Digitized by Google

multa jura sibi usurparunt, & pro se fecerunt, & meliorem partem sibi attribuerunt, & de Republica non curarunt. Et quis fecit illos Libros, Sextum, & Clementinas? Arrogantiam, superbiam, Juris Ordinariorum locorum usurpationem, Imperatorum Romanorum injuriosam detractionem, & eorum aliorumque potestatis periculosissimam suppressionem, & alia multa in spiritualis & secularis Reipublicæ læsionem malitiosè & pertinaci ambitione fabricata, in omnibus & per omnia concludentes. Et malè: quia non minùs terreno Principi in his, quæ ad Jura pertinent Imperii, quàm spirituali, in his, quæ ad Deum spectant, debetur obedientia: vult enim Deus, hominem homini subesse duplici ratione; carnali Domino, quia caro est; & spirituali, quia spiritus est. Igitur omnes inobedientes Romano Imperatori & ejusdem Imperio quia ejus Jura usurpant, in statu damnationis existunt. Nihilominùs & Papæ voluerunt observari illos sicut sancta Dei Evangelia: & sic de multis contentis in Decretis & Decretalibus, post dotationem Constantini: quorum occasione & multa succreverunt, & succrescunt schismata in utraque Republica memorata.

Ecce ponatur Papa. Est homo de homine, limus de limo, peccator & peccabilis, filius ante duos dies pauperis rustici; erigitur in Papam: Numquid iste absque aliqua pœnitentia peccatorum, absque Confessione, absque cordis Contritione fit Angelus impeccabilis, fit Sanctus? Quis eum Sanctum fecit? non Spiritus sanctus quia dignitas non solet trahere Spiritum Sanctum sed solùm Dei gratia & charitas: non autoritas, quæ communicatur bonis & malis.

Quia ergo Angelus Papa esse non potest: ergo Papa ut Papa est homo, & ut homo sic est Papa, & ut Papa potest peccare, & ut homo potest errare: fuerunt enim multi eorum, ut legitur in Chronicis, non penitùs spirituales, sed eorum actus civiles, contentiosi & carnales ac temporales, sequentes actus hominum, qui possunt mutuare, deponere, emere, vendere, percutere, occidere, mœchari, furari, rapere, prodere, decipere, falsum testimonium perhibere; detrahere, diffamare, in hæresin cadere, cæteraque committere scelera, crimina & contentiones, quemadmodùm etiam à non Sacerdotibus perpetrantur.

Et videmus ad oculum, quòd modernorum Prælatorum Ecclesiasticorum atque Sacerdotum, saltem plurimorum actiones non sint spirituales, quinimò temporales & carnales: de quibus loquens Apostolus I. *Cor.* III. inquit: *Cum regnet inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?*

Item Papa non est supra Dei Evangelium; quòd sic ejus autoritas esset major autoritate Christi, nec tunc ejus potestas derivaretur à Christo: subjicitur ergo ut alter Christianus in omnibus Præcepto & Mandato Christi. Imò tantò magis ad ipsum servandum obligatur, quantò magis est in dignitate & perfectiori statu constitutus.

Cum ergo Christi Præceptum dicat: Matt. XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, si te non audierit, adhibe duos testes, sin autem, dic Ecclesiæ.* Cum ergo Papa sit meus frater & proximus in natura & in Christi Fide, eisdem Sacramentis regeneratus, eadem passione redemptus; corripiendus est juxta processum Præcepti Christi. Non ergo illud Decretum est tenendum; quod *Papa à nemine sit judicandus*: quia actiones voluntariæ, transeuntes in incommodum & injuriam alterius, refrenari debent; & talium mensura, est Lex humana, & ad illum finem Leges ipsæ per ora Principum divinitùs prolatæ fuerunt: nec est Papa major Christo, vel Petro, cæterisque Apostolis, quos legimus sæpiùs subfuisse potentiæ coactivæ & Jurisdictioni Principum seculi, realiter & personaliter; aliosque homines, quibus ipsi Legem veritatis prædicaverunt, aut per Scripturam mandaverunt, idem facere & docuisse aut præcepisse, sub pœna damnationis æternæ.

Numquid Christus coram Præside seu Vicario Imperatoris, Pilato videlicet, constitutus ait: Joan. XVIII. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, regnare non veni regimine seu Dominio temporali, quomodò regnat mundus & Reges. Et subdit illius probationem, dicens: *Si regnum meum esset de hoc mundo, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Quasi arguerat sic: Si venissem regnare in hunc mundum mundano regimine seu coactione, haberem ministros hujus regiminis decertores, scilicet transgressorum coactores, quemadmodùm cæteri Reges habent; sed tales ministros non habeo, ut tu manifestè videre potes: quia omne Regnum in hoc seculo cujusquam coactivum, est humanum & corruptibile; sed Regnum Dei non est humanum neque corruptibile. Quare omnes, qui placent Deo, per multas tribulationes transierunt, & hujus seculi principantibus à Deo permittitur, ut plurimum justos & bonorum operatores affligant, & sic eos ad Regni sui præmium perducant. Et legitur de Christo, Joan. VI. 15. *quòd cum cognovisset, quod venturi essent, ut ipsum raperent, & Regem facerent, fugit in montem ipse solus.* Ex quo elicitur, Christum non solùm hujus seculi Principatum, seu coactivum judicium in hoc seculo recusasse; sed propter hoc, sic agendi Apostolis ac Discipulis suis ac successoribus dedisse exemplum, verbo & exemplo. Quis igitur Papa, si est maleficus & criminosus, saltem notoriè, eximatur, quin propterea Legislatoris coactivi judicio, exemplo sui Domini, qui tamen non peccavit, nec peccare aut errare potuit, sit subjiciendus; non video, nec ratio dictitat.

Præterea redeundo ad propositum: vel recepit Papatum propter utilitatem privatam, vel propter utilitatem communem. Si propter communem, & utilitas communis requirit ejus cessionem; non dico solùm cessionem, sed & mortem, pro salvatione boni communis debet recipere, Christi exemplo, qui solvit quæ non rapuit, & vulneratus est propter iniquitates nostras: si verò propter bonum privatum; quis ei talem dedit autoritatem? Non Parentes ejus, quia forte fuerunt mercatores, & non Papa. Non virtutes ejus, nec justitia aut sanctitas; quia tales virtutes non quærunt quæ sua sunt; quia Papatus non est sanctitas, nec facit hominem Sanctum, licet volentem disponat ad sanctitatem, sicut faciunt cæteræ dignitates Ecclesiasticæ, nec etiam illa Sedes Papalis facit hominem Sanctum; quia locus non sanctificat hominem, sed homo locum; nec ornamenta Papalia eum Sanctum faciunt, imò tantò magis eum vituperant, quantò ejus vita mala apud homines est magis nota: illa enim ornamenta exteriora, interiorum indumentorum sunt signa, scilicet justitiæ & sanctitatis ac veritatis. Et si dicatur: illa Sedes aut Sanctum facit, aut Sanctum invenit: Intelligitur ita; deberet Sanctum invenire; ridiculum enim est dicere, quòd unus homo mortalis dicat se potestatem habere in cœlo & in terra ligandi & solvendi à peccatis, & quòd ille sit filius perditionis, simoniacus, avarus, mendax, exactor, fornicator, superbus, pomposus, & pejor quàm diabolus. Et si Petrus talis fuisset, nunquam ei claves Christus contulisset. Utique non. Igitur non potest nec debet humanum judicium præsumere, quòd sit homo peccator, existens in tali & tanta Sede.

Quod si per mala opera declaraverit, quid de ipso fiet aut erit, videamus communiter: certum enim est, nullam Rempublicam sine unitate Principis posse subsistere, qui malos debeat coërcere, & bonos promovere. Juxta dictum Philosophi: *Expediens regno fuit habere unum Principem, ne malefici turbarent civium pacem.* Intendere ergo debet quilibet Princeps, ut corda civium sint tranquilla, & ut hostes vivant paci-

Digitized by Google

pacificè. Et cum Papa sit Princeps summus in Ecclesia Apostolica; ad hoc ergo debet intendere, ad hoc debet anhelare, ut Ecclesia vivat pacificè: ut, sicut una est Christi sponsa, ita sit unus ejus Vicarius, unus sit Episcopatus, una sit Ecclesia, una sit Obedientia, una Fides, unum Baptisma. (*caus.* XXIV. q. I. *Can.* 18.)

DE MODIS,

Loco trium malorum Pontificum

UNUM BONUM ELIGENDI,

In Universali Concilio Constantiensi.

PATER mi, iterum multa & magna tangis, quæ vires meas excellunt. Respondebo tamen cum bona tua supportatione, sicuti Dominus mihi ministrabit, qui per os Prophetæ locutus est: *Aperi os tuum, & ego implebo illud.* Ps. LXXX. II. Et quia omnes præcedentes quæstiones, proximèque præcedentes ad hoc tendunt, ut, si datum sit divinitùs, longè desiderata & vera unio in Ecclesia subsequatur, seu ut fiat unius capitis in eadem dispositio: ea tripliciter induci potest. Maximè, ubi duo aut tres sunt contendentes de Papatu, sicut nunc sunt de facto. Scilicet aut per viam cessionis & renunciationis, aut per viam ejectionis & privationis, aut per viam coërcitionis, violentiæ & invasionis.

Propter primum igitur modum tales pono conclusiones, scilicet: quacunque via possibili datâ, qua fiat unio illa, in promtu debet recipi à Christo vero Vicario. Secunda est illa: quandocunque de unione Ecclesiæ agitur, si alia via clementior non invenitur, Papa sub pœna peccati mortalis ad illam tenetur.

Hæ duæ conclusiones patent per superiùs dicta: quia Papatus non est datus propter bonum privatum; sed solùm propter bonum commune. Ad quod manu tenendum & redintegrandum, non dico solùm esse cedendum, sed si oporteat, moriendum, ut tetigi supra: quid enim est, quod Principem meliùs prædicet, quam quietus populus, concors Senatus, & tota Respublica honestate vestita? Cum igitur quæritur: in futuro generali Concilio, quæ via tenebitur ut pax Ecclesiæ detur, & unum ovile & unus pastor inveniatur? Reverà ante omnia procedendum est viâ justitiæ, quæ dux reperietur. Sequitur via recognitionis & reconciliationis, & via cessionis. Cum enim notorium sit toti mundo, generale Concilium Pisanum sanctum & justum fuisse: constat, quòd abjectio & privatio duorum tunc & nunc de Papatu contendentium sancta fuerit, & sic electiones Papatus, de *Alexandro V.* & post *Ioanne XXIII.* subsecutæ, justæ & honestæ sint.

Teneatur igitur modus, prout meliùs fieri poterit, ut illi duo, tanquam hæretici privati, errores suos recognoscant, & cum sibi adhærentibus Ecclesiæ reconcilientur & reincorporentur: & si illi isto modo non poterunt trahi ad unitatem Ecclesiæ; saltem tunc modis omnibus procuretur via cessionis, etiam fienda, si oporteat, à vero Christi Vicario: de duobus enim malis minus malum eligitur, tanquam minus nocivum, grandi & communi urgente necessitate, vel utilitate deposcente, ut in proposito patet: minus igitur malum est, cedere Papatui, quam Ecclesiam tenere Apostolicam in schismate semper.

Sed quid fiet de gestis & factis per illos tres usque ad illud tempus? Reverà hoc determinabit futurum Concilium. Videretur tamen mihi, ubi res, sive Officium aut Beneficium, non esset duorum, sed unius solùm, quod tolerandum esset propter majus scandalum evitandum; & ubicunque & quomodocunque posset dari pax & unio Ecclesiæ, fiendum esset per Concilium, & semper per maxima procedendum, & post usque ad quinque vel sex annos fieret aliud generale Concilium, ubi de omnibus plenior reformatio, favente Domino, fieri posset.

In casu verò, quo nullus istorum vellet in dicto
A Concilio cedere, vel unus vellet, sed alter non, quid fiet?

Reverà in casu isto, nec volenti est favendum, ut Papa maneat; nisi in hoc Ecclesia Universalis concordaret, & ab aliis duobus tota recederet; nec nolenti est parendum: sed per Concilium & Ecclesiam Universalem ab eis tribus est recedendum, sicut à destruentibus unitatem Ecclesiæ. Sicut enim prædixi, nullum jus credo habere aliquem mortalem viventem in Papatu, qui datus est à Christo Universali Ecclesiæ in salutem multorum, ubi Ecclesia propter jura eorum præsumpta divisiones patitur & schismata. Imò dixi, pro remedio Ecclesiæ, ne fiant schismata, quòd quandocunque sunt duo vel tres de Papatu contendentes, vel duo aut tres pro Papa se gerentes, cujus aut quorum veritas non est Universali Ecclesiæ manifesta aut approbata, nulli eorum sit obediendum aliqualiter; sed à quolibet sit recedendum totaliter.

Patet: quia, si etiam unicus esset universalis &
B indubitatus Papa, tenetur per quamcunque viam pacem dare Ecclesiæ, etiam per viam cessionis, ut supra tactum est. Ergo ubi sunt tres se pro Papa gerentes, tenentur renunciare prætensis juribus suis; quòd, sicut una Ecclesia Christi sponsa est nobis monstrata & cognita; ita debet esse unus Episcopus ejus nobis revelatus & cognitus. Quomodò igitur nobis erit certus & cognitus Christi Vicarius, ubi duo aut tres certant de Vicariatu Christi sanctissimo, tanquam si litigarent de patrimonio proprio, contra Evangelium, ubi dicitur: quòd facta contentione inter Apostolos, quis eorum major esset, dixerit Christus: *Reges gentium dominantur eorum* & possunt litigare pro Dominiis, *vos autem non sic,* quod Regnum vestrum non est de hoc mundo, *sed qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Luc. XXII. 25.

Secundò constat, quòd Christus non majorem potestatem dederit Petro, quàm ipsemet exercuit in terris. Ergo solam illam habet Papa in administratione.
C Quomodo ergo pro illo, quod non est suum, audebit litigare?

Nec credendum est, quòd si sanctus Paulus dixisset Petro, tu non es Papa seu Romanus Episcopus, sed Antiochenus Antistes, sed ego sum Episcopus Romanus, quòd cum eo, vel alio fortè dicente similia, super Papatu contendere voluisset. Imò dixisset: proficiat tibi, procede; & regna in Dei nomine, ut affectas.

Ergo fideles attendite, quòd obediendo talibus litigantibus, & Ecclesiam dividentibus favendo, videmur gravissimè & mortaliter peccare (dividentibus inquam corpus Christi in malitiis suis & peccatis. Quia credo jam à multis temporibus cessasse ab istis suis tyrannicis Dominiis, nisi eos vestris obedientiis fovissetis.

Sed si isti duo voluntariè aut tres nolunt cedere, restat ad remedia fortiora procedere. Scilicet, eos abjiciendo & à communitate Ecclesiæ segregando; ac, ut prædixi, obedientias eis subtrahendo.
D Quod si nec isto modo poterit Ecclesia proficere, tunc dolis, fraudibus, armis, violentia, potentia, promissionibus, donis & pecuniis, tandem carceribus, mortibus convenit sanctissimam unionem Ecclesiæ & conjunctionem quomodolibet procurare. Juxta dictum Tullii de Officiis: *Hoc spectant Leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem: Quam qui dirimunt, mortibus, exilio, vinculis & damnis coërceant secundùm Leges.* Et hæc de primo.

Digitized by Google

DE MEMBRIS
Ecclesiæ Universalis readuniendis.

SED parum prodesset caput unum habere, nisi & membra corpori viderentur subesse: faciliter enim Ecclesia unum inveniet, qui Dominium Papatûs assumet; sed difficulter membra corporis Christi, A tanto tempore divisa, ad obedientiam capitis reducet.

Postulationi igitur tuæ rationabili condescendens, prænoto divisionem Tullii, 1. *Libro de Republica:* quòd Papatus sit *cœtus multitudinis, juris consensu & utilitatis communione sociatus.* Et si talis est Papatus, in quacunque Republica temporali, multò magis in Republica debet esse spirituali, scilicet in ipsa Ecclesia universali: etenim in uno spiritu nos omnes in unum corpus baptizati sumus, *singuli autem alter alterius membra*, ait Paulus. *Rom.* LXII. 5. Hæc membra tamen in sacro mystico corpore diversimodè, superiùs & inferiùs sunt posita; quæ omnia sunt ad unitatem Ecclesiæ reducenda dupliciter: vel obediendo, vel subtrahendo. Obediendo, inquam, uni vero Christi Universali & indubitato Vicario; subtrahendo etiam pari consensu & unanimi voluntate generaliter obedientiam à duobus vel tribus de Papatu contendentibus, & totam Ecclesiam scandalizantibus; ad quam substractionem tenentur uniformiter omnes Christiani, sub pœna peccati mortalis, ut prædixi: nam dato, quòd Ecclesia Universalis, cujus Christus caput est, nullum Papam haberet; adhuc fidelis decedens in charitate, salvus fieret: quia duobus vel pluribus de Papatu contendentibus, quorum veritas singularis non est nota Universali Ecclesiæ; istum vel illum pro Papa tenere, nec est Articulus Fidei, nec dependens ex eo, nec ad id credendum obligatur aliquis fidelis Christianus. Quod patet; quia ipse talis non est cum una Sancta Ecclesia Catholica; sed potiùs cum divisa Ecclesia Apostolica.

Et ideò Apostoli Symbolum componentes non dixerunt: *Credo sanctum Papam, vel Christi Vicarium*; quia Fides universalis Christi non est in Papa, nam singularis persona est, & deficere potest. Sed dixerunt: *Credo unam Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Ut definirent quid sit Ecclesia; propter multos qui dicunt & dixerunt, quòd mali, quantumcunque etiam sint in Ecclesia Apostolica, non tamen sint in Ecclesia Catholica, quæ est Sanctorum Communio. Quia certum est, quod existens in mortali peccato nec sit in Ecclesia nec de Ecclesia, quæ est fundata in charitate.

Quomodò ergo erunt Papæ in Ecclesia, qui litigant propter privata commoda pro Papatu, & sunt in mortali peccato? Talibus ergo litigantibus & corpus Christi dividentibus, expedit obedientiam denegare: salvatur enim fidelis Christianus in unitate sancta Ecclesiæ Catholicæ, licet non teneat unitatem Ecclesiæ Apostolicæ, super qua & de qua litigant de Papatu contendentes.

DE JURE
Universale Concilium convocandi.

ET quia hanc Ecclesiam Universalem repræsentat generale Concilium, ideò de unione ejusdem Concilii dicam quæ sentio.

Aliàs etiam dixi, quòd ubi agitur de redintegratione Universalis Ecclesiæ & causa Papæ agitur, scilicet vel ut renuntiet Papatui, vel quòd deponi debeat propter suum malum vivere, & propter scandalum Ecclesiæ; nullatenùs ad eum, etiamsi esset unicus, universalis & indubitatus, pertineat generale Concilium convocare: nec ad eum pertinet, ibidem tanquam Judicem præsidere, aut aliqua concernentia statum Ecclesiæ definire.

Sed hoc principaliter pertinet ad Episcopos, Cardinales, Patriarchas, Principes seculares, Communitates & reliquos fideles: quia non, de æquitate, aliquis infamis potest & debet esse Judex, potissimè in causa propria, ubi propter utilitatem Reipublicæ tenditur ad cessionem & privationem utilitatis & honorum personæ privatæ.

Juxta igitur antiquorum exempla convocabunt se Episcopi, Principes seculares, Communitates, & Domini ac Viri Ecclesiastici in aliquo loco idoneo & securo, & necessariis ad vitam abundantem, ad quem istos de Papatu contendentes convocabunt.

Quòd si verus Papa, secundùm Jus, scilicet dictus Dominus Joannes, convocet Concilium, & voluerit in eo præesse: quis erit ausus ejus voluntati resistere? Quis audebit Ecclesiam promovere? Cùm jam Romani Pontifices per reservationes suas speciales & generales Ecclesiam Universalem spoliaverint, Monasteria destruxerint, mille modos dandi Beneficia & acquirendi pecunias adinvenerint; propter quæ lucra vix aliquem invenies, qui unquam vellet Papatui cedere, & Ecclesiæ Universali pacem dare.

Sed jam de futuro Concilio ponatur, quòd Papa B dissimulet hanc convocationem facere: dico, quòd sub pœna peccati mortalis Prælati mundi cum Principibus eorum, quam citò poterunt, debent ipsum convocare & assignare, & dictum Papam & contendentes secum super Papatu citare; qui si parere noluerint, eos abjicere & privare.

Sed quid, si Papa Concilium convocet; sed in loco non tuto? Dico, quòd Christi fideles ad ipsum non teneantur venire, nec Papæ in isto casu obedire, quòd talis locus non tutus esset; in detrimentum totius Ecclesiæ, quæ major est Papâ, & cui Ecclesiæ magis est obediendum.

Sed quid, si locus est tutus, habet tamen Papa ibi plenum Dominium, ubi quilibet loqui pro Universali Ecclesia pertimescet, timore qui potest cadere in constantem? Dico, quia Christi fideles non sunt servi sub Lege; sed liberi sub gratia constituti, ideò ad talem locum venire non tenentur, nec ibidem causas Universalis Ecclesiæ definire, propter suspicionem, quâ præsumitur veritatem non habere locum in eodem loco, nec posse Ecclesiam Uniuersalem cum decremento potestatis Papæ promoveri.

C Ut ergo tollatur omnis difficultas facti, ideo dixi & dico, quod, ubi agitur de Papæ depositione, de ipsius reprehensione, de suæ potestatis limitatione; nullatenùs ad eum pertineat generale Concilium convocare; sed ad Prælatos, Cardinales & Episcopos & Dominos temporales, de quorum numero eligentur aliqui, qui prodesse possint & debeant in Concilio generali. Ubi verò agitur de alicujus Regni aut Provinciæ reformatione, de hæresium extirpatione, de Fidei defensione; tunc ad Papam cum suis Cardinalibus pertinet Concilium convocare. (Et sic intelligitur *Dist.* XVII. & similia.)

DE AUTORITATE
CONCILII UNIVERSALIS
supra Papam.

D SED numquid tale Concilium, ubi Papa non præsidet, est supra Papam? Certè sic. Superius in autoritate, superius in dignitate, superius in officio: tali enim Concilio ipse Papa in omnibus tenetur obedire; tale Concilium potest potestatem Papæ limitare, quia tali Concilio, cum representet Ecclesiam Universalem, claves ligandi & solvendi sunt concessæ: tale Concilium Jura Papalia potest tollere: à tali Concilio nullus potest appellare: tale Concilium potest Papam eligere, privare & deponere: tale Concilium potest Jura nova condere, & facta ac antiqua destruere. Talis etiam Concilii Constitutiones, Statuta & Regulæ sunt

Digitized by Google

sunt immutabiles & indispensabiles, per quamcunque personam inferiorem Concilio. Nec potest nec potuit aliquandò Papa dispensare contra Canones sanctos in Conciliis generalibus, nisi Concilium specialiter hoc illi commiserit ex magna causa. Nec facta Concilii potest Papa immutare, imò nec interpretari, aut contra ea dispensare; cum sint sicut Evangelia Christi, quæ nullam recipiunt dispensationem & super quæ Papa nullam habet Jurisdictionem: sic ergo membrorum erit unitas spiritus in vinculo pacis; sic alter alterius onera portabimus, sic spiritu vivemus, spiritu ambulabimus.

DE
REFORMATIONE MORUM
in Ecclesia per Concilium Universale.

ULTRA autem quæritur. Quid proficeret Ecclesiæ Universali, si unum caput, seu unum Papam haberet, cui capiti omnes fideles utriusque sexus obedirent, ita ut jam esset unum ovile, unus pastor; & tamen ille pastor cum suo ovili avaritiæ intenderet, commessationi vacaret, simoniam diligeret, Beneficia venderet, furta reservatione faceret, omni die novas Leges ac Regulas pro habenda pecunia in Camera conderet; ut non videatur Ecclesia fidelium, sed etiam malignantium, prætereundo antiquos terminos, Leges & Canones, quos statuerunt Patres nostri Sancti & antiqui, & Martyres, qui tot Ecclesias ædificarunt, tot bona pro Ecclesia acquisiverunt, tot animas ad Fidem Christi reduxerunt: & notanter contra Imperiales Leges & Constitutiones, ut supra tetigi, per ora Principum divinitùs promulgatas, talia reprobantes: oportet ergo, quod unione virtuosa gaudeat Ecclesia.

Pater mi, quàm cordialiter considero zelum Legis Dei vos habere, & affectuosè velle videre Universalem Ecclesiam, scilicet in omni veritate, in omni justitia, Fide, pietate, & in timore & amore Domini! Et non sine causa ista videre in Ecclesia affectatis; cum sine virtutibus Respublica aliqua unquam non potuerit subsistere: „ Avaritia enim, secundùm „ Salustium, fidem, probitatem, ceterasque bonas artes „ in illa Romana communitate subvertit, & pri„ mò pecuniæ, deinde imperii cupido crevit, eaque „ materies omnium malorum fuere, pro his Deos ne„ gligere, & omnia venalia habere edocuit, mul„ tos mortales falsos fieri subegit &c. „ *Quid ergo prodest, habere Rempublicam stantibus mœnibus & ruentibus moribus?* dicebat Scipio Africanus.

Ergo quid prodest, in Ecclesia habere Papam simoniacum & avarum, & quo causante venerabilia Dei Templa pecuniis expugnentur, & esse sine virtutibus, & non reformare Ecclesiam in bonis moribus? Reverà ad nihilùm valet. Et ideo dixi, quod Papa est deponendus, propter malum vivere, propter publicum scandalum, propter hæresin, propter quodcunque mortale peccatum, quo scandalizatur universalis Ecclesia, sicut est fornicatio publica, sicut est simonia, sive sit quia prohibita, sive è congruo, sive per quamcunque aliam causam notoriam, Ecclesiæ scandalosam. Quia ejus vita bona vel mala, exemplar est omnibus aliis Prælatis & Clericis. Restat ergo, ut primò reformetur Ecclesia in Papa: secundariò in Cardinalibus; tertiò in Prælatis aliis Ecclesiasticis.

Concilium ergo generale, repræsentans Universalem Ecclesiam, si affectat unionem integram videre, si affectat schismata reprimere, si vult schismatibus finem statuere, si vult Ecclesiam exaltare; primò ante omnia ad instar sanctorum Patrum, qui nos præcesserunt, limitet ac terminet potestatem coactivam & usurpatam Papalem. Et ut sic fieret, fuit omnino inclinatus dictus Dominus Alexander V. ante ejus Papatum, dum ageretur, ut dictum Concilium celebraretur in Pisis. Qui etiam hoc dicebat, & etiam super limitatione subsequenda multis argumentis Theologicis, Philosophicis, Juridicis insudabat. Qui creatus in Papam, in lucem educere non curabat.

Quam quidem coactivam potestatem multi Summi Pontifices per successiones temporum & contra Deum & justitiam sibi applicarunt, privando inferiores Episcopos potestatibus & autoritatibus eis à Deo & Ecclesia concessis; qui in primitiva Ecclesia æqualis potestatis cum Papa erant, quando non fuerunt Papales Beneficiorum reservationes, non casuum Episcopalium inhibitiones, non Indulgentiarum venditiones, non Cardinalium Commendæ, & distinctiones Beneficiorum, Prioratuum & Monasteriorum. Tandem per tempora successivè, crescente Clericorum avaritia & Papæ simonia, cupiditate & ambitione, potestas & autoritas Episcoporum & Prælatorum inferiorum, quasi videtur exhausta & totaliter diruta: ita ut jam in Ecclesia non videantur esse nisi simulacra depicta, & quasi frustra; jam enim Papa Romanus reservavit omnia Beneficia Ecclesiastica, jam advocavit omnes causas ad Curiam suam, jam voluit Pœnitentiariam haberi ibidem, jam legitimationes Clericorum; jam Ordinationes sacras quorumcunque sine differentia vult fieri in ejus Curia; & illi qui in terra propria non possunt ordinari, in eadem Curia ordinantur de facili.

Jam Monasteria Ordinum quorumcunque, in quibus Monachi vivebant in Religione & multitudine, dantur in Commendas dictis Cardinalibus, qui vix habent in quolibet decimam partem Monachorum ibidem olim existentium, aut paucos vel nullos omninò: unde videbis aliquos nepotes aut consanguineos laïcos Cardinalium, in ipsa Romana Curia otiosè vacare, & nisi luxuriis & delitiis inhærere, atque tot vestes pompatas & pretiosas habere quæ alicui magno Principi meritò sufficere possent: & pauperes Religiosi, de quorum fructibus talis pompa fit in ipsa Curia grandi semper rerum penuria laborant, nec aluntur pauperes de Patrimonio Jesu Christi quod tam inutiliter per alios dissipatur.

Ideò sacrum Universale Concilium reducat & reformet Ecclesiam Universalem, in Jure antiquo, & abusivam Papalem in Decreto & Decretalibus, Sexto & Clementinis, nec non Extravagantibus Papalibus prætensam limitet potestatem: Christus enim nullam aliam potestatem Petro tribuit, quam ligandi & solvendi, ligandi per pœnitentias, & solvendi culpas; non eam illi contulit, ut beneficia tribueret, ut Regna, Castra & Civitates haberet, ut Imperatores & Reges privaret. Quòd si taliter potestatem Christus Petro contulisset, utique ipse Petrus aut Paulus, quod nefas est dicere, valdè peccassent, aut errassent in eo quòd Neronem Imperatorem, quem sciverunt esse pessimum & Christianorum immanissimum persecutorem, Imperio non privarint.

Enim verò Saül à Domino in Regem eligitur, & à Samuële inungitur. Per hoc autem Regnum Saülis à Propheta non dependet; quia si à Propheta vel Sacerdote Regnum dependeret, Lex Regis ab ipso Propheta non à Domino prodiisset. Unde ab ipso Domino dicitur ad Prophetam: *Contestare eis, & dic eis Jus Regis, qui regnaturus est super eos.* 1. Reg. VIII. 9. Ex quo infertur, quòd Imperialis potestas non pendeat à Papa, licet ut dignior & major Antistes Papa Imperatorem inungat, prout decet.

Et quis unquam legit, vel in veritate audivit, quòd antiquis temporibus Romanorum Reges vel Imperatores consueverint ante Papam juramentum præstare, potissimè, antequam primus Otto Magni Augusti semper alter, juramentum reperitur in Decretis præstitisse? Quòd indultum à quoquam Papæ fuerit, ut reservationes Cathedralium & aliarum Ecclesiarum ac Monasteriorum faceret? Ut propter pecunias, homines, Episcopos & Prælatos excommuni-

cai

caret, atque ab eorum dignitatibus destitueret, seu privaret, ac omni die Festivo in valvis Curiæ? Ut primos fructus in Camera soleret aggregare, & excommnnicatos emaciaret ac eos scandalizaret?

Omnia hæc & similia terminet & limitet Universalis Ecclesia in generali Concilio, & reformet communi jure & antiquo. Et non priventur Episcopi & Prælati autoritatibus & Privilegiis sibi à Deo & Conciliis generalibus concessis.

Reformetur etiam Ecclesia quoad Cardinales, qui tot Commendas habent sine causa, destruentes tot Ecclesias & Monasteria: quibus deberet inhiberi, ne unquam Monasteriorum aut Parochialium Ecclesiarum curam haberent.

Numquid melius esset, in reditus terrarum Ecclesiæ dividerentur æqualiter inter Papam & Collegium Cardinalium, & cessarent Commendæ & collationes infinitorum Ecclesiasticorum Titulorum, quæ continuè per Papam fiunt dictis Cardinalibus, quæ sunt ignominia & confusio totius Ecclesiæ.

Reformetur etiam Ecclesia in Prælatis, in Monachis & Presbyteris.

In Prælatis, ut electi ad Ecclesias vitæ honestate, literarum sufficientia, & perfecta ætate excellentes, per Ordinarios & Archi-Episcopos confirmentur: In Monachis, ut vivant in observantia regulari: In Presbyteris, ut non præficiantur Ecclesiis, nisi virtutibus clari, & literarum sufficientia fuerint imbuti, docti & instructi. Et ut omnia secundùm ordinem & honestè fiant in eis, prout antiqui, cum magna editi maturitate Canones sacri dictant.

Rescindantur etiam abusivæ libertates, & exemptiones concessæ illis quatuor Ordinibus Fratrum Mendicantium, quibus nimium abutuntur. Quia cessante causa cessat effectus: & liberentur ab ipsis omninò omnia Monasteria Monialium; quia ipsi Fratres seu multi ex eis, in plerisque Provinciis valdè deturpant ipsas Moniales eis subjectas. Unde scandalizantur ipsi Ordines, & parentes atque propinqui dictarum Monialium. Et alia multa ex hoc peccata & turpia subsequuntur. Subjicientur dictæ Moniales regiminibus Diœcesanis locorum, qui etiam eas poterunt in ipsarum Juribus meliùs conservare.

Nimis etiam multiplicantur hi Fratres. Et quid opus est, ut in aliqua domo eorum Fratrum, scilicet Coloniæ, vel in alia agregia civitate, continuè resideant LXX eorum, aut plures: inter quos forsan non sunt quinque vel sex sufficientes ad proponendum verbum Dei populo: & tot pro una tota Provincia sufficere possent.

Sic igitur istis tribus modis fiet unum ovile & unus pastor, sic erit pax perpetua in Ecclesia. Sic dicebat ille Philosophus antiquus? *Ego regnum vobis trado firmum &c.* Sic erit nobiscum Christus usque ad consummationem seculi, ut suis promisit electis.

Præterea sicut Tulliana vox ait: *Charitates omnium patria una complexa est, pro qua quis bonus non dubitat etiam mortem oppetere, si ei sit profuturus?*

DE MAGNA DIFFICULTATE

Concilii illius Generalis convocandi per Cardinales.

QUo uno præsupposito, mi Pater, quid tàm profundè quæ Dei & sursum sunt quæritis, in facto Ecclesiæ unionis? Conclusivè videmini inducere, hoc futurum Concilium fieri non posse, primò de facto, secundò de via Juris.

Nam primò, præsupposito quòd ad Cardinales cum Prælatis ceteris pertineat Concilium convocare: sequitur pro eo, quòd cum Cardinales sint de facto potentes in Dei Ecclesia & divites, primum post Papam locum habentes autoritates & potestates, quas antea non habuerunt, nec legimus eis datas, usurpantes, etiam de facto dicent & scribent: Ad quid convocare Concilium volumus? Nonne ad Papam unicum faciendum? Certe Papam habemus, verum, benevolum, nobis propitium, & in Beneficiis & Commendis Ecclesiarum & Monasteriorum nobis dandis satis largifluum, amicum nobis & consocium, & in petendis pro nobis & amicis nostris atque aliis satis promptum: ipse enim, tanquam expertus talia in priori statu, novit figmenta nostra, & scit nostris desideriis complacere. Si ergo convocemus Concilium, timemus hujus nostri boni Papæ depositionem, & nostræ potestatis restrictionem, & per consequens alterius Papæ electionem; qui fortè nobis non tam bonum præbebit favorem: seu diù versaretur nobis eum, antequam ita benè nos cognosceret, nobisque applauderet sicut iste. Non ergo volumus dimittere certum pro incerto, & nostra commoda præcipitare: quia prudens rerum exitus metitur.

Item viâ Juris, sicut videmini arguere. Cum ergo vos dicitis, hoc Concilium convocandum ad Cardinales cum Prælatis ceteris pertinere, ponatur, quod in convocatione videantur discordare: aut ergo ad Cardinales principaliter, aut ad Prælatos convocatio pertinebit. Item si hujusmodi convocatio fiat per unam de tribus Obedientiis, & non per aliam, ponatur, à fortiori, quod fiat per Obedientiam nostram, quæ majorem habet adhæsionem: quæritur ad qualem finem fiet hujusmodi convocatio? Non ad Papam unicum & indubitatum fiendum; quia jam habemus unicum Papam, secundùm determinationem Concilii Pisani. Non ad illos duos deponendum, scilicet Angelum & Petrum: quod jam ut hæretici manifesti sunt in Concilio Pisano depositi. Non ad conscientias servandum fidelium: quia, quamdiu illi duo habebunt adhæsiones, tandiu erunt conscientiarum perplexitates. Non ad adhæsiones & obedientias illorum duorum reducendum: quia hoc est nobis dubium satis notorium.

DE GRANDIS REFORMATIONIS,

difficultate

CUm ergo finis intentus hujus unionis sit satis dubius, sequitur, quòd media sint dubia, & incerta; ergo dimittenda: maximè cum non speretur de Reformatione Ecclesiæ, in moribus & sacris regulis, juxta primitivæ Ecclesiæ instituta; crescente nunc, temporibus istis, ut cernimus, potissimè in Prælatis, Papa & Cardinalibus, tanta vanitate, ambitione & avaritia. Ergo videtur, quòd convocatio futuri Concilii non sit necessaria.

Item talis convocatio erit inutilis & infructuosa; quia ei non obediretur per illos de aliis Obedientiis, qui dicunt, nos esse schismaticos & dividentes Corpus Christi, quod est Ecclesia. Non ergo per hujusmodi convocationem sedabitur schisma in Ecclesia Apostolica; nisi velis dicere, quòd saltem quoad nostram Obedientiam fiet reformatio in moribus, in Religione, in Officiis Ecclesiæ, in gratuita majorum Prælatorum promotione, & inferiorum dignitatum & beneficiorum collatione, in simoniæ extirpatione, in devota Officii divinii celebratione, in verbi Dei prædicatione, in pauperum audientia & exauditione, nec non eleemosynarum pia largitione, & in Consistoriorum publicorum justitia & æquitate, in Curia excedentium correctione, & inutilium atque rudium exclusione, ac bonorum & literatorum surrogatione, in virorum literatorum & virtuosorum generali honoratione & promotione, in bonarum regularum Cancellariæ Apostolicæ institutione, & exorbitantium à jure seu æquitate abrogatione, in omnium causarum Romanæ Curiæ, & maximè pauperum favorabili expeditione, & multorum aliorum notabilium defectuum eorundem Curiæ & Curialium reformatione, utilium Re-

Regularum ac Constitutionum Papalium resumptione & vetustarum ceremoniarum dictæ Curiæ renovatione.

Sed timeo, dato quod ista reformatio fiat in scriptis, etiam certis juramentis & firmamentis ac pactis adjectis, quòd post per Papam & Cardinales ac ceteros ipsius Curiæ Officiales & Prælatos non observentur, dicente Francisco Petrarcha in Libro sine nomine: *Crescentibus flagitiis hominum, crevit veri odium, & Regnum blanditiis atque mendacio datum est.* Et quia difficile est, consueta relinquere. A

OBSTACULA CONCILII GENERALIS PER PAPAM JOANNEM XXIII. *convocandi.*

ITem dato, quòd ad solum Papam nunc pertineat convocare generale Concilium. Poteritne ipse Papa dicere: ad quid est necessaria ista convocatio? Non ad hoc, ut Fidei Universalis fiat redintegratio, quæ semper una fuit, sicut dixistis. Non ad hoc, B ut negantium Articulos Fidei fiat exstirpatio: quia omnes nunc de tribus Obedientiis dicunt se firmiter tenere ac credere Catholicæ Fidei Articulos, & omni die, corde ac animo dicere & credere Symbolum Fidei, scilicet: *Credo in Deum* &c. Etiam non ad hoc, ut de meo Papatu fiat cessio: quòd ad hoc non teneor nec obligor, nec juravi nec promisi cedere, nec intendi cedere, cum sim verus ac unicus Christi Vicarius & Ecclesiæ sponsus; nec ad hoc, ut meæ potestatis fiat restrictio & limitatio: quia tunc, cum Concilium sic videretur contra mea jura facere, nolo illud meæ destructionis causam esse, maximè in Juribus antiquis & consuetudinibus, quæ semper mei prædecessores visi sunt habere. Item non habeo, superiorem in terra, qui mihi possit dicere, *Cur hoc facis?* aut me de excessu aliquo condemnare. Et ita nolo Concilium convocare ad meum damnum, aut meæ potestatis vel honoris decrementum; nec talis con- C vocatio videtur necessaria esse. Concilium Pisanum aut fuit sanctum, justum & verum Concilium secundùm Patrum sanctiones, aut non. Si non: ergo superfluum: ergo quidquid in eo est factum, videtur juribus carere, & per consequens nec Alexander fuit Papa, nec illi duo contendentes sunt privati, nec ideò erat ab eorum Obedientia recedendum. Sed si fuit verum Concilium, sanctum & justum: ergo omnia in eo actitata, fuerunt & sunt justa & sancta, & per consequens cum illi duo de Papatu contendentes ut hæretici fuerint condemnati, abjecti & privati; videtur quòd ampliùs de ipsorum jure non sit disputandum, nec de eis mentio facienda; sed solùm eorum privatio ulteriori executioni demandanda.

Si ergo hæc executio potest habere effectum in futuro Concilio, summè necessaria est Concilii ejusdem convocatio. Sed qualiter habebit effectum, tot visis impedimentis diversarum adhæsionum, diversarum D voluntatum, variarum credulitatum? Quomodò compellentur, quomodò reducentur tot potentes Reges & Principes seculi, atque Ecclesiastici Prelati, adhuc eisdem Angelo & Petro hæreticis & schismaticis obedientes? Timetur ergo, quòd hæc executio privationis illorum duorum contendentium de Papatu difficulter aut nunquam poterit isto modo, scilicet per Concilium, pervenire ad effectum. Ergo convocatio Concilii erit inutilis, infructuosa, onerosa & in nullo necessaria, si fieret per Papam & ejus Cardinales & Prelatos obedientes eis duntaxat.

DE SUMMA ROMANORUM IMPERATORIS AUTORITATE CONCILIUM UNIVERSALE *convocandi, cunctaque optimè componendi.*

SED quia res de facili redit ad suam naturam, dici potest, quousque non erit aliquis justus, strenuus & Catholicus Imperator, vel Rex Romanorum, qui per potentiam coactivam, unà cum favorabili assistentia & concordi voluntate Regum & Principum, ac etiam Ecclesiasticorum Prælatorum, nec non communis populi Christiani, remedium, quoad executionem realem, contra eosdem Angelum & Petrum, nec non eis adhærentes faciendam, efficaciter apponat; (ut ubi quæstionem præhabitam vestra prudentia subtiliter movit;) verisimiliter schismata ipsa, nedum perdurabunt; sed & timendum est, quod vires assumant. Igitur summo opere providendum est Imperio de tali Principe, qui in ea parte causam Dei & Fidei realiter prosequatur.

Veteres quippe tradunt Historiæ, quòd omnia schismata, olim in Romana Curia orta, per Imperatores & Reges Romanos, & eis volentibus atque executionem paratam exhibentibus, fuisse decisa: multa etiam generalia Concilia, super illis & aliis arduis negotiis Universalis Ecclesiæ in diversis partibus & distinctis temporibus habita sive facta, ipsorum Imperatorum seu Regum autoritate, etiam quandoque interessentibus personaliter eisdem Imperatoribus & Regibus, convocata. Videtur autem quod si Papa, de cujus facto agitur sit sceleratus & incorrigibilis, quòd Rex Romanorum, vel Imperator Romanus, tanquam præcipuus Princeps & Advocatus Ecclesiæ, super hoc habeat remedium per convocationem Concilii generalis apponere: sicut factum fuit autoritate ejusdem Ottonis I. Augusti de Joanne Papa XII. qui fuit unicus in Papatu, sed malignus atque incorrigibilis, & propterea in Conventu Prælatorum & Cleri Romani convocatorum per eundem Augustum, Romæ fuit depositus, & ei Leo Papa VIII. hujus nominis, vir utilis & vitæ irreprehensibilis, subrogatus. Quo defuncto, rursùs idem Augustus, cum postea schisma ortum esset in eadem Romana Ecclesia, ipse imperialiter de Germania processit ad Italiam, & deinde Romam progrediens, duos tunc de Papatu invicem contendentes, (quorum alter Benedictus vocabatur; & unus Capitolium, & alter eorum Castrum S. Angeli, quod tunc Cancer Theodorici dicebatur, cum assistentia suorum amicorum occuparant; quamobrem in Clero & populo flagitia perpetrata fuerunt,) in eisdem Capitolio & Castro diù obsedit, & tandem ad cessionem ipsorum utrumque coëgit, atque iterum, convocato Concilio Prælatorum in eadem Urbe, in quo ipso Benedicto declarato invasore injusto, alio contendente per eundem Augustum in Sede Apostolica collocato, dictus Augustus prædictum Benedictum secum captivum duxit ad Saxoniam, ubi in exilio decedens in Oppido Hamburg Bremensis Diœceseos sepelitur. Et alia multa in talibus sunt exempla gratiâ brevitatis omissa.

Nec est credendum, quod ille Catholicus, magnificus & devotus Princeps, qui semper ampliavit Rempublicam, nec non in Italia & Germania atque diversis aliis partibus multas dotavit Ecclesias, etiam quamplura Monasteria de novo fundavit; se de talibus impedivisset, nisi sanctè & licitè sic facere potuisset. Igitur cur simile non posset fieri per alium Imperatorem, seu

Digitized by Google

seu Regem Romanum, si tamen ei adesset sufficiens potestas in executione, mihi non occurrit.

Verùm aliqui, non rectè intelligentes Scripturas, fortè dicerent, quòd utraque potestas, scilicet spiritualis & secularis dependeat à Papa, sic quod Rex vel Imperator ipse non haberet contra Papam talia exercere, juxta illud Evangelicum: *Ecce duo gladii*, A & respondit Dominus: *Satis est*, Luc XXII. 38. Per hoc enim gloriantur de illis duobus gladiis, quòd per hoc in Petrum & ejus successores potestas venerit à Christo. Sed errant talia dicentes. Quia utraque potestas immediatè pendet à Christo. Ut etiam patet in plerisque Papalibus Canonibus, Epistolis & Decretis.

Unde ridiculum est, contra veritatem hoc asserere vel tenere, ut etiam clarum est per multorum dicta Sanctorum. Unde Chrysostomus: *Equidem, si humano volebat eos uti præsidio, nec centum sufficerent gladii: quod si nolebat eos uti homano subsidio, etiam duo supervacui sunt.* Unde apparet verborum Christi sensum fuisse mysticum, quod etiam signat manifestè ipsius sermo Matth. XXIV. 52. ubi Christus inquit Petro: *Converte gladium tuum in locum suum*, vel in vaginam. In quo designavit, se non præcepisse munitionem fieri per Apostolos hujusmodi gladiorum, sed mysticè fuisse locutum, ut prefertur. Unde B. Ambrosius exponit verba prædicta: *Sic duo gladii permittuntur, unus novi alter veteris Testamenti, quibus adversùs diaboli mu-* B *nimur insidias. Et dicitur: Satis est; quia nihil deest ei, quem utriusque Testamenti doctrina munierit.*

Unde quidam alter modernus magnus Theologus loquens super eisdem verbis, ea sic exponit: „ Verùm, quod ad usurpandos Principatus Sacerdotes anhelent. Unde toto exteriori conamine, licet indebitè, fingunt peregrinas expositiones Scripturæ. Quæ ipsorum opinionem corruptam, & affectionem perversam sapere videantur, libenter recipiunt. Quod si tamen literaliter verba Christi sumantur, eis nihil conferunt: quia juxta Christi sententiam, ipse Principatum sive officium secularis Judicii Petro aut alteri Apostolo non commisit. Sed benè Princeps ad consilium Sacerdotum, secundùm exigentiam facti emergentis, uti debet gladio in movendo bellum, dubitans utrum justè secundùm Legem divinam hoc fiat, ne mortaliter peccet, sicut in reliquis suis actibus Monasticis & Civilibus, & præsertim quibus dubitat per ignorantiam peccatum mortale incurrere. Non qui- C dem, quod propterea Papæ, vel alteri Sacerdoti in tali officio subjiciatur. „

Ex supradictis luce clarius patet, quòd si generale Concilium per Dominum nostrum Papam, aut Cardinales convocetur, aut teneatur, seclusis Domino Rege Romano & ceteris Principibus secularibus, nullum finem peroptatum unionis adducet, nec ad morum Sanctorum reformationem Ecclesiam disponet. Quibus benè digestis & attentis, solùm mihi videtur singulare refugium ac unionis remedium, quòd Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, absque aliqua personarum acceptione futurum Concilium debeat convocare, & ibidem defensor Ecclesiæ præsidere, & modos ac vias invenire, quibus sacrum ovile Domini valeat redintegrari. Ut etiam factum fuit tempore sancti Henrici II. & aliorum multorum Imperatorum, qui in disturbio Ecclesiæ, non parcentes etiam, quanquam vero Papæ, propter publicam utilitatem, unionem Ecclesiæ procurarunt. Quæ quidem Reipublicæ utilitas omni utilitati privatæ videtur præponderare.

Et quia potissimè in Apostolica Ecclesia, non con- D venit habere nisi unum Papam, ut etiam multi volunt Canones Papales: ne principatus spiritualis pluralitate inordinata politiam in eisdem spiritualibus solvat: imò corrumpentes illam Monarchiam spiritualem, per Paparum pluralitatem in simul regnantium, sicut communiter omnes Episcopi, Presbyteri & Clerici, Templorum Ministri, communi nomine vocati, in committendo vel omittendo peccantes de facto in nocumentum & injuriam alterius, sunt suppositi vindictæ, seu Jurisdictioni Judicum secularium, quorum est coactiva potentia puniendi Legum humanarum transgressores, juxta Apostolum, ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima subjecta sit potestatibus supereminentibus*, Regibus videlicet, Principibus & Tribunis, secundùm Sanctorum expositiones; est enim Judex quasi Jus animatum: igitur secundùm humanas Leges oportet habere Judicem habentem autoritatem judicandi de contentiosis hominum actibus, exequendi judicata, & Legis transgressorem quemlibet per coactivam arcendi potentiam. Hic enim Judex Dei minister est, & vindex in terra, ejus qui malum agit, ut dixit Apostolus ubi supra. Est adeò missus ad hoc, ut dicitur 1. *Pet.* II. Et dixit Apostolus, *qui malum agit*: quicunque scilicet fuerit ille, indifferenter hoc intelligens de omnibus. Unde nec Papa ipsemet, Episcopus aut Sacerdos, vel Clericus Legis transgressor divinæ seu humanæ; aut agens in alterius injuriam, excipitur ab hac generali Sententia. Et debet Papa, seu alter Episcopus, Clericus vel Sacerdos tantò ampliùs, quantò graviùs & indecentiùs peccat, plecti seu puniri, ut jugum sciens & eligens, qui Præcepta fugiendorum atque agendorum ampliùs noscere debet. Quia turpius est peccatum debentis docere, quam doceri.

Quia duo sunt, quibus hic mundus regitur, scilicet Sacerdotium & Regnum. Sacerdos orat, Rex imperat: Sacerdos debita dimittit, Rex errata punit: Sacerdos animas ligat & solvit, Rex corpora cruciat & occidit. Uterque divinæ Legis executor, suum Justitiæ debitum cuique tribuit. „ Quippe divisum Imperium cum Sacerdote Cæsar habet. Cæsar terrena moderatur, & lutea figmenta judicat, hæc probans, illa conterens. Sanè filios hominum decent arma & sagittæ, Filios Dei Orationes, Vota, & sacrificia, ut carbones succendantur ab eis; dum vita pastorum doctrina pascualis est omnibus, & rigor punientis pax est populorum. „ Hoc Gervasius in suo Libro, quem intitulat *Otia Imperatorum.* Ex quibus elicitur, quòd Episcopus Urbis Romæ sit Pontifex animarum post Christum, & Imperator Romanus sit Dominus corporum post Deum. Quinimò per Deum ad subditos Jus Regis institutum est: Pilati nempe potestas in Christum data desursum esse perhibetur. Sic ergo, *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Rom. XIII. 2. Quia Christus mandat: *Quæ sunt Cæsaris, reddenda sunt Cæsari, & quæ Dei, Deo*, Matth. XXII. 21.

Videant igitur sibi Florentini, Januenses & Veneti, necnon alii tyrannici occupantes & concultantes Jura & honorem Imperii, qualiter de hoc in extremo judicio valeant respondere.

DE EPISCOPORUM JURE, POST IMPERATOREM, *Concilium Generale cogendi.*

Et si Cardinales bonum Papam, justum & sanctum, ac eis propitium, videantur allegare: tamen propter utilitates eorum privatas non debet tota Christianitas esse in errore.

Quocircà in facto redintegrationis Ecclesiæ non est standum eorum dispositioni aut gubernationi; sed Concilio generali, totam Ecclesiam repræsentanti.

Et si vestra Paternitas quærat, an ad eos in casu præsenti pertineat generalis Concilii convocatio simpliciter, an ad Ecclesiasticos Prælatos, scilicet Patriarchas, Archi-Episcopos & Episcopos singulariter: secu-

Digitized by Google

securè dicerem: ubi gladius Imperialis se non interponeret, ad Prælatos primò, & secundariò ad Cardinales promoventes negotium generalis Concilii; hujusmodi Concilii pertinet convocatio. Ubi autem discordia interveniret in Concilii generalis convocatione, ad Prælatos videtur primo loco pertinere, qui sunt Episcopi: ipsi enim sunt loco Apostolorum, qui sunt in Ecclesia Episcopi à fundamento primativæ Ecclesiæ; Cardinales autem erant Romæ Presbyteri, ordinati ad sepeliendum mortuos, & baptizandum noviter venientes ad Fidem, & eis Ecclesiastica Sacramenta ministrandum.

Cum ergo privilegium Episcoporum non expiraverit, videtur, quod ordinatio Ecclesiæ & dispositio ad eos primo loco pertineat: sicut, si Petrus in trina negatione permansisset, nec pœnituisset; nec ipse Princeps Apostolorum extitisset, nec cum aliis Spiritum sanctum accepisset, sed ceteri Apostoli Ecclesiam disposuissent & ordinassent, sicut fecerunt; quando miserunt Petrum & Joannem ad Samariam. Nec tunc Petrus ibi misit; sed missus est per alios Apostolos. Non tunc ipsi Apostoli erant Cardinales, sed similiter Coëpiscopi Petri. Ergo minorem locum secundùm Deum & instituta Ecclesiæ obtinent Cardinales, quam Episcopi: licet usurpativè oppositum pateat in eisdem.

DE JOANNE XXIII. IN CONCILIO GENERALI *Sede movendo.*

SED jam, dum quæritur: ad qualem finem hujusmodi generalis Concilii fiat convocatio? Respondetur, quod fieri debeat principaliter propter duo: Primò ut sit unio in capite, secundò ut fiat unio in moribus & sacris Statutis primitivæ Ecclesiæ, & Decretorum ac causarum Decretalium observatione.

Et si dicatur, quòd media sint dubia, ergo incerta, maximè, cum jam unicum Papam habeamus: Respondetur: etsi unicum Papam habeamus de jure, illi autem duo, scilicet Angelus & Petrus, sint privati de jure, non tamen sunt privati de facto. Aut ergo congregetur Ecclesia ad hoc, ut sancita & actitata in Concilio Pisano demandentur ulteriori & reali executioni, & illi duo privati de jure etiam priventur de facto: Aut ubi hoc remedium reperiri non poterit, quod est verosimile reperiri non posse, propter adstrictas Obedientias eis subditas, seu Potentes obedientes ipsis, qui ab eis deviare nolunt: tunc, si illi duo privati & abjecti petant generale Concilium, & promittant se ibidem personaliter velle comparere, & suo juri de facto, quod habent, liberè & purè renuntiare, in casu quo Dominus noster Papa Joannes etiam suo juri renuntiare velit, tunc in isto casu quid fiet dicam sine præjudicio: quòd ipse Dominus noster Papa, si aliàs non potest consuli Ecclesiæ, nec potest haberi aliàs unio in capite, non dico semel, sed pluries, non dico unum Papatum, sed plures, si essent possibiles, teneatur in casu isto libenter & voluntariè renuntiare, & Papatui suo cedere, ne Respublica & tota Ecclesia propter unum hominem peccatorem sine virtutibus & exemplis bonis, debeat perire: quia etsi virtuosus existeret, regulasque Christi imitaretur, qui non venit facere voluntatem suam; sed ejus qui misit eum, voluntati totius Ecclesiæ Christi sponsæ pareret, & Papatui cederet, ubi ipsa hoc peteret. Nam aliàs teneo & credo, quòd etiam unicus & indubitatus Papa & universalis, si aliàs non potest consuli Ecclesiæ, ad requisitionem generalis Concilii teneatur cedere, atque omnibus Mandatis & Præceptis Concilii generalis sine contradictione parere. Cum etiam Papa in hoc casu membrum sit & non caput Universalis Ecclesia; cujus salvationem quodlibet membrum, usque etiam ad sui interitum, debet exquirere.

Quod si hoc membrum, scilicet Papa Præcepto Concilii cujus Jussa & Præcepta à Spiritu Sancto fiunt, secundùm Fidem nostram, nollet fortè parere; si non audierit, primò secretè, secundò testibus adhibitis, tertiò publicè, *tunc sit* in Ecclesia *sicut ethnicus & publicanus*, juxta Christi Præceptum, & ut schismaticus & hæreticus puniendus: quia qui occasionem A damni dat, & damnum dedisse videtur, est quamcitò capiendus, & ab Ecclesia ut turpis ejus pars ejiciendus, aut carceribus in perpetuum includendus, aut morte exterminandus, juxta dictum Salvatoris: *Væ homini illi, per quem scandalum venit, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Sicut fuit factum tempore Clementis II. per Henricum II. Imperatorem.

Sed, si verus Papa in casu præsenti nollet renuntiare, & puniretur, ut dictum est: Numquid remanerent ideò illi duo jam privati & abjecti, vel alter eorum, Papa? Aut an quilibet eorum tenetur renuntiare juri & autoritati, quam habent de facto? Præ- B tereà, si dicant, se non tenere aliàs ad renuntiandum, nisi verus Papa renuntiaret, sed hoc verus Papa facere noluerit? Dico tunc, quod sacrum Concilium renuntiabit juri veri Papæ, & succedet in renuntiatione pro vero Papa, & pro eodem promittet & se obligabit. Sicut in istis Actibus legitimis solet Pater facere pro filio, quem etiam in necessitate magna secundùm Leges humanas potest vendere. Cum ergo Papa filius sit & membrum Universalis Ecclesiæ, ut dixi; Universalis Ecclesia eum potest obligare, & pro eo cedere juri Papatûs, & promittere, aut quæcunque alia facere, & quocunque modo, quæ possent inveniri pro ejus salvatione: ut factum fuit de tribus se pro Papa gerentibus abjectis, tempore Henrici III. Imperatoris Romani, & ejus Mandato seu Præcepto.

Ex quibus omnibus patet, quod si talis convocatio fiat Universalis Ecclesiæ, & Reges, Principes, & Prælati fuerint accincti armis zeli Dei, Legis & justitiæ, in uno proposito, & una intentione, non videbitur frustra esse.

C

DE LIMITIBUS REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI, *Quod erat Constantiense.*

ET sic consequenter ad quartum respondetur; quòd non erit infructuosa talis convocatio, si Regum & Principum fuerit aut erit una sancta intentio: quia tunc alter alterius onera portabimus, tunc erit Sancta Societas in vinculo pacis, tunc spiritu vivemus, spiritu ambulabimus. Tunc talis Universalis Ecclesia in allegatis per eos reformabitur, & meritò dicetur: *Ecce, quam bonum & quam jucundum, ha-* D *bitare fratres in unum.* Ps. CXXXII. I.

Sed tunc caveat Universalis Ecclesia super omnia, ut nunquam sub quovis colore concedat Papæ potestatem dispensandi contra Statuta generalis Concilii, aut ea interpretandi seu immutandi, propter varietates temporum, & novos supervenientes casus; sed quod solùm illa debeant immutari per aliud Concilium generale, fiendum de tempore in tempus, propter reformationem Ecclesiæ: luce enim clarius constat, quòd pro majori parte facta & ordinata in quatuor generalibus Conciliis principalibus, & aliis Conciliis per temporum successiones Statuta, crescente avaritia Pontificum, Cardinalium, & Prælatorum, tam per Papæ reser-

Digitized by Google

reservationes, quàm per iniquas Cameræ Apostolicæ Constitutiones & Cancellariæ Regulas, & formulas Audientiæ causarum Rotæ, & ambitiosas Dispensationes, Absolutiones, Indulgentias, Confessionalia, Officium Pœnitentiariæ, sint fere immutata, annihilata, & quasi in derisum & oblivionem posita.

Et aliquando fui illius opinionis, quòd sacrum Concilium generale, quod repræsentat Ecclesiam A Universalem, non possit alicui personæ privatæ, quacunque præfulgeat dignitate, etiam ipsi Papæ autoritatem & potestatem concedere dispensandi & immutandi aut alias interpretandi sacri Concilii Statuta.

Quanquam prima facie contrarium videantur dicere Canonum Jura, tamen probatio patet: nam cum Universalis Ecclesia sit potestas Papâ superior; ut dictum est; sequitur, quòd tanta potestas universalis Concilii inferiori à Concilio non valeat communicari, cum ejusdem non sit capax. Ideò tempore Apostolorum non solus Petrus regebat totam Ecclesiam, quamvis Papa esset; sed solùm primò ut Episcopus rexit Antiochiæ; post electus est Episcopus Romæ, dimisso regimine Antiochiæ: quis enim potest considerare, quòd tanta autoritas & virtus capitis uni membrorum inferiori valeat communicari? Sic enim aliquod corpus posset esse sine capite, quod uteretur ratione, si omnia opera capitis unum membrorum inferiorum posset exercere; & si hoc invenire in corpore naturali non valemus, quia *unum opus* B *ab uno optimè perficitur*, ut dicit Philosophus, multo minùs posse fieri in Sacramento, corpore mystico, credere debemus. Et ideò dixit Apostolus: *Alios in hoc corpore dedit Apostolos, alios Prophetas, alios Doctores.* Item *in ædificationem corporis Christi*, Ephes. IV. 11. 12. 13. *in unitatem Fidei.* Item ita ut quodlibet membrum hujus sanctissimi corporis proprias habeat operationes, secundùm quod magis & minus participat virtutem & superioritatem hujus sacri corporis.

Concludo ergo, me aliquando hujus opinionis extitisse, quòd sicut virtus quorumlibet corporis naturalis membrorum uni membrorum totius corporis non valet communicari; quia sic frustra essent cetera membra, & corpus monstrum videretur in natura, & membra ipsa viderentur carere vita: ita in corpore mystico universalis Ecclesiæ, cujus membrum, ut prædixi, dignius Papa videtur esse; potestas & autoritas ipsius universalis Ecclesiæ sive generalis Concilii ipsam Ecclesiam repræsentantis, nec Papæ, nec alicui personæ privatæ, ut prædixi, possit nec debeat communicari. Quod esset includere contradic- C tionem; quod sic Papa esset Universalis Ecclesia, & sic esset corpus totum & membrum, & sic omnis Christianus esset in Papa, & Papa esset. Et multa alia exindè inconvenientia sequerentur.

Nec potest negari, quin Papa sibi usurpando aliorum Episcoporum, quos fratres appellat, Jurisdictionem & honorem, præsertim ita generaliter, per hoc peccet mortaliter. Quia contra Legem naturalem & sacrum Evangelium facit, quibus præcipitur, nequisquam alteri faciat, quòd sibi non vult fieri. Quia debitum & sanctum est, *unicuique suum tribuere, & alterum non lædere* XII. q. 2. can. 9.

Cum igitur Papa sit conditor suarum Constitutionum, illas non debet in aliorum dispendium retorquere, sed potiùs observare, juxta id: *Legem patere, quam tuleris*: sic enim ipsi ratio dictitat.

Et per has & alias rationes concludo, Jura & Privilegia Episcoporum, Patriarcharum & Prælatorum quorumcunque, etiam minorum Rectorum existentium ut membra, in corpore Universalis Ecclesiæ esse, D cum proprias operationes non possent exercere. Et qui tollit ab entibus proprias operationes, certè secundùm Philosophum tollit ab eis proprias formas: quid enim valet, quòd unus sit Episcopus, sine officii sui executione quòd illi Christus contulit? Nec majorem potestatem Petro, quàm alicui Episcoporum dedit, ut legitur in Decreto. Quomodo ergo Papa ausus est tollere, quod solus Christus dignatus est concedere?

Sicut ergo contra Statuta Evangelica Christi non audet Papa se intromittere; ita nec valet potestatem collatam à Christo aliis Episcopis, sibi applicare, nec reservare. Quod patet etiam: nam dixit Apostolus I. Cor. IV. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei.* I. Cor. IV. 1. Uni ergo Episcoporum dedit Christus, ut Petro verbi gratia, decem talenta, alteri Episcopo quinque, alteri unum, ut quilibet eorum sicut fidelis servus & prudens lucretur, alius quinque, alius decem, alius unum, juxta dispensationem sibi creditam.

Sed cum Papa sit unicè dispensator bonorum Ecclesiæ Christi & non Dominus, & ad reddendum rationem villicationis suæ teneatur, sicut quilibet alius Prælatus de talentis sibi creditis tenetur se non intromittere & alia talenta aliis commissa dimittere, & Constitutiones in Camera sua pro habendis pecuniis de provisionibus Episcopatuum & Abbatiarum, quæ ad ipsum nullatenùs pertinent non facere, nec has maledictas & rapaces reservationes Beneficiorum statuere, quæ in primitiva Ecclesia illo tempore quo fuerunt sancti Papæ, & quo sunt fundatæ tot & tantæ Ecclesiæ, ac quo fuerunt tot Ecclesiarum dotationes, nunquam visæ fuerunt, imò nec auditæ, nisi postquam sævit Summorum Pontificum, & suorum Cardinalium avaritia, cupiditas, & ambitio Dominii & pecuniæ. Quia tunc fecerunt & faciunt, juxta eorum voluntates, Leges & Decreta de Beneficiorum reservationibus, de provisionum Beneficiorum & dignitatum solutionibus, & pecuniarum quantitatibus. Ita ut jam non videatur Romana Curia esse, nisi quoddam forum publicum, ad quod quo quis plura portaverit, plura mercimonia habebit.

Et quia nullus Prælatorum illo tempore, quo reservationes & Beneficiorum taxationes sunt factæ, reclamavit seu contradixit, aut propter impotentiam aut ignorantiam, aut utilitatem propriam: Ideò jam quasi per centum annos, quia tamdiù jam duraverunt, dicunt Papa & Cardinales, prædictas reservationes jam in vim sanctissimi Juris & Canonis transmisisse & præscripsisse, nec posse generale Concilium eas immutare. Quod falsum est. Imò exsurgant Prælati Ecclesiæ, offerentes Deo Sacrificium justitiæ & has rapinas, furta & latrocinia Romanæ Curiæ dignentur penitùs amovere: quia non possunt in detrimentum & damnum Universalis Ecclesiæ stare, aut præscribi; cum sint contra naturam propriam corporis mystici Ecclesiæ, ut prædixi, & contra omnem ordinem justitiæ, & decrementum omnium bonorum spiritualium Ecclesiæ: nam propter habendas hujusmodi pecunias Beneficiorum, in eadem Curia mille Officiales invenies, & fortè nullum inter eos reperire poteris ibidem ad conservationem virtutum.

Ibi fit omni die sermo de Castris, de Terris, de Civitatibus, de generibus armorum, de pecuniis; sed rarò vel nunquam ibidem fit mentio de castitate, de eleemosyna, de Justitia, de Fide, aut de sanctis moribus. Ita ut quæ solebat esse Curia spiritualis, jam facta sit mundialis, diabolica, tyrannica, & pejor in moribus, etiam in factis civilibus, quàm alia Curia secularis. Et priondè omnia & plura alia mala, scilicet hæreses, schismata & scandala processerunt, postquam has rapaces reservationes, & pecuniarias Constitutiones Papa cum suis Cardinalibus servari & habere voluerunt.

Hæ autem taxationes Ecclesiarum & Monasteriorum, solutiones mediorum fructuum Cameræ Apostolicæ & Collegio dictorum Cardinalium, & medietates fructuum inferiorum Beneficiorum, solutiones denariorum in eadem Curia pro litteris Apostolicis habendis, etiam illarum taxationes, & reservationes Ecclesiarum & Monasteriorum atque beneficiorum, gene-

Digitized by Google

generales vel speciales, in Avinionensi Curia, ipsa illic remanente, pro Majori parte initium habuerunt: quia non poterat quilibet Cardinalium illius temporis statum tenere Regalem, nisi talibus lucris, undecunque venirent, quotidiè fulciretur.

Et iterum, postquam ista nova talis qualis unio in Pisis facta processit, aliquibus Cardinalibus Gallicis apud nos existentibus; plures angariæ contra Prælatos promovendos & reservationes Papales prodierunt: in illis enim versatur eorum totum studium lucri capiendi causa, ut nova semper inveniant gravamina in subjectos, nemini compatiendo; & qui eorum in talibus novis adinventionibus est acutior, ille magis prudens & utilis inter confratres reputatur, & qui non credit, accedat ad eandem Curiam causa impetrandi aliquam Cathedralem Ecclesiam, vel aliquam dignitatem, & videbit ita esse, ut prædixi.

SOLVUNTUR DUBIA, GENERALI CONCILIO A JOANNE XXIII. *objecta.*

CONSEQUENTER ad illud, si Papa loquatur: ad quid erit hæc convocatio, nonne ad Fidem defendendam? Numquid ad potestatem meam restringendum, numquid ad Papatui cedendum?

O Papa, si benè intelligis, quæ dixi; si Christianus es, si toti Reipublicæ, si Universali Ecclesiæ compateris & condoles, ad omnia hæc facienda convocabitur Christianorum Concilium.

Si enim bonus es, si sanctus, ut vocaris, existis; si re & nomine sanctitate polles, usque ad mortem debes certare pro Justitia. Et quæ major potest esse Justitia, quæ major poterit esse tua bona vita, tua sanctitas & fama, quàm si vides, quod propter tuum Papatum, propter tuam potestatem latissimam perit & destruitur Respublica Universalis Ecclesiæ, Fides diminuitur, pedibus Tyrannorum Ecclesia subjicitur, Monasteria destruuntur, conscientiæ fidelium periclitantur, ut tunc absque mora & temporis dilatione & Papatui cedas, & potestatem tuam usurpatam diminui sustineas?

Nonne *ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni erant pro nomine Jesu contumeliam pati?* Act. v. 41. Numquid tu major es autoritate Apostolis, numquid sanctior illis, numquid potentior in spiritualibus illis? Certè non. Noli ergo æmulari, ut maligneris. Noli dicere: ego habeo jus in Papatu. Noli sub titulo Justitiæ corrumpere totum corpus Ecclesiæ: nam bonus homo de thesauro suo profert bona.

Si ergo bonus es, ut alter Christus te in horto debes offerre Judæis, dicens: *quem quæritis? Jesum Nazarenum*, me Papam, ut cedam? *Ego sum.* Joan. XVIII. 4. 5. si me *quæritis; quærite, convertimini* & *venite.* Isaiæ. XXI. 12.

Si autem malus Papa es, quid restat, nisi ut condemneris, & à communitate hominum segregeris, sicut feritas & immanitas belluæ; ne propter tua privata commoda corrumpatur per schismata tota Respublica.

Ista ergo de causa convocatio generalis Concilii est necessaria, imò propter tuam cessionem, vel alium modum quemcunque, quo detur pax Ecclesiæ, Fides Christi exaltetur & roboretur; fidelium conscientiæ pacificentur, Christi ovile reformetur.

Et licet illi duo contendentes Christum credant, non tamen credunt in Christum. Quæ credulitas, secundùm Augustinum, est, membris Christi incorporari, & eis uniri charitate. Quod tamen schismatici non faciunt, qui corpus Christi, quod est Ecclesia, lacerant, licet ipsi oppositum clament, & excæcati malitia, & indurati pertinacia, errantes sicut ovis, quæ periit. Dimitte ergo nonaginta novem oves, quas jam habes in tua Obedientia, & vade ad quærendum illam quæ periit. Quam si tu invèneris, dicas: *Congratulamini mihi, quia inveni ovem, quæ perierat.* Luc. XV. 9. Tunc *ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* Isaiæ. LX. 3. *Tunc convertetur ad te multitudo maris, multitudo gentium veniet tibi.* Ergo patet, quantùm illius sacri Concilii convocatio & executio sit necessaria.

Et si Papa dicat: se non habere superiorem in terris, qui eum judicet: *Dist.* XL. *Can.* 6. Certum, quòd omnes Leges factæ & Decreta sint propter conservationem Reipublicæ, ut prædixi. Unde illa Jura, sic loquentia, intelliguntur quando malitia Papæ, aut Papatus ipsius Papæ, non redundat in detrimentum aut damnum totius Universalis Ecclesiæ, & ubi mala vita ejusdem Papæ non est hominibus notoria: quia tunc, ut dixi, propter suum malum vivere subjicitur Præcepto correctionis fraternæ. Secùs esset, si benè viveret, benè doceret, ut Papam decet. Quis enim sanctum dubitet, quem apex tantæ dignitatis attollit? Nam si malum futurum Papam illi sancti, qui illud Capitulum instituerunt prævidissent, nequaquam de Papa talia dixissent: cum Paulus propter culpam minimam Petrum reprehenderit: qui tamen Princeps Apostolorum exstitit, & sanctior & melior tunc, quàm nunc sunt nostri Papæ.

CONCILIUM GENERALE NOVUM CONSTANTIENSE *Aptius ad reformationem, quam Pisanum.*

AD hoc consequenter, quod dicitis: si Concilium Pisanum fuit sanctum, & justum, ergo, quæcunque in eo agitata fuerunt, sancta &c. Respondetur, quòd dato, quod justè, sanctè & licitè; sicut rei veritas se habet, Concilium Pisanum celebratum fuerit; tamen non sic aliquid bonum & sanctum esse potest, quin majus bonum inveniri posset, sanctius & melius, & omni bonitate perfectius, usque quo deveniamus ad primum bonum, quo melius, perfectius invenire nequimus. In cujus perfectioris boni præsentia cessat primi non æque perfecti justitia. Nam de duobus bonis semper majus est eligendum.

Cum ergò hoc majus bonum inveniri valeat in secundo Concilio, quàm in primo Pisano: ubi, secundùm opinionem multorum omnia fuerunt quasi primis motibus facta & agitata, spiritu vehementi, & non matura deliberatione, ut etiam Concilium decebat, ordinata, nec completa; maximè cum illud sacrum Concilium ad hoc principaliter fuerit congregatum, ut unus pastor esset, & ovile unum, quod adhuc cernimus esse incompletum; videtur sanè perfectius, melius, & sanctius futurum Concilium esse, quam primum: in cujus celebratione, cooperante Domino, ut speratur, cessabit impetus primi Concilii, restaurabitur Ecclesia, reservationes Beneficiorum & dignitatum deficient, pecuniariæ Constitutiones Cameræ prædictæ destruentur, boni & litterati promovebuntur, mali punientur & repellentur, simonia tacebit, eleemosyna in plateis clamabit, justitia unicuique quod suum est, dabit, Christi Patrimonium Ecclesia recuperabit, & in omni virtute Ecclesia fundata atque super firmam petram justitiæ firma erit; nec non ad reformandum etiam & ad unionem reducendum per dictum Romanum Imperium, (quo non

Digitized by Google

vigente non florebit Ecclesia,) ordo dabitur, & sic Fides Catholica contra infideles resumet vires & multi eorum convertentur.

Dato ergo, quòd verus Papa in Concilio Pisano creatus extiterit; non tamen propter ejus Papatum Ecclesia Universalis pacem habuit. In secundo ergo Concilio speratur, quòd sicut erit unus pastor, sic unum ovile invenietur, & Universalis Ecclesia in pace firmabitur.

CONFIRMATUR JUS IMPERATORIS AC PRINCIPUM

In convocando Concilio Universali, & publica emendatione.

SED qualiter hoc Concilium congregabitur, cum sint voluntates diversæ, Obedientiæ differentes? Dico ergo, sicut allegatis, ad Imperatorem seu Romanorum Regem temporibus præsentibus convocationem pertinere sub pœna peccati mortalis & gehennæ perpetuæ. Quo absente, vel non existente, dico, ad Reges & Principes seculares, utpotè Franciæ, Angliæ, Hungariæ, Apuliæ, Hispaniæ nec non Burgundiæ, & alios Reges Catholicos, Bavariæ, Austriæ, nec non alios Duces & seculi Principes, & sic de aliis, hoc pertinere, qui non sine causa, Dei gladium portant, *ad faciendum vindictam in nationibus & increpationes in populis, ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant judicium conscriptum.* Quia *gloria hæc est omnibus sanctis Dei*, Ps. CXLIX. 7. 8. 9. quod Leges positæ sint propter malos. Unde Apostolus: 1. Tim. 1. 9. *Justo non est Lex posita*, sed plagiariis, homicidis.

Unde credendum est, quòd sicut gloria est uni, cum alius amicus suus ab eo propulsat injuriam inimici; ita magna gloria Deo sit, gaudium & lætitia, cum Principes seculares, per potentiam coactivam, dividentes ac lacerantes propter eorum commoda corpus Universalis Ecclesiæ, sponsæ Christi, quam ipse proprio suo sanguine redemit, & semetipsum pro ea tradidit, persequuntur & puniunt, atque propter utilitatem, curationem & sanationem totius Universalis Ecclesiæ ad ovile in unum reducunt & reduci faciunt & procurant. Nam in curatione Universalis Ecclesiæ, & pace & tranquilitate totius Reipublicæ, ipsi seculares Principes sunt Patres, sunt Medici; sunt Chirurgi, Dei executores summi, quos Deus posuit ad suas injurias vindicandas.

Et si ad passagium terrestre, ad liberationem Regni Jerosolymitani è manibus Infidelium, tam libenter, potissimùm temporibus Conradi III. & Frederici I. Henrici VI. ejus filii, dicti Fredirici II. Augustorum & Regum Siciliæ, atque Ducum Sueviæ, undique Reges, Principes, & Domini seculares, Episcopi, Sacerdotes ac Clerici, contra Saracenos infideles & paganos non absque gravissimis corporum & rerum suarum periculis concurrerunt, fulti subsidiis multarum Indulgentiarum, accincti armis bellicis diversorum armorum; qui tamen detentores Terræ Sanctæ non sunt Christiani, nec in Fide Christi nati, imò sunt spatiis terrarum satis distantes: quantò magis ipsi Reges & Principes, etiam Ecclesiastici Prælati, & alii Christi fideles, ad liberationem totius Christianitatis, totius Universalis Ecclesiæ, ad redemtionem Patrimonii Crucifixi Christi Jesu, ad unionem Christianorum, tot guerris, tot schismatibus, propter istos de Papatu contendentes se destruentium & discordantium, deberent se disponere: Et *in omnibus sumentes scutum Fidei*, quæ est fundata in unitate pacis, *& galeam salutis, & gladium spiritûs, induentes loricam justitiæ, & calceati pedibus in præparatione Evangelii pacis* Philipp. XII. 13. 14. 15. quoscunque contendentes de Papatu, aut se Papas vocantes sub quovis colore aut titulo, in decrementum & divisionem corporis Christi, quod est Ecclesia, reprimere, annullare & nullius roboris vel momenti jura, quæ pro se allegarent, quibus Universalis Ecclesia non uniretur, deberent etiam non acceptare, nec approbare: quinimò potiùs vel talibus contendentibus obedientias denegare, vel eos via compulsionis & violentia ad viam pacis reducere: nam contra bonum & utilitatem ac sanationem Universalis Ecclesiæ nulla Jura, nulla Decreta, nullam alicujus justitiam secundùm Deum & rectæ scientiæ dictamen possumus acceptare. Quinimò expediat semper, ut unus moriatur, ne tota gens pereat: non ut moriatur naturaliter vel æternaliter, sed civiliter, opus faciendo virtutis, ut æternaliter vivat: sicut enim non habemus Christum divisum, quia unus est Christus; ita nullo modo possumus nec debemus assentire, quòd Papatus sit divisus, etiam quantumcunque aliquis videatur in ipso Papatu jus habere: quia ipso facto contra bonum Universalis Ecclesiæ videtur facere, si non cedat, ut pax ipsa sequatur.

Numquid omnium unus Christus est? Ita certè. Sic Ecclesia una est, & Episcopus ejus unus est. Et scire debes, Episcopum esse in Ecclesia, & Ecclesiam esse in Episcopo VI. q. 1. c. 7. Quomodo ergo Episcopus unus est, quando de hoc Episcopali Papatu tres sunt contendentes, & se Papam vocantes? Numquid tres viros habet Ecclesia, & tres sponsos? Numquid prostitui aut adulterari potest Ecclesia? Revera non: quia unam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit; ait Cyprianus XXIV. q. 1. 18. ut superiùs est tactum.

Ergo patet ex prædictis, quòd ad Imperatorem, si est, qui defensor & Advocatus Ecclesiæ Universalis est, & post secundariò ad Reges, & Principes seculares pertineat in casu præsenti, & Concilio interesse, & facta Concilii executioni demandare & quoscunque de Papatu contendentes, ibidem ad unionem integram faciendam cogere, aut alias vias invenire, quibus unus pastor & unum ovile possint esse. Sicut in multis schismatibus in Romana Sede ortis, factum videtur esse, quæ fuerunt fortè XXIV. ut legitur in gestis Romanorum Pontificum & Imperatorum. Quæ violentia, armis, bellis, Conciliis generalibus & compulsione terminatæ leguntur.

Et hoc fecerunt illi antiqui, devoti, & probi Imperatores Romani, potissimùm Germani, & alii Principes ac Prælati, non habentes respectum ad quodcunque jus, quod pro se ipso posset quis Papa allegare: ut Universalis Ecclesia propter privata commoda, & propter unum hominem, qui se vocat Papam, divisionem non pateretur, nec in decremento ac schismate esset, ac ut Imperator Romanus, qui à Papa consuevit intitulari Filius spiritualis, tantus Princeps, in Orbe terrarum eximius, unum verum Papam in Patrem spiritualem efficaciter recognoscere posset.

SI IMPERIUM ROMANUM VACET,

Cujus sit Jus convocandi Concilium Universale.

SED quia bonum Universalis Ecclesiæ non cessatis profundiùs indagare, tale movetis quæsitum: Cum te, Pater, audirem dicere, quòd futuri Concilii generalis convocatio ad solum spectet Imperatorem, seu Romanum Regem: sed cum ad præsens de facto vacet Imperium, & Imperii Electores diversis obediant, utpotè quidam Joanni, quidam vero Angelo

lo Corario, non videtur esse verosimile, quod ad invicem possint ad electionem convenire. Et sic, si diù remaneat Imperium absque Rectore, consimiliter videtur, quòd manebit Ecclesia sine Concilii convocatione. Quia diù durabunt hæc schismata in Dei Ecclesia.

Hujusmodi quæsito respondere valeo per ea quæ scripsi superiùs, ubi dixi quòd ad Imperatorem in casu præsenti convocatio Concilii videatur pertinere; quod si non sit, devolvitur hæc convocatio ad Reges & Principes primò, post ad Communitates, & alios Dominos seculi; quod si non essent, in casu possibili, devolvetur ad cives, & rusticos post, usque quò deveniretur ad minimam vetulam: sicut enim Universalis Ecclesia potest salvari in minima vetula, sicut factum est tempore Passionis Christi, quia est salva facta in Virgine Beata; sic ad salvationem Universalis Ecclesiæ posset convocatio Concilii fieri per minimam vetulam: Sicut enim ante Concilium Pisanum propter pertinaciam & perjurium duorum tunc & nunc contendentium de Papatu, convocatio Concilii Pisani justè & debitè facta per duos Cardinales, & ad eos secundùm justitiam talis convocatio pertinuit, secundùm omnes Doctores scribentes in illa materia; sic propter defectum Imperatorum, ad Reges primò, & ad Communitates, & post ad Principes & Dominos seculi pertinet convocatio instantis generalis Concilii.

Et si dicatur; quis esse debet principalior & primus, qui præsidet? Videtur quod secundùm ordinem descriptum in Libris Pontificum Romanorum, & prout olim fieri consuevit: nec deberet mirari aliquis Papa & alii Ecclesiastici Prælati, quòd illa convocatio Concilii generalis spectet ad Regem vel Imperatorem Romanum. Ad hoc enim, quod Papa & alii Ecclesiastici Prælati, Regem vel Imperatorem ut præcipuum in terrenis caput, omni reverentia venerari teneantur, nos instruunt Christi exempla, qui descriptioni Augustali Matrem subjici voluit, qui staterem Imperatori pro tributo solvit & à Pontio Pilato imperiali Præside judicari sustinuit. Nec gratis dictum est: *Honora Regem, Deum time.* I. Petr. II. 17. Quis igitur ambigit, Imperium sive Regnum autoritate divina formatum? Si tamen à Christo petra, ut à Fidei fundamento, non separatur? Nam utriusque Deus autor est; scilicet Sacerdotii & Regni, utriusque protector, utrumque suo privilegio insignivit. Igitur etiam Episcopi & Sacerdotes, juxta Præceptum Domini reddant, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ Dei, Deo. *Luc.* XX. 25.

SOLVUNTUR DUBIA,

Quæ obstarent, quominùs novus

IMPERATOR

Eligendus, posset Concilium congregare.

AD illud verò, ubi magis videmini casum arctare & dicere: esto quod Electores conveniant, & eligant; a quo coronam recipiet novus electus? Si ab illo cui obedit, ergo juramentum illi præstabit solitum: qualiter ergo hic Rex novus absque sui Papæ licentia & ipso nolente, Concilium convocabit? Aut qualiter, dato quòd convocet, Papam coget ad cedendum, si opus fuerit, aut compellet potentia coactiva, vel qualitercunque circa hoc providebit?

Hic respondetur dupliciter. Primò dico; quòd coronam recipiet ab illo cui obedit, si velit, cum solito juramento. Veruntamen hæc juramenta, etsi mille forent, propter reformationem Ecclesiæ in capite & in membris ipsum Imperatorem non ligarent. Quod patet reali experientia de multis, præsertim Ecclesiasticis Prelatis, qui olim eisdem Angelo & Benedicto jurarunt; & tamen propter unionem ad quam venerunt sunt absoluti, nec peccaverunt, imò sic faciendo & zelum Dei zelando meruerunt.

A Intelliguntur ergo omnia juramenta ipsi Papæ, vel cuiquam alteri personæ privatæ mortali præstita per quamcunque personam, salva semper utilitate, curatione & sanatione totius corporis Reipublicæ, & præsertim Universalis Ecclesiæ. Sicut si Rex iniquus in Populum sibi subditum vellet desævire, non tenentur ejus subditi juramentum homagii & fidelitatis olim præstitum ei in aliquo observare: nam, ut prædixi, in curatione Universalis Ecclesiæ, & cujuscunque Reipublicæ subditi fiunt Domini, & Judices Dominorum & Superiorum proprias utilitates cum detrimento Reipublicæ amantium.

Aliter, si hæc responsio minus bona videtur, dicitur. Cum dictum sit, quod Imperator gerat Dei in hac parte gladium & ideò debeat ipsum in sceleratos quoslibet exercere, absque alicujus personæ seu personarum exceptione; videtur dicendum, quòd, stantibus duabus vel tribus Obedientiis, si ipse electus ad unionem Ecclesiæ tendat, si ipsam desideret, si affectet; (quam propterea affectionem & executionem realem possunt & debent ab eo ante electionem Electo- B res Imperii requirere, sub certis juramentis & pactis, sicut factum est in electionibus Petri de Luna, Innocentii VI. & ejusdem Angeli:) quod ideò ipse à nullo illorum contendentium de Papatu teneatur nec debeat coronam Imperii recipere, nec aliqua juramenta alicui eorum præstare, sed statim absque mora, si aliàs non potest consuli Ecclesiæ, Ecclesiam convocare, & contendentes ad cedendum compellere, & si rebelles fuerint, armis invadere, vel verbis aut muneribus seu promissionibus eos capere, & diris carceribus mancipare, & qualicunque modo unionem Ecclesiæ potuerit procurare: nam talibus Fides denegatur propter quos Ecclesia & totum corpus Reipublicæ scinditur & turbatur, & utraque Respublica, Ecclesiastica videlicet & terrena, miserè laceratur. Et ideo benè dixit ille: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Sic factum est sæpe in aliis schismatibus, ut scripsi. Quibus contendentibus de Papatu deletis, & membris primò Ecclesiæ Universali incorporatis, hæc unio semper primò fieri debet. Sicut natura facit in membris quæ primò compaginat, antequam caput formet; consequenter fiat unio in capite justo, sancto & virtuoso, ut alter Judas Machabæus zelum Fidei Christianæ zelante, a quo cum Dei timore, cum om- C ni reverentia filiali, recipiat miles Christi, & executor Imperialis coronam sacram Imperii cum juramentis & reverentiis solitis: & sic multi Romani Principes, Reges videlicet & Imperatores in similibus, sedatis per eos & ipsorum autoritate schismatibus, tunc in eadem Ecclesiæ Romana exortis, in gestis Romanorum Pontificum & Regum fecisse leguntur.

Sic ergo primò electus in Romanum Regem procuret unionem in membris, secundariò in capite: ut tunc coronam imperii absque læsa conscientia securè recipere possit, & sic totam Ecclesiam præstare Domino redintegratam in vinculo unionis; ut tunc, ubi abundavit peccatum, ibi justitia regnet, in multitudine proborum & justorum. Et tunc benè Psalterium cum cithara concordabit.

ACRIS CENSURA

D PECUNIARIARUM PAPÆ

Constitutionum, circa tempora Concilii Constantiensis.

CONSEQUENTER autem ad alia, ubi videmini innuere, quòd Papa reservarit suæ dispositioni om-

omnes Cathedrales Ecclesias, & Dignitates Abbatiales, nec non omnes Prioratus Conventuales & majores post Pontificales in Cathedralibus, nec non omnes principales Dignitates in Collegiatis Ecclesiis, ubicunque vacantes & vacaturas, ne Ordinarii possint quoquo modo de eis disponere. Et ideo videbamini quærere, utrum tales reservationes secundùm Deum & conscientiam possint jure teneri, aut defendi, & an illas Dignitates capientes possint eis licitè uti?

Cui quæstioni arduæ respondeo, unico medio jam quasi superiùs descripto per totum: Quòd Papa non possit plura in Ecclesia ordinare & statuere, quàm ab ipso Christo primò, & post ab ipsa Universali Ecclesia est & fuerit ipsi concessum: non enim legimus, Christum illi contulisse potestatem Beneficia, Dignitates, Episcopatus, Villas, Terras dispensandi aut distribuendi; sed nec unquam legimus, Petrum hæc fecisse, sed solùm hanc potestatem ei tribuit specialem scriptam *Matth.* XVI. 19. quam etiam minimo mundi Episcopo concessit, scilicet: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, scilicet per pœnitentiam, & *quodcun que solveris* &c. per Absolutionem & Indulgentiam, sed clave non errante.

Veruntamen post, crescente modernorum Imperatorum & Regum ac Christianorum fidelium devotione, creverunt in diversis mundi partibus Ecclesiæ, quæ diverso indigebant regimine. Quocircà per Universalem Ecclesiam in diversis generalibus Conciliis certæ potestates dispensandi certa Beneficia sunt Papæ collatæ, ac faciendi alia; reliqua vero Beneficia dispositioni Ordinariorum sunt commissa: ut quòd Patriarchæ & Cardinales per Papam instruerentur, Primates verò per Patriarchas, Archi-Episcopi per Primates, Episcopi per Archi-Episcopos, Abbates verò & reliquæ Dignitates per Ordinarios. Ita per multa tempora, plus quàm per mille & ducentos annos *adstitit Regina, Ecclesia a dextris* Christi *in vestitu deaurato*, & *circumdata varietate* Ps. XLIV. 10. diversorum graduum & statuum in Ecclesia; sic fuit disposita, sic ordinata, ut satis prolixè & clarè in Decretis continetur. Crescente verò posteà, ut superius pluries tactum est, intolerabili pompa, avaritia & ambitione in Papa & Cardinalibus, incœperunt modicùm Beneficia reservare. Et quia nullus eorum malitiis, propter defectum Conciliorum restitit, successivè omnia mundi Beneficia reservarunt rapinâ manifestâ, Episcopos & Ordinarios suis potestatibus & autoritatibus & consuetudinibus & juribus sine causa privando; immemores illius, quod non debeat inde procedere injuriarum occasio, unde Jura nascuntur. Et si sua jura unicuique Episcopo non servantur, quid aliud est, quàm ut Ordo Ecclesiasticus confundatur? nec jura proclamat, nec dicit Papa, nec honorem meum reputo, in quo fratres meos, scilicet Ecclesiasticos Prælatos, honorem suum perdere cognosco. Cur igitur modernis temporibus tam variè Papa veteris sermonis oblitus, quasi omnia jura suorum fratrum sibi usurpare conatur, faciendo mille Regulas in sua Cancellaria ad habendum semper pecunias recentes & multas? Et quidem remotâ justitiâ, non sunt Regna nisi magna latrocinia.

Præterea bona temporalia per Constantinum & ejus successores Catholicos Imperatores & Reges Romanos collata sunt, ut Papæ, Episcopi & Prælati de illis ad certos pios usus in Jure descriptos pro tempore dispensarent, & potissimùm ex illis pauperes nutrirentur; pro quibus faciendis licitum est etiam vasa sacra alienare, & plùs Episcopi & Sacerdotes ad illos debent intendere. Ideò dico, quòd secundùm Deum & rectam conscientiam, ex quo Papa cum suis Cardinalibus transgrediuntur terminos rationis & justitiæ quos statuerunt Patres nostri, fingentes autoritates & potestates sibi collatas fuisse à Christo, quas nunquam legimus in Evangelio, excedentes etiam limites Conciliorum generalium, & usurpantes sibi tales potestates, quas per mille annos nunquam Papæ ausi sunt facere vel attentare, qui, vel saltem multi fuerunt meliores, sanctiores & digniores Pontificibus hujus temporis; quod inquam tales reservationes sint rapinæ manifestæ, violentiæ publicæ, jura papalia A iniqua & abusiva, consuetudines diabolicæ ad omne malum inductivæ: nec talium reservationum est capax Papalis autoritas, nec etiam potest exercere; nisi Universalis Ecclesia sic vellet disponere.

Et ideò dico, eorum promotiones & provisiones non tenere quoad Deum, licet fortè quoad Militantem Ecclesiam videantur validæ esse, & ideò Ecclesiastica Beneficia vel provisiones acceptantes, tamen sine dolo & fraude, atque sine simoniæ rabie, secundùm Deum licitè possint retinere: excusantur enim ignorantia invincibili & simplicitate excusabili, licet ea simpliciter dimittere, & non illo modo per reservationem acceptare, judicarem apud Deum tutius & perfectius esse.

Ex istis Constitutionibus innuere videmur, quòd B propter eas Ecclesiæ & Monasteria bonis Pastoribus defraudentur, propter forum & mercimonia in talibus ejusdem Romanæ Curiæ: nec ampliùs, ut dicitur, electi audiuntur cum suo jure qui non habuerunt unde solverent: vel si habeant, sed alter superveniens plus offerat Papæ & Cardinalibus ut promoveatur ad Episcopatum vel Abbatiam, de qua, seu quo petitur confirmatio aut provisio fieri pro electo.

GRAVES STRICTURÆ

In novissimas illo tempore

CONSTITUTIONES PECUNIARIAS

ALEXANDRI V. & JOANNIS XXIII.

SUbsequenter autem venio ad illas novellas Constitutiones Alexandri & Joannis prædictorum, quibus cavetur, quòd promotus ad aliquam Ecclesiam C Cathedralem, vel aliquod Monasterium &c. & quòd impetrans Beneficium reservatum à Papa &c.

Huic quæstioni, Pater Reverende, cum non sint de Jure; sed de Facto hæ pestiferæ Constitutiones, satisfacere nequeo ad præsens, cum sint super violentia manifesta, simonia publica, rapacitate lupina, & ovium Christi dispersione fabricatæ, quæque ad aliud non sunt, nisi ut eorum conditores furentur, mactent & perdant, ipsi videlicet Papæ & Cardinales.

Quocircà, ut futurus Rex vel Imperator Romanus, Domino concedente, adhæreat dictis Angelo & Petro, & tali lupo rapaci, & tali raptori tyranno qui non regnat in Ecclesia, nec principatur propter bonum commune, sed solùm propter bonum privatum, & ejus principatus; est manifesta tyrannis, quòd sana conscientia compellat, seu compelli faciat, aut audeat compellere, non video. Quia, licet dicat Apostolus: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita debet esse*: Rom. XIII. 1. veruntamen in his, quæ non D vergunt in blasphemiam Creatoris, seu injuriam Fidei & nostri Redemptoris. Sed non potest major esse Creatoris blasphemia, quàm ut Ecclesiam suam, Christi sponsam speciosam, suam filiam electam, quam pretioso suo sanguine, cum tot injuriis, alapis, verberibus crudelissimis, & tandem patibulo Crucis, gratis ex sola sua misericordia redemit: mercimoniis, & in foro publico, homicidis, adulteris, raptoribus & malignis, venalem indifferenter nostri Superiores exponant, prostituant, & tanquam meretricem pro quæstu tradant; non advertentes, quod *magis oporteat regulare concupiscentias, quam scribas*, ut dicit Philosophus, II. *Politicorum*.

Quippe Judas semel pro XXX. denariis Christum vendidit, isti autem omni die centies Christum & Ec-

Digitized by Google

Ecclesiam vendunt, non solòm pro XXX. denariis: sed pro mille & pro centum. Et aliquando uni vendunt, & postquam pecunias habent ab eo, iterum ab eo tollunt, & alteri pro pecunia exponunt.

Sic ergo concludo, quòd Superioribus sit obediendum in licitis & honestis: non autem compelli debemus ad eorum obedientias; ubi opera eorum sunt notoriè prava, & totam Ecclesiam scandalizantia; ubi est Patrimonii Christi manifesta dissipatio, & injuriosa dispensatio; ubi pastores sunt tonsores; ubi non sunt agni, sed lupi; ubi non sunt dispensatores mysteriorum Christi, sed dissipatores; ubi non sunt sobrii, sed ebrii; ubi non sunt Prælati ponentes animas suas pro ovibus suis, sed Pilati satisfacientes aliorum cupiditatibus & desideriis; & ubi non mittunt retia sua in capturam animarum, sed pecuniarum: omnis enim eorum cura circa acquisitionem pecuniarum est: & breviter; ubi non Christi, sed mores gerunt Anti-Christi. Et ideò Christus dixit, talibus non obediendum. *In novissimis enim temporibus multi venient in nomine meo dicentes*: *Ecce hic* Christus, *Ecce illic* Christus, Matth. XXIV. 23. Sicut modo dicitur: ecce hic est verus Papa, ecce iste alius est verus Papa. Nolite credere eis, ait Christus. Imò, si nos debemus substrahere ab omni fratre ambulante inordinatè, quantò magis à Superiori perverso & iniquo, ex cujus exemplo tota corumpitur Respublica, & sancta Mater Ecclesia deturpatur. Sic ergo hæ novellæ Constitutiones etiam sunt publica simonia, & notoria violentia, ex quibus scandalizatur tota Ecclesia.

Quis unquam audivit vel legit, olim per Petrum aut ejus successores in Papatu intra mille annos & ultra fuisse talia attentata? Quæ si quandoque tunc facta fuissent & cognita; nemo ad Fidem Catholicam propterea, nisi omninò reprobus (ut sic etiam illis lucrari potuisset, prout Simon magus tentando Petrum per pecunias se obtenturum credidit,) converti verisimiliter potuisset.

Qua propter recipientes & procurantes taliter Ecclesias & Beneficia, & pro eis solventes juxta tenorem hujusmodi Constitutionum, scienter & animo deliberato, simoniam committunt, & mortaliter peccant, & renuntiare ipsis Ecclesiis, Beneficiis, Officiis sic obtentis omninò tenentur, & inhabiles sunt ad alia Beneficia obtinenda; cùm super hujusmodi simonia Papa non possit dispensare in Dei Ecclesia: nam si C Giezi propter unam miseram tunicam sibi collatam, quam tamen non postulavit, lepram incurrit & vindictam Dei sensit; quantò magis vindicandi sunt ementes & vendentes Dei & Christi Sanctuaria, & Beneficia sacra, quæ de Jure divino vendi aut emi non possunt; super quo Jure divino Papa nullam potestatem videtur habere.

Et ideò corollariè infero, quòd si aliquod Beneficium, aut Abbatialis Dignitas vacaret, quod, seu quæ in Curia Romana esset reservata, & de ipso vel ipsa tàm Ordinarius quàm Apostolicus providerent: veruntamen Ordinarius providerit gratis justo, litterato & virtuoso; Apostolicus autem secundùm tenorem illarum Constitutionum, quæ hæresim aliqualiter videntur sapere, provideret uni alteri: certè secundùm Deum collatio Ordinarii tenebit, & secundùm rectam conscientiam; quia gratis accepit, & gratis dedit, secundùm etiam Leges & Decreta: quia collatio talis Beneficii sibi à primitiva & sancta Universali Ecclesia fuit concessa, licet Papa eum tali collatione per nefandas reservationes privaverit sine causa, quam privationem & reservationes Papa non potuit facere, ut prædixi; cum non possit contra Statuta generalium Conciliorum primitivæ Ecclesiæ Universalis aliquid statuere vel ordinare, ut superius dixi: & ideò secundum Jura & rectam conscientiam in casu illo tenet Ordinarii collatio; quia Papæ reservatio est manifesta violentia & rapina: licet de facto forsan fiat oppositum.

Et ideò, quia jam Prælati nostri temporis sunt canes muti non valentes latrare, hæ pestiferæ Constitutiones & reservationes Juris & Legis nituntur occupare locum, intantùm ut horribile sit dicere, quot mala per hujusmodi reservationes fiant: cùm illi, qui sunt familiares Cardinalium, aliquando homicidæ, illiterati, seu irregulares, coqui, stabularii, A mulaterii, per hujusmodi Regulas Cancellariæ possint in Ecclesiis Cathedralibus habere Dignitates, Canonicatus: sed illi, qui sunt Magistri in Artibus vel Medicinis, Baccalaurii in Jure Canonico, vel Civili, nequaquam possint tali gratia gaudere. Ex quo patet evidenter, quomodò per hujusmodi reservationes virtuosi & litterati excludantur; ribaldi verò, illiterati ac dyscoli & malefactores promoveantur. Et quia omne, *quod non est ex Fide* & charitate *peccatum est*, Rom. XIV. 23. propterea omnes recipientes promotiones, prætextu hujusmodi reservationum, sunt in statu damnationis & filii mortis; nisi velint pœnitere & Beneficia sic adepta simpliciter relinquere, quia non intrant per ostium, sed veniunt aliundè: & ideo dixit Christus de istis omnibus: Joan. X. 1. 8. *Jam omnes, quotquot veniunt, fures sunt & latrones, quia ascendunt aliunde*, quàm per portam Fidei & Charitatis, ac institutiones Christi & primitivæ Ecclesiæ, & sanctorum Statutorum, Canonum & B Constitutionum sanctorum Patrum, de quibus ut videtur, modicum aut nihil jam in Ecclesia Romana tenetur: ita ut jam Liber Decretorum & Decretales cum tanta sollicitudine ab antiquis compilata spernantur, & quasi pro cifra in Ecclesia Romana, imò pro derisu & contemptu habeantur, propter hujusmodi reservationes diabolicas.

Exsurge igitur, ô Deus, *in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum! Exurge*, ô Deus, *in præcepto quod* in primitiva & sancta Ecclesia tua *mandasti, & synagoga populorum* Christianorum *circumdabit te? Consumetur nequitia peccatorum*, Ps. VII. I. & malorum Pontificum & Cardinalium? Erige justum & sanctum Papam, qui Ecclesiam in moribus & virtutibus, antiquisque consuetudinibus dirigat & conservet.

CORRUPTISSIMOS
ECCLESIASTICORUM
Mores ex Ecclesia prorsùs esse eliminandos.

SED ponatur, ut dicitis, quod Papa cum suis Cardinalibus omni die jugiter parturiat injustitiam, concipiat dolorem, scilicet peccati, pariat iniquitatem, non curet de Mandatis generalis Concilii; sed velit perseverare in malitia peccati & simoniæ permaximè, quid erit faciendum?

Certè, Pater mi quod dicitis, ultimò faciendum: sicut enim illi Sacerdotes Bel, qui devorabant Sacrificia Bel posita & mentiebantur; dicentes populo die altero, quòd Bel devorasset illa Sacrificia, propter quod libenter Bel populus sacrificabat: dùm tamen fuit repertum, quòd fuerit fallacia & deceptio maxima, de Mandato Regis Babiloniæ omnes pariter sunt missi in lacum leonum & devorati, nullus ex eis super terram remansit: etiam hi Superiores Presbyteri mentientes Deo & hominibus, cum quibusdam Indulgentiis & Benedictionibus & Dispensationibus D prædicantes multa quæ non sunt, & dicentes bonum malum, & malum bonum. Qui, nisi totaliter eradicentur; ita ut plantatio Bonifaciana quam non plantavit cœlestis agricola extirpetur, & à communitate hominum segregetur in perpetuum, ita ut apud posteros unam eorum oblivionem accipiant; timeo quòd nunquam Ecclesia Dei reformetur in capite & in membris. Imò simonia non damnabitur; reservatio-

tiones & Dispensationes fient ampliores, pecuniæ magis extorquebuntur, Prælatorum potestas & reditus diminuentur, & omnia bona Mundi Papa & ejus Cardinales sibi applicabunt. Non erit Apostolica sed apostatica, non divina sed maligna, in qua non est sedendum; sed longè ab ea fugiendum, juxta dictum Prophetæ: *non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua agentibus non introibo; odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo.* Pf. xxv. 4. Quia omnis bonus Christianus dicit, quod sequitur: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum, Domine.* Ibid.

Et isti rectè impii vocantur; cum quibus pereunt qui eis obediunt, juxta illud: *Ne perdas cum impiis, Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextra eorum repleta est muneribus.* Ibid.

NON ESSE
ELIGENDUM NOVUM PAPAM

Ex tribus remotis, nec ex Collegio Cardinalium, ante Concilium Constantiense existentium.

ET quod quæritis, cum omnibus modis hoc generale Concilium fieri debeat; an de Collegio eorundem vel extra illud sit assumendus, qui erit eligendus in Papam? Et in casu, quòd isti tres cedant an expediat, quòd eorum aliquis eligatur? Videtur mihi, quòd nullus eorum, nec etiam aliquis de Collegio eorumdem Cardinalium in Papam sit assumendus:

Nam si aliquis eorum assumeretur in Papam, semper perplexitas conscientiarum remaneret in illis, qui alteri parti obedierunt: nec forsan primo crederent, eum Papam esse. Iterum illi, qui eidem antea obedierunt, possent aliis improperare, & dicere: ecce verum Papam nos semper habuimus; nam si talis non fuisset, nequaquam electus noviter extitisset.

Nec etiam de Collegio Cardinalium est assumendus. Primò, ne videantur eligentes ipsam unionem procurasse propter utilitatem propriam, quòd quilibet speraret se debere in Christi Vicarium assumi. Tum etiam, ne majores errores & scandala videantur posse in Dei Ecclesia ponere in futurum: nam, cum difficile sit consueta relinquere, si aliquis istorum assumeretur, qui noverunt & continuè practicarunt simonias, Beneficiorum venditiones, pecuniarum extorsiones, & tot Beneficia & Monasteria in Commendas habuerunt, eorum singulariter singuli: posset talis qui assumeretur, ista non agere aut practicare?

Ideo, ut omnis suspicio tollatur, erit necesse, per generale Concilium provideri, in quantùm erit possibile, ne unquam de Collegio Cardinalium aliquis assumatur: sed ut è diversis Regnis & Provinciis ordinatè, & juxta ordinationem Regnorum semper assumatur in Papam qui melior, literatior, in moribus gravior & sanctior in illa Provincia seu Regno reperiretur, non obstantibus Juribus in contrarium editis: quia eligere Papam in hoc instanti Concilio, pertinebit ad perfectiores & magis expertos, præclaros, qui erunt in ipsa Congregatione?

Quia dicit Philosophus: *Eligere rectè, scientium opus est*, veluti Geometram Geometrarum, & Gubernatorem Gubernatorum: qui sint in electione constantes & corcordes, nec inter se sint in electione divisi, ad evitandum aliàs novi schismatis periculum, & esset error novissimus pejor priore, quæ dissensio præcipuè præcavenda est. Unde dicit Philosophus *sicut in bellis penetrationes aperturarum etiam valdè parvarum distrahunt acies, ita videtur omnis diversitas facere dissidionem.*

Et eligant talem, de quo Christus dicere possèt, *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum, nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei, & conscindam à facie ipsius inimicos ejus, & odientes eum in fugam convertam.* LXXXVIII. 22. 23. 24.

DE

A

ROMANI IMPERII

damnis ex corruptis Pontificibus.

ET quia Principem perfectam oportet habere moralem virtutem: inde si bonum Papam haberet Ecclesia, reverà terras Ecclesiæ recuperaret. Imò ipsi Tyranni subditi rationi, & in quibus non est extincta συντήρησις, dum viderent Papam Religionem & sanctitatem diligere, nequaquam contra Ecclesiam insurgerent, nequaquam terras Ecclesiæ reciperent, imò illas quas haberent, verisimiliter redderent Ecclesiæ.

B Nunc autem, cujus terras recipiunt? Adversùs quem pugnant? Certè contra inimicum Fidei Christi, contra facientem opera magis diaboli, quàm Dei. Et ideo non miremini nec eos Tyrannos nominetis, quòd occupent terras Ecclesiæ, & persequantur injustum. Quia executores sunt Dei ad faciendum vindictam in nationibus, & judicium conscriptum.

Quamdiù enim Papa in bonitate vixit, & in Religione stetit, nequaquam terras Ecclesiæ perdidit. Sed cum cœpit ad se, & pro se, suisque nepotibus & consanguineis rapere, trahere & ducere omnia, in duas partes abstracta sunt bona Ecclesiæ. Dilacerata fuit Respublica, quæ una fuerat. Et tunc cœpit perire salus, decusque Reipublicæ Romanæ.

Ex quibus patet, quòd Papa, ejus Cardinales, & quidam Pontifices, Rempublicam Romani Imperii miris modis invaserint. Et tractu temporis Papa Imperium à Roma seclusit, ita, ut in Imperio nihil juris aut potestatis reliquerit. Unde subsequenter etiam alia membra & Jura ejusdem Imperii in eadem C Italia paulatim abstracta fuerunt. Sicut Tyranni eorum terras, villas & castra receperunt. Quia facti sunt opprobrium vicinis suis, subsannatio & illusio his, qui in circuitu eorum sunt; maximè apud illos, qui sunt in Italia & propè Urbem Romanam, qui meliùs noverunt eorum malitias & nefanda facta, quam Ultramontani, apud quos non est eorum perversitas adhuc plenè detecta.

Et ideò jam temporibus istis Reges, Principes, & Domini seculares modicam reverentiam habent ad Ecclesiam. Et completur dictum Malachiæ Prophetæ dicentis, cap. II. 8. *Vos Sacerdotes*, ait Deus, *irritum fecistis pactum meum, scandalizastis plurimos in lege, recessistis de via Domini, propter hoc dedi vos contemptibiles & humiles in omnibus populis.* Et Jer. XIII. 2. *Væ pastoribus, qui pascunt populum meum, vos dispersistis gregem meum, & non visitastis eum, ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.*

Jam enim visitatur malitia Prælatorum, jam dan-
D tur contemptui & abominationi. Et jam instant tempora periculosa: ad tantùm enim abominatio eorum devenit, ut plerique Reges & Principes seculares conferant Beneficia vel conferri faciant: Clericos ad carceres ponant, eos censura seculari judicent, Jura Ecclesiastica parvi pendant, censuras Ecclesiæ non curent, Ecclesiam in bonis suis, in quantùm possunt & valent, deprædentur, & annullent.

Et quòd mirabilius est, hi qui sunt majores Tyranni, & qui magis Ecclesiam impugnant & deprædantur, ac hæreses fovent, & malè vivunt: cum pre-

Digitized by Google

preces suas pro aliquo Castro obtinendo, vel pro aliquo Beneficio habendo, vel pro aliquo Episcopatu obtinendo pro suis apud Papam & Cardinales effundunt, seu ipsis Papæ & Cardinalibus scribunt; eorum citiùs preces exaudiuntur & expediuntur, & ad majores honores & divitias quàm ceteri fideles seculi Principes sublimantur. Itaut jam Jerosolyma Mater nostra, quæ solebat esse libera, serviat cum filiis suis, & impendat Tyrannis & malignis tributa & obsequia. *Quod* quidem *non recipit Christus*, *suscipit Fiscus*. Jam solet Regibus & Principibus servire, quæ solebat Imperatorum & Regum cervicibus imperare.

Et quidquid potest Papa per tales simonias exquirere, pessimis viris, scilicet Dei & Sanctorum suorum æmulis, stipendiariis potissimùm Italicis, pro conservando Ecclesiæ Romanæ temporali Dominio elargitur. Quod facit servili timore, quo timet magis perdere homines, quàm Deum; quo magis timet illos, qui solum corpus possunt occidere, quàm eum qui corpus & animam potest mittere in gehennam. Et quia *Deum non invocaverunt*, nec cognoverunt, *& illic trepidaverunt timore, ubi non erat timor*: ideo *contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt, nec est timor Dei ante oculos eorum*. Ps. XIII. 3. 4. 5.

Nostri enim temporis Papa cum suis Cardinalibus, spreto timore Dei & amore, potiùs volent Principibus, Regibus & aliis Potentibus complacere in Beneficiis, in Episcopatibus, & in suis supplicationibus, quantumcunque sint injustæ; quàm velint Deo complacere, quàm velint sequi regulas justitiæ, quàm velint executioni demandare sancta Statuta primitivæ Ecclesiæ. Ideò Deus omnipotens Judex justus noster arcum contra tales vibrabit, ossàque eorum dissipabit, qui hominibus placent & non Deo. Confundentur, quoniam Deus sprevit eos.

DE
TITULO PAPALI, SERVUS SERVORUM DEI
magnaque dominandi libidine.

QUOMODO enim Servus Servorum Dei est Papa in terris, qui Principibus & Regibus vult citiùs complacere & Tyrannis, quàm Deo & ejus Sanctis & Angelis? Cum tamen dicat Apostolus: *Si hominibus placerem Christi servus non essem*. Gal. I. 10.

Iterum ex parte alia, quomodò in Bullis suis Papa videtur dicere veritatem, cum in prima linea Bullarum & Literarum suarum videtur inferre falsum dicendo: JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI. Nam si Servus Servorum Dei esset, utique pauperibus & Dei servis obediret ac serviret, vel per se vel alios aut saltem operibus misericordiæ eis provideret: sed ubi est charitas in Papa? Vix poterit pauperem petentem eleemosynam ad pœnitentiam suam, vel servum Dei coram ipso aliquando videre, qui aliquam eleemosynam vel charitatem in ejus Palatio reciperet, vel aliquam consolationem seu Audientiam Papalem se speraret habere. Benè videbis purpuratos, bene vestitos, sacmannos, tyrannos & soldatos ad eum intrare; sed nequaquam pauperes, malè indutos, & virtuosos, literatos, ac conscientiosos ad eum ingressum habere, nisi casu, vel rarò.

Et unde hoc? quia jam non est Papatus Deo militans, sed negotiis secularibus se implicans. Imò jam non est Servus Servorum Dei, sed veriùs, si vellet, Joannes Episcopus Dominus Dominorum. Quia præsumit dicere, esse tantam suam potestatem, quantam Christus habuit secundùm quod Deus, & secundùm quod homo. Nam Christus secundùm quod Deus, habuit potestatem in cœlo, quam semper habuit ut Filius Dei: habet etiam potestatem in terra, secundùm quod homo: & ideo dixit: *Data est mihi potestas in cœlo & in terra*, Matth. XXVIII. 18. in cœlo per glorificationem, in terra per redemptionem.

Verùm potestas ipsi Papæ non est attributa, ut fuit Christi, secundùm quod Filius Dei. Quia illa est impossibilis illi committi: cùm nulla creatura aliam possit beatificare, nec gratiam aut gloriam ipsi præbere. Nec potestas ut hominis Christi ei est attributa. Quia nulla creatura redemptionem naturæ humanæ potuit peragere secundùm Anselmum.

Ergo ipsi Papæ non est attributa potestas illa, quam ipsi Papæ credunt, in cœlo & in terra. Sed solùm est ei data potestas spiritualium denunciatoria ac absolutoria. Denunciatoria, nam quem absolvit, ostendit esse absolutum in Ecclesia: quem ligat, in Ecclesia Militante ostendit esse ligatum, & ista est sententia omnium Doctorum Theologorum. Quod patet. Nam Papa non remittit peccata, sed solus Deus est ille qui delet iniquitates. Sed benè absolvit, hoc est absolutum ostendit. Sicut Lazarus primò fuit à morte per Christum resuscitatus, & posteà per Discipulos solutus. Ideo Christus dixit illis leprosis: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*. Luc. XVII. 14. Nam quos ipsi absolutos ostendunt, Militans Ecclesia pro absolutis recipit. Secus autem de Ecclesia Triumphante quando clavis Papæ errat.

Sed ponamus, quod Papa non curet de ista expositione, quæ tamen verissima est, & rationis secutiva; sed dicat: certè potestatem habeo in cœlo & in terra, in Purgatorio, in Paradiso, & de plenitudine potestatis meæ possum facere quod mihi libet, & nullus debet esse, qui dicat: Cur hoc facis? Reverà tunc Papa non deberet mentiri in Literis suis dicendo: *Servus Servorum Dei*, sed, Dominus Dominorum Mundi.

Ipse tamen Gregorius sanctus & Magnus, qui primò sic scripsit, verè sic potuit scribere quia servus servorum erat; omni die pauperes & famelicos reficiebat, nomina pauperum totius Provinciæ in scriptis habebat, & opera Christi indesinenter agebat, Beneficia Christi virtuosis conferebat, & re pauper erat, Evangelia etiam Christi Clero & populo exponebat, Libros plurimos pro corroboratione & augmento Catholicæ Fidei sedulò conscribebat, sanctos Episcopos ad magnam Britanniam, quæ nunc vocatur Anglia, & alia diversa loca mundi, pro conversione infidelium dirigebat, Imperatores sui temporis reverebatur & honorabat, & sua oratione ad Dominum, Romanum populum à peste inguinaria liberabat; & alia multa pia opera usque ad ejus vitæ terminum exercebat. Hic exemplò præcognoscens, se receptum iri in Papam, fugit & in latibulo stetit per triennium, antequam divinitiùs, quod ibi lateret, populus cognoscebat. Sed non sic fit hodie. Imò quilibet, quantumcunque etiam impotens ad regendum Papatum, si vacaret, ex eisdem Cardinalibus ad illum statum eligi vellet.

DE
OMINOSO PAPÆ SIGILLO,
In quo duo capita,
PAULI ET PETRI.

ITEM aliud notandum, & quasi miraculosè appositum videbis in Literis Apostolicis. Sunt enim ibi duo capita. Et primum est Pauli, qui tamen nunquam fuit Papa, nec Episcopus, ipso dicente: *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus*. I Cor. XV. 9. Secundum verò est Petri, qui fuit Papa & Apostolus.

Ad denotandum, quòd tam necessaria sit clavis scien-

scientiæ, & magis quàm potentiæ. Cum Christus illam sæpius replicaverit Apostolis, dicens: *Ite per mundum, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Marc. XVI. 15. Et iterùm: *Ecce ego mitto vos, nolite cogitare quomodò aut quid loquamini.* Matth. X. 19. Et iterum: *Qui docuerit sic homines, minimus vocabitur, sed qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur.* Matth. V. 19. A Et iterum: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.* Matth. XXVIII. 19. Et tantùm semel Christus dixit Petro: *Quodcunque ligaveris &c.* Ibid. XVI. 19.

Verùm est tamen, quòd post resurrectionem ei dixit ter. Bis tantùm, Pasce agnos meos, & tertio, Pasce oves meas. Et sub conditione tamen dixit: *Simon diligis me?* Cui respondit Petrus: *Tu scis Domine, quod amen te.* Et Christus, dixit: *Si ergo diligis me, pasce oves meas.* Joan. XX. 16. 17. Cum ergo probatio dilectionis exhibitio sit operis, videtur quòd qui non diligit Christum, oves Christi pascere non valeat. Sed cum dilectio Christi per opera manifestetur, nescio quomodò pascat oves Christi, aut quomodò habeat claves Christi, qui opera facit notoria diaboli, dicente Hieronymo. (*Dist.* XL. *Can.* I. 2.) Quod illi, scilicet Petro, concessum est propter actuum lucem, id est propter bonam & sanctam vitam suam, qui toti mundo lucebat. Quia de ipso legitur: *In plateis ponebantur infirmi in lectulis, ut veniente Petro saltem umbra illius umbraret quemque illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Act. V. 15. Scilicet signa, auxilio Dei, facere ad illos solùm pertinet, quos sanctæ conversationis splendor illustrat.

Splendor autem sanctæ conversationis non est in Dignitatibus, potentiis, & honoribus.; quia multos potentes, multos divites videmus malè conversari & pessimos esse: nam tales Dignitates communicantur bonis & malis. Sed solùm splendor sanctæ conversationis consistit in virtutibus & in moribus sanctis, dicente Christo Apostolis: *Vos estis lux mundi, & sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Matth. V. 14. 16. Glossa ergo Decreti, quæ aliter ibi exponit, est mendosa, falsa & hæretica.

Sicut ergo ad Papam pertinet præcipere, corrigere, Sacramenta ministrare, ita primò & principaliùs ad eum pertinet, prædicare verbum Dei, ut alter sanctus Gregorius, populo exponere, Fidem Christi defensare, hæreticos impugnare, & ad omne bonum opus intendere.

Sed quomodò clave potentiæ poterit ille ligare, & solvere, qui nunquam studio sacræ Theologiæ vel scientiæ divinæ voluit intendere, nec unquam novit prædicare verbum Dei: quomodò inter lepram & lepram hic poterit discernere? Certè nequaquam. Ergo oportet, ut primò clave scientiæ vigeat, & post clave potentiæ floreat.

Quod etiam patet ex alio. Non enim Christus elegit potentem in armis, ut esset Papa in Ecclesia ad hoc ut defenderet temporalia; quia Christus non intendebat facere Ecclesiam temporalem, sed perpetuam & spiritualem. Non fecit Papam bonum reparatorem, agricolam, aut bonorum temporalium defensorem: quia Regnum ejus non erat de hoc mundo, ut superius tactum est; nec venerat ad sanandum languores corporum, sed animarum; non venerat reparare castra materialia aut lapidea, sed templa Dei, quæ ipse ad suam imaginem formaverat, spiritualia & in æternum duratura, ipso dicente: *Ad hoc enim sum natus, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, Joan. XVIII. 37. Et, *Non veni vocare justos sed peccatores ad pœnitentiam*, Matth. IX. 13. Et, *non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israel.* Ibid. XV. 24.

Nam si defendere armis Ecclesiam sanctam, quam ipse fundavit, voluisset, nequaquam Petrum piscatorem in Principem Apostolorum elegisset, sed fortiorem militem aut soldatum, quem reperire potuisset, Principem Ecclesiæ constituisset. Tamen nequaquam hoc voluit facere. Imò Petrum dum vocaret & Andream Fratrem ejus, dixit: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum*, Matth. IV. 19. Non enim dixit: Faciam, vos fieri invasores & interfectores ac spoliatores hominum. Et iterum ei dixit Christus: *Pasce oves meas*, Joan. XX. 17. & non dixit: Coërce, corripe, degrada, interfice, deprædare, dilacera, disperge oves meas.

Etiam, si bonum reparatorem temporalium habere voluisset; meliorem rusticum, qui meliùs scivisset in agris excolendis, in vineis plantandis; aut domificatorem, qui melius domos erigere, castra fundare, muros facere potuisset, forsan elegisset.

Nec mirum, quòd in Papa requiratur, ut sit summè literatus: nam si ad Imperatorem Romanum, ad instructionem Catholicæ Fidei laborantem pertineat, ut summatim noverit quid in Catholicis approbet aut confirmet, & plura; nec non in hæreticis quid reprobet, puniat, aut exstirpet: multò fortiùs hæc requiruntur in Papa; quia Christus Ecclesiam suam sanctam duobus generibus hominum duxit committendam, gubernandam & regendam, scilicet sanctis & virtuosis, prudentibus & literatis: quod notatur per hoc, quòd primò Apostolos qui primi fuerunt B post eum Patres, decoravit sanctitate & charitate, dùm Spiritum sanctum in eos insufflavit, & dixit *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Joan. XX. 23. Sed quia Apostoli non debebant sibi ipsis vivere, sed totum mundum ad Fidem Christi reducere, quod facere non poterant sola devotione & sanctitate, cum ipsi deberent pro Justitia agonizare & usque ad mortem stare pro veritate: Ideo in die Pentecostes *factus est repentè do cœlo sonus, seditque super singulos Apostolorum Spiritus sanctus, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ, & loquebantur variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis*: Act. II. 2. 3. 4. Et tunc fuerunt illuminati & pleni scientia ad defensionem Fidei.

Et ideò hanc clavem scientiæ, ut dixi, debet habere Papa cum clave potentiæ de necessitate; ut sciat omni poscenti ipsum de Fide rationem reddere, & doceat in Fide virtutem, & in virtute abstinentiam, & in abstinentia pietatem, timorem Domini secundùm Apostolum, & prædicet verbum Dei, opportunè & importunè obsecret & arguat, ac increpet in omni patientia & doctrina. Aliàs verè *si cæcus cæco ducatum* C *præstabit, ambo in foveam cadunt.* Luc. VI. 39.

Et ideò credo, quòd ex quo venerunt Prælati ignorantes, qui non sunt nisi quasi pura entia, sine virtutibus & scientia, ad regendum Dei Ecclesiam: tunc primò invaluerint hæreses & schismata, & Dei Ecclesia in omnibus Ordinationibus suis & Religione sit & fuerit confusa & divisa. Et ita dixit Isaias Propheta, c. V. 13. *Propterea ductus est captivus populus meus, quia non habuit scientiam, nobiles ejus interierunt fame, populus ejus siti exaruit*, Et ideò ait Sapiens: *Os prudentis quæritur in Ecclesia*, Eccle. XXI. 20. Et in Daniele scribitur: c. XII. 3. *Qui docti fuerint, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ æternæ perpetuitatis.*

SUMMA CAPITA REFORMATIONIS,

IN

D CONCILIO CONSTANTIENSI

Suscipiendæ.

Ex quibus omnibus luce clarius constat, quæ superiùs diximus, quòd futurum Concilium omnimodè debeat congregari & ordinari per Principes, sive seculares, sive Ecclesiasticos Prælatos. Et ante omnia

Digitized by Google

omnia fiat reincorporatio & reintegratio membrorum Universalis Ecclesiæ.

Et secundariò, fiat unus Pastor Universalis & indubitatus; ab omnibus approbatus & certus, vitæ laudabilis, honestæque conversationis, modo quo dixi.

Postea fiat ejusdem Pastoris suæ potestatis, quæ nimia est, & multùm diminuit & privavit jura aliorum Prælatorum, quædam limitatio & moderatio.

Quartò autem, Jurium antiquorum, & Decretorum ac Consuetudinum antiquarum primitivæ Ecclesiæ fiat reformatio & innovatio.

Quintò, fiant Statuta talia & Ordinationes tam circa Papam quàm ejus Cardinales, ut ampliùs inposterùm non valeant schismata esse, nec assurgere.

Sextò, provideatur Monasteriis & Ecclesiis, ac Beneficiis Curatis: Ut nullatenùs dentur in Commendam aliquibus Cardinalibus, seu aliquibus Prælatis; nisi adeò essent pauperes, ut in eisdem personaliter residerent, sicut Curati Rectores.

Septimò, destruantur abusiones, imò violentiæ, manifestæ rapinæ & extorsiones Cameræ Apostolicæ, & ejus pestiferæ Constitutiones, Censuræ & Excommunicationes ac privationes.

Octavò, revocentur Commendæ, incorporationes & uniones Ecclesiarum, ceteraque tempore schismatis facta, contra Deum & conscientiam, & Monasteriorum erectiones in Ecclesias Parochiales, ac rapacitas duorum seu trium Beneficiorum incompatibilium, sub prætextu Dispensationum. Et provideatur Universitatibus Studiorum, ne de facili in eis promoveantur Doctores & Magistri. Et omnibus aliis talis diligentia adhibeatur, ut Deus glorificetur, Ecclesia Universalis sancta pacificetur, & totus mundus ac Christianitas salvetur, ad honorem & laudem ejus, qui cum Patre & Spiritu sancto regnat & vivit benedictus in seculorum secula. Amen.

SERMO
JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis;

Factus in loco Sessionis Concilii Generalis

CONSTANTIENSIS

Post novum recessum Papæ Joannis XXIII. eodem Concilio. Anno Domini 1415. Vigiliâ Dominicæ in Ramis palmarum.

Ad Codd. MSS. Victorin. 137. & Colbert. 99.

AMBULATE *dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant.* Jubet hoc Christus PATRES ORTODOXI, PATRES non in tabulis æreis, ut olim apud Romanos; sed in Libro vitæ CONSCRIPTI. Jubet, inquam, Christus originaliter. *Joan.* XII. 35. & recitativè in Evangelio Sabbati præsentis. Vos obedientes audite, ambulate non passibus corporis, sed gressibus mentis: ambulate de virtute in virtutem, dum lucem habetis; & qualem lucem? Respondeat lux vera cujus hoc est verbum. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*, Joan. VIII. 12. Adsis invocatus Domine Jesu præclarissime sol justitiæ; disjice terræ nebulas & pondera molis, atque tuo splendore mica: absque te enim præcipiti mersa profundo mens habet, & propria luce relicta tendit in externas ire tenebras. Hoc ne fiat, tu Mediatrix, tu Advocata & exoratrix nostra suppliciter adeunda es, Virgo gloriosissima, quæ tui nominis interpretatione tàm illuminata quàm illuminatrix diceris. Et quo lumine? prorsùs lumine gratiæ, quo sic illuminata es, ut dicaris in Apocalipsi XII. 1. *Mulier amicta sole.* Hoc tu nobis lumen ut infundas de plenitudine tua, suppliciter imploramus salutantes & dicentes: *Ave*, &c.

Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant. Lux ista est, jam dixi & repeto; lux ista est PATRES CELEBERRIMI, *Deus, qui glorificatur in Concilio Sanctorum*, dicente Psalmista: Ps. LXXXVIII. 8. *Magnus & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt*, cujus hanc tenemus infallibilem promissionem: Matt. XVIII. 20. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum.* Sicut vidit Psalmista, dùm cecinit: *In Concilio justorum & in congregatione, magna opera Domini.* Ps. CX. 1. Et magna planè, immò ingentia jam vidimus in hoc Concilio justorum Dei opera, spontaneam & vix speratam cessionis viam. Porrò, cum propter semetipsam, & ut glorificetur, fecerit omnia Deus, cujus delitiæ sunt esse cum filiis hominum, ipse quo pacto credendus est præclariori celebritate gloriari quàm in Concilio justorum? Nam laus ejus est in Ecclesia Sanctorum. Tales vos esse convenit, ORTODOXI ET DEO AMABILES PATRES AC DOMINI, ut Concilium sitis Sanctorum & justorum, quos posuit Deus in mundo quasi vera totidem luminaria. *Vos*, inquit, *estis lux mundi*, Matth. V. 14. Si quidem in hoc constituti estis alios purgare, illuminare atque perficere; nunc maximè cùm factus Conventus iste Sacro-sanctus, dùm adunatus est cœtus, cùm congregata est Ecclesia, ut de Machabæis scribitur, quatenùs orarent & peterent misericordiam à Deo, & ut opitulante eo decerneretur quid facto opus esset. Exultat animus profectò, levans in circumitu oculos, & videns omnes istos qui congregati sunt tibi, hoc est ad utilitatem tuam ô popule Christiane, congaudet admirans spiritus meus, & in hanc erumpit Ecclesiastici cantus vocem. Cives Apostolorum & domestici Dei advenerunt hodie portantes facem & illuminantes patriam, dare pacem gentibus & liberare populum Domini. Qualiter liberare? exhortando clamandoque. *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant*, tenebræ divisionum schismatumque, tenebræ tot errorum & hæresum, tenebræ demùm horridæ tot vitiorum per Ecclesiasticum corpus, vasto quodam turbine miserabiliter exundantium.

Ambulate igitur dum lucem habetis, ut non hæ vos tenebræ comprehendant. Lucem itaque habetis PATRES LUMINOSISSIMI Christum, qui verè est in loco isto, noster Emanuel, qui interpretatur nobiscum Deus, cujus est hæc certissima promissio. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi*: Matth. XXVIII. 20. *Deus iste est qui glorificatur in consilio Sanctorum, magnus & terribilis super omnes, qui in circumitu ejus sunt.* Ps. LXXXVIII. 8. Et benè in circumitu tuo Domine res omnes esse dicuntur; quoniam tu velut sphera intelligibilis, cujus centrum ubique est, circumferentia nusquam; tu ubique es, extra non exclusus, intra non conclusus, supra non elatus, infra non postratus; ideò magnus valdè, terribilis, gloriosus & superexaltatus in secula.

Ecce PATRES ORTHODOXI quòd ad hoc ipsum ut glorificetur Deus & illustretur Ecclesia, nunc celeberrima Parisiensis Universitas, cultrix & amatrix eorum omnium quæ Christianæ Religionis pietatem, quæ sanam doctrinam respiciunt, ipsa ad exemplar Christianissimi Regis Francorum Patris sui dignantissimi Legationem mittit, quærens primò ea quæ pacis sunt, denique secundò quæ Fidei sunt, denique tertiò quæ virtutis & Ecclesiasticæ sunt libertatis; quoniam ad hæc tria principaliter Synodus hæc sacra tendit. Jussit hester-

N 3

Digitized by Google

hesterno vesperi per Ambasiatores & Nuncios suos hic præsentes, quatenùs hoc matutino tempore essem habiturus Orationem nomine suo, pro veritatis elucidatione, circa ea quæ per hoc sacrum Concilium agenda videntur occurrere. Nullus opinor mirabitur si ad hanc jussionem ego fragilitatis meæ conscius & temporis arctatione pressus expavi: nihilominùs in Deo, cujus glorificatio quæritur, fisus & de studio præterito super hac veritatis inquisitione memor, Regis prætereà & Ecclesiæ Regni sui voluntate per instructiones cognita, jussioni denique Matris inclytissimæ, cujus Legem dimittere nequeo, monitus à Sapiente, ego tanquam obedientiæ filius parere desiderans, conatus sum aggredi, cum humili dicendorum omnium ad hoc Sanctorum Concilium submissione, ut jure suo dirigat omnia vel acceptet vel corrigat.

Et imprimis quatenùs habeatur ordo dicendorum lucidus & brevis; quia nihil est quod texitur ordine longum; convertamus interim, dilato themate, oculos nostræ considerationis ad hoc quod dictum est: Deum esse *qui glorificatur in Consilio Sanctorum*, qui *magnus est & terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt*. Ps. LXXXVIII. 8. Defigamus in hoc Psalmistæ verbo mentis intuitum, ne per multa vagemur; fallor si non ibi videbimus hujus Sacro-sanctæ Synodi causam quadruplicem, efficientem scilicet, formalem, finalem & materialem, &c.

Vult aliquis cognoscere causam efficientem? Planè illa est. Deus magnus & terribilis, cujus instinctu, miseratione, afflatu & attractu collecta est nunc Ecclesia, sicut elevatus spiritu Psalmista præcecinit priùs *Ps.* CXLVI. 2. Deum esse qui *dispersiones Israelis congregabit*, qui congregat electos suos à quatuor ventis, *a solis Ortu & Occasu, ab Aquilone & mari;* Ps. CVI. 3. tantummodò qui cœpit orandus est ut ipse perficiat. *Leva in circuitu*, ô sacer coetus, *oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt venerunt tibi*. Isaiæ. XLIX. 18. Quidni contingat tibi quod idem Propheta loquitur C. LX. ℣. 5.? *Tunc videbis & afflues & mirabitur ac dilatabitur cor tuum*, & si dilatetur, nunquid non implebit illud Spiritu suo Deus?

Porro causa formalis, est hæc ipsa collectio, seu connexio Concilii Sanctorum, vel Spiritu sancto formante & exemplante, qui est nexus & vinculum compaginans in unum diversa membra Sanctorum, sic agnoscit Ecclesia petens pro seipsa ut Spiritu sancto congregata, hostili nullatenùs incursione turbetur.

Quærit aliquis prætereà finalem hujus sacri Conventus causam; sanè illa est ut glorificetur Deus magnus & terribilis, juxta vocem Apostoli dicentis. *Omnia in gloriam Dei facite* I. Cor. X. 31. Hæc itaque recta, hæc efficax semita ad omnium quæ voluerimus adeptionem, si primò quæsierimus gloriam suam. Dedit hoc intelligi dum ait: *Primùm quærite Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis*. Matth. VI. 33.

Omnes postremò qui in circuitu Dei sunt, accipiunt veluti pro causa materiali & de se informi. Nam sicut hominibus per schismata peccantibus, consequens est universa sub Deo quodammodò deformari; quoniam *homo finis est omnium*, dicentibus Platone & Aristotele: necesse est autem secundùm exigentiam finis omnia moderari; sic ex adverso veniunt omnia per hoc Sanctorum Concilium, Domino efficiente, formante & finiente reformanda. Ita enim de pretioso Sanguine Christi canit Ecclesia. *Terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine*.

Quocircà videre fas est deinceps, quo titulo relucet in causa efficiente, ac residet infrustrabilis autoritas, quæ causa est Deus magnus & terribilis, ex quo omnia in mensura. Relucet in causa formali exemplaris unitas, ut sint omnes unum sicut estis nunc in Concilio Sanctorum, & hoc in Deo per quem omnia in numero. Relucet in causa finali spiritualis utilitas, quia ut glorificetur Deus in quo omnia in pondere. Demùm concluditur in causa materiali generalis uniendorum reformandorumque universitas, omnium scilicet quæ in circuitu Dei sunt; quatenùs omnia reformentur in numero, pondere & mensura, concedente Deo. *Ex quo omnia*, hinc modus, unitas & mensura: *Per quem omnia*, hinc species, veritas & numerus. *In quo omnia*, hinc ordo, bonitas & pondus; quo pondere refluunt omnia in causam quæ dedit esse.

Ceterùm prima triplicitas appropriatur Patri, secunda Filio, tertia Spiritui sancto, benè habet, jacta sunt fundamenta soliditate quadrangula, superædificare possumus tetras Pythagoricum, hoc est quadruplicem conclusionem parietem vel structuram, & dicere pro prima conclusione. Deus magnus & terribilis, sic glorificatur in hoc Concilio Sanctorum, quod eidem sufficientem præbet & infallibilem autoritatem ut causa efficiens, quoad primum fundamentum. Rursus pro secunda conclusione. Deus magnus & terribilis trahit & allicit omnes in communi Christianos ad unius veri capitis unitatem; tanquam causa formans & exemplans, quoad secundum fundamentum, primum in reformatione. Ampliùs pro tertia conclusione. Deus magnus & terribilis sic glorificari vult in hoc Concilio Sanctorum, quòd omnia præcipuè fiant ad honorem & conservationem suæ Legis ac Fidei, sine qua ei placere nemo potest, quoad tertium fundamentum, secundum in reformatione. Demùm pro quarta conclusione. Deus magnus & terribilis paratus est rebus omnibus, maximè hominibus concedere per hoc Concilium Sanctorum quandam reformationem pulchritudinis, glorificationem, ordinem & decorem cum provisionibus idoneis adversùs eos qui non in rectitudine morum; sed in circumitu pergunt vitiorum; & hoc pro quarta conclusione super ultimum fundamentum, quod est tertium in reformatione. Poterat hic ordo teneri sub his terminis; sed aliam progredi viam suaserunt verba thematis, quæ in metaphora lucis fundata sunt.

Revertamur igitur & ponamus lucem divini Præcepti, quia *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Ps. XVI. 9. Lucernam insuper divinæ Legis, sicut Petrus loquitur, *Epist.* II. I. 19. ut jubente Deo posita super candelabrum, *luceat omnibus qui in domo sunt*; Matth. V. 15. quæ domus est Ecclesia, vel hoc sacrum Concilium vice sua. Diffundat & spargat consequenter lux ipsa veritatis Evangelicæ XXI. Considerationes quasi totidem effulgentissimos radios veritatum particularium splendidos & coruscantes.

Ponamus imprimis, immò jam positam digito sicut aiunt, demonstremus lucem Apostolici Symboli quo dicitur. *Credo in Spiritum sanctum & vivificantem*; quid *vivificantem?* Certè *unam Sanctam Chatholicam, Apostolicam Ecclesiam*: *unam*, propter colligationem & ad unum caput primarium Christum & Vicarium Summum Pontificem, *Sanctam*, propter *Sanctorum communionem & remissionem peccatorum*, ut infra subditur. *Catholicam*, hoc est universalem, quoniam ab ejus obligatione nullus viator immunis est. *Apostolicam*, quoniam in Apostolorum & Prophetarum, per quos Spiritus sanctus locutus est, doctrinis fundata est, & per similium filiorum successiones duratura. Certus sum quòd nullus qui vel haberi vel dici vult Christianus, caligare se dicet ad hanc lucem.

Superaddamus lucem alteram Apostolici verbi conformem huic luci. *Soliciti servare unitatem spiritùs in vinculo pacis. Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia & in omnibus nobis.* Sequitur. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in* opus

Digitized by Google

opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem Fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sequitur. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate,* hæc Apostolus ad *Ephes.* IV. 3. 4. 5. &c. Et in hanc sententiam multa ad *Coloss.* I. & 2. & I. *Cor.* XII. & ad *Rom* II. posita sunt.

Hæc autem comparatio veri corporis ad mysticum, multùm luminis affert inquisitoribus veritatis nedum apud Phylosophos sicut Aristotelem & Plutarchum; sed apud Theologos, Paulum præcipuè. Diffunduntur verò sicut præmisimus XII. Considerationes ex hac Symboli & Apostoli doctrinali luce, quasi totidem radii veritatis splendidissimi.

I. Ecclesiastica unitas ad unum caput Christum, fit & agglutinatur per amorosum Spiritus sancti vinculum, mediantibus divinis charismatibus, tanquam qualitativis dispositionibus reddentibus in corpore mystico complexionalem harmoniam vivificam & decentem ad opera vitæ spiritualiter sufficienter exercenda.

II. Ecclesiastica unitas ad unum caput secundarium, quòd dicitur Summus Pontifex Christi Vicarius fœcundior est, multiplicior copiosior & major, quàm fuerit congregatio Synagogæ, & quàm sit congregatio civilis sub uno Rectore Rege vel Imperatore.

III. Ecclesia habet potestatem seu facultatem ex vivifico germine sibi insito per Spiritum sanctum, quod seipsam potest continuare in integritate & unitate membrorum suorum, tàm essentialium seu formalium, quàm materialium atque fluentium.

IV. Ecclesia habet sponsum indefectibilem Christum, sic quod lege stante, nec Christus potest ipsi sponsæ suæ Ecclesiæ dare Libellum repudii, nec è converso.

V. Ecclesia non ita ligatur Matrimoniali vinculo ad Vicarium indefectibilem sponsi sui, quin mutuo se possint absolvere & dare Libellum repudii.

VI. Ecclesia vel Generale Concilium eam repræsentans est Regula à Spiritu sancto directa, tradita à Christo, ut quilibet cujuscumque status etiam Papalis existat, eam audire ac eidem obedire teneatur; C alioquin habendus est ut ethnicus & publicanus: patet ex immutabili Lege divina *Matth.* XVIII. promulgata. Concilium generale sic describi potest: Concilium generale est aggregatio legitimâ autoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nulla fideli persona quæ audiri requirat exclusa, ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in Fide & moribus respiciunt.

VII. Ecclesia vel generale Concilium, dum dictat aliqua regimen Ecclesiæ concernentia; Papa non sic est supra Jura etiam positiva, quòd possit pro libito dissolvere talia dictata per Ecclesiam, eo modo & intentione quibus dictata conclusaque sunt.

VIII. Ecclesia vel generale Concilium quamvis non possit tollere plenitudinem potestatis Papalis à Christo supernaturaliter & misericorditer collatæ; potest tamen usum ejus limitare sub certis Regulis ac Legibus in ædificationem Ecclesiæ, propter quam Papalis autoritas & altera hominis collata est: & in D hoc est totius Ecclesiasticæ reformationis stabile fundamentum.

IX. Ecclesia vel generale Concilium potuit & potest congregari sine expresso consensu vel Mandato Papæ etiam ritè electi & viventis, in multis casibus. Unus inter ceteros est, si accusatus & evocatus sit ut audiat Ecclesiam juxta Evangelicam Legem allegatam, cui Legi subjectus est, & ipse renuit contumaciter Ecclesiam convocare. Alius casus, ubi materiæ grandes concernentes regimen Ecclesiæ veniunt terminandæ per generale Concilium, & Papa renuit contumaciter illud evocare. Alius si jam dictatum sit per generale Concilium, quòd debeat tali vel tali tempore convocari. Alter casus est, ubi A probabilis est dubitatio super contendentia plurium de Papatu.

X. Ecclesia seu generale Concilium, si viam aliquam concluserit seu dictaverit, acceptandam esse à Papa pro terminatione schismatis; ipse tenetur illam acceptare, & ita secundùm præparationem animi tenetur ad cessionem, & dum ultrò offert eam & prævenit, ipse redditur multipliciter commendandus.

XI. Ecclesia seu generale Concilium præcipuè debet intendere cum prosecutione unius perfectè ad extirpationem errorum, & emendationem errantium sine personarum acceptione: similiter ad hoc quòd Hierarchicus ordo Ecclesiasticus Prælatorum & Curatorum multipliciter turbatus reformetur, ad similitudinem cœlestis Hierarchiæ, & conformiter ad Regulas primitùs institutas.

XII. Ecclesia non habet efficacius medium ad generalem sui ipsius reformationem, quam si statuatur generalium Conciliorum continuatio, celebrationem B Provincialium non omittendo. Explicit.

Attendat benignus lector quòd prolator hujus Sermonis Joannes Cancellarius Parisiensis, pressus nimiâ temporis angustiâ, probationes dictatas non apposuit ad has considerationes; sed prout in mentem & linguam ex recordatione præteritorum Opusculorum, præsertim tempore Concilii Pisani, dum absens ab eo legebat Parisius, inserens materiam hanc, quam in Tractatulo quodam sub XX. Considerationum numero scriptam reposuit. Cujus initium est. Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus. *Ubi prædictæ Considerationes & in propositione una coram Legatis Angliæ pergentibus ad Concilium Pisanum tunc Parisius habita, prolixiori solidiorique manifestatæ sunt argumentatione: qui Tractatus & propositio prodierunt in publicum, ut habeat qui voluerit; fas est.*

Ampliùs verò juxta Legationis onus impositum per Christianissimum Regem Francorum ac Universitatem Præclarissimam Parisiensem proposuerat idem Cancellarius post verbum de Ecclesiastica unitate subjungere de errorum extirpatione; sed impeditus tunc partim amicorum suasione, partim temporis arctatione, & ut in prolixitate non inesset fastidium, silentio præterit, quorum aliqua summatim hæc subjuncta sunt.

GLORIFICATIONEM Dei, PATRES APOSTOLICI PATRES GLORIOSI, posuimus esse finem hujus Concilii Sanctorum, quatenùs pleni sint cœlum & terra, ô Deus magne & terribilis gloria tua; quatenùs non jam ambulent in errorum circuitu impii super terram; sed agnoscant quoniam *magna est gloria* (dicente Sapiente Eccli. XXIII. 28.) *sequi te Dominum* per semitas Legis tuæ pacificas; quoniam *pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum,* Ps. CXVIII. 165. & quia si creditur eidem Sapienti, nihil dulcius quam respicere in Mandatis Dei. *Eccli.* XXXV. 2. Sed væ mundo à scandalis, væ tibi mala voluntas, & ideò mala, quoniam arroganti superbia, glo-

gloriam propriam quærens anteponis eam divinæ, nolens subjici Legi suæ, neque captivare omnem intellectum in obsequium Fidei. Hinc hæreses & errores impii, hinc scandalorum turbationes horridæ, hinc in Ordine violato plurima fœdaque confusio; hinc tandem in hominibus & ex consequenti per omnia quæ propter homines fecit Deus suboritur frequenter non gloria Dei, non pax hominibus; sed tetra quædam alteratio mortificans & abjiciens vivificantem gratiæ spiritum, & cadaverosam monstrosorum defectuum non tàm formam quàm deformitatem inducens. Deplorat hanc perversissimam rerum vicissitudinem Christianissimus Francorum Rex, cum Ecclesia tota Regni sui miseretur, dolet, compatitur, & ab hoc Sacro sancto Concilio legitimas provisiones efflagitat. Non confundantur precor ab exspectatione sua, nolite careat piissimis desideriorum suorum affectibus; sed & Patrem sequitur sua proles, Regem videlicet filia sua Parisiensis Universitas; nec tantùm sequitur; sed prævit, humilitate salva, quandoque consiliis, nunc exhortationibus, aliquando doctrinis, sciens quòd veritas custodit Regem, sciens præterea se positam Apostoli jussu, *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*. Tit. I. 9. quæ posuit Aristoteles *Opera duo sapientis*. Denique parata est, tanquam posita in lucem Ecclesiæ, ad satisfactionem omni poscenti rationem, de ea quæ in ipsa est Fide & Spe, I. *Pet.* III. 15. ut in omnibus & per omnia glorificetur Deus.

Insurrexerunt ecce post aliqua tempora plurimæ doctrinæ peregrinæ, variæ, pestiferæ & damnatæ, obtenebrantes Ecclesiam per multa Christianitatis membra, per Regna, per Provincias, per Regiones insignes. Processum est ad expellendas hujusmodi doctrinarum tetras caligines, nunc luce disputationis doctrinalis per Doctores & Universitates, nunc flabello judicialis reprobationis per Diœcesanos & Inquisitores hæreticæ pravitatis in Anglia, in Scotia, in Praga, in Francia. Nondum tamen vel illuminari vel emendari sufficienter inspeximus cæcam & stultam improbitatem assertorum sectatorumque suorum, quin error assiduè, sicut cancer, serpat & alicubì palam, quasi nudato ense, per nationes & populos imprudenter erumpat. Propterea necesse est per splendidissimam & inobfuscabilem hujus Sacri Concilii lucem provida celeritate de remediis institui; ut qui spreverunt Prælatos & Doctores divisim positos tanquam lucernas in domo Dei revereantur eos, conspiciant & obediant; dùm in unam hanc Ecclesiæ domum collecti, dabunt autoritatis suæ robur & pondus, ibunt in splendore fulgurantis hastæ reprobationis judicialis, qualem nemo qui Christianus videri vult, audebit contemnere. Esto contemnat, ipse tamen de contemptu suo fulgurationem concremationemque subibit ut justum est. Et quoniam charitas sicut incipit à se & à suis, in dilectionis exhibitione; sic in correctionis & emendationis procuratione priorem habere locum debet, ne subeat illud improperii proverbium. *Medice cura teipsum*. Luc. IV. 23. Et illud de Apostoli sententia. *Qui prædicas non furandum, furaris; non occidendum, occidis; non perjurandum, dejeras*, & ita de reliquis. *Rom.* II. 21. Hinc Christianissimus Rex noster suaque per adoptionem dignativam charissima filia Parisiensis Universitas, voluerunt hactenùs à Regno & à suis, perversa quorumlibet errorum zizania mox ut erumpere seu germinare sentiebantur, diligenter opprimi resecarique; nunc falce doctrinæ, nunc securi pastoralis sententiæ, ita tamen ut non simul eradicetur & triticum. Sunt plurima rei quam loquimur documenta, è quibus unum quod novitate acritateque præcellit censuimus in medium deducere.

Ecce Patentes Regis nostri Litteras quas audire libeat.

Legi debebat hæc Litera Patens, cujus initium est post intitulationem: Regia Majestas nostra. Dehinc subjungendum erat.

Audivit Sacro sanctum hoc Concilium justorum, quatenùs in Christianissimo Rege nostro ferveat zelus ad ea quæ Fidei sunt, absque omni personarum acceptione, absque respectu propriæ etiam carnis & sanguinis. Terreat ipse Deus magnus & terribilis qui glorificatur in Concilio justorum, qui salubriter & potenter intonat: *Ambulate dum lucem habetis*; subdit monitionis causam, *ne tenebræ vos comprehendant*. Joan. XII. 35. Et quales oro densiores, fugibilioresque tenebræ, quàm errorum & hæresum circa prima Præceptorum moralium principia, ut sunt: *Non perjurabis. Non occides. Non insidiaberis*? Terreat ipsos Ecclesiasticos Pastores & Doctores, positos in lucem aliorum, si ad exemplar tam insigne atque perlucidum Christianissimi Regis nostri, non eos illuminet accendat & inflammet zelus domûs Dei. *Vox dicentis Clama*, Isaiæ. XL. VI. *ne cesses, & annuncia populo meo peccata sua*. Ibid. LVIII. I. Si non urgeat eos procedere constanti celeritate ad effugationem errorum tenebrosorum & ad illuminationem errantium: neque enim potest integra salubritate sine secundo, primum fieri; quoniam dum impunè pertinacia manet in errantibus, convalescant & sæviant errores necesse est.

Sed in ipsa meditatione mea videtur occurrere animalis homo non sapiens quæ Dei sunt, Deum non invocans, illic præterea trepidat timore ubi non est timor: magnus est, inquit susurratione tremula, magnus credite & terribilis, quem tangunt & notant errores hujusmodi, Princeps est. Scimus autem quid Sapiens enunciet: *Indignatio Principis mors, & vir prudens placabit eam*: Prov. XVI. 14. Quid quæso si sæviat, si seditiones concitet, si bella moveat, si secum plurimos, hos terroribus, hos promissis in errorem suum trahat, ita ut si fieri potest, moveantur etiam electi? Vide sedulò ac iterum iterumque recogita (ait animalis homo,) ne fortassis obinde præstetur tam desiderantissimæ jam jamque in januis existenti paci Ecclesiæ grandis obex vel totalis diruptio.

At verò nihil hîc tale timendum. O strenuissimi pugiles Fidei. O potentissimi Legum divinarum defensores. Nihil inquam tale timendum timentibus Deum, & obedientibus jussioni quâ dixit: *Nolite terreri ab eis qui corpus occidunt, animam vero occidere non possunt, ita dico vobis, hunc timete*, Matth. X. 28. & Luc. XII. 5. timeatur Deus & non terreat. *Homo time Deum* (suadet Augustinus) *& minantem mundum uniuersum ridebis*. Tollatur hæc suspiciosa pigri formidatio dicentis, *Leo est in via* Prov. XXVI. 13. devorandus sum; quia profectò magna & unica securitas est nil timere præter Deum, cujus hæc jussio est. *Usque ad mortem certa pro justitia*. Eccli. IV. 33. Et iterum. *Esto fidelis usque ad mortem*, & similia.

Potueramus rem hanc in longius deducere, pro qua interim satis sint breves & pauculæ considerationes, quasi totidem radii moralis luminosæque veritatis.

Providendum est hæreticali divisioni per Ecclesiastica membra serpenti, non minùs celeriter & efficaciter quàm schismati super contendentia de Papatu: Ecclesia quippe magis in Fide quàm in secundario capite fundata est.

Providendum est constantiùs per hoc Sacrum Concilium ad extirpationem errorum, emendationem errantium, quantò qui errant plures sunt, potentiores & majores: quod si quis dixerit quòd bella suscitabunt, diffamat eos nimis, neque ei leviter credi debet.

Providendum est ad emendationem errantium per eos qui se dicunt amicos eorum, vigilantiori sollicitudine quàm per extraneos, ceteris paribus.

Præst-

Digitized by Google

Præstantes scienter impedimentum, ne errantes resipiscant & corde credant ad justitiam, & ore faciant confessionem ad salutem; habendi sunt hostes capitales errantium & salutis eorum.

Præstantes scienter impedimentum ne tollantur errores, & errantes corrigantur, reddituri sunt rationem de damnis omnibus tàm spiritualibus quàm temporalibus, quæ obinde provenerunt aut venient.

Omissio seu dissimulatio præstantium impedimentum nedum positivè, sed privativè vel omissivè, directè vel indirectè, per cautelas humanas ne tollantur errores, causat suspicionem de fautoria hæreticæ pravitatis, quandoque levem, quandoque vehementem, quandoque convincentem, juxta varietatem obligationum.

Inexcusabilior & aliquando perniciosior est error in principiis Legis naturalis; sicut sunt Præcepta Decalogi, secundùm planum & usitatum intellectum verborum apud omnes utentes ratione, quàm sit error in Articulis Fidei, qui sunt supra naturæ facultatem, & in agibilibus quam speculabilibus.

Conditionalis protestatio vel confessio, non sufficit ad purgationem legitimam super publicatione vel defensione vel annotatione errorum, quorum oppositas veritates tenetur errans explicita Fide tenere.

Diffamatus publicè & notoriè super publicatione aut defensione errorum contrariorum rectæ Fidei & moribus, tenetur seipsum purgare, si potest coram Judice legitimo, etiam nemine eum personaliter accusante; tenetur enim servare famam propriam & ab aliis scandala præstita removere.

Quæ clauduntur duabus hinc inde lineis, adjecta sunt ex MSS. Vict. Cq.18. nunc... & Colbert.99.

[Ad efficacem errorum extirpationem qui sunt jam damnati per Ecclesiam, magis procedendum est in generali Concilio per invocationem Brachii secularis adversùs pertinaces quàm per curiosam ratiocinationem: & notetur quòd non sufficienter auferuntur errores quandiu perseverant errorum assertores.

Procurator generalis Concilii debet ex officio procedere contra notorios & publicos errantes ut resipiscant aut corrigantur; longè diligentius quàm contra violatores Papalis Jurisdictionis temporalis. Et hoc requisitum est Parisius coram Rege Christianissimo Francorum.

Pax Regnorum per Christianitatem vix potest efficacius & divinius procurari, quàm per legitimam extirpationem errorum & correctionem errantium.

Quærere provisionem super extirpatione errorum & correptione errantium, non est impedire prosecutionem unionis Ecclesiasticæ; sed est eam juvare & accelerare, multis attentis: ita ut verum sit quòd oportet unum facere & aliud non obmittere.]

LIBELLUS
J. Gersonii Doctoris & Canc. Parisiensis.
DE
AUFERIBILITATE PAPÆ
AB ECCLESIA

Ad MSS. Codd. Victor. 469. 56. 137. usque ad IV. Consid. Navarricum unum & Colbert. 99.

ARGUMENTUM.

Non in eo versatur iste Tractatus ut Papam ab Eccclesia penitus auferri posse ostendat, ut quidam perperam existimarunt, sed in eo scilicet, hoc contingere posse, ut Ecclesia careat per aliquod tempus Pontifice, nec non in nonnullis casibus ab Ecclesia posse deponi.

VENIENT *autem dies cum auferetur ab eis sponsus.* Matth. IX. 15. Circa quem textum pro materia nunc currente quæritur. Si auferibilis sit sponsus Ecclesiæ à filiis suis, vel ab ea. Et ponantur hic Considerationes XX.

Consideratio Prima.

AUFERIBILIS non est sponsus Ecclesiæ Christus homo ab ipsa tota Ecclesia, lege stante. Si quidem *caput Ecclesiæ Christus est:* ad Ephes. V. 23. & Collos. I. 18. & II. 10. Puto autem, nemo concesserit, quòd absque capite valeat permanere corpus aliquod A verum vel mysticum: sed Ecclesiæ corpus mysticum manere semper usque ad consummationem seculi, necesse est, lege stante. *Matt. ult.* 20. Hoc ergo fiet per vivificum influxum capitis in ipsum. Pro quo facit parabola qua Christus se viti comparat, Discipulos palmitibus. Quod si quis dixerit oppositum, dicens Ecclesiam incœpisse ab Abel justo secundùm Gregorium, quo tempore nondum Christus erat incarnatus: respondet Joannes in Apocalipsi, XIII. 8. qui dicit: Agnum fuisse occisum ab origine mundi prævisivè, scilicet & acceptativè à Deo, licet nondum corporaliter exhibitivè; quia nec ipsis antiquis erat salus, nisi in Fide, multùm tamen implicita & generali Mediatoris & Capitis Ecclesiæ Christi B tunc futuri; quibus erat necessarium credere saltem illud Symbolum quod Deus est, & quòd est remunerator in se credentium. *Hebr.* XI. 6. Rursùs deducitur quod dictum est ex ipsa conditione Matrimonialis vinculi inter Christum sponsum & Ecclesiam sponsam; sicut Joannes in Apocalipsi, XXI. 2. Ecclesiam sub typo civitatis novæ Jerusalem vidit *descendentem de cœlo sicut sponsam ornatam viro suo.* Nam ad exemplar cœlestis, Ecclesia terrena formata est. *Quod autem Deus conjunxit, homo non separet,* Matth. XIX. 6. ita ut, lege stante, non posset aut debeat dari Libellus repudii inter sponsum & sponsam conjunctos legitimè. Quæ autem conjunctio matrimonialis magis legitima, quàm Christi sit ad Ecclesiam confœderatio? Propterea dicit per Oseam: XII. 19. *Desponsabo te mihi in æternum,* & per alterum Prophetam: *Si potest oblivisci mater ut non misereatur filio uteri sui, ego tamen tui non obliviscar* Isaiæ. XLIX. 15. Loquitur de Ecclesia sponsa sua: nam *relinquet homo Patrem & Matrem & adhærebit Uxori suæ,* Gen. II. 24. sic & Christus C Ecclesiæ; cùm Matrimonium carnale ideò sumat indissolubilitatem, quia *Sacramentum magnum est in Christo & Ecclesia,* Epess. V. 32. quia est illius Matrimonii sacri signum.

Consideratio Secunda.

AUFERIBILIS est, absolutè loquendo, sponsus Ecclesiæ Christus homo ab ipsa Ecclesia: neque enim minùs hoc est possibile quàm quod Christus desineret esse homo, sicut spontanea voluntate Verbum caro factum; aut quòd desineret esse nedum Ecclesia ipsa; sed omnis generaliter creatura. Porrò sicut non est absoluta & inauferibilis habitudo cujuscunque creaturæ ad alteram creaturam, neque tanquam finibilis ad suum finem, neque tanquam effectus ad suam causam; sic non est hoc modo essentialis vel inauferibilis habitudo Ecclesiæ ad Christi humanitatem, quam utique confitemur creaturam. Et ita staret ab- D solutè Christum hominem esse, & Ecclesiam similiter esse, nec tamen ipsam à Christo ut homo est, vitales influxus suscipere.

Consideratio Tertia.

AUFERIBILIS est sponsus Militantis Ecclesiæ Christus à quolibet filiorum suorum hic in via, licet non ab omnibus collectivè, quandiu permanebit Militans Ecclesia & lege stante, sicut deinceps loqui proponimus. Perspicua est prima pars hujus disjuncti; quoniam nullus est homo vivens qui non videat mortem, & si hoc non sufficiat, quia dicit A-

postolus

postolus quòd, *sive vivimus sive morimur* &c. Rom. XIV. 8. aut perinde nunquam separamur à Christo. Constat tamen quòd fit separatio per mortem talis quâ desinit esse quis viator & de Ecclesia Militante. Constat præterea quòd quamdiù manebit hìc aliquis in via, sicut potest proficere, ita deficere culpabiliter, & à Christo vera vite, ut palmes aridus & combustioni soli aptus separari; nisi tamen fuerit per confirmationem quodammodò positus extra statum puri viatoris. Altera pars disjuncti sequitur ex prima consideratione & ejus deductione; quoniam hæc omnis collectio nihil aliud est quam Ecclesiastici corporis indissolubilis compago; quemadmodùm dici solet, totum nihil aliud est quam suæ partes simul sumptæ; sed hæc compago manet in æternum, lege stante.

Consideratio Quarta.

AUFERIBILIS non est sponsus Ecclesiæ Christus ab ipsa, quin influat quotidiè tàm per modum meriti & impetrationis, ut alii Sancti & plusquam ipsi, quàm etiam per modum dignativæ inspirationis & vivificationis per Spiritum sanctum suum, Fidem, Spem & Charitatem infundendo cum ceteris dotibus gratuitis virtutum, donorum & beatitudinum, & maximè Sacramentorum. Itaque sicut non permanet corpus aliquod verum & vivens, nisi habuerit qualitativas dispositiones reddentes complexionem harmoniacam & decentem per manutenentiam formæ cum corpore organico, secundùm exigentiam ipsius ac formæ activitatis & operationum suarum, nec aliunde venit mors, nisi quia solvitur isthæc harmonia: non aliter sentiendum est de corpore mystico Ecclesiæ. Ipse enim Spiritus sanctus qui est Spiritus Christi, est etiam suo modo forma corporis Ecclesiæ, prebens ei vitam, unitatem & motum, & hic non permaneret cessantibus qualitativis dispositionibus prænominatis diffusis per totum corpus Ecclesiæ & per membra varia, prout unicuique membro donatum est, & prout opus habet ad ædificationem corporis universi. Tradit hoc Apostolus clarissimè scribens ad Ephes. IV. 34. &c. *Solliciti*, inquit, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma. Unus Deus & Pater omnium.* Sequitur. *Unicuique autem nostrum data est gratia secundùm mensuram donationis Christi.* Sequitur: *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos*, &c. Quinetiam Articuli quatuor principales Apostolici Symboli fundant illam considerationem. Unus est, *Credo in Spiritum sanctum & vivificantem.* Quid vivificantem? nisi sanctam Ecclesiam, sicut protinùs additur, *& unam sanctam Ecclesiam Catholicam.* Deinde sequitur, *Sanctorum*, hoc est Sacramentorum, *Communionem*, ac deinde, *Remissionem peccatorum* intellige consequimus *& vitam æternam.*

Consideratio Quinta.

AUFERIBILIS non est ab Ecclesia Militante sponsus suus Christus homo, quin semper influat in eandem Ecclesiam sponsam suam per membra varia gradus Hierarchicos Officiorum & Administrationum & Dignitatum & Statuum ab ipso constitutorum, dùm Ecclesiam fundavit primitùs & ædificavit. Si enim permanebit Ecclesia usque ad consummationem seculi, permanebit ut perfecta; *Dei* enim *perfecta sunt opera*; Deut. XXXII. 14. non solùm in inchoatione; sed magis in conservatione & consummatione. Sed nemo dubitaverit quin ablatio unius membri à corpore, deformitatem grandem & imperfectionem inducat. Manebit ergo semper Ecclesia cum suorum integritate & perfectione membrorum. Scribit de his Apostolus I. ad Corinth. XII. 4. 5. &c. *Divisiones*, inquit, *gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem, Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ, secundùm eundem Spiritum; alteri Fides in eodem Spiritu; alii gratia sanitatum in uno spiritu; alii operatio virtutum; alii Prophetia; alii discretio spirituum; alii genera linguarum; alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis prout vult.* Concludamus ex his Pauli verbis quod assiduus erit in Ecclesia usus ministrationum & gratiarum gratis datarum quas enumerat, & hoc quantùm expediat ipsius Ecclesiæ decursui & ædificationi; sic erunt sapientes, sic Prophetæ, sic discretores spirituum, quibus ex officio Hierarchico commisso eis à Christo & Spiritu sancto conveniunt tales actus, ita ut ab humana quavis autoritate nequeant impediri, suspendi vel prohiberi, sicut nec status Papalis, nec Apostolicus, vel Pastoralis: fuerunt enim primitùs velut in quodam seminario vivifico positi in Ecclesia per Christum, & postmodùm crescente Ecclesia discretio talium magis innotuit, velut si stipes vineæ se in folia & flores & ramos explicuerit.

Consideratio Sexta.

AUFERIBILIS non est sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia taliter, quin semper habeat in se vivificum semen, quo potest per successiones generationis & generationis sese continuare in corpore toto & in membris præsertim officialibus, similiter & in filiis. Traducitur ad hoc illud Christi. Matth. XXIV. 34. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc donec omnia fiant*, loquens de generatione justorum, quæ contrariatur illi de qua dictum est: *Amen dico vobis quod requiretur à generatione hac omnis sanguis, ab Abel justo.* Matt. 23. 35. & Luc. XI. 51. Itaque si Dominus in rerum mutabilium creatione singulis indidit sementem secundùm genus suum ad propagationis suæ generationem: si tam in Lege naturæ quàm in Lege Moysi status Sacerdotalis durabat, vel in primogenitis, vel per successionem hereditariam filiorum pro Patribus suis; oportuit multo ampliùs Legem gratiæ perfectissimam habere in semetipsa fœcunditatem pro sui continuatione legitima. Ad quod inducit Apostolus ad Rom. IX. textum Prophetæ Evangelici. Isaiæ I. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus.* Hoc autem semen quid aliud debet intelligi, quam vis insita spiritualis & ars quædam vivifica in universum corpus Ecclesiæ, per quam Hierarchicus ordo potest usque in finem subsistere. Et ex his protinùs infertur, quòd Ecclesia vel Concilium eam repræsentans potest instituere vel eligere vel designare Summum Pontificem in sacra Sede Petri. Potest insuper modum determinare, vel limitare eum taliter, vel taliter instituendi, sive designandi; ita quòd non spectat hoc ad solum Pontificem Summum, alioquin ipso mortuo, vel nolente dare Legem eligendi successorem, posset Ecclesia permanere jugiter sine Summo Pontifice, quod nequit fieri, lege stante: quia si quis dixerit modos qui nunc observantur pro electione Summi Pontificis determinatos esse per Summos Pontifices, placet; sed Ecclesia consensu suo vero vel interpretativo approbavit: aut in defectu, qualem prædiximus, fas haberet immutare, & ita fas, ut in contrarium nullius posset cujuscunque Pontificis autoritas Legem dare.

Consideratio Septima.

AUFERIBILIS non est sponsus Ecclesiæ Christus ab Ecclesia sponsa sua & filiis ejus, sic quod remaneat Ecclesia in sola muliere, immò nec in solis mulieribus

lieribus omnibus, immò nec in laïcis solùm, lege stante & non facta divinitùs nova institutione. Da oppositum, Ecclesia deficere posset in suis gradibus & Officiis Hierarchicis; in suis etiam Sacramentis usque in finem. Patet hoc, præsupponendo quòd Sacerdos à non Sacerdote, & Episcopus à non Episcopo nequit institui, immò nec à tota multitudine laïcorum aut mulierum simul congregata; si per casum mortui essent omnes Sacerdotes. Additum est, non facta divinitùs institutione nova: quia Spiritu sancto dictante & operante nova præstari posset autoritas qualis nondum collata est; quemadmodùm priusquàm Deus instituisset Sacerdotium novum supremum & alios inferiores gradus Hierarchicos in Ecclesia, non dubium quin hoc potuerit. Porrò nulla Communitas vel universitas hominum mortalium simul congregata, talem aliquem gradum nullo modo instituere potuisset cum potestate, qualis in quolibet reperitur, quæ supra naturam existens, ipsam sibi præsupponit & substernit quodammodò, sicut forma materiam. Nec opinor quòd aliquis Doctorum Theologorum senserit in hoc contrariè; quamvis verba quædam Epistolæ cujusdam seu Tractatûs de Concilio generali videri possint aliqualiter hoc sonare, nisi benigno interprete foveantur. Deducitur proinde quòd nec Hieronymus, nec aliquis aliorum dicens Ecclesiam vel Apostolos sibi constituisse Petrum ut Supremus esset & Princeps inter eos ad schisma tollendum; non intelligunt hoc, nisi quòd Ecclesia vel Apostoli declaraverunt ita esse constitutum à Christo, & hoc tenendum fidelibus tradiderunt. Et ita valsatur illa quæ videtur esse super hac re inter Hieronymum & ceteros varietas.

Consideratio Octava.

AUFERIBILIS est aut mutabilis, lege stante, quælibet Politia Civilis Monarchica seu Regalis ut fiat Aristocratica, & non sic de Ecclesia quæ in uno Monarcha Supremo per universum fundata est à Christo. Posset deduci consideratio tam à priori quàm à posteriori, deducendo variationes quæ fuerunt in aliis Politiis; quia nullam aliam Politiam instituit Christus immutabiliter Monarchicam, & quodammodò Regalem nisi Ecclesiam. Et oppositum sentientes de Ecclesia, quòd scilicet fas est esse plures Papas, aut quòd quilibet Episcopus est in sua Diœcesi Papa, vel Pastor Supremus æqualis Papæ Romano, errant in Fide & unitate Ecclesiæ contra Articulum illum. *Et in unam Sanctam*, &c. & si pertinaces maneant, judicandi sunt hæretici, sicut Marsilius de Padua & quidam aliorum. Consonat ratio: quia sicut ad unam Fidem & ad eadem Sacramenta obligantur omnes viatores, sic oportuit ut non esset schisma reductionem finalem fieri ad unum Supremum. Secùs ubi Communitas regitur Legibus solis naturalibus & traditionibus humanis, quæ pro varietate temporum & locorum laudabiliùs & utiliùs variantur, quàm ut uno tenore ligent omnes, quemadmodùm tradit Aristoteles exemplificans de regula Lesbiâ. Quocircà dicamus ex incidenti consequenter, quòd nec Summus Pontifex, nec aliquis aliorum debet conari ut Canones positivi vel aliæ Traditiones humanæ observentur ubique per totam Ecclesiam, & per omnes invariabiliter nationes. Oppositum satagere, dedit fortè occasionem Græcis discedendi à Latinis; dat præterea quotidiè materiam multam litium, scrupulorum gravium; dum æquali tenore quæritur observari Lex humana, sive sit illa Canonica, vel Civilis, quemadmodùm custodiri Divinam absque ulla variatione necesse est. Inde venit illa Christi quæstio. Matth. xv. 6. *Irritum fecistis Mandatum Dei propter traditiones vestras.*

Consideratio Nona.

AUFERIBILIS est Vicarius sponsus Ecclesiæ per voluntariam ejus cessionem aut renuntiationem à Papatu. Fuerat enim olim dubitatio post renuntiationem Cœlestini, nunquid talis renuntiatio Jure subsisteret; tùm propter votum quo se Papa obligat ad Ecclesiam; tùm propter desponsationem & Matrimonium quoddam spirituale inter Papam & Ecclesiam; tùm prætereà, quia Papa divino Jure statutus est in hoc gradu, & si quæ sunt aliæ rationes: occasione cujus dubitationis facta est Decretalis determinans affirmativam quod hoc licet. Et ita, licet quòd ex hac humili renuntiatione cum ceteris partibus bonis, [*aliter* particularibus bonis] Cœlestinus annumeratus est catalogo Beatorum; sunt autem casus aliqui, etiam per Juristas expressi, quando licitum est Prælato, immò quandoque debitum cedere statui suo. Unus est, grande scandalum subditorum, quod non expectatur alio modo probabiliter terminandum quam per cessionem. Alius casus est dùm occupatio seu retentio Prælaturæ patenter vergit in detrimentum salutis propriæ. Nam *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur, aut quam dabit homo pro anima sua commutationem.* Matth. XVI. 26. Marc. VIII. 37. & Luc. IX. 27. Alius casus est, ubi manifestè talis retentio impediret majus bonum vel in Prælato, vel in subditis. Multiplices essent casus in particulari, secundùm illud triplex genus: sed brevitati nostræ satis sint ista pro nunc, per quæ dissolvitur prima ratio quæ fiebat de voto, quòd non obligat, dùm vergit in detrimentum salutis vel exitum deteriorem. Alteram rationem solvit dissimilitudo quæ est inter Matrimonium carnale & spirituale, licet conveniant in multis. Dissimilitudo est quantùm ad hoc, quòd in spirituali non est Sacramentum, ex quo consurgat indissolubilis nexus ex institutione divina. Quemadmodùm de carnali est expressa Lex. Matth. XIX. 6. & Marc. X. 9. *Quod Deus conjunxit homo non separet*, &, *Sacramentum hoc magnum est. Dico autem in Christo & Ecclesia*, inquit Apostolus. *Ephes.* V. 32. Ac perinde solvitur ratio tertia, quia propriè solus Christus est sponsus Ecclesiæ; alii sunt tantummodò Vicarii, quos per humanam designationem vel electionem voluit institui; quamvis officium sit divinum, & sola autoritate divina primitùs ordinatum.

Consideratio Decima.

AUFERIBILIS est in casibus dabilibus Vicarius sponsus Ecclesiæ ab ipsa Ecclesia, & hoc per eam vel per Concilium generale repræsentans eam, vel per aliquos ad hoc per eam institutos, sive consentiat ipse Vicarius, vel non consentiat suæ cessioni. Sumitur imprimis argumentum pro hac consideratione ex veritate præcedenti: nam si Vicarius sponsus potest resignare spontè ipsi Ecclesiæ, dando ei Libellum repudii; cùm sponsus & sponsa non debeant quoad hoc impari jure censeri, poterit similiter repudiare sponsum talem ipsa Ecclesia sponsa, dùm par ratio vel potior adducitur pro ipsa contra sponsum; vel quia prostituere quærit eam quantùm in se est, vel tyrannide sæva tractare, laniando eam vel plagando, bona sua dissipando, vel quia abuti conatur ea in perniciem filiorum. Nullum quippe statum, nullum gradum Dignitatis, nullum ministrationis genus dedit Deus, nisi in ædificationem suam & utilitatem communem. Patet ad *Ephes.* IV. & ad *Corinth.* VI. Dedit utique, ad pacem ejus, cujus *fines posuit pacem* secundùm Psalmistam. CXLVII. 14. Et hanc operatur dilectio; propter quod *finis Legis* ab Apostolo ponitur *dilectio*, I. Tim. I. 5. in qua etiam

Digitized by Google

fundavit Christus Officium pastorale. *Si diligis me* (inquit Christus Petro) *pasce oves meas.* Joan. ult. 17. Sed quis non videat casus multos esse possibiles, quorum aliqui nunc tacti sunt, in quibus Ecclesia non ædificaretur, sed destrueretur; non uniretur, sed dissiparetur; non pasceretur, sed depasceretur, si non cederet voluntarius vel ejiceretur invitus hic qui in Vicarium sponsum Ecclesiæ ritè & canonicè fuerat ordinatus. Nec sit cuiquam illud admirationi quod dicimus, quasi contrariantes illi jussioni. *Nolite tangere Christos meos*; Psal. CIV. 15. Quomodò etiam uni singulari personæ fas esset in casu violentiæ attentatæ per Papam verum contra castitatem suam, vel vitam, vim vi repellere, cum appositione inculpatæ tutelæ. &c. & ita licitè stabit quòd tangat Papam violenter, vel in mare dejiciat: cur similiter, in casu, non liceat idem toti Ecclesiæ pro defensione sua & violentiæ attentatæ cauta repressione.

Consideratio Undecima.

AUFERIBILIS est in casu Vicarius sponsus Ecclesiæ per Concilium generale, eo non consentiente vel invito, celebratum. Fateamur priùs quòd regulariter Concilium generale non est celebrandum de Jure etiam divino, non vocante vel approbante Papa, si & dum est unicus, nec adversùs eum allegatio legitima. Sed regulæ generales benè suscipiunt exceptiones, sicut in grammaticalibus, ita & in moralibus; præsertim ubi Canones particulares incidunt modis variabiles infinitis; ad quas exceptiones ordinata est Lex superior interpres aliarum, quam Aristoteles vocat epykeiam. v. *Ethic.* Et alia divinior quam gnome appellat in VI. *Ethicorum.* Hæc autem Lex semper habet locum in interpretatione Legum aliarum particularium, ubi deficere cernitur ratio & finis institutionis ipsarum. Finis autem Legum omnium nedum humanarum; sed divinarum est dilectio, quæ unitatem operatur. Sit ergo casus ubi Legis alicujus observatio dissiparet unitatem & obesset publicæ saluti, quis ratione utens, diceret eam tenere oportere? Nimirùm nec sibiipsi quisquam vellet hoc fieri, quantò magis tota Communitas rationabiliter hoc fugiet. Quod si quis interrogaret, qua autoritate fulcietur, vel utetur hujusmodi Concilium acephalum, ut videtur, sine Papa? Respondendum quòd autoritate Christi capitis sui & indefectibilis sponsi; autoritate prætereà Legum suarum, tàm divinæ quàm naturalis, quæ hanc licentiam vel necessitati, vel manifestæ charitati, vel religiosæ pietati concedunt. Pro quo facit textus *Marci* 11. 23. de excusatione Discipulorum vellentium spicas in Sabbato, per Legem necessitatis confirmatâ, exemplo David qui comedit panes Propositionis.

Consideratio Duodecima.

AUFERIBILIS est in casu Vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam, vel generale Concilium, nedum conciliativè, aut dictativè vel denunciativè; sed autoritativè, judicialiter atque juridicè.

Præsupponamus quòd Jurisdictio idem est quod Juris ditio seu potestas; vel Jurisdictio, est facultas propria dicendi Jus: & solet restringi ad coactivam Jurisdictionem quæ fertur vel dicitur in alterum etiam invitum. Sequitur protinùs ex hac descriptione considerationis veritas, quomodò Ecclesia seu Concilium habet in casu facultatem propinquam vel autoritatem seu potestatem dicendi Jus, etiam in alterum qui in Papam fuit ritè susceptus & electus. Nolumus tamen impugnare quin Summus Pontifex habeat potestatem regitivam & autoritativam respectu omnium hominum, quantùm Christus voluit & cognovit expediens sibi dare, pro exercendo eam, non pro se tantummodò, sed magis ad utilitatem Ecclesiæ; qualem autoritatem non habet totum Ecclesiæ residuum, nisi unitivè quodammodò vel electivè. Et ex ista divisione verum est quòd claves datæ sunt nedum uni, sed unitati: ex hoc tamen non habetur quòd Ecclesia tota vel Concilium absente Papa, præsertim suo demerito, non possit autoritativam Jurisdictionem exercere, sicut Lex quædam divina & indeviabilis ad reducendum ipsum vel corrigendum vel compescendum, ne noceat ipse, nedum Ecclesiæ, sed sibimet, tanquam freneticus, vel ut pessima malarum passionum ebrietate seductus: sicut enim tradit Aristoteles v. *Politic.* quòd *Ad communitatem totam spectat Principis vel correctio vel totalis destitutio, si inemendabilis perseveret.* Et hæc potestas inauferibilis vel inabdicabilis est à Communitate libera, quæ de rebus suis facere potest ad libitum, nec per appropriationem vel aliquam Legem potest suspendi: quantò magis hoc habebit Ecclesia? Judaizabat olim Petrus per dissimulationem: Paulus ei restitit in faciem ad *Gal.* II. 11. Introducebat Petrus rem novam in Ecclesia Dei; ad Centurionem gentilem intravit. *Act.* 10. subortum est murmur in Ecclesia, ita ut compulsus sit Petrus doctrinam insequi quam tradidit scriptis; 1 *Petr.* c. 15. ut scilicet paratus esset coram tota Ecclesia rationem reddere de ea quæ in ipso erat Fide & Spe; alioquin non sibi credidisset Ecclesia. Quantò fortiùs & rationabiliùs possunt duo contendentes diffamati apud bonos & graves de schismate, de perjurio, de hæresis suspicione, compelli rationem reddere si se cognoverint innocentes. Sic Simmachus, sic Beatus Marcellinus, sic ipse Gregorius, sic alii plures judicium subiere Concilii; nequaquàm ex humili condescensione, sicut fingunt aliqui, sed ex debito & obligatione: quorum multos, quia Concilium non reperit convictos de crimine, reliquit causam eorum examine Judicis Dei terminandam. Quid mirandum? fundatur in hac radice potestas rationalis limitandi plenitudinem Papalis potestatis per Sanctorum Concilium; non quidem ut tollatur vel diminuatur ipsa potestas, sed in usu suo virtuoso, decenti, licito & expedienti pro tota Ecclesia in se vel in suis partibus; accipiendo modum virtuosum hujusmodi potestatis in suo usu, prout Ecclesia, vel Sanctorum Concilium eam repræsentans judicabit. Est enim finalis reductio, nedum agendorum, sed & credendorum ad ipsam Ecclesiam, tanquam ad Judicem indeviabilem, tam conciliativè quàm determinativè. Hinc est illud Augustini *Evangelio non crederem nisi me authoritas Ecclesiæ compulisset.* Spernens igitur Concilium Ecclesiæ, spernit Deum, à quo dirigitur. Et ita consequenter apparet enormis error dicentium, quod deliberatio Papæ præponderat super deliberatione ex Concilio Ecclesiæ seu Concilii generalis; nec tenetur Concilium insequi aut eidem acquiescere, nisi velit.

Consideratio Decima tertia.

AUFERIBILIS non est Vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut Concilium generale quoad ea quæ sunt Ordinis sacri cujuscunque; quin semper remaneat vel Sacerdos vel Episcopus, si in talem fuerit aliquando consecratus. Similiter etiam de Papatu, si diceret Ordinem à Sacerdotio vel Episcopatu distinctum.

Dudùm tempore Beati Cypriani Martyris in Africa, dum Sanctus Cornelius Papatum Romæ gerebat, fuit error multorum etiam magnorum, quod schismatici & hæretici excommunicati & simoniaci dejiciebantur ab omni gradu & Dignitate & Ordine, ita quod non remanebant Sacerdotes, nec Episcopi retinebant Episcopalem gradum, nec Diaconi Diaconatum, & ita de similibus. Immò usque ad hoc deventum

Digitized by Google

ventum est, ut diceretur ab eis quòd tales nullomodò valebant baptizare, sed baptizabantur hi quos baptizaverant; similiter nec consecrabant, nec ordinabant, quin totum postea dicerent iterandum. Introducebant pro seipsis multos passus Scripturarum, ut illud, *Maledicam benedictionibus vestris*, &c. Malach. II. 2. Affirmabant denique quòd tales Spiritum sanctum dare non poterant, quem utique non habebant. Notata sunt hæc in Decretis Causâ primâ & in quarto Sententiarum *Dist.* 25. & *Dist.* 13. ubi Magister non tenetur, licet loquatur magis recitativè quam determinativè. Illustrissimus vero Doctor Augustinus, post Cyprianum materiam hanc declaravit conformiter ad Concilia generalia ante eum & post celebrata. Et hunc insecuti sunt Doctores Theologi dicentes, quòd ea quæ sunt Ordinis stabilia sunt & indelebilia; propterea dicunt hi imprimi characterem quem appellant indelebilem & non iterabilem. Attamen pro concordantia diversarum sententiarum in hac parte, proficit duplex distinctio.

Episcopus itaque hæreticus & degradatus ab Ecclesia, aut intendit dare & facere conformiter ad intentionem Ecclesiæ, vel baptizat vel consecrat vel ordinat vel confirmat, materiam insuper & formam debitas observat; aut deficit in aliquo istorum, intentione scilicet corrupta & erronea, vel in materia vel in forma. Secundùm hanc distinctionem procedunt multæ autoritates Sanctorum, quorum aliqui dicentes quòd Sacerdotes hæretici nihil agant, intelligunt de his qui secundo modo deficiunt, quales erant plurimi hæreticorum, ut Arriani & errantes in ipsa substantia Sacramentorum. Alii dicentes oppositum sicut Augustinus & Ecclesia, de prioribus intelligunt.

Rursùs alia est distinctio de efficacia Sacramentorum collatorum ab indignis Sacerdotibus & hæreticis: nam quòd talia sunt efficacia, potest intelligi vel quòd ad utilitatem vel quòd ad veritatem. Si primo modo, illa dicuntur esse nulla; quia neque prosunt facientibus, neque scienter recipientibus, sed obsunt potiùs. Si secundo modo, sic consecrationes hæreticorum Sacerdotum efficaciam habere & virtutem fatendum est. Tandem ex hac consideratione cum suis probationibus, quæ latiori deductione ponuntur à Doctoribus, sequitur quòd durante præsenti schismate non oportet dubitare quin utrobique fuerint consecrati & sint veri Episcopi, & Sacerdotes per mutuam successionem usque in præsens. Nec est difficultas in collatione Sacramentorum, nisi de Sacramento Pœnitentiæ, in quo Jurisdictio quædam requiritur, quam non habent hæretici & schismatici vel excommunicati Sacerdotes. Sed hæc difficultas redundat similiter in illos qui ante schisma fuerunt ordinati & hoc secundùm æstimationem illorum qui judicarent hanc vel illam partem esse schismaticam, & ex consequenti non habere Sacerdotes nisi excommunicatos & suspensos. Et ita vanum est & fortè scandalosum gloriari quòd Præsbyteralis vel Episcopalis ordinatio suscepta fuerit ante schisma præsens, potius quàm hoc tempore; si per hoc velint hujusmodi gloriantes notare se veriùs esse Sacerdotes & Episcopos quàm posteriores: si velint preterea dicere sicut aliqui dixerunt & scripserunt temporibus istis, quòd vera Sacramenta, & veri Sacerdotes, & veri Episcopi, & verum Corpus Christi, & verus Baptismus, cum similibus non sunt in hac parte Obedientiæ, vel in illa.

Ecclesiæ, non ad destructionem. Potest ergo usus talis potestatis tolli vel suspendi per Ecclesiam ab eo qui vellet abuti manifestè in perditionem Ecclesiæ, aut membrorum suorum, tali dignitate: unde etsi potestas Ordinis sit immediatè à Deo, sit etiam indelebilis; tamen usus ipsius multùm dependet ab Ecclesia & à Rectoribus suis qui vices ejus exequuntur. Et hic fundabilis est possibilitas substractionis vel suspensionis obedientiæ ab aliquo in Papam ritè electo: nam quod obedientia tali præstetur, est Præceptum affirmativum, quod non obligat pro semper, nec in perniciem Ecclesiæ. Si viderit ergo Ecclesia quòd præstare nunc obedientiam Papæ in administratione Ordinum, Sacramentorum & similium, fieret Ecclesiæ perniciosum, & Papæ in instrumentum malitiæ; cur non suspendere poterit hujusmodi obedientiam, quousque nullum in obediendo cadat periculum: hæc autem substractio obedientiæ magis adhuc fundabilis est in his quæ sunt temporalis administrationis. Sed utrum hæc obedientiæ substractio vel suspensio valeat per alium quàm per Ecclesiam vel generale Concilium? Fortè videretur respondendum negativè, præsertim si fiat sermo de substractione generali & autoritativa & quæ ligat omnes de Ecclesia, in hoc stare: secùs est de substractione particulari quoad hos vel illos, quæ non fertur autoritativè, sed vel doctrinaliter & insinuativè, vel necessitatis quadam inductione.

Jubebit (exempli gratia) Summus Pontifex coram Theologis expertis, quod fideles credant Spiritum sanctum non procedere à Patre & Filio: dicimus quòd Theologorum erit doctrinaliter resistere & dicere quòd sibi non obediatur. Jubebit alter Summus Pontifex quòd vastetur Regnum Franciæ igne & gladio: dicimus quòd Regis erit resistere & jubere quod ei non obediatur, sed resistatur; hoc enim fas est agere cuicunque, inquantùm vim illicitam vellet inferre etiam verus Papa, manens Papa. Jubebit ipse idem, quòd unio ad pacem Ecclesiæ non quæratur viis convenientibus & congruis, aut etiam per eum juratis; aut quòd Ecclesia nequaquam congregetur, ne fortè eam audiat: dicimus quòd omnium Catholicorum erit resistere & non obedire. Quod si sit aliquis qui totam Præsidentiam suam & Papalem Dignitatem convertere velit in instrumentum nequitiæ & destructionem alicujus partis Ecclesiæ, in temporalibus vel spiritualibus, nec pateat sufficiens remedium aliud, nisi subducendo se ab obedientia talis potestatis sævientis & seipsâ abutentis, & hoc ad tempus, vel quousque Ecclesia vel Concilium providerit; hoc fas erit: dùm tamen illud agere pia quædam impellat necessitas, non libido seu cupiditas assumendi improbè velamen malitiæ libertatem. Fatemur enim duo illa nullomodò debere fieri nisi manifestis causis urgentibus, ne in toto corpore Ecclesiæ deterior & generalior scissura fiat & inducatur, dùm particularia membra consuescunt non obedire, sicut notat Aristoteles in Politicis: *Pessimum esse consuescere non obedire Principi sive Regi.* Quantò magis erronea & damnanda est assertio, quod licet unicuique subditorum, mox ut aliquis est tyrannus, ipsum viis omnibus fraudulentis & dolosis, sine quavis autoritate vel declaratione Judiciaria morti tradere; præsertim si addat hæc assertio quòd tyrannus ille omnis est, qui non præest ad utilitatem subditorum: sed de hac re alibi, de qua viderint assertores.

Consideratio Decima quarta.

AUFERIBILIS est Vicarius sponsus Ecclesiæ per ipsam Ecclesiam aut generale Concilium quoad executionem licitam eorum omnium quæ potestatem Ordinis respiciunt, id est, quòd non licitè talia aget. Data quippe est Papalis potestas ipsi Ecclesiæ, & sua est sicut est ipsius Papæ, quamvis alio & alio modo. Sua est, inquam, & Papæ ad ædificationem

Consideratio Decima quinta.

AUFERIBILIS est Vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut generale Concilium perpetuò vel ad tempus, quoad ea omnia quæ sunt Jurisdictionis. Satis indirectè deductio considerationis istius patet ex præcedenti: nam possunt ab aliquo ritè in Papam electo tolli tàm de Jure quàm de Facto subditi, in quos debet Jurisdictionem exercere, &

& ita per indirectum Jurisdictio non subsistet. Utrum verò directè & absolutè possit omnis potestas Jurisdictionis à Papa ritè electo removeri, posset esse duplex imaginatio, quomodò ad aliquas Jurisdictiones, qualis est Jurisdictio respiciens sacramentalem Absolutionem, quæ alterius est rationis quàm aliæ respicientes Forum exterius: hanc enim Jurisdictionem habet Confessor Papæ super ipsum, cui tamen non posset communicari Jurisdictio in Foro exteriori supra Papam, ut quod eum posset excommunicare. Hanc insuper Jurisdictionem habet in casu necessitatis omnis Sacerdos apud peccatorem sibi volentem confiteri. Diceret ergo aliquis de hac spirituali Jurisdictione sicut de potestate Ordinis; quòd licet inauferibilis sit in se & in sua essentia, tamen est suus usus impedibilis modis tactis: sicut etiam impediuntur schismatici & hæretici præcisi ab Ecclesia, ne quisquam eis, nisi in casu necessitatis debeat confiteri. Dicerent alii quòd talis Jurisdictio non solùm impeditur in suo usu sed etiam tollitur ministerio Ecclesiæ, vel Prælati superioris, dùm degradatur hæreticus aliquis Prælatus vel Sacerdos; & hoc quia condescendit Deus tollere ab illo Sacerdote potestatem divinitùs sibi collatam per ministerium tale, tanquam per causam sine qua non, sicut imaginantur Doctores multi de potentia collata Sacramentis, respectu gratiæ quam figurant; non enim attingit illa virtus activa Sacramentorum substantiam gratiæ, sed tamen sunt causa, sine qua non, talis gratia nequaquam crearetur. Sicut prætereà dicimus de infusione animæ in embrionem dispositum, & magis ad propositum, de recessu animæ à corpore per inductionem disconvenientem qualitatum; præsertim si imaginemur quòd anima sicut creabatur priùs, ita nunc annihilaretur consequenter ad has dispositiones, vel ad alias. Vel exemplificemus de annihilatione gratiæ per peccatum mortale. Advertamus tamen in hac materia, quòd oportet nos concedere consequenter ad præmissa & ad factum Cœlestini, qui cessit Papatui; quòd Papatus non dicat Ordinem super Sacerdotium vel Episcopatum. Quis insuper non dicat Jurisdictionem inabdicabilem humana voluntate supra Episcopatum: alioquin tunc temporis remansissent duo habentes Papalem dignitatem aut talem quæ fuisset superior ad Episcopalem vel Archi-Episcopalem. Oportet, ut videtur, consequenter dicere quòd mortuo vel cedente Bonifacio qui in locum Cœlestini successit, ipse Cœlestinus potuerat assumi in Papatum, sine nova alicujus Ordinis vel Potestatis juridicæ essentialis & inabdicabilis collatione; quemadmodùm dicimus de Episcopali dignitate in his qui fuerunt degradati vel dejecti, qui iterum possunt restitui nulla consecratione nova facta. Hæ autem considerationes proficiunt studiosis ad cognoscendum magis & magis quid dicat vel importet, & quid non, Papalis Dignitas, & qualiter potest exercere Judicium Ecclesia circa Papam. Notetur Bonaventura *Dist.* XXV. *quarti*; ubi quærit si Episcopatus sit Ordo supra Sacerdotium, & ponit quòd neque Episcopatus neque Papatus dicit nisi plenitudinem aliquam vel dignitatem in Ordine, & Ordinem novum nullum addit.

Consideratio Decima sexta.

AUFERIBILIS est Vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam aut generale Concilium, ut dictum est; & dum hoc evenit, probabile est quòd magis fiat destitutivè & juridicè, quàm solùm declarativè, seu dictativè, seu consiliativè. Fuerunt duæ opiniones, quatenùs tangebatur de destitutione Papæ. Una ponit quòd Papa dum labitur in hæresim jam damnatam, est eo facto per Deum depositus, & perdidit Jure Divino Papalem Dignitatem, sive hæc hæresis sit secreta, ut ampliant aliqui, sive sit manifesta, ut placet aliis loqui restrictiùs. Credunt alii quòd nullus ritè in Papam electus redditur per aliquod crimen eo facto depositus, licet benè sit deponendus, & manet talis ritè electus semper Papa, usque ad Sententiam depositionis latam contra eum per Ecclesiam vel generale Concilium, aut nisi cesserit sponte sua, quemadmodùm in aliis Episcopatibus & Dignitatibus minoribus dicunt esse certum: ita quòd resolutio finalis hujus opinionis, quam nunc dicimus probabilem, stat in hoc, quòd sicut nullus ritè efficitur Papa, lege stante, & nisi fieret nova revelatio vel miraculosa institutio; nullus, inquam, talis ritè efficitur Papa, nisi per legitimam electionem Dominorum Cardinalium, aut aliorum, quibus hæc potestas collata fuerit per Ecclesiam, aut per generale Concilium; sic nullus talis ritè electus desinit esse Papa, nisi per destitutionem legitimam factam ab Ecclesia, vel Concilio, vel aliis quibus voluerit conferre Ecclesia vel Concilium hujusmodi potestatem, qualis nondum collata esse reperitur. Probabilitas hujus opinionis fundata est aliàs in alio Opusculo; & nunc breviter repetamus, dicentes aliqua.

Primò, quòd status Hierarchicus in Ecclesia debet esse certus & constans. Da oppositum. Jam Ecclesia non fuisset sufficienter instituta, quia subditi remanerent semper expositi discrimini peccati mortalis in obediendo vel non obediendo suis Superioribus, cùm non posset eis constare sufficienter quando Superiores jus perdidissent in præsidendo vel ipsum retinerent. Ac proinde dicimus consequenter, quòd Titulus Ecclesiasticæ Dignitatis vel autoritatis non est fundatus in sola sanctitate; quemadmodum dixerunt hæretici qui nominabantur Pauperes de Lugduno, & alii similes, sicut deduxit Bonaventura *Dist.* XXV. *quarti*: alioquin nihil esset certum in actibus Hierarchicis; sicut *nemo scit an odio vel amore dignus sit*. Eccl. IX. I. Ex eadem radice patet, quòd per præscientiam vel reprobationem æternam non datur vel aufertur præcisè Titulus Ecclesiasticæ Dignitatis: nam Judas præscitus fuit Apostolus, & multi prædestinati carent tali Dignitate.

Sequitur ampliùs, quòd titulus Ecclesiasticæ Dignitatis non est fundatus in donis gratuitis latentibus in anima; quia de illis constare non potest subditis, nisi fortè per revelationem, & præsertim si sint dona quæ statim perdi possunt; quòd dicitur propter characteres indelebiles postquam semel habiti sunt, & de quibus, præsupposita Fide, potest haberi sufficiens certitudo, dùm aliquis ritè suscipit Sacramenta imprimentia tales characteres.

Addamus rursùs, quòd sicut injustus homo sine charitate & in peccato mortali potest injustè dominari temporaliter, & esse Rex vel Princeps justo titulo; sic etiam potest esse Episcopus vel Sacerdos: & hoc sequitur ex prioribus, contra imaginationem aliquorum nostris temporibus in Anglia & alibi, qui posuerunt omne Dominium & omnem Dignitatem fundari in justitia charitatis, & quòd sine ea nihil potest esse justum, neque justè fieri, neque possideri, quòd utique repugnat assertionibus sacræ Scripturæ in locis plurimis, in quibus idololatræ & pessimi homines & reprobi appellantur Reges, ut Saül, Cyrus & Achab. Unde & Christus docuit; quòd Pharisæis & reprobis daretur obedientia in doctrina eorum dùm ait: *Supra cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, quæ dicunt, facite*, &c. Matth. XXIII. 2.

Dicamus consequenter, quòd Dignitates Ecclesiasticæ non fundantur in Fide interiori, neque in Spe sancta, neque in Charitate; patet ex eisdem fundamentis: ac proinde sequitur ulteriùs, quòd deficiente Fide in aliquo Prælato; non est consequens ut mox perdiderit Pastoralem Dignitatem; quia nec Fides, nec charitas, est necessaria, nec necessarium ejus fundamentum.

Patet ampliùs, quòd Canones sacræ Scripturæ ac Summorum Pontificum, dicentes hæreticos esse vitandos,

Digitized by Google

dos, tanquam ethnicos & anathematizatos, verum dicunt, dùm constat eos tales esse, & maximè per Sententiam Judiciariam aut propriam confessionem, aut facti evidentiam. Nihilominùs quòd tales sint eo facto depositi à Dignitatibus, & quòd eas perdiderint sine destitutione, non habetur ex eisdem Canonibus. Aut si aliqui Canones videantur hoc sonare de notoriis & manifestis hæreticis, qui sunt eo facto depositi; intelligi posset quòd contra tales non requiritur processus Juridicus ordinarius ad degradandum eos per Sententiam definitivam; sicut in occultis, & non confessatis oporteret. Dicamus ergo concludentes probabiliter, quòd sicut humana electio dat jus & titulum ad Papalem Dignitatem, si homo sit capax hujus electionis atque Dignitatis, & si sit viator baptizatus; sic per humanam destitutionem perdit illam Præsidentiam & non aliter, eo invito, sive sit hæreticus, sive sit schismaticus. Et dùm opponitur quòd hæreticus, sive schismaticus non potest esse membrum Ecclesiæ; quantò minus potest esse Caput ejus vel Vicarius suus, aut sponsus: multa in hanc sententiam. Respondetur, quòd hæc ratio vel similis, si benè perpendatur, omninò fuit illa quæ fundavit omnes errores, de quibus prætactum est, quòd solus justus justè dominatur, vel est Sacerdos, vel consecrat, & ita de similibus.

Notemus ergo sine processu longiori, quòd multæ sunt connexiones membrorum in corpore mystico Ecclesiæ; sicut diversæ sunt in eodem corpore unitates. Una est enim unitas charitatis; & ita soli habentes charitatem dicuntur verè membra Ecclesiæ: alii quantumcumque fideles, sunt velut præcisa vel ut arida & emortua membra, immò sunt proditores Domini sui, nec de familia ejus, hoc modo, dici possunt, nec sunt digni pane quo vescuntur. Alia est unitas in donis naturæ, sicut omnes homines connectuntur in intellectu & ratione. Alia est unitas in simili participatione Sacramentorum, & præsertim in unitate Baptismatis, in quo character imprimitur, in qua unitate connectuntur omnes qui Baptisma ritè susceperunt, etiam ubi Fidem actualem vel habitualem perdidissent. Et hæc unio videtur absolutè sufficere, ad hoc quod aliquis ritè in Papam electus maneat caput Ecclesiæ, quousque fuerit per Sententiam definitivam depositus. Nolo tamen propterea dicere, quòd semper sit obediendum tali hæretico, vel non resistendum; aut quòd sit appellatione Papalis Dignitatis honorandus: quoniam in casu, sicut jam tactum est, posset Papa verus, manens Papa, licitè etiam ligari, vel incarcerari, vel in mari demergi; quantò magis posset obedientia sibi vel reverentialis nominatio denegari.

Consideratio Decima septima.

AUFERIBILIS non est Vicarius sponsus Ecclesiæ ritè priùs electus, quin possit creare veros Sacerdotes & Episcopos, & alia facere quæ Ordinem suum respiciunt in tali plenitudine receptum, absque hoc quòd iterari debeant ea quæ fecisset, quia valida sunt Jure divino: quamvis peccabit ipse cum participibus suis si hoc attentaverit. Consimiliter ea quæ Jurisdictionem puram respiciunt, illa possunt dici valida quæ egerit talis, quamdiù toleratur ab Ecclesia, & hoc Jure seu approbatione totius Ecclesiæ, vel præcedentium Pontificum & Conciliorum generalium institutione; præsertim nisi aliunde ex culpa subditorum talia reddita fuerint invalida; quia participant in crimine. Respondet hæc consideratio multis dubitationibus quæ potuerunt oriri, durante hoc pestifero schismate, tam in collationibus Ordinum, quàm in dependentibus & collationibus Beneficiorum & similibus; ubi faciliùs se expedit opinio quam probabili modo posuimus in præcedenti consideratione, circa objecta. Multùm prodest insuper eadem consideratio ad celeriorem & expeditiorem terminationem schismatis, per viam cessionis, omissa qualibet discussione facienda.

Consideratio Decima octava.

A AUFERIBILIS est Vicarius sponsus Ecclesiæ, tanquam hæreticus aut schismaticus etiam ubi, in casu, ipse non est veraciter & mentaliter talis. Assignemus summatim casus aliquos circa personas alias, qui similiter possunt in Papam cadere: duos invenimus in Juribus expressos. Unus est, dùm aliquis sustinet Excommunicationem ultra annum, & citatur super materia Fidei, nec respondet. Alius, dùm citatus coram Judice, renuit præstare juramentum. Talis aliquis poterit manere semper verus fidelis; attamen ipse tamquam hæreticus, Juris præsumptione damnabitur. Tertius assignatur casus, si timore mortis vel alia passione motus quis vocaliter negat ea quæ sunt Fidei, nec possit aut velit sufficienter se purgare. Quartus casus, ubi per actus hæreticales aut idololatricos habebitur præsumptio vehemens contra aliquem, & talis nec poterit aut velit sufficienter se purgare: dicuntur autem actus hæreticales vel idololatrici, qui sunt contrarii vel oppositi actibus quibus solet fieri professio Fidei & Religio- B nis Christianæ & Cultus Divini, sicut est genuflexio coram Sacramento Altaris, & ingressus Templi & similia: & in hoc multùm valet usus hominum, sic talia signa vel talia accipientium. Unde si quis exhiberet talia in honorem Mahometi vel idolorum, aut si, oppositis factis, detestaretur Sacramentum Altaris, & Templum Dei, & sacras Imagines, & similia faceret; haberi deberet de hæresi & idololatria suspectus, & hoc vel vehementer, vel graviter, vel leviter, secundùm quòd plures causæ suspicionem aggravantes, & pauciores relevantes concurrerent. Et hìc esset longus sermo de modo accusationis talium coram Inquisitore; quando scilicet & quando non, veniunt judicialiter in materia Fidei vel idololatriæ pertractandi. Casus quintus invenitur; ubi quis per falsos testes accusatur atque convincitur fuisse relapsus in hæreses jam damnatas: ille planè damna- C bitur & justè damnabitur per Ecclesiam, quæ non judicat de occultis; sed de allegatis & probatis per Sententiam. Sextus casus incidens cum quarto, ubi quis etiam levi suspicione notatus de Fide, vocatus fuerit ad Judicium, & venire neglexerit seu contempserit, aut fortè non potuerit, de qua tamen impotentia fidem facere non valebit. Cum enim Summus Pontifex, juxta probata priùs possit tam doctrinaliter, quàm judicialiter denunciari, deferri & accusari coram Concilio generali, in materia Fidei & Cultus Divini, non repugnat casus istos & similes in ipso posse reperiri, qui circundatus est infirmitate, sicut dicit Apostolus experientiæ voce loquens. *Hebr.* v. 2.

Consideratio Decima nona.

AUFERIBILIS est Vicarius sponsus Ecclesiæ per Ecclesiam, etiam sine culpa sua, quamvis non D sine causa. Tangamus similiter casus aliquos: ubi coram tota Ecclesia vel Concilio generali proponeretur & probaretur per testes, quòd Papa qui fortè est detentus inter Saracenos jam obiit, & cum Ecclesia jam non possit commodè diutiùs remanere sine Papa, videtur omninò quòd in hoc casu Concilium poterit creare novum Papam: & cùm non possint esse duo simul; videtur quòd primus erit destitutus per Concilium. Posset etiam destitui, ubi constaret de vita, si de eo ablata esset spes omnis redeundi. Alter casus est: ubi quis ritè electus in Papam efficeretur adeò inutilis propter indispositionem corporalem, ac propter carentiam perpetuam usus rationis,

nis, quòd per Concilium jam per eum congregatum dum sanæ mentis erat, expediret aliter provideri de Summo Pontifice. Alter casus est, ubi post electionem Canonicam alicujus in Papam per Cardinales, ipsi Cardinales omnes morerentur, priusquam possent electionem suam Canonicam publicare, constat quod Ecclesia non teneretur hunc recipere pro Papa; & ita posset ad electionem alterius procedere. Alter. casus similis stat cum priori: ubi nullo modo Cardinales etiam viventes possent facere fidem sufficientem de electione Canonica facta circa unum, qualis casus videtur esse & fuisse in schismate præsenti si bene perpendatur: & ideo circunstantia ejus multùm justificat processus habitos contra illos contendentes & adversùs Cardinales. Alter casus propter communem errorem aut æstimationem subditorum, aut ipsorum malitiam generalem, de quibus non est præsumendum quòd unquam debeant obedientiam præstare tali qui fuit in Papam ritè electus, tamen alteri noviter eligendo parati sunt obedire, ut fortè si Græci vellent ad unitatem Ecclesiæ redire, dummodò tolleretur Papa jam existens & novus ritè canonicè crearetur. Confirmat hoc imaginatio casus illius, juxta positionem Innocentii & aliorum Juristarum, qui dicunt hominem expressè professum in Religione posse uxorem ducere pro salvatione magnæ gentis, aut ad Fidem conversione. Cur non similiter pro aliquo tanto bono posset ritè electus per Ecclesiam, aut Concilium generale, destitui bono zelo & integra charitate? Casus alter sextus esset: ubi per juramentum & votum aliquis in Papam ritè electus, seipsum ad cessionem obligasset; sed differret hoc adimplere, in scandalum populorum putantium ex tali facto Papæ quòd neque juramentis suis obligantur, neque votis; qualem casum habere videmur in manibus. Denique etsi casus notati in hac & præcedenti consideratione vix aut nunquam visi fuerint, nihilominùs expediens est tangere ad expeditionem solidiorem veritatis, & ad confutationem illorum qui Juribus suis scriptis omnia particulatim & sufficienter arbitrantur esse decisa.

Consideratio Vigesima.

AUFERIBILIS non est usque ad consummationem seculi Vicarius sponsus Ecclesiæ, quin aliquis certus & unicus præficiatur, & hoc, lege stante, & præsupposita mundi duratione longissima. Detur oppositum: tunc Ecclesia maneret imperfecta usque ad consummationem seculi, nec suorum gauderet integritate membrorum, & præsertim membri principalis. Quo circa, concludamus sub quadruplici corollario morali, conformiter ad prædicta & ad alias considerationes alibi notatas super eadem materia: & dicamus.

Primò, quòd hi repugnant ordinationi Christi & Spiritui sancto rebelles sunt, qui præsentis schismatis terminationem impediunt modis talibus quos sciunt, aut scire debent ad pacem protinùs reducendam esse vel inutiles, vel nocivos: ut si quæratur fieri pax per reductionem unius obedientiæ ad alteram, vel per vim armatam, vel per dispositionem Juris, quæ non sunt probabiliter & salubriter expectanda. Nec sufficit dicere: habemus Papam Christum, sufficit ut credamus in eum; nam talis unio ad Christum & si sit necessaria, non tamen usquequaque sufficit, ut in ea stemus non procurando quantùm in A nobis est unionem alteram ad unum Vicarium suum in terris, de quo constet Ecclesiæ.

Addimus consequenter pro secundo corollario: quòd hi fallunt & falluntur qui propter affectionem qualemcumque commodi, vel honoris, vel amicitiæ circa alterum contendentium, tenderent impedire suam cessionem pro impletione juramentorum & votorum suorum & pacis datione; si nollent suam dejectionem, ubi hoc agere renuerent: immò prorsus quantò magis aliquis fuerit amicus, tantò ampliùs debet hoc quærere ut eorum spiritus salvus fiat, & ut pateat omnibus quia non zelo malo zelati sunt eos aliquando; sed zelo charitatis, licet fortè vel error, vel deceptio in judicio particularium agendorum intervenire potuerit.

B Dicamus præterea pro tertio corollario: quòd hi nutu Dei & Spiritus sancti (sicut credendum est) inspiratione tracti fuerunt, qui ad convocationem sacri Concilii Pisis celebrandi dederunt operam, & promptitudinem præstiterunt, præstant & præstabunt; ille orando, ille exhortando, hic protegendo, ille comparando, & ita de singulis. Impeditores si qui essent numerandi, sunt inter illos de quibus nunc tetigimus, qui rei sunt detrimentorum omnium tàm temporalium quàm spiritualium ex hoc schismate horrendo nascentium, qualia vix suffecerit Tractatus grandis vel summatim enarrare. Nam quomodò paratus esset audire Ecclesiam qui suam Congregationem vel nollet damnabiliter, vel damnabiliùs impediret? Hanc convocationem pro finali scuto suæ protectionis ad Deum, quæsivit in morte Rex Franciæ Carolus quintus: ad hanc esse debet finalis resolutio omnium qui de schismate nolunt increpari apud Deum, immò ad hoc tendit neutralitas accepta si bene capiatur.

Dicamus ad extremum pro quarto Corollario, quòd hi qui sacrum Concilium Pisanum constituerant, C sufficientem habebant autoritatem dejiciendi duos contendentes ac suos complices, si noluerint parere dictatis per hoc Concilium in cessione facienda realiter & de facto & citò & aliis requisitis, poteruntque procedere ad electionem unius tertii Vicarii, qui tertius & indubitatus ab Ecclesia poterit & debebit reputari: etiam ubi non omnes obedire vellent sic electo, quòd tamen non est leviter præsumendum.

Ecce ergo viginti considerationes quodam ordine geometrico se sequentes; quæ junctis aliis sedecim in quarum qualibet initium est unitas Ecclesiastica: additis quoque aliis quatuor dudum Tarascone prædicatis, redduntur XL. considerationes. Et hæ qualem possint afferre studiosioribus cognitionis materiam, sit eorum judicium qui viderint. Postulemus tandem ut inauferibilis sponsus Ecclesiæ Christus, Vicarium certum & unicum nobis instituat, ad gloriam nominis sui & nostram omnium salutem, D præstante eodem qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS
DE
POTESTATE ECCLESIASTICA,
ET DE ORIGINE
JURIS ET LEGUM;

Editus Constantiæ tempore Concilii Generalis.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 205. 694. Navar. Colbert. 99. Baluz. & ad nuperam Editionem rerum ad Concilium Constantiense pertinentium, in qua Tractatus iste ad tres MSS. Codd. exactus est, Vindobonensem unum & duos Helmstadienses.

Scriptus post Decretum Concilii Constantiensis 6. Aprilis. Anno 1415. cujus fit mentio Consideratione IV. Recitatus in Concilio. Anno 1417.

PROOEMIUM.
Quod expedit inquirere de Ecclesiastica potestate.

In prima consideratione, describitur potestas Ecclesiastica per causam quadruplicem.

In secunda, distinguitur potestas Ecclesiastica multis modis, & ostenditur quòd potestas Ordinis est æqualis in omnibus Sacerdotibus, quoad consecrationem Corporis Christi.

In tertia, ostenditur quòd potestas Ordinis non est simpliciter æqualis in omnibus Sacerdotibus & Episcopis.

In quarta, ostenditur quid sit potestas Jurisdictionis in Foro exteriori.

In quinta, ostenditur quid sit potestas Jurisdictionis, in Foro interiori, & de duplici subjectione.

In sexta, ponitur quadruplex distinctio utilis & necessaria, pro intellectu sequentium.

In septima, quid dicendum sit de Ecclesiastica potestate: dùm consideratur formaliter & absolutè.

In octava, quid dicendum sit de Ecclesiastica potestate; prout consideratur respectivè & quodammodò materialiter, seu subjectivè.

In nona, quid dicendum sit de Ecclesiastica potestate, dùm consideratur quoad usum vel exercitium: & illic fundatur suprema plenitudo Ecclesiasticæ potestatis.

In decima, ostenditur quòd in Papa est plenitudo Ecclesiasticæ potestatis & describitur.

In undecima, ostenditur qualiter plenitudo Ecclesiasticæ potestatis sit in Ecclesia, vel Generali Concilio.

In duodecima, ostenditur de plenitudine potestatis Papalis, per respectum ad bona Ecclesiasticorum atque laïcorum.

In tertiadecima, fundatur omnis potestas à prima Justitia, variis & multis membris.



OTESTAS Ecclesiastica debet ab Ecclesiasticis quid & qualis & quanta sit agnosci. Habet hoc itaque fieri, ut & honoretur cognita, cùm Deus dederit talem potestatem hominibus, & ut in suis terminis honorata servetur; ne plus debito falsæ eam opiniones vel deprimant vel exaltent: quoniam primum, est sacrilegæ impietatis; alterum, de adulatione pestifera suspectum est. Constat igitur quòd de potestate Ecclesiastica disputare, vel inquirere nedum licet; sed decet & expedit: tantummodò sit intentionis oculus simplex & rectus. Quid ni sic liceat; cùm de ipsius Omnipotentis Dei potestate crebrò fiat absque omni temeritate conquisitio. Hæc me consideratio movit, ut de potestate Ecclesiastica sub pauculis considerationibus differerem; quatenùs materia quæ quodammodò videtur infinita, sicut tractari solet ab aliquibus per autoritates, ra-

Digitized by Google

rationes & allegationes reduceretur, seu resolveretur ad paucos certos & claros terminos, per descriptiones & divisiones resolutivè procedendo, allegationum confusione dimissâ, quales apud Doctores invenire non est difficile. Ceterum non usurpo nunc in hoc Opusculo, vel aliis, me dicturum aliquid quod alibi non inveniatur, sciens illud Comici: *Nihil est jam dictum, quod non dictum sit priùs.* Satis est si ex benè inventis & doctrinis aliorum, ego meis verbis, meo ordine, favum aliquem veritatis, instar apum, propria quadam arte compingam. Fiet autem initium à quid nominis terminorum; quoniam hoc ignorato, paralogizantur faciliter inquisitores veritatis. Erit verò finis de origine Juris & Legum.

Consideratio Prima.

POTESTAS *Ecclesiastica, est potestas quæ à Christo supernaturaliter & specialiter collata est suis Apostolis & Discipulis, ac eorum successoribus legitimis, usque in finem seculi ad ædificationem Ecclesiæ Militantis, secundum Leges Evangelicas pro consecutione felicitatis æternæ.* Hæc descriptio data est per causam quadruplicem, secundùm quam distinguitur potestas Ecclesiastica ab alia qualibet potestate. *Potestas* ibi ponitur pro genere. Est autem potestas facultas propinqua ad exeundum in actum: propinqua, inquam, quia secundùm facultatem remotam & obedientialem, *non est impossibile apud Deum omne verbum.* Luc. I. 37. Porrò notatur causa efficiens principalis cum dicitur: *à Christo supernaturaliter collata.* Causa verò materialis vel subjectiva signatur cum subditur; *suis Apostolis* &c. Causa formalis insinuatur cum dicitur; *secundùm Leges Evangelicas*; dant enim formam utendi. Denique causa finalis concluditur: *ad ædificationem Ecclesiæ Militantis pro consecutione felicitatis æternæ.* Additum est hoc adverbium, *specialiter*, ad exclusionem Donorum supernaturalium, quæ omni viatori possunt esse communia, sicut sunt Fides, Spes, Charitas, Prophetia, timor, pietas, & similia. Unde, & *Ecclesiæ*, contractè sumitur, dùm loquimur hîc de Ecclesiastica potestate; pro illis videlicet qui speciali quodam signaculo dedicati sunt ad divinum servitium, à Clericatura quæ infimum tenet gradum, usque ad supremum quo Papa decoratur. Fallor si non sit hæc descriptio propria, competens omni & soli Ecclesiasticæ potestati; quoniam omnis alia potestas, vel est naturaliter indita, quoad causam efficientem; vel est secundùm Leges naturales aut humanas regulata, quoad causam formalem; vel est ad finem naturalem immediatè & principaliter ordinata; vel denique quoad causam subjectivam radicatur in habentibus eam, secundùm dona naturalia, etiam ubi supernaturalia non adessent, qualia sunt Fides, Spes & Charitas. Unde potestas secularis convenit aliis quàm Christianis baptizatis. Potestas autem Ecclesiastica de necessitate fundatur in dono supernaturali, sicut est character Baptismalis, de communi lege, qui character in viatoribus eos de Ecclesia Militante reddit, facit insuper idoneos & capaces Ecclesiasticæ potestatis. Fatemur itaque quòd Charitas seu gratia gratum faciens valde decens est in suscepturis, vel jam habentibus Ecclesiasticam potestatem: non tamen exigitur pro dando titulum, quasi sine ea nequeat in aliquo fundari vel subsistere potestas hujusmodi: hic enim fuit error vetus Waldensium & pauperum de Lugduno, qui per Wicleff & sequaces suos renovari quæsitus est; sed justè damnatus. Cur ita? Ne hierarchicus Ordo potestatis Ecclesiasticæ maneat instabilis, vagus & incertus; cùm nemo sciat an amore vel odio dignus sit, & minùs hoc de gratia prædestinationis constet, quam ponunt radicem necessariam pro titulo vel jure cujuslibet potestatis.

Hac igitur descriptione præsupposita, pro intelligentia quid sit Ecclesiastica potestas in genere, descendemus ad species: pro quarum notitia multiplex animadvertenda est distinctio, ut differentiæ, quæ additæ generi constituunt speciem, innotescant.

Consideratio Secunda.

POTESTAS Ecclesiastica secernitur prima sui divisione in potestatem Ordinis & potestatem Jurisdictionis. Rursùs potestas Ordinis duplicem habet respectum. Unus est super Corpus Christi verum quoad consecrationem ejus: alter est super Corpus Christi mysticum, seu membra ejus. Et hoc dupliciter; vel quoad ministrationem Corporis Christi veri; vel quoad ministrationem, vel exhibitionem alterius Sacramenti, sicut est Ordo vel Confirmatio, vel pœnitentialis Absolutio. Potestas Jurisdictionis duplex est, una in Foro exteriori; altera in Foro conscientiæ interiori. Rursùs potestas Jurisdictionis in Foro exteriori dupliciter consideratur. Uno modo prout immediatè à Christo tradita est secundùm Legem Evangelicam: alio modo prout superaddita est ex humana constitutione; vel dono per Principes sæculares. Aut aliter subdividitur. Potestas Jurisdictionis in Foro interiori consurgit ex duplici radice. Uno modo ex parte hominis ultrò se subjicientis tali potestati, sicut confitens subjicit se spontè Presbytero, & ordinandus Episcopo: alius subjectionis modus consurgit ex autoritate Superioris, hunc vel illum tali vel tali subjicientis; quod fieri potest, non ad arbitrium illius qui subjicitur, & sic inter duplicem hanc subjectionem differentia magna patet. Et quoniam ad pauca aspicientes de facili enunciant, & enunciantes seipsos vel dicta sua non resolvunt, sed confundunt; eorum doctrina redditur vel erronea, vel inintelligibilis vel difficilis & perplexa. *Doctrina* verò *sapientium facilis est, teste Sapiente* Prov. XIV. 6. quia resolutè & ordinatè per distinctiones tradunt omnia, separantes pretiosum à vili: *Jerem.* XV. 19. & prævacentes ne lucem veritatis tenebrosa nubes erroris involvat, sed ignis potiùs sine fumo.

Declarationem multiplicis hujus distinctionis meliùs aliter dare non possumus, quàm si sua cuilibet membro donetur descriptio vel specialis notificatio. Dicimus igitur quòd potestas Ordinis primo modo considerata, est potestas Ecclesiastica, respiciens principaliter & essentialiter consecrationem Corporis Christi veri, quâ scilicet potest, habens eam, consecrare Corpus & Sanguinem Christi, virtute verborum sacramentalium. Ponitur hîc potestas Ecclesiastica pro genere; quæ potestas quid & qualis sit immediatè prædiximus, cujus descriptionem, hîc & in omnibus consequenter dicendis, absque alia repetitione supponimus, dùm utemur hoc termino pro genere, *Potestas Ecclesiastica.* Additur hæc clausula, respiciens principaliter, &c. tanquam pro differentia specifica, distinguente eam à qualibet alia Ecclesiastica potestate. Hæc potestas, de lege communi, inabdicabilis est, inauferibilis, & illimitabilis in sua essentia; quoniam quisquis est Sacerdos ritè consecratus, si tentet cum intentione & cum forma & materia debitis consecrare, consecrat utique, etiam si excommunicatus, si hæreticus, & quomodocumque degradatus extiterit: peccaret nihilominùs in hoc casu, nec ad utilitatem suam, sed damnationem hoc ageret. Juxta quod utiliter distingui solet, quòd aliqua sunt de necessitate executionis hujusmodi potestatis dupliciter. Una est, necessitas solius Præcepti, cujus transgressio grave peccatum est, sicut quod excommunicatus non consecret; veruntamen hæc transgressio non impedit consecrationis effectum principalem, qui est Transsub-

substantiatio: altera est necessitas Consecrationis vel Sacramenti, consistens in hoc, quòd Minister sit ritè ordinatus, habens intentionem consecrandi, cum forma & materia debitis; quod si alterum defuerit, nihil efficitur & peccatur. Hanc potestatem tradunt Doctores concorditer, parem esse in omnibus qui consecrati sunt Sacerdotes; quæ potestas collata fuisse creditur in cæna, dum dixit Christus Apostolis, A *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. XXII. 19. ubi Doctores communiter sentiunt, quòd Judas illic fuit Sacerdos constitutus, sicut priùs electus in Apostolatum, potestatem prædicandi & faciendi miracula susceperat. Et hinc sumitur argumentum, quòd potestas Ecclesiastica, non necessariò fundatur in Fide, vel gratia; sed in charactere Baptismali, quem, de lege communi, necessariò præsupponit.

Consideratio Tertia.

POTESTAS Ecclesiastica Ordinis alio modo considerata, prout respicit ministrationem Corporis Christi fidelibus, & ministrationem Sacramentorum Ordinis & Confirmationis; consecrationem insuper Virginum, Abbatum, & Ecclesiarum, & institutionem Ministrorum Ecclesiæ, non est æqualiter in quolibet Sacerdote. Cujus ratio est; quoniam simplex Sacerdos, juxta communem Doctorum sententiam, non potest Ordines conferre, neque Sacramentum Confirmationis dare, neque consecrare Virgines, &c. etiam de facto, sic quod si tale aliquid tentet agere; nihil tamen efficit: quia neque confirmat neque ordinat; Episcopus autem, si volentem confirmari, si volentem престereà ad Ordines promoveri, qui sit eorum susceptibilis (quod dicitur propter sexum muliebrem) tentaverit vel confirmare, vel ordinare; ordinat utique vel confirmat de facto, licet excommunicatus, licet irregularis, licet degradatus extiterit. Et in hoc par est in omnibus Episcopis, ab infimo usque ad supremum, qui Papa dicitur, potestas Ordinis; non autem in Sacerdotibus minoribus est hæc potestas, ut dictum est, saltem in tali plenitudine seu perfectione, quod hoc possit: licet concedatur cum majori parte Doctorum, quòd supra Sacerdotium simplex, nulla est altera potestas Ordinis, neque in Episcopis, neque in Papa; sed aliter est in Episcopis & Papa, aliter in simplicibus Presbyteris; sicut exemplificant, quòd eadem est humanitas in homine, dum est puer, & eadem dum factus est vir; vir nihilominùs generare potest sibi simile, puer nequaquam. Cum igitur fuerit inter Apostolos & Discipulos talis distinctio, sicut inter Episcopos & simplices Curatos Sacerdotes, cut notat Isidorus & Magister in IV. *Dist.* 24. cap. 7. allegans eum, perspicua est veritas hujus considerationis. Si verò loqueremur de potestate Juris, juxta quod dici solet. *Illud possumus quod de Jure possumus*, certior adhuc est ista consideratio; quia nullus Sacerdos ritè ministrat aliquod Sacramentum, secluso necessitatis casu, nisi Jurisdictionem habeat super illum cui ministrat. Sed super hac re dabitur consideratio sequens: satis sit interim aperuisse qualiter sit vel non sit æqualis potestas Ordinis in omnibus Presbyteris; quia quoad consecrationem Corporis Christi veri, eandem habent Sacerdotes omnes potestatem. Quantùm verò ad Sacramentorum ministrationem, dispar est in Episcopis & simplicibus Presbyteris potestas, seu facultas, tàm de Jure quàm de Facto. Similiter in Ministrorum Ecclesiasticorum institutione, quæ est potestas competens primis Hierarchis, de primo Ordine & secundo; non autem inferioribus, quemadmodùm sunt Curati, qui licet purgare, illuminare, & perficere possint plebem suam, prout inferior Angelorum Hierarchia purgat, illuminat, & perficit subcœlestem, vel humanam Hierarchiam: nihilominùs, hæc potestas Curatorum non extenditur ad Hierarcharum specialem institutionem, de instituto communi. Addamus quòd etsi primus Hierarcha Summus Pontifex, vel alii consequenter suo modo, possint pro rationabili causa vel necessitate, dare suis inferioribus adjutores ad exercendum hierarchicos actus, qui sunt purgare, illuminare & perficere plebes sibi subditas (sicut invenitur de Pœnitentiariis & Privilegiatis) hoc tamen sine manifesta ratione vel necessitate facere non debet; vel cum eorundem dejectione, irreverentia & vilipensione apud illos, quibus honori debent esse, & à quibus debitam sustentationem recipere, pro suo statu & ministerio: hoc indignum profectò est, injustum & iniquum. Quis enim Tutorem dederit adulto prudenti, & potenti, se nolente? Nec tandem claudicare debet obligatio mutua Episcoporum, vel Curatorum ad plebes suas: claudicat autem, dùm plebes eximuntur, & liberantur (si ista libertas non iniquitas est) dum eligere sibi possunt hierarchizantes eos in Foro conscientiæ, vel in Prædicatione, aut Sacramentorum aliorum ministratione. Prælati verò majores vel minores, remanent hac obligatione constricti, ut non liceat eis plebibus suis negare quidquid in prædictis quæsiverint; tanquam nedùm Deo, sed eis rationem reddituri sint, etiam si pestilentiali, si epidimiali, si quavis alia abominabili contagione morbi laboraverint. Præterea, si tales vice pastorum dati, luporum accipiant officium, si seducant subditos, lacerent & devorent, nulla relinquitur eis obviandi vel promovendi potestas: nisi fortè dicatur quòd hi, Superiores habent pro Judicibus; sed aperta est responsio Prælatorum de quibusdam, *Inimici nostri sunt Judices.* Deut. 32. 31.

Attendat lector circa considerationem istam de Episcopatu, si sit Ordo vel Sacerdotium; quòd apud Theologos & Juristas, est concordia in re benè concipiendo; sed explicatio diversa est: quia Juristæ vocant Episcopatum esse Ordinem, quoniam potest ultra Sacerdotium. Theologi verò concedunt secundum, scilicet, quod Episcopatus est potestas hierarchica supra Sacerdotium; sed quia nihil addit potestatis supra Corpus Christi verum, propterea non dicunt quòd sit novus Ordo, sed benè nova potestas, & hoc redit in idem. Attendatur rursùs quòd de Confirmatione dicit Sanctus Thomas, eam committi posse à Papa, simplici Sacerdoti, propter beati Gregorii quoddam dictum: pluribus tamen hoc non placet; & dicunt, illos de quibus loquitur Gregorius, non fuisse confirmatos, tolerati autem sunt sic manere; quia confirmatio non est necessitatis Sacramentum. Denique, datur ratio per Doctores, cur mulier non sit susceptibilis cujuscunque Ordinis; quoniam subjectionis sexus est, non hierarchicæ dominationis.

Consideratio Quarta.

POTESTAS Ecclesiastica Jurisdictionis in Foro exteriori, est potestas Ecclesiastica coërcitiva, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximum, & principaliter intentum. Addita est, fatemur, hæc ultima clausula descriptionis, ad expressionem magis, quàm necessitatem; quoniam hæc includitur in hoc nomine posito pro genere, potestas Ecclesiastica, sicut in descriptione sua notatum est. Attendatur autem, quòd Jurisdictio dicitur nomine generali, quasi Juris ditio, id est potestas dicendi Jus: vel est Jurisdictio, quasi Juris dictatio, idest, promulgatio, vel notificatio, seu pronunciatio. Propriè verò dicitur Jurisdictio, facultas seu potestas propinqua dicendi, vel sententiandi Jus in alterum, etiam invitum. Et hæc duplex est, temporalis & spiritualis. Temporalis exercetur secundùm Leges Civiles, ad finem quietæ conversationis humanæ, pro hac vita: spiritualis autem, exercetur secundùm Leges Canonicas, ad finem prin-

Digitized by Google

principalem æternæ beatitudinis consequendæ. Ceterùm potestas hæc Jurisdictionis Ecclesiasticæ, adeò vicina est Jurisdictioni sæculari & politicæ, quòd laïcis, immò & mulieribus plerumque & in multis casibus communicari possit executio vel committi. Hanc potestatem contulit Christus *Matth.* XVIII. 15. dùm dixit Petro vice omnium: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum, &c.* Sequitur, *quod si te non audierit,* DIC ECCLESIÆ, *quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Quo in loco, fundatur juridica potestas excommunicandi, vel interdicendi ab Ecclesiasticis Sacramentis, & communione fidelium rebelles & inobedientes Ecclesiæ, sicut usus est Apostolus, & idem hortatus est ad *Titum* III. 10. scribens, *hæreticum hominem, post primam & secundam correptionem devita.* Et simile dixit I. Corinth. V. II. *Si quis frater nominatur inter vos,* &c. Sequitur: *cum hujusmodi nec cibum sumere.* Fundatur rursùs, absque omni calumnia possibili, in hoc textu, plenitudo potestatis gladii spiritualis, & executio ejus in Ecclesia, super quemlibet Christianum, qui est frater noster, etiam si Papa fuerit. Nec accipiendum est hîc, DIC ECCLESIÆ, id est Papæ; quoniam Christus Petro loquebatur, qui non dixisset sibi ipsi. Item, quia subjunctum est pluraliter: *quæcumque ligaveritis super terram &c.* Matth. XVIII. 18. Denique si non haberet Ecclesia talem potestatem & executionem, frustra dixisset Christus: DIC ECCLESIÆ; quia potuisset impunè non audiri, contra illud quod sequitur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi &c.* Ibid. ℣. 17. Fundatur etiam in hoc textu, nedum potestas excommunicandi, sed potestas definiendi, determinandi, statuendi, decernendi, constituendi Præcepta, Leges, & Canones; procedendi denique contra non obedientes, usque ad Sententiam Excommunicationis inclusivè, immò secundùm Canones nunc institutos, usque ad invocationem Brachii sæcularis; quia dicitur in textu, *quod si Ecclesiam non audierit &c.* Audire igitur debet Ecclesiam quilibet frater noster, qui dicit ad Deum: *Pater noster,* sicut explicat alibi Christus: *Qui vos audit, me audit.* Luc. X. 16. Confirmant hanc sententiam statuta & practicata in hoc sacro Constantiensi Concilio, præsertim 6. Aprilis, Anni M. CD. XV. in sessione publica. Cujus inter cetera sunt hæc Decreta duo prima.

„ Et primò, declarat quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam Militantem repræsentans, potestatem immediatè à Christo habet, cui quilibet cujuscumque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei in capite & in membris. „

„ Item declarat, quòd quicumque, cujuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, qui Mandatis, Statutis, seu Ordinationibus aut Præceptis hujus sanctæ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legitimè congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo. „

Concluditur autem ex præmissis, quòd si potestas prædicta sit Ecclesiæ data; Concilium generale repræsentans Ecclesiam, habet illam; imò, videtur quòd Ecclesia, ut sparsim considerata, non habet illam potestatem, nisi in quodam materiali seu potentiali: sed congregatio sua & unitio, quæ fit in Concilio generali, dat quasi formam, sicut in aliis Communitatibus exemplum dari potest. Et fundatur prædicta potestas Ecclesiastica Jurisdictionis, in unitate, vel unione tali, quemadmodùm notasse videtur elevatus Augustinus, dùm dixit: quòd *Claves Ecclesiæ datæ sunt unitati.* Veruntamen hoc non impedit, quin datæ sint Petro, tanquam Monarchæ, legitimisque successoribus suis, principaliùs tamen Ecclesiæ.

Primò, ratione indeviabilitatis, *quia portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* Matth. XVI. 18. nec deficiet Fides ejus, non sic de Papa: Secundò, ratione regulabilitatis; quoniam habet regularem usum potestatis Papalis, non sic è converso: Tertiò, ratione multiplicitatis; quoniam Ecclesia continet potestatem quamlibet Ecclesiasticam, etiam Papalem, non sic Papa, præsertim in extensione. Quartò, ratione obligabilitatis; quia Ecclesia potest condere Leges obligantes, & regulantes etiam ipsum Papam, tàm quoad personam, quàm respectu usûs potestatis. Non sic è contra potest Papa judicare totam Ecclesiam, vel usum suæ potestatis limitare; immò si Papa condat Leges & Canones, videtur observandum illud quod dicit Augustinus: *Leges instituuntur cum promulgantur: firmantur autem cum moribus utentium approbantur.* Hoc enim dicitur ad reprimendum præsumptionem quorundam Summorum Pontificum vel eis adulantium, qui videntur voluisse debere servari pro Regula immutabili de Papa, respectu cujuslibet Provinciæ vel totius Ecclesiæ: *Quod placuit Principi Legis habet vigorem,* quasi nullum superesset examen supremum. Addita est verò pro inobedientium coërcitione, pœnalis Excommunicatio. Et sunt qui dicunt pœnam hanc esse ultimam, quam infligere possit Ecclesiastica potestas Jurisdictionis, ex institutione Christi sola primaria, sic quod non extenditur ad incarcerationem, nec ut aliquis adjudicetur morti vel flagello corporali, sed facit hoc Ecclesiasticus dum facit ex concessione Principum; quemadmodum multam, ob eorum donationem Jurisdictionis temporalis autoritatem Clerus accepit, quæ nihilominùs Jurisdictio vel Censura dicitur spiritualis, sicut & Ecclesiasticorum bona temporalia propter dedicationem & applicationem ad eos qui ministrant Ecclesiæ, sicut panes Propositionis, Primitiæ & Decimæ, vasa insuper Templi, vestes & similia dicebantur in Lege veteri sacra vel sancta, sic & nova Lex hoc retinet. Ac proindè consurgit quòd Ecclesiastica censura quam Christus contulit & promulgari voluit *ubi priùs Matthæi* XVIII. consequenter post dotationem Ecclesiæ in bonis temporalibus applicata est ad defensionem coërcitivam volentium vendicare sibi, vel impedire temporalitatem hujusmodi, per Excommunicationes videlicet & Interdicta, quæ pœna vel Censura videtur primitùs instituta contra pertinaces schismaticos & hæreticos & alios incorrigibiles vitiosos. Cui Legi tanquam divinæ & naturali Papa subjicitur, sicut & frater est potens delinquere. Hæc autem applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium, si confusionem magnam in Ecclesia, si vilipensionem vel contemptum Evangelicæ hujus Censuræ suæ, quæ est Excommunicationis gladius extremæ formidabilis, si denique laqueos animabus multorum, magis quàm salutem spiritualem induxerit vel inducat, experientiam testem voco. Itaque sicut temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua; videri potest aliquibus quòd ad ejus defensionem, similiter addere suffecerat adversùs impeditores pœnam vel Censuram temporalem, ut est mulctatio pecunialis, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.

Consideratio Quinta.

POTESTAS Ecclesiastica Jurisdictionis in Foro interiori, quæ non est propriè coërcitiva, sed magis spontanea quoad subjicientes se eidem, est potestas Ecclesiastica super corpus Christi mysticum illuminando & perficiendo ipsum per doctrinam & Sacramentorum ministrationem, & purgando per Baptismi & Pœnitentiæ Sacramenta. Advertendum est itaque quòd hæc potestas Jurisdictionis quæ radicaliter fundatur in potestate Ordinis Sacerdotalis & Episcopalis,

Digitized by Google

paus, dùm in sua generalitate consideratur, respicit multipliciter corpus Christi mysticum, quod est fidelium Ecclesia, quos fideles oportet secundùm tres actus hierarchicos regere, qui sunt secundùm Dionysium purgare, illuminare & perficere. Purgare per inflictionem pœnalem Excommunicationis vel Interdicti, si rebelles inveniantur, quod spectat ad Jurisdictionem coërcitivam, de qua prædictum est, quamvis hæc purgatio fiat per Baptismum & Sacramentalem Absolutionem, non tamen coërcitivè. Oportet insuper illuminari per prædicationem & doctrinam. Oportet demùm perficere per aliorum Sacramentorum ministrationem. Porro talis ministratio Sacramentorum non habet pro materia debita res solùm insensibiles, prout est in consecratione Corporis Christi, ubi pro materia debita requiritur & sufficit panis triticeus & vinum: nec refert quoad consecrationis necessitatem, si panis sit ipsius consecrantis vel alterius. Secus est in ministratione Sacramentorum, ubi requiritur quòd persona cui fit ministratio, sit ministranti subdita, præterquàm in Baptismo quod est necessitatis Sacramentum non iterabile. Similiter in Sacramento Confirmationis & Ordinis, quibus indelebilis character imprimitur: inde sufficit, de necessitate Sacramenti, non tamen Præcepti, subjectio voluntaria suscipientis hæc Sacramenta ab illo qui conferre potest illa; peccant tamen dans atque suscipiens, si non adsit subjectio per Superiorem ordinata. Secus autem est in Pœnitentiæ Sacramento, ubi de necessitate Sacramenti & Præcepti requiritur prædicta duplex subjectio, juxta communiorem Doctorum sententiam; sic quod aliter non datur Absolutio, etiam si dari tentetur, quia materia deficit, quæ est peccator subditus. Subditus, inquam, nedum voluntaria subjectione, sed aliena Superioris autoritate. Hoc ritè statuit primus Legislator Christus, hoc Ecclesia sic elucidavit & tradidit, ne confunderetur Ecclesiasticum regimen, & ne hierarchicus Ordo, quem tradit Dionysius talem esse, ut infima reducantur ad suprema per media, turbaretur. Videre est igitur quemadmodùm potestas hæc Ecclesiastica Jurisdictionem quandam exigit, cui convenit quod libera sit & spontanea verè vel interpretativè, circa personam in quam exercetur hæc Jurisdictio, aut saltem quòd non feratur in invitum. Quis enim diceret quòd aliquis invitus vel baptizatur, vel confirmatur, vel absolvitur in Foro conscientiæ vel ordinatur, & ita de reliquis? Hinc est quod Papa qui nulli personæ particulari subest, ut coërceri juridicè possit in exteriori Foro; subest tamen quoad Jurisdictionem hanc annexam Ordini Sacerdotali Confessori suo & Ordinatori suo, si anteà Sacerdos non fuerat, unde ex Hostiensi consecratur ab Episcopo, qui minor est. Proficit autem supra modum talis distinctio duplicis Jurisdictionis coërcitivæ scilicet, & non coërcitivæ, cujus ignorantia vel inadvertentia gignit confusionem apud aliquos infinitam: nam cum usus Doctorum communis habeat dicere, quòd potestas Ordinis æqualis est in omnibus Sacerdotibus & Prælatis, accipiunt consequenter occasionem erroris, quòd quilibet Sacerdos possit quemlibet absolvere, possit prædicare non missus, possit Eucharistiam ministrare. Invenimus autem quod hæc Jurisdictionis potestas promissa est Apostolis ante Passionem Christi. Matth. XVIII. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis* &c. Et promissa fuit Petro. Matthæi. XVI. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Sed post resurrectionem suam collata est Apostolis, quando insufflans eos dixit. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata; remittuntur eis* &c. Joan XX. 23. Et ibidem ultimo cap. dictum est Petro. *Pasce oves meas.* Addita est, seu potiùs confirmata potestas prædicandi cum potestate conferendi Baptismum, vel potiùs jam datæ potestatis executio jussa est. Matthæi ultimo. 19. *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Unde licet in casu necessitatis quilibet viator baptizare possit; hoc tamen faciunt ex Officio vel Ecclesiastica potestate soli Sacerdotes. Huic autem potestati Jurisdictionis, quæ in latitudine sua considerata, nedum ad Sacramentum Pœnitentiæ; sed ad aliorum Sacramentorum ministrationem & ad prædicationem extenditur, annexa est potestas A jus seu facultas accipiendi vitæ necessaria. *Matth.* X. & *Lucæ* X. quod Apostolus confirmavit. I. *Corinth.* IX. *Quia dignus est operarius mercede sua.* I. Thim. V. 18. Consequenter fundatur in hac potestate sumendi vitæ necessaria, rationabilitas dotationis Ecclesiasticæ, loco Decimarum & Primitiarum Legis antiquæ. Denique potestas faciendi miracula etsi videatur annexa fuisse per Christum licentiæ prædicandi verbum Dei, quando misit Discipulos ad prædicandum, & dixit eis: *Infirmos curate, dæmonia ejicite* &c. Matth. X. 8. Nihilominùs videtur hæc potestas donum gratis datum, convenire potens cuilibet ex fidelibus, prout ad ædificationem Ecclesiæ judicabit expediens Spiritus sanctus, qui distribuit singulis prout vult.

Consideratia Sexta.

POTESTAS Ecclesiastica considerari potest & debet tripliciter. Uno modo formaliter in se & abso- B lutè sine respectu. Alio modo materialiter seu respectivè, prout applicatur ad hanc vel illam personam jure legitimo, quod communiter fit per consecrationem & electionem, quia sicut dicit Apostolus: *Nemo sibi assumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. V. 4. Potestas hæc dicitur institutio ministrorum tàm activè quàm passivè. Consideratur tertio modo quoad exercitium vel executionem; quia frustra est potentia secundùm Philosophum, si non habeat actum. Proficit hæc consideratio quæ distinguit & resolvit modos loquendi varios, tàm Theologorum quàm Canonistarum de Ecclesiastica potestate, cujus resolutionis ignorantia vel inadvertentia falli plerumque facit & fallere; quoniam aliter loquendum est de Ecclesiastica potestate, dùm in se consideratur formaliter & absolutè, aliter dùm consideratur materialiter seu respectivè, aliter dùm consideratur quoad exercitii usum vel executivè, sicut C infra docebitur. Notemus prætereà modos essendi in, quos in Metaphysica posuit Aristoteles quorum inadvertentia facit oberrare quosdam, dùm inquiritur: in quo vel in quibus sit plenitudo Ecclesiasticæ potestatis? Unus modus essendi in, est sicut pars integralis in suo toto. Alius, sicut totum integrale in suis partibus. Tertius, sicut species in genere. Quartus, sicut genus in specie. Quintus, sicut forma in materia; quæ forma triplex est, essentialis, accidentalis & mathematicalis. Sextus, sicut effectus in sua causa efficiente, dirigente vel regente, ut Rex in Regno, & è converso diversis respectibus. Septimus, sicut ordinata in finem sunt in suo fine, quemadmodùm virtus in beatitudine. Octavus, sicut locatum in loco. Ex qua protinùs distinctione manifestum est, quòd secundùm quadruplex genus causæ, quadruplex reperitur & adaptatur modus essendi in, licet addantur & alii. Subjungamus iterum D distinctionem de usu potestatis Ecclesiasticæ. Est enim usus aliquis licitus & ratus. Est usus illicitus & ratus. Est usus licitus & non ratus. Est usus illicitus & irritus. Exemplum primi, dùm Sacerdos consecrat vel absolvit, cum circunstantiis omnibus ad hoc requisitis de necessitate vel Sacramenti vel Præcepti. Exemplum secundi, dùm Sacerdos consecrat in peccato mortali, vel cum transgressione Præcepti. Exemplum tertii, dùm Sacerdos, quantùm in se est, bona fide & intentione credit absolvere confitentem sibi, utens in hoc benè clavibus; qui confitens quia mentitur in Confessione sua, vel obicem secretò ponit, nequaquam

quam

Digitized by Google

quam absolvitur. Exemplum quarti, in casu priori, si Sacerdos scienter quærit uti clavibus erga aliquem, cujus fictionem agnoverit, & qui nequaquam sibi subjectus est. Colligitur consequenter alia distinctio valens ad intelligentiam præmissorum & sequentium, dùm quæritur: an potestas Ecclesiastica sit æqualis in omnibus. Quia quæritur de potestate vel Facti, vel Juris. Facti sic, quod dùm attentatur fieri, sit sive benè, sive malè. Juris verò, dùm benè fit juxta allegatum. *Id possumus quod de Jure possumus.* Redit autem hæc distinctio ad alteram prætactam, de necessitate duplici in Consecratione Corporis Christi; quoniam altera est Sacramenti, altera est Præcepti. Et hæc similiter distinctio potest extendi ad Ecclesiasticam potestatem super Corpus Chrysti mysticum, quoad administrationem Sacramentorum quæ characterem imprimunt, sicut sunt Baptismus, Confirmatio & Ordo; quoniam sicut in potestate Ordinis super Corpus Christi verum, sufficit aliquid de necessitate Sacramenti, quod non sufficit de necessitate Præcepti, quia peccat qui contra vel præter ordinationem Ecclesiæ consecrat: sic invenimus in potestate Ecclesiastica, super Corpus Christi mysticum, præsertim quoad ministrationem trium Sacramentorum quæ dicta sunt.

His distinctionibus & aliis quæ prædicta sunt attentis, posset statim investigari quid & in quo sit plenitudo Ecclesiasticæ potestatis: nihilominùs anteà juxta priorem distinctionem trimembrem, tres assignabimus considerationes: septimam, octavam & nonam.

Consideratio Septima.

POTESTAS Ecclesiastica, si consideretur in se formaliter & absolutè, ipsa est invariabilis, & eadem à principio nascentis Ecclesiæ usque in finem perseverat. Ecclesia siquidem, dùm sic consideratur in suis partibus essentialibus & permanentibus quæ sunt Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Sacerdotium, habet integrari ex his omnibus, sic quod ablata penitùs una tali potestate, jam non maneret Ecclesia prout à Christo seminaliter, & velut in quodam germine suo perfectè fuit instituta: ut si Papatus per imaginationem præscindatur à reliquis potestatibus inferioribus, id quod superest non dicetur Ecclesia. Propterea quærere si Papalis autoritas sit major quàm Ecclesia, vel è converso, redit in idem ac si peteretur: nonne totum est majus sua parte, vel pars minor suo toto? Proinde sequitur quòd si generale Concilium repræsentet Universalem Ecclesiam sufficienter & integrè; necesse est ut includat autoritatem Papalem, sive Papa sit, sive desierit esse per mortem naturalem aut civilem. Sic dicimus de potestate Romanæ Ecclesiæ vel Sacri Collegii; sic de potestate Episcopali; sic de Sacerdotio, quòd est potestas Curatorum, qui sunt in Ecclesia Prælati minores. Si verò vellet aliquis curiosus inquirere, qualiter habet fieri talis abstractio potestatis Ecclesiasticæ, & si sit aliquod universale reale, specificum, & quidditativum, præter omnem operationem intellectûs, sicut inquiritur de animalitate & humanitate; remittimus ad Metaphysicam. Concedimus itaque quòd *Abstrahentium non est mendacium*, secundùm Aristotelem; licet negaverimus hæc universalia realia, sicut nec Mathematici mentiuntur, sive puncta sint realiter, sive non. Unde dicimus, quantùm nobis hìc satis est, quòd universalitas est in operatione & abstractione quam facit intellectus, ex rerum singularium exteriori cognitione, videndo qualiter ipsæ res ad invicem conveniunt vel differunt essentialiter, vel accidentaliter; ut quòd quilibet homo convenit essentialiter in hoc cum altero, quòd est animal rationale; quòd intellectus attendens abstrahit innata sibi virtute similitudinem hanc, quæ non est extra, nisi singulariter in singulis hominibus, & denudat eam à loco, à tempore & ab omni generalium accidentium confusione, & ita remanet universalis & absolutus conceptus hominis in anima, qui nihilominùs originatur ex rebus ad extra singularibus. Sic de Ecclesiastica potestate sentire possumus, dùm in se formaliter & absolutè consideratur. Omnes enim Sacerdotes conveniunt in Sacerdotio, omnes Episcopi in Episcopatu, & ita de reliquis potestatibus: sed quæret fortè aliquis, quo pacto Ecclesia Romana dicatur eadem isto modo, cum ab initio fuerit Petrus in Antiochia? Responsio facilis est, si fiat abstractio talium à connotatione loci & dicamus quòd Ecclesia Romana est illa Diœcesis, Provincia, vel Sedes quæ peculariter habet regi per autoritatem Papalem, & eam complectitur. Sic veritatem habet vulgata vox: Ubi Papa ibi Roma. Nec in dubium verti debet, quin isto modo Romana Sedes, in Ecclesia sit Caput, Mater & Magistra ceterarum; quia supremam Petri potestatem includit.

Consideratio Octava.

POTESTAS Ecclesiastica considerata respectivè, & quodammodò materialiter, prout applicatur ad hoc vel illud suppositum, potest dici variabilis & auferibilis in casibus multis. Hoc perspicuum est quotidie, dum fiunt immutationes nunc per novam consecrationem, nunc per novam electionem vel institutionem Ministrorum. Ita consequenter dicere possumus de potestate Papali, quod mutabilis est & auferibilis per mortem naturalem sicut constat; vel per civilem, videlicet per depositionem saltem quoad plenitudinem suæ Jurisdictionis, quæ depositio qualiter & ex quibus causis fieri posit, latiùs in aliis Opusculis apertum est. Unde, sicut Papa renunciare potest Papatui & dare Libellum repudii Ecclesiæ, etiam sine culpa ipsius sponsæ, licet hoc facere non debeat sine causa: sic Ecclesia potest hunc Vicarium sponsi sui dimittere & ei Libellum repudii dare, etiam sine culpa sua, licet non sine causa. Exemplificavimus aliàs in sex casibus, in quibus verus Papa deponi potest ex culpa sua, etiam ubi non esset realiter hæreticus ad intra, quamvis ad extra talis judicaretur. Exemplificavimus in aliis sex casibus quibus deponi potest Papa sine culpa sua, licet non sine causa, etiam præter liberam ejus cessionem. Tractatulus intitulari potest, *De Auferibilitate Papæ ab Ecclesia* & incipit: *Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus* Matth. IX. 15. propterea brevitatis amor hìc ista nonrepetit. Verùm potestatem hanc Ecclesiasticam quæ respicit institutionem Ministrorum Ecclesiæ, à summo usque deorsùm, confundit magna caligine cupiditas ambitiosa, quærens quæ sua sunt, & quæ crescentibus Beneficiorum donationibus impudenter excrevit, ita ut vix discerni modò possit, quid ex primaria institutione Christi vel invariabili Jure divino tenendum sit in hujusmodi Ministrorum Ordinatione. Mira siquidem quoad usum talis potestatis varietas incessit, quæ ex Chronicis Summorum Pontificum, & ex tenore Generalium Conciliorum, Decretalium & Decretorum se ostendit; nec est Opusculi præsentis per hæc omnia discurrere: sed dicamus hìc aliter esse discernendum in Ecclesiastica politia, dùm est ordinata completè sub quadam explicatione perfecta & numerosa membrorum suorum in Ministris per status, gradus & officia: aliter dùm ab initio firmata est Ecclesia in magna tàm Ecclesiasticorum quàm fidelium paucitate, velut in quodam seminario vel germine, ille botro. Potuit enim tunc rationabiliter supremus ille Pontifex Petrus habere faciliter præsentiam Concilii generalis, sicut in Electione Matthiæ & cessatione Legalium. Potuit & instituere Ministros per diversas Provincias & loca, de mandato suo, sicut ad eum facilis patabat

bat accessus: nec vigebat avaritia, quia primi primò petebantur ad mortem. Quæ omnia cessant in hac tam copiosa fidelium multitudine post tot Jura, tot Leges, tot Decreta & Decretales Summorum Pontificum & generalium Conciliorum editas, ad regendam feliciter Ecclesiam. Suppetit hoc loco convenientissimè consilium Jetro datum Moysi *Exod.* XVIII. 18. &c. quod sic habet: *Stulto labore consumeris tu & populus tuus qui tecum est: ultra vires tuas est negotium, solus illud sustinere non poteris. Sed audi verba mea & consilia mea, erit Dominus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent ut referas quæ dicuntur ad eum; ostendasque populo ceremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant & opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis Tribunos & Centuriones quinquagenarios, & Decanos qui judicent populum in omni tempore: Quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi faciliora tantummodò judicent: leviusque tibi sit, partito in alios onere; si hæc feceris, implebis imperium Dei, & Præcepta ejus poteris sustinere, & omnis hic populus revertetur cum pace ad loca sua. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat.*

Edocemur ex hac Scriptura calamo Dei scripta de multis. Specialiter, quòd si Moyses loquens Deo familiariter, sicut amicus ad amicum, obedienter audivit consilium Gentilis hominis in regimine totius Synagogæ; quantò magis debet hoc Summus Pontifex ad dictamen totius Ecclesiæ, vel generalis Concilii suo nomine. Rursùs si judicia minora reprobantur in Moyse, videamus in Summo Pontifice & Curia sua, quid de tot prophanissimis & indignissimis Causarum & litigiorum continuis & anxiis occupationibus? Quid de Beneficiorum quorumcunque etiam minorum collationibus & signationibus manu Papæ? Quid de Annatarum exactionibus. Quid innumeris similibus dicendum judicabitur, relicta omni cura, sollicitudine, vel studio de omni eo quod spirituale est, quod divinum est, quod denique Fidem concernit & Religionem Christianam? Concludimus tandem ex dato Moysi consilio & Præcepto Legis *Exodi* XVIII. & ex institutione Christi *Matth.* XVIII. quòd nulla fuit hactenùs, nec erit inposterùm perniciosior pestis in Ecclesia quàm omissio generalium Conciliorum & Provincialium, vel in re ipsa vel autoritate. Autoritas itaque nulla erit si solus Summus Pontifex omnia velit inferiorum Ecclesiasticorum usurpare institutiones, jura, status, gradus & officia. Meminerit itaque Summus Pontifex datam sibi à Deo potestatem supremam in Ecclesia ad ædificationem ejus, prout sapiens judicabit. Judicat autem sapiens de potestatis usu variabiliter, invariabilis existens, sicut est generale Concilium, & hoc pro temporum, locorum, reliquarumque circumstantiarum diversa qualitate. Teneatur ergo suum judicium & maneat Ecclesiastica politia optimo regimine, quale fuit sub Moyse gubernata; quoniam mixta fuit ex triplici politia. Regali in Moyse; Aristocratica in. LXXII. senioribus, & in Tymocratica dùm de populo & singulis tribubus sub Moyse rectores sumebantur. Sed opponunt plurimi nolentes ad Ordinarios remitti Ministrorum Ecclesiasticorum institutiones, neque per electionem neque per collationem. Expertum est, inquiunt, quòd turbarent omnia, venderent, dissiparent, partim cupiditate carnali, partim sæculari potestate tracti, de litterarum quoque studiis actum esset. Verum in promptu est responsio, corrigeret Summus Pontifex abusus hujusmodi, & autoritatis severitate suprema vigilanter adhibita, poneret aspera in vias planas, deponeret potentes intrusos de sede & exaltaret humiles sine prece vel munere: hoc est enim Architectoris officium, dum verò peccat in his Summus Pontifex, quis ministrorum corrigere vel præsumet vel poterit? Dices quòd hoc poterit generale Concilium; vide quia nec crebo nec faciliter habetur: vix enim statuit libenter aliquis sibi correctionis judicium. Denique si propter abusus Ordinariorum in Ministrorum institutione potent aliqui sublatum esse ab eisdem hoc exercitium; similem in Papa rationem, quòd ab eo debeat usus tolli, nunc inveniri dicitur ab aliis, maximè dum recipit Annatas; quoniam ex hac corruptela quamdiù perseveraverit, orietur inevitabiliter leprosa pestis simoniæ, inficiens sua contagione nedùm caput, sed penè singula Ecclesiæ membra. Super est ut apponatur sicut apponi quæritur in reformatione provisio.

Consideratio Nona.

A POTESTAS Ecclesiastica si consideretur quoad usum vel exercitium, illa mutabilis est & multipliciter variabilis. Hæc consideratio cum duobus præcedentibus solvit protinùs quæstionem hanc: Si potestas Ecclesiastica sit immediatè à Deo, vel mediatè ab hominibus? Nam considerando Ecclesiasticam potestatem primo modo, concedendum est absque ulla dubitatione, quòd illa fuit & est immediatè à Deo homine Christo, sic quod à nullo altero fuit instituta. Nec congregatio totius universitatis hominum, secluso Christo, potuisset sibi potestatem hujusmodi instituere, quemadmodùm potuit vel posset instituere sibi potestatem Imperialem super omnem potestatem Regalem, potestatem Ducatuum, Comitatuum & Baroniarum, & ita de reliquis potestatibus purè sæcularibus. Non autem potuisset sibi in- B stituere Sacerdotium nec Papatum, sicut habet Ecclesia: nec similiter destituere, sicut nec mutare Legem Christi, quæ mutatio sequeretur de necessitate prout arguit Apostolus quòd *translato sacerdotio necesse est ut Legis translatio fiat.* Hebr. VII. 12. Si verò potestas Ecclesiastica consideretur secundo modo, tunc in principio nascentis Ecclesiæ collata est immediatè à Deo, tàm Petro quam Apostolis & discipulis, quibus immediatè Christus contulit Sacerdotium super Corpus suum verum & super mysticum. Unde & Apostolus dicit *Galat.* I. 12. se recepisse Evangelium non per hominem, & similiter mysterium & ministrationem corporis Christi. *Ego*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis* &c. I. Cor. XI. 23. Et ita consequenter probabile est quòd sicut Christus immediatè contulit hanc potestatem primitùs suis Apostolis & Discipulis, applicando scilicet eam istis C & non aliis, sic & immediatè concessit usum, actum, vel exercitium; quia dans formam, dat consequentia ad formam. Dicimus tandem, his non obstantibus vel ita se habentibus, quòd successores Petri & aliorum Apostolorum de communi lege, secluso miraculo, vel nova revelatione, fuerunt & sunt instituti mediatè per homines, ut per consecrationem, vel electionem, vel aliam institutionem. Usum similiter vel exercitium receperunt atque recipiunt mediatè per humanum ministerium vel concessionem. Et fortè quoad usum vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ, sic evenit ipsis etiam Apostolis & Discipulis quod post immediatam concessionem utriusque, scilicet potestatis & usus factam à Christo; postmodùm crescente numero fidelium fuit, ad tollendum schisma, & ad exemplar dandum posteris, limitatio facta ta- D lis potestatis quoad usum, & hoc per Petrum Summum Pontificem, de consensu totius Ecclesiæ primitivæ vel generalis Concilii; ut non quilibet posset in quemlibet uti potestate sua, attenta Christi ordinatione primaria, qua voluit Ecclesiam suam regi principaliter sub uno & ab uno Monarcha sicut est una Fides, unum Baptisma, & una Ecclesia, unitate capitis tàm Primarii quàm Vicarii; quoniam iste est optimus Principatus, præsertim in spiritualibus, ad conservationem unitatis Fidei, ad quàm obligantur omnes. Non sic autem est de Legibus Civilibus quòd debeant esse similes & eædem apud omnes Nationes, propter varietatem morum & conditionum in diversis

sis Provinciis: quoniam insuper gladius Ecclesiæ spiritualis est, videlicet Excommunicatio, quæ potest extendere se quantumlibet in longinquas Nationes. Aliter est de gladio materiali. Propterea non oportuit, nec forsitan expedivit quòd in temporali potestate esset una perseverans Monarchia per Orbem universum, sicut de spirituali potestate prædiximus institutum fuisse Jure divino primitùs in Persona Petri: A Joan. ultimo c. *Pasce oves meas*, prout sancti Doctores & Ecclesia tenendum tradiderunt. Sumamus exemplum materiale, conforme, ut tradit Dionysius spirituali, quod invenitur in sole, qui fons luminis est, non illuminatus ab alio corpore, sed illuminans; deinde sunt aliqua quæ ab eo illuminantur & consequenter illuminant; nonnulla verò quæ illuminantur, sed illuminandi virtute carent; quoniam in ipsis lux occumbit. Exemplum aliud est in Angelica triplici Hierarchia: unde, licet quoad naturam, gratiam & gloriam sit quilibet Angelus immediatè formatus à Deo; nihilominùs quoad exercitium actuum hierarchicorum, qui sunt purgare, illuminare & perficere, tres primi Ordines hierarchizant non hierarchizati ab aliis; tres medii hierarchizantur & hierarchizant: tres infimi hierarchizantur & non alios Angelos hierarchizant. Papalis autoritas suo modo cum suis Cardinalibus imitatur triplicem primam. Alteram verò mediam imitatur Patriarchalis, Archi-Espicopalis, Episcopalis & Sacerdotalis autoritas in habentibus subjectos sibi: quod dicitur propter Curatos vel etiam propter solos Titulares Episcopos carentes plebe. B Ultimi sunt instar tertiæ hierarchiæ qui hierarchizantur in Ecclesia, sed non alios auctoritativè hierarchizant, quemadmodùm sunt populi & simplices Religiosi, secundùm Dionysium.

Consideratio Decima.

POTESTAS Ecclesiastica in sua plenitudine est formaliter & subjectivè in solo Romano Pontifice. Supponitur itaque primò, quòd licet aliquis possit eligi in Papam non Sacerdos, sicut eligitur aliquis in Episcopum: ipse nihilominùs appellari non potest aut debet Summus Pontifex, nisi fuerit in Sacerdotem & Episcopum consecratus. Et quamvis ex electione possit aliquid Jurisdictionis habere; non tamen habet ante Consecrationem in Episcopum plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis tàm Ordinis quàm Jurisdictionis utriusque; quod perspicuum est ex terminis. Hic autem consurgit æquivocatio non modica, propter Dominos Juristas, qui loquentes de plenitudine pote- C statis Papalis, solùm loqui videntur de potestate Jurisdictionis, ex qua locutione videtur hæc absurditas sequi, quod purè laïcus, imò & femina posset esse Papa, & habere plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis. Supponitur insuper ex jam dictis, quòd ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare vel suscipere gradus hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere, si non interveniat verè vel interpretativè autoritas supremi Hirarchæ vel Monarchæ in Ecclesia sancta Dei; quatenùs in ea vitetur confusio & optimo regimine gubernetur, ad exemplar Ecclesiæ Triumphantis; propter quod dicit Joannes in *Apocalipsi*, c. XXI. 2. Se vidisse novam civitatem Jerusalem descendisse de cœlo. Et Moysi dictum est: *Vide ut omnia facias juxta exemplar quod tibi ostensum est in monte.* Exod. XXVII. 8. Supponitur rursùs illud Philosophi, quòd *actiones sunt suppositorum*. Tandem D ex his præcedentibus possumus describendo dicere, quòd plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, est potestas Ordinis & Jurisdictionis, quæ à Christo collata est, supernaturaliter Petro, sicut Vicario suo & Monarchæ primo, pro se & suis successoribus legitimis, usque in finem seculi, ad ædificationem Ecclesiæ Militantis, pro consecutione felicitatis æternæ.

Dicitur in hac descriptione, supernaturaliter, ad differentiam potestatum vel Jurisdictionum quæ successoribus Petri potuerunt convenire, secundùm Leges humanas civiles & politicas, vel ex dictamine Juris naturalis, quod vult ut supremus in aliqua politia gaudeat multis honoribus & privilegiis super alios; vel ex speciali dotatione seu donatione Principum & aliorum secularium; vel tandem ex ipsius Ecclesiæ seu Conciliorum generalium favorabili concessione, sicut Communitas perfecta suo capiti naturaliter dare potest. Cujus concessionis una fuit ratio non mala, quatenùs honoraretur in interpretandis Juribus & emergentibus quotidie dubiis, circa regimen Ecclesiasticum; quia facilior est recursus ad Papam cum Curia sua, quàm ad ipsum generale Concilium: Quæ causa movit ab initio Reges instituere, & eis potestatem Leges condendi & interpretandi tribuere. Hanc autem distinctionem non attendentes aliqui, putaverunt omnia quæ nunc Summis Pontificibus conveniunt, competere ex primaria Christi institutione, & immutabili Jure divino: quod falsum est; quoniam staret aliquem esse verum Papam & perfectum, qui careret actualiter multis talibus Privilegiis & Honoribus, in quibus non consistit plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, qualem in Petro fuisse descripsimus, & quam nullus hominum præter Christum, immò nec Ecclesia tota conferre potuit, ita nec auferre, sicut in consideratione nona notatum est.

Contendunt nunc aliqui pollentes litteris, quòd post institutas per Generalia Concilia Regulas, super electionibus faciendis & Beneficiis per Ordinarios conferendis, juxta Fundatorum intentionem, quemadmodùm observatur de Jure Patronatûs apud laïcos; nequaquam licitum fuit Papæ tales cassare Regulas: præsertim ita generaliter & passim, per reservationes & aliter, sicut visum est à centum annis vel ultra. Non licuit praetereà facere tot & tales non-obstantias eorum quæ constituta sunt in Generalibus Conciliis, quot & qualibus non-obstantiis uti solet passim in Bullis suis; adeò quidem ut Alexander quintus inductus sit in prætensis quibusdam Bullis ponere non-obstantiam hujus saluberrimi ac celebriter observati Statuti. *Omnis utriusque sexus.*

At vero respondent alii, non ad originem Ecclesiasticæ potestatis positam à Jure divino, tantundem considerantes quantùm respiciunt Decretales cum glossis, allegationibus, concordantiis sine numero Doctorum unius ad alterum, ut ovium gregi mos est. Respondent, inquam, per unicum verbum, quod semper intellexit Concilium generale autoritatem Summi Pontificis exceptam esse in omni Constitutione sua qualicumque. Nimirum quia posuerunt isti Papalem autoritatem supra Concilium, aut saltem non imparem. Est autem certum apud eos quòd par in parem, & minor in superiorem, non habet imperium.

Benedictus autem Deus, qui per hoc Sacrosanctum Constantiense Concilium illustratum divinæ Legis lumine, dante ad hoc ipsum vexatione præsentis schismatis intellectum, liberavit Ecclesiam suam ab hac pestifera perniciosissimaque doctrina, qua semper manente, perseverasset semper schisma nutritum ab ea. Declaratum nempe decretumque est; quòd & sine Papa generale Concilium convocari, & à Concilio Papa judicari certis casibus potest. Quòd insuper habet autoritatem generale Concilium præscribere Leges, seu Regulas, secundùm quas plenitudo potestatis Papalis non quidem in se, quæ semper eadem est, sed in usu suo moderanda, regulandaque est. Nequè putandum est insuper Concilia generalia sic excepisse Papalem auctoritatem in Constitutionibus suis, ut eidem permitteretur effrenis libertas ea destruendi levissimè, quæ tanta gravitate & digesta sapientum maturitate condita sunt. Intelligitur ergo Papalis autoritatis exceptio facta, prout occurrens necessitas, vel evidens utilitas postulabat, ubi-

pro

Digitized by Google

pro tunc, recursus ad generale Concilium non pateat: alioquin non erat ibi uti plenitudine Papalis potestatis; sed abuti plenissimè. Utrum verò validum fuerit & ratum quidquid ab abusu tali processit, definire sub una generalitate non audeo. Scio quòd multa fiunt iniquè, multa inexpedienter, multa in A deformationem Ecclesiæ, quæ tamen facta tenent. Ceterum videtur apponenda per hoc Sacro-sanctum generale Concilium talis declaratio, per quam appareat quopactò autoritas Papalis & quousque cognoscatur excepta in Constitutionibus, vel jam factis, vel de novo condendis; quoniam, ut aiunt, *Non est ad præterita Lex*. Omnium denique malè gestorum præteritis temporibus cassatio vel annulatio, neque facilis, neque fortè Juridica, & inexpediens planè videretur.

Attendantur Regulæ quæ sequuntur, facientes ad elucidationem præcedentium de Legum vel Constitutionum interpretatione.

Prima, Leges humanæ dantur secundùm illa quæ ut in pluribus accidunt: quoniam omnes casus par- B ticulares enumerare & remedium specialis Legis apponere, neque possibile est humano Legislatori, cùm sint in infinitum variabiles; sed nec expedit, propter confusionem fastidiosissimam, immò & perplexam, quæ ex illa multiplicitate consurgeret. Erit autem Lex, secundùm Isidorum honesta, justa, possibilis servari, & secundùm consuetudinem Patriæ, loco, temporique conveniens, necessaria, utilis, manifestaque, ne aliquid per obscuritatem in captione contineat, nullo privato commodo; sed pro communi civium utilitate conscripta.

Altera Regula: Leges humanæ quæ feruntur generaliter possunt & debent exceptionem recipere, dum deficit ratio Legis; quando videlicet Legislator, si adesset, vel alius prudens interrogatus exciperet à generali Constitutione casum partieularem, qui taliter aut taliter occurreret. Hæc autem exceptio multipliciter nominatur; quandoque epikeia sicut ab Aristotele; quandoque Juris interpretatio, sicut à Legistis; quandoque dispensatio, sicut à Canonistis; quandoque bona fides, sicut à Politicis, dicentibus bonam fidem C esse, ubi non simulatur unum, & aliud agitur; quandoque dicitur æquitas, sicut ait Propheta Domino. *Omnia Mandata tua æquitas*. Ps. 118. CLXXII. hoc est secundùm æquitatem implenda.

Tertia Regula: Triplex invenitur Juris interpretatio vel exceptio. Quædam est Judicialis potestatis, spectans ad Legislatorem & Judices; quemadmodùm dici solet. *Cujus est condere, ejus est interpretari*. Quædam est doctrinalis autoritatis, spectans ad illos quibus data est, autoritate Summi Pontificis, licentia interpretandi scholasticè Jura, vel qui super his interpretandi scientia pollent arte vel experientia, juxta illud: *Cuilibet experto in sua scientia credendum est*. Et iterum: *Unusquisque benè judicat de quibus novit*. Quædam interpretatio est inevitabilis necessitatis, potens cadere circa quemlibet, dùm certitudinaliter videt imminens periculum suum, nisi vim vi repulerit & egerit contra generalia verba Legis, quo D casu est sine culpa apud Deum, quamvis dolere debeat quòd incidit in hanc necessitatem. Et si docere potest legitimis testimoniis apud Judicem humanum, absolutus erit, aliter non; quoniam apud illum idem est de illis quæ non sunt & quæ non apparent.

Quarta Regula: Juris interpretatio seu dispensatio vel exceptio quæ est judicialis potestatis, hoc operatur, quòd agens contra verba Legis, non punitur apud homines in exteriori Foro; sed apud Deum in Foro conscientiæ peccabit uterque, scilicet dispensans & cum quo dispensatur, si talis non fuerit qui dispensat, qualem descripsit Christus, Luc. 12. XLII. *fidelis & prudens*. Fidelis, ne commodum proprium, favorem, vel honorem quæsiverit, derelicto divino, vel communi bono. Prudens, ut circumspiciatur undique ratio Legis & Legislatoris intentio: est enim dispensatio, commensuratio seu distributio boni communis; quale est Lex ad singulos, secundùm Legis intentionem, prout circumstantiarum varietas occurrerit; quæ dispensatio si non fideliter & prudenter fiat, eam appellat Bernardus dissipationem non Dispensationem; intellige quoad Deum & conscientiam, si hoc constiterit aut constare debuerit: tenet verò frequenter apud homines, secundùm exteriora judicantes hæc dispensatio, si non contineat errorem apertum; aut nisi fuerit superiori Lege prohibita: quod dicitur propter Statuta fieri possibilia, circa usum Papalis potestatis per generale Concilium.

Quinta Regula: Juris interpretatio vel exceptio, quæ est Doctoralis autoritatis, relevat plurimùm non obedientes nudo Legis verbo, tàm quoad judicia Forensia, sicut est ab expensis relevatio, quàm in Foro conscientiæ & divino Judicio; præsertim, dùm sunt Doctores famati plures & experti in arte sua, & in morum honestate probati; alioquin, sæpe mentitur iniquitas sibi, dum corrupta est prece vel pretio: *Excæcant enim munera, etiam oculos prudentium* Deut. XVI. 19. & si creditur Aristoteli experientiæ verba loquenti: Malitia facit errare, nedum circa conclusiones elongatas à primis principiis, sed in ipsismet principiorum moralium januis; quemadmodùm reputabatur olim latrocinium apud Alemanos licitum, teste Julio: *De bello Gallico*: ac peccatum innaturale & sordidum apud Romanos, secundùm Apostolum ad eosdem; & ita de pluribus hominibus datis in reprobum sensum, pro varietate depravationis vitiorum.

Sexta Regula: Juris interpretatio, exceptio, vel dispensatio, similiter exigit, dum fit altero prædictorum modorum judicialiter vel doctrinaliter, quòd habeatur duplex intuitus; unus ad bonum divinum & publicum, alter ad particulare commodum illius pro quo fit Juris interpretatio vel dispensatio. Evenit itaque sæpius, quòd dum passim laxatur rigor Legis (ex quadam ut fingitur compassione & misericordi condescensione ad aliquos particulares positos sub Lege) deperit ex altera parte stabilitas, & vigor disciplinæ, qui vigor est præcipuè in omni Lege servandus. Docuerunt hoc Romani, qui proprios etiam filios occiderunt, qui in se ipsos rigorem Legum exercuerunt quatenùs disciplina militaris, & obedientia Legalis inviolata maneret. Docent hoc Fratres Carthusienses, qui super esu carnium, vel nunquam, vel rarissimè dispensationem recipiunt: ac proindè disciplina regularis viget apud eos, quæ quantùm sit collapsa apud Religiones quasdam alias, passim dispensationibus utentes, videre stupor & dolor est. Super qua re, jam Bernardi, pro tempore suo, querela nascebatur.

Quid modò dicendum putabimus, de tam facili, ut appellant, dispensatione per Papam & Prælatos, super juramentis licitis? super votis rationabilibus? super immensa Beneficiorum pluralitate? super generalium Conciliorum non-obstantia? super privilegiorum & exemptionum commune Jus privantium concessione; Quis omnia dinumeraret, per quæ nunc vigor Ecclesiasticæ, imò & Evangelicæ disciplinæ totus verè languit, emarcuit, evanuit? provideat super omnibus Sacro-sanctum hoc Constantiense Concilium.

Fundatur in hac radice stabilitas Legum, quòd *Consuetudo est optima Legum positivarum interpres*, ita si neque Juri Divino, neque naturali fuerit contraria: fundatur & illud Aristotelis politizantis, non esse dandum præmium invenientibus novas Leges, quamvis in se meliores extiterint; quoniam mutatio Legum frequens, causat instabilitatem, neque permittit eas in consuetudinis fixa radice roborari. Hoc animadvertant, qui ad omnem motum capitis, ad omne quod bonum agi phantasiatum fuerit, condere satagunt novas Leges, pœnas pœnis adjicere, quasi super omni re quæ bona est, si fieret, bonum sit & expediens, Legem pœna-

Digitized by Google

lem addere: non enim Respublica regitur per simile. Fundatur in eadem radice, rationabilitas abolitionis vel abrogationis quarumdam Legum positivarum, per oppositos mores subditorum, qui versi sunt in naturam. Fundatur & rationabilitas permissionis quorumdam malorum, non ut approbentur; sed ne punita ruant in deterius. Fundatur & Jus præscriptionis punientis (ne fiant incerta dominia) neglectores rerum propriarum, ac justè transferentis (etiam apud Deum & conscientiam) tale dominium, in bonæ fidei possessorem, & præscriptorem legitimum.

Consideratio Undecima.

POTESTAS Ecclesiastica in sua plenitudine, est in Ecclesia sicut in fine, & sicut in regulante applicationem & usum hujusmodi plenitudinis Ecclesiasticæ potestatis, per seipsam, vel per generale Concilium, ipsam sufficienter & legitimè repræsentans. Constat itaque datam fuisse Petro plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis à Christo, ad ædificationem Ecclesiæ suæ, sicut, conformiter ad Apostolum ponit descriptio. Propterea loquitur Augustinus cum aliis quibusdam, quòd, *claves Ecclesiæ datæ sunt non uni, sed unitati; & quòd datæ sunt Ecclesiæ*. Et hoc convenienter potest intelligi, modis quos explicat consideratio; quoniam *claves datæ sunt propter Ecclesiam & unitatem ejus tanquam propter finem*. Potest etiam dici in Ecclesia vel in Concilio, hæc plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, nedum in se formaliter, sed aliis duobus modis; videlicet quoad applicationem ad hanc vel illam personam, & quoad usum regulandum, si fortassis in abusum verti quereretur.

Constat his tribus modis plenitudinem Ecclesiasticæ potestatis esse in Ecclesia, & in generali Concilio, tanquam in gerente vices ejus. Et quidem de duplici modo, primo & secundo, non est difficultas: similiter nec de tertio, si consideremus descriptionem plenitudinis Ecclesiasticæ potestatis, ubi ponitur, quòd data est ad ædificationem Ecclesiæ. Cum igitur, Summus Pontifex habens eam subjectivè, sit peccabilis, & possit hanc potestatem in destructionem Ecclesiæ velle convertere; similiter Sacrum Collegium quod ei datum est, & coassistit quasi communitas Aristocratica, non est in gratia vel Fide confirmatum: superest, ut aliqua sit relicta inobliquabilis & indeviabilis regula ab optimo Legislatore Christo, secundùm quam possit abusus hujusmodi potestatis reprimi, dirigi, atque moderari. Hæc autem regula est vel Ecclesia, vel generale Concilium. Unde cum medium virtutis aliter non habeatur, nisi prout sapiens judicabit; finalis resolutio ad hanc sapientiam fiet ad Ecclesiam, ubi est sapientia indeviabilis, vel ad generale Concilium. Hìc fundantur ea multa quæ per hoc sacrum Concilium & constituta & practicata sunt: ut quòd Papa judicari potest & deponi per Concilium; quia eidem, in regulatione suæ potestatis quoad usum, subjicitur, & sibi potest dici: *Cur ita facis?* Et ita de pluribus, quæ recollecta sunt in illo Sermone. *Prosperum iter faciet nobis Deus.*

Possumus ad hanc considerationem addere, quòd plenitudo Ecclesiasticæ potestatis, si consideretur in sua latitudine, ipsa non est in solo Papa; nisi quodam modo fontaliter, potestativè, & originaliter suo modo. Hæc enim latitudo potestatis complectitur in se alias potestates Ecclesiasticas collectivè, à summo usque deorsum: & est in eis plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis, tanquam pars integralis in suo toto; & ita non est major vel superior ad totam Ecclesiam, sicut nec pars major toto. Si verò consideretur hæc plenitudo in sua supremitate, tunc absque ulla dubitatione, plenitudo Ecclesiasticæ potestatis Papalis superior & major est ad reliquas; sed jam illud quod reliquum est, nullo pacto potest constituere generale Concilium, juxta illud quod dictum est priùs, quòd generale Concilium in sua ratione formali, includit de necessitate Papalem autoritatem; sive Papa sit, sive non sit: quia si Papa est, & vult facere debitum suum de convocando Concilium, certè hoc debet autorizari per ipsum; si verò pertinaciter renuit in destructionem Ecclesiæ, jam tunc agendum est ac si non esset, & remanet in Ecclesia potestas seipsam congregandi, & sibi providendi, ac ordinandi de potestate Papali, secundo & tertio modis, quoad applicationem & ad usum; sicut de Capitulo & Decano, vel de Universitate & Rectore, suo modo diceretur.

Sed occurrit difficultas principalis, quid mortuo Papa vel ejecto, possit ipsum Concilium? Potest itaque primò constituere sibi Papam unum, modo solito, per electionem Dominorum Cardinalium; vel alio modo, per compromissum, vel per viam Spiritus sancti, si probabiliter ita speraretur posse fieri quòd omnes concordarent in unum; vel fortè per expectationem divini miraculi, sicut fuit in electione Matthiæ; & de hac prima potestate Concilii non est difficultas, quin sibi possit facere caput unum.

Alia multa sunt quæ Papa mortuo vel ejecto, potest exercere Concilium per seipsum vel per organum aliquod, vice omnium; quemadmodùm sæpe practicatum est in hoc Concilio, de diversis Sententiis & Decretis respicientibus exercitium Jurisdictionis coërcitivæ: sicut in vocatione & depositione Papæ, sicut in Excommunicatione & Interdicto, relaxatione & Absolutione factum est in causa Tridentina & Argentinensi, in quibus omnibus introducitur sancta Synodus loquens, decernens, definiens. Sic invenitur in primis Conciliis, tempore Apostolorum & aliorum, quòd Concilium loquebatur, & non Papa, etiam dum vivebat. Unde dixerunt Apostoli & Seniores *Act.* xv. 18. scribentes Acta illius Concilii. *Visum est Spiritui sancto & nobis*: Et simile notatur *Act.* vi. 2. de convocatione Ecclesiæ per duodecim Apostolos; & in Conciliis generalibus tales inveniuntur modi loquendi. *Placuit sancto Concilio.* Vel *Concilium definit.* Vel *Statuit sanctum Concilium.* Vel *Sacri autoritate Concilii.* Vel *Synodalis ordinatio vigeat*, & ita in similibus. Denique tertiò, sunt alia quæ non possunt exerceri nisi per suppositum determinatum, juxta jam allegatum, quòd actiones sunt suppositorum: circa quæ distinguendum est; quia vel illa sunt talia qualia nullus potest exercere nisi sit Papa, nec per commissionem, nec aliter: vel sunt talia quæ committi possunt per aliquem vel aliquos, per quos hoc exerceri non posset, sed alius capax est: Exemplum de Curato non Sacerdote, qui potest committere simplici Sacerdoti non habenti plebem aliquam, quòd in Cura sua celebret Missam, & consecret; quòd audiat Confessiones & absolvat, quod ministret Eucharistiam, & ita de reliquis spectantibus ad Sacerdotium. Poterit igitur similiter Concilium committere Sacerdotibus, ut agant talia, quæ nec Concilium per se, nec illi Sacerdotes sine commissione vel licentia Concilii possent exequi, saltem licitè.

Quocircà, restat cognoscendum de illa conditionali, si sit aliqua potestas in Papa, quæ possit in aliquid, in quod nulla altera potestas Ecclesiastica potest attingere, neque de Facto neque de Jure. Et videtur primà facie quòd non, juxta communiorem Doctorum sententiam, qui dicunt potestatem Ordinis esse æqualem in omnibus Sacerdotibus; comprehendendo, more Apostoli, Episcopatum sub Sacerdotio: non enim videtur, quòd sit aliquis actus Ordinis, in quem possit Papalis autoritas, quin in illum possit de Facto potestas Episcopalis.

Ceterum, de potestate Jurisdictionis, quomodocumque fiat sermo; videtur quòd Concilium possit illam concedere in defectu Papæ, ut in subjiciendo alicui Episcopo tales populos quales voluerit pro Sacramentorum licita, & rata ministratione. Et ita practicavit hoc Concilium circa Samaytas Le-

Legatos, eis dando aliquos, qui licitè possent omnia quæ sunt Ordinis & spiritualis Jurisdictionis. Proinde quid de largitione Indulgentiarum tenendum sit, lectori interim considerandum relinquo; si solius Papæ concessione mediatè, vel immediatè tradi possunt. Putant aliqui, quòd potestas hæc respicit claves in Foro Pœnitentiæ: propterea convenit in eodem Foro cuilibet Sacerdoti, maximè Episcopo; si non fuerit hæc potestas a superiore quoad usum limitata: aut convenit illi qui habet curam communitatis Ecclesiæ, secundùm Thomam: Concilium verò talem curam habet.

Porrò juxta hunc dicendi modum, potest occurrere scandalum trahens ad hoc inconveniens, quòd Ecclesia posset benè regi usque in finem seculi sine Papa; ut si generale Concilium daret licentiam omnibus Episcopis, Sacerdotibus, cuilibet supra plebem suam, absque ulla Jurisdictionis limitatione vel restrictione; quia sic Episcopus posset constituere Sacerdotes, imò & Episcopos licitè & ratè, & uti clavibus, & ita de reliquis omnibus hierarchicis actibus. Respondemus quòd etsi ad tempus aliquod generale Concilium possit aliquid tale facere; quoniam habere Papam est Præceptum affirmativum obligans ad semper, sed non pro semper (sicut apparuit dùm vacavit Sedes per duos aut tres Annos, sicut & nunc vacat;) nihilominùs, generale Concilium neque deberet, neque posset talem defectum capitis, usque in finem seculi tolerare, stante lege: potest tamen supplere, dùm necessitas urget vel suadet evidens utilitas, & hoc vel per unum Episcopum, quasi Vicarium, vel per plures simul, aut successivè: & hoc modo dicitur esse plenitudo potestatis Ecclesiasticæ in Ecclesia suppletivè.

Cognoscimus ex his, quòd falsæ sunt, & injuriosæ Concilio generali tales assertiones, quæ negant ab eo, vel ab Ecclesia executionem potestatis supremæ Jurisdictionis; negant insuper decernendi vel definiendi potestatem dùm Papa est, reponentes in eo solo hanc autoritatem definiendi, cùm ex multis Conciliis, & certa ratione constet oppositum. Unde & Apostoli miserunt in Samariam Petrum & Joannem, tanquam subditos Ecclesiæ; *Act.* VIII. 14. & Jacobus protulit definitionem sacri Concilii super cessatione Legalium. De quo *Act.* XV. 13. notatum est; quando tamen Petrus præsidebat & residebat in Ecclesia legitimè, cùm esset in gratia confirmatus die Pentecostes.

Possumus tandem Canones apparenter discordes super laude plenitudinis potestatis Papalis rationabiliter ad concordiam revocare; si distinctionem trimembrem acceptionis Ecclesiasticæ potestatis acutè viderimus: hanc enim potestatem formaliter & in se consideratam primo modo nemo judicare potest, neque Augustus, neque populus, neque totus Clerus, imò nec Universalis Ecclesia; secùs in alio duplici modo. Unde sicut ex consideratione potestatis hujus stupendæ & miraculosæ Imperatores etiam & Reges procumbunt ad oscula pedum Papæ; & inde consurgit aliquando, ex humana fragilitate, arrogans superbia in persona Papæ referentis ad se quod impenditur potestati.

Non aliter existimandum est de prioribus sanctis Patribus extollentibus Papam miris modis. Et inde suborta est in quibusdam Summis Pontificibus arrogantia major debito, gaudens usurpare id quod Jure non poterat. Hinc cuidam glorianti quod pedibus suis conculcaret Imperatoris caput, retudit hanc arrogantiam acriter satis Imperator hoc mordaci verbo: *Non tibi*, inquit, *sed Petro.* Hinc fit præterea quod absque mendacio vel adulatione Papa nequissimus, potest appellari Sanctissimus, potest adorari cultu duliæ usque ad oscula pedum, & ita de reliquis honoribus. Sic & Ecclesia quæ maculam non habet neque rugam, quæ instar Mariæ Virgo est & Mater, introducitur quandoque tanquam peccatrix & sordida, non quidem pro se, & in se; sed pro peccatis filiorum, sicut anima sana fert & regit corpus ægrotum.

Consideratio Duodecima.

POTESTAS Ecclesiastica Papalis non ita habet Dominia & Jura terreni simul & cœlestis Imperii, quòd possit ad libitum suum de bonis Clericorum, & multo minùs laïcorum disponere; quamvis concedi debeat quòd habet in eis Dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum. Declarationem hujus considerationis, quam Discretio moderatrix atque mediatrix ponit inter errores oppositos, dùm facere meditarer, occurrere visa est protinùs in ipso meditationis meæ secreto duplex improba pestis. Nomen unius, Detractio livida: nomen alterius, Adulatio subdola. Prima potestatem Ecclesiasticam deprimens, subjiciebat temporali. Altera sustollebat in immensum, velut ad similitudinem Altissimi, confundens Jura cujuslibet alterius potestatis. Tolle, tolle, clamat Detractio temporalitatem omnem, Jus, vel Dominium ab Ecclesiasticis. Quare; quia sic instituit Christus cujus ista vox est. *Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet non potest meus esse Discipulus.* Luc. XIV. 33. Sic improperabat Julianus apostata Christianis, rapiens eorum facultates. Addit Detractio, quòd Ecclesiastici nequaquam capaces sunt Jurisdictionis temporalis, etiam si Principes illis conferre voluerint. Inducit Apostolum, quia *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* II. Thim. II. 2. Addit Detractio, nihil habere Ecclesiasticos neque Decimas neque Oblationes; quantominùs alias dotationes vel possessiones, nisi ex pura eleemosyna donantium: & quòd ab Ecclesiasticis peccantibus, saltem habitualiter, possent per sæcularem potestatem optimo Jure tolli; quia data est potestas hæc sæcularis in vindictam malefactorum, *neque sine causa gladium portat.* Rom. 13. 4. Addit quartò innitens Apostoli verbis: *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* I. Tim. VI. 8. quia quidquid habent Ecclesiastici ultra simplicem victum & vestitum, totum illud est pauperum; cujus retentio, nedum furtum vel rapina simplex est, sed sacrilegium, prout detorquet ad hanc sententiam tàm Hieronymi verba quàm Bernardi. Vult tandem Detractio Ecclesiasticos omnes ad illam Apostolorum & Discipulorum primam paupertatem sine equis, sine thesauris, sine calceamentis, sine possessionibus de necessitate salutis redigere, execrans in Ecclesiasticis pompam omnem vel servientium, vel ciborum, vel equorum, vel indumentorum.

Consurgit ex adverso blandiens & subdola Adulatio, & ad aures Ecclesiasticorum, præcipuè Summi Pontificis insusurrans. O quanta est, quanta sublimitas Ecclesiasticæ potestatis tuæ! O sacer Clere, quàm nihil est sæcularis autoritas tuæ comparata! Quoniam sicut Christo collata est omnis potestas in cœlo & in terra, sic eam Christus omnem Petro suisque successoribus dereliquit. Unde & nec Constantinus quidquam Silvestro Papæ contulit quod non esset priùs suum, sed reddidit injustè detentum. Porrò sicut *non est potestas nisi a Deo*, Rom. XIII. I. sic nec aliqua temporalis vel Ecclesiastica, Imperialis, vel Regalis, nisi à Papa, in cujus femore scripsit Christus: *Rex Regum, Dominus Dominantium.* I. Tim. VI. 15. De cujus potestate disputare, instar sacrilegii est: cui neque quisquam dicere potest; Cur ita facis? si etiam temporalia omnia, si Ecclesiastica bona atque Dominia mutaverit, diripuerit, distraxerit. Mentior si non inveniuntur hæc scripta ab illis etiam qui sapientes sunt in oculis suis; si præterea non inveniuntur fuisse per aliquos Summos Pontifices hæc credita. Notum est illud Satyrici: *Nihil est quod credere de se non possit cum laudatur diis æqua potestas.* Et illud Comici de adulatore: *Hic profectò ex stultis insanos facit.*

Sentiens autem Adulatio quandoque nimis se cognosci, studet quasi modestiori sermone depressiùs uti, ut credibilior appareat. Concedit sæculari potestati pos-

Digitized by Google

possessiones & Jurisdictiones proprias, quas tollere nequit pro libito Papa. Recognoscit Constatinum vel alios Principes aliquid Ecclesiæ noviter contulisse. nihilominùs tradit quòd summus Pontifex supremus est Monarcha, nedum in spiritualibus, sed temporalibus, habens potestatem hanc immediatè à Christo; sed alii Reges omnes & Principes suam recipiunt dominationem ab eo, & solùm mediatè à Deo. Alioquin, ait, monstruosus esset hic mundus si haberet tot capita quæ non sub unico regerentur, rediretque Manichæi deliramentum, ponentis duo principia, unum bonorum & spiritualium, aliud malorum & temporalium. Unde & sicut corpus est propter animam & ab anima vivit & regitur; sic potestas secularis propter spiritualem à qua recipit suum esse legitimum. Quam autoritatem spiritualem qui negant vel impugnant, sint intus, sint foris Ecclesiam, possunt gladio, vel spirituali Excommunicationis, sicut Catholici; vel debellationis, sicut infideles feriri: & eorum Dominia vel bona in alios transferri.

Hanc æstimationem habuisse visus est Bonifacius octavus in quadam Decretali: & in hac fundari putatur ab aliquibus Dominorum Prutenorum adversùs infideles debellatio, suorumque bonorum & Dominiorum conquisitio. Putatur ab aliis depositio vnius Regis Franciæ per Papam Zachariam hìc esse fundata, tanquam Papa sit qui transferre possit Reges & Regna.

Rursùs animadvertens Adulatio, durum esse multis hunc sermonem, & ideò minus credibilem; studet loqui restrictiùs, concedens quòd sicut ante Petrum fuerunt apud infideles vera Dominia, quemadmodùm irrefragabilis autoritas sacræ Scripturæ & Evangelicæ narrationis testis est: sic non oportet nunc, post Petrum vt omnis potestas Imperialis, Regalis, vel altera secularis sit immediatè robur habens à Summo Pontifice, sicut Rex Francorum Christianissimus superiorem hoc modo non habet, nec recognoscit in terris. Idcircò transfert verbum suum Adulatio loqui de Dignitatibus, Officiis & bonis Ecclesiasticorum, quæ omnia sic subjicit Summo Pontifici, vt quidquid circa ea placuerit disponere mutando, transferendo, appropriando; hoc possit, hoc teneat & ratum sit; licet hoc sine causa, licet cum peccato suo peregerit: quamvis peccatum circa hoc vult Adulatio longè à Papa sic facere, ut eum simoniam posse neget committere, quoniam sua sunt omnia Ecclesiastica bona. Concedit insuper quòd super Jus est, potens abalt ero jus suum tollere, & quod nec ab eo appellari, neque eum judicialiter evocari, nec obedientiam ab eo subtrahi, præsertim extra casum hæresis, sit aliquatenùs possibile. Hic solus Symbolum Fidei condere, hic solus Causas ejusdem Fidei & Majores ceteras tractare potest; solus, ut jam tactum est, Definitiones, Regulas, Leges & Canones condit: alioquin quidquid per alios definitur, decernitur, conditur, statuitur, irritum est & jnane; nec aliquid ex eis que statuerit potest, nisi per ipsum quomodolibet cassari vel infringi: ipsmu verò aliena qualiscumque Constitutio ligat nulla. Fallor si non ante celebrationem hujus Sacrosanctæ Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum, literalium magis quàm literatorum ista Traditio, ut oppositorum dogmatizator, fuisset de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus. Hujus rei signum accipe: quia post declarationem ex Theologiæ principiis luce clariorem, & quod urgentius est, post determinationem & practicationem ejusdem Sanctæ Synodi, inveniuntur qui talia palam asserere non paveant: tam radicatum, & ut cancer serpens tam medullitùs imbibitum fuit hoc priscæ adulationis virus letiferum!

Tandem, miserante Deo, moderatrix Discretio collustrata lumine Legis Evangelicæ mediam ac Regiam viam tenens inter devios errores extremos Detractionis & Adulationis ponit dictam hanc considerationem duodecimam cum prioribus, tanquam signum aliquod ostensivum itineris recti, ne fortè offendant ad lapidem erroris pedem suæ inquisitionis scrutatores veritatis. Unde dicimus Ecclesiasticos & capaces esse bonorum temporalium & multa eis ex debito, non ex eleemosyna pura competere, & non debere eos coërceri vel spoliari per secularem potestatem, nisi vocata sit in sui Juris subsidium: quod dicitur, propter hæreticos & rebelles. Possunt ipsi denique cum divitiis aliter quàm Apostoli vivere, conversari vel incedere, pro tempo- A rum, locorum & aliarum circunstantiarum varia qualitate, prout sapiens judicabit. Nec ita sunt Hieronymi, vel Bernardi verba generaliter ad omnes Ecclesiasticos, tanquam proprium habeant nihil, detorquenda. Monachis autem quibus loquebantur, alia Lex est.

Vitamus ex adverso stultas & falsas adulationes & insanas, attribuentes Summo Pontifici plenitudinis potestatem, qualem descripsimus; quæ tanta, est quantam sapientissimus Legislator Christus prævidit sufficere ad ædificationem continuam Ecclesiæ dilectissimæ sponsæ suæ, quam propria morte firmavit & dotavit, cui potestati detrahere, esset impietas sacrilega indignissimaque: sed glorificent Deum qui potestatem talem dedit hominibus, misericordissima pietate sua; B quæ potestas quantò sublimior est, pulchrior, & dignior, tantò ne vertatur in abusum vilem, turpem, & indignum, providere debet Summus Pontifex, & eam ut sapiens judicabit, regulare. Quid autem sapientius in terris generali Concilio, quod & Spiritu sancto regitur, & cujus agi frenis sũmma libertas est. Præclarè dixit Aristoteles: *Non esse servitutem obedire Legibus.*

Addamus Summum Pontificem cum Collegio suo, ita præsidere bonis Ecclesiasticis, vt de eis statum habere sufficientem & decentem oporteat; sed non ita vt caput gravidum membra reliqua obruat mole sua, neque velit vsurpare contra naturam singularis membri, omnia officia membrorum; quibus singulis, vt ait Apostolus *proprium datum est officium.* Nam si omnia oculus, vel caput, vbi pes? Concernit hoc collationem Beneficiorum, multiplicitatem exemptionum odiosissimam, plenam erroris & confusionis in Ecclesiastica C Hierarchia, & ita de reliquis. Reservationem præterea tot casuum, tot Excommunicationum in Foro conscientiæ, evocationem tam facilem omnium Causarum ab Ordinariis, sint Causæ illæ prophanæ, sint sacræ Fidei, quales Fidei Causas omnes ab Ordinariis singulis, præsertim in doctrinis notoriè scandalizantibus Diœceses suas, & ubi vigent studia literarum, velle prohibere; quid aliud est quam januam grandem erroribus aperire? Postremò suis se terminis ita potestas Ecclesiastica se coërceat, vt meminerit potestatem secularem etiam apud infideles, sua habere propria Jura, suas Dignitates, suas Leges, sua Judicia, de quibus occupare se Ecclesiastica potestas non præsumat vel usurpet; nisi dùm redundat abusus potestatis secularis in impugnationem Fidei & blasphemiam Creatoris, & in manifestam Ecclesiasticæ potestatis injuriam: tunc enim attendere convenit ultimam hujus Considerationis duodecimæ particulam, quòd in his Ecclesiastica D potestas habet Dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum & ordinativum. Concludunt hoc & nihil ferè aliud rationes & allegationes omnes induci solitæ; quòd plenitudo potestatis Papalis superior est & ad omnem aliam Ecclesiasticam, & temporalem: quamvis, sub hoc respectu, potestas Uniuersalis Ecclesiæ vel generalis Concilii legitimè congregati dici possit major in amplitudine vel extensione, major in infallibili directione, major in morum reformatione; in capite & in membris, major in coërcitiva potestate, major in Causarum Fidei difficilium ultimata decisione, major denique quia copiosior: complectitur enim saltem virtualiter omnem potestatem & omne politicum regimen, Papale, Imperiale, Regale, Aristocraticum & Timocraticum, prout alias deductum est,

Digitized by Google

est, ex descriptione Concilii generalis quæ talis est.

„ Concilium generale, est congregatio legitimâ „ autoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu „ hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nulla fi„ deli persona quæ audiri requirat exclusâ: ad salu„ briter tractandum & ordinandum ea quæ debitum „ regimen ejusdem Ecclesiæ in Fide & moribus re„ spiciunt.„

Dicamus hîc aliqua circa definitionem hanc Concilii generalis. Et primò, quòd congregatio legitimâ autoritate facta dicitur regulariter à Papa, sicut sonant Decreta & Decretales innumeræ. Excipiuntur tamen tres casus ubi congregatio Concilii generalis fit legitimè sine Papa. Unus dùm desiit esse per mortem naturalem, vel civilem, seu canonicam, quæ est depositio; vel si cadat in perpetuam maniam; aut si ad eum captivatum non pateat accessus. Alius, dùm sufficienter requisitus de convocando Concilium, renuit contumaciter in perniciem Ecclesiæ, præsertim si tangat ipsum. Tertiò, si Concilium, postquam est à Papa legitimè congregatum, statuat certum tempus & locum pro celebrando generali Concilio; sicut infra triennium, vel de decennio in decennium, etiam ubi Papa renueret: nec refert in primo & secundo casu per quos evocetur Concilium, dummodò congregetur, quemadmodùm fuit Pisis. Nihilominùs expedit decernere pro futuro modum convocationis, sicut in reformatione salubriter est avisatum, utinam & synodaliter jam esset definitum.

Dicamus secundò, juxta probabilem valde sententiam, quòd de statu hierarchico Ecclesiæ non sunt propriè nisi duo status. Prælatorum majorum, videlicet qui succedunt Apostolis & sunt Episcopi, Archi-Episcopi, & ita sursum: & minorum, qui successores sunt septuaginta duorum Discipulorum: & dicuntur Prælati secundi Ordinis, dignitatis vel honoris, quales sunt Curati, quibus ex statu & ordinario Jure conveniunt tres actus hierarchici primariè, essentialiter, & immediatè à Christo; qui sunt purgare per correctionem, illuminare per doctrinam & prædicationem, perficere per Sacramentorum ministrationem. Fundatur hæc sententia. *Mat.* xxx. III. 18. 17. ubi postquam Christus dixerat, *dic Ecclesiæ*, subjunxit de quibus loquebatur dum ait. *Quodcumque solveritis super terram &c.* Constat autem quòd nedum Apostolis, sed & Discipulis loquebatur, juxta glossas Doctorum in hoc loco, & *Matth.* x. I. & *Luc.* x. I. ubi fit sermo de missione septuaginta duorum Discipulorum, & *Matth.* XVI. 19. ubi Christus Petro dixit pro omnibus: *Quodcumque ligaveris &c.* Et iterum. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Concordant Augustinus, Hieronymus, Isidorus, Beda. Magister ubi priùs, & expressè multùm Damasus Papa. *Non ampliùs*, inquit, *quàm duos ordines inter discipulos Domini esse cognoscimus*, *id est*, *duodecim Apostolorum & septuaginta duorum Discipulorum. Unde iste processerit ignoramus*, *& quod ratione caret*, *extirpare necesse est*; loquitur contra Cor-Episcopos.

Dicamus tertiò naturam generalis Concilii talem esse, ut nullus fidelis qui audiri voluerit, debeat excludi ab audientia, quatenùs vel doceatur vel doceat, sicut legitur in principio Concilii. Distingui tamen solet de habentibus vocem in Concilio. Quidam habent consultivam, alii definitivam. Primi sunt quibus inest notitia talium quæ tractantur, etiam usque ad mechanicas artes. Ut si quæratur de modo reparationis Ecclesiarum materialium, esse poterit in latomis vox consultiva. Sic in auri-fabris & fabris. Sic dùm fit quæstio de Philosophicis & Moralibus disciplinis, ut sunt Præcepta Decalogi: possunt seculares eruditi in Philosophiæ Legibus & moribus dare consilium & aliquando salubrius quam nonnulli Prælatorum, vel Curatorum, vel etiam Theologorum; usque adeò quòd in generalibus Conciliis contra Arrium, tempore Athanasii, fuerit interrogatus Gentilis Philosophus de materia nedum purè morali, sed quæ tangebat Beatæ Trinitatis eamdem essentiam. Ceterum de voce definitiva quales eam habeant, non est dubium de Episcopis & superioribus Prælatis, sicut juxta prædicta practicatum sæpiùs invenitur in prioribus Conciliis. Sed neque videtur ambiguitas esse de minoribus Prælatis qui sunt Curati & Hierarchæ, neque de illis qui adhunc duplicem Prælatorum Ordinem reducuntur, quibus non ex privilegio solo, sed ex statu & ordinario Jure competit animarum cura; quemadmodùm sunt multi Abbates, Decani, Præpositi, cum similibus. Facit ad hoc determinatio sacræ Facultatis Theologiæ Parisiensis nuper edita, contra temeritatem extollentium Privilegiatos super Curatos in prædicationibus & Confessionibus, ubi sic dicitur in duobus primis Articulis. „ Domini Curati sunt in Ec„ clesia minores Prælati & Hierarchæ, ex primaria in„ stitutione Christi; quibus competit ex statu jus præ„ dicandi, jus Confessiones audiendi, jus Sacramenta „ Ecclesiastica, secundùm exigentiam sui status & „ parochianorum ministrandi, jus sepulturas dandi, „ jus insuper Decimas & alia jura parochialia recipien„ di.„ Secundus Articulus. „ Quod jus prædicandi „ & confessandi competit Prælatis & Curatis princi„ paliter & essentialiter, & Mendicantibus de per „ accidens ex privilegio; quoniam sunt introducti vel „ admissi ex concessione & beneplacito Dominorum „ Prælatorum!„

Dicamus postremò quòd licet ea quæ statim dicta sunt, consonare videantur Juri divino & observationi priorum Conciliorum atque rationi; nihilominùs Concilium potest certis de causis & ad tempus constituere voces definitivas in pluribus vel paucioribus & in aliis quam dicti sint, satis similiter ad illa quæ facta sunt & fieri possunt vario modo, circa institutionem Prælatorum Ecclesiasticorum majorum & minorum, quæ quandoque fiebat à toto populo & Clero, quandoque à toto Clero solùm, quandoque à solis Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, & novissimè crebriùs per solum Papam, tamen exorbitantissimè, sicut plurimorum est judicium.

Consideratio Decima tertia.

POTESTAS Ecclesiastica, sicut & alia quælibet, originatur à prima Justitia, secundùm quam Jura omnia, Leges, Jurisdictiones atque Dominia pulchra Ordinis varietate fundantur.

Describitur itaque Justitia, quæ est perpetua & constans voluntas, jus suum unicuique tribuens. Hæc autem descriptio competit principaliter Justitiæ divinæ in ordine ad suas creaturas. Deus nempe solus est, qui voluntate perpetua & constanti dat unicuique rei quod suum est; suum, inquam, non ex debito rigoris, sed ex liberalissima & dignissima donatione Creatoris. Sic in qualibet re tantundem est de jure, quantùm de entitate: habet enim res quælibet jus seu titulum id habendi, quod habet ex dictamine rectissimo primæ Justitiæ.

Jus verò sic describitur. Jus est potestas, seu facultas propinqua conveniens alicui secundùm dictamen primæ Justitiæ. Porrò dictamen hoc, Lex dicitur, quia Lex est Regula conformitatem habens ad dictamen rectæ rationis: dictamen verò rectæ rationis & primæ Justitiæ conveniunt in Deo synonimè. Proinde dictum est in descriptione Juris, quòd est facultas propinqua &c. propter illa quæ in potentia obedientiali convenire possunt cuilibet creaturæ, quod posse dicere possumus, vel obedientiale, vel logicale, secundùm quale non dicitur propriè res habere Jus vel Legem, sicut non dicimus quòd damnati jus habeant ad beatitudinem æternam, nec quod stella jus seu facultatem habeat, in tanta luce quanta refulget, in sole: licet in potentia obedientiali creaturæ vel absolutâ

Digitized by Google

Dei, possint hæc omnia fieri. Consequenter ab hac amplissima Juris & Legis acceptione, sicut utitur Scriptura dum ait: *Hæ sunt Leges cœli & terræ* &c. & alibi pluries, & apud Boëtium: *Legemque pati sidera cogis*, fit descensus restrictior ad ea quæ creaturam rationalem respiciunt, ut rationalis est.

Fit subinde distinctio de Justitia, quia quædam est essentialis & primaria, qualis prædescripta est: altera est participata seu derivata & attributivè dicta quæ sic describitur. Justitia est habitus vel tanquam habitus conformis divinæ Justitiæ ejusque imitativus per participationem, quo habitu inclinatur habens eam facere jus vel reddere: ita quod jus est velut actus, vel usus, vel effectus, vel titulus talis Justitiæ. Rursùs de Justitia sic accepta participativè dicimus: quòd quædam est Justitia originalis, quædam Regni cœlestis, ut ibi, *Primùm quærite Regnum Dei & Justitiam ejus.* Matt. VI. 33. Et hæc duplex est; quædam gloriæ, quædam gratiæ. Altera iterum est Justitia, Legalis, alia Civilis. Justitiæ verò Civilis alia distributiva, alia commutativa. Et ita de reliquis acceptionibus Justitiæ specialibus. Justitia Legalis, est omnis virtus sicut Charitas est tota Lex Christi. Porrò Justitiæ distributivæ contrariantur promotiones indignæ & intrusiones in Officiis Reipublicæ & Beneficiis Ecclesiæ. Commutativæ autem contrariantur Contractus illiciti, usura & fraus in temporalibus, simonia & giezia in spiritualibus, de quibus non est hìc dicendum per singula. Dicamus prætereà tot esse Legum varietates, quot modis Jura variantur, secundùm dictamen participatæ Justitiæ. Propterea sunt quædam Leges propriè divinæ, quædam propriè naturales, quædam positivæ vel humanæ: quarum aliquæ sunt Canonicæ vel Ecclesiasticæ, aliæ sunt Civiles seu Politicæ. Et quamvis paucæ reperiantur Leges quin mixtæ sint ex participatione diversarum; nihilominùs denominatur Lex à prædominanti seu à principaliori quòd in ea reperitur.

Quibus præsuppositis, dicamus ulteriùs descriptiones hujusmodi Legum. Et quoniam Lex dicitur à ligando id est obligando, vel à legendo, id est dictando quid agendum sit: conformiter ad hanc obligationem, seu dictamen rectæ rationis describemus principaliter Leges obligatorias, quia de consultoriis & permissivis, & si quæ sint aliæ, facilis habebitur ex his cognitio. Lex divina obligatoria, est signum verum revelatum creaturæ rationali, notificativum rectæ rationis divinæ, volentis teneri seu ligari illam creaturam ad aliquid agendum, vel non agendum, pro consecutione felicitatis æternæ. Dicitur hìc & infra, signum notificativum; quoniam propriè nulla Lex obligat liberum arbitrium, si notificata non fuerit. Hoc autem signum triplex est; quoddam mentale, quoddam vocale, quoddam scriptum, sicut est Lex scripta, prolata, indita, litteralis, vocalis, mentalis. De mentali scribitur in Psalmo IV. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Et *ad Romanos* II. pulchrè per totum. Et iterum in Psalmo XXXIX. 9. *Legem tuam in medio cordis mei.* Lex naturalis obligatoria describitur, quòd est signum naturaliter habitum, notificativum rectæ rationis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum, vel non agendum, pro consecutione finis sui naturalis, qui est felicitas humana, sive monastica sive œconomica, sive politica. Dicitur autem signum purè naturaliter habitum, illud quod inditum est cuilibet homini, non impedito in usu debito rationis. Impeditur autem per corpus, per errores, per vitia multa.

Notificatur ex hac duplici descriptione differentia & convenientia divinæ Legis ad naturalem, principaliter ex modo acquisitionis & ex parte finis.

Lex enim divina de ratione sua habet primò ut acquiratur per revelationem; deinde quòd ordinet de proximo & per se, ad felicitatem æternam.

Lex verò naturalis etsi possit sic acquiri & ordinari sicut patet in datione Præceptorum Decalogi, in utraque Lege veteri & nova; hoc tamen non habet de ratione sua ut naturalis est, sed transit in divinam.

Lex canonica describitur, quòd est signum habitum per humanam traditionem, notificativum rectæ rationis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri seu ligari ad aliquid agendum, vel non agendum; principaliter pro consecutione felicitatis æternæ.

Per hanc ultimam clausulam convenit Lex canonica cum divina & differt à naturali: & per primam ab utraque, sub sua ratione, quæ est ut habeatur ejus cognitio & robur per humanam traditionem, magis quàm per puram revelationem, vel naturalem evidentiam.

Lex civilis describitur, quòd est signum habitum per humanam traditionem positivam, volentem quòd homo teneatur seu ligetur aliquid agere vel non agere, pro consecutione finis sui naturalis, quæ est humana felicitas vel monastica vel œconomica vel politica. Patet descriptio ex prioribus. Unde diligenter attendendum est, quòd sicut in speculabilibus sunt primò principia naturaliter nota; sunt secundò conclusiones evidenter ab illis principiis demonstratæ; sunt consequenter tertiò conclusiones tantummodò probabiliter deductæ ex prædictis veritatibus, circa quas est solùm opinio. Tandem quartò, sunt aliæ propositiones sic elongatæ à primis veritatibus quòd non apparet quòd ex illis sequantur vel repugnent, ut si astra sint paria vel imparia. Proportionabiliter suo modo dicendum est de veritatibus moralibus, sub hac distinctione quadruplici. Et juxta duplicem primum gradum accipitur Jus purè divinum, si veritates sint certitudinaliter revelatæ, vel ex revelatis manifestè deductæ: sed si cognoscantur per evidentiam naturalem, accipitur Jus propriè naturale. Circa tertium gradum & quartum proportionabiliter, sumitur Jus Canonicum & Civile, addita Legislatoris autoritate, quæ facit, ut propositio moralis aliunde solùm probabilis vel impertinens Legibus propriè divinis vel naturalibus, robur habeat & vim obligationis ad alterum finem vel supernaturalem, & sic est Lex Canonica; vel naturalem, & sic Lex Civilis, vel politica nominatur. Rememorandum est tamen id quod jam dictum repetitur, paucissimas inveniri Leges, quæ non se mutuò participent; sed ratio distinguit eas & secernit.

Transeamus consequenter post sermonem de Justitia, de Jure, de Lege; loqui de Jurisdictione, de Dominio & de Politia.

Jurisdictio describitur vel interpretatur, quod est Juris ditio id est, potestas seu facultas exercendi Jus. Vel dicitur Jurisdictio quasi Juris dictio, id est pronunciatio seu promulgatio Juris. Quæ Jurisdictio quadruplex est, juxta quadruplicem Legem, divina scilicet, naturalis, canonica, civilis. Itaque Jurisdictio divina, est potestas exequendi Jus quod competit alicui, secundùm Legem propriè divinam & hoc in alterum vel tanquam in alterum: non enim propriè dicitur habere quis Jurisdictionem in semetipsum, nisi fortè consideretur tanquam alter sit, ut vellent aliqui de Pœnitentia dicere. Proportionabilis descriptio est triplex triplicis alterius Jurisdictionis, secundùm triplicem Legem. Dividitur autem quandoque Jurisdictio in coercitivam, quæ scilicet fertur in invitum, & in directivam seu regulativam & ordinativam, qualis fuisset etiam in statu innocentiæ, & qualis est sapientis ad insipientiores, & perfectioris ad imperfectiorem, ut in Angelis etiam posuit Dionysius. Subjungamus de Dominio, quod ita describi potest.

Dominium, est potestas propinqua assumendi res alias, vel ut alias in sui facultatem vel usum licitum, secundùm Jura vel Leges rationabiliter institutas.

Invenitur

Digitized by Google

Invenitur autem hoc modo Dominium sextuplex. Beatificum, originale, gratificum, Evangelicum, Canonicum, politicum. Beatificum, est Dominium secundùm Leges gloriæ. Originale, Dominium est secundùm Leges originalis Justitiæ. Gratificum, est Dominium secundùm Leges gratiæ gratificantis. Evangelicum, est Dominium secundùm Legem propriè Evangelicam: & ita de reliquis duobus suo modo. Primum fundatur in titulo gloriæ, secundum in titulo originalis justitiæ, & ita de reliquis suo modo. Possumus autem contractiùs loqui de triplici Dominio, quorum unum fundatur in titulo charitatis gratificantis; alterum, in titulo alicujus gratiæ supernaturalis solùm gratis datæ, non gratificantis; tertium, in titulo doni alicujus purè naturalis, sicut est electio vel naturalis successio ad aliquem Principatum. Describitur autem Dominium quod appellatur à multis Evangelicum per appropriationem, quòd est Dominium immediatè à Deo institutum, compatiens secum ex æquo quotlibet Dominos, & inabdicabile, servata charitate, se extendens ad omnia. De hoc dicit Apostolus quòd *nostra sunt omnia, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, Rom. VIII. 28. quoniam ad titulum charitatis adjiciuntur omnia abundè ad fruendum, vel utendum, quæ in cœlis sunt & in terra, in mari & in omnibus abyssis.

Describeretur conformiter Dominium originalis justitiæ, quòd est donum Dei, quo creatura rationalis jus habet immediatè à Deo assumere alias res inferiores in sui usum & conservationem pluribus competens ex æquo, & inabdicabile, servata originali Justitia, seu integritate naturali. Hoc modo habuit Adam Dominium super volucres cœli & pisces maris.

Describeretur proportionabiliter Dominium libertatis creatæ, quòd est facultas propinqua resultans ex liberalissima condescensione Dei se donantis ad agendum vel non agendum cum anima rationali, in productione suorum actuum elicitorum, vel in eorum suspensione, ad finem consequendæ beatitudinis ordinata. Porrò quid sit Dominium aliud fundatum in gratia supernaturali solùm gratis data, potest apparere consideranti naturam gratiæ talis, sicut dicit Apostolus, quòd *Spiritus Prophetarum subjecti sunt eis*, 1. Cor. XIV. 32. & Fides informis facit miracula. Contractiùs tamen locuti sumus in prima consideratione, dùm potestatem Ecclesiasticam descripsimus, quæ Dominium Ecclesiasticum dici potest. Præterea civile Dominium seu politicum, est Dominium peccati occasione introductum, non competens pluribus, ex æquo retinibile & abdicabile, servata vel non servata charitate, fundatum in Legibus civilibus & politicis, secundùm quas potest abdicari vendendo, donando, negligendo, permutando. Unde & apud Ecclesiasticos invenitur tale Dominium suo modo: nec fundatur in Charitate, nec in Fide; quoniam apud infideles & injustos peccatores justè manet tale Dominium.

Postremò tandem habito sermone de Justitia, de Jure, de Lege, de Jurisdictione, de Dominio; loquamur aliquid de Politia, describentes eam: quòd est Communitas ordinata ad finem aliquem perfectum; est autem ordinatio vel ordo parium dispariumque rerum, sua unicuique tribuens dispositio: convenit igitur prorsùs ordo cum Justitia; quæ dat unicuique quod suum est. Propterea divinè fuit enunciatum per Prophetam quòd *opus Justitiæ est pax*. Cur ita? Planè quia nihil aliud est pax quàm ordinis tranquillitas. Hanc verò tranquillitatem ordinis facit Justitia, Jus suum unicuique tribuens: quia in re dictum est. *Justitia & pax osculatæ sunt*, Psalm. LXXXIV. 11. Politiarum verò, alia est cœlestis de qua nihil ad præsens. Alia est humana, duplex viatorum: una est quæ vulgato & appropriato nomine dicitur Ecclesiastica: altera secularis. Secularis autem dividitur ab Aristotele politizante in tres: quarum primam vocat Regnum. Secundam dicit Aristocraticam. Tertiam nominat vocabulo generali à proprietate Politiam, quam dicere possumus Timocratiam. Describitur Regnum, quòd est Politia sub uno bono; vel expressiùs, quòd est congregatio communitatis perfectæ, sub uno, secundùm Leges suas A bonas pro Republica. Dicitur autem unus ille bonus, vel Rex, vel Imperator, seu Monarcha, qui non proprium principaliter, sed commune bonum intendit in suo Principatu. Describitur Aristocratia, quòd est Politia sub paucis bonis, vel expressiùs, quòd est Congregatio Communitatis perfectæ, sub paucis, bonum Reipublicæ per Leges suas principaliter intendentibus, ut Senatus. Describitur Politia appropriato nomine seu Timocratia, quòd est Politia sub plurimis bonis: vel expressiùs, quòd est Congregatio Communitatis perfectæ sub plurimis, utilitatem Reipublicæ per Leges suas principaliter intendentibus. Dicitur, perfecta Communitas; ad differentiam œconomicæ conversationis, quæ sibi perfectè non sufficit. Dicitur, secundùm Leges suas; quoniam in hoc attenditur Principatus dominantis, si secundùm Leges suas inveniatur ultrò regere Politiam, aliena Lege non arctatus. Omnis idcircò Po- B litia Ecclesiastica, sive dominetur unus, sive pauci, sive plures boni, dicitur propriè divina: quia secundùm Leges supernaturales debet quilibet regulationem accipere. Et ita perspicuum est quòd tres istæ Politiæ uniuntur in Ecclesia, aliter quàm in Civili Politia, propter divinæ Legis unitatem. Perspicuum est consequenter quæstionem hanc sapere blasphemiam & hæresim Pelagianam: si in Ecclesiastico regimine Theologia præponi debeat alteri scientiæ naturali vel humanæ; non enim sumitur hîc Ecclesia pro Templo materiali, quod ædificare melius sciret latomus quàm Theologus aut Jurista. Nec de Ecclesia tantummodò debet fieri sermo, pro solis proventibus & redditibus & Jurisdictionibus Ecclesiasticis ad temporalitatem & vitam hanc civilem respicientibus; quoniam esset hoc purè gentiliter sapere. Ita tamen animales, etiam de Ecclesia, plerumque concipiunt, prout operibus & verbis insinuant, extollentes usque in cœlum, si quis Episcopus aut Abbas laboraverit ut stent mœnia & prædia cum suis C Jurisdictionibus; & permittat ruere subditos per errorum devia, in Fide Catholica & bonis moribus. Sic autem posset secularis unus expertus œconomicus judicari frequenter utilior in Ecclesiastico regimine, quàm Theologus aut Jurista. Considerari igitur debet Ecclesia prout instituta est à Christo supra firmam Petram Fidei, ad finem supernaturalem, secundùm Legem Evangelicam & sacræ Scripturæ divinitùs revelatæ, secundùm quam debet regulari judicium de Fide & moribus subditorum; quoniam rectum, est judex sui & obliqui. Pro qua Fide conservanda, si deberent in Curiâ Romana constitui Auditores Causarum Fidei in Theologia peritissimi, nec corrupti moribus, quas Causas omnes dicunt ad Sedem Apostolicam referendas esse, licet hoc nimis generaliter intelligant; attendatur si hoc æquè rationabiliter fieret, sicut Auditores Causarum prophanarum sunt ordinariè & collegaliter instituti. Possu- D mus conformiter ad prædictam Philosophi Politiam tripliciter distinctam, in naturali regimine Politiam Ecclesiasticam dividere, quòd alia est Papalis, alia Collegialis, alia Synodalis, seu Concilii generalis. Papalis, imitatur Regalem. Collegialis Dominorum Cardinalium, imitatur Aristocratiam. Synodalis generalis, imitatur Politiam seu Timocratiam: vel potiùs est perfecta Politia quæ resultat ex omnibus. Sunt ex adverso Politiæ, si aliter appellari merentur, quæ non libero & tanquam paternali regimine ducuntur, sicut præcedentes; sed despotico & servili

jugo

jugo trahuntur, vel ex proprio demerito, permittente Deo, *qui regnare facit hypocritam*, dicente Job. XXXIV. 30. *propter peccata populi*; vel aliunde justo ejusdem Dei judicio. Vocat autem eas Aristoteles; primam, Tyrannidem; alteram, Oligarchiam; tertium Democratiam. In Tyrannide, præsidet unus, A proprium tantummodò bonum inquirens, volens subditos impotentes, indoctos & divisos ab invicem esse. In Oligarchia, præsident pauci similis conditionis super alios. In Democratia præsidet sibi ipsi multitudo nequam, ubi quærit unusquisque quæ sua sunt, non quæ communia. Cognoscet ex his studiosus lector, si possit in Ecclesiastica Politia tale aliquid tripliciter & proportionabiliter inveniri. Denique de Politiis mixtis nihil expressimus; quoniam ferè nulla est quæ mixtionem excludat, sed à prædominanti talis vel talis nominatur. Hæc vero latiùs explicata sunt in Tractatu quodam *De vita spirituali*. Et in Sermone illo. *Dedit ei Pater omnia in manus*.

Epilogus præmissorum.

EPILOGANDO dicimus, quòd à prima Justitia derivatur Jus, generaliter in omnem creaturam, specialiter in creaturam rationalem; & hoc secundùm multiplices Leges. Secundùm propriè divinam, secundùm propriè naturalem, secundùm canonicam, B secundùm civilem. Fundatur inde participata justitia imitatrix divinæ. De hinc Jurisdictio quadruplex, secundùm quadruplicem Legem, propriè divinam, propriè naturalem, canonicam & civilem. Et de qualibet harum dupliciter haberi sermo potest. Quoniam alia est coërcitiva in invitum, alia doctrinalis directiva vel arbitraria seu spontanea dici potest. Porrò secundùm Leges & Jurisdictiones fundantur Dominia. Unum gloriæ, alterum Justitiæ originalis, aliud gratiæ gratificantis, aliud Evangelicum secundùm Leges propriè divinas, aliud Evangelicum, secundùm Leges canonicas, aliud politicum vel civile, secundum Leges civiliter datas. Ampliùs verò fundantur secundùm prædicta diversæ Politiæ. Una Regalis seu libera, altera servilis & despotica. Et utraque dividitur in Ecclesiasticam & secularem. Secularis libera & bona, dividitur in Regnum, in Aristocratiam & Timocratiam: servilis & mala, in Tyrannidem, in Oligarchiam & Democratiam. Ecclesiastica bona, dividitur proportionabiliter in Papatum, in Cardinalatum & Synodum: mala verò, re ipsa magis huic adverso triplici modo cognoscitur, quàm nomine. Tandem sub C Ecclesiastica politia continetur appropriato nomine potestas Ecclesiastica quæ primò dividitur; quoniam una est Ordinis, altera Jurisdictionis. Potestas Ordinis duplex. Una super Corpus Christi verum in consecratione; altera super Corpus Christi mysticum in Sacramentorum ministratione. Potestas Jurisdictionis duplex. Una in Foro exteriori; altera in interiori. Potestas in exteriori duplex. Una coërcitionis seu correctionis, secundùm Legem propriè divinam, quæ est Excommunicatio; altera secundùm Leges positivas, canonicas seu civiles, quæ Jurisdictioni seculari similis est. Rursùs potestas Jurisdictionis in Foro interiori duplex est. Una clavium scientiæ & potestatis in absolutione, seu remissione culparum, altera in pœnæ commutatione, per largitionem Indulgentiarum. Postremò tripliciter habet considerari potestas Ecclesiastica. Uno modo in se formaliter D vel absolutè; alio modo ut in hoc vel illo supposito materialiter, seu subjectivè; tertio modo usualiter vel exercitativè. Usus verò quadruplex est, licitus & ratus, & non ratus, illicitus & ratus, illicitus & irritus. Ratus verò dupliciter, vel de Jure vel de Facto.

Finit Tractatulus *de Potestate Ecclesiastica & origine Juris & Legum*, magis ad inquisitionem veritatis, quàm ad determinationem editus & pronunciatus Constantiæ tempore generalis Concilii, pro parte Cancellarii Parisiensis. Anno à Nativitate Domini. 1417. die. 6. Februarii.

CONCORDIA. Quòd plenitudo potestatis Ecclesiasticæ sit in Summo Pontifice & in Ecclesia, quamvis non omninò similiter, & hoc sub triplici conclusione. Cujus declaratio patet ex Tractatu cujus titulus est: *De Potestate Ecclesiastica, & de origine Juris & Legum.*

Prima Conclusio.

PLENITUDO potestatis Ecclesiasticæ complectitur in se plenitudinem duplicis potestatis, scilicet Ordinis & Jurisdictionis, tàm in Foro interiori quàm exteriori, quæ circa quemlibet de Ecclesia potest immediatè & absque limitatione exerceri, clave non errante. Sed si errat, potest per solam Ecclesiam synodaliter congregatam error judicialiter corrigi, & ne fiat ulterius, Lex imponi; cui tenebitur habens hujusmodi potestatem reverenter obedire sicut Matri & sponsæ Christi, & sicut Regulæ à Spiritu sancto directæ.

Secunda Conclusio.

PLENITUDO potestatis Ecclesiasticæ sic propriè sumpta, non potest esse de lege ordinata, nisi in unico Summo Pontifice formaliter & subjectivè. Alioquin Ecclesiasticum regimen non esset Monarchicum, & habere posset multiplex caput ex æquo, quod apertè est hæreticum. Nec tamen plenitudo potestatis Papalis sic intelligenda est immediatè super omnes Christianos, quòd pro libito possit immediatè Jurisdictionem in omnes per se vel alios extraordinarios passim exercere: sic enim præjudicaret Ordinariis qui jus habent immediatius, immò immediatissimum super plebes eis commissas, actus Hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo potestatis Papæ super omnes inferiores, solùm dum subest necessitas ex defectu Ordinariorum inferiorum; vel dum apparet evidens utilitas Ecclesiæ: quemadmodùm dici potest de Episcopis, respectu Plebanorum, seu propriorum Sacerdotum, quorum possunt supplere defectus.

Tertia Conclusio.

PLENITUDO potestatis Ecclesiasticæ dum ponitur in Ecclesia synodaliter congregata cum plenitudine executionis hujusmodi potestatis, fit variatio vel æquivocatio de hoc quod est esse in, quia non eodem modo est plenitudo potestatis Ecclesiasticæ in Papa & in Ecclesia. Fatendum est tamen quòd est utrobique & principaliùs in Ecclesia suo modo, & hoc quadruplici respectu, scilicet indeviabilitatis ac indefectibilitatis extensionis, regulationis & generalis obligationis, cui subjicitur etiam ipse Papa tanquam Imperatrici sponsæ Regis summi, quæ potest condere Canones, & diffinire, etiam si fuerit Papa præsens. Faciunt autoritates subsequentes prò utraque parte secundæ conclusionis cum prima & tertia. Dicit enim Bonaventura Parte VI. c. 5. sui Breviloquii ex dictis Augustini. „Sic igitur Baptismus potest esse extra Ecclesiam; munus autem beatæ vitæ, non nisi intra Ecclesiam reperitur, quæ supra Petram fundata est, „quæ ligandi & solvendi claves accepit: hæc est una „quæ tenet & possidet omnem sui sponsi & Domini potestatem, per quam conjugalem potestatem etiam de „ancillis parere filios potest. „Idem Stephanus Papa sic scribit Gualberto Patriarchæ. „Nunc verò iterato „tibi scripsimus, nolentes alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, licet Apostolicâ prærogativâ possimus de qualibet Ecclesia Clericum ordinare. „Notentur Decreta cum suis glossis. Quod etsi Papalis potestas extendatur ad omnes immediatè, supple in casu necessitatis, vel evidentis utilitatis; non tamen vult alicujus Ecclesiæ privilegium infringere, supple, quia nec ita velle debet.

Et sit Epilogus præmissorum.

AR-

Digitized by Google

ARBOR DE ORIGINE JURIS ET LEGUM.

Collat. ad MS. Cod. Navarricum unum & Baluzianum.

JUSTITIA DIVINA.

Jus cujuslibet creaturæ.

Leges insitæ omnibus rebus.

Jus creaturæ rationalis.

Lex propriè divina.

Lex propriè naturalis.

Leges hominum viatorum.

Lex canonica.

Lex civilis.

JUSTITIA PARTICIPATA, HABET JURA SUA ET LEGES.

Distributiva. Huic contrariantur promotiones indignæ & intrusiones.

In officiis Reipublicæ.

In Beneficiis Ecclesiæ.

Commutativa. Huic contrariantur Contractus illiciti.

Usura & fraus in temporalibus.

Simonia & Giezia in spiritualibus.

JUSTITIA LEGALIS, EST OMNIS VIRTUS REGULATA, SICUT CHARITAS IN LEGE CHRISTIANA.

JURISDICTIO.

Non coërciva seu directiva.

Doctrinalis seu directiva, paternalis seu hierarchica.

Spontanea vel arbitraria, præsupposito peccato, ut in pœnitentia.

Coërciva.

Divina, secundùm Jus & Leges propriè divinas.

Naturalis, secundùm Jus & Leges propriè naturales, præsupposito peccato.

Ecclesiastica, secundùm Jus & Leges canonicas.

Secularis, secundùm Leges civiles.

DOMINIUM.

Gloriæ.

Originalis Justitiæ

Gratiæ gratificantis.

Evangelicum.

Canonicum.

Civile.

POLITIA.

Libera.

Ecclesiastica.	*Temporalis.*
Papatus.	Regnum.
Cardinalatus.	Aristocratia.
Synodus generalis.	Politia vel Democratia.

Despotica & servilis.

Ecclesiastica.	*Temporalis.*
Similiter ad Tyrannidem.	Tyrannis.
Similiter ad Oligarchiam.	Oligarchia.
Similiter ad Democratiam.	Democratia.

Digitized by Google

ARBOR DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

POTESTAS ECCLESIASTICA.

Ordinis.

- Super corpus Christi verum, quoad consecrationem.
- Super corpus Christi mysticum, quoad ministrationem Sacramentorum.

Jurisdictionis.

- Quoad Forum interius.
  - Clavium, quoad Absolutionem.
  - Arbitraria, quoad pœnæ commutationem.
- Quoad Forum exterius.
  - Secundùm Legem propriè Evangelicam, quæ est Excommunicatio.
  - Secundùm Leges Canonicas & Civiles canonizatas, quæ similis est temporali.

USUS POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.

Licitus & ratus. Licitus & non ratus. Illicitus & ratus. Illicitus & irritus.

PLENITUDO POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.

Est subjectivè & monarchicè in Papa.

Est in Ecclesia synodaliter congregata ordinativè, regulativè & suppletivè.

POTESTAS ECCLESIASTICA.

Alia est plena.

Plena.

- Est in Papa subjectivè & executivè.
- In Ecclesia regulativè & suppletivè.

Alia est limitata & ordinaria.

- Limitata. In Episcopis.
- Ordinaria. In Curatis.

HABET TRES ACTUS HIERARCHICOS ad quos cæteri reducuntur, scilicet.

Purgare.

- Per remunerationem, sicut per Indulgentias.
- Per punitionem, sicut per Excommunicationem & invocationem Brachii secularis.

Illuminare.

- Per Prædicationem doctrinalem.
- Per Legum & Canonum institutionem.

Perficere.

Per Sacramentornm administrationem.

Quæ sunt

Baptismus. Confirmatio. Eucharistia. quoad consecrationem, & administrationem. Pœnitentia. Ordinum collatio. Quæ includit institutionem Ministrorum Ecclesiæ. Solus Episcopus confert septem Ordines. Matrimonium. Extrema unctio.

JOAN.

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,


DE

JURISDICTIONE SPIRITUALI.

Ex MS. Cod. Victor. 699.

LECTIO. Anno 1382.

Resumptio primi Corollarii pro prima Lectione Cancellarii Parisiensis.



SI Juridictionis spiritualis ipsius Ecclesiastici viri ejusdem usus vel retentio notabiliter oberat subditis & aliis, in iis præsertim quæ ad Fidem vel Religionem spectabant, & hoc sciebat, vel scire debebat, illam dimittere tenebatur. Probatur ex triplici radice, scilicet Præsidentiæ pastoralis, fraternæ charitatis, debitæ servitutis. Præsidentia pastoralis obligat hominem ad ponendam animam pro ovibus suis secundùm doctrinam Christi. *Joan.* x. 11. Et hoc verum, ut dicit ibidem *De Lyra* & alii Doctores concordant, quando Fidei vel Religionis periculum immineret in subditis suis, si mortem declinaret & refugeret. Ergo à fortiori, imminente periculo, de quo Corollarium loquitur, tenetur dimittere statum vel Juridictionem suam. Quoniam tamen magis diligenda est vita & fugienda est mors quàm aliud quodcumque, ita aliter formari sic potest ratio.

Pastor spiritualis tenetur non fugere, imminente periculo Fidei vel Religionis, si fuga ejus cedat in detrimentum istiusmodi: ergo à simili debet vel totum dimittere, si ex præsentia ipsius, vel Juridictionis retentione, periculum tale immineat. Secundò probatur hoc idem ex radice fraternæ charitatis: quia fraterna charitas obligat hominem in casu à licitis abstinere, & non edere carnes, si inde proximus scandalizaretur secundùm Apostolum, 1. *Cor.* VIII. 13. Ergo licitum sit renuntiare Juridictioni spirituali, si scandalizat ejus retentio. Debet dimitti præsertim quando est scandalum in concernentibus Fidem & Religionem Christianam, & non est scandalum ex pura malitia & merè gratis proveniens. Licitum sit renuntiare etiam supremæ: est Decretalis expressa Bonifacii, & patuit in exemplis pluribus de Cœlestino, & de Leone qui post resignationem iterum fuit electus. Et hoc deducit quidam, vocatus frater Alexander. Tractatu III. sui Libri *De potestate Ecclesiastica*, quamvis aliqua dicat, quæ istud impugnare videntur, aut probare quòd Episcopus invitus deponi non potest. Nota dissimile esse de Sacramento & Ordine, & de Juridictione, quantùm ad renuntiationem. Confirmatur: quia charitas fraterna obligat pascere egentem in casu necessitatis & imminente periculo mortis corporalis, ita quòd retentio panis materialis esset in hoc casu pestifera. Ergo à fortiori obligat relevare à periculo mortis spiritualis, sic quod retentio illius, quæ induceret alterum ad illam mortem, esset mortifera. Igitur si retentio Juridictionis alicujus sit aliis, præsertim subditis, in detrimentum tangens Fidem & Religionem, debet omitti, & hoc si sciat, vel scire teneatur. Item ad hoc potest argui per similitudinem partis & totius in corpore vero & materiali; quia si membrum unum per nutrimenti retentionem vel aliter redit in destructionem aliorum, debet amputari, ut totum corpus salvum fiat. Unde & naturaliter inditum est rebus, ut ad salvationem totius propria loca deserant, sicut lapis ad replendum vacuum, quamvis ibi possit dici tractus quidam. Ergo à simili erit in corpore mystico cujus sanitas constat ex sanitate partium. Tertiò probatur Corollarium, vel propositio, ex radice debitæ servitutis, quia *Beneficium datur propter Officium*. Ita est de Jure divino & humano. Fundatur sufficienter in virtute naturali, præsupposità veritate Fidei. Ad hoc enim Beneficia Ecclesiæ, & hierarchici status instituti sunt, ut Officium reddat pro illis. Et hoc est verum non solùm de Officio Horarum, sed etiam de Officio docendi & pascendi gregem, juxta illud Christi *pasce oves meas* Joan. XXI. 17. & iterum: *quis putas est fidelis dispensator* Luc. XII. 42. &c. Si ergo retentio Beneficii & Juridictionis spiritualis plus obsit instituto quàm Officium quod reddit, aut reddere potest homo habens hujusmodi Beneficium proficiat, jam ipse non servat finem propter quem datum est Beneficium. Et confirmatur: quia secundùm regulam Juris & Doctorum, *Quod pro charitate institutum est, contra hanc militare non debet*: & similiter. *Quod pro Fide & Religione & communi utilitate institutum est, contra hoc non debet procedere.* Cum ergo superioritas Juridictionis spiritualis, vel homo eam habens, sint instituta propter bonum commune Fidei, Charitatis, & Religionis: si ejus retentio non proficiat, sed cedat in eorum detrimentum, debet dimitti; quia *Cessante fine & causâ institutionis, cessare debet institutio.* Et hæc vera sunt, quando licitè possunt fieri hujusmodi dimissiones, sicut dictum est. Et addere hìc, *nisi aliter possit remediari*, in propositione principali, sed non contra: quia jam non esset in periculum Fidei vel Religionis hujusmodi retentio, si aliter posset

Digitized by Google

posset commodiùs remediari quàm per resignationem. Et exemplum poni potest de nauta in maris periculo. Quod si nauta sciat, quòd usus artis suæ plus impediret quàm proderit, stultissimus esset, si navigaret, ex quo licitè potest non navigare. Simile de Medico corporali. Unde qui oppositum facit, potest dici à cura Pastorali fugere, secundùm doctrinam sancti Thomæ 2.2. q. 185. a. 5. ubi dicit, quòd *ille tanquam mercinarius fugit, qui commodum Pastorale, vel etiam salutem* A *corporalem, spirituali saluti subditorum præponit*, quod fit in casu nostro; dùm præsens corpore, animo & profectu quamdistantissimus est.

Ex conclusione sic declarata infero, quòd si retentio Papalis aut Episcopalis status in aliquo cedat in notabile detrimentum sibi subditæ politiæ, præsertim in iis quæ ad Fidem spectant, & hoc scit vel scire debet, tenetur ad dimissionem se offerre, vel de facto dimittere. Et non addo: *nisi aliter remediari possit*, propter causam statim dictam. Et dico quòd stat, quòd modò aliquis scire teneatur, quòd cedit in detrimentum, qui non priùs ad hæc tenebatur sic, quia non erat expertum de insufficientia aliarum viarum pro remediando, & illud solvit argumentum illud: quare Rex & Papa non priùs hoc obtulerunt.

Secundò infero, quòd si Papalis dignitatis retentio in aliquo scandalizat subditos, scandalo peccati mortalis, & non proveniat ex pura malitia scandalizatorum, & hoc sciat, vel scire teneatur scandalizans, pec- B cat graviter, & *melius esset ei ut suspenderetur mola asinaria in collo ejus, & demergeretur in profundum maris* secundùm dictum Christi, *Matth.* XVIII.6. Ergo à fortiori quòd totum dimitteret, nisi aliunde gravius immineret periculum, & gravius peccaret, quod non videtur esse in casu nostro.

Sequitur tertiò, quod ad sedationem præsentis schismatis tria principaliter sunt consideranda. Primum est: an spectat ad Fidem, quòd sit unum caput in Ecclesia Dei. Secundum: an scandalizati, & qui non tenent partem veram, faciant hoc ex pura malitia. Tertium: an verisimilis sit via melior, & sanctior per resignationem aut obligationem ad resignandum.

Pro istis pono aliquas propositiones. Prima. Est Catholica veritas quòd non sint licitè plures Summi Rectores in populo Christiano, vel duo capita, vel duo Papæ, quod idem est. Istud pridie declarabatur C in Aula, unde est Decretum, quod dicit sententialiter, quòd *dicens Ecclesiam Romanam non habere principatum super ceteras omnes, hæreticus est*. Et si ita est, dicens quòd Episcopus illius Ecclesiæ Romanæ non habeat Primatum super alios, est similiter hæreticus, & inducit hoc ipse Okam in Dialogo, ad ostendendum, quòd aliquæ sunt veritates Catholicæ quæ non sunt in Biblia nec ex ea immediatè & evidenter deduci possunt, ut sunt illæ quæ venerunt ad nos ex relatione successiva Apostolorum. Et puto quòd nec etiam apud Græcos hoc vertatur in dubium, quamvis non concedant tantam Juridictionem Papæ sicut nos. Et hoc mirabiliter consonat Juri divino, & naturali præsupposito divino, quia ex quo est una Fides, ad quam omnes obligantur, debet esse supra populos sic obligatos unus qui de illa curam habeat supremam, ut non fiant in illa hæreses. Quoniam si duo essent non subordinati, non videtur quomodò possent convenire in determinando quæstionem Fidei; sed fortè unus aliquando determinaret unum, alius contrarium, sicut fit in Universitatibus & Diœcesibus non subordinatis, D quòd scholasticè vel etiam auctoritativè una propositio reprobatur ut falsa in Fide, quæ alibi securè prædicatur, sicut est de illa: *In Christo fuerunt duæ animæ, sensitiva scilicet & intellectiva*, quæ Parisiis communiter tenetur, & in Anglia est Articulus condemnatus; ut intellexi. Et juxta hoc patet lata dissimilitudo, & de tempore Legis gratiæ & antè illam, quia est universalis, aliæ non. Item de institutione unius Imperatoris, & de institutione unius in spiritualibus, quia nulli ad certas Leges politicas & personas sic obligantur, quin pro varietate hominum possint haberi variæ Leges sine periculo.: imò necessarium est, ut trahi potest ex dictis Philosophi v. *Ethic. & Polit.* ut sint Domini temporales non subordinati, sicut esset de spiritualibus. Et juxta hoc patet periculum & pernicies volentium modò dogmatizare, quòd possint esse duo Papæ &c. quia esset reddere homines tepidos & negligentes ad remediandum schismati, imò ad illud perpetuò confirmandum, non solùm in duobus, imò in mille: & sic non esset unum ovile & unum corpus, sed confusum unum chaos & grex dispersus.

Multa circa hoc possunt adduci testimonia Scripturarum, & Decretalium, quæ pro nunc omitto, quia etiam apud paucissimos versa est in dubium; in tantum quòd si non esset Catholica veritas, quòd debeat esse unus Summus Pontifex, tamen consuetudo hominum à tempore Apostolorum ad nos perducta, facit Legem, quam non licet transgredi, sine remotione tacita vel expressa totius Ecclesiæ. Et ex isto deducitur ultra, quòd sive sit Catholica veritas, sive non, quòd debeat esse unus Papa; tamen est schismaticus reputandus, qui illam unionem proprio actu vel authoritate frangit, & dividit tam inter membra & caput quàm inter membra inter se. Patet, quia sic est in temporalibus proportionabiliter, quòd licet non sit Catholica veritas, quòd debeat esse unus Rex vel Rector in Francia, tamen, stante Lege & consuetudine, ille qui propria authoritate vel actione vellet hoc destruere, diceretur reus læsæ Majestatis, & schismaticus in temporalitate, si usus haberet hoc dicere. Ergo a fortiori in spiritualitate sequitur, quòd oppositum pertinaciter dicentes, aut sunt hæretici..... aut saltem sunt schismatici. *Fol. v.º 276. l. 15.*

Dicitur autem pertinaciter quis tenere aliquid, quando non est paratus corrigi, vel non quærit cum sollicitudine veritatem. Iterum patet quòd schismaticus cedit in periculum Fidei ex ista radice, & etiam ex radice tacta, quâ dicitur, quod expedit unum præesse propter unitatem; & non celebrabitur etiam Concilium, quod hæreses expellit & non schismata. *Fol. v.º 76. l. 22.*

Secundo sequitur, quod incurrunt pœnam schismaticorum, quæ est Excommunicatio. Nota *Numer.* XVI. de Dathan. hoc tenet expressè S. Thomas 2.2. q. 39. a. 4. Et si non sufficiat, sicut habetur 23. quæstione art. 5. debet adhiberi pœna sæcularis. Divinæ & humanæ Leges statuerunt, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, & ejus pacem perturbantes, à sæcularibus potestatibus comprimantur.

Sequitur tertiò ex veritate propositionis, quòd tenentes firmiter partem Clementis convenienter habent dicere, quòd ista propositio: *Clemens non est Papa*, potest dici sapere hæresim, quamvis nullo modo censeri debeat hæretica.

Probatur prima pars: quia propositionem sapere hæresim est, esse talem quæ, quibusdam veris assumptis, quæ negari rationabiliter non possunt, & determinatione Fidei, sequitur esse falsa, & Fidei repugnare ut ista: *Symbolum Athanasii est falsum* sic est de ista: *Clemens non est Papa*: secundùm eos, quia cum isto assumpto: *ritè & rationabiliter electus est*, & cum veritate propositionis, infertur quod est repugnans Fidei. Nolo tamen dicere quòd dubitans, vel negans illam, sit hæreticus; quamvis diceret propositionem sapientem hæresim.

Secunda pars patet: quia ad veritatem ejus requiritur veritas propositionis non Catholicæ. Ergo tota controversia erit non Catholica. Potest exemplum poni in materia de adoratione consecratæ Hostiæ quia non teneor credere quòd ille vel ille sit baptizatus, vel Sacerdos, aut quòd dixerit verba: tamen, illis præsuppositis, rationabiliter infertur cum veritate Fidei; quòd ista est Corpus Christi. Unde quamvis aliquando

Digitized by Google

quando plures causæ dubitandi sint in uno quàm in alio, ut modò durante schismate, non tamen est periculum idolatrandi adorando Hostiam, secundùm modum, secundùm quem communiter adoratur; quia conditio semper implicita inducitur, ut dicit Olkoth in IV. Et intelligo, quando homo non tenetur credere de aliquo quod à schismatico non habente autoritatem consecrandi, hostia consecrari attentetur. Hic videtur vacillare propositio una Magistri nostri &c. de adoratione Hostiæ.

Juxta hoc facile est videre, quomodò in ista materia Concilium potest errare, & quomodò non: quia si proponeretur ista propositio, *An deberet esse unus Papa*, Concilium circa illam errare non posset: si autem proponeretur ista, *an Clemens sit Papa*, cum includat unum quod est Facti, & etiam in illis quæ Facti sunt errare possit, sicut in moralibus, in scibilibus ut benè deducit Okam, non oportet dicere quin errare possit, etiam quoad judicandum de jure suo fortè, licet in hoc non esset periculum Fidei vel morum, ut infra dici poterit.

Secunda propositio juxta secundam considerationem. Verisimile est quòd magna pars tenentium partem falsam & scandalizatorum, non ex pura malitia scandalizantur, & quod non est ibi scandalum Pharisæorum, de quo dicit Christus quod contemnendum est, sed pusillorum. Patet, quia in multis illud scandalum non provenit nisi vel ex ignorantia Juris, quod non tenetur scire, vel Facti: sicut patet de maximis Clericis antequam haberent notitiam vel Beneficia. Item quia factum Cardinalium fuit scandalosum. Probatio. Quia fuit factum vel dictum minus rectum præbens alteri occasionem ruinæ: & qui benè volet profundare illud punctum, videbit quomodò Cardinales super omnes qui in mundo sunt, tenentur remediare schismati &c. Et multa similia. Unde non est simile de isto schismate & aliis, quia illud est totum mirabiliter, propter facta Cardinalium tribus Mensibus post electionem qualemcunque primam.

Ex propositione sequitur, quòd scandalizans tales simplices, debet viis sibi possibilibus tollere illud quod istos scandalizat, sub pœna peccati mortalis, sicut non esset si foret scandalum Pharisæorum ex pura malitia, quia faceret quod sæpè esset contemnendum. Et per hoc solvitur una ratio, quæ potest adduci: quòd si Papa nunc renuntiaret, semper fierent impressiones &c. non concludit: quia si fierent ex malitia, & hoc appareret, non dimittendus esset status propter tales, saltem de necessitate salutis, nisi aliud contradiceret.

Sequitur secundò, quòd magis sunt schismatici, qui unionem impediunt, quàm qui partem falsam tenent, & hoc ut in pluribus, & loquendo de pertinacibus. Dico autem omnem impedire, qui non adjuvat ut debet, quia ait Christus: *qui non colligit mecum dispergit*, Luc. XI. 23. vel qui laborantes nititur impedire: ut qui impediret prædicatores ut tales, sicut esset de illo qui vellet impedire prædicationem Catholicæ veritatis &c. Ita si ponantur duo quorum unus benè credit, tamen non laborat ad unionem ut debet: alius è-contra; primus magis tenet & fovet schisma, quàm secundus: quia stat quòd id faceret secundus ex ignorantia non imputabili ad peccatum mortale, primus non.

Sequitur tertiò, quòd falsissima & ineptissima est opinio illorum, qui dicunt procedendum esse per bella contra partem adversam, & hoc aliàs deduxi in Sermone *De Angelis coram Rege*. Imò nec fortè excommunicatio ferenda est in tales, saltem generaliter; quia multi parati sunt audire Ecclesiam, ideò non sunt reputandi sicut Ethnici & Publicani secundùm doctrinam Christi, de modo fraternæ correptionis, *Matth.* XVIII. 17.

Ex iis omnibus videtur sequi sine temeraria assertione, quòd in præsenti schismate quilibet contendens de Papatu, & Cardinales, tenentur secundùm animi præparationem dimittere status suos, pro sedando illud, & scandala subditorum removendo. Et dico secundùm animi præparationem, sic scilicet, quòd non appareat via verisimilis secundùm humanum modum terminandi schisma, nisi per hunc modum: hoc facere tenentur, & se facturos offerre. Patet ex deductione primæ & principalis propositionis, & tribus ejus radicibus, & ex ista secunda, quæ ponit, quòd non est scandalum Pharisæorum, addito A ejus primo Corollario, quòd scandalizans peccat. Tunc modò haberet locum tertia consideratio de tractando, an aliæ viæ sint verisimiles pro renuntiando schismati: sed antequam ad hoc descendam volo instare contra dicta, & primò contra hoc ultimum.

Sed contra hoc ultimum objicitur primò: quia per resignationem utriusque vel alterius eorum, nihilominus remaneret error, & illi qui errassent, non pœniterent; quia non faterentur se peccasse: & ideò ante omnia necesse est, quòd sciatur, & determinetur cujuslibet jus.

Secundo: quòd staret per istum modum, quòd injustus Papa remaneret, ut si Clemens vellet renuntiare & alteri cedere; secundùm opinionem meam.

Tertiò: quia offerens se ad resignandum, reddet B causam suam suspectam de injustitia: & confirmatur; quia nullus debet puniri pro delicto aliorum qui nolunt credere veritati.

Item quartò: quia sic diceretur de Christo, quòd debuisset renuntiasse officio suo, quia fuit petra scandali Judæis.

Item quintò: quia sic diceretur de Regibus, ut putà de Rege Franciæ, quòd teneretur dimittere Regnum, antequam toleraret bella fieri pro sustinendo jure suo, contra omnem æquitatem, juxta illud, *Pugna pro patria*.

Sextò: quid fieret de ordinatis à parte schismatica? an reordinarentur, vel sic dimitterent? quia ubique videtur periculum.

Ad rationes istas; ad primam dicitur: quòd illa est magis contra facientes, qui volunt ire per bella, quia per illam non removetur error cordium præcedens, aut sequens. Secundò dico, quòd non est ne-C cesse quòd errantes sciant se errasse; quia vel non perniciosè erraverunt, & possunt propter ignorantiam excusari, vel possunt sub conditione pœnitere, scilicet in quantum peccaverunt. Tertiò dico: quòd fortè magis expedit, quòd non determinetur de Jure partium, quia esset generare odium partis & opprobrium quæ malè tenuit, & notatam reddere de schismate aut hæresi, & fortè veniret rursùm dissentio, etiam magis saltem quàm si de communi assensu pax fiat: Naturale est quòd homo diligat famam suam & suæ Gentis.

Ad secundam dico primò: quòd fortè non esset periculosum usque ad statum salutis, quòd ex ignorantia Ecclesiæ vel subditorum injustè electus, vel non electus, occuparet Papatum; quia ita visum est de plurimis qui usque ad mortem pacificè vixerunt in isto statu, sine schismate. Secundo dicitur, quòd per novam electionem, & concordem Cardinalium utriusque partis, Ecclesiæ possit jus dari, cum priùs illud non haberet, ex quo nullus alius est Papa, dùm D alter renuntiasset, & sic factum est de Leone decimo.

Ad tertiam: cum dicitur quòd taliter negatur; imò potius oppositum, sicut patet de muliere in Judicio Salomonis, respectu proprii filii, quem dimittere volebat ne divideretur; imò esset summa laus pro tanto bono etiam jus suum voluisse dimittere, sicut durante pace fecit Cœlestinus, qui ob hoc non culpatur sed laudatur ut humilis. Et ad hoc deberent movere, & brevitas vitæ & statûs pœnositas. Ad confirmationem quæ arguit contra illud quòd non teneatur &c. hoc est verum in casu, quando scandalum est solummodò acceptum ex pura malitia scandalizatorum, & non quando est datum, vel quando venit ex igno-

ignorantia: sicut Paulus abstinebat ab otio, ne daret scandalum Evangelio, & ita quodammodò puniebatur laborando manibus propter alios. Exemplum aliud de abstinentia ab esu carnium.

Ad quartam, quia sic diceretur de Christo. Negatur quia licet fuerit petra scandali malis & obstinatis, non tamen bonis & simplicibus, saltem loquendo de scandalo pernicioso. Item quia majus malum provenisset, scilicet impedimentum Redemptionis nostræ, & similia multa. Item lata est dissimilitudo de eo, qui fuit annuntiatus in Lege & in Prophetis, & de persona alia particulari, quæ testimonia hujusmodi non habet.

Ad quintam: sic diceretur de Regibus &c. Primò, est dissimilitudo; quia unum obest bono spirituali, aliud corporali; unum periculum concernit Fidem, aliud non. Item, aliud est, quando aliquis habet jus pro se in posteritate in aliquo, aliud quando habet solùm pro se. Tertiò, constat quòd Pastores spirituales magis obligantur pascere gregem in spiritualibus, quàm temporales in temporalibus: quia ibi est majus periculum; unde non est apud me certum, quòd pro quocumque periculo corporali subditorum Rex teneatur subire mortem corporalem, imò magis tenetur diligere corpus proprium quàm aliorum, ut videtur. Secùs est de Prælato in periculo spirituali, sicut modò est. Quartò, dico quòd dabilis est aliquis casus, ubi Dominus temporalis tenetur renuntiare juri suo pro salute populi sui: sed illum dare non opus est &c.

Ad sextam: Quid fieret &c. Difficultas principalis est non de Baptizatis, & similibus; sed de Confirmatis & Presbyteratis. Dico primò, quòd illi qui dicunt omnem Sacerdotem posse alium in Sacerdotem instituere, & posse confirmare, faciliùs se expedirent: quia nullus est institutus, quin sit institutus mediatè vel immediatè à Sacerdote, concordi Papa præcedente. Ita videtur tenere Hass. Alia opinio fortè hoc idem diceret, & haberet pro se utraque opinio apparentiam de illis qui fuerunt ordinati sub Papis non ritè electis, qui postmodùm non leguntur reordinati, sicut est de muliere, quæ fuit Papa. De Joan. X. Joan. XVII. Silvestro II. Item diceretur de Damaso II. & de Victore II. Item diceretur de actibus factis per tales sic Ordinatos, quod Deus misericorditer supplet quod deest, sicut in simili dicit Scotus de illis, qui putant esse Sacerdotes, & non sunt, quòd Deus supplet consecrationem. Ad hoc non esset periculum, item adhuc melius esset, quòd omnes tales suspenderentur ab officio exercendi actus Presbyterales, quàm quòd schisma sic duraret perpetuò in casu, qui est evenire.

DETERMINATIO SEU POSITIO DE JURISDICTIONE SPIRITUALI & TEMPORALI.

De novo Edit. ex MS. Cod. Vict. 699.

SOLENT contra Jurisdictionem Temporalem Ecclesiasticorum quatuor allegari per spiritum mendacii filium.

Primò, quòd istæ Jurisdictiones Temporalis & Ecclesiastica sic sunt distincta, quòd non possunt eidem convenire, sicut albedo & nigredo. Ideò si Ecclesiastici habent spiritualem, non habere poterunt Temporalem.

Secundò, quòd Christus prohibuit à viris Ecclesiasticis omnem Jurisdictionem temporalem verbo & exemplo, sicut Apostoli secuti sunt: *Si vis perfectus esse*, Matth. XIX. 21. &c. ut sunt Prælati. Et iterum *non habebitis sacculum* Luc. X. 4. & similia.

Tertiò, quòd Principes sæculares non potuerunt tales Jurisdictiones dare Ecclesiæ, hoc est Jus Fisci communicare & alienare; inde tamen processerunt: ideò nihil talium habet Ecclesia.

A Quarto, quòd si Ecclesiastici habent Juridictionem temporalem solùm à concessione Principum vel usurpatione, remanent semper in his subditi Domino temporali, & ab eo possunt justè judicari, imò etiam spoliari. Sic Christus solvit tributum & sic dixit: *Principes gentium dominantur eorum*, Luc. XXII. 25.

Primùm dictum est falsum & erroneum, & sapit hæreses multas, & cedit in scandalum & blasphemiam Sanctorum Canonizatorum, tàm Ecclesiasticorum quàm sæcularium.

Itaque ex dicto isto sequitur primò, quòd istæ Jurisdictiones sunt contrariæ nec una ordinatur vel juvatur per aliam: hoc est falsum, quia accessorium ordinatur ad principale; terrena sunt accessoria ad spiritualia, sicut corpus ad animam &c.

B Secundò, quia Christus non fuit Dominus spiritualis & temporalis secundùm humanitatem, quod est contra id quod Matthæus ultimo Cap. *Data est ei* &c.

Tertiò, quòd Adam, Noë, Melchisedech, primogeniti usque ad Aaronem non habuerunt Jurisdictionem spiritualem, quia constat quòd habuerunt temporalem, & est contra textum *Genes.* VIII. & XIV.

Quartò, quòd Moyses Aaron, Hely, Samuel, & alii Judices ante Reges, & post eos tempore captivitatis & Machabæorum, non habuerunt Juridictionem spiritualem, quia constat quod habuerunt temporalem *Num.* XXVII. & in Libro Regum pluries, & Judicum, & ex Lege Deuteronomii XVII. *si difficile &c.*

Quintò, sequitur contra textum *Matth.* XVIII. de correctione fratris: *si peccavit &c.* & contra Argumentum Apostoli I. *Cor.* VI. *an nescitis &c.* arguit à fine.

Sextò, quòd omnes, qui usi sunt potestate temporali & spirituali, simul peccaverunt mortaliter, usur-
C pando non suum, & ita nisi pœnitentiam ostenderent, reputandi sunt damnati: fuerunt tamen multi Sancti ut Silvester Gregorius &c. & alii, qui vel ex dono, vel hereditate, propriam temporalitatem habuerunt, sicut è contra multi Domini temporales sancti effecti sunt Sacerdotes, non relinquentes priora, sed vel sibi, vel Ecclesiæ reservantes.

Secundùm dictum est erroneum, scandalosum, & blasphemum ut prius, & includit blasphemiam Juliani, & astutam cavillationem &c.

Tertium dictum est scandalosum & blasphemum & potestatis Regiæ, aut alterius sæcularis diminutivum, ac injuriosum ut prius. Addito quòd multæ concessiones hujusmodi factæ sunt per Imperatores & Principes, & receptæ ab Ecclesiasticis; & nisi hoc fuerit licitum, ipsi omnes perierunt, & Ecclesia decepit & decepta est, talia non solùm tolerando, sed & laudando.

Quartum dictum est falsum, scandalosum, & injuriosum Dominis Temporalibus & Ecclesiasticis, seditiosum & impium, Regum insuper & Principum
D subversivum, quia ad injustitias & prædas & rapinas sacrilegas inducit & ad perditionem totalem suorum Dominiorum; disponit ad infamiam quoque & ad damnationem perpetuam.

Inducitur primò id de divitibus in Gallia ante Fidem, qui erant ditissimi in temporalibus, quorum divitiæ post conversionem, ipsis factis Episcopis & Ecclesiæ remanebant, & ita nihil de novo statutum. Sic Petrus instruebat post conversionem.

Inducitur præterea de illis Dominis sæcularibus, qui facti sunt Prælati aut Religiosi, ac omnia pro se vel Ecclesia retinuerunt, & ita non ex dono solo Principum Laicorum &c.

In-

Inducitur prætereà quòd vel ea consuetudine vel præscriptione potuerunt Ecclesiastici multa possidere, ex quo erant capaces, cum intervenerint bona fides, & temporis legitima duratio. Item ex consensu communitatis fidelium. Item per emptionem vel commutationem.

Inducitur prætereà quòd ex Jure divino, naturali, & humano debetur Ecclesiasticis sustentatio vitæ sufficientis; honor insuper & reverentia, verbis, signis, & operibus: hæc autem concedi potuerunt, sicut jam factum conspicimus, assignando immobilia temporalia & Juridictionem amplam super suos & alios.

Inducitur prætereà contra ultimas duas particulas illius quarti dicti, primò de amortizatione factâ per Principes & de Privilegiis concessis per eos Ecclesiasticis & Ecclesiis, ut omnis superioritas penes eos remaneret.

Secundò, quia non sequitur: hoc datum est vel concessum tali, ergo potest sic ab illo pro libito removeri. Nam si laïcus obtulit denarium Sacerdoti, ipse non potest reponere invito Sacerdote; cum sit fur aut sacrilegus.

Ex illis cum adjunctione historiarum & Jurium aliorum patet quartum dictum oppositum, deducendo per particulas.

Notetur, quintò de Castro dato sancto Remigio pro Ecclesia Laudunensi per Clodovæum Regem, quòd Pipinus volebat emere Ecclesiam, factâ recompensatione, cui dormienti apparuit sanctus Remigius &c.

Notetur, quòd honorificentiâ Prælatorum redundat in honorem Regis, & quomodò Prælati mendicantes contemnerentur &c. sicut in Italia .... quod rudis & eget exteriori cultu &c. Item quod rebellis &c. Nota de vitiis &c.

Notetur, rebellio Laïcorum in Burgundia tempore Ludovici: ubi primò in equites, deinde in Dominos: & notetur quòd nobiles habent suos in Ecclesiasticis dignitatibus & sunt fideles Ecclesiæ.

Notetur, tempore Sancti Ludovici majores Barones conspiraverunt tollere certas libertates Ecclesiæ, offerendo centesimam omnium bonorum suorum, sed noluit: & notetur, quid idem Sanctus scripsit filio suo majori, super his allegando Regem Philippum &c.

Notetur, quod Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono Dominus Bertrandus proposuit tempore Philippi de Valesio & finaliter tum sic responsum sit. . . . .

Notetur, quòd ipse supra scripsit & Durandus & alii. Notentur juramenta Regis in sua coronatione.

Notetur, quòd laïci benè recipiunt Castra vel Villas à Rege, ergo ita potest dare Ecclesiæ &c.

Notentur Jura, vigesima secunda Distinct. cap. *omnis Patriarchæ*. Quæstione 2. *si quis Neophytus*, quæstione I. c. *relatum* & *quicumque*, & sequenti vigesima quinta distinctione Ecclesiæ *extra. de Judiciis*, *novit. de Foro competenti.*

Item *de Sacro sanctis Ecclesiis* l. *Privilegia* extra: *de Immunitate Ecclesiarum* capite *quoniam ut intelleximus* 5. 6.

Notetur, quòd res Deo datæ, sunt Sacræ & Spirituales: 1 *Reg*. XXI. de panibus oblatis &c. de vasis sacris in quibus Baltasar bibebat, &c. *Danielis* 5. Nota vindictam. Quomodò similem habent timere usurpantes data Ecclesiæ &c.

Notetur, quòd terra Sacerdotum libera *Geneseos* XLVII. & in *Paralipomenis*.

Notetur, condemnatio in Padua specialiter in quinque Articulis per Joannem vigesimum secundum.

Notetur de Ambrosio 23. quæst. ult. cap. *Quem nec mihi expedit tradere nec Imperatori accipere.*

Notetur, quomodò Philippus avus Sancti Ludovici fovebat Sanctum Thomam Cantuariensem..

Notetur, confirmatio per Carolum Magnum, Sanctum Ludovicum, Philippum pulchrum, Ludovicum & Philippum, & dictum Gregorii XXV. quæstione 11. *Si ea destruerem quæ Antecessores mei statuerunt non constructor, sed eversor esse justè comprobarer, quia omne Regnum &c.* & *Regnum de Gente &c.* & primo *Machabæorum* secundo capite *Memento te operum Patrum &c.*

Notetur de Roboam 3. *Reg*. 11.

A Notentur quinque, in quibus excellit Regnum Franciæ in Fide, Nobilitate, pace, Prælatorum solemnitate, Baronum subjectione.

Juramenta Regis, primò quòd Episcopis & Ecclesiis eis commissis Canonicorum Privilegium & debitam Legem ac Justitiam servabit, & defensionem, quam poterit, exhibebit.

Item, quòd suo arbitrio omnis populus Christianus veram pacem Ecclesiæ Dei omni tempore servabit.

Item, quòd omnes rapacitates, & omnes iniquitates, omnibus gradibus interdicantur.

Item, quòd omnibus Judiciis æquitatem & misericordiam percipiet.

Item, quòd de tota Terra sua & Jurisdictione sua hæreticos ab Ecclesia denotatos, pro viribus, bona Fide, exterminare studebit.

Nihil autem jurat de non alienando &c.

Avinione Secundo Calendas Nov. Anno 1420......

Joannes XXII. condemnat Articulos quinque, quorum solutio satis per Petrum fuit finita. Primò B quòd Christus solvit vectigal, non ex libertate sua pietatis, sed hoc egit necessitate coactus contra id quod dicitur: *Liberi sunt Filii*, & *dabit illi Dominus Sedem David.*

Item, quòd Beatus Petrus Apostolus non fuit plus Caput Ecclesiæ, quàm quilibet aliorum Apostolorum: nec habuit plus authoritatis quam alii Apostoli, & quòd Christus nullum Caput dimisit, nec aliquem suum Vicarium fecit.

Item, quòd ad Imperatorem spectat corrigere Papam, & punire, & instituere, & destituere.

Item, quòd Papa & omnes Prælati sunt æqualis authoritatis, nisi ex institutione Imperatoris; & ergo potest revocare Imperator, sicut concessit.

Item, Papa & tota Ecclesia simul sumpta nullum potest punire punitione coactivâ, nisi Imperator det authoritatem. Condemnantur ut contrarii Fidei Catholicæ, & hæreticales: & liber ille reprobatur & damnatur & quilibet sustinens ut hæreticus confutetur.

C Quidam in oppositum quatuor dictorum nimis extremorum, asserunt quatuor dicta valdè extrema ad oppositum, in quibus multiplex est defectus, & spiritus mendacii.

Primò, quòd in Prælato habente corrigere de peccatis, competit per sequelam necessariam cognitio de omni re, in qua fit peccatum.

Secundò, quòd Christus concessit omnem potestatem spiritualem & temporalem Petro & successoribus cum sua executione vel exercitio, & consequenter Principes tenent ab eo: & potest disponere de Beneficiis Ecclesiasticis, imò & de temporalibus, pro libito, sicut dicunt &c.

Tertiò, quòd Principes vel alii dantes aliquid Ecclesiæ, nihil de novo contulerunt, sed reddiderunt Ecclesiæ & Prælatis illud quod erat priùs suum, sicut quidam de Rege respectu subditorum, allegantes id primi Regum octavo. *Hoc erit Jus Regis &c.* & id *omnia sunt Principis.*

Quartò, quòd omnes Principes sunt subditi Papæ: D nec potest per aliquem in quocumque casu dici: Cur ita facis? sed econtra potest eos mutare, deponere, atque variare.

Notetur, quomodò potestas Ecclesiæ potest esse superior quoad directionem in vitam æternam, sicut temporalia ordinantur ad spiritualia, sed non sequitur, quod habeat omnem potestatis plenitudinem: & responsum de Rege supra res subditorum dominante.

Note-

Digitized by Google

Notetur, quomodò poteſt dici per Principes Papæ vel alteri erranti: cur ita facis? & quando, & quo ordine & contra Legem neceſſitatis & qua executione & qualis abuſus ſufficiat in Eccleſiaſticis, ut Rex hoc juſtè agat. Exemplum de membris Corporis veri ſecundùm Apoſtolum.

Notetur de extenſione, quomodò poteſt applicari ad res temporales Eccleſiæ repetendas, vel tuendas quia factæ ſunt ſacræ &c. tamen modeſtia requiritur in Eccleſiaſticis.

Notetur, quomodò præſuppoſitis principiis ſufficit allegare pro minore &c. nec oportet diſputare, an de Jure divino, vel humano, talia Prælatis conveniant &c. Exercitium de Jure propoſitio eſt &c. . . . .

Notetur cur dotatio recepta eſt tempore Sylveſtri, & communiter pluſquam antè, ſicut in primitiva Eccleſia multitudinis credentium &c. propter Fidem predicandam. Exemplum de Arca & Templo.

Sequuntur alia nonnulla in manuſcripto, ſed obſcura valde, inemendata & haud magni pretii quæ idcirco pretermiſimus.

PROPOSITIONES

Prædicatæ in

CONCILIO GENERALI CONSTANTIENSI,

Per Magiſtrum Joannem de Jarſon Cancellarium Eccleſiæ Pariſienſis.

De novo Edit. ex Codd. MSS. Vict. 469. & 828.

I.

ECCLESIASTICA Unitas ad unum Caput Chriſtum fit, & agglutinatur per amoroſum Spiritus ſancti vinculum, mediantibus divinis chariſmatibus, tanquam qualitativis diſpoſitionibus, reddentibus in corpore myſtico complexionalem harmoniam vivificam & decentem ad opera ſpiritualis vitæ ſufficienter exercenda.

II.

Eccleſiaſtica Unitas ad unum Caput ſecundarium, quod dicitur Summus Pontifex, Chriſti Vicarius, fœcundior eſt, multiplicior, copioſior, & major, quàm fuerit Congregatio Synagogæ; & quam ſit Congregatio civilis ſub uno Rectore, Rege, vel Imperatore.

III.

Eccleſia habet poteſtatem ſeu facultatem ex vivifico germine ſibi inſito per Spiritum ſanctum, quod ſeipſam poteſt continuare in integritate, & unitate membrorum ſuorum, tam eſſentialium ſeu formalium, quam materialium atque fluentium.

IV.

Eccleſia habet indefectibilem Sponſum Chriſtum, ſic quòd, Lege ſtante, nec Chriſtus poteſt ipſi Sponſæ ſuæ Eccleſiæ dare libellum repudii, nec è contra.

V.

Eccleſia non ita ligatur matrimoniali vinculo ad Vicarium indefectibilis Sponſi, quin mutuò ſe poſſint abſolvere, & dare libellum repudii.

VI.

Eccleſia, vel Generale Concilium eam repræſentans, eſt regula à Spiritu ſancto tradita; directa à Chriſto, ut quilibet cujuſcumque ſtatûs, etiamſi Papalis exiſtat, eam audire, & eidem obedire teneatur; alioquin habendus eſt ut Ethnicus & Publicanus. Probatur ex immutabili Lege divina *Matth.* XVIII. promulgata. Deſcribitur autem ſic Generale Concilium, vel deſcribi poteſt. Concilium Generale eſt Congregatio, legitimâ autoritate facta ad ſalubriter tractandum & ordinandum ea quæ ad debitum regimen ejuſdem Eccleſiæ in Fide & moribus reſpiciunt.

VII.

Eccleſia vel Generale Concilium, dum aliqua dictat regimen Eccleſiæ concernentia, Papa non ſic eſt ſupra Jura, etiam poſitiva, quòd poſſit pro libito diſſolvere talia dictata per Eccleſiam, eo modo & intentione, quibus dictata & concluſa ſunt.

VIII.

Eccleſia vel Generale Concilium, quamvis non poſſit tollere plenitudinem poteſtatis Papalis à Chriſto ſupernaturaliter & miſericorditer collatæ, poteſt tamen ejus uſum limitare ſub certis Regulis & Legibus in ædificationem Eccleſiæ, propter quod Papalis Autoritas & altera homini collata eſt. Et in hoc eſt totius Eccleſiaſticæ reformationis fundamentum ſtabile.

IX.

Eccleſia vel Generale Concilium potuit, & poteſt congregari ſine expreſſo conſenſu vel mandato Papæ, etiam ritè electi, & viventis, in multis caſibus. Unus inter ceteros eſt; ſi accuſatus, & evocatus ſit, ut audiat Eccleſiam juxta Legem Evangelicam allegatam, cui Legi ſubjectus eſt, & ipſe renuit contumaciter Eccleſiam convocare. Alius caſus eſt, ubi materiæ grandes concernentes regimen Eccleſiæ veniunt terminandæ per Concilium Generale, & Papa renuit contumaciter illud convocare. Alius, ſi jam dictatum ſit per Generale Concilium, quod debeat tali vel tali tempore convocari. Alter caſus de contendentia plurium de Papatu.

X.

Eccleſia ſeu Generale Concilium, ſi viam aliquam concluſerit, ſeu dictavit acceptandam eſſe à Papa pro terminatione ſchiſmatis, ipſe tenetur illam acceptare, & ita ſecundum præparationem animi tenetur ad ceſſionem: & dum ultrò offert eam, & prævenit ipſe, redditur multipliciter commendandus.

XI.

Eccleſia, ſeu Concilium Generale, præcipuè debet intendere ad proſecutionem unionis perfectæ ad extirpationem errorum, & emendationem errantium, ſine perſonarum acceptione. Similiter ad hoc quod Hierarchicus Ordo Eccleſiaſticus Prælatorum Curatorum multipliciter turbatus, reformetur ad ſimilitudinem Cœleſtis Hierarchiæ, & conformiter ad regulas primitùs inſtitutas.

XII.

Eccleſia non habet efficacius medium ad generalem ſui ipſius Reformationem, quàm ſi ſtatuatur Generalium Conciliorum continuatio; Celebrationem Provincialium non obmittendo.

SER-

Digitized by Google

SERMO
JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

Habitus die XXI. Julii Anno 1415.

SUPER

PROCESSIONIBUS
FACIENDIS
PRO VIAGIO
REGIS ROMANORUM
AD
PETRUM DE LUNA,
In sacro Generali Concilio
CONSTANTIENSI.

Collat. ad MSS. Cod. Victor. 180 *&* 698. *Colbert.* 99. *&* 5972. *& Navarr. unum.*

ARGUMENTUM.

Cùm Joannes XXIII. in Sessione 12. Concilii Constantiensis habita die 29. Martii Anno 1415. fuisset depositus & Gregorius XII. per Carolum de Malatestis in Sessione 14. habita, die 4. Julii Pontificatui renuntiasset, unus restabat inter contendentes Petrus de Luna, dictus Benedictus XIII. qui in Ferdinandi Aragoniæ Regis ditionem confugerat, & qui Papatui cedere præfractè nolebat. Ad hunc dimovendum à proposito aut saltem ad compellendum Aragoniæ Regem, ut, pro bono pacis, hunc ad cessionem cogeret: Sigismundus Imperator qui Concilio Constantiensi aderat; non dedignatus ipse in Aragoniam proficisci ad rem cum Rege Aragoniæ transigendam. In Sessione 17. Concilii Generalis habita die 15. Julii Concilium pro Imperatoris itinere solemnes preces indixit, & die 21. Julii habita est in solemnibus supplicationibus hæc Oratio à Gersonio pro ejus prospero itinere. In eo Scriptor quæ à Concilio huc usque ad extinguendum schisma gesta fuerant & extirpationem hæreseos ac morum reformationem exponit, nec non Authoritatem Concilii supra Papam in iis quæ ad Fidem & morum reformationem pertinent commendat.

PROSPERUM *iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Ita loquitur Propheta *Psal.* LXVII. 20. Cujus initium est. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus,* &c. Fiat ita, quæsumus. *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum,* auxiliante Te Beatissima Virgine, in qua sicut apud sanctitatem gloriarum, est omnis gratia viæ & veritatis, quam imploremus & salutemus dicentes, *Ave Maria,* &c.

PROSPERUM *iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.* Ita fieri credimus, & speramus: O Domine Deus salutarium nostrorum. Nec mirandum, si speramus & credimus, quoniam te donante adsumus. Ecce Ordinationi sanctissimæ nuper factæ, quam inspirasti, fit Conventus iste celeberrimus & devotus ad orandum, & deprecandum faciem tuam plenam gratiarum & dicendum: *Domine salvum fac Regem*: Ps. XIX. 10. iterque suum in salutis tuæ prosperitate dispone. Sed quare nobis prosperum iter fieri petimus Viri Patres & Fratres Reverendissimi, sapientes, illustres atque doctissimi, & in omnium virtutum decore præclari? Nobis, inquam, prosperum iter quo pacto fieri petimus, qui loco manemus, nec moveri quoquam extra disponimus? Sed profectò videmur iter agere, dùm facit iter nobis, hoc est ad utilitatem nostram, ad obsequium nostrum, ad universalem Ecclesiæ pacem Serenissimus Romanorum Rex Protector ejusdem Ecclesiæ fidelissimus. Prosperum sit iter suum, suppliciter & salubriter imploremus, quoniam in prosperitate sua salus nostra reponitur. Ita enim prosperum facies iter nobis, *O Deus salutarium nostrorum,* si pedes ejusdem Regis nostri in viam pacis direxeris, si concesseris eum redire cum exultatione, portantem uberes unionis perfectæ manipulos. Sic enim fas habebit ex sententia dicere cum Abrahæ servo, quòd prosperum feceris iter suum, quòd prætereà fueris secum in omnibus ad quæ perrexit. Ambulet igitur ipse Rex via regia per arma justitiæ, à dextris & à sinistris: te duce & te comite qui es via, veritas & vita: te dicente ad eum: *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos,* Ps. XXXI. 8. Mandes Deus Angelis tuis, ut custodiant eum in omnibus viis suis, portent eum in manibus tuæ protectionis, ut non offendat ad lapidem cujuslibet obstaculi, vel obdurationis partis adversæ pedem suum, zelum suum. Sic enim prosperum iter facies, nedum sibi, sed nobis, & hoc ad utilitatem nostram tu *Deus salutarium nostrorum.* Potuerat sermo noster prolixius extendi, qui devotas pro Regis itinere prosperò fundendas orationes commonefaceret atque suaderet: sed inspicio vestrum devotionis ardorem, qui, ut continuet, vel in majorem desideriorum flammam erumpat, non eget flatu verborum meorum exiguo, per se enim satis in meditatione vestra exardescit ignis piorum sanctorumque desideriorum, ut jugiter levatis sursùm cordibus, ut tractis ex imo pectoris suspiriis atque gemitibus, dicat unusquisque apud semetipsum: *Prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum;* faciet pro faciat, nam & apud Hebræos (ut Nicolaus de Lyra dicit) futurum indicativi pro optativo solet poni. Divertat nunc paululum, & pergat ad alia, non aliena sermo noster. Ecce quòd offertur in ipsa meditatione mea iter quoddam non terrestre, quod agitur pedibus corporis, sed spirituale & cœleste iter æternitatis, quod peragratur pedibus mentis, qui sunt cognitio, pes sinister in intellectu, & volitio pes dexter in affectu. Hoc iter quale est si quis interrogaverit? respondeat Propheta id esse viam Mandatorum Dei, quam nedum ambulasse, sed cucurrisse gloriabatur ipse cum ait: *Viam Mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum,* Psal. CXVIII. 32. Et rursùs: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis,* Ibidem. XIV. 10. Et talia sunt in hanc sententiam absque numero. Etenim tu qui peregrinaris hic *à Domino,* si pergendo *vis ad vitam ingredi, serva Mandata,* Matth. XIX. 17. Hæc est enim via regia, hoc iter prosperum, hæc compendiosa semita, quæ ducit ad vitam. At verò videre mihi videor consequenter in ipsa meditatione mea collectum esse Sacro sanctum præsens Concilium, ut viam istam præparet & dirigat; ut prosperum hoc iter nostrum faciat, concedente Deo salutarium nostrorum. Nam *væ mundo à scandalis.* Matth. XVIII. 7. Væ hostilibus insidiis, super quibus est illa Philsophiæ conquestio. *In via hac qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi.* Psal. CXXXIX. 6. Et rursùs. *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Ibidem. Quis autem omnia juxta iter Mandatorum Dei posita superborum dæmonum, carnis, & mundi scandala dinumeret? Quis omnes laqueorum nodos, artes, & modos agnoscat? quis non cum Antonio pavescens exclamaverit: *Hos Domine laqueos omnes, hæc scandalorum retia quis evadet*? Atqui benedictus Deus salutarium nostrorum, qui prosperum nobis fecit iter spirituale Mandatorum suorum, dùm voluntatem fa u- temque contulit conveniendi Seniores in unum; con- vocandi

vocandi Cœtum, congregandi Ecclesiam, ut viderent quid facto opus esset ad tollendum tot scandala posita in viis Sion, ita ut lugerent, eo quòd non esset qui veniret ad Solemnitatem. Hinc offendebat scandalum schismaticæ divisionis. Hinc scandalum multiplex hæreticæ pravitatis. Hinc multiplicata super numerum scandala, offensiones, & retia cujuslibet vitiositatis. Obsidebat præcipuè hoc iter spirituale, monstrum horrendum, ingens, mole potens, in superbia & filia ejus improbissima dira dominandi libido. Prohibebant toto malignitatis spiritu & astu, ne celebraretur Generale Concilium quod efficacissimum erat & penè unicum adversùs hæc omnia scandala remedium. Exultet verò nunc omnis fidelium turba, nunc magnificè gratias referat Deo salutarium nostrorum, qui prosperum fecit iter Mandatorum suorum, dùm contulit celebrari Sacro sanctum hoc generale Concilium sufficiens ad schismatum sedationem, ad hæresum extirpationem, & ad morum reformationem. Et hoc ex paucis in hoc eodem practicatis Concilio, non tàm declarare, quàm summatim narrare, vel annotare curabo. Non accurato quidem, sed doctrinali quotidianoque sermone. Satis erit ita loqui, ut intelligar. Considerans itaque mentalibus oculis præsens generale Concilium & Acta ejus, invenio quòd ipsum ab itinere spirituali removit primò quadruplex scandalum obstans schismatis sedationi. Removit aliud quadruplex scandalum, nocens hæresum extirpationi. Removit alterum quadruplex contrarians morum reformationi, & ita contrarians, ut jam non esset prosperum, sed infaustum, iter pacis, Fidei, & virtutis. Conformiter ad hanc triplicem quaternitatem scandalorum numeremus XII. Conclusiones, Regulas aut Leges, quæ in hoc Concilio vel explicitè vel implicitè stabilitæ sunt, quasi totidem directiones salutares, per quas prosperum iter fecit nobis Deus salutarium nostrorum, ut in hoc itinere sit unitas ratione primi; sit veritas ratione secundi; sit bonitas respectu tertii. Sit insuper modus, species, & ordo; sit denique mensura, numerus & pondus: conformiter ad Potentiam, Sapientiam & Bonitatem Patris & Filii & Spiritus sancti. Hoc modo prosperum iter fecit nobis Deus, scilicet ut sit iter planum, iter lucidum, iter pulchrum, dum justitia ponit in via gressus suos, dum vestigia sua relinquit impressa, quasi certa totidem signa, ne oberremus vel exorbitemus, nobis data.

PARS PRIMA PRINCIPALIS

Lex prima in via Pacis.

ASSIGNATUR pro prima parte, quæ est de via pacis, prima lex sive directio liberans iter nostrum à primo scandalo, quæ data est in Sessione publica quinto Aprilis Anni præsentis. *Concilium Generale potestatem à Christo immediatè habet, cui quilibet cujuscunque status, vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem & extirpationem schismatis, ac generalem Reformationem Ecclesiæ Dei in Capite & in membris.* Conscribenda prorsùs esse mihi videretur in eminentioribus locis, vel insculpenda per omnes Ecclesias saluberrima hæc Determinatio, Lex, vel Regula, tanquam directio fundamentalis, & velut infallibilis, adversùs monstruosum horrendumque offendiculum quod hactenùs positum erat per multos de Ecclesia in itinere Mandatorum Dei, determinantes ex textibus Glossæ, non ad Regulam Evangelicam & æternam acceptis, Papam non esse subjectum Generali Concilio, neque judicari posse per ipsum: quòd prætereà Generale Concilium totum ab ipso robur immediatè sumebat; nec poterat sine eo, casu quocumque, vel convocari vel stabiliri: quòd nemo poterat ei dicere, cur ita facis? quoniam solutus erat Legibus & supra Jus. Et ita de plurimis per quæ blanda, fallax & subdola adulatio fovebat libidinem dominandi, & in tyrannidem Ecclesiæ destructricem Papatum, seu ejus usum, convertebat, ita ut non pateret via reductionis seu pacis. Scripsit super hoc errore vel scandalo Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis Præceptor meus inclytus dudùm, & nuper antequam fieret hæc Constitutio; reputans esse perniciosissimum sic asserere, sicut & de multis dictis per quosdam innitentes suis Juribus positivis, annotavit. Nunc ex quo Lex posita est, nec jam licet dubitare, probationes omittamus. Sola hæc probatio sufficeret: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, Matth. XVIII. 17.

SECUNDA DIRECTIO

sive Lex salutaris.

CONCILIUM *Generale potest eum quem reputat Summum Pontificem, nedum consultivè inducere, sed autoritativè compellere ad offerendum viam cessionis, vel ad cedendum Papatui, etiam sine culpa sua, licet non sine causa: qualis causa multiplex esse potest, quemadmodùm in publicis Sermonibus tactum fuit in hoc Concilio.* Hæc Lex per hoc Sacrum Concilium determinativè statuta est, & in Papa Joanne XXIII. practicata; quia viam cessionis urgente Concilio, primùm obtulit, deinde cessit. Tollitur ex hoc scandalum dicentium viam cessionis practicari non posse, invitis contendentibus de Papatu. Tollitur denique collusio seu tergiversatio volentium invito Generali Concilio, vel Ecclesia perniciosè Papatum detinere, nunc aut quomodolibet in futurum. Etenim si potest Summus Pontifex dare Libellum repudii Ecclesiæ sponsæ Chrsti, sicut egit Cœlestinus & laudatur, cur non viceversa poterit sponsa Christi repudiare, non dicam sponsum suum, sed sponsi Vicarium, præsertim ubi subest vel culpa vel causa?

TERTIA DIRECTIO.

CONCILIUM *Generale sic est supra Papam, quòd ejus Bullas & Processus vel Ordinationes & Statuta potest irritare vel annullare. Potest insuper translationem Curiæ Romanæ à loco Concilii impedire; compellere rursùs Papam stare cum Concilio, & ita de similibus.* Hoc determinatum est in publica Sessione & multipliciter practicatum. Tollitur per hoc scandalum, quo per indirectum quæreretur nunc aut aliàs dissipari Generale Concilium.

QUARTA DIRECTIO.

CONCILIUM *Generale sic est super omnes Leges positivas, vel à Summis Pontificibus, vel à Generalibus Conciliis editas, quòd eas potest interpretari, mutare vel tollere, pro quanto viderentur impedimentum, vel scandalum esse, ad iter Ecclesiasticæ unionis.* Hoc practicavit præsens Concilium, tollendo pœnas omnes & inhibitiones, &c. Suspendendo insuper futuram Summi Pontificis electionem. Recipiendo denique ad cautelam, & humili quadam condescensione, prætensam confirmationem Concilii à Domino Papa cum multis similibus, quæ & qualia Jurium positivorum rigor non admittit.

PARS SECUNDA PRINCIPALIS

De Via Veritatis.

EXPOSUIMUS in hac parte prima quatuor scandalorum genera, quibus obsistit præsens Concilium, ut prosperum iter faceret nobis Deus salutarium nostrorum, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, & ad sedationem schismaticæ divisionis. Transeamus pro secunda parte ad destructionem alterius quadruplicis scandali, quo videbatur impediri declaratio veritatis, & hæreticæ pravitatis destructio.

Prima

Digitized by Google

PRIMA DIRECTIO
SALUTARIS
In Via Catholicæ veritatis.

CONCILIUM Generale potest & debet circa omnem personam, cujuscunque præeminentiæ vel status existat, absque favore, vel timore, vel personarum acceptione, judicium in causa hæresis exercere. Patet ex tenore Commissionis datæ Reverendissimis Patribus Dominis quatuor Cardinalibus, & aliis de qualibet Natione. Hoc insuper practicatum est circa inquisitionem factam de Papa Joanne XXIII. & circa Joannem Hus, qui quamvis esset status parvi, habuit tamen fautores plurimos fortes, acres, & potentes. Hoc autem est prosperum & efficax iter ad extirpationem errorum, dùm nullis parcitur; sed constanter proceditur ad emendationem, vel si corrigi noluerint, ad punitionem & exterminationem errantium. Alioquin non satis destruuntur errores, si permittuntur liberi & impuniti patentes & notorii, verbis aut factis, hæresum defensores; si prætereà Prædicatoribus Catholicæ veritatis non subest plena libertas elucidandi Legem sanctam. Tollitur ex hoc à præsenti Concilio dictum Philosophi illius, qui Leges comparabat telis aranearum, eò quod debiliores muscas retinent, transmittunt fortiores.

SECUNDA DIRECTIO.

CONCILIUM Generale potest & debet assertiones hæreticas, & erroneas in Fide & moribus, quæ fuerunt & sunt in scandalum publicum, diligenter examinare, reprobare, & damnare, etiam non facto prius, vel simul processu adversus assertores. Hoc pluries practicatum est in hoc Concilio, ut de Assertionibus, quòd communicandi erant laïci sub utraque specie: & de ista Assertione: *quilibet Christianus potest & debet &c.* Denique tàm rationes, quàm similitudines manifestæ, & exempla Sanctorum probant idem, ut de falso numismate, & famoso libello. Tollitur ex hoc scandalum, vel tolli debet, eorum qui pro uno accessorio quod in facto consistit, elucidationem veritatis vel impediunt, vel procrastinat; hoc autem procrastinare, quid nisi impedire est?

TERTIA DIRECTIO.

CONCILIUM Generale potest damnare Propositiones multas cum suis Autoribus, licet habere Glossas aliquas, vel expositiones, vel sensus logicales veros possint. Hoc practicatum est in hoc Concilio de multis Articulis & Wicleff, & Joannis Hus, quorum aliqui poterant vel de vi Logicæ vel Grammaticæ defensionem aliquam recipere, ut in Articulis, qui sunt indiffinitè traditi, vel qui loquuntur de possibilitate, prout posse Logicum est latum nimis, vel qui possent ad aliquem sensum verum trahi, si seorsùm ponerentur. Sed Concilium hoc solerter attendit, primò quia juxta Hilarium, *intelligentia dictorum, ex causis est assumenda dicendi.* Iterum illud Augustini: *Liberis verbis utuntur Philosophi, & in rebus ad intelligendum difficillimis offensionem piarum aurium non pertimescunt. Nobis autem*, scilicet Theologis, *ad certam regulam loqui fas est.* Illud denique vulgatum, fundatum in Aristotele quòd *Sermones accipiendi sunt secundùm materiam subjectam*, unde moralis scientia. Similiter Theologia suam propriam habet Logicam, & sensum literalem, aliter quàm speculativæ Scientiæ. Hæc directio vel Lex præservavit hactenùs præclaram Universitatem Parisiensem à pluribus erroribus, dùm Scholasticos suos semper ad certam regulam Fidei loqui jussit & compulit. Utinam in aliis Studiis hæc disciplina similiter teneatur. Mala libertas est, malè & erroneè loqui posse.

QUARTA DIRECTIO.

CONCILIUM Generale potest, & debet damnare Propositiones multas, vel assertiones hujusmodi, quamvis non possent ex solo & nudo textu expresso sacræ Scripturæ patenter reprobari, seclusis expositionibus Doctorum, vel usu celebri Ecclesiæ, & ceteris. Hoc practicatum est in hoc Concilio in multis Assertionibus Joannis Wicleff, & Joannis Hus, immò & de ista, quòd est communicandum per laïcos sub utraque specie panis & vini. Hæc Directio vel Lex prosperum facit iter ad hæresum & hæreticorum exterminationem; quoniam hæretici quos vidimus, defensionem suam ut plurimùm accipiunt, quia nolunt hæreses absolutè revocare, sed tantùm conditionaliter, si videlicet ex rigore Textus sacræ Scripturæ convincantur errare, dicentes, quòd expositiones Doctorum, Decreta, Decretales sint apocryphæ, neque de illis curandum est. Hæc autem præsumptio quam latè pateat ad errores, nemo non intelligit.

TERTIA PARS
PRINCIPALIS
De Via morum vel virtutum.

DECLARATIS vel narratis scandalis quatuor obviantibus errorum extirpationi, loquamur pro tertia & ultima parte aliquid de remotione totidem scandalorum obstantium morum reformationi in capite & in membris, narrando quadruplicem Legem vel Directionem practicatam in hoc Concilio, ut prosperum iter faceret nobis Deus salutarium nostrorum.

PRIMA DIRECTIO
SALUTARIS
In Via morum & virtutis.

CONCILIUM Generale sic est supra Papam & alium quemlibet de Ecclesiâ, quòd ipsum Papam potest deponere pro quocunque crimine, de quo notoriè & incorrigibiliter scandalizat Ecclesiam. Hoc est practicatum dudùm de Papa Joanne XII. & nunc de Joanne XXIII. In cujus dejectione non inseritur quòd fuerit hæreticus, vel à Fide devius. Et si ita actum est de cedro Libani, quare non timebit humilis herba deserti? Accusatus inter cetera fuit, & convictus, quòd fuerat notoriè simoniacus. Ex quo confunditur illa quorundam temeritas qui Papam in collatione Beneficiorum non posse committere simoniam, vel disputabant, vel definiebant.

SECUNDA DIRECTIO.

CONCILIUM Generale quamvis non possit nec debeat plenitudinem potestatis Papalis commissam à Christo, Petro & successoribus ejus, tollere vel minuere, sed de ea gratias agere Deo qui contulit, eamque revereri debeat & amplecti: potest nihilominus usum potestatis illius certis Legibus & Statutis limitare in ædificationem Ecclesiæ. Hoc practicavit præsens Concilium, tùm in multis, tùm specialiter in hoc, quòd Legem præfixit in eligendo Papam futurum, & suis electoribus; quod Reverendissimum Patrem Dominum Angelum Corario, ob laudabilitatem suæ cessionis spontaneæ, nullus Papa futurus posset à collatis Cardinalatu, & potestate Legati per hoc Concilium deponere, nec eum super præteritis quibuscumque factis quomodolibet impetere vel punire. Jure quidem & indulgenti condescensione hoc factum est, ut exemplum posteris detur ultro cedendi, dum illud efflagitat Ecclesiæ vel pia utilitas vel urgens necessitas. Expedit autem nunc ante Summi Pontificis electionem ita fieri circa multa generalem statum Ecclesiæ concernentia, in

in quibus summi Pontifices usum plenitudinis suæ potestatis passim nimis verterunt in abusum: ut quia noluerunt Generalia celebrare Concilia, nec inferioribus Prælatis ordinaria Jura relinquere; quòdque in Statutis Generalium Conciliorum, nunc cassando ea, nunc A mutando, nunc ad libitum interpretando, nunc Privilegia & exceptiones largiendo, palam & absque manifesta ratione vel utilitate deviarunt. Unde sicut in usu Dispensationum; concessione Privilegiorum; innovatione Decretalium non expedit usum potestatis Papalis sic restringi, ut in omni casu tali fiat ad Concilium Generale recursus, propter difficultatem & raritatem suæ convocationis, qualis non erat in primitiva Ecclesia, quando communi consensu, dicente Hieronymo, fiebant omnia: sic non expedit talem laxationem fieri, quæ vim & robur Generalium Conciliorum in suis Constitutionibus passim tollat & enervet. Considerari posset in hoc loco Aristotelis traditio de triplici Politia, Regali scilicet & Monarchica, in qua unus benè præest, cui Tyrannis oponitur. Altera est Aristocratia, ubi dominantur pauci & boni, cui opponitur Oligarchia. Tertiam ponit Timocratiam, in qua populus benè dominatur, quæ oppositam habet Democratiam. Esset autem inter istas Politias illa melior quàm aliqua singularis, quæ ex Regali & Aristocratia componeretur, ut in Regno Franciæ, ubi Rex instituit Parlamentum, à quo judicari non refugit. Esset verò omnium optima & saluberrima Politia, quæ triplicem hanc bonam complecteretur, Regalem, Aristocratiam & Timocratiam. Est autem Generale Concilium Politia talis composita, habens suam directionem magis ex assistentia speciali Spiritus sancti, & promissione Jesu Christi, quàm ex natura, vel ex humana sola industria. Hinc est illud quod prædiximus, quòd ipsum est saluberrima & efficacissima regula ad regimen totius Ecclesiæ tranquillum vel conservandum vel reformandum vel inveniendum, tanquam supremus & sufficiens Legislator universalis & potens Epikeies: præterea legitimus & securus, nec suspectus rationabiliter ab aliquibus Christianis: cum procedat omnium, vel quasi omnium communi consensu vel assensu. Quid autem est Generale Concilium? Aliàs descriptum est, & repeto: *Concilium Generale est Congregatio, legitimâ Autoritate facta ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico totius Ecclesiæ Catholicæ, nullâ fideli personâ, quæ audiri requirat, exclusâ, ad salubriter tractandum & ordinandum ea quæ debitum regimen ejusdem Ecclesiæ in Fide & moribus respiciunt.* Deduci posset ex hac descriptione cum præcedentibus, qualiter plenitudo potestatis Papalis collata est à Christo in his quæ supra naturam sunt. In aliis etiam, quæ Leges Naturalis, Canonica & Civilis sibi tribuunt ut Monarchæ supremo, stat & concordatur cum potestate Concilii, quæ dicta est, quoniam in Concilio Papalis potestas includitur, quamvis aliter sit hæc potestas in Papa, aliter in Concilio: sicut aliter claves Petro traditæ sunt, aliter Ecclesiæ. Unde Concilium in multis quæ Papam respiciunt, habet Autoritatem conciliativam & dictativam; Papa exercitativam & executivam. Non enim posset Concilium per seipsum, vel absolvere in Foro conscientiæ, vel Presbyteros ordinare, vel Corpus Christi conficere, vel debellare manu armatâ infideles, & ita de multis; sed ad ipsum spectat circa hæc hujusmodi consulere vel dictare, cujus dictamini qui repugnat, contumaciter repugnat Spiritui sancto, cujus est ipsum Concilium in dictando vel consulendo dirigere. Exemplum in homine, ubi ratio potestatem habet dictativam & conciliativam, voluntas exercitium & executionem.

TERTIA DIRECTIO.

CONCILIUM Generale potest de dissentionibus & guerris inter Principes Christianos sævientes in perniciem totius Christianitatis, & perditionis hominum in anima & corpore, Autoritate legitimâ cognoscere, prohibendo eis vias facti, & ad suscipiendum vias Juris & rationis, per Censuras Ecclesiasticas compellendo. Hoc practicare proposuit serenissimus Rex Romanorum semper Augustus, A qui priusquam recederet ab hoc Concilio ad locum Conventionis cum Rege Aragonum, & Petro de Luna, Orationem ad Deputatos habuit omni religiosâ pietate & verâ Christianâ Religione plenissimam, quam his auribus, non sine pia compunctione, lætus audivi. Narravit illic propositum suum esse tendere, post sedationem Schismatis, ad pacificationem Regum Franciæ & Angliæ, maximè per Autoritatem hujus Concilii. Narravit de pacificatione Regis Poloniæ cum Prutenis. Dehinc de Passagio Jerosolymitano. Et eo tunc prædictæ pacificationis Regis Poloniæ, &c. fundamentum seu regulam procuravit, inducendo quamlibet partium, ut se Generali Concilio, suæque Definitioni prorsùs submitterent, cujus Autoritati ipsemet Rex, quemadmodùm tunc & pluries antea sub attestatione Divini Nominis protestatus est, debebat & volebat esse subjectus, & hoc in speculum & exemplar B æternum cujuslibet Principis Catholici temporalis.

QUARTA DIRECTIO.

CONCILIUM Generale potest & debet constituere crebriorem Generalium Conciliorum celebrationem, quam retroactis temporibus fuerint celebrata, ut de decennio in decennium, præfixa futuris Summis Pontificibus ista Lege, quam transgredi non liceat. Fundatur in præmissis hæc consideratio, & per argumentum ex oppositis: quoniam si tot & tam enormia discrimina provenerunt Ecclesiæ Dei, dum cessatum est à Conciliis Generalibus; quanta demùm erit salutaris utilitas ex frequentiori celebratione, perspicuum est. Quis itaque nesciat quòd inde Superiorum peccata minus vigebunt, dùm minorem sibi sentient esse peccandi licentiam, vel impunitatis spem, dùm scilicet reddituros se rationem coram Judice suo, Generali Concilio, prospicient. Sunt C quippe nonnulli, qui etsi Deum non timent, homines tamen reverentur. Denique si non sit assiduè Lex viva dirigens, regens & actuans Leges mortuas ad effectum, ipsæ non satis proficiunt; unde & Philosophus tradere satagens medium virtutis, non potuit illud efficacius invenire, quam ut diceret: *Prout sapiens judicabit.*

Potuerant ex præmissis omnibus velut ex fundamentalibus quibusdam regulis, directionibus & signis in via Mandatorum Dei Leges elici particulariores, ad tollendum scandala impedientia prosperum iter pacis, Fidei & virtutis, ad sedationem schismatum quoad primum; ad extirpationem errorum quoad secundum; & ad reformationem morum quoad tertium: sed neque tempus neque locus sufficiunt; quia tetigerunt insuper multa ex eis prudentes & studiosi suis in scriptis: quia rursùs debent hujusmodi Leges & Constitutiones particulares magis per mutuam collationem omnium de Concilio agitari, tractari, & definiri, juxta Regionum aut Patriarum varietatem; quia deni- D que Decreta & Decretales viderentur abundanter sufficere, si per Legem vivam fieret efficax executio; alioquin multiplicatio Constitutionum hujusmodi, etiam pœnalium, quandòque plus onerat & aggravat, quàm sublevet aut proficiat. Faciamus tandem in oratione finem verbis, ut ω revocetur ad α. & dicamus obsecrantes: *Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum*; iter nedum terrestre sed spirituale & cœleste; iter æternitatis ad Deum salutarium nostrorum, qui est Deus benedictus in secula. Amen.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Pariensis,

SERMO
IN FESTO
PURIFICATIONIS
BEATISSIMÆ MARIÆ
Habitus in

CONCILIO CONSTANTIENSI

Post irritationem à Cardinalibus factam Sententiæ Episcopi Parisiensis contra Joannem Parvum, quæ lata est die 15. Januarii 1415.

Nihil habet peculiare, nisi quòd spectat ad Jus Episcoporum in definiendis Fidei controversiis.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 137. *& Colbert.* 99.

SUSCEPIMUS *Deus misericordiam tuam in medio Templi tui.* Pf.XLVII. 10. Scriptum est,& in Introitu Missæ præsentis jocundissimæ Solemnitatis celebriter decantatum. Quoniam *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui. Adimus cum fiducia thronum gratiæ tuæ, ut misericordiam inveniamus & gratiam in auxilio opportuno.* Hebr. 4. 16. Adimus & te benedictissima Virgo,quæ Mater es gratiæ,Mater & Regina misericordiæ, quæ dudùm Misericordiam incarnatam suscepisti in medio virginalis uteri tui, dum *Domus pudici pectoris Templum repente fit Dei*, quam hodiè te præsentante suscepimus corporaliter & quotidie suscipimus sacramentaliter in medio Templi materialis. Suscipiamus utinam hanc ipsam Misericordiam spiritualiter & invisibiliter in medio templi cordis nostri, quod est anima nostra. *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*,inquit Apostolus. 1. *Cor.* III. 17. Fiat hoc nobis te pro nobis Misericordiam exorante, Virgo misericordissima, quam ideò salutamus implorantes & dicentes: *Ave gratia plena.*

SUSCEPIMUS *Deus* &c. Ecce quod apertis Fidei oculis in lumine veritatis Evangelicæ conspiciendum nobis offertur gratum, & grande spectaculum. Offertur pulcherrima, sanctissimaque Processio, dùm de Bethlehem, ubi natus, ubi circumcisus, ubi adoratus fuerat Jesus, *Expectatio Gentium: desiderium collium æternorum*; Gen. XLIX. 10. 26. Misericordia & salus nostra, advenit gloriosa Mater sua comitata viro suo Justo Joseph, cui Virgo virgini matrimonialiter,non carnaliter juncta erat; advenit ad Templum sanctum Jerusalem, distans à Bethlehem per duas circiter leucas, seu quatuor milliaria parva. Bajulabat eadem decora Virgo tenero lætoque complexu puerum suum Jesum, tanquàm signaculum super cor suum, & quasi signum super brachium suum, dicens ex sententia: Cant: II. 16. *Dilectus meus mihi & ego illi. Inter ubera mea commorabitur.* Cant: I. 12. & II. 16. *Talis est dilectus meus ò filiæ Jerusalem,pulcher & decorus: & ipse totus desiderabilis.*Cant: v. 16. Advenit & ipse Simeon senex, *justus & timoratus*, Luc. II. 25. & ideò beatus quia timoratus, nam *Beatus vir, qui semper est pavidus.* Prov. XXVIII. 14. Advenit, eadem hora in Spiritu ad Templum, ubi erat mulier illa fortis & annosa,*quæ non recedebat de Templo jejuniis & obsecrationibus serviens die ac nocte*, *Anna* scilicet *Prophetissa,filia Phanuël de tribu Aser.*Luc. II. 36. 37. Convenerunt non dubium & alii multi juvenes & virgines, senes cum junioribus, dùm adveniret *ad Templum sanctum Dominator Dominus*, quem quærebat Ecclesia, & Salvator ipse, quem volebat, *speciosus formâ præ filiis hominum.* Pf. XLIV. 3. *desideratus cunctis gentibus.* Agg. II. 8. *Nobis natus nobis datus, ex intacta Virgine*, quem Propheta suspirabundus optabat dicens: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.* Pf. LXXXIV. 8. *Deus meus*, inquit, *misericordia mea.* Pf. LVIII. 18. Et rursùs: *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Pf. XXXIV. 3. Exulta nunc, & exhilaresce, tu qui perieras, miserande homo; exulta satis, jocundare, jubila, & gratias age; ecce nedum ostenditur, sed offertur tibi ille qui est Misericordia tua, & salus tua, Jesus benedictus; nam quid *Jesus* nisi salus, cujus interpretatio est Salvator. Hoc sentiens, & gratè rememorans omnis Ecclesia Sanctorum, congratulatur & congaudet ad oblationem tanti doni, concinens & dicens: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui.* Desiderabat itaque peccator & reus homo non sapientiam accusantem, non justitiam condemnantem, non potentiam punientem, sed Misericordiam indulgentem & salvantem. Hominem nimirùm sub peccato venundatum, & per inobedientiam criminis læsæ majestatis reum & miserum evocabat & accusabat sapientia. *Adam ubi es?* Gen. III. 9. Et non inveniebatur excusandi, vel latendi locus, dùm ait: *Quis tibi nunciavit, quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes, comedisti?* Gen. III. 11. Hinc Job trepidus dicebat: Job IX. 3. *Si voluerit mecum in judicio contendere: non potero respondere unum pro mille.* Et Psal. CXLII. 2. *Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Non onero me libenter allegotionum quotationibus, ubi nihil est ambiguum, vel probandum. Porrò Justitia sic accusatum condemnabat, ita ut non esset locus appellationi. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno vitæ, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra.* &c. Gen. III. 17. Hoc attendens Job dicebat: *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Job IX. 28. Hominem sic denique accusatum per Sapientiam, sic damnatum per Justitiam, flagellabat, & Sententiam executioni demandabat Potentia, nec erat locus evasionis. Ejecit quippè Adam, & collocavit antè Paradisum voluptatis Cherubin, & flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Hinc Pf. XXXVIII. 12. *A fortitudine manus tuæ ego defeci.* Et Job: X. 7. *Non est qui de manu tua possit eruere*, &c. Non ergo petebamus Sapientiam, cui respondere nesciebamus; non Justitiam,cujus damnationem evadere non poteramus, neque Potentiam, cujus punitionem & iram ferre nemo poterat, neque in cœlo, neque in Paradiso, neque in mundo: patuit in Lucifero, in Adam, in Diluvio, in submersione Pentapolis in momento. Sed Misericordiam quærebamus indulgentem,quam hodiè *suscepimus*,ò benignissime Deus *in medio Templi tui.* Advenerat priùs in medio templi virginalis uteri, quo nullus in terris sanctior locus erat secundùm Augustinum dùm respondit Maria: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. I. 38. sed sibi soli, & virginali sponso suo Joseph, cui revelatio facta fuerat tàm ab Angelo, quàm à Maria, notum erat. Apparuerat in die Nativitatis, sed paucis, scilicet pastoribus. Innotuerat in die Epiphaniæ, sed paucis Regibus, qui venerant ab Oriente; hodiè verò *sicut audivimus, sic vidimus.* Pf. XLVII. 9. dùm *suscepimus misericordiam tuam*, misericordissime Deus, *in medio Templi tui. Gratias tibi Pater misericordiarum & Deus totius consolationis.* II. Cor. I. 3. quia celasti Sapientiam in infantuli ætate, ne accuset; Justitiam in humanitate, ne condemnet; quià pro nobis damnata est; Potentiam in infirmitate, ne sæviat, & cruciet: quibus superatis, datur triumphus Gratiæ, datur & Misericordiæ, ut dominetur & superaxaltet judicium; nam *miserationes ejus super omnia opera ejus.* Pf. CXLIV. Hac indigebamus, hanc optabamus, hanc hodiè *Suscepimus in medio Templi tui*, Deus, dùm verificatum est illud juvenculæ tympanistriæ, S. Mariæ; *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Luc I. 54. Hæc sunt *viscera misericordiæ Dei nostri, quibus visitavit nos oriens ex alto.* Luc. I. 78. Gratias tibi pro excellentia doni, quod est Misericordia, quia *væ etiam laudabili*

vitæ hominum, inquit Augustinus, *si semotâ misericordiâ judicetur*. Gratias & pro congruentia loci, quià in *medio Templi*, quod est locus communitatis, ad quem omnes possunt accedere, & æqualitatis medium est, quod attingere quisque potest. *Sanctum est Templum tuum mirabile in æquitate*, ait Psal. LXIV. 5. Et quid aliud mysticè Templum istud, quàm *Ecclesia Sanctorum*, quàm *Concilium justorum & congregatio*, ubi sunt *magna opera Domini*, *exquisita in omnes voluntates ejus*, &c. Psal. CX. 2. Decantet nunc igitur hæc Ecclesia Sanctorum, hoc Concilium justorum, hæc Congregatio talium, de quibus dicit Apostolus: Ephes. II. 19. 20. *Jam non estis hospites & advenæ*, *sed estis cives Sanctorum*, *& domestici Dei*, *superædificati super fundamentum Apostolorum*, *& Prophetarum*, *ipso summo angulari lapide*, *Christo Jesu*. Sequitur: *In quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum sanctum in Domino*. Decantet & exultet in jubilo cordis sui dicens: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio Templi tui*, Psal. XLVII. 10. & ità planè suscepimus, ut impletum sit quod Propheta prædixerat: *Misericordia Domini plena est terra*; Psal. CXVIII. 64. & iterum: *Confirmata est super nos misericordia ejus*, Psal. CXVI. 2. cum reliquis in hanc sententiam. Dùm hæc in ipsa meditatione mea, quæ nunc loquenda fuerant, priùs ipse mecum revolverem, pergebam sic erumpere in vocem jocunditatis & laudis, in verba consolationis, lætitiæ, ac ædificationis spiritualis, juxtà sensum anagogicum præassumpti thematis nostri. Studebam exprimere, qualem in templo cordis nostri Processionem agere, nos hodie convenit, in qua mysticè fuit Maria, & Joseph, Simeon, & Anna, figurantes quatuor virtutes Cardinales. In qua sint prætereà *lucernæ ardentes in manibus*, per exemplum conversationis luminosæ, & honestæ, in Fide, Spe, & Charitate, quas figurat triplex ignis proprietas, fulgor, scilicet, vigor, & ardor: Fides fulget in vi rationali; Spes roborat in irascibili; Charitas ardet in concupiscibili, quoad tria appropriata Patris, & Filii, & Spiritus sancti. In Patre vigorem, in Filio fulgorem, in Spiritu sancto ardorem concipimus. Decet rursùs offerre *par turturum* mutuæ dilectionis in omni castitate, & *duos pullos columbarum* in sancta fœcunditate bonarum operationum. Adornetur templum cordis nostri flosculis piorum desideriorum, & herbulis virentibus sanctarum meditationum conspergatur. Suscipiamus benedictum puerum Jesum inter ulnas castissimæ devotionis, confiteamur ei cum Anna Prophetissa levantes sursùm corda, & cum justo Simeone depromamus quisque hoc Canticum: *Nunc dimittis servum tuum Domine*, *secundùm verbum tuum in pace*, &c. Luc. II. 29. Ità pergebam meditabundus dictare mecum quæ dicerem vobiscum; tùm ecce studiositas speculatrix astitisse visa est, mihi satis à puero familiaris; hinc à me protinùs cognita est; hæc plurimas inculcare quæstiunculas, & efflagitare responsiones cœpit. Et ubi me attentum videt: dic, inquit, si Maria Legi Purificationis erat obnoxia, quià si sic, peccaverat; si non, fingere videbatur, & opere mentiri, simulans quod non erat. Et cur non hoc tempore mulieres eidem Purificationis Legi subditæ sunt? Dic, si puer Jesus verè *factus est sub Lege*, sicut dicit Apostolus, *Gal.* IV. 4. quià constat secundùm Dominos Juristas, quòd Princeps solutus est Legibus. Dic, cur Simeon dixit de puero Jesu, quòd hic *positus* erat *in ruinam & signum*, *cui contradicetur* Luc. II. 34. qualiter in ruinam positus erat, qui venerat ad salutem? quo pacto positus est in scandalum, quià *væ per quem scandalum venit?* Dic, cur iterùm dixit ad Mariam, *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, *ut revelentur ex multis cordibus cogitationes*, Luc. II. 35. &c. Dic, si ex verbo hoc Maria præcognovit acerbissimam Filii passionem? quòd sic, nonne consequens fuit, ut acerbissimo doloris gladio jam ex tunc foderetur, quæ tamen eum læta cernebat, gestabat, offerebatque, qui se priùs obtulerat Deo Patri in medio virginalis uteri, mox ab instanti Conceptionis suæ benedictæ? Dic, cur non fit Festivitas apud Latinos de ipso Joseph virginali viro Mariæ, nutritio, & gerulo pueri Jesu fidelissimo, cui testimonium dat Evangelica veritas, quòd justus erat, quòd ei Jesus ipse, qui est Deus benedictus (mira res) subditus erat, & ità de plurimis ejus excellentiis, & virtutibus egregiis, quemadmodùm ætate nostra nonnulli conscripserunt. Si gratitudo rependenda est Deo pro conjunctione Ecclesiæ cum novo, & unico Summo Pontifice sponso suo; quæ retributio convenientior, quàm ut de virginali conjugio Joseph & Mariæ

A fiat insignis aliqua celebritas in Ecclesia? Dic undè mos primitùs inolevit, quòd ardentes hodiè feruntur cerei, & candelæ: & si sit hoc favere ritibus Gentilium, Proserpinam quasi perditam cum facibus quærentium? Dic, cur Maria, quæ nuper ditata fuerat ex donis Magorum, non obtulit agnum, quæ divitum erat oblatio? Dic, qua arte, quibus indiciis cognoscere poterat, quòd Anna Propheticum habebat spiritum, ubi grandis est de Prophetiis sermo, & ad interpretandum difficilis? Dic cur Jesus dicitur nedum misericors, sed ipsa misericordia, cùm tamen plurimos deserat in tanta miseria, ita ut plangendum potiùs esse videatur, & dicendum: Suscepimus Deus miseriam & non misericordiam, &c. Dic qualiter stat cum libertate, vel meritis, id quod de misericordia dicit Apostolus, quòd, *non ex operibus*, dic-

B tum est: *Jacob dilexi*, *Esaü autem odio habui*. Rom. IX. 12. 13. Et iterum: *Non est volentis*, *neque currentis*, *sed Dei miserentis*: Ibidem. ℣. 16. Nam si sola misericordia salvat, quid agit arbitrium? quid proficit conatus ejus ad meritum? *Cujus vult*, *miseretur*, *& quem vult indurat*. Ibid. ℣. 18. Dic cur apud Athenienses Templum misericordiæ carebat Simulacro,

——— *nullique inclusa metallo*
Forma Dei, *mentes habitare & pectora gaudet*;

inquit Statius loquens de misericordia.

Multiplicatura magis ac magis videbatur studiositas speculatrix hujusmodi quæstiones, ut de fructibus & utilitatibus misericordiæ, quibus modis conquiritur, quibus etiam ritibus animam purificat verbigenam? qualiter ad ejus Curiam appellatur à Curia Justitiæ, quid in Templo cordis est Altare, quid Atrium, quid

C Sancta Sanctorum, quid Cemiterium, & ità de reliquis, etiam usque ad curiositatem, vel garrulæ loquacitatis vitium: cui dùm morem gerere respondendo pararet animus, accommodè satis ad præsentis celebritatis mysterium (horresco referens) lamentabilis de repentè vox insonuit ex ore Prophetico clamans, & conquerens *Corruit in platea Veritas*, Isai. LIX. 14.

Obstipui visu subito, *gelidusque pererrat*
Ossa tremor.

Nam ô luctuosissimum, ô lugubre spectaculum, videre Veritatem, quæ prævalet, quæ super omnia vincit, prostratam, positamque in ruinam, & in signum, cui contradicitur, *Luc.* II. 34. Hanc sublevare misericordia soror sua nitebatur; ita enim, *Misericordia & Veritas obviaverunt sibi*, Psal. LXXXIV. 12. sed obsistebat, & reclamabat triplex error, velatus cortice Jurium positivorum non rectè intellectorum ad regulam Divini Juris & Catholicæ Veritatis. Error primus abjiciebat Prælatos & Ordinarios, ne sublevarent misericorditer Veritatem. Hoc, inquit, ad

D vestrum nequaquam officium pertinet; majores enim causæ sunt ad solam Apostolicam Sedem referendæ; allegabat Glossas cum concordantiis Decreti. Proclamabat error alter, quòd non poterat sublevari misericorditer Veritas, nisi priùs, vel simul evocaretur, & assisteret aliquis qui prostraverat Veritatem. Subjungebat tertius error, non esse curandum apud Judices Fidei, si Veritas mores respiciens corruisset in plateis, erant enim talia ab eis quæ Fidem respiciunt, aliena. Submurmurabat inter hæc humanus timor; cavete à scandalis, si sublevaveritis Veritatem, cavete, ne casum & factum verum (ex quo tamen Jus oritur) ponatis in medium; alioquin mors imminet: credite, mors. At verò misericordia, ut erat

Digitized by Google

erat tota visceribus affluens pietatis, & zelans super veritate & animarum salute, quam optabat Propheta dicens: *Corripiet me justus in misericordia, & increpabit me.* Psal: CXL. 5. Hoc, inquam, jussit, & obtestata est, quatenus adversus triplicem hunc errorem, pestem improbam, ceteris prætermissis, insurgerem; neque enim aliud opus esse sibi misericordia gratius, vel acceptius affirmabat, quàm ad extirpationem errorum, & emendationem errantium, opportunè, & importunè, vigilanter intendere. Exemplificabat de Martyribus, quos ego, inquit misericordia, taliter affeceram, quos tanto succenderam veritatis zelo, quòd persecutores suos, tortores, tyrannos, & interfectores non desinebant ab erroribus tetris avertere conari, quatenùs ad eos veritas luminosa veniret; sic Petrus & Paulus Neronem; sic Joannes Herodem, & ità de reliquis, misericordissimè dilexerunt, quos tamen apertè culpaverunt; non sinerè enim peccatores ex sententia agere, magnæ misericordiæ indicium est. Vide, oro, quoniam crudelior altera non est impietas, quàm dùm *laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur* Psal. Hebr. 10. 3. dum justificatur impius pro muneribus; dum evenit illa Prophetæ crudelis lamentatio: Thren. II. 14. *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent.* Et heu jam, inquit, misericordia, nedum jam non aperitur iniquitas per Prophetas, Prælatos scilicet, Doctores & Confessores, sed justificatur, sed attollitur, & defenditur, etiam in medio Templi, in præsentia sacrosancti hujus Concilii. Longus essem, si cuncta prosequerer misericordiæ verba, plena gemitûs, plena suspiriis, plena singultibus, lachrymis, atque plangoribus. Ego verò, Reverendissimi Patres, & Viri celeberrimi, insignes, egregii, sapientes & doctissimi, quid dicerem? quid responderem sic pulsatus, sic obtestatus in ipso meditationis meæ secreto per misericordiam condolentem veritati, quæ tam infeliciter, & fœdè corruerat in plateis. Enitebar obsequi misericordiæ, prout æquum erat, sed de proficiendo vix ulla supererat spes mihi, dùm omnia circumquaque revolverem, illud præcipuè, quod omninò apud multos verbum de Fide, & veritate versum est in fabulam, in canticum, & nauseam, obtigitque illud Apostoli de novissimis temporibus: *Sanam*, inquit, *doctrinam non sustinebunt, sed coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* II. ad Timot. IV. 3. Item illud Senecæ. „ Deest remedii locus, dùm quæ fuerant vitia, mores fiunt. „ Et non minùs dùm error veritas reputatur. Quid nobis, inquiunt, de hæresibus vel erroribus? Ecce nos Catholici sumus. Quid eadem jugiter nobis cantilena repetitur? Satis est si credimus, ut parentes nostri simplices, & idiotæ; quid expedit perscrutari profundiùs? Hæc dicuntur, & in his aliqui, etiam magni, gloriantur. Inter hæc urgebat misericordia, dicens: væ tibi si non evangelizaveris; necessitas enim incumbit tibi: necessitas ex professione & talento commisso: necessitas ex legatione: necessitas ex juramento & fidelitate: necessitas ex veritatis periclitatione & Ecclesiastici Ordinis perturbatione: necessitas ex aperta & præcipiti perversione justitiæ: necessitas ex allisione Cathedræ, ubi veritas sedet, quæ Cathedra est præclarissima Universitas Parisiensis, Mater Studiorum. *Væ mihi, quia tacui*, aut quia non celeriùs, potentiùs, crebriùs, & constantiùs memet istis erroribus opposui. Fuerat scio, placentior altera multis materia; sed nulla fortassis utilior, vel ad tempus urgentior; undè si quærerem solùm hominibus placere, si captare famam popularem, si prædicare memetipsum, ambularem nunc fortè in magnis & mirabilibus super me versans, & reversans fines propositos. Sed oportet imitatorem esse illius, qui ait: *Ego Deus docens te utilia.* Isaiæ. XLVIII. 17. non dixit, subtilia. Dicamus igitur cum bona venia, qualiter spectat ad vos Patres Reverendissimos, Dominos Prælatos, super erroribus cognoscere, qualiter errores damnare possitis aliquandò, non damnatis errantibus; qualiter denique teneatur unusquisque vestrûm scire Præcepta Decalogi, & assertiones eis oppositas judicio Fidei reprobare; tandem non oportere trepidare timore, ubi non est timor. Attenti simus obsecro, per misericordiam Domini nostri Jesu Christi, & Pastoralem vestram dignitatem, quoniam vestra res agitur, spectans ad illam quam hodie *suscepimus Misericordiam in medio Templi* Dei. Extulimus aliis Sermonibus Authoritatem Sacri Concilii, & errorem perniciosissimum reprobavimus, quo schisma fovebatur Nunc efferre studeamus ordinare Prælationis Hierarchicam potestatem, & assignemus aliqua Dominis Prælatis pro Veritatis misericordi sublevatione fulcimenta. Et de quatuor ad præsens sufficiet.

Ad Reverendos, & Deo amabiles Episcopos spectat ex Officio Pastorali & statu Hierarchico, qui fundatus est in Jure Divino, cui nullum Jus Canonicum ritè intellectum contradicit, quòd ipsi possunt in suis Diœcesibus errores in Fide, & moribus, palàm erroneos, & scandalosos judicialiter condemnare, & hæreticare, hoc est, hæreticales decernere, & anathematizare; authoritate tamen subordinata ad Sedem Apostolicam, & particulari circa solam plebem suam.

Ad Reverendos & Deo amabiles Episcopos spectat, quòd possint errores quandoque damnare, non evocatis priùs judicialiter quibuslibet errantibus.

Ad Reverendos, & Deo amabiles Episcopos spectat ex obligatione suscepti Pastoralis Officii cognoscere, quòd Præcepta moralia Decalogi, cum hoc quod sunt de Jure naturali, canonico & civili, sunt nihilominùs de Jure divino & de Fide propriè dicta, pro quanto data sunt in Scriptura Sacra per divinam revelationem, & ordinantur ad vitam æternam per operationem eorum ex Fide, Spe & Charitate, & ita sunt assertiones ipsis Præceptis oppositæ, judicio Fidei per eos reprobandæ, &c.

Ad Reverendos & Deo amabiles Episcopos spectat ex debito Pastoralis Officii, habere præparationem animi ad defensionem veritatis Catholicæ, etiam usque ad mortem. Spectat etiam cognoscere cum Gregorio quòd *utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas deseratur.*

Postulemus tandem dictis finem imponentes & in oratione confiteamur Domino postulantes. *Suscipiamus, Deus, misericordiam tuam* hic *in medio templi tui*, per gratiam, & in illo Templo sancto tuo, ubi tua sedes in cœlo per gloriam, te præstante, qui pro nobis oblatus es, *misericors & miserator Dominus, patiens & multum misericors.* Ps. CII. 2. *Cui proprium est misereri semper & parcere Deus benedictus in secula.* Amen.

Digitized by Google

SEQUUNTUR CONCLUSIONES QUÆDAM

Sub quibusdam Articulis,

Ponendæ post finem Sermonis de Purificatione Mariæ Virginis, qui incipit, Suscepimus Deus misericordiam tuam: *& terminatur:* & parcere Deus benedictus in secula. Amen.

SCHEDULA

Faciens pro præmissis.

AD justificationem condemnationis factæ per Episcopum Parisiensem, & Inquisitorem, & principaliter ad honorem Fidei, & hujus Sacri Concilii, & ad Ordinariorum justitiam conservandam, sequentes conclusiones attentè notentur, quæ poterunt latiùs demonstrari.

Conclusio prima.

Ad Episcopos non spectat propositionem aliquam hæreticare, hoc est, ut hæreticalem judicialiter condemnare, quæ nullo modo pertinet ad Fidem, hoc est, quæ nec expugnat, nec sequitur ad ea quæ Fide credenda sunt. Exemplum de istis: *Astra sunt paria, Astra sunt imparia. Rex Bybaloniæ sedet*, & de similibus.

Conclusio secunda.

Ad Episcopos non spectat propositionem aliquam hæreticare modo dicto, sic, quod eorum Sententia universaliter liget omnes, ut est præcisè sua Sententia. Patet, quia non habet Jurisdictionem super omnes. Nec est præsumendum, quòd aliquis Episcopus hoc intendat, immò contrarium juridicè præsumendum.

Conclusio tertia.

Ad Episcopos non spectat propositionem aliquam hæreticare, quæ ex se & de Jure penitùs dubia est an ad Fidem pertineat repugnanter, neque est scandalosa, & potest sine periculo ejus veritas, vel falsitas ignorari. Exemplum de istis: Deus potest creare supremam speciem; Deus non potest creare novam speciem; Virgo Maria fuit concepta in peccato originali, & de similibus, quæ apud maximos Doctores in Theologia non corruptos in affectu, vel intellectu, judicantur probabiles, neque scandalizant, neque oportet eas scire ad benè vivendum, vel credendum. Sicut dicit Hieronymus in sermone, de ista: Virgo Maria assumpta est in cœlum cum corpore, quòd melius est de ea piè credere, quàm aliquid temerè definire, quod sine periculo nesciri potest.

Conclusio quarta.

Ad Episcopos spectat propositionem aliquam hæreticare, hoc est, ut hereticalem decernere, definire, & determinare, quæ est explicitè & in propria verborum forma contra Scripturam sacram. Patet, A quia omnis talis est expressè damnata per Scripturam, & anathematizata per Ecclesiam. *Can. Damnamus.* Et de hoc nulla est controversia inter Theologos, & Canonistas.

Conclusio quinta.

Ad Episcopos spectat propositionem aliquam hæreticare, quæ sequitur explicitè, evidenter, & clarè ex oppositis sacræ Scripturæ, quamvis non in propria & in eadem verborum forma. Exemplum de istis: Christus non habuit nervos. Quilibet homo justus est meritoriè occidendus à quolibet. Juramentum non est tenendum, si damnificet jurantem in aliquo temporali: & ità de similibus, quas nullus sani judicii dubitaret, vel negaret, esse contra ea quæ Fide credenda sunt, vel in Scriptura sacra formaliter continentur. Nec contrà hoc est aliquis Canon, B quantumcumque loquens quòd majores causæ sunt ad Sedem Apostolicam referendæ: undè similis est ratio pro ista conclusione, qualis pro præcedenti posita est. Hæc autem conclusio maximè facit ad propositum de condemnatione novem assertionum, & magis de condemnatione totius propositionis Joannis Parvi, in qua sufficienter hæc propositio: *Etiam tyrannus* &c. damnata, inventa est contineri. Fundatur etiam in hoc rationabilitas Requestæ judicialiter factæ, quàm non primò ferretur Sententia super necessario, nisi priùs determinato principali, scilicet de Fide in se.

Conclusio sexta.

Ad Episcopos spectat de Jure divino, & quibusdam C de pia consuetudine legitimè præscripta, propositionem aliquam hæreticare, hoc est, hæreticalem decernere, vel determinare, nedum doctrinaliter (sicut Doctores Theologiæ possunt) sed etiam judicialiter, cum appositione Decreti pœnalis contra subditos rebelles, si illa propositio scandalizaverit Diœcesim suam. Et si est talis, de qua possit habere sufficientem certitudinem per consilium peritorum in Theologia, quòd repugnat eis quæ Fide credenda sunt, quamvis aliqui etiam Theologi dicerentur de illa dubitare. Patet, quia spectat ad Episcopos de Jure divino multis locis explicato, quòd sint potentes *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt revincere*, pascendo scilicet gregem pabulo bonæ doctrinæ, & à mortifera prohibendo. *Lucæ* 20. *Attendite vobis* &c. 1. Pet. 3. Malach. 2. Joan 10. ad Timoth. & ad Titum multis Capitulis. Hos etiam D habere debent de consuetudine pia & laudabili Episcopi, apud quos sunt Studia generalia Theologiæ, sicut est Parisius, in Oxonio, & in Praga. Verum est quòd talis determinatio non ligat universaliter, nec tali autoritate, quin ab ea possit appellari, & ad Concilium generale, aut Sedem Apostolicam causa devolvi. Et sic intelligitur caput illud *Majores*, cum suis concordantiis, & glossis. Neque existimandum est, quod Papa vellet, aut posset, oppositum conclusionis statuere, quin læderet jus Ordinariorum, & Studiorum generalium Theologiæ, & quin Fidei, totique Hierarchiæ detrimentum afferret. Patet ultima pars conclusionis, quia sicut dici solet; lata est differentia in artifices, sicut est inter Theologicos Doctores, propter inæqualitatem exercitii in Theologia, & ingenii diversitatem, adeò quòd duo, vel tres de-

debent aliquando majoris autoritatis esse quam centum, vel ducenti; præsertim si appareat causa depravationis in affectu; quæ excæcat judicium rationis, etiam circa prima principia moralia. Hoc patuit tempore hæreticorum, ubi à paucissimis Catholicis multitudo eorum tandem superata est. Consurgit igitur dubietas Fidei in aliqua propositione, non ex multitudine sic vel sic opinantium; alioquin Articuli Fidei adhuc essent dubii in Fide: sed sumitur dubietas ex rationum intrinseca probabilitate ad utramque partem contradictionis. Propterea debet Prælatus, vel Papa, vel Concilium, considerare rationes, & causas dicendi, magis quàm multitudinem dicentium, sicut pluries fuerunt ipsi Commissarii facere requisiti, & quòd ob hoc publicarentur deliberationes Magistrorum, suppressis nominibus eorum, qui nollent nominari ut fieret rationum ad invicem collocatio; quemadmodùm in causis prophanis dicta testium & causæ dicendi diligenter ponderantur. Attendatur hîc insuper, quòd hæc materia talis est, quæ nedum spectat ad sacram Scripturam, sed etiam ad naturalem rationem, quia versatur circà Præcepta Decalogi, quæ diversis respectibus sunt evidentia in lumine naturali. Sunt nihilominùs pura Fide credenda ex triplici ratione; scilicet ex supernaturali traditione per Moysen & Christum, & ex fine, qui est æterna vita, & ex eo quòd implenda sunt ex virtutibus infusis, Fide, Spe, & Charitate. Hæc autem cognoscere tenentur explicitè Prælati, & Doctores, nec per ignorantiam excusantur de pertinacia, vel errore, si talia nesciant, vel in dubium vertant, quia dubius in Fide, infidelis est. Facit pro tribus his Conclusionibus, quòd Inquisitores possunt cognoscere de sortilegiis, si sapiant hæresim manifestè. Possunt igitur à fortiori cognoscere de assertionibus hæreticis. Facit etiam pro hac sexta conclusione protestatio communis & celebris, quæ fit Parisiis, & Bononiæ in quolibet actu Theologico solemni, quòd scilicet nihil asserendum, aut sentiendum sit, quòd sit in favorem Articulorum Parisiis damnatorum. Est igitur rationabilis hæc damnatio, quæ tamen facta fuit per Episcopos Parisienses, & Magistros. Facit ad idem juramentum Baccalaureorum incipientium sententias, quod in manu Cancellarii Parisiensis ipsi præstant.

Conclusio septima.

Ad Episcopos spectat, ut in errorum condemnatione semper præferant interesse Fidei, cuilibet interesse personali vel traditioni Juris purè positivi. Et oppositum facere, est favere hæreticæ pravitati; quia fit in hoc præjudicium Fidei. Exemplum, si fiat acceptio personarum, sic quòd honor earum præponatur honori Fidei. Aut si propter non observationem alicujus circunstantiæ Juris positivi annulletur juridicè unus totus processus Catholicus, non explicando annullationis suæ causam: per hoc enim datur intelligi, quod processus fuerit erroneus in Fide, vel moribus; quia Fides est principale in tali causa, dùm fit absoluta damnatio, videtur principale damnari apud vulgus.

Conclusio octava.

Ad Episcopos spectat, quòd damnare possint errores in Fide, & bonis moribus, etiam dùm sunt intitulati nominibus aliquarum personarum, absque hoc quòd prius, vel simile agatur de qualicunque personali interesse. Hoc sequitur ex præcedenti, & practicatum est in plurimis Conciliis, sicut patet, *dist.* 15. *Decreti: & 24. q. ult.* ex dictis Isidori. Patuit etiam in Concilio Romano ubi priùs damnati sunt Libri Wicleff, etiam sub nomine suo, quàm ejus persona, vel memoria damnari quæreretur. Et similiter in Anglia, & Praga; quæ damnationes hic approbatæ sunt; quod fieri non debuerat, si prædictæ conclusiones de Autoritate Ordinariorum, & universitatum essent falsæ. Illìc autem aliqui Articuli damnantur, qui minùs pertinere videntur ad Fidem, quàm illi, de quibus agitur.

Concluditur ex præcedentibus irrationabilitas annullationis sententiarum Episcopi Parisiensis super damnatione propositionis prædicti Parvi in se tota,
A & in assertionibus suis, & quòd salvo honore, qui debetur prætensis Judicibus in hac parte, hæc annullatio suspecta est, & fautoria hæreticæ pravitatis, & perversorum morum, sicut est homicidium, seu morticinium factum subitò, & per insidias, sine diffidatione absque Judicis autoritate: sic de perjurio, sic de impœnitentia, & de permanentia in errore, ac defensione pertinaci, & similibus.

DECRETA
IN SESSIONE PUBLICA
CONCILII GENERALIS
CONSTANTIENSIS.

B

Die sabbati. 9. Octobr. Anno 1417. quæ est XXXIX. *Et primò Prooemium super futuris Conciliis celebrandis, & provisione adversùs futura schismata.*

Exacta ad MSS. Codd. Vict. 699. & 828.

FREQUENS Generalium Conciliorum celebratio agri Dominici præcipua cultura est, quæ vepres, spinas & tribulos hæresum, errorum, & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducit. Illorum verò neglectus præmissa disseminat, atque fovet. Hæc præteritorum temporum recordatio, & præsentium consideratio antè oculos
C nostros ponunt. Ea propter hoc Edicto perpetuo sancimus, decernimus, atque ordinamus, ut amodò Generalia Concilia celebrentur. Ità quòd primum à fine hujus Concilii in quinquennium immediatè sequens. Secundum verò à fine illius mediatè sequentis Concilii in septennium, & deinceps in decennium perpetuò celebretur in locis quæ Summus Pontifex per Mensem antè finem cujuslibet Concilii, approbante & consentiente Concilio, vel in ejus defectum, ipsum Concilium deputare & assignare teneatur, ut sic per quandam continuationem semper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur. Quem terminum liceat, Summo Pontifici de Fratrum suorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, ob emergentes fortè casus abbreviare, sed nullatenùs prorogetur. Locum autem pro futuro Concilio celebrando deputatum absque evidenti necessitate non mutet; sed si fortè casus aliquis occurrerit, quo necessarium videretur ipsum locum mutari, puto obsi-
D dionis, guerrarum, pestis, aut similis: tunc liceat Summo Pontifici, de prædictorum Fratrum, aut duarum partium ipsorum consensu atque subscriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem, & aptum, sub eadem tamen Natione subrogare; nisi idem, vel simile impedimentum per totam illam Nationem vigeret, tunc ad aliquem alium locum viciniorem alterius Nationis aptum hujusmodi Concilium poterit convocari, ad quem Prælati, & alii qui ad Concilium solent convocari, accedere teneantur, ac si à principio locus ille fuisset deputatus. Quam tamen loci mutationem, vel termini breviationem teneatur dictus

Digitized by Google

dictus Summus Pontifex legitimè, & semel per Annum antè præfixum terminum publicare, & intimare, uti ad ipsum Concilium celebrandum prædicti possint statuto termino convenire. Si verò, quod absit, in futurum schisma oriri contingeret, ità quòd duo, vel plures pro summis Pontificibus se gererent, à die quo ipsi duo vel plures insignia Pontificatûs publicè assumpserint, seu administrare ceperint, intelligatur ipso jure terminus Concilii tunc fortè ultra Annum pendens, ad Annum proximum breviatus, ad quos omnes Prælati & ceteri qui ad Concilium ire tenentur sub pœnis Juris & aliis per Concilium imponendis absque alia vocatione conveniant. Nec non Imperator, ceterique Reges, & Principes, personaliter, vel per solennes Nuncios, tanquàm ad commune incendium extinguendum, per viscera misericordiæ Jesu Christi ex nunc exorati concurrant. Et quilibet ipsorum pro Romano Pontifice se gerens, infrà Mensem à die qua scientiam habere potuit alium, vel alios assumpsisse Papatûs insigna, vel in Papatu administrasse, teneatur sub interminatione maledictionis æternæ, & amissionis juris, si quod fortè sibi esset quæsitum à Papatu, quam ipso facto incurrat, & ultrà hoc ad quaslibet dignitates activè & passivè sit inhabilis, Concilium ipsum ad terminum Anni prædictum, loco priùs deputato celebrandum indicere, & publicare, & per suas Litteras competitori, vel competitoribus, ipsum, vel ipsos provocando ad causam, vel ceteris Prælatis, ac Principibus, quantùm in eo fuerit, intimare, nec non termino præfixò, sub pœnis prædictis ad locum Concilii personaliter se transferre, nec indè discedere, donec per Concilium causa schismatis plenariè sit finita. Hoc adjuncto, quòd nullus eorum contendentium de Papatu, in ipso Concilio ut Papa præsideat. Quinimmò ut tantò liberiùs, & citiùs Ecclesia unico & indubitato Pastore gaudeat, sint ipsi omnes de Papatu contendentes, postquàm ipsum Concilium incœptum fuerit Autoritate hujus sanctæ Synodi ipso Jure ab omni administratione suspensi; nec eis, aut eorum alteri, donec causa ipsa per Concilium terminata fuerit, quomodolibet à quoquam, sub pœna fautoris schismatis, obediatur. Quod si fortè electionem Romani Pontificis per metum, qui caderet in constantem virum, seu impressionem, de cetero fieri contingat, ipsam nullius decernimus efficaciæ, vel momenti, nec posse per sequentem consensum, etiam metu prædicto cessante, ratificari, vel approbari. Non tamen liceat Cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus fortè renuntiet, vel decedat, donec per generale Concilium de electione illa fuerit judicatum, & si procedant, nulla sit electio ipso Jure; sintque sic secundò eligentes, & electus, si se Papatui ingesserit, omni dignitate, honore, & statu, etiam Cardinalatus, & Pontificali ipso Jure privati & inhabiles de cetero ad easdem, ac etiam Papalem. Nec aliquis eidem secundò electo, ut Papæ, sub pœna fautoris schismatis obediat quoquo modo. Et eo casu Concilium de electione Papæ provideat illa vice: sed liceat, immò & teneantur electores omnes, aut saltem major pars ipsorum quàm citò sine periculo personarum possunt, etiamsi periculum omnium bonorum immineret, se transferre ad locum tutum, & metum prædictum allegare coram Notariis publicis & notabilibus personis, in multitudine populi, in loco insigni; ità tamen, quòd allegantes metum hujusmodi habeant in ipsius metus allegatione exprimere speciem, & qualitatem dicti metus, & jurare solemniter, quòd metus taliter allegatus est verus, & quòd credunt, se ipsum posse probare, & quòd per malitiam, vel calumniam hujusmodi metum non proponunt. Nec ultrà proximum futurum Concilium ullo modo possit differri allegatio dicti metus. Teneantur insuper postquàm se transtulerint, & metum allegaverint, modo prædicto provocare sic electum ad Concilium: quod Concilium si ultrà Annum pendeat à die provocationis hujusmodi, intelligatur ad Annum, ut suprà ipso Jure terminus breviatus, & nihilominùs teneatur electus ipse sub pœnis prædictis, & Cardinales provocantes sub pœna amissionis Cardinalatûs, & omnium Beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, intrà Mensem à die provocationis, Concilium ipsum, ut suprà dicitur, indicere, publicare, & quàm citiùs poterit, intimare; Cardinales ipsi, ceterique electores ad locum Concilii tempore convenienti personaliter se transferre, & usque ad finem causæ expectare. Teneantur quoque Prælati, & ceteri, ut suprà, ad convocationem Cardinalium tantùm, si fortè sic electus convocare cessaret, accedere. Qui sic electus in Concilio ipso non præsideat, quinimmò sit à termino initiandi Concilii ipso Jure ab omni administratione Papatûs suspensus, nec sibi à quoquam, sub pœna fautoris schismatis quomodolibet obediatur. Quòd si infrà Annum antè diem indicti Concilii contingant supradicti casus, videlicet quòd plures se gerant pro Papa, vel quòd unus per metum, seu impressionem eligatur, censeantur ipso Jure tàm gerentes se pro Papa, quàm electus per metum, seu impressionem, & Cardinales ad dictum Concilium provocati; teneantur que in isto Concilio comparere, personaliter causam exponere, & judicium Concilii expectare. Quòd si, dictis casibus occurrentibus contingat fortè casus aliquis, quo necessarium sit locum Concilii mutare, vel obsidionis, vel guerræ, vel pestis, vel similis, teneantur nihilominùs tam omnes supradicti, quàm omnes Prælati, ceterique qui ad Concilium ire tenentur, ad locum proximiorem, ut præmittitur, qui sit habilis ad Concilium, convenire, possitque major pars Prælatorum, qui infrà Mensem ad locum certum declinaverint, illum sibi, & aliis, pro loco Concilii deputare, ad quem ceteri convenire teneantur, ac si à principio fuisset deputatus. Concilium autem, ut præfertur, convocatum & congregatum, de hujusmodi schismatis causa cognoscens, & in contumaciam electorum, seu gerentium se pro Papa, vel Cardinalium, si fortè venire neglexerint, litem dirimat, causamque definiat, ac culpabiles in schismate procurando, seu nutriendo, vel in administrando, aut obediendo, vel administrantibus favendo, seu contrà interdictum superius eligendo, vel calumniosos in allegando metum, etiam ultrà prædictas pœnas cujuscumque gradus, status, seu præeminentiæ existant Ecclesiasticæ, vel mundanæ, sic puniat, ut vindictæ rigor transeat ceteris in exemplum. Ut autem metus, seu impressionis molestia, in electione Papæ eò formidolosiùs evitetur, quò toti Christianitati lamentabiliùs eorum incussio, seu factio perpetratur ultrà prædicta: specialiter duximus statuendum, quòd, si quis hujusmodi metum, vel impressionem, aut violentiam electoribus ipsis, vel alicui eorum in electione Papæ intulerit, seu fecerit, aut fieri procuraverit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc consilium dederit, vel favorem, facientemve scienter receptaverit, vel defensaverit, aut negligens in executione pœnarum inferiùs memoratarum extiterit, cujuscumque status, gradus, vel præeminentiæ fuerit, etiamsi Imperiali, Regali, Pontificali, aut alia quavis Ecclesiastica, aut seculari præfulgeat dignitate; illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in Constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII, quæ incipit: *Felicis*, continentur, illis effectualiter puniatur. Civitas verò, etiamsi, quòd absit, Urbs Romana fuerit, vel alia quævis Universitas, quæ talia facienti consilium, vel auxilium dederit, aut favorem, vel intrà Mensem saltem, taliter delinquentem, prout tanti facinoris enormitas exegerit, & facultas ei affuerit, non duxerit puniendum, eo ipso subjaceat Ecclesiastico Interdicto. Et nihilominùs præter dictam Urbem, Pontificali, ut suprà, eoipso sit privata dignitate,

tate, non obstantibus Privilegiis quibuscunque. Volumus insuper, quòd in fine cujuslibet Concilii Generalis hoc Decretum publicetur solemniter, nec non quacumque, & ubicumque Romani Pontificis electio imminebit facienda, ante ingressum Conclavis legatur, & publicè intimetur.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

LIBELLUS ARTICULORUM THEOLOGICORUM

Et scholasticè compositorum.

CONTRA PETRUM DE LUNA.

Ad convincendum, eum fuisse & esse notoriè hæreticum, & pertinaciter errasse, & errare contra Catholicam, & Evangelicam veritatem, super Potestate & Autoritate Ecclesiæ. Et continet duos Tractatus. In primo ponuntur Generales Articuli. In secundo speciales, & subsumpti specialiter ex generalibus.

Recognitus & emendatus ad MSS. Codd. Vict. & Navarricum unum.

MONITUM.

Pertinet iste Tractatus ad Concilium Constantiense, postquàm Petrus de Luna citatus à Concilio, adesse renuit, ac proinde post 30. Sessionem Concilii habitam 29. Martii Anno 1417.

Primus Articulus.

ET primò constat, quòd iste est Articulus Fidei, quòd *est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica Ecclesia.*

Secundus Articulus: Item, quòd hæc unitas Ecclesiæ non sic dependet à persona Papæ essentialiter, quin possit manere una, ut manet de facto, quando nullus est Papa in Ecclesia.

Tertius Articulus. Item, quàmvis unitas Ecclesiastica essentialis sit ad primarium caput Christum; nihilominùs unitas altera accidentalis, vel secundaria, consistit in obedientia ad unum Summum Pontificem, qui est caput secundarium in Ecclesia cum Christo: sic videlicet, quòd quilibet Catholicus debet habere promptitudinem seu præparationem animi, ab obediendum uni Summo Pontifici, dùm constiterit sibi, aut constare debuerit, quòd sit Papa aliquis legitimè electus. Et ultrà secundò requiritur, quòd non ponat scienter impedimentum commissivè, vel omissivè, ne præficiatur Ecclesiæ Dei unus Papa certus, & legitimè electus. Ideò enim condemnatus est inter ceteras causas Joannes Hus, quia dicebat, quòd Ecclesia Dei usque ad consummationem seculi poterat æquè benè regi per Sacerdotes dispersos per mundum, absque uno capite, sicut cum tali capite. Unde sicut dicunt Theologi, quòd Sacramentum Confirmationis est Sacramentum necessitatis, non quidem simpliciter (cum sine illo staret Salus) sed sic, quòd obligatur quilibet ad non contemnendum susceptionem hujus Sacramenti pro tempore, & loco oportunis: ità proportionabiliter de unione vel adhæsione ad unicum Papam potest intelligi: sicut etiam dici solet apud Theologos, quòd Præceptum affirmativum (quale est de habendo Papam) obligat ad semper, non pro semper.

Quartus Articulus. Item, quòd culpabilis in priori Articulo, primo modo, vel secundo, verè dicitur fautor, & nutritor schismatis immò & Schismaticus, si jungat pertinaciam, id est, si non velit corrigi: quamvis staret, quòd ex hoc solo non esset hæreticus, si faceret hoc non ex errore intellectûs, sed ex depravatione affectûs: quàmvis apud Ecclesiam habendus esset ille vel hæreticus, vel de hæresi vehementer suspectus.

Quintus Articulus. Item, quòd Ecclesia sic instituta est à Christo perfecto Legislatore, quòd potest se continuare, & de facto continuabit in unitate usque ad consummationem seculi, hoc intelligendo, nedum de primaria & essentiali unione, quæ est ad Christum; sed de accidentali, & secundaria, ad Summum Pontificem; sic quòd potest, & poterit sibi instituere caput unum secundarium, quod dicitur Papa. Et quicunque impedit scienter, commissivè vel omissivè talem unitatem Ecclesiæ, agit contrà Articulum jam dictum, *Unam Sanctam Catholicam &c.* etiam ubi videretur stare cum prima unitate ad Christum. Inde patet, quòd aliquis existens Papa legitimè electus, potest effici schismaticus, si det impedimentum scienter, commissivè, vel omissivè, quòd tota Ecclesia non obediat uni Summo Pontifici: dùm, exempli gratia, Papa non potest reducere majorem partem Christianitatis ad obediendum uni capiti, nisi cesserit, & alter constituatur; ipse verò hoc pertinaciter renuit facere, aut in aliquo multiplici casu tali. Simile diceretur de obedientibus vero Papæ, quòd possunt esse schismatici: at alii qui non obediunt, sed parati sunt obedire, modo prædicto, & apponunt diligentiam suam quod uniatur Ecclesia, sunt immunes à schismate.

Sextus Articulus. Item, si probetur de aliquo quòd circà præmissa sit hæreticus, hoc est, juxtà verba Augustini, quòd fingat sibi novum errorem, vel antiquum sequatur, gloriæ, sive Principatus sui causâ; probabitur consequenter manifestissimè, quòd talis est nedum fautor schismatis, sed verè schismaticus. Et ideò sufficiat in sequentibus coarctare sermonem ad hæresim, quoniam ex isto sufficienter concludetur schisma.

Septimus Articulus. Item, quòd dùm nullus est Papa, vel dùm lapsus est in hæresim manifestam, & jam damnatam, vel dùm consentire non potest quòd Ecclesia congregetur (quia scilicet effectus est amens, & insanus incurabiliter, vel incarceratus est taliter quòd haberi non potest accessus ad eum, etiam si necessitas, vel evidens utilitas immineat) potest se congregare sine Papa. Et idem dicendum est, ubi Papa sufficienter summatus, & requisitus pro congregando Ecclesiam, ad uniendum eam in Fide, & moribus; vel constituendum sibi Papam certum, nollet contumaciter eam convocare. Iste Articulus sequitur ex prioribus: & ex negatione ejus sequeretur, quòd Ecclesia non fuisset à Christo perfectè instituta pro sui conservatione & unitate legitima in membris suis, in Fide, & moribus & ad unum caput secundarium, verum, & certum; quod apertissimè est contrà Apostolum *ad Ephes.* IV. & alibi multis locis, & *Osee.* I.

Octavus Articulus. Item, Ecclesia dicitur Catholica, id est, Universalis, & Apostolica; quoniam omnis homo generaliter obligatur adhærere firmiter illis veritatibus quas eadem Ecclesia tenet, docet, & prædicat: quæ veritates sunt sufficienter in sacra Scriptura contentæ, præsertim in Evangelio, vel ex contentis in sacra Scriptura sufficienter & clarè deducuntur; vel per Apostolorum doctrinam, successivè deductæ sunt de generatione in generationem usque ad nos, per observationem legitimam. Unde dicitur Ecclesia *Apostolica*, quoniam in doctrina Apostolorum fundata est, tam verbis, quàm scriptis.

Nonus Articulus. Item, dùm est data in Evangelio per Christum aliqua regula generalis observanda, illa obligat omnem hominem habentem usum rationis, nisi de exceptione alicujus hominis constiterit per eandem Legem Evangelicam, & non solùm per humanam traditionem, vel exceptionem: quoniam inferioris Lex derogare non potest Superioris autoritati.

Decimus Articulus. Item, quòd hæc eſt Lex Evangelica generaliter promulgata Matth. XVIII ℣. 15. 16. 17. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: ſi te non audierit, adhibe tecum unum vel duos teſtes, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: quòd ſi eos non audierit, dic Eccleſiæ; ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Sequitur continuò, ℣. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram* &c. ubi fundatur poteſtas ſupernaturalis Ecclesiæ ultrà naturalem.

A

Undecimus Articulus. Item, quòd ad prædictum Articulum corroborandum, ex aliis ſacræ Scripturæ paſſibus, poſſent induci variæ Leges, quæ ſunt de Jure propriè divino, & expreſſò; immò & de Jure propriè naturali, præſuppoſito divino: ut de abjiciendo partem corporis ſcandalizantem totum corpus, ſive ſit pes, ſive manus, ſive oculus. *Matth.* XVIII. Et ità de reliquis. Sed ſufficit ad deducendum propoſitum hæc unica Lex prædicta: *Si peccaverit* Matt. XVIII. 15. Et ſi fortè diceret hîc aliquis, quòd quicquid ſit de membris abjiciendis, aut reſcindendis; caput tamen non poteſt abjici, vita manente. Reſpondeo quòd ſimilitudo corporis veri, & myſtici, non eſt uſquequaque eadem, quoniam ſine capite naturali corpus non poteſt vivere; ſed ſine capite ſecundario, corpus myſticum poteſt habere vitam; ſicut in caſu noſtro patet de Papa, quo remoto, vel abſciſſo, ſtat unitas, & vita in corpore myſtico Eccleſiæ, & hoc virtute capitis eſſentialis, & primi, quod eſt Chriſtus.

B

Duodecimus Articulus. Item, ſicut Summus Pontifex, quantumcunque legitimè fuerit electus, eſt filius Eccleſiæ; ſic dici poteſt, & debet frater uniuſcujuſque hominis de Eccleſia: Undè & ad hoc ſignificandum dedit nobis Chriſtus hanc formam orandi, *Pater noſter &c.* Matth. VI. 9. Si unum ergò habemus Patrem in cœlis; ſi unam Matrem Eccleſiam in terris, conſtat, quòd omnes mutuo ſumus fratres. Et oppoſitum ſentire, vel dicere de Papa, eſſet apertiſſima dementia.

Decimus tertius Articulus. Item quòd Papa, quantumcunque legitimè electus, poteſt peccare, quià non eſt impeccabilis ex aſſumptione Papalis dignitatis. Oppoſitum dicere, niſi conſtaret de aliquo per divinam revelationem, eſſet intolerabiliter ſuperbire, & contrà teſtimonium experientiæ præſentis & præteritæ.

C

Decimus quartus Articulus: Item, prædicta Lex, *Si peccaverit*, Matt. XVIII. 15. quamvis data fuerit pro regimine totius Eccleſiæ, & filiorum ſuorum; nihilominùs appropriatè data eſt perſonæ Petri, qui erat futurus ſummus Paſtor: ſicut promiſſum fuerat *Matt.* XVI. & executioni demandatum, Joan. XXI.

Decimus quintus Articulus. Item, quòd Chriſtus in prædicta Lege, *Si peccaverit &c.* non accipiebat Eccleſiam, quando dixit *DIC ECCLESIÆ*, pro ipſo Petro, vel, pro ſucceſſoribus ſuis, Summis Pontificibus: patet, quia Petrus non dixiſſet ſibi ipſi, quando frater ſuus noluiſſet obedire monitioni ſuæ ſeu fraternæ correctioni. Intelligebat ergò de Eccleſia, quæ eſt congregatio fidelium, præſertim quando frater qui peccabat & nolebat corrigi, fuiſſet talis, quòd non habuiſſet Prælatum ſuprà ſe, ſicut eſt Papa, qui tamen ſubjectus eſt Legi prædictæ, ſicut ipſe eſt frater peccabilis.

D

Decimus ſextus Articulus. Item Chriſtus, dicendo in prædicta lege: *Quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, Matth. XVIII. 17. docet manifeſtè, quod Eccleſia habet Autoritatem judiciariam: alioquin ſi non audiretur, non eſſet contumacia, vel peccatum: Et patet aliundè per illud: *Qui vos audit, me audit &c*: Luc. X. 16. Et iterùm: *Quacunque alligaveritis ſuper terram &c.* Matth. XVIII. 18. Sic ſubjungitur ſtatim poſt prædictam legem *Si peccaverit* &c. Matth. XVIII. 15.

Decimus ſeptimus Articulus. Item, quòd omnis, qui poteſt & debet licitè puniri judicialiter, poteſt etiam licitè evocari ad judicium, etiam per appellationem, aut provocationem, aut citationem, prout viſum fuerit expediens Judici, vel illis qui ad judicium accuſare volunt, fratrem delinquentem; præſertim ubi non apparet pro tunc modus convenientior procedendi contrà reum, & peccatorem fratrem.

Decimus octavus Articulus. Item, quòd nulla conſtitutio humana potuit, aut poteſt præjudicare Legi prædictæ. *Si peccaverit* &c. Matt. XVIII. 15. cùm ſit de Jure divino, & de Jure propriè naturali, præſuppoſito divino.

Decimus nonus Articulus. Item, quòd Conſtitutiones quæ dicunt, quòd Papa poteſt deponi, ſi labatur in hæreſim, non ſunt cenſendæ Conſtitutiones purè humanæ, vel poſitivæ aliquorum Summorum Pontificum, vel alterius: Patet, quia tunc non ligarent Papam, quià par in parem non habet imperium.

Vigeſimus Articulus. Item, quòd fundantur hæ Conſtitutiones principaliter in prædicta Lege. *Si peccaverat* &c. Matt: XVIII. 15. Et in aliis Juribus conformibus, ſicut prætactum eſt Art. 11.

Viceſimus primus Articulus. Item, quòd ſicut hæc Conſtitutio Chriſti. *Si peccaverit in te* &c. Matt: XVIII. 15. non ſpecificat, vel reſtringit, de ſolo peccato hæreſis, ſed & generaliter de quolibet peccati genere quod poteſt deduci in publicum, ſeu notorium, poteſt denunciari Eccleſiæ, ſi fraternaliter monitus Papa nolit audire monentem, neque teſtes inductos, niſi daretur ex Lege propriè divina, quòd aliquod peccatum Chriſtus iſtic excluſerit, quod utique fieri non poterit.

Vigeſimus ſecundus Articulus. Item quicumque cujuſcumque ſtatus fuerit, qui ſcripſerit, vel aſſeruerit quòd Papa non poſſit pro alio crimine accuſari coram Eccleſia, quàm pro hæreſi; ille negandus eſt ſimpliciter, tanquam contradicens textui Evangelico, vel reverenter gloſſandus eſt, ſi non appareat, quòd fuerit in hac aſſertione pertinax, & ſi in aliis benè ſenſit. Simile dicitur de Scripturis, quæ ſonare videntur quòd Papa non habet ſuperiorem Judicem in terris, quòd ab eo nunquam licuit, neque licet appellare, & ita de ſimilibus: quæ ſi excludunt Autoritatem Generalis Concilii, ſunt hæreſes manifeſtæ. Sed non eſt leviter præſumendum, quòd alii Doctores ſic ſenſerint generaliter, abſque omni exceptione poſſibili, occaſione, vel colore.

Vigeſimus tertius Articulus. Item, quòd gloſſa, quæ dicit, quòd pro alio crimine quàm pro hæreſi poteſt Papa accuſari, vel deponi, non habet Autoritatem vel robur, tanquam ab uno gloſſatore, vel homine, ſed à Chriſto immediatè & expreſsè; alioquin non faceret fidem, ſicut prædictum eſt in altero Articulo, *quod par in parem*, & unus inferior in Superiorem *non habet judicium.*

Vigeſimus quartus Articulus. Item, quòd de Jure divino, & naturali eſt propria defenſio ſuiipſius dùm læditur; dùm tamen hoc faciat per media non prohibita in Lege divina, & naturali.

Vigeſimus quintus Articulus. Item, quòd ſtare poteſt in facto, quòd aliquis moleſtatus à Papa etiam vero, & legitimo, non poſſit habere ſufficientem defenſionem, niſi provocet, vel appellet à Papa ad judicium Eccleſiæ, & niſi ſubtrahat ſe ab eo, ſic quòd ejus mandatis non obediat: quæ mandata, vel obedientia, tollerent læſo juſtam defenſionem ſui ipſius, vel ſuorum: ut eſſet tuitio propriæ Matris, vel Patris, aut Patriæ ſuæ, immò & totius Catholicæ veritatis, aut unitatis Eccleſiæ, ſicut apparuit in ſubſtractionibus multis legitimè factis tempore noſtro, & per priùs.

Vigeſimus ſextus Articulus. Item ſicut aliàs prædicatum eſt coram hoc ſacro Concilio, poteſt haberi multiplex occaſio, & quæſitus color, ad hoc quod poſſit, & debeat per Eccleſiam, ſeu Concilium Generale vice ſua, dari Libellus repudii vero Papæ, quamquam ſine culpa Papæ, licet non ſine cauſa; quandoque cum

culpa

Digitized by Google

culpa Papæ, etiam alia, quàm sit hæresis, & numerati sunt colores, vel occasiones decem: quemadmodùm viceversa Summus Pontifex potest dare Libellum repudii Ecclesiæ, sicut patuit in Cœlestino cedente: Uxor autem & vir, non videntur hic ad imparia judicari.

Vigesimus septimus Articulus. Item, quòd prædicti omnes, & singuli Articuli sunt per hoc sacrum Concilium Constantiense solemniter, & judicialiter declarati, & multipliciter practicati, tàm in ejectione olim Joannis XXIII. quàm in Constitutionibus & Decretis factis super Autoritate Generalis Concilii, præsertim. 6. Aprilis anno 1415. Et novissimè in Decreto facto, quòd prætensa Constitutio Petri de Luna, non præjudicat subtractioni factæ sibi in Arragonia &c.

Vigesimus octavus Articulus. Item, quòd docens, vel asserens nunc oppositum alicujus Articulorum præmissorum, cadit in hæresim jam damnatam, & asserit expresè contrà prædictam Legem Evangelicam, *Si peccaverit &c.* Matth. XVIII. 15. Et contra Articulum istum, *unam, sanctam, Catholicam &c.* & contrà determinata expressè per hoc sacrum Concilium, sicut prætactum est.

Vicesimus nonus Articulus. Item, quòd Prælatus Ecclesiasticus, etiam Papa, determinans judicialiter, aut per modum Constitutionis perpetuæ, & pœnalis, oppositum præmissorum Articulorum, non potuit, aut potest, à pertinacia quomodolibet excusari: tùm quia demonstrat, quòd non quærit tota solicitudine veritatem, dùm eam scienter impugnat, & ad impugnandum omnes alios inducit quantùm in se est, per excommunicationes, & alias pœnas gravissimas; tùm rursùs in casu præsenti, quia non ostendit se paratum corrigi, dum regulam sui correctricem negat, & impugnat, scilicet Autoritatem Ecclesiæ, vel Generalis Concilii vice sua.

Trigesimus Articulus. Item, quòd nullæ protestationes factæ in oppositum relevant talem assertorem, vel determinatorem, quominùs debeat in errore suo pertinax judicari: quià cum talibus protestationibus generalibus, de volendo stare in Fide Ecclesiæ &c. stat de facto particularis erroris assertio, sicut posset latiùs deduci, tàm per rationes, quàm per exempla priorum hæreticorum, & etiam modernorum, dùm factum repugnat protestationi.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SECUNDUS LIBER

ARTICULORUM

SPECIALIUM

Subsumptorum specialiter ex generalibus Articulis super Potestate & Autoritate Ecclesiæ,

CONTRA

PETRUM DE LUNA,

Ad convincendum eum, ut priùs.

PRIMUS ARTICULUS.

ET primò notandum est, quòd Petrus de Luna dudùm fecit quandam prætensam Constitutionem, eam pluries solemniter publicavit, & publicari fecit: immò & practicavit, quantùm in se fuit, tàm contrà Christianissimum Regem Franciæ antè Concilium Pisanum, quàm novissimè contrà Illustrissimum Regem Arragoniæ; & generaliter contrà omnes qui sunt in hoc sacro Constantiensi Concilio, sicut patet ex sua responsione ad cicationem; quæ prætensa Constitutio incipit: *In dierum successu crescente malitia &c.* *Datum Massiliæ. 14. Calend. Junii. Anno. 13. Pontificatus nostri*: ità quòd sunt decem Anni, vel circiter.

Secundus Articulus. Item, quòd in prætensa Constitutione ponitur in forma talis clausula inter cetera.

Omnes &c. qui à nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus canonicè intrantibus appellare præsumpserint, seu à nostra, seu ipsorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum canonicè intrantium obedientia recesserint, ac se substraxerint, vel in præmissa substractione, aut appellatione perseveraverint, seu perstiterint, seu eis in præmissis impedimentis, seu appellationibus, subtractionibus, vel provocationibus scienter, per se, vel per alium, vel alios, quavis occasione seu quæsito colore, dederint auxilium, consilium, vel favorem, & qui pertinaciter asseruerint illos qui præmissa commitunt, per nostras sententias non ligari; cujuscunque status, gradus, dignitatis existant, vel conditionis, etiamsi Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, Imperiali, Regali, vel alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ex nunc autoritate Apostolica excommunicationis Sententiam promulgamus, à qua nullus, præterquam à Romanis Pontificibus, nisi duntaxat in mortis articulo, poterit beneficium absolutionis obtinere, &c. Et adduntur pœnæ depositionis &c.

Tertius Articulus. Item, quòd dicta clausula, sicut patet ex forma sua, generaliter absque omni exceptione posita tam de Petro de Luna, quàm de quocumque legitimo successore suo, sive labatur aliquis eorum in hæresim, sive in aliud peccatum quodlibet, quantumcunque enorme; quia dicit *quavis occasione*; *seu quæsito colore &c.* Et quià si voluisset aliquam exceptionem fuisse, illam explicasset: Sed quià videbat exceptionem redundare potuisse contrà seipsum, propterea nullam apposuit, vel apponendam judicavit.

Quartus Articulus. Item, quòd Petrus de Luna in suis responsionibus datis ad citationem contrà eum factam, dat apertè intelligi, quòd vult practicare dictam prætensam Constitutionem, & tenet firmiter, quòd habuit, & habet robur, & vim suam contrà omnes & singulos, qui sunt in hoc sacro Constantiensi Concilio, quia sic dicit in forma: *Protestandum tamen, quòd per quæcunque facta, vel facienda, dicta seu dicenda sub quacunque forma, non intendit dictam Congregationem, aut ejus prætensam citationem comprobare, nec ipsam citationem quomodolibet exaudire, aut ei quemcunque, seu qualemcunque vigorem (tanquam à notoriè nullam potestatem habentibus emanatam) quoquo modo tribuere, seu præstare: immò ipsam, & alia quæcunque facta, seu facienda, ordinata seu ordinanda, contra ipsum, & Romanam Ecclesiam, cùm sint de facto præsumpta per eos, pronunciavit, decrevit, & declarat cassa, nulla, & irrita ipso jure; ut de his etiam est solemniter protestatus.*

Postremò cùm in prætensa citatione contineatur, quòd convenientes in unum canonicè convocati, & repræsentantes ipsam Universalem Ecclesiam, decreverunt &c. Respondet idem Dominus noster Papa, quòd prædicti congregati in Constantia non sunt Generalis Synodus, nec universalem Ecclesiam repræsentant, cùm sint excommunicati, & omnibus Ecclesiasticis dignitatibus, gradibus, & autoritatibus, & Jurisdictione privati, & per consequens nullas partes Judicii potuerunt assumere, nec possunt sicut nec etiam Jurisdictionem aliquam exercere; præcipuè cùm minor in majorem, & permaximè in Papam (quem nec Juris autoritas, nec rationis debitum, nec alicujus obligationis necessitas ad hoc arctant) actum imperiosum exercere non possit.

Ecce temeritatem, & pertinaciam adversùs hoc sacrum Concilium, & adversùs omnes indifferenter, qui sibi non obediunt. Undè & reputat solam Ecclesiam esse apud se, & solum Concilium generale, & quod Cathedra sua est Arca Noë, sicut dixit verbo, dans intelligi, quòd nullus extrà hanc arcam salvabitur. Et ità de plurimis.

Quintus Articulus. Item, quòd hæc prætensa Constitutio de directo, & expressè repugnat omnibus, & sin-

Digitized by Google

singulis prioribus Articulis, qui elucidant hanc Legem Evangelicam: *Si peccaverit &c.* Matth. XVIII. 15. & qui fundantur in hac Lege cum suis similibus, & hoc notorium est ex terminis.

Sextus Articulus. Item, quòd Petrus de Luna non excusatur, vel relevatur ab hæresi prædicta, & pertinacia per generales protestationes, quas fecit: quæ sic habentur in forma.

Dicit: ac etiam profitetur, quòd in veritate Fidei & unitate Catholicæ Ecclesiæ semper fuit, & est, semperque se fuisse & permansisse firmiter credit, nec ab illis unquam modo aliquo deviavit, sicut nec deviare intendit, nec favorem schismati, vel hæresi aliquo modo dedit, sicut nec dare intendit: immò semper tenuit, & tenet, firmiterque credidit, & credit, quod sancta Romana, & Catholica Ecclesia tenuit, & tenet, profitetur, & docet; nec aliquid à prædictis decrevit dicere, scribere, docere, tenere, seu credere intendit inposterùm, gratia eidem divina assistente, nihilque pertinaciter, seu incorrigibiliter dixisse, seu dicere voluit, nec intendit. Sed omnia præterita, præsentia, & futura quæcumque dicta, & dicenda, facta & facienda, scripta & scribenda, credita & credenda, docta & docenda, subjicit, subjectaque esse voluit correctioni, & determinationi Catholicæ Ecclesiæ Sacrosanctæ. Et si contra præmissa, vel aliquod præmissorum dixerit, scripserit, aut fecerit, quovis modo, quod non credit: paratus est, semper stare correctioni dictæ sanctæ Matris Ecclesiæ, in cujus unitate vivere intendit, atque mori, sicut Catholicus & Fidelis: & facere, & complere ea ad quæ astringitur in præmissis, & quolibet præmissorum. Constat enim, quòd cum his protestationibus remanet particularis error suus non purgatus.

Septimus Articulus. Item, si nunc prædictus Petrus de Luna vellet à prædicta hæresi sua reverti, & redire ad gremium Ecclesiæ, ipsa posset non claudere sibi gremium, dando indulgentiam de scelere; sed non deberet ipsum impunitum relinquere, vel in Papatu prætenso retinere, etiam ubi fuisset aliundè Papa legitimus.

Octavus Articulus. Item, quòd si mittat Nuntios suos, videtur quòd in primis, & antè omnia proponendi sunt ipsis præcedentes Articuli, ut respondeant sigillatim ad quemlibet; quoniam per hoc fiet abbreviatio aliorum processuum juridicorum, qui versarentur in his quæ sunt facti: quoniam per prædictos Articulos potest veraciter uno verbo dici ipsi Petro de Luna: *Ex ore tuo te judico, serve nequam*, Luc. XIX. 22. immò videtur, quòd Nuntii, si mittantur, erunt interrogandi super præmissis, nedum pro nomine, seu vice Petri de Luna, sed etiam pro seipsis, ut videatur quid sentiant super eisdem Articulis; ut si malè, habeant & ipsi malè, juxtà demeritum & errorem: si benè, condamnabitur eorum Magister ex eorum confessione Catholica, & vera.

ARTICULATIO
PRÆTACTÆ CONSTITUTIONIS
PETRI DE LUNA

Potest fieri contra ipsum sub tribus propositionibus sequentibus cum probatione summaria, & aliarum quarumdam additione Conclusionum. Hæc Constitutio Petri de Luna est hæreticalis, quæ incipit: In dierum &c. *Hæc Constitutio cum suis circumstantiis reddit Petrum de Luna propproprie hæreticum, schismaticum, temerarium, scandalosum, atque sacrilegum.*

PROBATUR prima conclusio sic. Constitutio illa est hæreticalis, quæ directè, & expresè præjudicat, & contrariatur Legi Evangelicæ, de correctione fraterna; & de correctione judiciali per Autoritatem Ecclesiæ, si fraterna non suffecerit, quæ habetur Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Sed hæc Constitutio Petri de Luna est hujusmodi; igitur est hæreticalis. Deducitur major per descriptionem hæresis, quæ est, dogma perversum Fidei Catholicæ contrarium. Constat autem quòd Evangelium est Fides orthodoxa objectivè, sicut dicitur in Symbolo: *Hæc est Fides Catholica*, &c. Sed minor, in qua stat

A difficultas, deducitur sic. Lex prædicta de correctione fraterna, & judiciali, aut comprehendit Petrum de Luna, & suos successores quos reputat Summos Pontifices futuros legitimè, vel non comprehendit. Non potest dici secundum, quoniam Lex fertur generaliter de omni fratre, dum peccaverit tali peccato quod potest deduci in publicum. Constat autem, quòd quilibet Christianus est frater noster, etiamsi fuerit Papa, quia propter hoc non desinit dicere, *Pater noster*, si ergò est frater noster, nos pariter sumus fratres: si verò detur primum, sicut dari necesse est, quòd scilicet Papa comprehenditur sub Lege hac Evangelica, & immutabili, quæ consonat etiam Juri propriè naturali. Sequitur ergò, si peccaverit in nos iste frater noster, debet fraternaliter primò corripi, juxta regulam generaliter ita positam: quòd si noluerit audire, adhibendi sunt testes; quos si audire noluerit, denuntiandus est Ecclesiæ: quam si contempserit, habendus est tanquàm ethnicus, & publicanus, id est,

B excommunicatus, & extra Ecclesiam positus. Sequitur ergò consequenter, quòd Ecclesia est Judex Papæ, dùm peccaverit peccato publico, & Ecclesiæ denuntiato. Et potest Ecclesia talem Papam excommunicare, & ejicere à consortio suo, multiplici occasione, & multiplici quæsito colore.

Constat autem, quòd ab inferiori ad Superiorem legitimum potest fieri appellatio, seu provocatio, seu deductio in causam, seu judicialis citatio, & evocatio, nunc ad denuntiationem alterius, nunc ex puro Judicis Officio. Sed manifestum est, quòd hæc Constitutio tollit omnia ista media, dùm fert generalem Excommunicationis Sententiam, & pœnas depositionis in omnes qui quacunque occasione, vel quocunque quæsito colore, præsumpserint à persona Petri de Luna, vel à quocunque successore, seu appellare, seu provocare, vel ab obedientia se subtrahere &c. quod utique repugnat, & contradicit manifestissimè huic Le-

C gi Evangelicæ, prout modò deductum est.

PROBATUR secunda conclusio faciliter ex præcedenti. Ille enim propriè dicitur hæreticus, qui pertinaciter asserit, immò determinat hæresim: sed Petrus de Luna pertinaciter ita fecit; est enim pertinax, qui non est paratus corrigi, & qui non quærit cauta sollicitudine veritatem, sed impugnat, & ad impugnandum omnes inducit sub pœnis terribilibus, quantùm in ipso est. Sic est in proposito, addendo maximè, quòd hìc impugnatur regula veritatis de directo, per quam errans frater habet corrigi, quæ regula est Autoritas, & Potestas judicialis ipsius Ecclesiæ, vel Concilii Generalis vice sua. Undè tollit, quantùm in ipso est, omnia media per quæ debet errans ad viam, & regulam reduci veritatis. Possent addi circumstantiæ quasi sine numero, quæ probant hanc pertinaciam in Petro de Luna, respectu Constitutionis hujusmodi, &

D aliorum errorum multiplicium, & scandalosissimorum; sed hæc pro nunc sufficiunt, attento, quòd tam ergà Regem Franciæ, quàm ergà Regem Arragoniæ voluit practicare Constitutionem istam hæreticalem, atque pestiferam: immò & in omnes existentes in hoc Concilio, sicut patet in responsione sua ad citationem.

PROBATUR tertia conclusio, considerando materiam circa quam est hæresis prædicta, quæ de necessitate infert peccatum schismatis: quoniam tendit ad impossibilitandum reunionem Ecclesiæ sub uno certo Pastore Supremo: quia tollit medium convenien-

Digitized by Google

venientissimum, imò necessarium, scilicet Autoritatem judicalem Ecclesiæ, seu Concilii Generalis vice sua, dùm prohibet Ecclesiam congregari, &c. Et dùm removet omnem Papam à subjectione Autoritatis judicialis Ecclesiæ. Confirmantur omnia prædicta per Constitutiones hujus sacri Concilii factas & publicatas pluries. Confirmantur etiam per subtractiones licitas illorum Principum, qui se subtraxerunt. Oportet enim concedere præmissas tres conclusiones, vel dicere, quòd hoc Concilium Generale erravit, faciendo quæstiones tales, & in approbando novissimè subtractionem Dominorum Aragoniensium: absit autem hoc à nobis ità delirare.

Et si dicatur, quòd multa Jura canonica, multæ Constitutiones Papales, & aliæ, videntur sonare pro Constitutione Petri de Luna. Respondetur, quòd illa Jura sunt reverenter glossanda, & interpretanda conformiter ad invariabilem Legem Christi: aut si quis vult illa tenere in suis terminis protervè, & rigidè; nos cum omni libertate, talia Scripta negabimus esse vera, & per consequens nec Jura canonica: quoniam nullum Jus esse censendum est, quod divinæ Legi convincitur contraire. Addatur & hic clausula Constitutionis, quæ ponitur suprà in secundo Articulo. *Omnes, &c. qui à nobis, &c.* suprà.

EXCERPTA
DE
ARTICULIS
CONTRA
PETRUM DE LUNA
In Processu productis.

PRIMÒ in Tractatu, quem fecit, aut fieri fecit, & ab aliis factum approbavit, & ratum habuit, intitulato *De Schismate*, ponit hanc conclusionem sequentem. *Et ponitur conclusio sequens : Nulli convenit potestati, nec divinæ, nec humanæ; quòd aliquid sit intra unum locum & extra eundem.* Dictamque conclusionem pertinaciter asseruit, & sustinuit, quæ hæretica est contrà sacram Scripturam, & divinam potentiam, cùm Deus sit intrà & extrà eundem locum, & hoc est notorium. Item quod dixit, scripsit, vel scribi fecit, & asseruit idem Dominus vocatus ut præmittitur Benedictus: *Quod si ivisset ad Pisanum Concilium, vel misisset ad illud ad cedendum Papatui : ut aliqui sibi consulebant ; jam non essent claves in Ecclesia, nisi Deus incarnatus fuisset, & claves de novo dedisset*, & hoc est notorium. Item in Tractatu, quem fecit aut fieri fecit, & factum approbavit, & ratum habuit contrà Pisanum Concilium, qui incipit: *Quia nonnulli*: in quarta parte. *Via tertia,* C. subsequenter, aut alibi in dicto Tractatu dixit, asseruit, & pertinaciter sustinuit: *Quod stante dubio hujus schismatis, illi qui non possunt certificari de veritate & justitia alterius contendentium de Papatu; primo electorum obediendo Papæ Benedicto XIII. scilicet sibi, quoad Deum, in conscientia sunt, & essent securi.* Et hoc est notorium. Item dicunt, & proponunt dicti prosecutores, & Ministri, quòd idem, Papa vocatus, ut præmittitur Benedictus, post præmissum per eos prætensum Propinianum Concilium, dixit, & asseruit pertinaciter, & constanter, *Quod si totus mundus diceret sibi, quod cederet Papatui, & sibi videretur quòd non sequeretur inde unio Ecclesiæ, aut videretur sibi quòd ipse non deberet cedere, ipse non cederet : etsi totus mundus diceret sibi quòd non cederet, & sibi videretur quòd deberet cedere, ipse cederet.* Per hoc suum judicium, imò potiùs errorem, pertinaciter præferendo omni humano, & Ecclesiæ universalis judicio, quod manifestè probat pertinaciam in errore. Item. *Quod Christus, & Papa sunt unum caput Ecclesiæ*, posuit in quodam Tractatu contrà decem propositiones stabilientes Concilium Pisanum. Item, *Quòd Concilium Generale nullo modo, & in nullo*
A *casu potest celebrari sine Papa, etiam dùm Papa mortuus est.* Et ità necessario dicendum esset, quòd in Constantia post adunationem tot Provinciarum, & Regionum, nullum est, aut fuit Generale Concilium. Cujus oppositum tanquam Catholicum determinatum est, & practicatum in hoc sacro Concilio. Et quoniam, hoc errore dato, sequeretur manifestè, quòd Ecclesia non fuisset sufficienter & perseveranter pro sui conservatione instituta à Christo. Quià denique non appareret modus condemnandi, vel ejiciendi Papam schismaticum, incorrigibilem, & hæreticum, contradicentem pertinaciter Ecclesiæ: ponuntur consequenter ad probata de prædictis, & aliis Articulis, tres conclusiones sequentes.

Hæc assertio Petri de Luna, *Quod Concilium Generale non potest in aliquo casu congregari sine Papa.* est hæresis, nunc expressè damnata. Hæc assertio Petri de Luna, *Quod si credidisset aliquibus tempore Concilii Pisani, claves hodie non essent in Ecclesia*, est manifestè
B hæretica, præsupposita duratione Legis Dei usque ad consummationem mundi. Hæc assertio Petri de Luna, *Quod Christus & Papa sunt unum caput Ecclesiæ*, est hæreticalis, nisi reducatur ad aliquem sensum sanum, satis improprium. Advertendum est postremò quòd super materia hæresis fundatæ sunt principaliter conclusiones prædictæ ex assertionibus Petri de Luna. Primò, quoniam & voces, & scripturæ significant manifestius conceptum mentis juxtà dictum Christi: *Ex verbis tuis justificaberis &c.* Matth. XII. 37. Cui consonat dictum Aristotelis, quòd *voces sunt signa earum, quæ in mente sunt passionum.* Secundò, quia convincere hominem hæreticum esse, ex solis operibus, sine vocibus, difficillimum est, attento quod hæresis principaliter consistit in intellectu. Propter quod tertiò dicitur, quòd, licet ex prædictis Articulis contrà Petrum de Luna, & sufficienter in facto probatis, possit & debeat sufficienter concludi contrà
C eundem Petrum de Luna, quòd ipse est notoriè perjurus, notoriè schismaticus, notoriè scandalizans Universalem Ecclesiam sanctam Dei, & per consequens de hæretica pravitate vehementer notandus & suspectus, præsertim circà hunc Arciculum. *Unam sanctam &c.* Et circà Præceptum hoc. *Non perjurabis, &c.* Ac proindè per hujusmodi suspicionem vehementem, & scandalum notorium datum in materia schismatis & perjurii, & incorrigibilitatem, sit ab omni officio Papatus vero, vel prætenso, rationabiliter, & judicabiliter deponendus, prout multi solemniter ex Juribus allegarunt & probaverunt; nihilominùs ex solis eisdem productis, & probatis, non videtur sufficienter concludi, quòd sit hæreticus propriè dictus, nisi confundatur ex propriis assertionibus suis, Constitutionibus, & responsionibus datis tàm verbo, quàm scripto. Quamobrem studiosiùs scriptum est, vel articulatum circà hujusmodi assertiones, attento
D præcipuè, quòd nonnulli revocant in dubium, an Papa deponi possit, vel habeat Judicem superiorem in quocumque crimine, nisi sit à Fide devius, vel hæreticus propriè dictus.

Finis Tractatûs contra Petrum de Luna.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS

Quomodo, & an liceat in causis Fidei

A SUMMO PONTIFICE

APPELLARE,

SEU EJUS JUDICIUM

DECLINARE.

Exactus ad MSS. Codd. Victor. 699. & Navarricum unum.

MONITUM.

Scriptus est iste Tractatus Anno 1418. *sub finem Concilii Constantiensis occasione, appellationis Oratorum Polonorum ad futurum Concilium circà negotium Libri seditiosi Joannis Falkemberg.*

QUÆRITUR, utrùm hæc assertio sit Catholica, tam Jure divinitùs promulgato, quàm etiam humano, quibus sacrorum Canonum autoritas innititur:

Nulli fas est à Supremo Judice, videlicet Apostolica Sede, seu Romano Pontifice Jesu Christi Vicario in terris appellare, aut illius judicium in causis Fidei, (quæ tanquam majores ad ipsum, & sedem Apostolicam deferendæ sunt) declinare? Arguitur quòd sic, Autoritate sanctissimi Domini Martini Papæ V. in sua Constitutione Ad perpetuam rei memoriam facta, & promulgata in Consistorio generali celebrato Constantiæ 6. Idus Martii, Pontificatus sui Anno primo, ubi reperitur hæc assertio, sicut dicitur, & videtur in Canonum littera manifestè fundari.

ARGUITUR in oppositum, primò Autoritate Determinationis sive Constitutionis generalis Concilii Constantiensis: quæ Determinatio multipliciter facta est, & practicata, & specialiter in sessione publica, celebrata die 6. Aprilis, anno 1415. quæ sic habet inter cetera.

Et primò declarat, quod *Sancta Synodus in Spiritu sancto legitimè congregata, generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediatè habet; cui quilibet, cujuscunque status, vel dignitatis (etiamsi Papalis existat) obedire tenetur, in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem dicti schismatis, ac generalem reformationem Ecclesiæ Dei, in capite, & in membris.*

Item declarat, quòd *Quicunque cujuscunque status, vel dignitatis (etiamsi Papalis existat) qui Mandatis, Statutis, seu Ordinationibus, aut Præceptis sanctæ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legitimè congregati (super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis) obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.*

Deinceps arguitur rationibus ducentibus ad inconvenientia manifesta, contrà Jus divinum pariter & humanum.

SEQUERETUR enim primò, quòd Papa non subjiceretur Legi divinæ, vel Evangelicæ, quæ generaliter absque omni exceptione promulgata est à Christo *Matth.* XVIII. dùm loqueretur ad personam Petri, sicut tradit Ecclesia, & circumstantia textus satis indicat: *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Sequitur: *dic Ecclesiæ, quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus &c.* Matth. XVIII. 18. Hoc autem consequens est erroneum manifestè; quoniam Papa est frater noster; alioquin non deberet dicere:
A *Pater noster*, si non simus fratres ipse & nos; sed haberet dicere, Pater meus, vel Pater mi: sed nec Cardinales, nec Episcopos fratres appellare deberet. Denique constat, quòd est proximus noster, & ex consequenti frater, non obstante, quòd Pater sit. Et insuper Papa peccabilis, quoniam *circundatus est infirmitate*, sicut notatur ad *Hebr.* V. 2.

Sequeretur secundò, quod Paulus egisset contra Jus divinum & humanum, dùm restitit Petro in faciem, hoc est, publicè, & coram Ecclesiæ congregatione, sicut habetur *ad Galat.* II. Hæc enim resistentia Pauli, non fuit minor provocatio contra Petrum, quàm fuisset appellatio ad Ecclesiam, immò fuit æquivalenter appellatio. Undè & si Petrus desistere noluisset, fuisset ab Ecclesia condemnandus.
B Constat autem quod Petrus erat Summus Pontifex, & secundùm Doctores, confirmatus in Fide & gratia, post Pentecostem: propterea dicunt, quòd Petrus non errabat in Fide, nec hæreticabat; sed tantummodò nimis dissimulanter se habebat circà observationem Legalium. Dicebat ideo Paulus, quòd *non rectè ambulabat ad veritatem Evangelii, & quod reprehensibilis erat*: Ex quibus palam elicitur, quòd Summus Pontifex, qui succedit Petro in Apostolatu, reprehendi potest publicè per Doctorem Theologum, qui in officio prædicationis succedit Paulo, etiam ubi non hæreticaret, vel erraret in Fide. Et hoc similiter elicitur generaliùs & inconvincibiliùs ex Autoritate proximè allegata. *Si peccaverit in te frater tuus*, Matt. XVIII. 15. quemadmodùm pluries in Sacro Constantiensi Concilio latissimè deductum est in Sermonibus publicis, & multiplicibus scripturis, quorum copiæ sunt apud multos.

C Sequeretur tertiò, quòd Papa, qui est membrum corporis Ecclesiæ, sicut homines alii, si scandalizaret totum corpus, ipse non esset rescindendus, ut totum corpus sanum fieret; contra doctrinam Christi Evangelicam, fundatam in similitudine juris naturalis *Matth.* XVIII. cum glossis & determinationibus Doctorum in materia de scandalo, se fundantium in hac Lege divina & naturali.

Sequeretur quartò, quòd Petrus Summus Pontifex non debuisset compelli reddere rationem ab Apostolis & Fratribus qui erant in Judæa, quià visitaverat Cornelium gentilem, cujus tamen oppositum dicitur expressè Act. XI. ℣. 2. 3. *cum adisset Petrus Jerosolymam*, scilicet ubi erat Ecclesia, *disceptabant adversus illum qui erant ex circumcisione dicentes: quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis?* Et statim subjungitur obedientiæ Petri responsio, dans in hoc successoribus suis formam debitæ humilitatis, quam expressit Epistolæ suæ primæ cap. III. 15. *Parati*, inquit, *semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est* Fide & *Spe.* Quod si in destructionem Fidei summus aliquis Ponti-
D fex volens superbire nollet hoc facere: constat, quòd à fratribus æquè posset accusari, sicut & Petrus.

Sequeretur quintò, quòd alicui injuriato per Papam, sicut potest evenire, tàm in corpore, quàm in membris, immò & in fama, circà ea quæ puræ Fidei sunt, non pateret in casu dabili aliqua defensio, vel gravaminis sublevatio, quod est contrà Jus naturale, cui Jus divinum non repugnat. Patet tamen consequentia data casu tali, vel simili. Sit Petrus, qui prædicet coram Papa, & multitudine populi copiosa, quòd Christus fuit verus Propheta, jubeat tunc Papa, quòd detrudatur in carcerem, eò quòd prædicat istam veritatem. Sentiat Petrus, quòd si

Digitized by Google

si appellet ad Concilium generale submittendo se eidem, quòd populus proteget eum, nec scandalizabitur in doctrina ejus, sed manebit in recta Fide, quòd Christus fuerit verus Propheta; si autem non appellaverit, populus reputabit, quòd Papa verum dicat, & bene faciat, & ita deserat Fidem cum Prædicatore suo. Quæritur in casu, si Petrus dicere poterit, Concilium appello? Quemadmodùm Paulus timens à seditiosis occidi, Clamavit. *Cæsarem appello.* Act: xxv. 11. Hanc autem materiam latissimè & studiosissimè prosecutus est, & fundavit Ockam *in Dialogo suo*, cujus solius autoritati non oportet inniti, quamvis fuerit egregius Theologus; sed innitendum est rationibus suis, pro quanto robur, & autoritatem accipiunt à sacra Scriptura, cujus contemptus cum suis Professoribus sæpè duxit, & ducit in errores.

Sequeretur sextò, quòd in nullo casu Papa posset judicari, vel deponi per generale Concilium, quantumcumque criminosus esset, vel scandalosus Ecclesiæ. Patet consequentia, quoniam ex opposito sequitur oppositum. Si enim Papa potest judicari vel deponi per generale Concilium, ipse poterit denunciari per aliquem, vel aliquos, coram Concilio præsenti, vel futuro. Qui si velit gravamen inferre talibus denunciare volentibus, nonne poterunt ipsi se ponere extrà manus suas, vel potestatem, ne de facto gravet eos, & opprimat injustè; hoc autem facere, est verè, & æquivalenter ab eodem appellare. Et hoc practicatum est in Concilio Pisano per utrumque Collegiorum duarum Obedientiarum, scilicet Gregorii & Benedicti sic in suis Obedientiis nuncupatorum. Hoc etiam practicatum est per quosque Reges, & Principes, qui se subtraxerunt ab obedientia illorum quos isti, vel illi judicabant esse summos Pontifices; quæ tamen subtractiones approbatæ sunt per sacrum Constantiense Concilium, quædam expressè, quædam implicitè, vel æquivalenter.

Sequeretur septimò, & magis ad hominem, quòd Concilium generale non esset suprà Papam, vel Judex Papæ legitimus, cujus oppositum determinavit, & practicavit sacrum Constantiense Concilium. Non enim processum est ad inchoandum depositionem Joannis, quousque fuisset Articulus iste declaratus, sicut apparet ex Actis ejusdem Concilii, quoniam aliqui videbantur super hoc hæsitare. Constat autem, quòd ab omni homine qui habet legitimum Superiorem Judicem, sive sit unus homo, sive una Communitas, potest, si rationabilis & urgens immineat causa, fieri appellatio ad eumdem Judicem. Et si dicatur, prout aliqui fingere volunt, quòd Concilium non est suprà Papam, nisi quando est hæreticus, seu devius à Fide, in quo casu non est mirum, inquiunt, si Concilium sit suprà talem Papam, quià desiit esse Papa, & est inferior omni homine, & ità nituntur etiam evadere illam inevasibilem Christi Legem: *si peccaverit in te frater tuus.* &c. Matth: 18. 15. hoc breviter ad præsens refellitur. Primò, quià Joannes non est accusatus, vel convictus de hæretica pravitate, & tamen Concilium vocavit, & judicavit ipsum tanquàm suum subditum. Undè & in toto processu usque post Sententiam definitivam suæ depositionis, reputatus est ab eodem Concilio verus Papa. Ampliùs, non est verum quòd Papa eo facto quo cadit in hæresim, præsertim latentem, sit depositus à Papatu, sicut nec est verum de aliis Episcopis, quemadmodùm ista materia declarata est alibi latiùs, reducendo hanc opinionem ad multiplex inconveniens, sicut ad incertitudinem Ecclesiasticæ politiæ, & susceptionis Sacrosanctorum: & ad favorabilitatem damnatæ doctrinæ Joannes Wicleffi, quæ principaliter innitebatur tali fundamento, quòd nullus existens in peccato mortali erat Papa, vel Episcopus, nec consecrabat &c. Et qui benè ponderat causas reprobationis hujus doctrinæ, & Wicleff in hac parte, illæ, vel similes causæ concludunt, quòd peccatum hæresis licet reddat unum Prælatum dignum depositione, junctâ pertinaciâ, non tamen reddit eum depositum eo facto, sed requiritur humana depositio. Sicut enim nulla sanctitas quantumcunque magna constituit aliquem in statu Papali, vel Episcopali, nisi per electionem humanam, de lege communi, contrà opinionem Valdensium: ità nulla iniquitas removet aliquem ab Episcopali gradu, vel Papali, de communi lege, si non interveniat humana depositio. Ampliùs tertiò, quoad hoc arguitur, quòd Concilium sit Judex Papæ, non hæretici, immò sancti, assignando casus multos, in quibus aliquis Episcopus vel verus Papa poterit per multos testes diffamari de hæretica pravitate, seu fautoria hæresis, aut per vehementes conjecturas ex operibus, & conversatione diffamabitur apud multos & graves populos, quod non rectè ambulat ad veritatem Evangelii, aut quòd lapsus est in hæresim jam damnatam, aut quòd novam velit confingere; constat, quòd existente generali Concilio, vel proximè futuro, poterit idem Papa judicialiter compelli ut purget se, quemadmodùm exemplificatum est de Petro. Quòd si nollet hoc facere, prout facere noluit Marcellinus sine accusatione sua de idolatria, nonne Concilium posset consequenter ad depositionis suæ Sententiam procedere? Et si dicatur quòd non, ex quo non est hæreticus, respondetur, quòd apud judicium Ecclesiæ, ubi circà ea quæ facti sunt fallere potest & falli, simile est judicium de his, quæ non apparent, & quæ non sunt. Et per hoc eliditur manifestè frivola responsio dicentium; Papam non subjici correctioni fraternæ, aut judiciali jussæ à Christo, ubi priùs: *si peccaverit* &c. Matt: 18. 15.

Sequeretur octavò, & ad hominem multiplex inconveniens in eis quæ facta sunt, & quæ adhærentes prædictæ assertioni, nullatenùs existimandi sunt concedere velle. Et primò, quòd Joannes olim vicesimus tertius reputandus est adhuc Papa sicut priùs: & ità quòd Sanctissimus Dominus noster Papa Martinus non est legitimè electus, neque Papa: quòd idem Dominus noster, & suum Collegium noluit ea quæ conciliariter facta sunt per sacrum Constantiense Concilium inviolabiliter observare; cujus tamen oppositum idem Dominus noster pluries palàm dixit: quòd Imperator non est confirmatus in Imperium; quòd graviter peccant attendentes prædicta, qui dant obedientiam Domino nostro Summo Pontifici tanquàm Papæ. Denique Petrus de Luna fuisset injustè, & perperàm accusatus in Concilio de materia hæresis præcipuè, & principaliter. Quoniam in quadam Constitutione, quæ de verbo ad verbum ponitur in Actis Concilii, ipse conatus fuit determinare, quòd nunquàm licitum est, aut fuit, facere subtractionem ab eo, neque ab alio vero Papa, fundans se in hoc quòd Papa non habeat superius judicium in terris, nec potest ab aliquo judicari. Hæc autem judicata fuit hæreticalis Constitutio, & ita de plurimis inconvenientibus diceretur.

POSTREMÒ dimissis illis, quæ sunt in facto circà justificationem, vel injustificationem appellationis Dominorum Polonorum; nam multa hinc, & indè diversa, immò adversa, & contraria videntur asseri, circà quæ Theologicum negotium non versatur, nisi pro quanto sub regulis generalibus, & autenticis daretur ars, sicut & data est, convincendi aliquem de pertinacia, & fautoria hæreticæ pravitatis: convertatur tandem inquisitio particulatæ quæstionis circà ultimam particulam suam quæ sic habet, *quod nulli fas est* &c. Illius videlicet Apostolicæ Sedis, seu Romani Pontificis judicium in causis Fidei, quæ tanquam majores ad ipsum, & Sedem Apostolicam deferendæ sunt, declinare.

Sunt aliqui, sicut dicitur, qui minùs istam particulam reputant sustinibilem, quàm præcedentem, qualificantes eam quòd est palàm hæreticalis, & totius Ecclesiasticæ Hierarchiæ, circà Fidei defensionem, seu conservationem finalem, & resolutivam, subversiva. Nituntur autem fundare dictum suum in aliquibus Propositionibus, quas reputant Catholicas veritates.

PRIMA PROPOSITIO.

In causis Fidei judicium inniti debet infallibili regulæ, sic quòd ultimus & supremus Judex, cujus sententiæ necessariò standum est tanquàm verè Catholicæ, non sit à Fide deviabilis; alioquin staret in casu, quòd homines obligarentur assentire contra Fidem.

SECUNDA PROPOSITIO.

In causis Fidei non habetur in terra Judex infallibilis, vel qui non sit deviabilis à Fide, de lege communi, præter ipsam Ecclesiam Universalem, vel Concilium generale eam sufficienter repræsentans.

TERTIA PROPOSITIO.

In causis Fidei nullus particularis homo per suam determinationem potest de Propositione non hæretica facere hæreticam, sicut nec de Catholica non Catholicam; ita nec Papa, nec Episcopus, propriè & verè loquendo, possunt Propositionem aliquam hæreticare. Possunt tamen Propositionem aliquam, quæ videtur aliquibus non hæretica, declarare quod sit hæretica, & hoc judicialiter, sicut Doctores scholasticè hoc faciunt, vel doctrinaliter. Et hoc appellatur facere Articulum; diversimodè tamen, quia Papæ determinatio pœnalis, extendit se ad omnes Fideles, sed Episcopalis, tantummodò ad subditos suos ut præcisè, est Episcopalis.

QUARTA PROPOSITIO.

In causis Fidei nulla determinatio judicialis Episcopi, immò nec Papæ solius præcisè ut est Episcopi, vel Papæ, ligat Fideles ad credendum quòd ità sit de veritate Fidei, sicut prætendit sua Declaratio; quoniam tàm Papa, quàm Episcopus deviabiles sunt à Fide: obligat tamen subditos sub pœna Excommunicationis talis Determinatio quòd non dogmatizent oppositum talis Determinationis, nisi appareat manifesta ratio repugnandi, vel per sacram Scripturam, vel per revelationem, vel per Ecclesiæ, seu Generalis Concilii determinationem.

QUINTA PROPOSITIO.

In causis Fidei sicut potest declinari Judicium Episcopi, si appareat devius à Fide, & requiri Judicium Papæ; sic de Papa, respectu generalis Concilii, suo modo dici potest. Et hæc est ad formam responsiva sequens ex præmissis, juncto, quòd apud Summum Pontificem, & ejus Sedem Romanam potest esse quandoque raritas peritorum in sacris Litteris, & in vera Fide probatorum, magis quàm apud quosdam ex ipsis qui generalia habent Studia sacræ Scripturæ, & aliarum Facultatum.

SEXTA PROPOSITIO.

In causis Fidei illa causa dicitur Major esse, non quæ est de re majori, sicut de Trinitate, & Unitate personarum; sed quæ difficilis est, & ambigua ad determinandum juxta textum Scripturæ. *Exod.* XVIII. *Deut.* XVII. & 2. *Paral.* XXI. In quibus fundantur Canones dicentes quòd causæ Majores Fidei sunt ad Sedem Apostolicam referendæ.

SEPTIMA PROPOSITIO.

In causis Fidei poterit una causa dici Major apud aliquem Episcopum, vel Diœcesim, quæ apud A alium Episcopum, vel Diœcesim non reputabitur esse Major, vel ad Superiorem sicut ad Papam remittenda; quià scilicet apud talem Episcopum, vel Diœcesim propter abundantiam Theologorum causa talis non reputabitur difficilis, vel ambigua; sed per sacram Scripturam jam damnata, vel approbata.

OCTAVA PROPOSITIO.

In causis Fidei non minùs aliquando occurrendum est sive per Episcopum, sive per Summum Pontificem, sive per generale Concilium, dùm cernuntur oriri scandala, & errores crudeles & impii contrà pacificum convictum Christiani populi, qui maximè consistit in observatione Mandatorum Dei de servando juramento, & de non interficiendo homines autoritate propria, & de non prestando ad usuram, vel B de non rapiendo, vel de non adulterando, quàm dùm insurgunt errores contrà aliquos de Articulis Fidei qui numerati sunt in Symbolo. Formant igitur rationem suam qui prædictam particulam impugnant, juxtà Propositiones præmissas, præsertim juxtà quinque primas. Fas est in casibus aliquibus concernentibus causas Fidei, declinare illius Judicium, qui reperiretur devius à Fide, vel de eis quæ Fidei sunt (cum suis Consiliariis) vehementer suspectus, per aperta signa nimiæ dissimulationis, vel acceptionis personarum, vel aliundè multis modis: sed (loquendo semper cum reverentia) staret aliquem Summum Pontificem cum suo Collegio sic posse deficere circà ea quæ Fidei sunt, quemadmodùm Petrus, & alii Apostoli defecerunt in Passione, immò (quòd minùs videtur) sicut Petrus deficiebat, nec rectè ambulabat ad veritatem Evangeli, & *reprehensibilis erat*, Gal. II. 11. dùm Paulus sibi restitit in faciem, ac proindè declinabat ejus Judicium: ergo fas est interdùm Summi Pontificis Judicium in causis Fidei declinare. Hæc autem C dicta, vel argumentata sunt magis ad veritatis inquisitionem, quàm ad alicujus (præsertim Sanctissimi Domini Martini Papæ) reprehensionem; attento quòd Constitutio sua, quantùm ad illa quæ fundantur in facto, non jacet sub Theologica reprehensione: & quantùm ad alia quæ Jus concernunt (sicut est prædicta pars excepta) dicerent benevoli sui, quòd non obstantibus allegationibus in oppositum, illa potest suscipere rationabilem & veram interpretationem, sicut recipiunt Constitutiones positivæ Decretis insertæ quibus innititur: sic intelligendo, quòd non est fas appellare à Papa vel ejus Judicium in causis Fidei declinare, non quidem pro omni & in omni casu; sed quando facit id quod in se est, & quando non apparet devius à Fide, sed ambulat rectè ad veritatem Evangelii, sine personarum acceptione, quemadmodùm in prooemio & narratione suæ Constitutionis dicit esse faciendum per Summum Pontificem, & D quòd ità fecit affirmat. Nam Constitutiones, & Leges, secundùm Aristotelem feruntur universaliter, quàmvis in aliquo casu dabili pati possunt instantiam.

Porrò, Dominus noster tollere poterit efficaciter suspicionem sinistram, quæ contra Sanctitatem suam fieri posset, si dicta sua factis compenset, hoc est, si spontè, nullo requirente, damnet doctrinam illam pestiferam, & crudelem contrà polonos, cùm similibus aliis, cum tali celeritate & rigore, qualem Fidei materia vergens in scandalum & perniciem Reipublicæ postulat & requirit, procul abjectâ quavis acceptione personarum.

Finit Tractatus Magistri Joannis de Gerson Sacra Paginæ Professoris eximii. Quomodò & an liceat in causis Fidei à Summo Pontifice appellare, seu ejus Judicium declinare.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SERMO
DE
MORBIS ET CALAMITATIBUS
ECCLESIÆ
ET
DE SIGNIS
FUTURI JUDICII,

Pronunciatus in die Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ, in Concilio Constantiensi.

DOMINUS *dabit vobis signum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium*. Isaiæ VII. 14. recitatum &c. Nunc quoad secundum, Reverendi Patres & Domini, restat ostendere, quomodò signum omnipotentiæ, & summæ clementiæ factum sit signum contradictionis, & ruinæ. Contradixit enim Achaz petere Signum quod per Prophetam, scilicet Isaïam, à Domino sibi erat præceptum: *Non petam*, inquit, *& non tentabo Dominum*. Isaïæ VII. 12. Hoc quidem addidit, *& non tentabo Dominum*, formâ quidem pietatis, sed non virtutis. Colebat Achaz idolum quod deserere noluit, & ideò ne Dominus exaltaretur, & idolum vilipenderetur, signum petere recusavit. Et propter hoc, teste beato Jeronymo in glossa, in gravem ruinam incidit, quia totaliter à Domino derelictus fuit. Verum quià ipsius Achaz contradictio, signi adventum longè præcessit, consideremus illud quod justus Simeon & timoratus pòst signi ortum prophetaverit: *Ecce*, inquit, *positus est hic in ruinam multorum in Israël, & in signum cui contradicetur*. Ad Virginem verò: *Tuam*, inquit, *ipsius animam pertransibit gladius*. Luc II. 34. 35. Quod utique, orto signo, Herodes implevit, quia mox pueri animam quæsivit. Postmodùm contradixerunt Judæi, contradixerunt persecutores, contradixerunt hæretici, quorum aliqui Virginem non de substantia carnis Christum edidisse dogmatizabant. Alii filium non peperisse, sed reperisse sibilabant. Alii verò cognitam blasphemabant. Alii Dei Matrem audire non sustinentes, magnum illud nomen *Theotocon* impiissimè sugillabant. Sed cunctas hæreses in suis autoritatibus sola Virgo in ruinam detrusit, quando Archangelo signum nuncianti credidit. Sed præter hos magis contradicunt alii, scilicet moderni Ecclesiastici, qui nedum signo contradicunt, sed gladio, Virginis animam crudeliter transfigunt. Per Virginem noto Ecclesiam, cujus typum gerit Virgo Maria, quam trahunt in ruinam per mala exempla. Neque enim hæreticorum, atque persecutorum contradictio tantam Ecclesiæ intulit ruinam, quin ipsa semper in sob[…]em cresceret nimiam, immò quantò majorem contradictionem sustinuit, tantò plures suæ virginitatis defensores peperit. Tales pergebant intrepidi in ejus adjutorium, galeam bonorum exemplorum imponebant capiti, & accingebant *gladium spiritus quod est verbum Dei*. Ephes. VI. 17. Porrò si quandoque hìc videbatur calcari in sanguine, tamen vivebat, & eò amplius crescebat ex Dei virtute, Domino de ea loquente sub nomine Jerusalem. Ezech. 16. ℣. 6. *In die qua nata es*, inquit, *vidi te conculcari in sanguine tuo; & dixi tibi: In sanguine tuo vive*, & loquitur de tempore Martyrum. Sequitur: *Et multiplicata es, & grandis effecta es, emundavi sanguinem tuum ex te*, scilicet cessante persecutione. Grandis quidem effecta erat multitudine credentium, grandis speciositate virtutum, grandis copiositate temporalium, eodem Propheta subsequenter dicente: *Dedi*, inquit, *coronam decoris in capite tuo, & ornata es auro, & argento. Decora facta es nimis vehementer, & profecisti in regnum, & egressum est nomen tuum in Gentes propter speciem tuam: quia perfecta eras in decore meo, quem posueram super te*. ℣. 12. 13. 14. Magis videtur historia hæc quàm Prophetia

A de prosperitate Ecclesiæ. Sed quid, Reverendi Patres & Domini, de moderno tempore idem Propheta subjungit audiamus: *Et habens*, inquit, *fiduciam in pulchritudine tua*, scilicet in temporalium abundantia, & seculari potentia, *fornicata es in nomine tuo*, ℣. 15. loquitur similitudinariè de fornicatione; sicut mulier præbens venale, quod natura fecit non venale, dicitur fornicari. Sic etiam dicitur fornicari, secundùm Doctores præbens venale, prece, pretio, vel inordinato favore, quod gratis erat dandum pro virtute. Sequitur: *Et post omnes abominationes tuas non es recordata dierum adolescentiæ tuæ*, ℣. 22. scilicet de tempore Martyrum, & sanctorum Patrum, *sed in cunctis plateis ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuum*. ℣. 24. 25. Tunc sequitur punitio & gravis ruina: *Ecce ego*, inquit, *dabo te in manus odientium, te, & destruent lupa-*

B *nar tuum, & demolientur prostibulum tuum*, id est, locum in quo exercebatur injustitia, & simonia: *& denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent te plenam ignominia*. ℣. 39. Sed forsan aliqui blandientes sibi putant, hæc si dicta de futuro, quòd non sint timenda, aut quòd venire debeant de propinquo. Et ideò quàmvis non sit nostrum *nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate;* Act. I. 7. tamen propono ex dictis Doctorum, & sacra Scriptura aliqua contradictionis, & ruinæ signa adducere, ex quibus possumus propinquitatem suspicari, vel conjicere.

Primum signum est rebellionis, & inobedientiæ. Et hoc sumitur ex verbis Apostoli 2. ad Thes. II. 3. *Et nisi venerit discessio primùm* &c. Quod beatus Hieronymus. II. *quæst*. ad inquisitionem Algasiæ exponit de Romani Imperii desolatione, inter quam & Ecclesiæ persecutiones prævias Antichristo, quarum una forsi-

C tan erit prima temporalium ablatio, nullum ponit medium. Quædam glossa dicit, quòd erit discessio aliarum Ecclesiarum ab ipsa Romana Ecclesia. Magister super verbo, *præmissio*, has simul conjungit. *Completâ*, inquit, *hac accessione ad Romanum Imperium, & Ecclesiæ obedientiam, aderit discessio ab utroque Imperio*. Accessionem novimus fuisse antè hujus schismatis ortum, postmodùm completa videtur fuisse discessio. Et primò ab Imperio temporali. Hoc satis evidenter apparuit; quia vix civitas, Baro, aut miles antè hujus gloriosæ Virginis Assumptionem Romano Imperio obedire curavit. Et si aliqui videbantur obedire, hoc erat vel in sanguinis propinquitate, vel Præsidentis proprii dominii potestate. Discessio à Romana Ecclesia videtur in Ecclesia completa. Nam si primò, vel secundò electus in exor-

D dio schismatis fuerit Pontifex, verè tunc ab utroque vel successoribus recessus videtur completus. Nam ad tantam ambiguitatem Universalis Ecclesia devenit, quòd ignorat apud quam partem vera Sedes Romana erat, nisi forsan Deus alicui revelasset, aut Salomonis Judicium de puero, divendo & vera & falsa matre, hoc persuaderet.

Secundum signum desolationis est inverecundia. Et hoc sumitur ex illo, quià efficitur moribus pejor quàm fuit Synagoga, cùm imminebat ejus ruina. Undè secundùm beatum Hieronymum triplex erat peccatum Pharisæorum, qui & dicebantur Clerici Judæorum, scilicet avaritia, quia columbas in Templo vendi permittebant; solùm labiis Deum honorabant, & tanquàm hypocritæ docebant, quæ non faciebant. Sed nunquid id pejus est sacrilegium Ecclesiastica Beneficia, & spirituales potestates prece, pretio, aut inordinato fa-

Digitized by Google

favore distribuere, quàm columbas in Templo vendi permittere? Anne minus malum sit, solùm labiis Deum honorare, aliosque per hoc ad devotionem inducere, quàm locum ministerii solùm spe questûs suscipere, & cessare ob superbiam à laude Dei, & silere. Et de talibus Isa. LVI. 10. 11. *Canes muti non valentes latrare. Canes impudentissimi nescientes saturitatem. Venient dies super vos* &c. Demùm nunquid minùs nocivum videtur Ecclesiæ propriam malitiam hypocrisis pallio cooperire, & *velut æs sonans & cymbalum tinniens* 1. Cor. XIII. 1. alios per prædicationis officium docere, quàm inverecundè pravis moribus & exemplis subditos secum in ruinam trahere? Æstimo enim, quòd nemo boni judicii contrarium diceret, sed illud *Jerem.* III. 11. potiùs completum concederet: *Justificavit animam suam aversatrix Israel* id est, Synagoga, *comparatione prævaricationis Judæ.* Ibi Origenes: *De nobis*, inquit, *hæc intelligit.* Dominus loquens Ecclesiæ: *Soror tua Samaria*, id est, Synagoga *dimidium peccatorum tuorum non peccavit, sed vicisti eam sceleribus tuis.* Ezech. XVI. 51. Sequitur ruina: *Ergò & tu porta confusionem tuam.* ỷ. 52. Et postquam diffusè descripsit malitiam, & destructionem Synagogæ, adjecit dicens de Ecclesia: *Plus insanivit libidine: & fornicationem suam præbuit impudenter Ducibus & Magistratibus ad se venientibus, indutis veste varia.* Ezech. XXIII. 11. 12. Et benè, inquit, *indutis veste varia. Insanivit libidine*, id est, cupiditate divitiarum, & concupiscentia delitiarum. Erat namque futurum ut Prælati Ecclesiarum non vererentur Ecclesiæ primitivæ venerandam pudicitiam pretio, ac precibus, & impiis actibus infamare. Ità ut impletum sit quod sequitur: *Confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ*, ỷ. 21. Subjungit tunc ruinam, repetendo causam ejus: *Recessit anima mea ab ea, sicut recesserat à sorore ejus*, ỷ. 18. id est, Synagoga, *quia scelus tuum, & fornicationes tuæ fecerunt hæc tibi*; ỷ. 29. 30. loquitur de fornicatione superiùs expressa, id est simonia.

Tertium sumitur ex personarum dispositione, & est immoderata inæqualitas, quâ alius & sæpè dignior esurit: alius, & frequenter indignior, præ multitudine, & magnitudine beneficiorum ebrius est. Nam sicut in bona harmonia requiritur vocum inæqualitas proportionabilis, tamen moderata; quæ si nimia fuerit, tollitur melodia: ità secundùm Philosophum, *propter civium disparitatem, & præsertim indignorum exaltationem, dignorumque depressionem, obruitur politia.* Et ideò dicit, quòd *politia, in qua sunt plures mediocres est diuturnior.* Sed non puto, quòd unquàm fuerit aliquarum Gentium politia, in qua esset tanta Sacerdotum differentia, ut hi quidam essent majores Principibus hujus sæculi, licet indoctiores: alii ejusdem gradus, & ordinis, licet doctiores, & sapientores, dejectiores vulgo. Communitas enim talis apud eumdem Philosophum vocatur Oligarchia. Prætereà videmus in corpore humano (cui Apostolus in pluribus suarum Epistolarum passibus Ecclesiam comparat) quòd si nutrimentum fluit ad unum membrum, ita ut enormiter ingrossetur, & alia nimia attenuatione demacerentur, non potest diù vivere: sic in corpore Ecclesiæ, si Superiores fiant ità graves attractione substantiæ, quòd inferiores vix possunt præ inopia se sustinere; hoc est signum jam propinquæ ruinæ. De talibus enim ait Dominus Amos IV. 1. *Vaccæ pingues in Jerusalem, qui calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes. Ecce dies venient super vos.* Et infra VI. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion*, id est, in Ecclesia.

Quartum signum est fastus, & superbia Prælatorum, & aliorum Ecclesiasticorum. Quamvis enim ex naturali prudentia, & morali Philosophia similiter & Theologia conceditur, quod Ecclesiastici debent habere unde possint honestiùs vivere quàm privati, & Prælati quam subditi; Ex hoc tamen non [illegible] familiæ, & equorum, & vestium superflua [illegible], quæ ratio absque superbia potest duci, & salvâ justitiâ sustineri, & plerumque non sine injuriis, & delictis gubernari. Nam tantus fastus in Dei Ecclesia, potissimè temporibus istis, non tàm paucos movet ad reverentiam, quàm multos ad indignationem, & plures invitat ad prædam qui se reputarent forsan Deo sacrificium offerre, si possent quosdam divites Ecclesiasticos spoliare. Tales fastuosos notat Dominus Amos VI. 1. *Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Israel.* Quibus in signum ruinæ in eodem capitulo *væ* dicit. Isa. XXVIII. 1. 3. *Væ coronæ superbiæ; pedibus conculcabitur.* Quod Abbas Ioachim exponit de magnis Prælatis qui propter eorum superbiam procurant ut fiant in Ecclesia Dei schismata.

Quintum signum sumitur ex tyrannide Præsidentium, quæ cùm sit violenta, durare in æternum non potest. Undè proprietas tyranni est, quærere non bonum publicum subditorum, sed utile proprium. Tales sunt *Pastores, qui non pascunt gregem Domini, sed semetipsos*, quibus dicit *væ* Ezech. XXXIV. 2. Gaudent de malefactis eorum quos pecunialiter possunt condemnare. Nec quærit quis, quantùm deliquerit, sed quantùm quis solvere possit. Quibus Dominus dicit Mich. III. 2. *Audite Duces domus Israel: Vos odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis. Qui comederunt carnes populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt.* Ideò dicit Dominus Ezech. XXXIV. 10. *Cessare eos faciam ut non ultra pascant gregem meum, liberabo eum de ore eorum, & non erit eis ultra in escam.*

Sextum signum est conturbatio Principum, & commotio populorum, quam in multis partibus experimur irrecuperabiliter destruere Ecclesiam, & destruxisse, ità ut impleatur illud Jerem. IV. ỷ. 20. *Contritio super contritionem vocata est, repentè vastata sunt tabernacula mea.* Ezech. VII. 24. 25. *Adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum, & quiescere faciam superbiam potentum, & possidebunt sanctuaria eorum. Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum.* Et ista videmus impleta in Græcia, in Hungaria, in inclyto olim Bohemiæ Regno, & pluribus vicinis regionibus.

Septimum signum est recusatio correctionis, si fortè de Principibus Ecclesiæ intelligatur, quòd scriptum est Zach. VII. 11. 12. *Noluerunt attendere; & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent verba, quæ misit Dominus in spiritu suo per manum Prophetarum priorum.* Et Isa. XXX. 9. 10. *Filij mendaces, noluerunt audire verbum Dei. Qui dicunt: Nolite aspicere nobis ea quæ recta sunt; loquimini nobis placentia*, quià nolunt intelligere ut benè agant De quibus Amos. V. 10. *Odio habuerunt in porta corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt.* Tales salutaria monita, & sacram Scripturam reputant fabulas, & in ea meditantes judicant fantasticos. Contrà quorum Ecclesiam Dominus Osee. V. 6. 7. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi: & Oblita es Leges Dei tui, obliviscar & ego filiorum tuorum. Secundum multitudinem eorum sic peccaverunt mihi; gloriam eorum in ignominiam commutabo. Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* ỷ. 9. Et Ezech. VII. 26. *Lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus.*

Octavum signum est novitas opinionum. Ex hoc enim surgunt hæreses; schismata orta defenduntur, & defensa radicantur; radicata, ut experimur, Fidem, & Ecclesiam destruunt. Moderno enim tempore unusquisque interpretari, & trahere non veretur sacram Scripturam, Jura, sanctorumque Patrum instituta, ad libitum suæ voluntatis, prout amor, odium, invidia, spes promotionis, aut vindicta eum inclinat. Aliqui eorum leviter nimis alios Hæreticos dicunt, quos tamen nondùm hæreticare noverunt. Alii verecundiâ ducti quandoque forsan errores defendunt, ne levi opinione vulgi videantur inquinati. Hi invicem, ut ait Apostolus, *languent circa quæstiones &*

Digitized by Google

& pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ. 1. Timoth. vi. 4. & II. iv. 3. *Erit*, inquit, *tempus cum sanam doctrinam non suscipient, sed ad sua desideria coacervabunt sibi Magistros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent & ad fabulas convertentur.* Fabulæ, & non sanæ doctrinæ sunt, quæ *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, 1. Cor. II. 4. vel in sublimitate sermonum, aut secundùm zelum, & contentionem, aut inanem gloriam, non in revelatione Spiritus Sancti, sed secundùm traditionem hominum consistunt. A quibus quatuor nos cautos reddit, *ut non circumferamini*, inquit, *omni vento doctrinæ, & nequitia hominum, in astutia, ad circumventionem errorum.* Eph. iv. 14. Præter hæc sunt alia signa, videlicet recessus justitiæ. Hæc fuit causa destructionis Romanorum, prout deducit Augustinus lib. *De Civ. Dei.* Destructio Studiorum, quam comitatur penuria sapientum; & ex hac sequebatur destructio Græcorum. Prælatio puerorum, ac ignorantium, ac pravorum; & hæc erit destructio Latinorum. Plura alia sunt scripta in Prophetis de dejectione Sacerdotalis honoris, ex quibus & prædictis sapiens potest concludere ruinam temporalium Ecclesiæ de propinquo imminere. Et forsan juxtà illud Isa. xxx. 13. *Subitò, dùm non speratur, veniet contritio.* Quia Prov. I. 25. scribitur: *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego* autem *in interitu vestro ridebo; cum irruerit super vos repentina calamitas, quando venerit super vos tribulatio & angustia.* Nec debemus reputare hoc impossibile, quià nostris temporibus vidimus aliqua quæ nuper erant incredibilia. Et timendum est, majora esse in posterioribus. Immò verisimile puto, quòd à multis Annis non fuerint tot malevoli, tanti corde rebelles, & animo accensi contrà Ecclesiam, sicut his diebus. Videtur enim quòd Dominus *convertit cor eorum, ut odirent populum ejus, & dolos facerent in servos ejus*, scilicet in Sacerdotes *Psal.* civ. 25. Quos in longum compescere nequaquàm valebimus, nisi signis virtutum manifestis ad benevolentiam eos inclinaverimus. Nec multùm proderit, vel forsan ad modicum durabit unio, nisi cessent præmissa signa, quæ etiam fuerunt causa schismatis, & sequatur notabilis, & magna morum reformatio. Ad hoc enim, Reverendi Patres & Domini, Deus omnipotens miro quodam modo cunctis partibus vos diversos, quin & adversos, tanta multitudine in unum congregavit. Ad vos totus Mundus, tanquam ad signum ducens naufragantes ad portum respicit; hoc ipsa Ecclesia inenarrabilibus lachrymis, & gemitibus à quolibet vestrûm querendo requirit cum Job. xxix. 2. *Quis mihi tribuat, ut sim sicut fui in diebus adolescentiæ meæ, quando Omnipotens erat mecum.* Tunc enim Omnipotens erat secum, quia in priscis Patribus nullum apparuit contradictionis signum. Præstolatur etiam dies adolescentiæ suæ, ut moribus & doctrinis sanctorum Patrum decorata, possit (ut ait Beatus Augustinus *in sermone super Cantica*) exemplo Virginis, credendo verbum divinum concipere, & prædicando parere, rebelles quoque & contradicentes vigore suæ adolescentiæ in ruinam detrudere. Hoc significavit virga Aaron, quando Dominus præcepit Moysi: Num. xvii. 10. *Refer*, inquit, *virgam Aaron in Tabernaculum ut servetur, in signum rebellium filiorum Israel*: Virga Aaron florida & fructifera, quàmvis non sarculo culta, nec humefacta, Virginem concipientem & parientem, quàmvis virum non cognoscentem signat, quæ posita erat in signum rebellium, id est, contradicentium, & ruinam. Et hoc Propheta nunciavit domui David, ubi thema: *Nunquid parum vobis est molestos esse hominibus*, id est, contradicentes, *quia molesti estis & Deo meo? propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Isa. vii. 13. 14.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

DECLARATIO

COMPENDIOSA

DEFECTUUM VIRORUM

ECCLESIASTICORUM.

Recognit. ad MS. Cod. Victor 699.

MONITUM.

Compositus videtur iste Commentarius ut Concilio Constantiensi offerretur ad reformationem morum.

FORTE dicitur mihi, Ecclesia *fundata est supra firmam petram, flaverunt venti inundaverunt flumina* Matth. vii. 25. 27. non est passa ruinam, quomodò tu dicis, reformatione indiget? Aut dic, in quibus. Sed si in nullis ejus partibus heterogeneis, id est, in ejus statibus, vel in nullis partibus materialibus, sive fluentibus, id est, singularibus suppositis hodiè correctione, & emendatione Ecclesia indiget, quæso, ubi sunt tunc præcedentium Patrum sanctæ, & rationabiles Constitutiones innumeræ, in eorum Conciliis, vel Epistolis Papalibus traditæ, quarum observantia nunc oblita, nedum expedivit olim, sed & magis modò fidelibus saluberrima esset, & opportuna, Et ut de pluribus taceam, & grandioribus. 1.° Ubi est, quòd Episcopus bonus, & probatus opere, & doctrina eligatur, non puer, non homo carnalis spiritualium ignarus? 2.° Ubi est, quòd Clerici in duabus civitatibus & Ecclesiis Præbendas, vel Prælationes non habeant? 3.° Quòd pro sepultura, Confessione, Ordinatione, Promotione, nullo prætextu ubicunque aliquid exigatur, aut detur? 4.° Quòd nullus Principum laïcorum Capellanum habeat, nisi ab Episcopo datum, in casu ab Episcopo deponendum, vel corrigendum? 5.° quòd nullus Episcopus, aut Sacerdos muneribus, precibus, ac favoribus, personarum acceptionibus promoveatur? 6.° Ubi est quòd Episcopi extra Diœcesim non morentur? 7.° Quòd Clerici non plures, quàm sufficiant, ordinentur? 8.° Quòd Episcopi, & Sacerdotes spectaculis, & ludis non intersint, nec delectentur? 9.° Quòd Sacerdotes nihil favoris, aut rustici ministerii exerceant, nec mercatores, venatores, aut negotiatores fiant. 10.° Quòd negotia causarum Festivis diebus, & in Ecclesiis non tractentur? 11.° Ubi est hodiè, ne rectores Ecclesiarum strenui sint in humanis rebus, & in Ecclesiasticis remissi, aut plus propria quàm Ecclesiastica jura procurent? 12.° Quòd non liceat Dominis, & Prælatis, observationibus superstitiosis Gentilium attendere, nec divinos consulere, aut stellarum cursus respicere in agendis? 13.° Ubi sunt Synodi Provinciales, secundùm Patrum Constitutiones semel, vel bis in Anno celebrandæ? 14.° Ubi quòd non licet quemcunque Clericum, vel Episcopum die Dominico absentem esse, sed Missarum solemniis interesse jejunum? 15.° Quòd Clerici ad Matutinum, seu Vespertinum Officium non venientes deponantur, nisi Episcopo vel Decano satisfaciant? 16.° Quòd non liceat Clericis antè tertiam horam prandere? 17.° Quod nullus Sacerdotum à Quinquagesima usque Pascha carnes comedat? 18.° Quòd Sacerdotes Adventum Christi jejunent? 19.° Quòd Clerici à subjectione non cessent? 20.° Ubi est hodie, ne quicquam pro Gradibus, pro Dignitatibus, pro divinis Sacramentis accipiatur: 21.° Ne Prælati Monasteriis, vel Eccle-

Digitized by Google

suis consanguineos suos, vel eis faventes præficiant? 22.° Quòd non ordinentur, qui Psalmorum, Canticorum, seu Hymnorum ignari sunt? 23.° Qui Scripturis divinis studeant Episcopi, & Sacerdotes, maximè Monachi & Religiosi; scientiis litigiosis, & practicis omissis? 24.° Ubi quòd oppressores pauperum, potentes & tyrannos Episcopi arguant, & corripiant? 25.° Ubi quòd per Annos singulos Episcopi Parochias suas circumeant cum effectu? 26.° Ut ad mensam Episcopi Scripturæ divinæ legantur? 27.° Quòd Episcopus angarias, & impositiones, vel hujusmodi gravamina subditis non imponat? 28.° Quòd Clericus scurrilis, & verbis turpibus plenus ab officio retrahatur? 29.° Ubi est nunc Clericorum singularis decor, & continentia in gestu, in vestitu, victu, & risu? 30.° Ubi, ne Clerici comam, barbamve nutriant, aut calceamenta, & vestimenta aliter quàm Religionem deceret, habeant? 31.° Ubi quòd stipendia Clericorum juxtà merita distribuantur personarum? 32.° Quod Clerici nuptialia vitent convivia? 33.° Quòd Clerici tabernas non ingrediantur, nec in eis dominetur crapula, & ebrietas? 34.° Ubi est illud Carthaginensis Concilii quarti, ut Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ autoritatem fide, & meritis quærat? 35.° Quòd Episcopus pro rebus transitoriis non leviter litiget? 36.° Quòd Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem, aut avaritiam non transeat? 37.° Quòd studendum est Clericis, ut dissidentes fratres magis ad pacem, quàm ad judicium cohortentur? 38.° Quòd Clerici per plateas, & fora discurrere non debent? 39.° Quod Clericus quemlibet verbo erudiat, & ne pauperes graventur; ut Paulus artificio victum quærat? 40.° Quòd Clericus artificio, vel agricultura, sibi victum absque sui officii detrimento præparet? 41.° Ubi est quòd Clerici in aliena civitate sine causa legitima non morentur extrà Præbendas, vel Ecclesias suas? 42.° Quòd ab his, qui Sacramentis divinis inserviunt, singularis castitas custodiatur? 43.° Quòd Clerici Actus sæcularium, vel procurationes non suscipiant? 44.° Quòd laïci Clericos Actores, vel rectores sibi non constituant? 45.° Ubi est hodiè illud Calcedonensis Concilii: „Monachi tantummodò intenti sint jejuniis, & o„rationibus, in locis ubi renuntiaverint sæculo, nec „Ecclesiasticis, vel sæcularibus negotiis, propria Mo„nasteria deserendo, insistant.„ Et maximè quid opus est Monachos evocari, cùm infiniti sæculares hodiè studeant in Facultatibus litium, Juris scilicet, & Legum. 46.° Ubi est, quòd non liceat Episcopo à sua Ecclesia plùs tribus heddomadis abesse? 47.° Ubi quòd Clerici aleatores, venatores &c. Communione priventur? 48.° Quòd officia Ecclesiastica pecuniâ non obtineantur, ut nihil pro ordinatione, vel pallio, vel pastillo, detur, aut accipiatur, *Cap. 5. Epistolæ tertiæ Greg. Papæ.* Nunquid vult modò verbum illud esse verum, scilicet beati Hyeronimi (quod qui Clericorum audierit, ambæ ejus aures tinniant) *Veteres*, inquit, *scrutans Scripturas, invenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de domo Dei populos seduxisse, præter eos qui Sacerdotes à Deo positi fuerant, & Prophetæ.* Et Chrysostomus super illud Matth. xxi. 12. *Et intravit Jesus Templum: Sicut*, dicit, *de Templo omne bonum egreditur, ita & de Templo omne malum procedit. Si enim Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, omnium Fides & virtus marcida est; sicut cùm videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia vitium habet in radice, sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum.* Ubi est fortè propter hoc devotio & obedientia inferiorum, defensio militum, pax Principum Christianorum ad finem, ut inter se concordes impugnent schismaticos & infideles, recuperando Regiones quas jam Christianis abstulerunt, & perverterunt. Sed nunquid hodiè omnes Sacerdotes Domini, & Prælati in ante dictis & post dicendis culpabiles sunt malis? Absit. *Reliquit* enim *Dominus sibi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata antè Baal.* 3. Reg. xix. 18. 49.° Iterùm. Ad quid expedit, aut quid utilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica Principum gloria, & tam superflua Prælatorum, Cardinalium pompa, ut quasi se homines esse nescire faciant? Et quæ utique abominatio, quòd unus tenet ducenta, alter trecenta Beneficia Ecclesiastica. Nonne indè cultus divinus diminuitur, Ecclesiæ depauperantur, valentibus viris & Doctoribus privantur, fidelibus mala exempla dantur? 50.° Quid sibi voluit, quòd Cardinales solùm de una Natione, vel quasi de una Patria fiebant, inter quos de singulis, vel notabilibus linguis, aliqui esse deberent; nunquid apud Christum est differentia Græci, & Latini, & Alemani, Hispani, & Hungari &c. 51.° Quid est, quòd hodiè unus utinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinque vel sex, vel octo Beneficia, quorum uno non est dignus; quibus octo sustentari possent, doctrinis, orationibus, & divinis laudibus insistentes. Attendite, an potiùs hodiè equi, canes, & aves, & superflua Ecclesiasticorum familia patrimonium Ecclesiæ comedere debeant, quàm pauperes Christi, vel quàm ad divini cultus ampliationem, & pro infidelium conversione, aut in hujusmodi pietatis operibus, modis congruis expendendum sit? 52.° Quot hodiè loca divini cultus, ut Monasteria, & venerabilium Martyrum Ecclesiæ Romæ, & alibi, ob prædicta, & ex Prælatorum incuria desertæ sunt, & destructæ? 53.° Judicate etiam, si justum quandoque sit, vel exactiones ab Episcopis Clerico imponi; ut collectoribus solvatur. 54.° Quid est etiam, quòd hodiè omnes medium Christianitatis pinguibus abundans Beneficiis tanquàm centrum quietis ambiunt, derelictis partibus Ecclesiæ *in circuitu*, ubi *impii ambulant* Ps. xi. 9. invisitatis, & à Doctoribus immittendis, & promovendis vacuis, & incultis? Ubi Fides est debilis, virtus imperfecta, schismatici abundant, infideles impugnant, utique opus esset in Lege Christi expertioribus Prælatis, & doctioribus Magistris, atque probiori, & abundantiori militari potestate. 55.° Quid est, quòd gladius Ecclesiæ scilicet Excommunicatio in sui contemptum modò tam leviter extrahitur, & pro modica re, ut pro debitis, vel hujusmodi, tam crudeliter in pauperes extenditur? 56.° Quid est quòd una causa super modica re durat tam multis Annis? Quarè litium prolixitas pauperum spoliatrix, convenienti modo non rescinditur? 57.° Quarè conversis Judæis de eorum bonis misericorditer non datur vitæ necessitas, potiùs quàm egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant? 58.° Etiam quarè non ordinatur Judæos inter Christianos morari non debere, nisi vel Christianis serviendo, vel agros colendo, vel in mechanicis laborando acquirant victum suum, & non usurando eis, in peccatum, & Christianis, in spolium. 59.° Quid etiam sibi vult, quòd quarumdam Ecclesiasticorum Cathedralium Canonici, calceis rostrati, vestibus accurtati, abjecto habitu clericali, & assumpto militari, in armis & hastiludiis se exercent? Episcopique cappâ, superpellicio, libroque depositis, arma sumunt, in campis armati pugnant, ut Principes sæculares? 60.° Quid est, quòd nonnulli Prælati Jurisdictionem spiritualem, & temporalem quibusdam potentibus tyrannis, & avaris, pro certa summa locant, in gravamen Ecclesiæ, subversionem justitiæ, & oppressionem pauperum? 61.° Quid est, quòd hodiè Episcopi, Abbates, Monachi, sunt plus Officiales Fisci, quàm Christi, totis nisibus militantes mundo in Curiis Principum, & sæcularium Judiciorum, seu Parlamentorum? 62.° Ecce quid sibi vult etiam, quòd modò potiùs omnes Episcopi, Prælati, & Parrochiales Sacerdotes per Papam constituuntur, quàm eligantur personæ notæ, & aptiores de Patria, ut non præficiantur Ecclesiis homines extranei in moribus, & linguis, & consuetudinibus?

bus? 63. Quid est, quòd hodiè Potentum & Nobilium pueri Ecclesiasticis dignitatibus præferuntur, & Clerici famosi in vita, & doctrina, eis subjiciuntur? 64. Quid est, quòd nunc spiritualium penitùs ignaris, qui à puero mundanæ & litigiosæ scientiæ, ut Legum, quarum studium Sacerdotibus est prohibitum, vacaverunt, regimen Ecclesiæ potiùs conmittitur? Nunquid Ecclesia per mundum gubernanda est, & non potiùs contrà morem mundi? eò quòd scriptum est: *Nolite conformari huic seculo*, Rom: XII. 2. &c. 65. Rursùs oculos aperite, & inquirite, si quæ hodiè claustra Monialium facta sunt quasi prostibula meretricum. Si quæ consecrata Canonicorum Monasteria fiant quasi fora, & diversoria. Si quæ Cathedrales Ecclesiæ factæ sunt sicut speluncæ raptorum, & latrorum. 66. Scrutemini, si alicubi Sacerdotes in consuetudinem duxerunt sub prætextu ancillarum habere concubinas. 67. Judicate si tanta imaginum, & picturarum in Ecclesiis varietas expediat, & an plures simplices nonnunquàm ad idololatriam pervertant. 68. Vidite, si tanta Religionum numerositas & varietas conveniat. 69. Examinate, si Religiones militares faciunt debitum, habeant in honore Sacerdotium, servent mores, Fidem, Regulas, & Canones Patrum. 70. Discutite, si expediat quorumdam tam larga exemptio, & privilegiatio, atque ab Ordinarium coercitione fit commoda subductio. 71. Si conveniat Urbanum Quintum, Brigittam de Suecia, Ducem Britanniæ Carolum, non obstante nimia Sanctorum multitudine, canonizari. 72. Si deceat quorumdam novorum Sanctorum Festa solemniùs peragi, quàm præcipuorum Apostolorum. 73. Si justum sit, priores Sanctorum solemnes Ecclesias deseri, & destrui, redditibus à collectoribus, vel Cardinalibus levatis, & quandoque post ad eorum memoriam, vel quasi gloriam Capellulas novas ædificari. 74. Rursùm pensate, si æquum est, fatuos præesse, & sapientes subesse; juvenes dominari, senes famulari; ignaros ardua discutere, scientes, loqui non audere; equorum famulos in promotionibus præponi, eloquiorum Dei discipulos postponi. 75. Perquirite, si quæ Scripturæ apochyphæ, aut Hymni, aut Orationes, successu temporis, studio, vel ignorantia, in detrimentum Fidei introductæ sint. Et corrigite opinionum discordias, utpote de Conceptione Virginis gloriosæ & consimilium. Sedate iniquas Leges: consuetudines pravas emendare. Nonne in Saxonia reperiuntur injustæ Leges à Theologis impugnatæ? Et quæ Christianorum consuetudo damnabilior esse potest eâ, quâ jam Clerici, & laïci, & Principes ubique insaniunt, sanctissimam Natalis noctem celebrantes ludo taxillorum, non contemplatione cœlestium mysteriorum? Nonne in Livonia consuetudo inolevit, ut nulli rusticorum Sacramentum Eucharistiæ detur? Nonne ibidem reperitur, quòd vir duas uxores vivas habeat, & mulier plures maritos? Quid plura? Ab Episcopis ad Concilium generale venientibus de qualibet Provincia, de omnibus inquirite abusivis consuetudinibus, & perniciosis ritibus, quacunque occasione in Ecclesiis & hominum statibus Regionum diversarum introductis; ut super deviationibus præmissis, & consimilibus, omnes Ecclesiæ status, vel in generali Concilio reformetis, aut in Conciliis Provincialibus reformari mandetis, ut de Autoritate vestra reparetur Ecclesia, & purgetur domus Dei ab immundiciis, vitiis, & erroribus universis. Hoc autem ut diligenter fieret, sancti priores Patres ordinaverunt, & Ordinationes eorum posteriores semper in Conciliis confirmaverunt, ut scilicet bis in Anno in qualibet Provincia celebranda esset Synodus. Undè in Canonibus Martini Bracarensis c. 18. ità dicitur: „ Propter Ecclesiasticas curas, & altercationum solutiones, placuit, per singulas Provincias bis in Anno Concilia fieri, convocante Metropolitano omnes Episcopos Provinciales, ita ut ad Concilium procedant omnes Presbyteri vel Diacones, vel hi, qui læsos se existimant, ut in Concilio causæ examinatæ ad justum Judicium perducantur. „ Hæc ibi. Secundumque „ Capitulum Carthaginensis Concilii III. dicit similiter. „ Placuit ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad Provinciæ plebem sæpè inventæ sunt, singulis Annis Concilium Provinciale convocetur. Rursùs Capitulum septimum Toletani Concilii IV. „ Quamvis, inquit, priora nequaquàm siluerunt de tanto facinore Concilia, ratio dictabat, ut ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti Sententia condemnentur, quàmvis, ut scribitur in eodem Concilio, sæpè pullulantia pravitatis germina sanctorum sæpissimè Patrum justâ noverimus severitate damnata; tamen quià crebris conspiciuntur denuò vigere radicibus, justitiæ acrioris vigore radicitùs ea amputari sancimus. „ Ceterùm Capitulum tertium Concilii Toletani IV. ità loquitur: „ Nulla penè res Disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia Sacerdotum, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores, Synodos facere negligunt. Ob hoc à nobis definitum est, ut quià juxtà antiquorum Patrum Decreta, bis in Anno difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltem semel à vobis celebretur. Ità tamen, ut si Fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliæ Synodus convocetur: si verò nec de Ecclesiæ communi utilitate tractabitur, speciale erit Concilium, prout uniuscujusque Provinciæ Metropolitanus elegerit peragendum. „ Hæc ibi. Ex quibus omnibus arguitur à simili, quòd etiam propter defectum Conciliorum generalium totius Ecclesiæ, quæ sola audet intrepidè corrigere omnes, ea mala quæ Universalem tangunt Ecclesiam manentia diù incorrecta crescunt, & inventa sunt de malo in pejus, donec tandem iniqua, sub fictione consuetudinis, reputentur licita.

His itaque peractis, ut in illo sit nostrum explicuisse, à quo nobis fuit inchoasse: invisibilis omnium Creatoris Principis pacis imploro opem suffragiis ut meis verborum energia tenuibus hortamentis vim tribuat effectus peroptatam, fragilitatemque humanam veritatis illustret fulgoribus, ut intentioni pietatis se non opponat pertinacem, ne divinæ severitatis ultio postmodùm corripiat contradictores, & non ut recto rationis libramine amplectentes, viam Concilii pacis misericordia perfluens, pax perpetua, & gloria suspiciat sempiterna.

Clemens Urbano litem quia moverat, ergo
Explicis errantem codex vasurus in Orbem.
Concilii placeat, nominetur Epistola pacis:
Si facit anterior torpor, vel devius error,
Ut taceant lingua, mundum transire, libelle.
Schisma necat tale, pete Concilium generale,
Clama, non metue montes transire per altos
Per sylvas, & aquas, valles, lacerasque miricas.
Non defers merces, sed veri portitor es tu.
Et si displiceas veri quia nuncius, ex quo
Assem vix valet esse tuum, quid si lacereris?

Finis Epistola pacis.

PRO-

PROPOSITIO
FACTA CORAM
CONCILIO GENERALI
CONSTANTIENSI

Ex parte Regis Franciæ, per eximium Sacræ Theologiæ Doctorem, Dominum Cancellarium Parisiensis Universitatis Anno 1416. die 5. Maji. Responsiva ad quamdam propositionem ex parte Domini Burgundiæ per Episcopum Atrebatensem prius, videlicet secunda dicti Mensis, factam.

Ad Codd. MSS. Vict. 698. & Colbert. 5972.

REVERENDISSIMI Patres ac Domini præclarissimi, Deo insuper amabiles, egregii, ac spectabiles Viri doctissimi, ac sapientissimi. *Deus, qui glorificatur in Concilio sanctorum, magnus & terribilis* Ps. LXXXVIII. 8. mihi loquuturo, immò nobis humilibus Ambassiatoribus Christianissimi Francorum Regis pro parte sua, & veritatis Catholicæ defensione loquuturis coram hoc sacro sancto Concilio, in spiritu pacis, & lenitatis congregato, in quo glorificatur Deus, exorandus est imprimis ac sibi dicendum cum Propheta: *Deus judicium tuum Regi da.* Accommodum satis est quod sequitur, *& justitiam tuam filio Regis.* Ps. LXXI. 1. Justè quidem sic exposcimus, ritè sic exordimur, quoniam dicente eodem Propheta: *Honor Regis judicium diligit.* Ps. XCVIII. 4. Quæ ratio? Nimirùm quia constitutus est Rex à Deo Judex hominum *in vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, 1 Petr. II. 14. *neque enim sine causa gladium portat*, Rom. XIII. 4. Confitetur hoc ipsum pia, grataque recognitione idem Rex suis Patentibus Literis, prout infra docebimus. Sed *væ mundo à scandalis*! Matth. XVIII. 7. Væ calumniantibus Christianissimum Regem superbis, ità ut exclamare fas habeat tam apud Deum, quàm apud hoc Concilium, Dei nutu congregatum: *Feci judicium & justitiam, ne tradas me calumniantibus me.* Ps: CXVIII. 121. Et illud quod sequitur: *Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.* ℣: 122. Et à quibus, oro, calumniantibus quærit Rex eripi? Quales sunt istæ calumniæ? Dicemus pauca pro re tanta, ut protinùs ad rem veniamus, quam exponere, atque defendere, missi sumus nos humiles, & devoti ejusdem Regis Ambassiatores.

Ecce calumnia dicentium etiam in hoc Concilio, quam auribus his accepi: Quid quæritis? Rex vester non fecit judicium & justitiam super nece luctuosissima unici Fratris sui, quam vel dissimulavit, vel indulsit. Calumniantur ex adverso plurimi dicentes: Rex utique justificationem mortis illius non justè damnari fecit, vel permisit, quam mortem non reprobare, sed approbare debuerat. Auditis calumnias conquaquaversùm, dextrorsùm, & sinistrorsùm, quas quomodò dissolvemus? Attendite, Patres Orthodoxi. Allegatum nuper hic audistis, & in Epistola Dominicæ currentis scriptum est: *Sequimini*, inquit, *vestigia ejus, qui peccatum non fecit*, 1. Pet: II, 21. & hic est Christus Jesus, quem invenimus proprias injurias æquanimiter indulsisse, *Qui cùm malediceretur* (sicut subdit Petrus ℣: 23.) *non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur.* Ipsum verò Patris sui Dei, divinæque Legis suæ contumelias acriter repulisse legimus semper, adeò, quòd referente Marco, dictum est quandoque de eo propter fervorem defendendæ Legis Dei: *quoniam in furorem versus est.* Marc: 3. 21.

Notat ista Chrysostomus super illud Matth: XVI, 23. *Vade retrò, satanas*, ubi nos inculpat, qui mites in injuriis Dei sumus, acres verò & implacabiles, immò crudeles in nostris vindicandis invenimur. Non sic Moyses, qui mansuetissimus existens omnium qui erant in terra, mira severitate prævaricatores Legis divinæ vindicare curavit. Rex igitur Christianissimus, & verè mansuetissimus, atque totus amabilis, A sequendo *vestigia ejus, qui peccatum non fecit*, pronus fuit, ac indulgentissimus in personalibus injurijs, sicut & fuerat ipse Frater suus, quo jubente nemo unquàm vita privatus est. Recogitat idem Rex velut ad se dictum, quòd Reges Israel clementes sunt. Et illud Salomonis Prov: XX. 28. *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & Clementiâ roboratur thronus ejus.* Quamobrem, sicut tradit in his Patentibus Litteris, misericordia in eo superexaltavit judicium, dùm de Fratris amantissimi nece vindictam non accepit. At vero dùm ad injurias diuinæ Legis, ac Fidei, dùm in adulterationem sacrilegam verbi Dei processum est, ipse nulla ratione potuit hactenùs induci, ut dissimulanter eas ferret, approbando justificationem sceleratam, hæreticalem, & impiam hujus execrandæ necis: tenuit B misericordiam in primo, veritatem in altero custodivit. Accipite, Patres Conscripti, memoriter quemadmodùm collaudavit, & gratias egit ipse Rex huic sacro Concilio, quod hanc assertionem: *Quilibet tyrannus* &c. damnaverat ut hæreticam. Quæ quidem assertio, sicut referunt prædictæ Litteræ, inventa est ex testimonio fide digno, sufficienter contineri in damnata propositione defuncti Magistri Joannis Parvi, qui justificare mortem hanc nititur horribilem. Et ecce testimonium sexdecim Magistrorum in Theologia in his Litteris, quales sunt apud Judices. Lectura verò tam istarum, quàm aliarum litterarum, atque schedularum placeat ut reservetur in finem, ne fiat interim nostra veluti cicatricosa narratio.

Porrò licet habeat parvitas mea hoc loco, Patres Celeberrimi, grandem, & multam adversùs calumniantes me respondendi materiam, nihilominùs pudet me, & pudere debet, qui sum pulvis & cinis, si non C ad imitationem Christi capitis nostri, si non exemplo Christianissimi Regis, ut præfertur, si non ad publicam hujus sacri Concilii jussionem, quamquàm velut è cœlo sonantem, libens accipio; si non, inquam, nunc agam dissimulanter circà proprias injurias, quatenùs illas Dei, ac Fidei morosiùs, & eo efficaciùs, quo patientiùs, possim persequi. Decrevi prætereà non insistere circà relationem eorum quæ sunt in facto, de quibus constare poterit & potest, quis vera, vel falsa dixerit in prospectu tam sacri Concilii. Nam conari omnia falsa refellere, & mordentes remordere, contentio potiùs canina est, muliebris, procax, & indigna, quam gravitas Christiana. *Christus*, jam dixi, & repeto, *cum malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non comminabatur* 1. Pet: II. 23. ubi satis quid sequamur admonuit Legi, qui dixit: *Verba iniquorum prævaluerunt super nos.* Sequitur fructus: *& impietatibus nostris tu propitiaberis.* Ps. LXIV. 4. Fructus planè salubris, & uberrimus fuit (ni fallor) Rex David, cujus hæc verba sunt: qui cùm malediceD retur à Semei, dixit ad Abisai, volentem eum confodere, *Dimittite eum ut maledicat, si fortè reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hodierna.* 2. Reg. XVI. 11. 12. Porrò si quidem verbis constringam pusillum, vel magnum; neque enim glorior me perfectum esse, qualem Jacobus loquitur, dicens *si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Jacob. III. 2. veniam supplex peto. Denique quali zelo, vel intentione materiam hanc Fidei castissima mentis integritate tractandam prosecutus usque modò fuerim, scis, ô cordium Deus inspector, *testimonium mihi perhibente conscientia*, Rom. IX. 1. quod *nihil mihi conscius sum*, 1 Cor. IV. 41. aliud intendisse principaliter deliberato & recollecto in se animo, nisi dilectionem, & emendationem hominum cum odio, & ex-

Digitized by Google

extirpatione vitiorum, & errorum, etiam usque ad certa discrimina corporis, & vitæ. Hoc odium habebat qui dixit: *Perfecto odio oderam illos*, Psal. cxxxviii. 22. Glossa: *Perfectum odium est, diligere naturam, vel personam, culpam odisse.* Sed quid sequitur? *inimici facti sunt mihi*: propterea si tale mihi contigerit, admirari non debeo. Vetus enim & tritum vulgò Proverbium est: *Veritas odium parit*, quòd etsi *nihil mihi conscius sum*, nihilominùs proclamo tremens & pavidus cum Apostolo, quòd *non in hoc justificatus sum: nam qui me judicat, Dominus est*, 1. Cor. iv. 4. Dominus ille magnus, & terribilis, ante cujus tribunal stabimus omnes. Illic apertè videbitur, quo quis zelo, qua sinceritate, & simplicitate Fidem ac Legem suam servaverit, defenderit, & pro ea certaverit. Felix, qui nunc dicere poterit ex vero corde: *Feci judicium & justitiam, non tradas me*, &c. Ps. cxviii. 121. Felix, qui imitatus fuerit modo quo prædiximus Christum, proprias tolerando, & divinas absque ulla miseratione injurias persequendo. Felix denique, cui pro zelo domus Dei dici potuerit: *Iste sanctus pro Lege Dei sui certavit usque ad mortem, & à verbis impiorum non timuit, fundatus enim erat supra firmam petram.*

His itaque prælocutis liberatus videor ab onerosissima, inutili, & fortè probrosa contentione respondendi punctualiter, vel articulatim ad omnia quæ sunt in facto circà Processum Reverendi Patris, Episcopi Parisiensis, & Inquisitores hæreticæ pravitatis in toto Regno Franciæ, qui Processus si sit in hac civitate Constantiensi; postulamus, atque requirimus, quod ponatur in manibus Concilii. Constanter affirmo, salvâ cujuscunque reverentiâ & honore, quòd aliter pridiè multa dicebantur, quàm habeat in se verus Processus, qualem authenticum speramus in brevi recipere. Proindè quoad Processus alios hìc habitos, intendimus, dùm postulatos Judices habuerimus, copiam petere, ac deindè procedere, & causam instruere pro parte Christianissimi Regis, prout rationis ordo postulabit, & cum omni debita celeritate; quia procrastinationes non quærimus, sed quod justum est, quærimus justè fieri: *Quod justum est* (inquit Lex) *justè exequeris.* Credite, quòd talis obindè fuit ad Deum deprecatio præmissa: *Deus judicium tuum Regi da*, Psal. lxxi. 1. Verùm submisimus ex persona Regis ejusdem: *Feci judicium, & justitiam, non tradas me calumniantibus me*, Ps. cxviii. 121. Illis itidem addidimus: *Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua*, ℣. 134. Supersunt itaque plurimi secundam foventes calumniam, ut interim de prima sileamus, cujus purgatio litteris istis inseritur. Hæc est calumnia, sicut audivit Cœtus iste sanctissimus, quòd propositionem defendentem Magistri Joannis Parvi, & Assertiones novem exceptas ab ipsa, Rex idem Christianissimus non rectè damnari per ordinarios Judices Fidei fecit, permisit, vel approbavit. Quæ quidem propositio justificare nititur mortem Fratris sui, jubente Domino Duce Burgundiæ, per alios inflictam. Qua super re conqueritur ipse Rex in his Patentibus Litteris. Testor attamen Deum in primis, non me læto ea, sed mœsto ore recitaturum quæ continent, nisi quòd ita fieri defensio causæ Regis, immò Catholicæ veritatis, & Fidei nunc impellit. Protestor igitur, quòd non ad injuriam cujuscunque, non in causam criminalem, vel personalem, recensebo unam præsentium Litterarum particulam, qua sic habetur ex persona Regis: subindè inquit; quid injustius justificatione criminis; & talis criminis, in quo quid laudemus, quid remuneremus perpendite. Nunquid autorem laudamus; sed in eo defuit judicialis autoritas, & Regiam nostram spernens, invalidamque prædicans, & enormiter lædens usurpavit, tot abutens beneficiis, tot necessitudinibus, quibus Majestati nostræ, etiam ipso jactante, tenetur obnoxius. Nunquid ministros laudabimus? Sed eorum impietate, proditione, vecordia, crudelitate, sævitia, cupiditate, nihil execrabilius, fœdius, tetrius excogitari potest. Nunquid facti modum laudabimus? Sed hic per præmeditatas diu insidias, per confœderationum plurium simulationes blandas, per mille amicitiarum signa fallacia ad subitum fraterni Regiique sanguinis exitium, tanquàm de bestia processum est, & hoc hora tenebrarum, in tali civitate, ubi securitas plebeis etiam & advenis esse debuerat. Nunquid operis rationem & causas laudabimus? At nihil ibi probabile priùs, nihil posteriùs inductum est pro testimonio, quod tali notoriè constet qualem A secundùm Leges divinas, & civiles esse necesse est, ubi vilissimus etiam homo ritè vita privatur. Qualis nempe Lex non præmonitum, non auditum, non convictum, morte damnaverit sicut ait Nicodemus *Joan.* vii. 50. sicut & à Festo notatum est? *Act.* xxv. 27. Nunquid tandem facinoris hujus eventum ladabimus, & remuneratione dotabimus? Sed obinde florentissimum istud pridem Regnum nostrum jam per septennium tot calamitatibus infandis attritum est, tantum in eo sanguinis humani fusum fuit, ut æstimationem omnem effugiat. Hic planè est verus casus, Patres æquissimi atque sapientissimi, hic est casus cum acuto, brevis, sed validæ reprobationis, telo positus authenticè. Quo cognito, quid adhuc egemus testibus, quid ambagibus verborum, quid circumitionibus frivolis evasionum frustra niti necesse est, ubi mortem hanc comitatæ sunt læsa Ma- B jestas Regia; assasinorum crudelitas impia; juramentorum violatio fallax & blanda; Legum omnium divinæ, naturalis, & humanæ, prævaricatio notoria; denique Regni totius infanda calamitas & fœda. Nihilominùs ô mores! ô tempora! sunt etiam in hoc sacro Concilio, qui tales circumstantiarum notas vel non advertentes, vel nescientes, vel dissimulantes (negari quippe non possunt) columnias struere non cessant adversùs damnationem reprobissimæ justificationis hujus latam.

Calumnia prima. Calumniantur aliqui primò dicentes, Assertiones istas assertore caruisse; nec ex consequenti veniunt judicio Fidei reprobandæ. Sed respondemus primò, quòd in errorum damnatione non oportet Assertionem dari, ubi notorium est, & patens scandalum ex doctrina tali. Et utinam nec haberent, nec habuissent hujusmodi Assertiones assertorem; sed C habuisse Processus indicat, & nunc plurimos habere in hoc sacro Concilio, adversam non pudet partem gloriari. A qua factum est, ut à loco hoc sancto, & celebri, undè veritatis elucidatio sperabatur, indè proh dolor! falsitatis tenebræ depressiores per populum Christianum respersæ sunt. Dedit occasionem Decretum publicationis votorum, seu deliberationum, priusquàm examinarentur inter Magistros, & conferrentur ad invicem causæ, rationesque dicendi. Quibus aspectis, & libratis, pars adversa nihil probabilitatis, nihil solidi fundamenti, nullum denique robur autoritatis comperta fuisset habuisse. Et hoc perspicuè videbitur, Domino propitio; sed ægrè ferimus, quòd non citiùs, atque priùs.

Calumnia secunda. Calumniantur alii secundò, quòd Assertiones istæ sunt infideliter, & perperam præfato Magistro Joanni Parvi per æmulos attributæ. Monstrant hæ Literæ Regis contrarium, quod monstrabitur in Processu, & ex ipsa propositionis inspectione liquefit, quam hic examinandam, & damnan- D dam judicialiter offerimus. Hæc illa est, vel similis, quam in camera sua se præsente partim pronuntiavit, partim pronuntiari fecit, multis transscribentibus, idem Joannes Parvi, quæ postmodùm per exemplaria multa venditioni publicè fuit exposita. Veritas est, nec negamus, quod de conclusione finali propositionis istius sceleratissimæ, quæ conclusio est Domini Ducis Burgundiæ, sicut asseruit sæpè, & loquitur singulariter de ipso, quòd in nullo culpari debet, dùm fecit interfici Ducem Aurelianensem, sumptæ sunt quinque, sex, septem Assertiones non prorsùs dolo malo, vel ad veritatis immutationem, sed ut honor ipsius

ipsius Ducis Burgundiæ, quantùm fieri potuerat, celando nomen ejus servaretur. Quale est igitur, ea quæ in obsequium facta sunt, in maleficium retorquere? Porrò non secùs evenit in hoc Concilio, dum Assertiones absque asserentis nomine nunciatæ sunt, quod versum vidimus in grande præjudicium causæ Fidei, & Catholicæ veritatis, quia non ita potuit intelligentia dictorum ex causis assumi dicendi.

Calumnia tertia. Sequitur aliorum calumnia tertia A idem dicentium quod priores, sed ex alio capite. Contendunt enim, Magistrum Joannem Parvi veritates octo pro sua majore posuisse, quæ ab ipsis Assertionibus plurimùm sunt dissimiles. At verò calumnia talis non relevat in aliquo, sed aggravat, & gladio proprio facientem jugulat. Primo, quoniam prætensæ veritates istæ quædam reperiuntur in Fide, & moribus erroneæ, ut tertia, quarta, sexta, & septima. Aliæ vel falsæ, vel injuriosæ, scandalosæ, & piarum aurium offensivæ, immò & sacrilegæ, si examinatio debita fiat. Fatemur proindè, Assertiones istas novem non esse totaliter extractas ex prætensis octo veritatibus; quia ex conclusione principali tres, ut præmittitur, sumptæ sunt, reliquas verò cum pluribus aliis continent Articuli quatuor hàc illàc sparsim inducti pro majore, cum suis probationibus. Quis prætereà nescit, potuisse propositiones plures, & varias, scriptas fuisse pro eadem conclusione justificanda, immò & sic actum esse bis, aut ter, forsitan invenire- B tur testimonio fide digno. Fuit autem una variationis occasio, propositio facta Parisiis in Castro Luparæ, pro parte Dominæ tunc Ducissæ Aurelianensis ad impugnationem præfatæ propositionis Joannis Parvi, ita quòd non est verum, salva pace dicentis, quòd illa sua propositio non fuerit, ipso vivente quomodolibet impugnata. Cur autem non damnata judicialiter fuerit, plurima dici possent, sed amica brevitas, & loquendi sobrietas non patitur. Notum est illud Ciceronis: *Inter arma silent Leges*; qui audit, intelligat. Denique hanc cum prioribus calumniam unum verbum dissolvit, quia nihil actum est, nihil processum judicialiter contra personam aliquam, sed duntaxat contra quaternum istum, & alios similis tenoris, damnando doctrinam in eis pestiferam cum Assertionibus istis novem, & aliis illic positis, quisquis actor, vel non actor extiterit.

Calumnia quarta. Sequitur aliorum calumnia quarta. Veritatem, inquiunt, habent Assertiones istæ, spe- C cialiter prima principalis, & hoc in casu divinæ revelationis. Sed facilis est responsio, dicere: doce me de revelatione; nam absurdum & blasphemiæ proximum est, detorquere divinam revelationem passim in casibus Assertionis illius. Bullas è cœlis super hoc non recepimus, sed in oppositum Scripturas de cœlis habemus authenticas.

Calumnia quinta. Veniamus ad alteram calumniam quintam. Assertiones istæ (dicunt multi) veræ sunt in casu inevitabilis necessitatis. Hic est principalis locus refugii partis adversæ; delitescunt in hoc antro subdolæ & oberrantes ratiocinationum vulpeculæ. Docuit hoc lectura quaternorum, & allegationum fulcire conantium partem istam. In loco hoc publicæ sessionis convincuntur, & hoc per inspectionem omnium fere schedularum, ratiocinantium pro verificatione hujusmodi Assertionum. At verò credite, Patres Ortho- D doxi, *defecerunt scrutantes scrutinio*, Ps. LXIII. 7. & *meditati sunt inania*, Ps. II. 1. Repetemus hic pauca de plurimis, quæ adversùs calumniam istam & allegata, & scripta sunt. Sunt nimirùm Assertiones istæ, præter octavam, universaliter positæ, neque ad casum inevitabilis necessitatis coactatæ, immò potiùs exclusæ, quo casu, etiam inevitabilis necessitatis, negaremus eas ex forma loquendi veras esse: quod scilicet meritorium esset nedum occidere, sed occidi facere per insidias, & villanè sine diffamatione, &c. Omissa verò contentione super hoc, constat, ut prædiximus, Assertiones istas octo sumendas esse pro universalibus ex quadruplici radice. Primò ex usu communi, & vulgaris acceptionis. Secundò ex forma suæ locutionis. Tertiò ex modo syllogisticæ applicationis. Et quartò ex Theologicis sermonibus, ac moralibus regulis, in quibus indefinita pro universali solet poni. Declamationes omittere fastidii timor cogit, nam in prima multiplex distributionis signum ponitur, dum ait: *Licitum est unicuique subdito, &c.* Sed & quarta palàm est universalis dicens, quòd *quilibet tyrannus debet interfici per insidias, &c.* Porrò quid dicemus de nona, quæ sic habet: *In casu socialitatis, juramenti promissionis, seu confœderationis factarum ab uno milite ad alterum, quocunque modo id fiat, aut fieri possit; si contingat, quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium, aut confœderatorum, sponsæ suæ, aut suorum liberorum, ipse de nullo tenetur eas servare.* Oro quid universalius, ac proindè quid absurdius, quid falsius, quid dementius dici potest. Sed non minùs inepta est defensio quâ dicunt aliqui, istam ideò veram esse, quia præjudicium capitur tantummodò pro præjudicio animæ, quod est peccatum mortale, vel veniale. At verò forma propositionis vulpeculam hanc interimit, quoniam homo non jurat in præjudicium animæ uxoris suæ, vel liberorum. Confutatur & ex communi modo loquendi apud vulgus, apud Juristas, & Judices. Unde & Papias dicit, præjudicium esse impedimentum in causa. Rursùs æquè turpis & frivola est fuga, dicendo quòd præjudicium analogicè dicitur de præjudicio spirituali, & temporali. Postremò, etiam ubi præjudicium concederetur non posse dici nisi de præjudicio animæ, quod esset contra Jus; veruntamen homo pro conservatione juramenti deberet hujusmodi præjudicium non quidem facere, sed ab alio factum pati, pro conservatione juramenti. Patet in juramentis per metum extortis. Quanta est igitur, ô salutifer Christe, scandali materia adversùs hoc Concilium, & constituentes ipsum, bonos & graves, literatissimos & peritissimos utroque Jure, quod jam per undecim Menses: vel eò circà ventilari visa est hæc doctrina tam patenter hæreticalis, immò & sacrilega, tanquàm de propositione dubitabili, vel opinabili, aut forsan vera quæ sæcularibus illiteratis, nedum Christianis, sed & & Judæis, Paganis, & Barbaris debet esse notissima, prout in his Patentibus Literis Rex peroravit. Haberet hoc loco parvitas mea justissimam invehendi causam adversùs famosos quosdam Libellos, innitentes super hoc casu inevitabilis necessitatis, qui traditi sunt per primum ex Judicibus in Judicio, & protinùs decreta copia est habere volentibus. In quibus quot atroces injuriæ dicantur aduersùs hoc Concilium super condemnatione errorum adversùs Christianissimum Regem Francorum, & enormiter suprà modum adversùs præfulgidum illud jubar Ecclesiæ Parisiensis Universitatis, demùm contrà personas diversæ dignitatis, & gradus, recogitare, nedum legere prorsùs horror est. Quibus tamen addita est hæc injuria, quòd respondendi locus negatus est, vel non datus. Illic Autor inter cetera cadit in foveam quam fecit, dùm damnat, & irridet ignorantiam Logicæ apud illum qui consequentiam istam facit: Contradictoria illius; *Licitum est unicuique, &c.* est vera, ergò ipsa falsa, per Legem contradictoriarum, quâ nulla melior est consequentia. Nulla verò fallacior illâ, quam ipse facit ex adverso, saltem implicitè, dùm arguit sic: verum est in aliquo casu possibili, utputa, inevitabilis necessitatis, quòd licet occidere tyrannum, ergò licitum est unicuique &c. nam oppositum consequentis stat cum antecedente in casibus plurimis centum, vel mille. Sed hæc interim modestiæ, & brevitatis zelus prætereat.

Calumnia sexta. Veniamus ad sextam calumniam dicentium, quòd Assertiones istæ sunt satis exponibiles ad aliquem sensum verum. Respondemus negativè;

si

Digitized by Google

si juxtà regulam Hilarii præallegatam, & in schedula Fratrum Mendicantium positam perspicuè, pro nostro proposito, intelligentia dictorum ex causis assumatur dicendi, combinando scilicet conclusionem cum præmissis, & præmissas cum probationibus ad invicem. Ceterùm etsi verum esset id quod allegatur de exponibilitate ad aliquem sensum verum, nihilominùs propter casus longè plures falsissimos, & notoriè scandalosos, redderentur condemnandæ, ut aliàs in quodam Sermone & in schedulis quæ legentur, deductum est. A

Calumnia septima. Respondemus alteri calumniæ, quæ à veritate vacua, per numerositatem conatur evincere, dicens: assertiones istas plures habere defensores, quàm oppugnatores, sunt idcircò veræ, vel saltem opinabiles. O fallacissima, & hæreticis, atque erroribus favens calumnia! *Non sequeris* (inquit Lex Exod. XXIII. 2. *multitudinem ad faciendum malum.* Quare? quia *stultorum*, & etiam malorum, *infinitus est numerus.* Eccle. I. 15. Nihilominùs si ad numerum, & meritum placeat attendere, non dubitamus, multò plures atque gravioris autoritatis nos habere, tàm in hoc sacro Concilio, quàm alibi, attento quòd plures Magistri præsertim sæculares, nondum dederunt deliberationes suas, ut intelleximus, sicut illi de inclyta natione Anglicana, prout fertur, quos tamen vidimus strenuos, & industrios pugiles adversùs hæreticam pravitatem, B absque ulla acceptione personarum, vel patriæ etiam propriæ. Attento prætereà modo deliberandi quem fecerunt Fratres Mendicantes de quatuor Ordinibus, qui sunt illi facientes hunc numerum. Putamus enim non esse cum eis duos Magistros in Theologia sæculares, vel si veniant ad ternarium, totum est. Attento rursùs, multas esse causas extrinsecas quæ moverunt, aut movisse præsumuntur prædictos Fratres ad ità deliberandum in modum cujusdam conventiculi, ne dicamus conspirationis: qualis sit ipsorum habitudo ad Universitatem Parisiensem plures norunt. Sed hoc referare dimittentes, offendiculi formidine, dicimus ad excusationem multorum, quòd informatione plenaria caruerunt, & in Jure, & in Facto ex quo Jus oritur. Quid igitur mirandum, si ad pauca aspicientes de facili enunciaverunt; quibus si collationi mutuæ majorum ad invicem, & cum eis C interesse datum fuisset, quemadmodùm tanta & tam diuturna quanta est instantia à Dominis Commissariis in causis Fidei, existimare non possumus quin mutassent vota sua. Rursùs attendendum est, quòd materia præsens non est sic appropriata Theologis, quin conveniat Dominis Canonistis & Legistis, apud quos materia Præceptorum Decalogi propter applicationem eorum faciendam ad judicia, particulariùs & exquisitiùs enucleata est quàm apud Theologos; quales plurimi sunt qui Canones, Jura, & Leges, etsi speculativè studuerunt, ad praxim tamen operis judicialis nequaquàm traduxerunt. Erunt igitur tales, immò & laïci prudentes & boni judicii, Magistri insuper moralibus eruditi super eorum deliberatione quid sentiant, consulendi.

Calumnia octava. Subjungamus pro calumnia octava eorum qui dicunt, quòd assertiones istæ, ideò quià reprobatæ ac damnatæ sunt Parisiis, & hìc reprobari quæruntur, pepererunt infinita scandala, & parient etiam usque ad totalem destructionem Communitatis. Fatemur cum Christianissimo Rege ac D Universitate Parisiensi, sicut & experientia proh dolor! nimis edocuit, quòd assertiones istæ, & propositio continens ea, dederunt infinita scandala; sed quòd ex reprobatione & damnatione sua scandalum tam multiplex datum sit, vel negamus omninò; vel dicimus, quòd scandalizati per hujusmodi condemnationes, nedum non habuerunt causam rationabilem scandali; sed ex hoc reddunt se ac de scandalo in Fide & de bonis moribus, immò & de pertinacia multipliciter, ac vehementer suspectos. Videant igitur, qui retorquent injurias, quæ contigerunt, & calamitates ac reprobationem hujus pestiferæ doctrinæ, ne dùm alios inculpare satagunt assentientes damnationi; ipsi dissentientes incidant in foveam & laqueum inextricabilem, non solùm hæreticæ pravitatis, & fautoriæ homicidiorum, perjuriorum, ac insidiarum, ac seditionum sine numero, sed in pertinacis obstinationis damnabilem, & vix egressibilem labyrinthum se detrudant, ac detrusos manifestent. Neque enim certior est errantium pertinacia, quàm si ob veritatis publicationem vel damnationem erroris notorii guerras moveat quis, seditiones, & bella, aut moventibus proinde faveat, atque consentiat; sed in his pro nunc insistere non est nostrum.

Calumnia nona. Superadditur nona calumnia dicentium, assertiones istas spectare non ad Judicium Fidei, sed ad causam sanguinis, & quia concernunt Præcepta Decalogi, quæ idcircò ad Fidem non pertinent, quià continent evidentiam in lumine naturali. Concedamus in primis, quòd homicidium in se consideratum spectat ad causam sanguinis criminalem: sed homicidii justificatio, præsertim per Jus Divinum, atque Canonicum, tanquam illud sit licitum, laudabile, & meritorium, pertinet utique ad Judicium, & Judices Fidei. Est enim longè aliud loqui de homicidio, aliud de homicidii justificatione; sicut aliud est furtum, aliud est furti approbatio. Porrò dùm addit hæc calumnia, Præcepta Decalogi non esse de Fide, etiam propriè dictâ; fallit, & fallitur, sicut alibi perspicua & irrefragabili ratione monstratum est. Edocuit hoc tituli formatio obindè proveniens, ut fertur, dùm quæsitum est, utrum hæ novem assertiones sint Fidei judicio reprobandæ; sed hoc fieri procurans incidit in foveam, quam fecit.

Calumnia decima. Subinfertur tandem ultima pro nunc calumnia, quæ me pariter cum Rege quærit involvere, tanquàm aliquid execrabile commiserim. Ecce, inquiunt, iste Christianissimum Regem exponit discrimini turpis notæ erroris, vel hæresis in causa quam non voluit, nec vult assumere. Hic respondeo primò, quòd neque Regem, neque prudentissimum Consilium suum totum, neque Universitates, neque Prælatos, neque Clerum sui Regni, ità in manu mea teneo, quòd eos sufficiam, vel debeam prohibere à defensione causæ Fidei, neque certè volo. Ob hoc enim Rex dicitur Christianissimus velut antonomasticè, quià Fidem protegit & defendit. Dico secundò, quòd antequàm Rex veniret hìc in causam, assumpsi mihi causam ipsam modo quo decebat Theologum, à quo modo neque discessi, neque discedo, neque discedam, Deo mihi propitio, sicut reperiri debet in Actis me ita respondisse. Erat modus procedendi per denunciationem Evangelicam contrà doctrinam erroneam in Fide & moribus, ac multipliciter scandalosam. Dico tertiò, quòd dùm sensi Commissarios in causis Fidei aliter intendere, quia citabant me ut irem Divionem, & tutiùs mihi fortè fuisset ire in Babylonem, quia insuper nihil intendebam procedere contra personam qualemcunque, nec per strepitum, & figuram Judicii: Interrogatus, si facerem meam partem: respondi, quòd hujusmodi denunciationem contrà personam neque feceram, neque faciebam: & retribuat Deus in bonum illis qui contrà satagentes oppositum, quibus ignoscat Deus, meam in hoc innocentiam, & simplicitatem relevarunt: hoc memori, grataque mente retineo. Dico quartò, quòd si marteria stetisset in puris terminis Theologicis tractando eam stilo Theologico, qualis prædescriptus est, ita quòd de interesse personali cujuscunque personæ nequaquàm fuisset actum, non opus fuisset introducere Regis autoritatem. Nunc autem, dum res tractata est, & tractatur per Advocatos, & Procuratores, & Notarios, & per strepitum, & figuram Judicii, sensit adversa pars, credite, sensimus & nos, quòd divitibus, & divitiis opus erat: & ecce Litteras instructionis missas

missas per partem adversam ex hoc loco in Burgundiam, quæ satis hoc indicant; sed eas propalare jussio sacri hujus Concilii cum propositi modestia non permittit. Hic verò juridicus procedendi modus, qualis prædictus est, multos exterruit, ne manifestas hæreses hîc dogmatizatas, & notoriè prædicatas, vellent, vel auderent denuntiare Judicibus. Quis autem sit stilus in hac Fidei A materia practicandi, schedula posteriùs legenda docebit. Concludo tandem, & constanter affirmo, me firmiter credere, & nullatenùs dubitare, quòd hæc doctrina propositionis defendentis Magistrum Joannem Parvi, cum suis assertionibus, sicut inventa, & in isto Codice continetur, est erronea in Fide & moribus, ac multipliciter scandalosa. Quòd si fuerit aliquis, vel aliqui, quantumcunque multiplices, volentes Christianissimum Regem calumniari, quòd non fecerit in hac parte Judicium, & Justitiam, credendo, & credi mandando, sicut modò dicimus, & sicut operatus est: ego, nedum nomine Regis Christianissimi, sed etiam proprio nomine constituo me partem defendentem ad pœnam talionis, pro me & mihi adhærere volentibus in hac parte, & coram hoc sacrosancto, & Universali Concilio Dei nutu congregato. Dico, partem defendentem, attendite, quia partem accusantem contra personam aliquam neque feci, neque B facere pro nunc, nisi quid aliud urgeat, disposui. *Non enim mihi colluctatio est adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs Principes tenebrarum harum, &c.* Eph. VI. 12. Faciat igitur similiter pars adversa; ponat personam propriam in querela Domini sui, immò certè consilio meo non faciat, aut si fecerit, conquiescat. Absit à me, ut gaudeam super iniquitate, & non congaudeam veritati. Sed ecce, Patres Orthodoxi, Deo jure amabiles, dùm inter loquendum retorqueo mentis oculos ad præassumptum thema, quo diximus: *Deus judicium tuum Regi da*, Ps. LXXI. 1. rapior quodammodò de vivis ad mortuos, dùm id quod subditur, intueor, *& justitiam tuam filio Regis.* Et animadvertite, precor, interim, Patres benignissimi, viri misericordiæ, quorum justitiæ oblivionem non acceperunt. Advertite nunc paulisper ad me auribus vestræ carnis, & oculis; atque spiritualibus oculis, & auribus, quid Filius Regis & frater istius, Ludovicus in- C clytæ memoriæ, Dux olim Aurelianensis mansuetissimus, & benignus, elegantis formæ, perspicacissimæ sagacitatis, eloquentiæ singularis, & penè incomparabilis; quid, inquam, nunc ipse, immò quid sanguis suus clamet ad hoc sacrum Concilium, misericordi pietate pensate, compatientes estote ex innata teneritudine miserationis cordialis, revolventes vobiscum intra misericordiæ viscera, quo clamore, quo gemitu, quo plangore quærat modò justitiam? Non equidem, sicut æstimo, tantumdem pro ipsa morte naturæ, quia scit quòd mortuus est quandoque moriturus, quantùm pro tali mortis modo conqueritur; quantùm præterea pro crudelissimæ necis suæ justificatione, quæ est infamiæ mors altera, mors continua, mors indigna, neque minùs fugibilis, quàm sit ipsa mors naturæ. Hæc si quidem infamiæ mors civilis, nedum viventes interimit, sed deſævit in mortuos; non unum, vel duos interficit, sed posteri- D tatem totam, totum genus, & affines diro lacerat ignominiæ telo: vos tres præcipuè Filios illustres, ac ingenuos superstites, quorum unus obses, alter captivus tenetur in Anglia, non ut proditores quidem, sed ut vestri Regis, ac Regni fidelissimi defensores. O si datum esset his liberis, pupillis, orphanis, & captivis, astare coram Reverendissimo ac celeberrimo Cœtu præsenti; si fas alloqui, plùs planctibus, plùs suspiriis, plùs singultibus, lachrymis, & gemitibus, quàm ore, vel vocibus clamarent. Date Patri, date nobis Justitiam. O si procumbentes eos, & advolutos vestris sanctis pedibus cernerent hi misericordes oculi vestri, concipite quibus jaculis intimæ compassionis vulnerarentur piissima corda vestra: quia neque verbis extra proferre, neque intra me pro rei magnitudine comprehendere sufficio quod cupio; perficite quod nequeo. Cæterùm nunquid non, obsecro, sufficere debuerat, Patres sapientissimi atque misericordissimi, naturæ mortem immaturam taliter inflixisse Patri? Tollatur ergò mors altera, quam sacrilega impietate crudeliter inferre, ac renovare non cessat, tàm Patri mortuo, quàm superstiti generosissimæ proli suæ, Libellus hic verè famosissimus, ut Rex scribit, verè hæreticalis, scandalosus, humani fœderis æmulus, catholicè condemnatus, sceleratissimus, viperius, Legis Decalogi impugnativus: quin etiam misereamini pereuntium animarum, Patres ac Domini misericordes (illorum vicem multùm dolendo) qui damnabiliter (ita profectò est, damnabiliter) in perniciem propriæ salutis & alienæ, Libellum hunc lethiferum pertinaci animositate defendunt, & servare contendunt, ne pereat. Et ego nunc in spiritu lenitatis, in spiritu sacri Concilii præsentis, (qui est spiritus pacis, & concordiæ, spiritus charitatis, quæ *benigna est*, quæ *nec inflatur*, *nec irritatur* I Cor. XIII. 4. 5.) converto vocem meam ad vos, Reverende Pater ac Domine, Domine Atrebatensis, cum quo vixi olim familiariter, & benignè: ad vos similiter, Magister Petre, vice Domini Rhemensis, compatriota charissime, quos ego diligo in veritate, dilexi, & diligam, Domino propitio: (nam *qui non diligit*; *manet in morte*, I. Joan. III. 14. optabilius autem esset, perdere vitam carnis, quàm in tali vivere morte mentis.) Interrogo vos nunc aliqua; respondete, precor, immò, tacentibus vobis, respondebo ipse pro vobis. Nonne diligitis salutem temporalem simul & spiritualem Illustrissimi Principis, Domini Ducis Burgundiæ? Diligitis scio. Non diligitis securitatem inclytæ posteritatis suæ, in Dominiis hereditandis? Diligitis scio. Nunquid præterea non animadvertitis vero judicio rationis, mortem de qua loquimur, pravo consilio perpetratam: qualem, & qualiter nunquam Pater prudentissimus recolendæ memoriæ Philippus attentasset? Puto, quòd sic animadvertitis, neque, si affuissetis (eratis enim tunc in Italia) dedissetis tale consilium, de quali, dum aliquando, vivente Patre præfato, fuisset aliquis sermo habitus per nonnullos, continuò cameram exiens, & Medicum suum inveniens, mœstus ac turbidus clamavit: *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*, Ps. I. 1. Denique cognitum est, quòd mortem hanc, mox ut patefacta est, & annotata, sic ipse Dominus Dux præsens exhorruit, detestatusque est, ut diceret Dominis de Regio sanguine, *Diabolus*, inquit, *mihi persuasit*: quòd si mors injusta fuit, sit justificatio pejor, sit defensio justificationis pessima, consequens est. Vincat igitur vos, non ego, sed veritas, sed ratio, sed pietas, per salutem animarum vestrarum, & per illam quam vos expavescere, ac refugere convenit, pœnam errantium; per illam denique severitatem Sententiæ, quâ Christianissimus Rex Francorum supremus Dominus noster communis, per Litteras patentes suas (credite dicenti, his oculis vidi, his manibus palpavi eas) damnat hunc Libellum, tanquàm injuriosum regiæ Majestati suæ; mandatque plecti defendentes illum pœnâ crimini tali debita, quæ qualis sit, non latet vos, scio: & hæc cohibeat temporalis pœna, si non retrahere sufficit canonica, vel æterna.

Tandem ego ipse revertor ad vos, Patres Orthodoxi, supplicans, petens, & obtestans, per desiderium illud quod habent Reverendissimæ ac Deo amabiles Paternitates vestræ ad salutem animarum, ad extirpationem errorum, & correctionem errantium, si quid movet illa Ezechielis, immò Dei per Ezechielem expavescenda horribilis tuba, quæ pereuntium in errori-

Digitized by Google

roribus, & peccatis intonat, *Sanguinem à ſpeculatore muto requiram*, Ezech. xxxiii. 6. Tollatur per judicialem hujus ſacroſancti Concilii Sententiam Libellus iſte famoſiſſimus, mortifer, & hæreticalis, & eradatur memoria ejus à populo Chriſtiano. Ut quid etiam membranas occupat? Ut quid legentes, & audientes ſua contagione fœdat, inficit conculcatque? Hoc in receſſu ſuo quæſivit Sereniſſimus Rex Romanorum: ſupereſt ſchedula patens, cui ſigillum ſuum impreſſum eſt: & quid Pariſiis egerit famæ vox inſonat. Hoc ipſum petit, hoc ſuadet, hoc obteſtatur Chriſtianiſſimus Rex Francorum; hoc præclariſſima Pariſienſis Univerſitas, & alii quamplurimi: hoc nos poſtremò humiles ſui Ambaſſiatores ſupplicibus votis exoramus, quatenùs in hoc adjutores ſitis, dando Regi Judicium, & Juſtitiam filio Regis, ſequendo veſtigia Chriſti, qui ad hoc venit in mundum, ut oves errantes ad ſe reduceret. Sic itaque de priùs errantibus, ſi non obdormiverint, ſi non in errore cœpto pertinaces (quod abſit) extiterint, dicetur ex ſententia illud de Epiſtola Dominicæ currentis: *Eratis aliquando ſicut oves errantes, ſed nunc converſi eſtis ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum*, 1. Petr. ii. 25. Ad hoc quippe tendit Oratio propoſita vice thematis: *Deus judicium tuum Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis*, Pſ. lxxi. 1. Terminavimus in hoc primam præſentis Actus partem, reliquam per lecturam Litterarum quarumdam, & ſchedularum, quantùm audire placuerit, finietur.

Finit Propoſitio facta à Domino Cancellario Pariſienſi coram Concilio Generali Conſtantienſi ex parte Regis Franciæ. Et tunc poſtmodùm dictus Cancellarius Pariſienſis ac Magiſtri Jordanis Morini. G. pulch. nepotis, & P. de Verſailles Ambaſſiatores præfati Chriſtianiſſimi Francorum Regis, & ejus nomine, produxerunt coram toto Concilio Generali & in manibus Domini Protonotarii Januenſis, ſub cuſtodia Concilii & tradiderunt litteras, & alia monumenta ſubſequentia cum petitione Inſtrumentorum, ab omnibus Protonotariis & Notariis, de & ſuper dictis, datis, & proteſtatis. Primò quemdam parvum ſexternum papyreum continentem tres partes principales. In prima ponebantur ſex concluſiones Theologicæ contra Propoſitionem cujuſdam Joannis Parvi, & doctrinam in eadem contentam; & incipit, Quia ex Patentibus &c. *In ſecunda erant octo regulæ ſuper ſtilo Theologico tenendo in condemnatione errorum cum certis requiſitis, & incipit:* Super omnia vincit veritas. *In tertia erat brevis ſchedula petitiva examinationis faciendæ, de deliberatione quatuor* Ordinum Mendicantium, *ſuper novem aſſertionibus &c. & incipit*, Attendens Chriſtianiſſimus: *cujus quaterni magna pars fuit tunc lecta, & ſpecialiter Requeſtæ. Item magnam Litteram Regis Patentem, ſuper condemnatione dictæ propoſitionis Magiſtri Joannis Parvi, & incipit:* Regia Majeſtas noſtra. *Item, quemdam magnum quaternum papyreum ſignatum ſignis duorum Notariorum, continentem propoſitionem Magiſtri Joannis Parvi. Item Inſtrumentum advocationis Domini Cancellarii Pariſienſis, ſuper Propoſitione per eum ex parte Univerſitatis Pariſienſis aliàs facta coram Rege Francorum. Item ſchedulam papyream continentem appellationem à Judicibus Fidei, ſuper publicatione votorum &c. Item Litteram patentem Univerſitatis Pariſienſis, ſuper approbatione Sententiarum Domini Epiſcopi Pariſienſis. Item quemdam quaternum papyreum, in quo continebatur deliberatio Fratrum de quatuor Ordinibus Mendicantium ſuper novem aſſertionibus.*

FINIS.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Pariſienſis,

SERMO
CORAM

COMMISSARIIS FIDEI
DE ERRORIBUS

Contra Fidem & Mores, circa Præceptum

NON OCCIDES.

ÆSTIMO *me beatum apud te*, O ſacroſanctum Conſtantienſe Concilium. O cœtus celebris Reverendorum Patrum, ac ceterorum Dominorum in omni ſapientia, & doctrina, ac morum honeſtate fulgentium. *Æſtimo*, inquam, *me beatum apud te, cum ſim me defenſurus hodiè, maximè te ſciente omnia, nedum quæ apud Judæos*, ſed Chriſtianos *ſunt conſuetudines, & quæſtiones, propter quod obſecro, ut patienter me audias*, Act. xxvi. 1. 2. 3. Utitur verbis illis beatiſſimus Lucas, cujus hodiè natalis inſtat celebritas, qui comes individuus fuit egregii Doctoris Pauli: *Lucas*, inquit, *eſt mecum ſolus*, 2. Tim. iv. 11. & alibi: *Salutat vos Lucas, Medicus chariſſimus*, Coloſſ. iv. 14. cujus verba omnia, ſecundùm Hieronymum, languentis animæ ſunt medicina. Undè cùm Paulus fuiſſet à Feſto traditus in vinculis, Agrippæ Regi dixit idem Rex ei? *Permittitur tibi rationem reddere pro temetipſo: Tunc Paulus extenta manu; Æſtimo me beatum*, inquit, *apud te Rex Agrippa cùm ſim me defenſurus hodiè, maximè te ſciente omnia, quæ apud Judæos ſunt conſuetudines, & quæſtiones, propter quod obſecro, ut patienter me audias*. Sic ego de materia novem aſſertionum Reverendiſſimis Patribus, ac ceteris Dominis Commiſſariis in cauſis Fidei (per me nunciaturus) ex ipſorum nunc ordinatione rationem redditurus, æſtimo me beatum, propter quod obſecro unumquemque, ut patienter me audiat. Et in primis quidem, donandus eſt ordo dicendis, & evitanda confuſio; habendus eſt inſuper ſermo doctrinalis, abſque ulla circuitione, vel apparatu verborum, qualis eſt materiæ quæ tractatur accommodus; denique rememoranda eſt nunc diſtinctio, ne fallat nos æquivocatio: quam diſtinctionem memini me notaſſe, dùm prædictas novem aſſertiones cum ſuis reprobationibus nunciavi. Poſſumus ita materiam hanc dupliciter conſiderare. Uno modo purè Theologicè, & abſolutè, per conſiderationem ad conformitatem, vel deformitatem, ſecundùm Leges divinas traditas in Scriptura ſacra: alio modo, magis reſpectivè, & ſecundùm terminos Juris poſitivi. In primo tractatur de intereſſe ipſius Fidei, in ſecundo de intereſſe perſonali: vel ita dicamus: poſſe nos uno modo conſiderare Aſſertiones, vel alio modo ipſos aſſertores, aut reprobatores: Primum hactenùs obſervavi in omni Judicio, tam Pariſiis, quàm in hoc ſacro Concilio. Recogitans primò profeſſionem meam, & officium Cancellariatus Pariſienſis, cui indignus deſervio, quoniam Pariſiis ſic tractantur viæ Fidei per ſacram Theologiæ Facultatem, dùm deferuntur frequenter à diverſis mundi partibus, immò & à Romana Curia nonnunquam, quatenùs habeatur ejuſdem Facultatis doctrinale Judicium: ubi nihil unquam agitur de perſonis, niſi priùs ſaltem diſcuſſum fuerit de doctrinis. Conſcius ſum prætereà mihi ipſi, quòd finalis intentio mea eſt ad extirpationem errorum, quæ fieri priùs poteſt & debet

per eorum reprobationem doctrinalem, seu judicialem, quàm damnentur errantes. Rursùs tertiò, constat, quòd liberiùs, puriùs, veriùs, & citiùs exquiritur veritas, & falsitas reprobatur, dùm constituitur sola Lex divina Judex juxtà considerationem Aristotelis *Politic.* *Qui ponit*, inquit, *Legem judicem, ponit Deum; qui autem addit hominem, addit & bestiam*; & hoc dicit propter sensualitatem bestialem: De qua Virgilius *in* VI. *Æneid.*

Hinc metuunt, cupiunt, gaudentque, timentque:

conformiter ad illud prosaïcum.

Confusa sunt hæc omnia,
Spes, metus, mœror, gaudium.

Quocircà consulit apud Boëtium Philosophia.

Tu quoque si vis,
Lumine claro,
Cernere verum,
Tramite recto,
Carpere callem,
Gaudia pelle,
Pelle timorem;
Spemque fugato,
Nec dolor adsit,
Nubila mens est,
Vinctaque frenis,
Hæc ubi regnat.

Denique per hunc modum salubriùs observatur illud Augustini in Regula, *Quod fiat correctio cum dilectione personarum, & odio vitiorum.* Nec indè videtur quæri qualiscunque turbatio pacis: Domini quoque Judices faciliùs se expediunt, si priùs instituti erunt circà interesse Fidei, quàm si secundùm terminos Juris positivi priùs discutiant materiam, tanquam profanam, super interesse personali. Quod monstrant apertè quinque Menses in tali discussione sola ferè jam occupati: Undè & nonnulli ex Dominis Commissariis (sicut Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis, & ipse Promotor Concilii) eam hoc intendere quomodolibet voluerunt. Hanc ego modestiam conabor in Actu præsenti pro viribus observare, quod, obsecro, neque mihi, neque causæ Fidei, sed famæ quæ discutitur officiat, vel obsit. Sciunt enim plurimi, quemadmodùm conati sunt aliqui jugiter hanc materiam trahere ad personalia, in præjudicium, nedum causæ Fidei, sed famæ per litteras & aliter falsè læsæ: in quibus diluendis si sermo flecteretur, cognosceretur aperta veritas, in elucidationem clariorem causæ Fidei, & in laudem non mediocrem ipsam tractantium adversùs obtrectantes. Quamvis prætereà non sufficienter extirpantur errores, ubi notoriè perseverant errantes: nihilominùs sperandum est quòd corrigerentur omnes ad Sententiam Concilii. Quid igitur necesse provocare, vel accusare personam errantis, si damnare satis est errores. His itàque prælocutus, veniamus ad materiam, quæ novem assertiones cum suis approbationibus habet.

Pro cujus intellectu faciliori ponatur velut in una Decretali casus longus, dehinc brevis sub his litteris A. B. C. Casus est C. Rex supremus habet A. & B. vasallos suos, quorum unus non erat subjectus alterius, qui faciunt confœderationes ad invicem juramentis terribilibus firmatas. B. conducit homines prece, & pretio, qui per insidias præmeditatas interficiunt subitò A. non diffidatum, nec de hoc præmonitum, neque tale aliquid timentem, & hoc inscio C. Rege: tandem B. factum fatetur, & proponit se laudabiliter egisse, immò fecisse debitum suum ergà Deum & Regem. Pro cujus justificatione ponit, vel poni facit, tanquàm pro quibusdam regulis, seu maximis, novem has assertiones. Itaque per primam justificat mortem ipsius A. quia erat tyrannus, ut dicit, machinans per fraudes, & sortilegia, ac malum ingenium in mortem sui Regis C. & maximè, quia per ipsum Regem non poterat bono modo de ipso fieri justitia. Per secundam assertionem dicit, se autorizatum fuisse ut sic ageret, per Leges, divinam, naturalem, & humanam. Deindè per tertiam & quartam justificat sub regula generali tyrannorum, quòd A. debeat viliter, & per insidias mori. Rursùs per quintam, sextam, & septimam justificat, quòd Rex debet eum avoare, remunerare, & benè famare per Epistolas, & aliter ubicunque. Perindè justificat se nihil egisse contrà Præcepta Dei benè intellecta, non secundùm litteram, sed ad sensum suum, &
A hoc in octavâ. Postremò justificat, quòd in nullo perjurus fuit, confœderationibus non obstantibus, & hoc per regulam generalem in assertione nona datam. Casus brevis. *Quilibet tyrannus potest, & debet licitè & meritoriè occidi per quemcunque vasallum suum subditum, etiam per insidias, & blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque juramento, seu confœderatione factis cum eo: non expectata Sententia, vel Mandato Judicis cujuscunque.* Hic casus quàmvis sit decisus per hoc sacrum Concilium, quòd est hæreticus, & sequatur ex tertia, & quarta, junctis prima, & ultima: nihilominùs videtur aliquibus diminutè poni. Primò, quia non loquitur de autorizatione per Leges divinam, naturalem, & humanam, ut in secunda. Secundò, non ponit prædictos casus, quòd viliter, vel ignominio-
B sè, & subitò id est, sine diffidatione debeat occidi, ut in tertia & quarta: deindè non ponit, quòd Rex debeat avoare, remunerare & honorare, ut in quinta, sexta & septima. Quartò dimittit assertionem octavam de falsitate sensus litteralis Scripturæ sacræ, & quòd quilibet sit interpres, vel epikes ejus: Denique silet quòd C. Rex supremus, non habet talem potentiam in suo Regno, quòd de A. vasallo suo non possit facere justitiam.

Quæritur nunc, si hæ novem assertiones in forma, sicut sunt, veniunt judicio Fidei reprobandæ. Et quàmvis quæstio, & hæc materia determinata sit per Judices Fidei inferiores, de consensu, & approbatione ipsius C. Regis, & ferè totius Cleri, ex his novem assertionibus tanquàm contentus in eis, sufficienter licet diminui, sicut patere videtur intuentibus diligenter primam tertiam, & quartam, & ultimam assertiones; nostra quæstio decisa est per hoc sacrum Concilium, dum damnavit istam: *Quilibet tyrannus* &c. velut hæreticam; ni-
C hilominùs ponetur hæc quadrimembris conclusio. Novem assertiones cum suis reprobationibus judicialiter judicatæ, spectant ad Fidem, etiam explicitè. Et sunt duæ, prout in schedula continetur, rationabiliter qualificatæ. Potuerunt insuper per Doctores, & Ordinarios locorum doctrinaliter, & judicialiter condemnari. Sunt denique per hoc sacrum Concilium, vel per Sedem Apostolicam de necessitate salutis reprobandæ, & hoc verè, vel interpretativè. Ex cujus conclusionis probatione, quæ spectat ad Theologiam, maximè de interesse Fidei, poterit faciliter apparere quid de interesse personali sentiendum, vel agendum erit per scientiam Canonicam. Sed priusquàm sermo progrediatur ulteriùs, tollendum est quadruplex scandalum, quòd nobis ratiocinationis iter agentibus posset obsistere, & aures aliquorum querelis opilare, ut obsurdescerent veritati. Ecce, inquit, querela una: quanta vilificatio Fidei, quanta depressio Catholicæ doctrinæ, ut in quolibet verbo, vel actu, dicatur: hîc est error in Fide, hîc est hæresis. Responsio brevis: deputetur hoc errantibus, qui priùs ad ea quæ falsa erant Scripturam sacram
D & Fidem protrahere conati sunt repugantem. Hinc ista Fidei vilificatio, hinc conculcatio veritatis Catholicæ, non à defendentibus eam, ne taliter conculcetur. Ecce, inquit aliorum querela, quòd nihil hîc fit amore Fidei, sed odio personali, vel rancore, sed favore inordinato, sed partialitate. Sed profectò omnium ille infelicissimus judicandus esset, & miserabilior omnibus hominibus, qui cum certissimis incommodis, nedum bonorum temporalium, sed propriæ vitæ periculo, tenderet in Infernum, & quomodò tenderet? utique per peccatum odii, vel favoris inordinati, quià *stipendia peccati mors*, Rom. VI. 23. non quæcunque, sed æterna. Caeterùm, non quis in hac re loquitur, vel quo animo loquitur, sed

Digitized by Google

sed quàm verum sit quod loquitur, attendere vos concernit. Ecce rursùs querulantur alii: videte quia nihil hîc cum modestia, vel prudentia talis, aut talis agit; sed innititur phantasiæ propriæ, & famositati. *Maledictus furor ejus, quiâ pertinax, & æmulatio, quia dura*, Gen. XLIX. 7. cui tales & tales de illa Natione, vel Facultate, per literas, vel aliter contradicunt. At verò consolatur exemplum Christi, quem ob prædicationis fervorem sui etiam parentes dixerunt *in furorem versum esse*, Marc. III. 21. Et de propheticis prioribus viris invenimus dictum uni: Quid quærit insanus iste? 4 *Reg.* IX. 11. Denique profectò, qui dicere potest cum Propheta, Domino: *Consilium meum justificationes tuæ*: Psal. CXVIII. 24. ille jam non proprio capiti, famositati, vel imprudentiæ inniti dicendus est; sed solidissimæ veritatis autoritati, quamvis in hac parte, si testimonium hominum recipimus, illud abundantius longè est pro nobis, tàm numero, quàm merito. Conqueruntur ad extremum quidam: Ecce, inquiunt, quanta Regni Christianissimi diffamatio, in quo tot errores exorti dicuntur, & famantur. Immò verò responsum habeat, quisquis hoc objicit ad opprobrium, quòd ad singularem, & incomparabilem laudem ejusdem Regni, & incolarum cedit ista errorum non quidem publicatio, sed virtuosissima debellatio, quæ neque proprio sanguini, neque discriminibus innumeris, neque propriæ parcit vitæ, quando protinùs errores in eodem Regno caput (ut ità dicamus) exerere; vel innoxium germen erumpere cœperint. Observetur illud de Psal. CXXXVI. 9. *Filia Babylonis misera, beatus qui tenebit, & allidet parvulos suos ad petram.* Et illud de Nasone:

Apprime dum nova sunt, pravi mala semina morbi.

Est enim humanum peccare, sed verè divinum confestim à peccatis resurgere, eaque proterere virtutis forti pede.

His itaque scandalis (ne pergentibus nobis ad veritatis inquisitionem noceant) dejectis, deducemus primam partem conclusionis ex multiplici radice, & principaliter investigando doctrinaliter, & radicaliter quid propriè sit Fides, & undè quis denominatur fidelis Catholicus: & ex opposito, quid sit error in Fide, vel hæresis, & quis denominatur errans in Fide, vel hæreticus. Et primò rejectis pro nunc acceptionibus aliis de Fide, quia Fides aliquando dicitur sponsio 1. Tim. V. 12. *quia primam fidem irritam fecerunt.* Et quandoque fidelitas. Prov. XX. 6. *Et virum fidelem quis invenit?* Quandoque conscientia. Rom. XIV. 23. *Omne quod non est ex Fide, est peccatum.* Quandoque sacramentum Fidei: Augustinus ad Bonifacium: *Quid est parvulos habere Fidem nisi Fidei sacramentum.* Accipiamus descriptionem Fidei, de qua locuturi sumus ex verbis Apostoli ad Rom. X. 17. ubi dicit, Quòd *Fides est ex auditu, auditus autem per verbum Dei.* Undè sicut Aristoteles describit scientiam, quòd *est habitus firmus per demonstrationem acquisitus*; sic potest describi quid sit Fides, quòd *est habitus firmus, & verus per auditum verbi Dei acquisitus.* Et vocatur hîc verbum Dei Scriptura sacra, vel inspirata, vel prædicata, seu lecta. Pro cujus descriptionis declaratione sciendum, quòd sicut scientia multipliciter accipitur, sic & Fides, quantùm spectat ad propositum. Accipitur enim quandoque scientia pro habitu, ut descriptum est; quandoque pro assensu ex tali habitu procedente; quandoque pro objecto illius habitus, vel actus, & hoc dupliciter, sicut est duplex objectum, quod scimus: Unum est conclusio demonstrata mentalis, vocalis, vel scripta: aliud est res significata per conclusionem: Unum vocatur objectum materiale, aliud formale, secundum Thomam. Ampliùs scientia quocunque prædictorum modorum accipiatur, solet sumi dupliciter: uno modo, pro unico, vel simplici tali habitu, vel actu, vel objecto: alio modo, pro collectione multorum hujusmodi habituum, vel actuum, vel objectorum; quemadmodùm dicimus: Physicam esse unam scientiam, sic Metaphysicam, sic Medicinam, & sic de aliis. Conformiter ad prædictas distinctiones dicimus, quòd accipitur Fides quandoque pro habitu, & sic data est descriptio; quandoque pro actu ex tali habitu procedente, & propriè pro interiori assensu Fidei; impropriè pro actu exteriori qui ex hoc interiori procedit, quemadmodùm dicimus: iste fideliter agit. Rursùs accipitur Fides pro objecto Fidei, scilicet propositione credita, sicut est iste Articulus: *Deus est trinus* & unus: aut etiam res per hanc propositionem significata, sicut dicitur: *Deus est Fides mea.* Et hîc de complexè significabilibus haberi sermo posset quem obmittimus. Postremò, Fides accipitur quolibet modorum prædictorum, quandoque pro unico habitu, vel actu, vel objecto; quandoque pro collatione plurimorum, vel omnium, quemadmodùm in Symbolo Apostolorum, vel Athanasii, vel Concilii Nicæni, vel sacræ Scripturæ dicimus Fidem Catholicam contineri. Undè & sic loquitur Athanasius dicens: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem.* Et de particulari Fide subjungit, *Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, &c.* Consequenter notandum est, quòd Fides pro habitu dupliciter accipitur, pro infuso scilicet, & pro acquisito; sicut est etiam una scientia habitualis infusa: patet hoc in Christo, & Salomone; alia acquisita qualiter descripta est, quòd est habitus firmus perdemonstrationem acquisitus. Dicamus consequenter pro declaratione descriptionis præmissæ de Fide habituali acquisita, quæ infusam præsupponit, vel eidem innititur, & ab ea informatur si perfecta est; quòd Fides dicitur *habitus firmus*, ad differentiam opinionis vel suspicionis incertæ; sicut ponebat Petrus Abelardi, per beatum Bernardum in hoc redargutus. Hæc autem firmitas, vel certitudo, alia est à certitudine spei; quoniam una respicit intellectum, affectum altera. Thomas dicit, quòd certitudo est ex voluntate figente intellectum. Additur in descriptione, *verus*, ad differentiam habitus hæreticalis ficti, qualem habet Hæretici. Subjungitur tanquam pro differentia specifica ad alios omnes habitus intellectuales, *per auditum verbi Dei acquisitus.* Pro quo notandum est, quòd ratio specifica Fidei est quòd accipiat certitudinem suam, & veritatem illustrativam intellectûs humani ab autoritate divina; quia scilicet Deus ita jussit, vel revelavit mediatè, vel immediatè per verbum suum inspiratum, interiùs vel exteriùs prædicatum, auditum, vel lectum. Et sic loquitur Thomas, & antiqui, quòd formalis ratio omnium credibilium una est, scilicet veritas prima; ita quòd assentire aliter non est pertinens ad Fidem. Et hîc requiritur Fides infusa ad assentiendum catholicè; & hoc fieri non potest si quis errat in una tali veritate pertinaciter, quia jam deest sibi ratio formalis credendi; alioquin non esset pertinax. Hinc oritur differentia certitudinis Fidei ad certitudinem scientiæ; quoniam illa sumitur ab extrinsecis tantummodò per locum ab autoritate: altera deducitur ab intrinsecis, sicut per locum à definitione, & similibus; & ita habemus certitudinem ab extrinsecis, qualem habet Fides; alteram ab intrinsecis, qualem habet scientia. Et hoc sufficit ad propositum de certitudine; non instituendo sermonem de aliis habitibus certorum principiorum, tàm intellectualium, quàm moralium, in quibus est certitudo evidentiæ ex terminis: in aliis per experientiam, in aliis per quamdam adhærentiam voluntatis stabilientis se ac figentis in aliquo à quo non vult dirimi, sicut diceremus hominem innitentem muro solido certum esse; qualiter etiam dicimus, quòd certa est in Deo spes nostra, charitas nostra, timor noster, & ita de reliquis ad affectum spectantibus. Fortassis autem quòd ipsa Fides certitudinem suam sic accipit ex voluntate, quæ (Deo jubente, seu revelante) credere vult immobiliter; credere autem non potest nisi volens. Ex quo fit, ut Fides & habeat meritum, & captivet omnem intellectum in ejus obsequium, quantumcunque videantur rationes philosophicæ, vel historicæ, seu grammaticæ, seu phantasticæ,

Fidei

Digitized by Google

Fidei repugnantes; & quod ipsæ sint nullæ, saltem ab intrinsecis sumptæ. Ex quo fit præterea, quòd modò viceversa, ut ipsam Fidem neque experientia, neque intelligentia necessariò tollat, vel evacuet; quoniam sic innitur autoritati primæ, sive habeat evidentiam rationis, sive non habeat evidentiam, credens in autoritativa, (& non altera permanet) firmitate. Undè Thomas expressè 2. 2. *quæst.* 2. *art.* 1. *in responsione ad primum argumentum* sic ait. Quando homo habet ,, voluntatem credendi ea quæ sunt Fidei, ex sola auto-,, ritate divina, etiamsi habeat rationem demonstrati-,, vam ad aliquid horum, puta ad hoc quod est Deum ,, esse; non propter hoc tollitur, vel minuitur meri-,, tum Fidei. ,, Hoc ibi. Ex quo fit insuper, quòd Fides potest in patria manere cum visione beata, vel hìc in via cum raptu, qualis fuit in Paulo, cum intelligentia clariore Fidei, qualis fuit & est in Doctoribus contemplativis, & per anagogicos excessus illustratis *mirabiliter a montibus æternis*, Ps. 75. 5. Nec obviat illud Apostoli: Hebr. xi. 1. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium.* Nec illud Gregorii. *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum*: quoniam responsio patet ex præmissis acutè pensatis. Pro quibus facit exemplum, quod de ista, (triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis) potest idem homo priùs habere certitudinem ex autoritate dicentis, qualem certitudinem non oportet eum dimittere, habita postmodùm certitudine alterius generis, ex demonstratione, vel experientia fundata. Denique deducitur ex præmissis pro re quam intendimus, quòd principia tam intellectualia, quàm moralia, similiter conclusiones ex eis demonstratæ, similiter propositiones Philosophicæ per experientiam habitæ, possunt cadere sub Fide; quoniam tradi possunt à Deo jubente, & autorizante, sic quòd detur assensus eis, non quia sunt evidentes; sed quia sic Deus jubet, revelat, aut dicit, prout Ecclesia Catholica, vel Scriptura sacra, nobis tradit. Undè consequenter ad hoc dici potest non irrationabiliter, quòd Fides hìc in via semper est quodammodò *non apparentium*, sub ratione formali, vel obedientiali ipsius Fidei: quoniam, licet veritas prima sit de se evidentissima, & certissima, cui innititur, nihilominùs quòd veritas hæc prima tradiderit credibilia inevidentia, vel alia quælibet ad credendum, scitur ex sola Fide Ecclesiæ, vel Scripturæ sacræ: quià scilicet Ecclesia, & Scriptura sacra nobis ita tradunt. Undè quòd Tobias habuit canem, & Abraham Filium, potuit esse notum per experientiam, & ita de innumeris; sed quòd istæ veritates sunt nobis à Deo traditæ per Scriptores Librorum continentium talia, & creditum est; non scitum, nec evidens. Altera distinctio; quædam sunt purè de Fide, &c. & continet quatuor gradus: quædam pertinentia, quorum opposita sapiunt hæresim: quædam impertinentia, Tractatu *De Fide* c. 2. Consonant nostræ descriptioni descriptiones aliæ. Una est Apostoli ad Hæbr. xi. 1. *Fides est substantia*, id est, *fundamentum rerum, quas speramus*, quæ sunt Deus, & Christus, & in quas tendimus per amorem: *argumentum*, id est, certitudo, *non apparentium*, vel in se, vel in ratione objectali, scilicet materialiter, aut formaliter, ut dictum est. Item Augustinus in Lib. *De Prædest. Sanctorum*: *Fides est, cogitare cum assensione ea quæ ad Christianam pertinent Religionem.* Item Isidorus *Fides est, qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valeamus.* Item Chrysostomus: *Fides est sanctissima Religionis fundamentum.* Item Magistraliter: *Fides est virtus, quâ ea quæ ad fundamentum Religionis pertinent, rectè, firmiterque creduntur.* His itàque propositis, ac declaratis, quæ in longius trahi possunt, dicamus consequenter, quòd in proposito nostro Fidem accipimus objectivè pro collectione omnium credendarum propositionum ex habitu Fidei, prout descripsimus. Unde statim concluditur veritas primæ partis nostræ conclusionis principalis, quòd hæ novem Assertiones, quæ spectant ad divina Præcepta, sunt de Fide, notando tamen illud Aristotelis: *Quod oppositorum eadem est disciplina.* Denique pro declaratione majori placet annotare, ad quos moralia Præcepta in forma morali; Præcepta quoque in forma, vel affectu Articulos Symboli speculativos reducant: quàmvis ita sit, quòd cuilibet Præcepto correspondet dictamen practicum verum, quod ita cre-
A dendum est, sicut Articulus Fidei in speculativis. Huic Præcepto: *Diliges Dominum Deum* Matth. xxii. 37. correspondet istud dictamen: Deus est diligendus: & isti; *Non occides* Exod: xx. 13. proximus non est occidendus; Glossa, propria voluntate, & ità de reliquis. Dicamus ergò, quod iste Articulus, quòd *Christus est Deus verus de Deo vero*, est de Articulis; quicquid igitur jubet, faciendum est: jubet autem Præcepta Legis, *Non occides &c.* Exod. xx. 13. Et Matth. ii. 26. & alibi multis locis, ergo, &c. Item, Articulus est, quòd sacræ Scripturæ sunt veræ, quià producuntur in testimonium Resurrectionis ibi *secundùm Scripturas*; tradunt autem Scripturæ decem Præcepta, igitur, &c. Item, Articulus est, quòd *Spiritus sanctus locutus est per Prophetas*: quicquid igitur Prophetæ dicunt per ipsum, verum est. Fuit autem Moyses Propheta, qui tradidit decem Præcepta Legis; imò & Christus fuit ille Propheta magnus, de quo Deut. xviii. 15. 18. qui fuit plenus gratiæ, & veritatis, & per quem veritas facta est. Item: *In duobus Præceptis* de dilectione Dei, & proximi, quæ tradidit
B Christus multis locis, *tota Lex pendet, & Prophetæ*, Matth. xxii. 40. Sunt igitur de Lege, & Prophetis, & consequenter omnia moralia Præcepta, quæ deducuntur ex ipsis. Item: *finis Legis*, secundùm Apostolum *est dilectio*, 1. Tim. 1. 5. & ut unam vitam æternam consequamur: Hoc autem facere non possumus, nisi servando Præcepta: *Si vis ad vitam ingredi, serva Mandata* Dei Matth. xix. 17. Et iterum: *Hoc fac & vives* Luc. x. 28. Item: ad aliam partem Articuli qui dicit, *& propter nostram salutem*, quæ salus non habetur sine Præceptorum observantia, pertinent igitur ad hunc Articulum *vitam æternam*, saltem reductivè. Item: Quodlibet Præceptum includit in se dictamen rectum, secundùm quod fit bonus actus Præcepti, sicut hoc Præceptum, *Non occides*, habuit istud dictamen, non licet occidere, fundatum in hoc universali præcepto, *Non facias aliis, quod tibi fieri non vis*, quod principium est de Scriptura sacra. *Matth.* v. &c. Item Articulus est, quòd *est una Ecclesia Catholica & Apostolica*, id est, fundata in doctrina Apostolorum, quos
C Spiritus sanctus docuit omnem veritatem, & docere non cessat successores; & ideò Ecclesia non potest errare, & ita quicquid jubet est verum. Jubet autem decem Præcepta, & conclusiones ex eis: ergò pertinent ad hunc Articulum: *Unam sanctam Ecclesiam.* Ampliùs tertiò, deducamus per exempla & hæresis descriptionem: Omnis hæresis pertinet ad Fidem, quia secundùm Hieronymum, hæresis est dogma falsum Fidei orthodoxæ contrarium. Constat autem ex determinatione Ecclesiæ, quòd multæ Assertiones judicantur hæreticæ, quæ sunt circà Præcepta moralia tantummodò: Exemplum de ista: *Usura non est peccatum mortale*: Item de ista: *Fornicatio simplex non est peccatum mortale.* Item de ista: *Non est licitum tenere uxorem fratris sui*, pro qua Joannes Martyr fuit. Item de ista: *Licitum est unicuique non misso, imò prohibito, prædicare.* Item de ista: *Populares possunt Dominos suos ad libitum corrigere.* Item: *Quilibet tyrannus, &c.* quæ nuper damnata est ut hæretica. Item generaliter, nulla propositio est vera, quæ non possit
D fieri catholica, dùm scilicet traditur credenda in sacra Scriptura: sicut ad propositum dicit Hieronymus quòd Apostolus de versu ethnico, vel poëtico fecit catholicum dùm ait: *Corrumpunt bonos mores confabulationes pessimæ*, 1. Cor. xv. 32. Undè quid minùs de Fide videtur, quòd Tobias habuit canem, & Aaron barbam: & tamen qui nunc negaret pertinaciter, esset hæreticus; quia repugnaret isti Articulo; *Scriptura sacra est vera in se & in suis partibus.* Fallit igitur hæc argumentatio: Hoc non est de credibilibus nos-

træ

Digitized by Google

træ Fidei explicitè, igitur non eſt de Fide, &c. Sequitur ex præmiſſis, quòd Geometria, & Philoſophia poſſunt eſſe, & ſunt tantùm Philoſophabilia, aut geometricabilia. Secus de moralibus, quoniam illa faciunt ad unitatem Eccleſiæ, quæ debet eſſe una, nedum unitate Sacramentorum, & credibilium inevidentium; ſed etiam actione, & converſione pacifica in agibilibus moralibus naturali lege cognitis, ità quòd unitas Eccleſiæ præſupponit unitatem moralem. Nota de Fide, quæ ſupereminet rationi ſemper, ſicut oleum aquæ, ſic quòd incipit Fides ubi ratio deſinit; & non poteſt tantùm creſcere ratio naturalis, quin ſuperemineat Fides ei, &c. Item conſtat ſecundùm plurimos Doctores, quòd expedivit tradere multa ad credendum generaliter omnibus populis, quorum aliqua ſunt evidentia doctis; ut Deum eſſe. Et hoc propter errores Philoſophorum, & aliorum; ſicut in propoſito de Præceptis moralibus, quæ licet ſint evidentia benè diſpoſitis in judicio rationis; tamen ex conſuetudine perverſa, & aliundè, multi contingunt errores: ut Stoïci dixerunt eſſe opus maximæ virtutis ſe interficere; & in quibuſdam regionibus dicunt eſſe religioſum occidere parentes ſenes, &c. Item de multitudine uxorum, de furtis, rapinis, de adulteriis in quibus errant homines, niſi per Legem divinam doceantur. Exemplum poſſet poni in caſu noſtro præſenti, &c. Nota tamen, quòd ad aſſentiendum Catholicæ cuicunque veritati, quantumcunque ſciatur per experientiam, vel demonſtrationem, requiritur Fides infuſa quæ monſtrat & oſtendit rationem objectalem credendi iſtam, quòd Deus talem veritatem tradidit, aut juſſit per ſe immediatè, vel per Eccleſiam aut Scripturam ſacram. Nota quomodò nulla eſt nova hæreſis, & quòd determinatio Papæ non eſt niſi declaratio, vel adjectio pœnæ, ut notat Ockam *Lib. 2. primæ partis* per totum. Nota quid eſt explicitè de Fide; illud ſcilicet, quod verè & clarè ſequitur ex his quæ ſunt purè de Fide, & explicitè continentur in Scriptura ſacra. Undè quòd Chriſtus habuit nervos, non explicitè ſub hac forma.***. Similiter quod non omnis mulier habens capillos rufos, non poteſt interfici à quocunque; ſed ſequuntur evidenter ex Scriptura. Nota quòd nulla eſt querela Dominorum temporalium, quin poſſit ad Concilium deduci generale terminanda ſi reducatur ad licitum, & illicitum, juxtà conſiderationem ultimam illius Sermonis: *Proſperum iter, &c.* Deinde notandum eſt, quòd in hoc actu plurimæ rationes ſunt inductæ, & ad declarationem ſecundæ partis; ſed quoniam alibi ſunt tam epilogando, quàm latiori ſermone deductæ, iſtic omittuntur. Tandem revolando ad principium, recitabatur quemadmodùm Feſtus ad Paulum ſe defendentem dixit: *Inſanis, Paule, multæ te litteræ ad inſaniam convertunt. Non inſanio*, reſpondit Paulus, *optime Feſte, ſed veritatis, & ſobrietatis verba loquor.* Dehinc converſus ad Agrippam: *Credis*, inquit, *Rex Agrippa, Prophetis? Scio, quod credis.* Act. XXVI. 24. 25. 27. Sic longè ampliùs habeo fas dicere unicuique veſtrûm, ô Reverendiſſimi Patres & Domini, ac Doctores, omni ſapientia & doctrina pleniſſimi, quòd creditis Prophetis: Illi autem teſtimonium dant de decem Præceptis, & de ſequelis eorum, quòd divina veritate fundata ſunt, & ad credendum, ſcilicet intelligantur propoſita. Gratias igitur agens, (quia patienter, ut obſecratio facta erat me audiſtis) ſit, exoro, merces veſtra Deus, quia quid retribuam non habeo. Credite, ut facitis, veritati, & tempore *liberabit vos*, Joan. VIII. 32. & in æterna tabernacula ſua luce perducet; præſtante eo per quem veritas, & gratia facta eſt. Jeſu Chriſto, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Amen.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Pariſienſis,

ALIUS SERMO

CONTRA ASSERTIONES

A MAGISTRI JOANNIS PARVI,

Circa Præceptum,

NON OCCIDES.

OPORTET *hæreſes eſſe*, ſicut dicit Apoſtolus I. Cor. XI. 19. *ut qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis. Probati*, inquam, per Fidem in intellectu; per Charitatem in affectu; per exercitationem in effectu. Providentia nimirùm divinæ ſapientiæ, *quæ attingit à fine uſque ad finem fortiter, ſuaviterque diſponit omnia.* Sap. VII. 1. non ſineret mala fieri, (teſte Auguſtino) ſi non poſſet, ſciret, & vellet indè bona elicere; diſponens finem amoris perverſi ad finem finis boni, atque glorioſi: quod vidit Apoſtolus dùm ait: B *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII. 28. Et ſic *omnia* (inquit Guido Carthuſianus) *ut etiam aliena mala imò & propria; dum ex peccato conſurgit quis humilior.* Fit autem hic ex hæreſibus hoc ſalubre, quatenùs ſicut *corde creditur ad juſtitiam* ita fiat *ore confeſſio ad ſalutem.* Rom. X. 10. profitendo ſcilicet Fidem ſuam extrinſecùs, quòd cadit ſub Præcepto obligante ad ſemper, non pro ſemper, niſi caſibus certis, qui poſſunt ad præſens quatuor nominari. Unus eſt coram infidelibus, & tyrannis, ſicut tempore Martyrum. Alter coram perfidis hæreticis, ut tempore Doctorum. Tertius ad teſtificandum, vel reſpondendum, ſicut fit coram Judicibus. Quartus doctrinaliter, & judicialiter erudiendum, ſicut fit à Prælatis, & Doctoribus. In caſu primo exercetur patientia, uti hymnus loquitur. In ſecundo ſapientia, & plerumque conſtantia, juxtà dictum Auguſtini. In tertio meritum acquiritur, ut dum Petrus reſpondit: C Matth. XVI. 16. *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, dicit gloſſa quòd *Hoc fuit ad meritum.* In quarto doctrinale & paſtorale officium exercetur. Job. 10. & Matth. ult. & Malach. 2. & I. Pet. 3. &c. Ex qua diſtinctione, protinùs elicitur, quòd quia profeſſio Fidei fit extrinſecùs ad ſalutem, nedum ore, ſed etiam geſtu, vel opere (ut aſſiſtendo confitentibus, vel docentibus veritatem:) illi, Patres Revendiſſimi, & ceteri qui pridiè remanſerunt cum aliis aſſiſtentibus, quique nunc remanent, vel aſſiſtunt, collaudandi ſunt tanquam *beati, qui audiunt verbum Dei*, ſicque eorum merces copioſa Deus, quià quid retribuam non habeo. *Qui ex Deo eſt* (inquit Chriſtus) *verba Dei audit*; timendum eſt, quod ſequitur, refugientibus; *propterea non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Joan. VIII. 47. Sed reprimo: cohortor autem per illud Apoſtoli in Epiſtola Dominicæ currentis originaliter ad Epheſ. V. 17. *Nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei*, ut dicamus ei: *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*; Matth. VI. 9. quod utique prohibet fieri triplex ſapientia, *terrena, animalis, diabolica*, Jacob. XIII. 17. Elicitur D præterea, quòd ſi quis voluerit teſtimonium ſuæ Fidei palam dicere, quiſquis ille fuerit, præſertim eruditus, audientia ſibi publica dari debet: meretur inſuper dum refugit eſſe Doctor nocturnus, & in angulis aliter quàm Nicodemus, *qui venit ad Jeſum nocte:* Joan. XIX. 39. trepidos nempè, & obſcuſcuros ſuæ Fidei profeſſores arguit Chriſtus dicens; Matth. X. 27. *Quæ in tenebris audiſtis, prædicate ſuper tecta*, quia, *qui me erubuerit* (Luc. IX. 26.) *& ſermones meos, & filius hominis erubeſcet eum coram Angelis Dei.* Itaque ſit Fides uniuſcujuſque in ore, ſit in oculis, ſit in

 fronte

Digitized by Google

fronte. Ex quibus ita prælocutis, protinùs eliceretur veritas duplicis ultimæ partis nostræ conclusionis quadrimembris, aliàs positæ, quæ talis est.

Novem assertiones cum suis reprobationibus judicialiter nunciatæ spectant ad Fidem etiam explicitè, & sunt prout in schedula continentur, rationabiliter qualificatæ. Potuerunt insuper per Doctores, & Ordinarios locorum doctrinaliter, ac judicialiter condemnari. Sunt denique per hoc sacrum Concilium, vel per Sedem Apostolicam de necessitate salutis reprobandæ, & hoc verè, vel interpretativè. Ad elucidationem ponebatur casus longus dans intellectum de A. & B. vasallis C. Regis. Additus est casus brevis iste: *Quilibet tyrannus &c.* Propositæ sunt quatuor conclusiones: responsum est per conclusionem quadrimembrem tàm firmiter in sermone, quàm certitudinaliter; apud me est in corde, quia quod scimus loquimur; & credidi propter quod locutus sum. „ Nam & „ ubi intenderis (ait Julius Cæsar) ingenium valet. „ „ Nemo autem facere metuit,„ secundùm Vegetium, „ quod optime didicisse cognoscit. „ Vis benè loqui, „ dixit Socrates, nil loquere, nisi quod benè didiceris. „

PRIMA PARS
CONCLUSIONIS
PRINCIPALIS.

ET quidem prima Pars conclusionis sufficienter probata ex pluribus fortè verbis quàm necesse fuit eruditis in Theologicis sermonibus; sed fortassis non pluribus quàm oportuerat pro non eruditis. Itaque deducta est hæc pars ex quadruplici radice: Ex Fidei descriptione, quæ *est habitus certus; & verus per auditum verbi Dei acquisitus*, ad Rom. x. & Hebr. 11. Cujus Fidei objectum est propositio credenda, vel collectio plurium, ac omnium credendorum, sicut accipit Athanasius in hoc Symbolo: *Quicunque &c.* Alias Fidei acceptationes rejicio, nisi pro quanto Fides infusa requiritur ad credendum catholicè. Dehinc Scripturæ sacræ testificatione, quoniam omnia in sacris Scripturis Bibliæ contenta formaliter, vel sententialiter, & in effectum; & per consequens decem Præcepta sunt de Fide, quoniam cum opposita Assertione pertinaci non stat Fides. Unde Gratianus: *Jus naturale est, quod in Lege & in Evangelio continetur, quo quisque jubetur facere quod sibi vult fieri, & prohibetur inferre quod sibi nolit fieri.* Dehinc ex Ecclesiæ observatione, quæ damnat ut hæreses, nedum illa quæ contrariantur Articulis speculativis nostræ Fidei (ut ista, *Deus est*) verum etiam quæ contrariantur principiis, & dictaminibus practicis, ut quòd *Deus est diligendus super omnia; & proximus sicut nos: In quibus duobus tota Lex pendet & Prophetæ;* quæ utique Lex est Fides nostra, vel de Fide. *Unde in Scripturis sacris*, Augustino teste, *quidquid alibi noxium est, damnatur.* Denique ex hæresis descriptione, quam Hieronymus dicit, esse dogma falsum Fidei orthodoxæ contrarium. Et illic habita est distinctio, quòd quædam sunt purè de Fide sub quadruplici gradu; quædam pertinent ad Fidem & opposita sapiunt hæresim; quædam sunt impertinentia, quia non apparet quòd repugnant, vel sequantur ad Fidem. Inferebatur hoc corollarium, quòd hæc consequentia impossibilis est, & hæreticalis: Decem præcepta Legis sunt evidentia in lumine naturali; ergo non spectant ad Articulos Fidei, nec eis deducuntur. Ex hinc rationabiliter motus fuit Reverendissimus Magister Petrus de Versa, exhibere schedulam quam tradidit. Alii verò dicunt: qui volunt quosdam hæreticare, videant ne erroribus se involvant.

SECUNDA PARS
CONCLUSIONIS
PRINCIPALIS.

A CÆTERUM, pro secundæ Partis deductione sunt inductæ contrà primam assertionem: *Licitum est unicuique &c.* rationes in triplici quaternario &c. Fundatur prima super hujus adverbii significatione: *maximè*, jam præsertim, jam specialiter, gallicè a quià præsupponunt veritatem illius quòd præcedit. Altera super hoc complexo: *Absque mandato quocunque, vel præcepto* deducendo ad contradictionem; quia Lex Dei mandatum est &c. Tertia super intellectu plano, ac resoluto hujus Præcepti, *Non occides*, scilicet hominem propria voluntate, sed vel jubente Deo per revelationem, vel per publicæ administrationis admissionem. Matth. xxvi. 52. *Omnes qui gladium acceperint &c.* glossa, *propria autoritate &c.* Unde Lex occidit & non homo; *Mihi vindicta &c.* Rom. xii. 19. Quarta super defectu Jurisdictionis, vel judicariæ
B potestatis in occidente tyrannum, sicut ponit Assertio. *Quis es, qui judicas alienum servum &c.* Rom. xiv. 4. Fundatur prima ratio secundi quaternarii super condemnatione trium Articulorum Hus, & Wiclef, *de Prædicantibus absque missione: de popularibus corrigentibus ad libitum Dominos &c: & Dominis bona Ecclesiasticorum rapientibus &c.* quoniam occisor in casu Assertionis; & pejus facit, quàm in his casibus tribus fiat. Fundatur altera super omni politia vera, vel prætensa; ut puerorum sub Magistro, & inter se; ut latronum, vel paganorum, immò ut dæmonum pro statu præsenti. *Matth.* xx. ut omnium bonorum, quibus omnia ordinatè fiunt. Est autem „ ordo parium dispariumque „ rerum unicuique jus suum tribuens, iniqua non u- „ surpans. „ Tertia, super comparatione tyrannidis ad hæresim, & alia vitia deteriora, propter quæ non veniunt homines passim occidendi, & quomodolibet, & absque mandato. Quarta & octava in ordine, super comparatione non habentis autoritatem judiciariam ad habentem, sicut est Rex; qui quidem Rex non posset sine juris ordine, non monitum, non vocatum, non
C convictum interficere; quanto minùs ergo censendus est dare autoritatem implicitam, vel interpretativam alteri cui non mandatum est, immò Legibus Regis prohibitum? Pro his loquitur Festus *Actor.* xxv. Et *Nicodemus* xvii. & in Lege: quod justum est justè exequeris *Deut.* xvi. 20. Demum prima ratio tertii quaternarii fundabatur super multiplici notorietate Juris, aut facti, quæ requirebatur pro qualibet circumstantia, seu clausula hujus Assertionis; ut quod notorium esset talem machinari &c. quoniam ex incertis nullo pacto potest certa mors inferri. Et si non potest quis occidi ad testimonium unius, quantò minùs nullius? Altera, quod hæc Assertio, quantumcunque circunstantionata, non potest habere veritatem de privata persona extra casum divinæ revelationis notoriæ, vel casum inevitabilis necessitatis; sicut ex rationibus adversariorum, quas quidem pridem vidimus, satis constat; nec tamen casus iste necessitatis semper excusaret. Fundabatur undecima ratio, exaggerando quòd hæc Assertio se præjudicialem ostendit ad omne genus hominum activè, & passivè, licèt
D contractè poni videatur: extendit se ad Papam, ad Episcopos, ad Abbates, ad Principes, ad Patres, ad maritos, ad Sacerdotes, ad Clericos, populares, & ad omnes in communi; patet consideranti quia cuilibet tali dici potest: *Tu es tyrannus*; vel *Machinabaris in mortem Domini tui.* Postremò pro quarta ratione duodecima in ordine, & ultima, fiebat epilogus sic arguendo: Contradictoria hujus Assertionis, quæ est particularis, vel singularis negativa, est vera, & Catholica; igitur ista est falsa, & non Catholica, & consequenter hæretica, quod

a Mesmement.

Digitized by Google

quòd tenet per Legem contradictoriam, per dicta Aristotelis & Dionysii, quòd verum, & bonum sunt ex omnibus circumstantiis; falsum autem, & malum ex unica: antecedens est manifestum in multis casibus; ut, dùm occidens non habebit sufficientem notorietatem, ut procedat ad certam mortem non moniti, non convicti &c. vel dùm potest servare juramentum fidelitatis, vel est Sacerdos; & provideri potest Regi per alterum, vel alio modo &c. Exclamabit hìc aliquis, & dicet; ponimus casum necessitatis extremæ, ponimus quòd omnia sunt notoria, quæ proponuntur: Responsio, quià hìc non investigo, quod alii dicant, sed quod ponit Assertio, & in quibus terminis se regulat. Replicabit alter dicens; truncata est Assertio. Responsio, quià nec hoc pro nunc inquiritur, quàmvis non desint testes hìc etiam præsentes, omni exceptione majores, quòd nihil truncatum est &c. Supersunt autoritates Sanctorum, super est multitudo exemplorum, & historiarum.

Sed interim discurramus per alias octo Assertiones, & ad hæc inducenda postmodùm ponitur secunda assertio sic: *Leges naturalis, moralis, & divina, autorizant unumquemque subditum de occidendo, vel occidi faciendo dictum tyrannum*: damnatur ut erronea in Fide, ac moribus, & legibus naturali, morali, & divinæ injuriosa. Deducitur hæc condemnatio ex radice quadruplici; immò quòd est insana & sacrilega.

Prima, quià Leges divina, naturalis, & humana, prohibent explicitè, & expressè, quòd *nemo* accipiat *sibi honorem* judiciarium, vel dominandi jus in Jurisdictionem, *sed qui vocatur* sicut *Aaron*; patet in Epistola ad Hebræos. *Cap.* 5.4. Non igitur autorizant non vocatum; alioquin suprema Lex, Deus scilicet, dissensionis Deus in hoc esset. Est & contrà Apostolum; nec daret un cuique quod suum est, & sic esset summa perversio modi; speciei, & ordinis, dicit Lex, Judiciorum vigor, Juris publici tutela in medio constituta est, ne quis de aliquo, quantumcumque sceleribus implicito, assumere valeat ultionem: Hæc est etiam Lex puerorum. Nota de Bruto, cur filium occidit: „ Qui inscio Principe, inquit „ Lex, bellum gerit, reus est læsæ Majestatis. „ Altera radix est, quoniam Leges divina, naturalis, & humana, prohibent, ne idem sit ergà alterum, pars, Judex, & testis, quod soli Deo proprium videtur. Undè, dum ex officio procedit Judex contra errores, qui sunt sicut Leges læsæ majestatis, pars rea constituitur promovens, vel instigans, tenens locum partis accusantis; propterea reprobari non potest Sententia Judicis in causa appellationis, vel aliter, ipso non vocato, vel audito. Ampliùs tertia radix est, quià secundùm Leges divinam, naturalem, & humanam, nemo debet ex incertis causis, & conjecturis, vel ex eis quæ secretè geruntur (sicut sunt machinationes, & cogitationes cordis) publicè puniri, præsertim ad mortem; quia cogitationis pœnam nemo meretur quoad Forum scilicet præsentis vitæ, secus quoad Forum conscientiæ. *Nemo* (inquit Lex) *ad testimonium unius morietur*. Demùm quarta radix est, quià nemo vellet quòd à non Judice suo damnaretur ad mortem, præsertim non vocatus, non auditus, non monitus. Lex autem naturalis dicta est & sumpta Matth. VII. 12. *Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos eadem facite illis*, glossa, velle debetis. Procedamus ad reprobationem tertiæ simul & quartæ Assertionum, quia connexæ sunt, & sic habent: *Licitum est unicuique subdito, honorabile, & meritorium &c.* Et dicunt in Sententia, quòd *Quilibet tyrannus potest, & debet occidi à quocunque viliter, & per insidias, & quomodò hæc est propria mors, qua debent mori, occidere scilicet ita eos.*

Assumitur pro reprobatione quadruplex fundamentum. Primum sumitur ex causis condendi Decretalem illam in Concilio Lugdunensi. *Lib.* 6. *pro humani*, quarum prima est, ne quis Christianus subitò & improvisè moriatur in periculum damnationis æternæ; quod ibi dicitur horrenda inhumanitas, detestandaque sævitia. Altera, quoniam omnis potestas tribuitur à Domino ad Justitiam, rectumque Judicium exercendum. Tertia, quoniam hoc in Christianitatis opprobrium exit. Alterum fundamentum, ex reprobatione insidiarum, dum frater per mendacia, aut perjuria, aut per finem illicitum, sicut notat Thomas. 2.2. *qu. de insidiis*. Unde Lex dicit: *hominem homini insidiari nefas est*: Et Exod. XXI. 14. *Si quis per industriam,*
A *& per insidias occiderit proximum suum, evelles eum ab altari meo, ut moriatur.* Constat autem quòd in insidiis, de quibus fit hìc mentio, concurrunt frequenter hæc tria; mendacium, perjurium, ac finis scilicet subita mors, & vilis alterius cui fides data erat; undè etsi quædam possunt esse insidiæ justæ, non tamen istæ, attentis mediis, & fine, & non diffidatione. Sumitur aliud fundamentum ex dictis Sanctorum, reprobantium in Judith, Aod, & similibus mendacia, & fictiones falsas, licet in eis collaudetur zelus ad cultum Dei, & salvationem populi; & oppositum sentire hæreticum est, ut deducit Augustinus ad præmium &c. Demùm pro quarto fundamento sumitur descriptio tyranni data ab Assertione: *Tyrannus est, qui in Republica non jure principatur, vel principari conatur.* Constat enim
B juxtà venerabilem Ægidium de Roma, in suo *De regimine Principum*, & experientia loquitur, quòd vix est aliquis Dominus qui non tyrannus in aliquo jure, vel interpretatione, judicetur. Et ità debebit activè & passivè, viliter, & insidiosè per subditos interfici. Cujus falsitatem deducit Oresmius *super quinto Politic.* Ubi Aristoteles dicit, quòd *boni non faciunt seditionem.*

Veniamus consequenter ad quintam, sextam, septimam simul Assertiones, quæ dicunt *Regem debere amare, remunerare, & glorificare talem mortem &c.* Hæ tres simul ex inconvenienti quadrupliciter reprobantur. Primò quidem, quià Rex teneretur amare, remunerare, & glorificare peccata, qui ideò positus est *in vindictam malefactorum: non enim sine causa gladium portat,* sicut dicit Apostolus *Rom.* XIII. 4. Undè etsi posset ad tempus dissimulare vindictam, sicut fecit David de Joab; non tamen potest absolutè remittere culpam præsertim non pœnitente, sed peccatum justificante palàm,
C & in eo perseverante in scandalum subditorum: quæ justificatio neque in Cain, neque in Antiocho sceleratissimo, neque in Juda perfido inventa est, quià dixerunt, *peccavi*. Ampliùs secundò, quià Rex per has Assertiones deducitur, nedum ad peccatum mortale committendum, sed ad hæresim; dùm dicitur quòd tenetur tanquam licitum, laudabile, & meritorium, amare, remunerare & laudare id quod de se iniquum est. Et quià dicente Sapiente Eccli. X. 2. *Qualis est rector civitatis, tales & habitantes in ea.* Et Claudianus ait?

Regis ad exemplum totus componitur Orbis:

sequeretur hæreticatio omnium ferè subditorum. Attendant hìc omnes, præsertim Domini Commissarii, qualiter hæc materia tangit plures & magnos, immò maximos, quià Regem cum toto Clero suo, quibus imponitur nedum hæresis, sed quòd sunt hæretici, dùm eorum Sententia pro non Catholica reprobatur, quià determinare falsam doctrinam pro vera, nequit fieri sine pertinacia, ut deducit Ockam *quarto pri-*
D *mæ partis Dialogi:* Rursùs tertiò includitur in his blasphema comparatio de Michaële & Phinees, quasi Michaël occiderit Luciferum sine Mandato Dei & Præcepto quocunque, similiter & Phinees ipsum Zambri; quorum patet oppositum, tàm ex ratione, quàm ex Epistola Judæ de Michaële, *qui non est ausus judicium inferre blasphemiæ*, &c. Judæ IX. & de Phinees *Num.* XXV. Undè si Phinees occidisset licitè sine Mandato adulterum, vel idolatram Zambri; cur non similiter tunc, & nunc alter idem posset? Sic argueretur de Moyse respectu litigantium.

Denique notatur, ut ex Assertione tertia (sicut etiam res se habet) quòd hæc pestifera doctrina multiplicata est per populos, & Regna, sub Epistolis, & Propositionibus has

Digitized by Google

has Assertiones continentibus. Deducamus propterea falsitatem octavæ Assertionis ad intellectum ponentis; quoniam si liceat unicuique judicare de Lege divina, ut de illa, *Non occides*, Exod. xx. 13. & eam interpretari secundùm epikeiam suam & conscientiam, relinquendo planum, rotundum, ac solidum sensum positum per Doctores sanctos; epikeia, & conscientia quælibet poterit Scripturam intelligere sacram aliter quàm Spiritus sanctus efflagitet, quod est hæresis, secundùm descriptionem Hieronymi. Et hæ inconvenientiæ consequuntur.

Primò quòd poterit quilibet interpretari Præceptum illud, *Non furaberis:* Exod. xx. 15. Sicut inventus est unus dogmatizans, quòd pro nutritione pueri bonæ indolis ad eruditionem Theologiæ, vel utilitatem Reipublicæ, poterit rapi pecunia à divite. Alii, quòd liceat committere usuram pro sublevatione pauperum: alii, quòd simoniam pro necessitate Ecclesiæ: alii, quòd rapinam pro fundandis Ecclesiis, vel Hospitalibus, nemo aspiciens ad malum &c.

Ampliùs secundò, idem arguitur de hoc Præcepto, *Non mœchaberis*, Exod. xx. 14. quià diceret aliquis Rex, vel præpotens: sterilis est uxor mea; recipiam alteram, ne successione defrauder heredis: Alter idem faciet pro multiplicatione prolis ad cultum Dei.

Rursùs tertiò contingit hoc idem circà Præceptum hoc, *Non mentieris*: Mentiar, inquit, aliquis, ut salvem proximum, vel me ipsum à morte, seu damno, seu vituperio: mentiar ad salutem aliorum corporalem, vel spiritualem: mentiar ut licentiùs perdantur impii tyranni, vel hæretici: immò & Confessionem revelabo, ne perdantur reliqui.

Postremò, licebit etiam sic parentes occidere in senectute, ne langueant diutiùs: sic occidere se ipsum ad evitationem indigentiæ, servitutis, vel stupri, vel contumeliæ Dei; sic fuit tempus, dum *omnis*, *qui* interficiebat Christianos, *arbitrabatur se obsequium præstare Deo*. Joan. xvi. 2. &c.

Advertitis autem, quàm latè pateat hæc ruina, Si cuilibet non secundùm Leges vivere, sed de Lege judicare licuerit, contrà illud Decretum vulgatum: *Ejus est interpretari*, *cujus est condere Legem*. Et illud Augustini *de vera Religione dist.* 4. *can.* In ipsis temporalibus Legibus; ubi dicit, quòd dum institutæ sunt Leges, non licebit etiam Judici de eis judicare, sed secundùm ipsas: undè fatemur, sensum Legis, non verba, facere sensum literalem; sed de sensu periti definiunt, non quilibet pro seipso. Denique cùm ex solo sensu literali Scripturæ sumitur efficax argumentum solidum, sic literalis sensus Scripturæ in aliquo falsus diceretur &c.

Tandem, reprobetur Assertio nona, quæ in schedula minùs damnata est rigidè in casu societatis juramenti, hæretica est, sacrilega est, pernitiosissima est. Primò quidem, quià perjurium, secundùm genus suum (si Thomæ creditur) gravius est homicidio, quoniam est immediatiùs contra Deum, & contrà Præceptum primæ Tabulæ. Cedit insuper in subversionem graviorem totius Reipublicæ, dùm vinculum ejus, quod est juramentum, rumpitur, & dissolvitur; undè *juramentum est omnis controversiæ finis* secundùm Apostolum Hebr. vi. 16. Porrò, si perdet Deus omnes, qui loquuntur mendacium, *Ps.* v. 7. ita quòd nulla adjectione potest licitum fieri; quid de perjurio censebimus judicandum? Negetur ratio Augustini quare mendacium non recipit compensationem ut fieri licitum possit. Rursùs exemplis sacræ Scripturæ docemur 4. *Reg.* & 2. *Paral.* in fine, quod Sedechias cum toto populo Judæorum ideò peremptus est, quia non tenuerit pactum cùm idololatra Nabuchodonosor seductus per Sacerdotes dicentes, quòd cum idololatra perfido, & tyranno fœdus initum non tenebat, ex quo erat sine Fide. Exemplum aliud est de Simeon, & Levi, quibus jam maledixit Pater, quià fregerant pactum cum Sichimitis initum. *Gen.* xxxiv. Exemplum aliud apud Gentiles de Regulo, & Fabricio, ac multis similibus, de quibus loquitur Cicero *Lib.* 3. *de Officiis*. Notetur quid recitet tempore Hannibalis de duobus remissis per Romanos. Exemplum de perfidia Carthaginensium, quæ subvertit eos, quibus dictum est: per quos Deus jurabit, & ubi? Exemplum de fide militum, de fide mercatorum, de fide Joannis Regis Franciæ, & aliorum quotidiè sine numero quos constat servasse, & hodiè servare confœderationes, & vera juramenta nedum in præjudicium temporale sui, vel suorum, sed etiam in præjudicium vitæ propriæ, quod est ultimum præjudiciorum temporalium. Nota de Lombardis: nota de Lotharingis, qui reducerentur captivi à suis si fugerent. Denique quæritur, si confœderatus de quo loquitur hæc nona Assertio, poterat servare juramentum suum, non occidendo, vel occidi faciendo tyrannum illum cum quo juramentum & fœdus habebat, & si sic; tenebatur illud observare, cum non cederet in præjudicium animæ suæ, vel salutis æternæ: si verò non potuerit observare, consequetur primò, quòd tenebatur de necessitate salutis tyrannum illum sibi confœderatum vel occidere, vel occidi facere; quod improbatum est priùs, quia non erat Judex ejus, ut supponitur, & quia Judex etiam observare fidem hosti debet. Sequitur prætereà, quòd talis præsentiens, illum esse tyrannum dignum morte, cui nec servanda fides erat, secundùm eum juravit in mendacio, & dolo malo. Unde literalis intellectus, planus, & grossus apud omnes, istius Præcepti, *Non perjurabis*, quod est, omne juramentum deliberatè, & licitè factum tenendum est, etiam usque ad præjudicium mortis temporalis; quoniam plus tenetur observare fidem suam, quæ est quædam integritas, & virginitas animæ, quàm corpus proprium, vel alienum, & est ordo rectus charitatis.

Promiseramus inducere rationes cum autoritatibus, & historiis; summabimus illas plures: itaque continentur 2. 2. q. 5. & q. 8. in Augustino & Hieronymo: plures in Summa Confessorum super his vocabulis, *bellum*, *homicidium*, *insidiæ*, *perjurium*. Sanctus Thomas ad idem 2. 2. *q.* 64. multis Articulis, & *q. De insidiis* & q. de *juramento*. Item q. *penul. secundi*. Item *Lib.* 1. c. 6. *De regimine Principum ad Regem Cypri*, determinans hanc quæstionem ex intentione, fundans se in hac autoritate Petri, *Servi subditi estote in omni timore Dominis*, *non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, 1. Pet. ii. 18. Exemplificat de multis Romanorum Imperatoribus, sub quibus Christiani passi fuerunt spontè, licet eos potuissent occidere, ut patet de sacra Legione Thebæorum Sarreburiensium. Insuper **** qui ab aliis distortè, vel truncatè allegatur, facit pro dictis *Lib.* 3. cap. 16. ubi dicit quòd *tyrannus est*, *qui vult contra Leges dominari.* Et lib. 8. *cap.* 19. tradit, quòd *nullus quantumcunque tyrannus*, *etiam notorius*, *& intolerabilis*, *interficiendus est contra jusjurandum*, *neque per venenum*. Exemplificat de David respectu Saul. Et tandem dat consilium simile sancti Thomæ. Sed addi potest, quòd per Generale Concilium possunt tyranni judicari, vel deprimi, non propria præsumptione. Est ad idem Alexander de Hales diffusè, tertia parte summæ super hoc Præcepto. Ad idem Augustinus *lib*: *de libero arbitrio*, & Epistola secundâ *contra Faustum*. Ad idem Lib. 1. *de vitiis*, *Tractatu de ira*. c. 12. Ad idem Leges civiles. Exempla sunt in Scriptura de Cain sceleratissimo, de quo non licuit alteri, ut interficeret eum. Item de Judæis qui licet Christum reputarent tyrannum pessimum, noluerunt tamen interficere propria autoritate.

Concludamus tandem ex istis omnibus veritatem secundæ partis conclusionis nostræ principalis, scilicet, quòd hæ novem Assertiones rationabiliter, & catholicè, prout in schedula continetur, qualificatæ, reprobatæ sunt; immò profiteor cum Reverendissimo Patre Domino Cardinali Cameracensi, & firmissimè teneo & nullatenùs dubito, quòd hæc doctrina est hæretica, &c. & damnata per hoc Concilium in ista; *Quilibet tyrannus &c.* Nec super hoc oportet me judicio Concilii, tanquàm sim dubius, submittere, quia cre-

Digitized by Google

crederem, me peccare sentiendo de fide certissima rem incertam.

Habent ecce criminatores quod intendunt, me confitentem, quod opponunt &c. Elicitur ex his, quòd nullus à commissione circà materiam Fidei repellendus est tanquàm suspectus, si dixerit, hanc esse Fidem suam, quemadmodùm fecit idem Reverendissimus Pater Dominus Cardinalis Cameracensis, Præceptor meus clarissimus, ad Requestam Serenissimi Regis Romanorum. Sic & A præfulgidum decus Canonistarum, & flos gratissimus Dominus Cardinalis Florensis, confestim ut aliàs, me præsente, legit has Assertiones, admiratus: *Et potuerunt*, inquit, *inveniri defensores, quin mox fuerint aliqui contradictores*; adeò sibi manifestus error videbatur. Sequitur tandem juramentum fuisse licitum de repugnando talibus erroribus.

TERTIA PARS CONCLUSIONIS PRINCIPALIS.

Demonstratis itaque duabus primis partibus nostræ conclusionis, ita ut non sit relictus dubitationis scrupulus apud illos qui nolunt *fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*, Ephes. v. 17. nam & ratio evidens & autoritas convincens, & hoc sacrum Concilium determinans, multipliciter hoc credere tradunt, B & impellunt &c. Expediamus nos breviori sermone de partibus reliquis duabus. Dicit tertia pars, quòd hæ novem Assertiones potuerunt per Doctores & Ordinarios locorum doctrinaliter, ac judicialiter condemnari. Stabiliamus hoc quadrupliciter. Primitùs in Jure divino; spectat itaque ad Prælatos etiam inferiores pascere gregem pabulo doctrinæ. Joan. x. 19. *Bonus pastor &c.* & Matth. ultim. ỳ. 11. *Docete omnes Gentes &c.* Isa. LVIII. 1. *Clama, ne cesses.* & Jerem. XXIII. 1. *Væ Pastoribus &c.* Ezech. XXXIV. 2. *Væ Pastoribus Israël.* Et XXXIII. 6. *Si speculator viderit &c.* Et simile ejusdem III. 18. *Si dicente me ad impium &c.* Thren. II. 14. *Prophetæ tui viderunt &c.* Deut. XIII. & 16. Contra hæreticos 1. Tim. IV. ad Titum III. ad Gal. II. 5. & 6. Item Act. XX. 28. *Attendite vobis & universo gregi &c.* Ex quibus omnibus fundatum est in Scriptura sacra, quòd Doctores, & Prælati possunt & debent populum subditum in doctrina sana pascere, & ne errent providere. Stabiliamus secundò partem eamdem ex Jure naturali, & positivo. Ex na- C turali quidem, quo Pater debet erudire filios, sapiens insipientes docere, videns cæcos ducere, caput in membra sensum influere, & ita de reliquis similitudinibus naturalibus. Ex positivis verò Juribus judicatur *Extra de Hæretic. Cap. Ad abolendam*, & *Cap. Excommunicamus* & *Cap. Sicut*, & *Extra. de Simo. Cap. licèt Heli. &* LXXXII. *distinct. can. Nil illo pastore*, &c.

Stabiliamus tertiò partem hanc, & approbationem hujus Sacri Concilii per practicam ejus: collaudat enim condemnationes factas contra errores Wicleff, per Universitates Oxoniensem & Pragensem, & per Ordinarios eorumdem locorum; quas velut temerarias, & iniquas reprobare debuerat, si nequaquam eis condemnatio talis licuisset. Inducerentur similia plura de prioribus Conciliis tàm Generalibus, quàm provincialibus, etiam antè Nicenum Concilium &c.

Stabiliamus denique quartò partem eandem ex consuetudine laudabili in diversis Diœcesibus, præsertim in Parisiensi. Illic enim damnati sunt Articuli, & damnantur quotidiè per Doctores sacræ Scripturæ, & D per Episcopos, & jurant Baccalaurei prius quàm legant Sententias in manu Cancellarii Parisiensis; quòd si quid audierint dici in favorem Articulorum Parisiis condemnatorum, revelabunt infrà octo dies Episcopo, vel Cancellario Parisiensi, qui erunt pro tempore. Scripsit & hoc idem sacræ Theologiæ Facultas in Parisiensi Universitate, in Tractatu quem misit ad Clementem VII. solvens rationes, vel allegationes in opposítum sumptas ex Juribus malè intellectis. Cujus Facultatis autoritas major est in hac parte, quàm unius Glossatorum; quià Decreta sunt dicta Doctorum sanctorum Theologorum, quæ meliùs intelligi possunt à Theologis, quàm à solis Juristis, sicut architecta judicat de ceteris. Concedamus tamen, quòd nulli inferiores ad Papam, vel ad generale Concilium, faciunt determinationes in Fide quæ ligent generaliter omnes Christianos, ut præcisè sunt talium. Præterea dicuntur inferiores Prælati causas Fidei magis ventilare, quàm terminare; quià reservatur autoritas Superiori qui potestatem habet universalem definiendi, & obligandi. Quod si dicatur, quia Prælati inferiores, & Inquisitores, quandoque sunt ignari sacrarum Literarum (sicut arguit Ockam, quòd planè ita fuerunt quandoque Summi Pontifices) propterea concedimus, Prælatos inferiores non debere quæstiones Fidei judicialiter decidere, nisi concurrentibus istis causis.

Prima, quòd scandalum fuit ortum ex aliquibus Assertionibus in sua Diœcesi, quià de his quæ foris sunt nihil ad eos, nisi fortè requisiti sint in Fidei subsidium. Secunda, quòd Assertiones tales sunt quæ sine periculo non possunt diù admitti, vel tolerari, nec eorum falsitas ignorari seu dubitari. Tertiò, dùm habetur sufficiens copia Doctorum in sacris Litteris hominum scientium discernere si tales Assertiones sunt explicitè contra Fidem, & per sacram Scripturam reprobatæ in sententia, vel affectu. Possunt itaque, immò & debent Prælati & Doctores scire multa esse contrà Fidem explicitam, qualia populus nescit, nisi implicitè. Undè regulariter nec Papa, nec generale Concilium debet facere determinationes Fidei, nisi concurrant hæ tres causæ: quòd si dicitur Prælatos & Doctores posse facere de aliquibus Assertionibus declarationes quæ sunt contrà Fidem, non tamen posse determinare; hoc nihil est: quia Papa, vel generale Concilium determinando de Fide, seclusa revelatione speciali, non faciunt aliud nisi declarare, talia esse de Fide cum pœnarum adjectione. Denique non potest allegare contrà Prælatos, vel Doctores, si priùs damnent Assertiones doctrinaliter, & judicialiter, quàm evocent, & damnent assertores. Exemplum multiplex de numismate falso, & de morbo canceris, & similibus. Hoc insuper practicatum est in hoc sacro Concilio de erroribus Wicleff, & de isto: *Quilibet tyrannus &c.* & in aliis Conciliis, & de hæresibus, & apocryphis dogmatibus sine actione damnatis. Est enim priùs damnare hæreses, quàm damnari possint errantes: propterea perversissimus, ac perniciosissimus est, non quidem ordo Juris, sed illius confusio, nolle quomodolibet tractare priùs de interesse Fidei, quàm discussum, vel decisum fuerit de interesse personali. Et hìc locum habet dictum Christi Matth. XV. 6. *Irritum fecistis Mandatum Dei propter traditiones vestras.* Nunquid non est judicum sufficienter fundatum, ubi error nunciatus est, reus promotor accusans, Judex damnans? Advertant Prælati ea quæ sequerentur inconvenientia, si passim ac liberè aliqui prædicarent quicquid vellent; neque possent corrigi, nisi referendo causas ad Sedem Apostolicam, ubi plerumque pauci sunt Theologi, nisi fortè tales qui possunt esse rei, & pars. Audenter, non arroganter, affirmo, quòd in damnationem novem Assertionum, plures fuerunt Magistri in Theologia, ac Licentiati, absque Baccalaureis formatis, & aliis, quàm sunt in hoc sacro Concilio: & tribus Mensibus duravit eorum deliberatio quæ fiebat publicè, & liberè; protestando, quòd solùm ad extirpationem errorum (sicut sua professio requirit) intendebant. Propterea, non evocata est Facultas Decretorum tota, sicut Theologi omnes vocati sunt; quià de solo Fidei interesse quærebatur. Addo, quod nullus unquàm inventus est, me sciente, qui auderet dicere, quòd Assertiones istæ, & similes essent veræ, quamvis aliqui diverticula confingerent, ne responderent ad rem istam. Rursùs, executio facta est, non per unum, aut per

duos,

Digitized by Google

duos; sed per sedecim Magistros, ad hoc judicialiter deputatos.

QUARTA PARS CONCLUSIONIS PRINCIPALIS.

SUPEREST declaranda quarta pars, & ultima, dicens, quòd hæ Assertiones novem sunt per hoc sacrum Concilium, vel per Sedem Apostolicam de necessitate salutis reprobandæ, & hoc verè, vel interpretativè. Redditur hæc pars perspicua, tàm ex prioribus reprobationibus, quàm ex probationibus partis præcedentis, videlicet ex Jure divino, ex Jure naturali, & humano. Non enim minùs, immò ampliùs, Concilium Generale obligatur vigilanter intendere ad extirpationem errorum, & emendationem errantium, quàm Prælati inferiores, vel etiam ipsi sæculares Principes: qui qualiter obligantur, notum est ex prioribus, & *scientibus Legem loquor*, Rom. VII. I. Deindè, patet eadem pars ex verbis hujus sacri Concilii positis in condemnationem hujus Assertionis: *Quilibet tyrannus &c.* ubi sic dicitur.

„Præcipua sollicitudine volens sacrosancta Synodus „ad extirpationem errorum in diversis mundi partibus „invalescentium procedere sicut tenetur, & ad hoc „collecta est: nuper accepit &c.„Denique sumitur probatio partis hujus ex notorietate multiplicis scandali, quod verisimiliter tolli non potest, nisi per determinationem hujus sacri Concilii. Scandalum unum est inter Prælatos etiam ejusdem Regni, pluribus definientibus unam, aliis murmurantibus, & virtualiter reprobantibus; dicendo, quòd de opinione Fidem facere volunt; quòd Sententiæ Parisiis latæ, per Regem, & Universitatem approbatæ, ac per Regnum acceptæ, sunt iniquæ, ut pridiè dicebatur in publico. Reverà benè dixit Apostolus de hæresi, quòd ipsa *sicut cancer serpit*, 2. ita Tim. II. 17. quoniam ex una jam centum exortæ sunt, quòd *sanguis sanguinem tangit*. Oz. IV. 2 Scandalum aliud est inter Doctores & scholasticos aliquos, sicut patet, quamvis non expressè reprobant Sententias istas, sed profectò seducunt se, diffamant se, nec juramentum custodiunt. Scandalum aliud est, & fuit multiplex, & horrendum inter sæculares; sed væ, per quos; quia non per Fidei defensores, neque per hæresum reprobatores (viderint ipsi, qui fecerunt, & faciunt opere, & consilio, undè scandalum tale venit) quia profectò non datum fuit, sed acceptum. Est enim *pax multa diligentibus legem* Domini, & *non est illis scandalum*. Ps. CXVIII. 165. Ego fidenter pro me respondeo, quòd nec tam potens sum, quòd possim operari destructionem talem totius Communitatis aut Regni; nec tam perversus, & nequam, ut hoc vellem, Deo propitio. Et ad veritatem perscrutandam esset vigilantiùs attendendum quid importent voces tales, ut occurreretur destructionis periculo, si tale sit, & undè sit hæc percussio. Est, inquiunt, in destructionem Communitatis totaliter &c. Dicere habet omnis bonus civis; ecce *si propter me tempestas hæc orta est, mittite me in mare &c.* Joan. I. 12. Sed reprimo.

Cùm hæc ita se habeant de tantis scandalis, dùm sacrum hoc Generale Concilium potest occurrere, & opem ferre, si dissimulet, si procrastinet, si in personarum acceptionem velit habere Fidem Jesu Christi, nonne judicabitur in se, & in suis membris reprehensibile? Nonne de reatu apud Deum & homines arguetur? Cur ita? Quia unico Sententiæ definitivæ verbo tantis malis occurrere potest, devios ad se reducere, & errantes revocare. Quod quanti meriti sit, Jacobus ostendit. c. V. ℣. 20. Dicunt itaque omnes definitivè perhibemus rectè quòd non perhibetis. Faciunt pro hac parte dicta Scripturæ, & Sanctorum, *Extra. de Hæret. Capit.* II. *Qui alios cùm potest &c.* 23. *q.* 4. *can.* ita planè, LXXIII. *dist. can. error cui non resistitur approbatur*; *Extrà. de homici. cap. sicut dignum, qui potuit hominem liberare &c.* & *Matth.* XVIII. 16. 17. de tollendis scandalis & membris nocentibus in corpore mystico; ac de illa Lege; *Dic Ecclesiæ*; *quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*: debet etiam ibi loqui sic ut audiatur: & I. Petr. III. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti &c.* Obsecro, peto, & obtestor, per Matrem omnium benè viventium, charitatem per illam, sine qua Deo nemo placere potest, neque salvari, Fidem scilicet Catholicam: per beatam denique felicitatis spem: *nolite fieri* (sicut monet Apostolus, Ephes. V. 17.) *imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Constat autem, quantùm est ad præsens dicere, talis intelligentia in quatuor considerationibus. in quibus mox finis erit. Protestor nihilominùs solemniter, & supposito quòd mihi non præjudicet modestia mea quam hactenùs tenui coram Dominis Commissariis, & hîc nolendo quicquam dicere, & respondere circà materiam harum novem Assertionum, præter id quod ad reprobationem earum Theologicam spectat, & ad apertionem Theologicam, prædicando quòd altera pars similiter se habeat, aut si contigerit quòd fiat descensus ad personalia qualiacunque tangentia vel Christianissimum Regem Franciæ, cujus Legatione fungor, vel sacram Theologiæ Facultatem, aut illam, cujus pars est, Universitatem Parisiensem, aut personam meam, in fama, doctrina, vel aliter; detur & pateat mihi legitimæ defensionis, & responsionis locus. Sic spero firmiter in Domino, quod potentissima veritas vincet, & Fides, in qua est mundi victoria. „Habet veritas similiter, & justitia (dicente Augustino) quamdam „lucem suam, quæ velut orbiculariter se diffundit, & „terminatur ad umbram: à qua luce dum quis refugit, „excæcatur, & magis ac magis in tenebrosa demergitur.

Intelligamus igitur *quæ sit voluntas Dei* sub considerationibus paucissimis. Intelligere convenit, quòd *hæreticus est* (sicut dicit Augustinus *in lib. de utilitate credendi cap.* I. & habetur 24. *q.* 3.) *qui alicujus temporalis commodi, & maximè gloriæ principatûsque sui gratia, falsas, ac novas opiniones, vel gignit, vel sequitur.* Ecce quod dicit, & nedum assentiens, quoniam dubius in Fide infidelis est, dum videlicet dubitat in eis quæ explicita, & certa Fide tenetur credere, profiteri, vel docere, ratione sui status, scientiæ, vel gradus; proptereà dixi, me non dubitare. Intelligere convenit, quòd hæresis sola non facit de per se hæreticum, nisi dum conjungitur depravatio pertinax ipsius voluntatis, juxta illud Augustini: *Errare potero, hæreticus non ero.* Et hîc locum habet protestatio, ac submissio conditionalis, quæ pertinaciam excludit: Hoc verum est in dubiis, sed in certis illam inquinat potiùs quàm salvat, & est duplex iniquitas, &c. patet in hæreticis dicentibus, se Fidem Catholicam semper velle profiteri. Intelligere convenit, quòd ille censendus est pertinax, qui non dimittit errorem suum, nec quærit cauta sollicitudine veritatem, vel quæsitæ, & doctæ non obedit: cujus pertinaciæ multa sunt signa, sicut enumerat Ockam, *prima parte dialogorum lib.* 4. ponit decem & novem signa, ego redigo ad duodecim; inter quæ illud est præcipuum, & pessimum; dùm error defenditur verbis, & factis; minis, & terroribus, cautelis, & ambagibus. Aliud signum est in eis, qui consentiunt errantibus, sicut dicitur ad *Rom.* I. quantò ampliùs qui errores, vel errantes defendere satagunt malis modis? Intelligere postremò convenit, quòd non licet homines ea nescire quæ spectant ad officium proprium, sicut oportet Judices cognoscere ea de quibus judicare habent, ut de homicidiis, furtis, & similibus. Similiter, oportet Prælatos & Doctores scire, nedum implicitè, sed etiam explicitè veritatem nostræ Legis, tàm in speculativis, quàm imaginabilibus, quæ necessariæ sunt, & utiles *ad docendum, & arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia*, sicut dicit Apostolus, 2 Tim. III. 16. 17. *ut perfectus sit homo Dei, ad opus bonum instructus.* Nihil autem magis scire convenit in populo Christiano, & in omni Republica, quàm

Digitized by Google

quàm quod servanda sunt pacta, seu juramenta ad Deum, & proximum; & quomodò non inferenda sit injuria proximo, præsertim in re sibi charissima, quæ est vita corporalis, & spiritualis, scilicet animæ; neque occidatur à non vero Judice suo; neque impediatur per subitam mortem æterna salus sua. Quòd denique non usurpet, cui non est concessa sibi potestatem, neque velit esse Judex, testis, & pars, & sibi jus dicere, quod nefas est, & ita de similibus Præceptis moralibus &c. Hoc attendentes *nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*, Ephes. v. 17. & sicut corde creditis ad justitiam, sic potens & constans vestra sit oris confessio ad salutem: quatenùs *qui probati sunt, manifesti fiant*, Philip. iv. 7. *Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras, in Christo Jesu Domino nostro*, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SERMO
HABITUS CORAM
CONCILIO
CONSTANTIENSI
In Dominica, qua erat
FESTUM S. ANTONII.

Collat. ad MS. Cod. Victor. 137.

MONITUM.

Habitus est die 17. Januarii Anno 1417. post Decreta Seß. 4. & 5. quæ inibi leguntur, dum ageretur de negotio Joannis Parvi circa finem Concilii, ut docet Appendix hujus Sermonis.

NUPTIÆ *factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi.* Scriptum est originaliter. *Joan.* ii. 1. & recitativè in Evangelio Dominicæ currentis, quod ad honorem gloriosissimi Patris Antonii, cujus hodie celebritas agitur, inferiùs deducetur. Sed dùm *nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, erat Mater Jesu ibi.* Adsis & tu pia Mater Jesu nobiscum in hoc sacro Concilii loco, ubi est mysticè Cana Galilææ, ubi allegoricè fiunt nuptiæ. Interpretatur enim Cana *zelus*, & Galilæa *transmigratio*. Est autem hæc zelus transmigrationis, sed quò, & undè? Nimirum *ex hoc mundo ad Patrem*, ex Cana in *Jerusalem quæ ædificatur ut civitas*, quia *peregrinamur a Domino*, nec *habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus, quæ est Jerusalem, Mater nostra.* Vides, inquam, benedictissima Mater Jesu, quemadmodùm celebratur synodaliter in hac mystica Cana Galilææ, in hoc sacro Concilii loco dignissima nuptiarum Christi Jesu Filii tui & Ecclesiæ copulatio. Ad quid ita? Sanè quatenùs Ecclesia sponsa agni, neque laceretur ampliùs schismate, neque deturbetur erroribus, neque deformata maneat vitiorum fœditate. Adsis igitur ad has nuptias, ô Maria! Adsit & Filius tuus Jesus cum Discipulis suis Sanctis omnibus invitatus precibus à nobis, quo veniente commutetur, obsecramus, apud nos assidentes in his nuptiis aqua gravis & insipida sapientiæ terrenæ, animalis, & diabolicæ, in vinum optimum sapientiæ salutaris, quod nos ebria quadam sobrietate lætificet, corroboret, & sit in nobis *vinum germinans virgines*, Zach. ix. 17. hoc est, virginales, puras, & integras Assertiones; impleantur hydriæ cordium aquâ lachrymosæ compunctionis. Fiat hoc intercedente te, ô sacer eremi cultor Antoni, gloriosissime fili Matris Ecclesiæ, ac universa terra nominatissimè, cujus hodiè solemnitas celebratur. Fiat & hoc insinuante, & petente te beatissima & misericordissima Mater Jesu, Mater salutis, quam ideò salutamus depromentes suavissimum illud Gabrielis Epithalamium, dum in palatio virginalis uteri tui nupsit humanitati Divinitas: *Ave gratia plena Dominus tecum.*

Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi, Joan. ii. 1. Si dicam quod sentio, Patres Apostolici, Patres Deo amabiles, & spectabiles Domini, A tanta mysteriorum præsentis Evangelii majestate, tanta dicendorum numerositate suffunditur, & premitur meæ mentis acies invalida, ut quid primùm dicam, quid omittam, vix discerno? Cadit in me illud Narcissi philocapti juvenis apud Nasonem, & ad fontem

Inopem me copia fecit.

Ecce nuper in ipso meditationis meæ secreto, dum præsentis Evangelii verbis intenderem, apparuit ipsum velut fons illimis, & nitidus fons vitæ Verbum Dei in excelsis, tanquàm prætereà speculum quoddam purissimum sine macula sanctissimumque & tale, quale dicunt aliquid esse perspectivi, in quo relucent ex unius corporis objectu quatuor imagines, speculo non fracto. Visa est nempe mihi respicienti præsens Evangelium quadruplex expositionis sacræ Scripturæ facies, quasi totidem decoræ virgines, filiæ cœlestis Sapientiæ, quarum nomina, & officia quidam metro comprehendit, dicens:

B *Litera gesta docet, quid credas Allegoria,*
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

His itaque quatuor imaginibus insignitur fons, & speculum Sapientiæ divinæ; his quatuor faciebus ornatur in utroque Testamento sacra Scriptura, sicut figurat Ezechielis visio in animalibus & rotis. Hæc nempè duo Testamenta sunt velut si sit rota in medio rotæ. Allegoria Fidem; Anagogia Spem; Moralitas Charitatem; Litera simul tria hæc docet, & ædificat. Prudentiam Allegoria in Fide, Fortitudinem Anagogia in Spe, Temperantiam Moralitas in Charitate, Justitiam Littera sub appropriatione quadam tradit. Sapientia enim, cujus sunt filiæ, sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam & virtutem, id est fortitudinem, ait Sapiens. Quæret aliquis, quorsùm ista, & quid obscurum hoc sibi velit exordium respectu thematis hujus; *Nuptiæ* C *factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi*, Joan. ii. 1. Dicam, ut potero, diversas siquidem nuptias intuitibus meæ considerationis opponebat quadruplex ista species expositionis sacræ Scripturæ, quasi tetras virginalis, suadens unaquæque virgo, quatenùs de suis nuptiis primum, & potissimum haberetur verbum.

Littera corporales nuptias
Allegoria spirituales & sacramentales.
Moralitas sensuales.
Anagogia æternales objectabat.

Dicebat Littera corporales nuptias honorabiliores esse, quas Dominus hodiè signorum exordio, suaque præsentia, cum Matre & Discipulis honorans consecravit, quarum fuit prior institutio in Paradiso terrestri, nondum innocentiæ statu deperdito, quando prophetavit Patriarcha primus Adam; *propterea relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una &c.* Gen. ii. 24. Per quas D nuptias impletur mundus obediendo primæ jussioni; *crescite, & multiplicamini, & replete terram*, Gen. i. 28. Dic igitur tu prædicaturus, quales hodiernæ, & qualium personarum fuerint nuptiæ? Et si Joannis Evangelistæ, prout opinati sunt aliqui, qua ratione potuit dici virgo, si nubere disposuit? Cur ibi fuerit Mater Jesu, quæ vagari, quæ misceri cum ludentibus non noverat; Cur illuc invitati Jesus, & Discipuli, quibus sobrietas, & morum gravitas erat amicissima? & quales Discipulos cùm nondum prædicaret, habebat? Nunquid virginalis Mariæ sponsus Joseph interfuit? & si non,

Digitized by Google

non; quæ ratio? Si sic; cur tacetur? Cur velut austere respondit Jesus Matri verecunde petenti & dicenti *vinum non habent. Quid mihi & tibi mulier? nondùm venit hora mea?* Joan. II. 3.4. Hora qualis erat illa, Christe, tanquam aliqua tu facti necessitate tenereris: Expone præterea quale fuerit vinum illud, & qualiter ex aqua factum, & si rubeum fuerit, juxtà illud,

Aquæ rubescunt hydriæ.

Cur vinum bonum, & ità inebriativum propinavit convivis Jesus? qui postmodùm jussit, ut non gravarentur corda nostra crapula & ebrietate, *Luc.* XXI.34. De qua tamen ebrietate loquitur hìc ad sponsum Architriclinus, quasi non reprobet eam in convivio, sed suaderet: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est*; &c. Joan. II. 10. Rursùs habet quæstionem, si nuptiæ Joseph & Mariæ fuerint tempore suo, hodierno more Judæorum, & penè omnigentium solemniter cælebratæ, quod utique faciendum esse videtur: non enim fuit clandestinum Matrimonium, sed legitimum. Itaque Joseph post desponsationem Mariæ in Jerusalem primò suscepit eam. Postmodùm in familiarem convictum more gentis suæ secundò; deindè tertiò post Annunciationem Angelicam, Joseph super ea certificatus à Maria, & ab Angelis in somnis, fecit juxtà textum Evangelicum, sicut præcepit ei Angelus, & accepit Mariam conjugem suam. Accepit, intelligite, ritu solemni nuptiarum, quæ acceptio dicitur conventio illa, de qua Matthæus Cap. I. 18. *Antequam convenirent inventa est* (non dubium quin à Joseph) *habens in utero de Spiritu sancto.* Non quidem ex uteri tumore cognovit hoc Joseph, eorum honore salvo qui oppositum scripsisse, & pinxisse videntur. Quid enim scandalosius apparuisset Judæis convenientibus ad celebritatem nuptiarum Mariæ, quàm videre tumescentem ejus uterum. Sed hæc in Epistola quadam super celebratione virginalis conjugii Joseph & Mariæ latiùs notata sunt. Postremò quare dicitur, *Hoc initium* esse *signorum, quæ fecit Jesus?* Nunquid antè caruisse miraculis, nunquid otiosus fuisse credendus est? Littera, virgo semper integerrima, quià semper verissima, ceteris autoritate prior, qua vacillante, reliquæ non subsisterent; conquirere suadebat hæc, & similia: dùm soror ejus Allegoria, profundissimo intelligentiæ spiritu subintulit plena præferendæ sunt (cremihi) spirituales, sacramentalesque nuptiæ, quæ sunt Christi sponsi ad Ecclesiam sponsam, quarum fit convivium in templo Ecclesiæ Communione panis, & vini in Sacramento Altaris. Hæ fuerunt initiatæ in primo instanti Incarnationis in thalamo uteri virginalis; ratificatæ in instanti mortis Christi per aquam, & sanguinem; & consummabuntur in instanti æternitatis per felicitatem perpetuam. Undè sicut res perfectior est, quàm sit signum ejus; sic has nuptiis digniores esse quàm corporales, fateri necesse est. Undè quid dicit Apostolus de corporalibus nuptiis audi: *Sacramentum*, inquit, *hoc magnum est*, Eph. V. 32. signum scilicet rei sacræ; sed qualiter, & quomodo? *in Christo dico, & Ecclesia.* Figuratur celebriter hæc desponsatio in solemnitate Dedicationis Templi materialis, & exprimitur à Joanne in Apocalypsi, dum dicit se vidisse *Jerusalem novam descendentem de cœlo, tanquam sponsam ornatam viro suo.* Apoc. XXI. 2. Qualiter autem Matrimonium Adæ pro statu innocentiæ, si non peccasset; quomodò præterea virginale Conjugium Joseph & Mariæ nunquàm consummatum præsignaverint sacramentaliter Matrimonium Christi cum Ecclesia, docere parata sum, dicit Allegoria, si & dùm Studiositas speculatrix familiaris nostra quæsiverit. Pausare videbatur Allegoria, dum verbum sumpsit soror ejus Moralitas prudentissima, & tota secundùm nomen suum morigera, suadens commemorari debere nuptias sensuales: non quidem ut exerceantur (procul hæc impietas) sed ut fugiantur ab hominibus, quæ in abominabili prostibulo concupiscientiæ, & in volutabro luti carnalis fœdissimo, spurcissimoque fiunt, dùm contrahit animalis homo cum sensualitate, seu concupiscentia sensuali. Initiatur autem Matrimonium hoc adulterinum in illecebrosa cogitatione: ratificatur in consensu vero, vel interpretativo: consummatur in opere voluptatis libidinosæ, quæ fœda est, quæ deformis, feralis, & sordida, exosa tandem & pœnosa. Propterea figuraliter præcepit Isaac Jacob Filio suo, ne acciperet uxorem de genere Chanaan. Chanaan

A interpretatur *erubescens*, & quid erubescendum, quæso, magis ipsa libidinum vili voluptate, cujus sunt exitus odiosi, tristes, & amari, qui plus aloës quàm mellis habent? Figurat hoc nobis Amon, qui nimio amore sororis suæ Thamar succensus procuravit ejus concubitum; sed nefario opere consummato audi quid sequitur, *& exosam habuit eam*, 2. Reg. XIII. 15. ità ut majus esset odium, quo eam oderat, amore quo eam dilexerat. Fugiendas igitur doce tu nuptias istas, inquit Moralitas, quoniam evenit semper in eis illud Mach. IX. 41. *Conversæ sunt nuptiæ in luctum, & vox musicorum in lamentum.* Ecce tamen quòd repleverunt mundum sordibus suis, quoniam corrupit omnis caro viam suam, ità ut quæ in aperto, & quæ in occulto fiunt turpe sit dicere; ut vix etiam in Confessione possint extorqueri, nisi obstetricante manu Domini coluber tortuosus extrahatur à corde. Cur enim Sodoma interpretatur muta, nisi quià mutos

B sine Confessione consuevit præcipitare in stagnum sulphuris ardentis, cujus fumus tormentorum ascendit in sæcula. Has à puero nuptias sordidas libidinis execratus Antonius suspiravit cum Psalmista. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam. Ecce elongavi fugiens*, (securè sanè sicut Joseph procacem fugit Ægyptiam) *& mansi & solitudine.* Ps. LIV. 7. 8. Ad hanc de Antonii solitudine commemorationem qui totiens in anagogicos raptus est mentis excessus, exorsa est quarta soror Anagogia nil mortale sonans, & divinam in facie monstrans originem. Hæc ad cœlestia librans oculos, tracto ex imo pectoris devoto suspirio, suggerere mihi videbatur, & dicere: Eia, quid hæsitat animus tuus, quid vacillat dubius, an in prioribus nuptiis, vel in meis plùs debeat insistere sermo tuus? Certum tene, nuptias meas æternales esse, de quibus in Matth. Cap. XXV. 10. *Venit sponsus; & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est*

C *janua.* Et in Apoc. XIX. 7. 8. 9. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam Deo, quia venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se; & datum est illi, ut cooperiat se byssino splenaenti & candido; byssinum enim, justificationes sunt Sanctorum.* Sequitur: *Beati, qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt.* Audi tu recogitans, & suspira; audi suspensus, cor ad cœlestia exemplo Antonii, cujus interpretatio sonat *sursùm tenens*: *Beati qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt* Apoc. XIX. 9.; ità verè beati, si tamen vocati venire vel non tardaverint, ut fatuæ virgines, vel non contempserint, sicut ille qui emerat villam mundanæ vanitatis, alter juga boum terrenæ curiositatis, alter quia duxerat uxorem, de qua nunc soror Moralitas loquebatur, pessima quæ est concupiscentia carnalis voluptatis. Ita est per meam fidem (subintulit confestim Moralitas, & erat acris in vitia) hæc carnalis voluptas pessima est meretrix; figurat enim Dalila seductrix, quæ Samsonem attonsum & debilitatum tradidit hostibus Phi-

D listæis, ac relicto eo, prerfida potiùs copulata est alteri viro. Ibi igitur nec spero fidem aliquam in tali conjugio carnalis concupiscentiæ quæ trahit ad interitum. Sed neque ibi Sacramentum est, sed execramentum, id est execrandæ rei signum, scilicet adhæsionis animæ cum dæmone. Neque proles denique, quoniam qui tenet eam juxtà verbum *Job.* XXIV. 21. pascit sterilem, quæ non parit. Porrò deficit vinum devotæ compunctionis in nuptiis ejus, quia non est Mater Jesus ibi, neque vocatur Jesus cum Discipulis suis ad eas; sed nec vocatus interesse dignaretur, nimirùm si fugerit eas Antonius. Loquebatur hæc Moralitas, dùm

Digitized by Google

dùm visa est Anagogia parùm perferre molestè, quòd suam de nuptiis æternalibus orationem interruperat. Mox etiam Littera, mox & Allegoria contendere parabant (ut ità loquamur humano more) altera alteram prævenire, locutura priùs unaquæque de nuptiis suis integro, perfectoque sermone; tunc ego: quiescite, precor, interim vos, germanæ, divinæque sorores. Nolite tumultuari, nolite contendere, ne fortassis dicendorum ordo turbetur, nihil ægrè tuleritis, satis id mihi fuerit hactenùs vos revelasse oculos meos, ut considerarem mirabilia de Lege Domini; animadverto quippè velut unam esse faciem omnium vestrûm, quoniam nuptiæ tuæ corporales, ô Littera, significant & sacramentales Ecclesiæ, & spirituales gratiæ, & æternales gloriæ, ex quarum pulcherrima puritate patet execratio nuptiarum sensualium, quales jure suo detestatur Moralitas. Rursùs Allegoria manuducit ad Anagogiam, & ad utramque Littera, Moralitasque subserviunt. Similiter videre est in singulis faciebus vestris. Relucet attamen peculiariter in Littera facies hominis, quoniam solus inter animalia litteris & historiis uti novit. Relucet in Allegoria facies leonis propter fortitudinem illius, quam ædificat, Fidei. Nonne leonina tibi videtur ista fortitudo, quæ vincit mumdum, *hæc* tamen *est victoria, quæ vincit mundum, Fides nostra.* 1 Joan. v. 4. Relucet in Moralitate facies bovis propter temperantiam, & domabilitatem laboriosam quam docet nos. Relucet tandem in Anagogia propriissimè facies aquilæ supereminens, quoniam edocet per Spem ad cœlestia levare sursùm corda. Compressa est his auditis sororia quælibet disceptatio filiarum sacræ Sapientiæ, quæ sunt quatuor exponendi Scripturam sacram modi. Age, inquiunt, utere deinceps pro arbitrio tuo nobis omnibus, & singulis; aberit livor omnis, neque suborietur murmur ullum. Deduc, ut libuerit, verba thematis tui: *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat Mater Jesu ibi*, Joan. II. 1. Ast ego, Patres sapientissimi, Patres Orthodoxi, & honorabiles Domini, decrevi mecum plùs de reliquo procedere juxta doctrinam Allegoriæ, quæ quomodò credendum est, instruit ex his quæ Littera tradit esse gesta. Movet præcipuè consideratio sacrosancti hujus generalis Concilii repræsentantis Ecclesiam, quam in Fide desponsavit sibi Christus; de quo Joannes Baptista: Joan. III. 29. *Qui habet sponsam sponsus est*, figuratus in sole, qui est *tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Ps. XVIII. 9. Hic sponsus omnia condidit, omnia reparavit, propter conjunctionem nuptiarum istarum. Non *propter nos homines*, Symb. Nicæn. *& propter nostram salutem, descendit de cœlis.* Propter quam, & alias rationes, dictus est etiam à Philosophis homo, *finis omnium sub Deo.* Initiantur autem hæ nuptiæ per gratiam, Fidem, Spem in præsentis de futuris bonis. Ratificantur per adeptionem primæ stolæ in animalibus sanctis. Consummabuntur in die novissimo per possessionem stolæ duplicis, animæ & corporis. Vel dic aptiùs, quòd matrimonium istud initiatum est in promissione facta sanctis Patribus. Hinc dicitur in Apoc. cap. XIII. 8. quòd *Agnus occisus est ab origine mundi.* Ratificatum fuit in Incarnatione, quando *Verbum caro factum est.* Joan. I. 14. Consummatum Passione, postquam Christus dixerat: *Consummatum est.* Ibid. XIX. 30. Undè Augustinus. *Nubit sponsa, dùm sponsus moritur.* Figurat hoc Eva de Adæ dormientis latere formata. Petet aliquis, quale convivium habent hæ nuptiæ? Habent quasi prandium matutinum in convivio Eucharistiæ, ubi est vinum animæ purissimum sanguis Christi conversione mirabili. Undè David exultabundus in figura gloriabatur: *Parasti in conspectu meo mensam*: Ps. XXII. 5. Sequitur: *Et calix meus inebrians quam præclarus est.* Habent cenam vespertinam indeficientem in convivio cœlestis gloriæ, ubi beati sunt (prout allegavit Anagogia) qui ad cenam nuptiarum Agni vocati sunt. Conformiter hoc ad Legisperitum dicentem Christo Luc. XIV. 15. *Beatus qui comedet panem in regno Dei*; ubi etiam *vinum* bibetur *novum*, Matt. XXVI. 29. teste Christo, dum *torrente voluptatis tuæ potabis eos*, Ps. XXXV. 2. Domine. Pergebat meditatio cordis mei, Allegoria duce, latiùs disserere de nuptiis istis Ecclesiæ ob reverentiam hujus sacrosancti generalis Concilii, dùm affuit Studiositas speculatrix, una ex ancillis Sapientiæ, familiari dilectione sibi gratissima. Hæc tota videbatur alacris, & læta, eam quippe noviter introduxerat Rex, & Architriclinus in cellam vinariam, de qua proclamans invitat Sapientia Cant. v. 1.: *Bibite amici, & inebriamini charissimi.* Istic biberat Sudiositas sobriam ebrietatem spiritûs, quæ more suo multa conquirens, nominatim super his nuptiis hodiernæ diei, nunc à Littera nunc ab Allegoria, nunc à Moralitate nunc ab Anagogia in modum tetralogi. Stetit tandem magis, quoniam ita me vele conspexit, in Allegoria, cui verbum dirigens, dic inquit, ô doctrix optima: primùm quibus adornata est dotibus Ecclesia Sponsa à Christo Sponso suo? Deindè qualis est habitudo Christi Sponsi ad Ecclesiam Sponsam? Rursûs viceversa, qualis est habitudo Sponsæ hujus ad Sponsum suum, & ad ejus Vicarium, quem appellamus Summum Pontificem? Ampliùs quartò qualiter, & quàm utiliter Deus carnale conjugium voluit hujus spiritalis signum esse? Subindè quo pacto moralis Ecclesia spiritualem significat, sic ut mutuas sibi laudes, & nomina communicent? Demùm sextò, quibus modis, & locis sacræ Scripturæ figurantur hæ nuptiæ Christi & Ecclesiæ. Quibus expeditis pergam ad reliqua. Verùm rectè admones, ô religiosa devotio, celebritas est hodiè gloriosissimi, & toto orbe famatissimi Patris Antonii, cujus vita tot admirandis ornata virtutibus fulsit, ut magna sit institutio, magnum exemplar, & forma bonæ vitæ, & Fidei Antonium scire quis fuerit. Quamobrem intersceras, precor, non dicam omnia (hoc itaque fieri nequit) sed vel pauca laudum suarum præconia, ut in tali filio glorificetur Mater Ecclesia, in cujus mirificationem manifestavit gloriam suam Christus Sponsus Ecclesiæ. Habet, scio, Littera gestorum suorum quæstiones non inutiles, nec infirmas quas perscrutatura sum ego Studiositas, si & dum vacaverit, sicut de comparatione vitæ solitariæ, & eremiticæ cum laudibus suis ad cænobicam, & vitæ activæ ad contemplativam, & prælaticæ ad religiosam. Si beatus Antonius Sacerdos fuerit. Si subjectus in ordine hierarchico Prælatis majoribus, & minoribus, sicut tradere videtur Dionysius *in Ecclesiastica Hierarchia.* Habet proindè dubium, si discretè sumitur eremi solitudo in fervore novitio, qui est sicut vinum novum sine spiraculo; hoc enim reprobasse videntur sancti Patres, quoniam plurimùm habet hæc vita solitaria adversariæ & impugnatoriæ tentationis, prout ex his, quæ passus es, didicisti, ô athleta sternissime, sacer Antoni, nunc in flagellatione etiam visibili dæmonum, nunc in mille insidiis astutiarum suarum, super quibus astutiis infallibiliter agnoscendis, & distinguendis, si dabilis est ars certa, dignum est inquisitione. Habet rursùs quæstionem Littera de hypocentauris, & satyris. Satyri sunt qui pedes habent caprinos, frontem cornutam, nares aduncas. Hos invenisse memoratur beatus Antonius, dum ad visitationem primi Eremitæ Pauli solus pergeret per vastam illam eremi solitudinem. Dii fuerint vel bestiæ, vel monstra eremi, vel calodæmones, aut cacodæmones, juxtà Platonicorum locutionem aut homines: suadetur hoc ultimum; quoniam ipsi stridore quodam frendentes se in Christum credere confessos Hieronymi refert narratio. Sed his interim, & similibus silentio pressis quæstionibus, illo pergas, oro, quo sanctificata es ordine, ô Allegoria. Quod annuens ipsa; delector, inquit, in primis, ô Studiositas, cultrix sapientiæ quòd Fidem, quòd Religionem, quòd devotionem tuam, quòd zelum sciendi sedula monstras; nihilominùs quàm arcta sit hora loquendi vides: expediam de propositis quantùm dabitur. Reliqua verò, quæ jam apud

apud me dictata teneo, scriptis interseram. Habet igitur prima quæstio tua. Quibus adornata est dotibus Ecclesia Sponsa à Christo Sponso suo? Et dotes offerunt in munere. Offert se dos jugis fæcunditatis, ità ut non deficiat usque in finem generatio sua. Juravit hoc Christus Luc. XXI. 32.: *Amen quippe dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant*, loquitur de Apostolis, & Discipulis quibus & ascendens in cœlum dixit: Matth. XXVIII. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Dos altera est plenariæ potestatis, tantæ siquidem, si credis Augustino, quantam habet Sponsus suus, & quantam decuit, & utile fuit habere talem Sponsam jure nuptialis copulæ. Habeat licèt Summus Pontifex plenitudinem potestatis Ecclesiasticæ subjectivè, ordinativè, regulativè, & suppletivè super singulos de Ecclesia; nihilominùs habet Ecclesia synodaliter congregata plenitudinem potestatis etiam super Papam ordinativè, regulativè, & suppletivè: quæ verba quomodò sint accipienda Tractatulus quidam nuper editus pandit qui prodiet in publicum magis ad examinationem quàm determinationem, magisque ad elucidationem veritatis, quàm ostentationem vanitatis; quàmvis ultrà multiplicare sermones quid opus est super ea veritate, cujus decisio clarissima, solidissimaque facta est per hoc sacrum Concilium, cui non licet obniti, nec ipsam in argumenta deducere; quoniam dispositionum, & argumentationum, & evasionum frivolarum nullus unquàm esset finis, sed casus assiduus in errores absurdos, insanos, & impios. Verè, & graviter Ecclesiastes intonuit: *Quia citò non profertur contra malos sententia, filij hominum absque ullo timore perpetrant mala.* Eccle. VIII. 11. Nunquid non ideò sacræ hujus Synodi Constantiensis impugnantur Judicia, quæ sic habent: „ Primò declarat, „ quòd ipsa in Spiritu sancto legitimè congregata, „ generale Concilium faciens, & Ecclesiam Catho- „ licam Militantem repræsentans, potestatem à Chri- „ sto immediatè habet, cui quilibet cujuscumque „ status, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obe- „ dire tenetur in his quæ pertinent ad Fidem, & „ extirpationem dicti schismatis, ac generalem re- „ formationem Ecclesiæ Dei in capite, & in membris. Item declarat „ quòd quicumque, cujuscumque sta- „ tus, vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, qui Man- „ datis, Statutis, seu Ordinationibus, aut Præceptis, „ hujus sanctæ Synodi, & cujuscumque alterius Con- „ cilii generalis legitimè congregati super præmissis, „ seu ad ea pertinentibus factis, vel faciendis, obedi- „ re contumaciter contempserit, nisi resipuerit, con- „ dignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debitè puniatur, „ etiam ad alia Juris subsidia, si opus fuerit, recur- „ rendo. „ Huic veritati fundatæ suprà petram sacræ Scripturæ quisquis à proposito detrahit, cadit in hæresim jam damnatam, quam nullus unquàm Theologus, maximè Parisiensis, & sanctus asseruit. Vidi nuper sanctum Thomam, & Bonaventuram, hìc reliquorum libros non habeo; dant supremam, & plenam Summo Pontifici potestatem Ecclesiasticam; rectè proculdubiò, sed hoc faciunt in comparatione ad fideles singulos, & particulares Ecclesias. Dum etiam comparatio facienda fuisset ad autoritatem Ecclesiæ synodaliter congregatæ, subjecissent Papam, & usum potestatis suæ eidem Ecclesiæ tanquàm Matri suæ, cujus Legem dimitti non debere tradit Sapiens; *Prov.* I.8. tanquàm prætereà regulæ, vel Legi directivæ, & regulativæ infallibiliter, cui se submittere tenetur omnis frater peccabilis de Ecclesia, cujus autoritatem & judicia si non audierit frater quilibet, etiam Papa, qui nobiscum dicit, *Pater noster*, audiatur quid jusserit omni Catholico Christus: Matth. XVIII. 18. *sit tibi*, inquit, *sicut Ethnicus & publicanus*, id est, excommunicatus. Verùm hæc hactenus; alias plura, si dabitur.

Dotavit insuper tertiò Ecclesiam Christus ampla temporalitate, nolens eam opprobriosæ mendicitati subditam esse, neque contemptui; absit. Vera sit illa prædicatio, quòd mendicitas est solum, vel præcipuum medium fæcundandi Ecclesiam per semen verbi Dei, quia *divitiæ*, inquit, *suffocant semen verbi*. Marc. IV. 19. Non utique divitiæ, quæ corporales sunt, sed cura divitiarum nimia, pungens & lacerans, adulatrix, & ambitiosa, quæ si cadat in mendicitatem, non aliud testimonium, quàm experientiæ, mentiri nescientis, exquiratur.

A

Quid quartò quòd dotata est Ecclesia in filiis suis & in ædificationem corporis sui, tot Sacramentis, tot virtutibus moralibus, & Theologicis, tot donis, tot beatitudinibus, tot fructibus Spiritûs, tot gratiis gratuitis à Spiritu sancto suo, destribuente *unicuique prout vult*. I. Cor. XIII. Nam *alios quidem dedit Apostolos, alios Prophetas*. Eph. IV. 11. Adde quintò quòd affert ad nuptias istas unusquisque filiorum ferculum suum, symbolum suum, & encænium suum, prout jocundo satis, nec inutili studio descripsisse Legitur Cyprianus *De nuptiis sacræ Scripturæ*. Sed hanc unam pro præsenti invenimus dotem, quæ & proposito nostro, & Evangelio quod tractamus, & Antonii laudibus videtur accommoda. Hæc dos est vini bonitas; tristes certè viderentur nuptiæ, si vox ista jugiter insonaret: *Vinum non habent*. Noluit hoc

B

Sponsus Ecclesiæ Christus; sed *aquam convertit in vinum, & manifestavit gloriam suam*. Joan. II. 11. At verò parvam hanc nec reputandam fortassis Ecclesiæ dotationem, sed bibulam, & ridiculam existimabis, ô Studiositas, vel si nescieris, vel non animadverteris, pretiosissimas vini, de quo loquimur, proprietates. Neque enim de vino materiali, quod inebriat, & *in quo est luxuria*, Ephes. V. 18. litteraliter hìc loquimur, de quo Sapiens. Eccl. XXXI. 30. *multos exterminavit vinum*. Sed spirituale, ac Theologicum vinum intelligimus, prorsùs optimum, jocundissimum, & sanativum, hoc est, vinum sacræ Scripturæ, ad quod invitat Sapientia: Prov. IX. 5. *Venite*, inquit, *comedite panem, & bibite vinum*. Cujus vini fortitudinem ex effectibus suis, quos decem invenimus positos in Esdra, si mysticè loqui libuerit colligimus. Ubi primus trium juvenum dixit forte vinum; & quàmvis subdiderit alius, fortior Rex, & tertius, fortissimæ mulieres. Veritas tamen est quæ super omnia vincit, præcipuè veritas Fidei, de qua Joannes I. Joan. V. 4. *Hæc est victoria, quæ vincit mun-*

C

dum fides nostra. Vincere mundum, profectò non est parva victoria: *Sancti* verò *per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*. Hebr. XI. 33. Et quoniam (prout antè notatum est) dies hodie celebris agitur de gloriosissimo Matris Ecclesiæ filio, beatissimo Antonio, victore strenuissimo. Placet ex operibus ejus quæ tradidit nobis Littera, quæ prætereà Moralitas novit, & docuit, quæ tandem Anagogia profecit, ducens eum super excelsa; placet, inquam, etiam exemplum, inducere per se sufficientissimum, etiamsi aliud deesset, quo fortitudinem vini hujus sacræ Sapientiæ concludere fas nobis est. Forsitan inquires, undè beatissimus Anachoretarum Antonius habuit vinum tale, qui litteras non didicit? Respondet Augustinus *Proæmio De doctrina Christiana*, quòd non ex hominibus, neque per humanum litterarum studium hausit illud; sed divinæ revelationis infusione sibi collatum est. Cujus odor vini ministratus per Litteram gestorum suorum,

D

quod in Augustino fecerit accipe. Inebriavit quippe eum pia sobrietate, quòd mox in virum alterum mutatus est, & fugit ab eo sollicitudo vitæ præteritæ: tandem, velut luce quadam securitatis infusa, post egestum torrentem lachrymarum solidatus est in ipsa Lege Christi. Dicebat: *quid agimus? surgunt indocti & cœlum rapiunt; nos autem cum scientiis nostris sine corde &c.* Quisquis igitur recogitat, admiratur, & gaudet Augustinum tibi traditum, ô sanctissima Mater Ecclesia; gaudeat oportet, & congratuletur, & gratias agat Antonio. Quare? Quoniam ipse tam eximium & præclarissimum Doctorem Augustinum tibi dedit, & hoc propter testatissi-

ma

ma (sicut idem Augustinus loquitur *in Confessionibus suis*) ejusdem Antonii miracula, propter admirabilem insuper vitæ sanctitatem; quia denique consideravit dotes varias Ecclesiæ in hoc uno collectas fuisse, quales novem enumerat Apostolus 1. Cor. XII. 8. 9. 10. *Sermo sapientiæ*, *sermo scientiæ*, *Fides*, *gratia sanitatum*, *operatio virtutum* in dæmoniis ejiciendis, *Prophetia*, *discretio spirituum*, *genera linguarum*, *interpretatio sermonum.* Et in Epistola præsentis Dominicæ *Rom.* XII. 8. 9. &c. sumuntur decem & octo: quoniam fuit Antonius „ tribuens in simplicitate, præsidens in sollicitudine, mi„ sericors in hilaritate, diligens sine simulatione, odiens „ malum, adhærens bono, charitatem fraternitatis dili„ gens, honore ceteros præveniens, sollicitudine non „ piger, spiritu fervens, Domino serviens, spe gau„ dens, in tribulatione patiens, orationi instans, ne„ cessitatibus sanctorum communicans scilicet spiri„ tualibus, hospitalitatem talibus sectans, scilicet apud „ fratres suos. Benedicens persequentibus, benedi„ cens & non maledicens, gaudens cum gaudentibus, „ flens cum flentibus, non alta sapiens, sed humilibus „ consentiens. *Hæc omnia operatus est unus & idem Spiritus* 1. Cor. XII. 1. in Antonio, quem figuraliter vidit Joannes in *Apoc.* XII. 1. Filium Ecclesiæ raptum in cœlum à facie draconis: de qua quidem Ecclesia præmittitur, *signum magnum apparuit in cœlo*, *mulier amicta sole* justitiæ, *& luna* totius mutabilitatis *sub pedibus ejus*, *& in capite ejus corona stellarum* duodecim quæ sunt duodecim Apostoli, vel duodecim Articuli Fidei, vel universitas gratiarum. Libet hæc exclamare; felix ista dies tanti Patris Antonii, in qua natus est olim illustrissimæ memoriæ Philippus Dux quondam Burgundiæ, Princeps pacis prudentissimus, memorandus cum reverenti semper suspirio, nedum mihi, sed toti Galliæ, immò & Ecclesiæ. Prædicavi sæpenumerò Parisiis in hac die nativitatis suæ, dicens inter cetera, diem hanc celebrem esse sibi debere, non quia natus erat in mundum filius iræ de Matre quæ concepit eum in peccatis, maledicenda potiùs exemplo Job, & Jeremiæ; recolenda verò dies hæc, quâ Baptismi regenerationem, quia natus est denuò, meruisset, quia rursùs Patronum talem & tantum quasi peculariter dedisset in animi sui devotione Dominus Deus noster, profuerit tibi tunc, & nunc tua hæc devotio Princeps Illustrissime, ad salutem animæ perpetuam: profecerit insuper ad inclytæ posteritatis tuæ bonum, & acceptum Deo Statum. Sic opto, sic precor, atque desidero, sine fictionis, aut adulationis spiritu. Testis est in cœlo Judex meus, coram quo est omne desiderium meum; scis quoniam ità mihi sum conscius in veritate; pereat ergò falsitas, & veritas vincat, veritatem enim vinci falsitate, pessima est victoria. Undè & si jubet *proximum* diligi Deus *sicut seipsum*; Levit. XIX. 18. qui verò *diligit iniquitatem*, *odit animam suam* Ps. L.X. 6. & seipsum, consequens est, quod ille proximum odit qui iniquitatem in eo nutrit, & diligit, prout vidit Philosophus *in Ethicis*, tollens omnem ab impio amicitiam, etiam cum seipso. Sed redeat, undè cœptus est sermo; doceamus fortitudinem vini sacræ Sapientiæ ex effectibus quos operatum est in Antonio. Itaquè dicitur in Esdra, quòd *seducit mentem*, id est, seorsùm ducit. Hoc nunquid non in Antonio perspicuè monstratum est, dum ad unicam Evangelici vini prægustationem, ad unam, ut dicitur, guttam: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matth. XIX. 21. ipse protinùs à terrenis ad spiritualia, ab imis ad summa, à visibilibus ad invisibilia, à caducis ad æterna seorsùm ductus est: quoniam sedens in solitudine levavit se super se, usque adeò, ut vivens docuerit non esse perfectam orationem qua non ità raperetur in Deum, quòd sui ipsius nequaquàm meminerit. Nonne bona tibi videtur, & optanda mentis hæc seductio; hæc seorsùm ductio, quam inducit sapientiæ sacræ vinum? Tradidit super hac mentis seductione doctrinas, & industrias, divinus Dionysius in *De mystica Theologia.* Memorabile est id, quòd Littera refert de Antonio, qui, occurrente sole, faciem vertebat ad Orientem, ubi tamdiù fixus stabat suspensus mentem ad cœlestia, quousque sol oriens feriret radiis oculos ejus; quod Antonius modestè ferens: quid impedis, ô sol mentem meam cœlestia contemplari? Testis est hujus Anagogia soror nostra, quoniam, ea duce, cernebat in spiritu lucem, de qua Boëtius; „ *Hanc quisquis poterit notare lu-*
A „ *cem candidos Phœbi radios negabit.*

Sequitur alter effectus vini nuptialis & Theologici, *quia Regis & orphani facit mentem vanam*, [alia litera *unam*] item servi & liberi, pauperis & divitis. Tollitur hìc acceptio personarum, quià *pusillum & magnum fecit* Deus. *Sap.* VI. 8. Nunquid soli divites Evangelizantur? Evangelizantur & pauperes. Undè in Esther nuptiis dabatur vinum unicuique secundùm magnificentiam regiam, non juxtà divitias sedentium, vel paupertatem. Est autem vanitas aliqua mala, ut ibi; *vani sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei.* Sap. XIII. 1. Hanc non affert, sed tollit Sapientia, & addit vanitatem laudabilem, quæ ex humilitate fundatur, quemadmodùm tu felix eremi cultor & incola, Antoni, superfusus hoc vino Sapientiæ te te reputasti quasi nihilum & inane in conspectu divinæ Ma-
B jestatis, ex consideratione propriæ fragilitatis, dicens cum Psalmista: Psal. LXXII. 22. *Ego ad nihilum redactus sum.* Et iterum. Psal. XXXVIII. 6. *substantia mea tanquam nihilum est antè te.* Beata prorsùs, & rara vanitas hujusmodi, quam docet, tradit & efficit per vinum sacræ Scripturæ summus Pincerna Christus: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. XI. 29. Alioquin evenit illud de Mariæ Cantico: Luc. I. 51. *Dispersit superbos mente cordis sui.* Est autem hæc humilitas parens discretionis, & custos, dum non proprio quasi vano, sed sanctorum Patrum credit judicio. De qua discretione saluberrimum est Antonii documentum conclusum ex mutua Patrum collatione, quòd ipsa est directrix, aurigaque virtutum, quâ derelictâ virtutes ceteræ vix aliud operantur nisi præcipitium, casum vel interitum. Hinc est illud Antonio missum cœlitùs oraculum, dùm aspiciens innumerabiles
C mundi laqueos, exclamasset: *Domine quis evadet illos?* Responsum est; *humilitas.* Conformiter ad illud Psal. CXIV. 6. *Humiliatus sum & liberavit me.*

Sequitur tertius effectus vini quod loquimur; *Omnem mentem convertit in securitatem & jocunditatem*; jam idipsum in Augustino meminimus. Hoc in Antonio tradit Litera fuisse, quem non priùs cognitum noviter aspicientes cognoscebant; inter ceteros Patres, ex quadam angelica vultus jocunditate, & frontis oculorumque serenitate; quemadmodùm cernere est carnaliter, quòd homo potus vino bono fit hilarior, atque jocundior, & ut apud Comicum est: *Videtur aquilæ juventus.* Propterea jubet in mysterio Salomon *mœrentibus*, & his, qui in tristitia sunt, *dari vinum.* Prov. XXXI. 6.

Quocircà subditur quartus effectus: *Et non meminit* &c. *non meminit omnem tristitiam, & debitum.* Quo pacto sic? certè quoniam *vinum* illud *lætificat cor hominis*, Ps. CIII. 15. & exclamare facit cum Propheta: *Secundùm multitudinem dolorum in corde meo*; *consolationes tuæ* per vinum Sapientiæ *lætificaverunt animam meam.* Ps. XCIII.
D 19. Sed quid de debiti memoria, vel exactoris? Audiatur Dominus ad Job mysticè loquens de solitario (qualium Pater, Dux, & velut initium fuit Antonius) loquitur sub onagri similitudine: Job. XXXIX. 5. 6. 7. 8. *Quis dimisit onagrum suum liberum, & vincula ejus quis solvit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula ejus in terra salsuginis. Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumspicit montes pascua sua, & virentia quæque percurrit.* Præclara est & accommoda propositio: beati Gregorii super hunc locum expositio lata.

Sed ad quintum vini transeamus effectum; *Et omnis*

Digitized by Google

nia præcordia facit honesta, *quippe nihil coinquinatum est*, *ubi est sapientia*, *nihil impurum sordidum*, *vel verecundum.* Hinc tu lacerationem tuam, hinc denudationem per dæmonum rabidos insultus non erubuisti, agonista fortis, Antoni. Propterea nominatum est nomen tuum, juxta promissionem boni Jesu, in universo mundo. Propterea rursus dici potes Martyr, qui tormenta perpessus es eò crudeliora, quò truculentior erat tortor dæmon, inferens ea. *Spectaculum igitur* (prout loquitur Apostolus factus es *Angelis*; *& hominibus*; I. Cor. iv. 9. immò & dæmonibus; nec erubuisti, tanquam benè ebrius, sicut nec Christus nudus crucem, nec Hypolitus propriam nuditatem, neque A Noë in mysterio, nec Apostoli, vel Martyres erubuerunt vincula, carcerem, & ludibria. Liceat hîc carmen Ecclesiæ sapphicum de Joanne factum dicere jubilo cordis ad Antonium, qui simul fuit virgo, Martyr, & Vates.

O nimis felix, meritique celsi,
Nesciens labem nivei pudoris,
Præpotens Martyr, eremique cultor,
Maxime Vatum.

Maximè quoad considerationes aliquas.

Veniamus ad sextum vini salutaris effectum *quo inebriatus homo non meminit Regem*, *neque Magistratum.* Quæ ratio? Planè quia facit hominem non timere eos qui corpus occidunt, & post hæc non habent quid faciant. *Matth.* x. 28. Perspicuum fuit hoc in Antonio, quia Principibus, & Imperatoribus tota mentis libertate rescripsit post collaudationem quod credebant in Christum, eos debere reminisci quoniam su- B per se Dominum habent terribilem, *qui aufert spiritum Principum*, *terribilem apud omnes Reges terræ.* Ps. LXXV. 13. Verùm quid loquimur de Regibus, hominibus, & Magistratibus, cùm non extimuerit Antonius illum, *qui est Rex super omnes filios superbiæ*, Job. XLI. 25. & cui non est potestas similis super terram, qui factus est ut nullum timeret; dæmonis enim certamina nedum non expavit, sed insultaus provocavit. Tradit Littera, Antonium dum adolescens impugnaretur à spiritu fornicationis, rogasse Deum ut videret impugnatorem suum, qui in specie pueri teterrimi pedibus suis advolutus est quasi blandiens, & supplicans, quem Antonius mox irrisit, & conspuit dicens: Absit deinceps, ut unquam te timuerim fœdissime, atque vilissime. Multa sunt hujusmodi, quæ strenuitatem ostendunt Antonii, *Aversùs Principes tenebrarum harum*, Eph. vi. 12. nec minus solertiam discretionis contra suas insidias. Agebat id quod alios docuit facere, & quod Christus tentatus egit; adducebat testimonia Scripturarum ad omnem actionem suam. Hoc autem non faciunt, qui vel nesciunt vel despiciunt Scripturas sacras, aut qui eas deteriori perversitate corrumpunt. Exemplo Evæ quæ de Præcepto Dei firmissima Fide tenendo dubitans ait: *ne forte moriamur*, Gen. III. 3. Audivimus de magnanimitate.

Sequitur in effectu septimo de magnificentia; *Et omnia per talenta facit loqui*: Rectè prorsùs evenit hoc in Antonio, cujus mens ebria vino nuptiali Ecclesiæ nihil pusillum, nihil vile, nihil exiguum cogitare dignata est; sed omnia de cœlestibus, quia desursùm erat, loquebatur, instar Apostolorum, qui vino hoc hausto repentè *loquebantur magnalia Dei.* Act. II. 11. Sunt hæc, precor, magnalia, minuta D numismata sapientiæ terrenæ? Non; sed talenta magna, per quæ loqui facit Sapientia quæ desursùm est, efferens in immensam cordis altitudinem: sit hoc, Anagogia, de Antonio, cui tanta fuit bona generosi cordis elatio, quòd non dignabatur adhærere, vel nubere sua vis irascibilis potenti alicui, nisi summo: neque sua vis rationalis nubere sapienti alicui, nisi summo: neque sua vis concupiscibilis nubere alicui bono, nisi summo, dicens ex sententia: *Deus cordis mei & pars mea*, *Deus in æternum.* Ps. LXXII. 26. Et iterùm: *Mihi adhærere Deo bonum est.* ℣. 28. Si loquebatur igitur per talenta? Quid mirandum si divitias & opes hereditarias, si vas argenteum, si nummos oblatos in deserto contempserit nullus admiretur.

Sed neque miretur illud quod sequitur octavò: *Et non meminerunt cum biberint amicitiam neque fraternitatem.* Quid ita meminerint, cum dicat Pincerna vini hujus Sponsus Ecclesiæ Christus: *Si quis venit ad me*, *& non odit Patrem suum & Matrem*, *& uxorem*, *& filios*, *adhuc autem*, *& animam suam*, *non est me dignus.* Luc. XIV. 26. Complevit hoc beatissimus Antonius etiam ab adolescentia, relinquens domum paternam, & sororem, velut immemor carnalis amicitiæ. Cui propterea convenit illud quod sequitur nonò: *Sed non post multum sumunt gladios.* Quidni sic fecerit athleta fortissimus Antonius, habens in exemplum Pincernam, & Architriclinum vini hujus dicentem: *Non veni pacem mittere in terram*, *sed gladium. Veni enim separare hominem adversùs patrem suum*, *& filiam adversùs matrem suam*: *& nurum adversùs socrum suam*, *& inimici hominis domestici ejus.* Matth. x. 34. 35. 36. Maledicitur à Propheta *qui gladium suum prohibuerit a sanguine.* Jerem. XLVIII. 10. Hunc gladium sumpsit, & exercuit Antonius *tanquam potens crapulatus à vino*, Ps. LXXVII. 65. nedum *adversùs carnem & sanguinem*, *sed adversus potestates* aëreas *tenebrarum harum*, Ephes. vi. 12. adversùs etiam paganos Philosophos, quos mira verborum subtilitate vincebat, adversùs insuper hæreticos, præsertim Arrianos pestiferos, dùm accersitus est à sua solitudine in Alexandrinam civitatem magnam, quatenùs Fidem beatissimæ Trinitatis quam corde credebat ad justitiam, ore coram toto populo confitetur ad salutem; quod & factum est. Quamvis enim docuerit, quod Monachus extra cellam, aut solitudinem est sicut piscis extra aquam: evicit tamen eum zelus Fidei, & obedientia Prælatis Ecclesiæ debita, ut iret Alexandriam, in qua civitate dùm premeretur à turbis certatim irruentibus, ut virum fama nominis celeberrimum apud eos ipsi, vel visu cernerent, vel manu tangerent, timentibus & compatientibus nonnullis ne molestè ferret, fertur respondisse: *Mihi quidem assueto turbis insultibusque dæmonum*, *nihil affert hic populosus hominum concursus molestiæ*, *vel turbationis.* Ecce quomodò contempsit hic onager solitarius multitudinem civitatis. Quippe tu scis, ô Anagogia, quoniam inter hæc omnia tota facilitate servabat Anto- C nius monitionem Ecclesiæ salutarem: *Sursum corda*: responsio populorum est: *Habemus ad Dominum*, qui habent in patinis, vel ad forum. Planè sicut evenit aliquibus, ut in vasta solitudine turbulentissimam habent cordis inquietudinem, ac multiplicitatem; sic ex adverso contulerat Antonio tranquillissimam cordis solitudinem, in mediis etiam populorum circumstrepentium occursibus, ipsa jugis exercitatio contemplationis Anagogiæ, cooperante gratia Dei, simplificante, & stabiliente mentem cordis sui. *Ea demùm vera pax est*, *quam Christus Ecclesiæ filiis liquit. Non turbetur cor vestrum*, *neque formidet.* Joan. XIV. 27. ait Guido Carthusiensis. Sequitur postremo vini nuptialis & Theologici mirandus nimis, & apud carnales incomprehensibilis effectus, licèt de corporali vino quotidie sit expertus. *Et cum a vino emerserint*, *& surrexerint*, *non meminerunt quæ gesserunt.* Ita profectò est, quoniam Apostolicum exemplum secuti quantumcunque biberint sobriam ebrietatem spiritus, quantumcunque profecerint in virtutibus strenuis atque magnificis, ipsi ad anteriora se extendunt ea quæ posteriora sunt obliviscentes, deputant præcedentia opera nullius meriti, vel momenti, propterea non obstentant illa; sed cum Jeremia tanquam *pannum menstruatæ* Isaiæ. LXIV. 6. verecundiùs abscondunt ab oculis sponsi, cujus hæc est jussio. *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis*, *dicite*; *servi inutiles sumus.* Luc. XVII. 10. Et tu Deus æquissime, quis omnia quæ jussa sunt, immò vel pauca se fecisse poterit gloriari? Quis

Digitized by Google

Quis poterit certus esse? Quidni propterea filii hominum qualiacumque fecerint Ecclesiæ, vino potati, libenter obliviscantur, nec meminerint quæ gesserunt. Et hoc est in præsenti vita perfectionis Evangelicæ culmen summum, istud verè, & sine fictione ex intimo mentis sensu cognoscere, nedum proferre solo ore. Animadverte, &

Sensibus hæc imis (res est non parva) repone,

quemadmodùm Paulus post egregia tot certamina, post introductionem ejus in superna fluenta vini vitæ, ubi ebriatus, quid de vestimento corporis sui factum esset, *nescio*, inquit, *Deus scit*; 2 Cor. XII. 2. oblitus fuerat tunicam corporis sui in taberna cœli, proclamabat non ex fictione, vel mendacio; absit, *minimus sum Apostolorum qui non sum dignus vocari Apostolus*. 1 Cor. XV. 9. Et iterùm: *venit Deus salvos facere peccatores, quorum primus ego sum*. 1. Tim. 1. 15. Primus peccatorum tu es, ô Paule? Et ubi sacrilegi, homicidæ, adulteri, idololatræ, perfidi, ubi facinoribus & flagitiis omnibus oppletissimi? Stat sententia; primus sum peccatorum? Quocircà meditandum est, quoniam ostentare conabatur Paulo similiter & Antonio stultus præsumptionis spiritus laudes, ipsorum merita, gratias, & præconia. Respondeat unusquisque sibiipsi: *Quid habes quod non accepisti, si autem accepisti? quid gloriaris quasi non acceperis?* 1 Cor. IV. 7. Tu nonne de massa peccatrice eadem cum ceteris? Tu nunquid non in eadem damnatione cum ceteris? Quid igitur extollere te vis, aut vales, præ ceteris? Tibi gratiam multiplicem contulit Deus? Esto: neque enim ingratum esse obliviscendo, vel negando, te convenit. Sed *esse tantò debes humilior ex munere, quantò te obligatiorem esse conspicis in reddenda ratione*. Gregor. At vero non es *sicut ceteri hominum raptores, adulteri*, jejunas *bis in sabbato*, Luc. XVIII. 11. cum reliquis operibus bonis. Esto: sed si tales essent hominum ceteri sicut tu; si gratias recepissent à Deo sicut tu, ipsi plus in Dei laudes, plus in gratiarum actiones fervescerent quàm tu, neque inaniter & Luciferano more gloriarentur ut tu, denique *noli altum sapere, sed time*. Rom. 11. 20. Nunquid scis hodiè qualis mox sis futurus? Petrus negavit Christum quando latro confessus est; væ tibi pauper homuncio, qui nescis an amore, vel odio dignus sis. *Eccle*. IX. 1. Qui rursùs tua, quantumcunque bona videantur, opera, qua districtione judicentur ab illo, in cujus conspectu non justificabitur omnis vivens, *Ps*. CXLII. 2. quali præterea fine terminentur, ignoras. Attendas denique, quòd hæc insensibilitas tua proveniat non ex defectu peccati, sed quia totus in peccatis obtorpuisti stupidus, languens, cæcus & marcidus. Dejiciebatur, & objiciebatur apud Beatissimos Paulum, & Antonium, & similes qui biberant ebriam sobrietatem vini sapientiæ, spiritus arrogantiæ sub increpatione tali; ne surgentes, & emergentes ab ebrietate spirituali, meminissent per arrogantiam quæ gessissent, qui juxta quod prædiximus, est effectus precipuus vini Theologici. Sic oblitus fuerat devotissimus Bernardus, qui senex in servitio Dei, dum ægrotaret aliquando gemebat ad Dominum; „ Vapulem sanè quatenùs miserearis afflicto, qui non reperis in me bonum, quod remuneres. Tempus meum perdidi, quia perditè vixi, pro pro quid agam non habeo, nisi quod *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*. Ps. L. 19. „ Refert Litterra de Agathone Patre sancto, qui proximus fuit Antonio; „ Hic veniens ad extrema vitæ, stetit immotis ad cœlum oculis per triduum: interrrogantibus eum Discipulis suis, Pater ubi es? respondit: ad tribunal Judicis sto. Et tu times Pater? In veritate Fratres, timeo. Et non confidis in operibus tuis quòd sint secundùm Deum? Interim, inquit, studui quantum valui servare Mandata Dei; sed homo sum, & alia sunt Judicia Dei, alia hominum: propterea non confido quousque venero ante eum.„ Ecce quemadmodùm sanctus Agathon non meminerat, quæ gesserat. Ceterum quid de te dicemus, ô Maria, pia Mater Jesu, quæ nuptiis præsens hodiernis, lætitiam vini boni convivis impetrasti, neque solis ipsis, sed universis Ecclesiæ sponsæ filiis mysterium condonasti. Quid de te dicemus, inquam, nonne sicut præ ceteris humilior, & gratiæ vino plenior inventa es? sic apud te vilior in oculis tuis extitisti, proclamans toto humilitatis spiritu cum Apostolo: 1. *Tim*. 1. 15. Venit Deus salvos facere peccatores, quarum prima ego sum. Existimatio qualis sit aliorum, non diffinio. Ego autem istud sobriè, & absque contractione existimo credi posse, non quod pia Mater Jesu peccato fuerit unquàm obnoxia, vel actuali, de quo non dubitatur; vel originali, sicut piè creditur; sed peccasset certè, si non venisset Deus salvos facere peccatores; cujus salvationis ipsa particeps prima fuit, prioritate non temporis, sed dignitatis, & excellentiæ, in modo salutandi. Itaque dimissa sunt ei peccata multa, non dico jam contracta, vel acta per eam; sed est dimissio quædam paccati, ne contrahatur, vel agatur; quomodò loquitur divinus Dionysius de purgatione Angelorum; quam præterea dicit unus Doctor Angiicanus, quem profundum Schola nominat, quòd plures fiunt à Deo nobis gratiæ privativæ, seu negativæ, propter quas ei tenemur ad gratiarum actiones, quàm positivæ; quoniam non est peccatum, non est periculum in quod ruere non posset homo, si non esset gratia Dei præservans, præveniens & prohibens. Nec obstat his, quæ diximus, illud Christi: *Cui plus dimittitur, plus diligit*; Luc. VII. 47. probat ea potiùs & solidat. Quid? quòd anima quantò biberit ampliùs de vino sapientiæ, si scitè, & sobriè fecerit, tantò perspicacior est in videndo, & delicatior, atque vivacior in sentiendo turpitudinem, & puncturam peccatorum; Adeo sanè quòd aliena peccata sentit, dolet & deflet plus quàm habentes illa. Hoc in Ambrosio fuit notissimum; hoc quotidiano docent exemplo viri justi. Omittamus peccatores, omittamus puros homines. Nonne tu, bone Jesu, qui peccatum non fecisti, defles nostra facinora magis quàm vulnera tua, *cum clamore valido, & lachrymis exauditus es pro tua reverentia?* Hebr. V. 7. Quid igitur putandum est fieri, dum talis aliquis sanctus peccatum aliquod videtur sibi: crede mihi, quòd non est dolor sicut dolor suus, pudor sicut suus, & fœtor, & horror sicut suus; hinc despicit se, abominatur se, excandescit adversùm se, factusque intolerabilis, & odiosissimus sibi, flagellat se rugiens à gemitu cordis sui. Non ita peccatores sceleribus, & flagitiis omnibus plenissimi, quorum sensus spiritalis vel obstupuit, vel obtorpuit, vel penitùs emarcuit. Vis tale vinum cognoscere; lege nisi legeris quid Dominus in Apocalypsi mandat Angelo Laodociæ, qui neque calidus erat, nec frigidus, sed tepidus: *Dicis quia dives sum & locupletatus & nullius egeo*. Apoc. III. 17. Ecce virum sanctum in oculis suis, virum memorem operum suorum: sed quid sequitur intellige: *Et nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Ibid. Accipite narrationem in tanta materiæ severitate jocundam. Erat mulier inclusa cui subserviebat per fenestram quædam ancilla. Conveniebant alii multi, pars ex curiositate, pars ex devotione, pars ex miseratione. Audierat fortassis hæc inclusa, quòd *Justus in principio accusator est sui*. Prov. XVIII. 17. Erat ei mos, demissis oculis, rauca, & exili voce, cum singultibus, suspiriis, & plangore se peccatricem accusare, se indignam videre lumen cœli præ multitudine iniquitatum suarum, se propterea reclusam esse: audiebat ancilla frequentiùs hos sermones. Contigit tandem aliquando venire quosdam ad locum illum, quibus petentibus quid Domina sua hæc bona mulier reclusa faceret. Respondit ancilla; sustinete paulisper, quoniam puto, quiescit. Inter loquendum, ut fit, quæsierunt ab ancilla, quid ei de Domina sua videretur? Quid vultis dicam vobis? Hæc est pessima peccatrix, pessima omnium, quas terra sustinet. Subaudiens hunc sermonem reclusa, exiliit de repentè furens, & insaniens; mentiris, vilissi-

Digitized by Google

lissima, mentiris venefica, ego bona sum mulier. Porrò ancillæ non defuit vafra, & acuta responsio: Oro per vestram fidem, ô Domina, ne turbemini; æstimabam, vos hactenus vera dixisse, quòd eratis maxima peccatrix. Quid responderet Domina, non habuit, nisi quòd *est, qui se nequiter humiliat*. Eccles. xix. 23. Et iterum: *Est qui corde loquitur, & ore*. Redeamus ad Antonium, quem non meminisse arroganter eorum quæ A gesserat in ebrietate vini nuptialis Ecclesiæ conjicimus, tùm ex multis, quæ Littera tradit; tùm ex hoc, quia moriens celari voluit sepulchrum suum: fecit hoc ex humilitate, quasi diceret Deo: „ Qui laudatur ab hominibus vituperante te, non salvabitur ab hominibus damnante te. „ Noluit igitur ab hominibus gloriam quæ est putredo, & vermis, noluit sepulchrum suum Ægyptiaco ritu venerari post mortem. Verùm aliter providit qui humilia respicit Deus; immensa illum, prout cernere est, cumulavit gloria. O felicem dixerim Viennæ & Burgundiæ regionem, quæ venerandis hujus corporis sacrosancti reliquiis decoratur! O felices, qui religioso, & peculiari quodam tanti Patris obsequio dedicari meruerunt! Quid gloriosissimus iste Sanctus, potentissimus in miraculis, præsertim super obsessos à dæmoniis, simplicitatem humilem, & novitiam in Discipulo suo Paulo rusticano tantùm coluit, tantùm veneratus est, ut ad eum remitteret energumenos difficilis curationis, se non ad hoc B ipsum deputans idoneum. Hæc nonne grandis humilitas viri tanti? cujus vita omnis fuit ascendendo de virtute in virtutem per centum, & quatuor, vel eò ampliùm Annos. Errant, qui sobrietatem à carnibus, castitatem veneris non utentem criminantur abbreviationis vitæ, immò & quandoque mortis causas esse in Religione viventibus. Proindè notetur hoc, & maneat alta mente repositum: nemo tam peccator est, qui non veniam consequi, qui non salvari posset, si conversionem haberet ad Deum pauculo tempore, vel momento, qualem velut assiduè per tot Annos habuit Antonius. Ex quo perpendite, quantus in eo fuerit cumulus meritorum in via, quantus modò præmiorum in Patria. O viri, num præcellet vinum quod sic cogit facere! vel prout habet altera littera: ô viri, num præcellet vinum, quod sic cogitat facere sicut Antonius; hoc est vinum divinæ Sapientiæ, vinum Fidei. Non illud infame, quod fabulam, & proverbium fecit in hoc Concilio, sed vinum Fidei pretiosissimum, quo dotavit Ecclesiam Christus Sponsus C suus in nuptiis hodiernis, si ad mysticum sensum traduxeris. Quod juxta præmissa, & tanti Patris Antonii certissimum documentum, si ritè propinatum fuerit (non in aureo calice Babylonis) terrenæ, animalis, & diabolicæ sapientiæ, secundùm traditiones hominum, veritatem in mendacio detinentium, si pia cum sobrietate bibitum extiterit, mentes potantium seducit primò, hoc est, seorsùm ducit, quod humiliat, quod assecurat, quod jocundat, quod honestat, quod dat magnanimitatem, quod confert magnificentiam, quod tollit amicitiam noxiam, quod attollit in strenuitatem mirabilem. Et tandem posteriorum cogens oblivisci, extendere semper in anteriora mentes facit. Erubescant igitur detractores sacræ Scripturæ, qui vinum suum miraculosè ministratum nuptiis Ecclesiæ, præsertim die Pentecostes, quando docti sunt Apostoli omnem veritatem, non volunt primùm poni, sed illud vel abominantur, & nauseant, vel spernunt, vel negligunt, aut certè miserabiliter, dum D biberunt, in furorem suum, & insaniam vertunt; quemadmodùm videre est in febricitantibus, quibus vinum quò meliùs, eò nocentiùs, febris autem altera, qualis est deterior ipsâ peccati malitiâ. De qua Sapiens, *Et excæcavit illos malitia eorum, neque speraverunt mercedem justitiæ*, Sap. 11. 22. Erubescant prætereà, qui laudibus tuis, ô gloriosissime, & usque ad ultimum terræ nominatissime Pater Antoni, non applaudunt, sed detrahunt; qui Ministros tuos vel non reverenter suscipiunt, vel irridentes abjiciunt, miscentes contumeliis suis impietatem hæreticam. Si veritatem habet accusatio quæ judicialiter facta est nuper in hoc sacro Concilio, invenimus alium tibi fuisse devotionis honorem, ô Sacrosancta Mater, Caput, & Magistra Fidelium omnium Romana Ecclesia, quæ constituisti ut unus semper esset Ordinis Beatissimi Patris Antonii, qui Romanam Curiam sequens, ipse & fragmenta à mensa Papæ colligat in eleemosynam pauperum, & Curatus proprius, & quasi Parochialis omnium, qui vulgari vocabulo, *Cortisani* nominantur, existat. Movit ad hoc priùs Religionis Christianæ spiritus, recogitans, quot miraculis in vita, quot post mortem beneficiis, & opitulationibus refulsit idem Antonius, præsertim in hac quadam speciali prærogativa, quòd ignem sacrum fugat ex corporibus, in signum quòd ignem concupiscentiæ libidinosæ pernitiosiorem invocatus refrigerat in cordibus. Exclamat ad ardorem ignis hujus infernalis tentatus: O sacer Antoni, adjuva me. Confutavit hæreticos Antonius jam dictum est, & repeto: qui senex, & solitarius, neque populum habens subditum, neque litteras didicerat; exivit eremum & venit ad Alexandriæ civitatis magnæ Conventum. Attendant, obsecro, precor, & obtestor in spiritu lenitatis; attendant exemplum hoc profunda cogitatione, qui constituti sunt habere curam gregis Dominici, habere sublimitatem simul cum obligatione pastoralis Officii, quique salutem animarum, qui pacem Regnorum, qui pullulantium assiduè errorum extirpationem, qui Catholicæ veritatis elucidationem quærunt, qui prætereà robur, decus, & honorem hujus Sacrosanctæ Synodi cupiunt integrum servare, cupiunt ab hæresibus in sinu suo quotidiè nascentibus obviare; provideant celeriter, ne Pontifices sui, ne Doctores, & vocem habentes, vel de ignorantia, si nesciant, vel de culpabili vecordia, & acceptione personarum, si negligant, arguentur. Urgebat hoc loco zelus domus Dei, zelus Ecclesiæ, zelus honoris, & debiti hujus sacri Concilii, fortitudo vini nuptialis, declamatoriam immò satyricam, vel tragicam invectionem in hæreses, & errores, cum suis defensoribus, cum dissimulatoribus, qui non minùs damnosi, quàm culpandi sunt, delatrare. Sed astitit moderatrix sobrietas: expectetur, ait, tempus aliud oportunius, locus alter aptior, & actus capacior. Neque enim desperandum, immò sperandum est æquanimiter, quòd hæc Sacrosancta Synodus, prout cœpit hæreses extirpare, sic & perficiet, quæ radicem doctrinæ pestiferæ succidendo, dedit intelligi consequenter, ramorum adulterina, noxiaque genimina debere succidi. Proptereà comprimatur, ut proposuimus, sermo noster, ne vel loquacior effluat, vel prolixior attediet, vel mordacior, & satyricus exacerbescat.

Nam quid opus teneras mordaci radere ferro.

Auriculas. (ait Persius) succenseat licèt ostentatrix sui jactantia submurmurans illud ejusdem Satyrici.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter.

Ferret nihilominùs æquo animo Studiositas speculatrix quæstiunculas ab ea motas cum solutionibus, vel supprimi, vel in scriptis distribui. Fiat ergo tandem finis in obsecratione, qualem ab initio præmisimus. Convertatur, quæsumus, ô salutifer Christe, nunc apud nos in Ecclesiæ nuptiis congregatos turbida, gravis & noxia aqua sapientiæ terrenæ, animalis, & diabolicæ, & fiat vinum Sapientiæ salutaris, in sobrietate, & sanitate potatum. Consequemur autem illud miraculum, Patres Religiosissimi, Patres Deo dignissimi, si mysticè fuerimus in Cana Galilææ, hoc est, zelum habuerimus transmigrationis ex hoc mundo ad Patrem; si prætereà nostri Jesu Mater salutis istic affuerit; si dixerit pia insinuatione, orationis voce ad Jesum per orationes hîc vocatum cum Discipulis: *Vinum non habent.* Joan. 11. 1. Si subindè ministri, qui sumus nos

Digitized by Google

nos observaverimus monitionem ejusdem Matris Jesu. *Quodcunque* (inquit) *dixerit vobis* (non dubium quin Jesus) *facite*, Joan. II. 5. quia vinum sapientiæ per virtutem datur obedientiæ. Nam *Initium sapientiæ timor Domini*, Eccli. I. 16. Si demùm hydrias ad purificationem positas, quæ sunt corda nostra repleverimus *usque ad summum* aquâ Contritionis, & lachrymosæ compunctionis quæ haurienda est de puteo profundæ considerationis, hinc miseriarum nostrarum, quia *cor contritum & humiliatum Deus non despicies*, Ps. L. 29. hinc misericordiarum Dei, quarum non est numerus: tunc faciet Jesus initium signorum, convertet aquam hanc in vinum; itaque licebit unicuique nostrûm dicere cum Propheta: *Nunc cœpi*, Ps. LXXVI. II. nunc est initium, quia *cùm consummaverit homo*, supple, vivens hîc, *tunc incipiet*, Eccli. XVIII. 6. *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi*, Cujus mutationis sacratissimæ, & beatissimæ, nos per gratiæ suæ miraculum participes efficiat Jesus Christus Ecclesiæ sponsus decorus gloria, qui est benedictus in sæcula, Amen.

Finis Sermonis facti coram sacrosancto Generali Constantiensi Concilio per Dominum Cancellarium Ecclesiæ Parisiensis Anno Domini 1427. die Dominica 17. Januarii, qua die fuit Festum beatissimi Patris Antonii.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS

In quo solvit

QUÆSTIONES

IN PRÆCEDENTI SERMONE

MOTAS,

Et tunc, brevitate temporis urgente, non solutas.

Ad eumdem Cod. MS.

NUPTIÆ *factæ sunt in Cana Galilææ & erat Mater Jesu ibi, &c.* Joan. II. 1. Adsis & tu nobiscum pia Mater Jesu, quatenùs te petente ministretur nobis hodiè vinum sapientiæ salutaris, sanctæque devotionis; quod ut fiat, te salutamus dicentes, *Ave.*

NUptiæ, *&c.* Joan. II. 1. Super quadripartita thematis hujus deductione coram sanctâ Constantiensi Synodo tenuimus aliàs modum non dialogi solius, sed tetralogi, quemadmodùm quatuor esse filias sacræ Sapientiæ eò tunc notatum est, quorum nomina, & officia, duplex hoc hexametrum pandit.

Littera gesta docet, quid credas Allegoria.
Moralis, quid agas, quo tendas, Anagogia.

Porrò subintroducta est Studiositas speculatrix, ancilla Sapientiæ, non industria, quæ multas ab his sororibus quæstiones super nuptiis hodiernis, ab Allegoria præcipuè, petiverat. Et quando de gloriosissimo Anachoritarum Antonio, cujus tunc celebris erat dies, extorsit devotio verbum Fidei, quoniam insuper brevitatis amor plurima jam dictata linquere jussit, repetit sæpè & multùm eadem Studiositas, avida sciendi, quatenùs in medium prodeant omissa, hinc morem gerere persuasit familiaritas, secum velut à puero traducta. Erat autem sextuplex ad Allegoriam Studiositatis quæstio. Prima, quibus adornata est dotibus Ecclesia Sponsa à Christo Sponso suo. Altera, qualis est habitudo Christi Sponsi ad Ecclesiam Sponsam. Rursus viceversa, qualis est habitudo Sponsæ hujus ad Sponsum suum, & ad ejus Vicarium, quem appellamus Summum Pontificem. Ampliùs quartò, qualiter, & quàm utiliter Deus carnale conjugium voluit hujus spiritualis signum esse. Subindè, quo pacto materialis Ecclesia spiritualem significat, sic ut mutuas sibi laudes, & nomina, communicent. Demum sextò, quibus modis, & locis sacræ Scripturæ, figurantur hæ nuptiæ Christi, & Ecclesiæ.

Et quidem Allegoria tradidit dotatam Ecclesiam à Christo vini bonitate, quod vinum est non materiale, quod *multum potatum*, sicut loquitur Sapiens, Eccli. XXXI. 38. *irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Et in novissimo mordebit ut coluber*, Prov. XXIII. 32. à quo proposuit Sapiens abstrahere carnem suam, ut animum suum transferret ad Sapientiam. Vinum igitur non tale, sed electissimum, spirituale, & theologicum intelligimus, prorsùs optimum, jocundissimum, & sanativum, quod sensit semivivus à Samaritano curatus; hoc est, vinum sacræ Scripturæ recreans, vivificans atque lætificans cor hominis, mira jocunditate spiritûs, si fuerit in sobrietate potatum juxtà monitionem Apostoli: *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, Rom. XII. 3. quæ sobrietas est humilitas. Defecerat olim vinum istud in nuptiis, quas ab Abel justo, immò ab Adam Deus secundùm propositum voluntatis suæ disposuerat celebrare, ita ut Jure dici posset: *Vinum non habent*: Joan. II. 2. Habebant, nec negamus, paucissimi admodùm vinum istud Sapientiæ salutaris. Sed quid inter tot, & tantos illud erat. Potabant passim plurimi vinum prostitutionis de aureo calice Babylonis, quo meretrix illa magna, vanitas secularis, in Apocalypsi inebriat Reges terræ. De quo apud Moysen: *Fel* (inquit) *draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*, Deut. XXXII. 33. Et anteà. *Uva eorum uva fellis, & botrus amarissimus*, ỳ. 32. Vinum istud, si nescis, est sapientiæ terrenæ, animalis, & diabolicæ, mixtum erroribus impiis, hæresibus, & blasphemiis, quasi totidem reptilibus venenatis, cujus toxicata *fæx non est exinanita, bibent* ex eo *omnes peccatores terræ*. Ps. LXXIV. 9. At verò dum advenit Christus cum Discipulis suis ad mysticas Ecclesiæ nuptias, dum affuit ibi Mater Jesu quæ illuminata, vel illuminatrix interpretatur, propinatum est vinum bonum Sapientiæ, quæ desursùm est, per revelationem habitum, quod reservatum est usque adhuc, id est, dum advenit plenitudo temporis, quando gratia & veritas per Jesum Christum facta est; quando præterea tristitiæ, & tribulationis aquam convertit in vinum lætitiæ spiritualis. Audi quomodò? *Sed quia*, inquit, *hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum*, Joan. XVI. 6. Ecce hydrias plenas aquâ usque ad summum. Sequitur admiranda conversio, dum subjungit. *Sed tristitia vestra convertetur in gaudium*: Hoc anteà prædixerat ipse dum ait: *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*, Matth. V. 5. Hunc autem luctum, has lachrymas, inducit vinum sacræ Sapientiæ compunctivum, eò quòd *in multa sapientia multa sit indignatio*, ait Ecclesiastes, Cap. I. 18. *& qui addit scientiam, addit & laborem.* Ostendit quippe Sapientia, & sapere facit, quemadmodùm nascimur *natura filii iræ*, filii mortis æternæ, nescientes introitum, & exitum nostrum, quia *nemo scit, an amore, vel odio, dignus sit.* Eccle. IX. 1. in hac valle lachrymarum, quamtumcunque ascensiones disposuerit in corde suo. Verùm sunt hæc abscondita *à sapientibus & prudentibus*, Matth. XI. 25. hujus sæculi, propterea *ducunt in bonis dies suos*; Job. XXI. 13. quærunt hic consolationem suam, ideò sequitur, quod est omnium pessimum atque miserrimum, *transierunt in affectum cordis*, Ps. LXXII. 7. dùm dulcescit jam in eis acerbissimum iniquitatis vinum, doctrinas bibunt erroneas, impias, & blasphemias, pro veris, quibus *aquæ furtivæ hæreticorum dulciores sunt, & panis absconsus*, qui se palam prodere non audet, *suavior*. Prov. IX. 17. Nunquid istud est vinum, super cujus defectu conquesta es, ô misericordissima Mater Jesu, dicens, & insinuans, *vinum non habent*? Joan. II. 2. non utique; sed postulabas vinum aliud pro nuptiis Christi Filii tui & Ecclesiæ, vinum scilicet infusæ supernaturalis Fidei, vinum sacræ Scripturæ, vinum Theologicum, quod ab initio propinavit Ecclesiæ suæ Filius tuus, Frater & Sponsus. Sed ecce proh dolor! vinum istud Evangelicæ doctrinæ merum factum est, quasi

quasi plenum mixto multiplici mixtione. Miscet avarita turbidam, & scenosam aquam sapientiæ terrenæ, quam exquisierunt filii Achar, I *Paralip.* II. secundùm traditiones hominum. Hæc est ardens cautela, & astutia, conquirendi divitias, accumulando sibi densum lutum in auro, & argento, jure, vel injuria, subservienti- A bus ei dolis, fraudibus, perjuriis, usura, simoniacaque pravitate. Hanc aquam qui biberit *sitiet iterum*, Joan. IV. vehementiùs quidem & acriùs. Causat enim hydropicam sitim avaritia, apud quam profectò.

Quo plùs sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.

Miscet luxuria fœdam, bituminosam, atque sulphuream aquam sapientiæ animalis, quæ est ardens astutia pertingendi ad illecebrosas carnis voluptates; non extinguentes, sed augentes sitibundam carnis pruriginem, sicut dypsas serpens, *qui mediis sitit in aquis*, ait Lucanus. Propinat, & miscet superbia aquam sapientiæ diabolicæ, quæ est curiosa libido cognoscendi subtilia, sed inutilia, sed supervacua, sed nociva; quoniam *inflat* talis *scientia* I. Cor. VIII. I. violento potu suo, generatque torsiones, & enecat corda superborum: hinc excogitatio magicarum artium, hinc adinventio & defensio novarum, peregrinarumque doctrinarum. Quo B contra vinum sacræ Scripturæ liberatà curis, ideò liber dici potest. Purissimum est, mundans ab inquinamentis; sobrium est, supprimens omnem superbiam mentis, dum in obsequium Fidei omnem captivat intellectum, De quo vino terminetur sub consideratione triplici quæstionis primæ solutio.

CONSIDERATIO I.

IN mysticis Christi, & Ecclesiæ nuptiis debet vinum Theologicum tanquam optimum, atque salubriter inebrians, anteponi. Rationem dat Architriclinus in Evangelio, ut *cum inebriati fuerint*, *non* curent neque querant id, *quod deterius est*, contenti suavissimo prioris vini gustu, quod satiat, quod lætificat, quod in consolationem etiam amara convertit. *Justitia enim Domini recta lætificantes corda.* Psal. XVIII. 9. Senserat hoc Sapiens qui ait: *Nihil est dulcius quàm respicere in mandatis Domini.* Eccl. XXIII. 37. Hinc est illa Prophetæ exclamatio: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo.* Ps. CXVIII. 103. Quocircà: *Bibite amici*, clamat Sapientia, *& inebriamini*, *charissimi.* Cant V. I. Obediverat anima, quæ gloriabunda dicebat in Epithalamio, sponsi & sponsæ. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Cant. II. 4. Et Propheta; *Calix meus inebrians quam præclarus est.* Ps. XXII. 5. Hinc demùm est illud Ecclesiasticum in persona Fidelium.

Bibamus sobriam,
Ebrietatem Spiritûs.

Biberat hanc ebrietatem Petrus in monte, qui factus est indè *nesciens quid diceret.* Luc. IX. 33. Bibebant hanc Apostoli die Pentecostes in taberna cenaculi grandis & strati, dum superabundantissimo perfusi sunt vino supernaturalis Sapientiæ, omnem edocti veritatem salutarem. Sed stulta gens.

Musto madere deputat,
Quos Spiritus repleverat.

Vis scire quantùm in umbra figuraliter docuerit D Moyses, præponendum esse vinum Decalogi, quod est vinum Fidei, *Custodite* (inquit) *mandata Domini Dei vestri, quæ præcipio vobis.* Deut. IV. 2. Sequitur: *Hæc est enim vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universa Præcepta hæc dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.* ℣. 5. Præclarè quidem & divina voce fertur unus in quodam generali Concilio respondisse: dum quærerentur Constitutiones novæ fieri. „ Quid sibi vult, inquit, Constutionum talis „ multiplicatio cervicibus imponenda Fidelium, E- „ vangelio nec cognito, nec observato? Sciatur im- „ primis, & servetur Evangelium. „ Quid sonat aliud obsecro, dictum tale, quàm istud: *Omnis homo primum bonum vinum ponit*; Joan. II. 10. verè sic est, sic agere convenit Ecclesiæ synodaliter congregatæ. Dicet aliquis: reprobas ergò Decretales, & Decreta Summorum Pontificum, Constitutiones synodales Diœcesanorum, & ita de reliquis? Non reprobo, fateor: scio, dictum esse per Christum: *Qui vos audit, me audit.* Luc. X. 16. Scio Legem Evangelicam stabilitam. Insuper naturalibus principiis, & in regulis universalibus reliquisse particularium agibilium determinationes Apostolis, & Discipulis, suisque successoribus. Nunc verò qualis insania est deserere Legem Regis, deserere fontem vini Sapientiæ salutaris, ut stabiliatur primitùs Lex subditorum, & antè ministretur, non dicam vinum qualecunque, sed aqua sapientiæ animalis, & terrenæ; undè fit plerumque irritum Mandatum Dei, prout se conformans Christus Isaïæ verbis, Pharisæos arguebat. Invenies apud eos, qui nomen sibi Religionis appropriaverunt, plus puniri transgressiones humanæ Constitutionis satis frivolæ super delatione vestis hujus vel illius, super usu cibi talis, aut talis, quàm si blasphemando quis Deum negaverit, dejeraverit, violaverit Sabbata ejus, & universa Decalogi Præcepta. Quid verò de Prælatis sentire debeas, Curias suas intrà synodolia Concilia, lites, punitiones, Excommunicationes te docebunt. Quid? quòd fastidiunt vinum illud sacræ Scripturæ conquisitores hujus seculi, quoniam *animalis homo non percipit quæ Dei sunt*; *stultitia enim est illi*; I. Cor. II. 14. & sicut gustato spiritu desipit caro, sic carne gustata desipit spiritus, & fit velut in occasu luminosæ veritatis; quoniam prætereà tumens per arrogantiam animus dedignatur captivare intellectum proprium in obsequium Fidei, quià rursùs videri refugit quasi Discipulus sub magisterio Theologorum, quos ideò despicit, ne dum ignorare conscius est quæ sciunt, ipse minùs sapiens appareat in oculis suis, vel alienis; ita quòd in Theologiæ contemptum suam ignorantiam consolatur.

CONSIDERATIO II.

IN nuptiis crescentis Ecclesiæ, dùm vinum sacræ Scripturæ, seu Theologicum proponebatur discumbentibus Principibus, & aliis Architriclinis, qui fuerunt Doctores Theologici, tunc Ecclesia dotata fuit ampla temporalitate; sic formidandum est ex contemptu vini hujus, ne tollantur, aut notabiliter minuantur dotes hujusmodi temporales ab eadem Ecclesia.

CONSIDERATIO III.

IN nuptiis Ecclesiæ nunquam deesse poterit vinum Theologicum, quod est vinum Fidei usque ad consummationem sæculi; poterit tamen apud plurimos discumbentium, & ministrantium in his nuptiis verti vinum istud, vel in contemptum, vel in nauseam, vel in morbos varios, in insaniam, & in mortem. Has considerationes in prædicto Sermone latiùs exponerem, nec omittere perurgebat zelus domus Dei, zelus Fidei, zelus præsentis Concilii, zelus professionis Theologicæ, qui videbatur *tanquam potens crapulatus à vino*, Ps. LXXVII. nil metuens, sed obvia quæquam vitia, vel errata, persequi nitens. Sobrietas verò moderatrix, expectetur (ait) tempus aliud, locus alter, & actus; melius est, nihil, quam pro rei magnitudine, pauca dicere. Multis autem dicendis, ut vides, hora non suppetit; simul observandum est illud Salustii ab Hieronymo commemoratum: „ Frustra niti, neque aliud se fatigando „ quam odium quærere; extremæ dementiæ est. „ Quò contrà zelus in spiritu vehementi, neque tardandum esse, neque dissimulandum; sed importunè, & opportunè, ingerendam, etiam nolentibus, esse doctrinæ veritatem. Liberet animam suam quisquis est inductus Prædicator aut Doctor in cathedra, non pestilentiæ, sed Religionis Christianæ. Quid mihi detractiones, quid odia, quid irrisiones, quid ludibria, quid persecutiones? felix mors quam veritas peperit. Parciùs ista, respondit Sobrietas; memineris casuum Petri, Thomæ & aliorum sine numero, quorum primus ad Christum: *Etiam si oportuerit me mori tecum non te negabo*; Matt. XXVI. 45. alter ad Coapostolos: *Eamus & moriamur*

cum

Digitized by Google

cum eo. Putas quòd in cellam vinariam introduxerit te Rex? vide, quòd ordinaverit in te charitatem, secundùm scientiam. *Itaque; qui se existimat stare videat ne cadat.* 1 Cor. x. 12. Vix tandem isto, alioque plurimo sermone compescuit tunc sobrietas zelum fervidum, non ut pacem erroribus daret, absit; sed bellum quæreret eò capitalius, & efficacius, quò moderatiùs tempora conspicit, personas, & loca; ita quidem necesse est, ut interim errores, & vitia quos tollere nequit zelus à domo Dei, toleret & gemat miserans Ecclesiæ vicem horridam, si in nuptiis ejus, propinare vinum bonum Fidei convivis symbolicè convenientibus, vel non vacat, vel non licet, vel non expedit; dùm illud non prodesse, sed obesse comperitur, eò quod pars non exigua vinum istud optimum, aut cum abominatione rejicit, nec bibit; aut bibitum mox evomit cum nausea, aut fortè retentum visceribus illud in felleum virus vertit, causantibus hoc ira, furore, odio, dissimulatione, tanquam humoribus noxiis, quibus infectus est spiritus bibentis. Porrò studiositas speculatrix subintroducta, tunc, pro formandis quæstionibus præmissis, postulare videbatur in ipsa meditatione mea dissolutionem earum, contestans, nihil illic esse mordacis acrimoniæ, nihil odiosæ, vel amaræ veritatis. Consentiens Allegoria, accipe, inquit, pro secunda quæstione primò, quòd sponsus Ecclesiæ Christus Deus ipsam se dignam non invenit, sed effecit, quià *Non ex operibus justitiæ quæ nos fecimus, sed secundùm misericordiam suam salvos nos fecit*, Tit. III. 5. *& prior dilexit nos*, 1. Joan. IV. 19. ut *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, 1. Cor. I. 31. serviens ei *cum timore* & exultans *cum tremore*. Ps. II. 11. Accipe pro secundo quòd sponsus Ecclesiæ Jesus recedens ex hoc mundo, non ita dereliquit eam, sicut nec Matrem propriam, dum viveret; quin habeat custodem continuum, saltem seipsum principaliter, & ministerialiter per illos quibus dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Matt. XXVIII. 20. Accipe tertiò quòd Sponsus Ecclesiæ Jesus dum commisit eam Petro custodiendam, illum majori quoad hoc insignivit privilegio & autoritate, quàm Joseph justum, aut Joannem Evangelistam, dum ei in custodiæ cura propriam commisit Matrem. Accipe quartò quòd sponsus Ecclesiæ sibi dedit omnia in manus virtute dilectionis illius, quâ majorem nullus habet, quæ est ut animam suam pro eadem posuerit; quomodò etiam (prout arguit Apostolus) si seipsum tradidit, non omnia simul inferiora donavit? *Rom.* VIII. 32. Paveant igitur, & contremiscant, qui sponsam hanc, vel contemptui, vel odio, vel opprobrio, verbis, aut operibus habuerint, qui plenitudini potestatis suæ non erubuerint detrahere, quoniam *Ira viri sui non parcet in die vindictæ*, Prov. VI. 34. zelotes ego sum, dicit Dominus exercituum.

Ceterùm, dum alteram formas quæstionem, ô Studiositas, qualis sit habitudo sponsæ hujus ad sponsum suum & ejus Vicarium. Trado tibi primò quòd ob honorem sponsi debet Ecclesia synodaliter, aut non synodaliter congregata, tractare Summum Pontificem reverenter & honorificè, cum omni benevolentia; si laudabiliter, immò & si tolerabiliter ipse Pontifex tractet eam. Dico tolerabiliter; quoniam *in multis offendimus omnes*, Jacob. III. 1. & priusquam abjiciatur expectanda est judicialis Sententia divortii, quemadmodùm in Episcopis inferioribus hactenùs observavit præcedentium Patrum discretio.

Trado consequenter, quòd ob reverentiam sponsi debet Ecclesia Vicarium, & Custodem sibi datum nominare Patrem, & ipsum velut Dominum & caput suum honoribus, & obsequiis, per se, & filios suos sedulò prævenire; similiter & Ecclesiam Romanam peculiari quodam consortio sibi junctam; neque talem Patrem convenit detractionibus, vel injuriis exponere sed operire, quoad licuerit, turpitudinem ejus. Sumatur exemplum in beata Virgine, quæ Joseph appellabat Dominum suum, venerans, & præponens in loquendo eum sibi. *Ecce* ait, *Pater tuus & ego dolentes quærebamus te &c.* Luc. II. 48.

Trado nihilominùs tertiò, quòd si Vicarius hujusmodi frigidus fuerit, aut maleficiatus, adeò quod ad generationem filiorum spiritualem sit inhabilis; talis existimari non debet idoneus Ecclesiæ sponsus, aut sponsi Vicarius. Est autem generationis hujusmodi semen sanctum verbum Dei, seu Fidei, non varia traditio filiorum hujus sæculi.

Trado rursùs quòd Ecclesia, si fiat Vicarius sponsi sui fornicator, aut adulter, ducens viduam, & repudiatam, & sordidam, & meretricem, contra jussionem Legis in Levitico; si severè tractaverit Ecclesiam; si spoliaverit eam vestitu suo per dilapidationem; si abuti voluerit per simoniam; si suffocaverit fœtus suos intra, vel extrà uterum per exempli perniciem; si peremerit gladio mortiferæ, scandalosæque doctrinæ vel operis pestiferi, vel noxiæ dissimulationis, in correctione vitiorum, & hæresum; tali debet dari Libellus repudii, præsertim si vitiis suis incorrigibilitatem addiderit, ne retentio sit in dedecus, & contumeliam sponsi sui, & in perniciem filiorum, & ne videatur suæ nutrix malitiæ. Quærebas ulterius quartò principaliter, ô Studiositas, qualiter, & quam utiliter Deus carnale conjugium voluit spiritualis signum esse. Ego paucis expediam. Nulla imprimìs videtur animæ devotæ consideratio suavior, altior, atque benignior, quàm si pura cordis simplicitate, & humilitate meditetur se sponsam Christi; quoniam sicut in humanis affectibus amorosis præcellit dilectio sponsæ corporalis ad sponsum, & econtra reciprocè super amorem Patris & Matris; sic non potuit amor mutuus animæ ad Deum, & Dei ad animam, teneriori, ut ita dicamus, ferventiori, & intimiori nomine, vel exemplo tradi, quàm sponsi, & sponsæ. Hinc est illud Epithalamium de Canticis Canticorum, quòd pro contemplativis, & in anagogicos raptis excessus Salomon tunc amabilis Domini, composuit, prout sanctissimorum Doctorum sinceritas exposuit. Porrò nulla videtur ex adverso periculosior meditatio, quàm si præsumat anima fœdis adhuc cogitationum, desideriorumque phantasmatibus oppleta, sordidaque, debere licenter assurgere, ut se recogitet sponsam Christi. Intercurrunt enim protinùs nuptiaruum carnalium turpes imagines, quæ desideria pariunt turpiora. Recogitet potiùs anima talis: quoniam *Deus ultionum Dominus* Ps. XCIII. 1. est *terribilis in consiliis super filios hominum.* Ps. LXV. 5. Dicat ad eum: *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Psal. LXXXIX. 12. Similia denique proponat sibi timoris incussiva. Tunc anima, si magis interim profecerit, vocet, & habeat Christum ut Patrem, Ecclesiam ut Matrem, clamans in Spiritu sancto, *Abba Pater*; denique tandem veniet ad oscula, & amplexus sponsi. Tradit Hieronymus morem apud Hebræos hunc haberi, „ quod ad audiendum Cantica Canticorum nullus ad- „ mittatur minor Annis triginta, ne spiritualibus abutens „ canticis, in carnalem ea vertat lasciviam.„ Adde secundò conjugium Adæ, si non peccasset, illud non fuisse Sacramentum Christi, & Ecclesiæ, sed benè Dei, ac rationalis creaturæ ab eodem gratificè desponsatæ. Tene postremò virginale conjugium Joseph & Mariæ, licet consummatum non fuerit carnali mixtione, fuit tamen verum Sacramentum Christi & Ecclesiæ; tum quia fuit in hoc conjugio cum virginitate maternitas vera, & prolis fœcunditas, quemadmodùm est in Ecclesia; non sic in consecratione virginum, ubi non est fœcunditas, nec in consummatione nuptiarum carnalium, ubi desinit virginitas; fuit insuper ratione prolis vera conformitas naturæ divinæ cum humana. Et hìc multa super hoc virginali, sacratissimoque conjugio salubriter, & devotè meditanda suppetunt purgatis animabus in Fide, & moribus, quæ prætereo, inquit Allegoria linquens ea Anagogiæ sorori divinissimæ. Rursùs ad aliud, quòd inquiris, ô Studiositas, quo pacto materialis Ecclesia spiritualem significet. Ratio patet facilis ex institutione consecrationis, & dedicationis suæ. Unde perspicuum redditur, quis, & quantus honor, quantus reverentiæ cultus materiali debetur Ecclesiæ contra Begardorum errorem, con-

Digitized by Google

tra superbiam illorum quos alloquitur Apostolus dicens: I. Cor. XI. 22. *An Ecclesiam Dei contemnitis?* contra dissolutiones indecoras servientium Deo cum garrulationibus, cum ineptissimis vanitatibus, & insaniis falsis. Denique non sine causa Christus ejecisse A legitur *Marc.* XI. & *Luc.* XIX. vendentes, & ementes de Templo, graviter intonans illud Propheticum: *Domus mea, domus orationis vocabitur, vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Isaï. LXVI. 7. Faciunt & nunc, ô salutifere Christe, domum tuam stabulum porcorum grunnientium, vel canum latrantium, vel ridicularum simiarum, non recogitantes animo quòd exclamaverit Jacob post visionem scalæ mysticæ, in qua erant Angeli ascendentes & descendentes: *Quàm terribilis est locus iste? Verè non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen: XXVIII. 17. Hîc aptissimè sacrum convivium nuptiarum Christi & Ecclesiæ celebratur, & sumitur. Hîc efficaciores sunt, ceteris paribus, orationes, quàm in loco privato, vel profano. Hoc pulchrè post dedicationem Templi Salomonis deprecatio sua flexis genibus, & manibus elevatis, dùm laudaret Deum, & populo benediceret dedit intelligi. Similiter in ornatu vario Templi, in ordine Ministrorum, in cultu multiplici ceremoniarum debet accipi, in quibus singulis tot sunt mysteria quot verba, signa, vel opera.

Veniamus ad illud quod ultimò quæsitum est: quibus modis, & locis sacræ Scripturæ figurantur hæ nuptiæ Christi & Ecclesiæ. Animadverte triplex conjugium quale tradit soror Littera in tribus Patriarchis, in Abraham, in Isaac, & in Jacob. Attende conformiter mysticè; quoniam nubit Deus Humanitati in Incarnatione: nubit animæ singulari in Fide & devotione: nubit Ecclesiæ universali in perfecta charismatum omni dotatione, & in elargitione bonorum tàm viæ, quàm patriæ. Undè licet sit una sponsa, *sunt tamen septuaginta Reginæ, & trecentæ concubinæ,* & *adolescentularum non est numerus.* Cant. VI. 7. Figuratur hæc triplex conjunctio nuptialis in matrimoniis, ut prædiximus, trium Patriarcharum, Abraham, Isaac, & Jacob. Vis scire quomodò certè conjunctus est Abraham cum Sara, quæ sui nominis interpretatione, sonat idem quod carbo; sed puto, quòd non extinctus carbo sed ignitus; ignis verò, dum incorporatur carboni, fit velut unum ex ambobus, quoniam carbo suscipit actiones ignis, factus ardens, & lucidus. Oro, vide si non fuerit tale aliquid in humana C natura, dùm unita supposito divino, facta est sicut ignitus carbo, ardens per charitatem, lucens per honestatem. Facta est quoque idiomatum communicatio, virtute cujus homo dicitur creasse cœlos, & Deus portasse dolores nostros. Intende præterea quoniam habuit Abraham de Sara filium unicum cui nomen Isaac, quod interpretatum dicitur risus, vel gaudium, in quo tota spes hereditatis erat reposita. Nos verò nunquid non ex Matrimonio Dei cum humana natura risum suscepimus, & gaudium reparationis nostræ, spem hereditatis perpetuæ? Fallor, si non hoc gaudium nunciaverit Angelus in die nativitatis sponsi, dum ait pastoribus: *Evangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo.* Luc. II. 10. Sed neque defuerunt encænia, neque donaria nuptiarum, dum nunciata est: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* ℣. 14. Dùm in mysterio floruisse perhibentur vineæ Engaddi, cum ceteris miraculis. D Ceterùm pro secundis nuptiis Christi cum Ecclesia, subjungamus figuram Matrimonii Isaac cum Rebecca, cujus nominis interpretatio est, *multùm accipit.* Et quæ sponsa, quæso, majus aliquid accipit à sponso, quàm à Christo susceperit Ecclesia? Potuerant hîc dotes, seu dotationes suæ numerari supernaturales, naturales, spirituales & temporales, de quibus suprà notavimus. Quid? quòd fuerunt ex hoc Matrimonio duo filii variæ sortis, & indolis, Jacob bonus & simplex; Esau malus, ferox & discolus. De quibus à Deo dicitur. *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Malac: I. 2. Per istos verò fratres quid aliud datur intelligi, quam in Ecclesia quæ est congregatio Fidelium, diversa generatio Filiorum, quorum sunt aliqui solo nomine Christiani, alii re simul & nomine. Mali subindè persequuntur bonos, sicut Jacob ab Esau multa perpessus est. Vix est itaque Jacob in Ecclesia, quem non exerceat Esau malitia. Denique Christi desponsationem cum anima singulari figurant nuptiæ Jacob cum duabus sororibus Lia, & Rachel: Lia activæ, Rachel contemplativæ typum gerit in anima devota, quarum filios si numerare, & ad figuram traducere studeremus, recensendus esset Libellus ille Richardi pulcherrimus *De duodecim Patriarchis*, ad quem remittimus. Adde quòd ad prædicta Jesus totus desiderabilis tribus animam sanctam appellat nominibus in Canticis, sororem, filiam, sponsam. Sororem, propter conjunctionem sui cum humana natura. Filiam, propter conjunctionem sui cum Ecclesia, quæ Mater est. Sponsam, propter conjunctionem sui per gratiam aut gloriam, cum ipsamet anima sancta. Considera tandem, & invenies nuptias omnes istas factas esse in Cana Galilææ. Hinc Isaias: Isa. XXXVII. 32. *Zelus Domini exercituum faciet hoc*, has videlicet nuptias, & hoc in Galilæa, quæ *transmigrationem* significat. Vide quàm mirabilis, quam multiplex transmigratio; dùm dives fit egenus; æternus, temporalis; Deus, passibilis in primo matrimonio. B Dum in secundo dimisit Ecclesia suos errores, sua idola, culturas deorum, ceremonias Judæorum. Dùm in tertio fit anima, de meretrice sponsa Christi; fit uxor Regis summi, quæ priùs erat scortum vel mundi, vel carnis, vel diaboli.

Studiositas, his auditis, gratias agens verita est Allegoriam ultrà fatigare quomodolibet quæstionibus aut responsis; quæ idcircò finem loquendi fecit in imprecatione participationis habendæ cum his nuptiis Christi & Ecclesiæ, nunc & in sæcula sæculorum. Mihi verò ad meipsum revertenti zelus domus Dei non defuit, qui monitionibus sobrietatis obediens consenserat silentio præteriri tunc declarationem duplicis appositæ considerationis de vino sacræ Sapientiæ. Erat enim *zelus secundùm scientiam*; Rom. X. 2. propterea fugiebat, & multiloquii tædium, & amore redargutionis odium præstolans commodiùs locum alterum, tempus, & actum. Extimulavit me nihilominùs postmodùm, crebrò quidem & multùm, sibi vocem dari, quæ si negaretur, petebat omnia scriptis inseri. Inducebat servum fabulosi Midæ, qui Domini videns asininas aures, quia prodere palàm timuit, submurmuravit, & infodit terræ undè feruntur arundines exortæ, vitium Midæ subsibilantes. Suadebat zelus in proposito saltem ità fieri, pronuncians neque scientiam sibi quæ tempora, personas, & loca circumspicit, neque compassionis charitatem deesse. Rectè quidem, quoniam hic demùm zelus est laudabilis qui mala quælibet auferre vult quæ videt in domo Dei. Sed si tollere nequit, tolerat & gemit; tolerat secundùm scientiam, gemit per compassionem. Est itaque scientia sine zelo languens, esset zelus sine scientia præcipitans, esset utrumque, si deesset compassio, nimis amaricans & inducens non tàm ad correctionem vitii, quàm ad irritationem odii: zelus igitur ad vim irascibilem, discretio ad rationalem, compassio ad concupiscibilem movendas uno mutuoque consensu spectant, ut ordinatus in se sit totus homo, potens per zelum, sapiens per discretionem, benevolus per compassionem, assecutus in hoc appropriata beatissimæ Trinitatis, quæ sunt potentiæ vigor, sapientiæ fulgor, benevolentiæ dulcor, in quibus fundantur apud operationes laudabiles, modus, species & ordo; item mensura, numerus & pondus. Rursùm unitas, veritas, & bonitas, referendo singula singulis appropriatis beatissimæ Trinitati, ex qua omnia efficienter, per quam omnia exemplariter, in qua omnia finaliter existunt; sicut est omnibus causa essendi, ratio discernendi, & ordo vivendi. Et quando zelus apud me conscium se fatebatur habere sibi socias, scientiam, atque compassionem,

Digitized by Google

nem compassionem, compassionem præcipuè quæ nihil per injuriam, nihil in iram, scandalum, livorem, odium vel rancorem cujusvis personæ dicere vellet, aut scribere; sed ad extirpationem errorum, & emendationem errantium; morem ei gerere disposui, scriptis inserens quæ circà duplicis prædictæ Considerationis prætactorum de negligentia vini sacræ Scripturæ, salubri monitione videntur annotanda.

A ERAT igitur secunda Consideratio, quòd in nuptiis crescentis Ecclesiæ &c. Fervor itaque devotionis qui Principes, & alios dotantes Ecclesiam movit, undè, quæso, genitus fuit, si non ex præconcepto calore vini spiritualis sacræ Scripturæ, vehentis ad æterna mentes suas, terrenorum amore calcato? Nunc autem, si viderint pincernas vini hujus, Prælatos, & Doctores labi funditùs in inferiora terræ, neque ullam de spiritualibus sollicitudinem gerere, quidni repetant quæ dederunt, causa cessante conferendi, aut quòd à nova saltem donatione tepescant? Ecce jam vidimus plurimos in sacris etiam Litteris eruditos, qui vitiis Prælatorum irritati, zelantes domum Dei non secundùm scientiam, nequaquam timuerunt suggerere Principibus, & populis, usque ad perpessionem mortis, quòd fas erat eis tollere temporalia Clericorum habitualiter delinquentium: rursùs quòd bona eorum non erant nisi puræ eleemosynæ: quòd insuper non erant tradita nisi sub conditione benè vivendi, & utendi; qua deficiente, peribat titulus juris, neque quicquam reliquum Clerico tali supererat. B Adde quòd non defuerunt, neque desunt sæculares cupidis auribus, & assensu talia recipientes: nihil autem facilius, quàm persuadere volentibus spolia Clericorum, dum vel avaritia, vel odium, vel invidia vel zelus indiscretus trahit eos. Opponunt alii Prælatis, & Clericis paupertatem Ecclesiæ primitivæ in Apostolis & Discipulis: authenticant è cœlo missam vocem, dùm à Constantino dotata est Ecclesia magis divino, juxtà Prophetiam Danielis de regno Christi, quàm humano constituto: ***Hodie venenum effusum est in Ecclesiam Dei.*** Quæ omnia, quid aliud quàm spoliandam esse loquuntur Ecclesiam? Verum quid antiqua? Quid sola lectione cognita commemoramus? Prædicatum est solemniter apertissimis verbis, quòd mendicitas erat solum, vel præcipuum medium prædicationis verbi Dei: quià *spina* divitiarum *suffocant verbum*. Matth. XIII. 22. Luc. VIII. 7. Et Paulò antè, dum quæreret ipse Prædicans, qui sunt Prædicantes? C Respondit profectò soli Mendicantes, quoniam *pauperes*, inquit, *evangelizantur*. Matt. XI. 5. Taceo quod dixerat anteà quidam ex Mendicantibus Prælatis: *Nos pro nobis Principes habebimus adversùs Prælatos*: superaddidit alius, *ac etiam mulieres*: subintulit alter minaci vultu, *nos tale seminabimus semen in uno die, quod eradicare per Annum nescietis neque poteritis*. Hæc & similia, si nihili penduntur à Prælatis sæcularibus, sibi defensores suos sæculares Theologos (vinum sacræ Sapientiæ ministrantes in puritate) vel abjiciunt vel negligunt, vel opprimunt: quid consequentius est, quàm ut Principes dicant, & statuant apud semetipsos: si mendicitas solum vel præcipuum medium est ad prædicationem verbi Dei? cum nihil magis incumbat Ecclesiæ Prælatis quàm hujusmodi prædicatio; propter quam Apostoli dixerunt: *Non est aequum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis*. Act. VI. 2. Et Paulus ait: *Non misit me Dominus baptizare, sed evangelizare*. 1. Cor. 1. 17. quid eligibilius nobis est, quam ut Prælatos reducamus ad mendicitatem, sublatis tot divitiis, & dotationibus, in quibus otiosi gloriantur, D atque superbiunt supra Regum, & Principum potestatem. Nihilominùs hæc, & similia cum prædicantur dotationis Ecclesiæ subversiva, fit applausus, significatur ut excurrat sermo: dùm verò pro favore debito Prælatorum, pro libertatibus eorum, pro Fidei (quam tueri professi sunt usque ad mortem) defensione prædicatio fit, mox oscitant, inquietantur, submurmurant, exsibilant, tumultuantur, finem urgent.

Attendat pastoralis sollicitudo, ne per impunitatem talium crescat in Ecclesiastica Hierarchia deordinatio, horror, atque confusio. Undè si mendicitas post Apostolos, & sanctos Doctores noviter subintroducta ministraret hodiè sola vinum prædicationis per populos in Ecclesiæ nuptiis; in multis itaque nunc male est, fateor Ecclesiæ, sed in multis deteriora venirent; quemadmodùm sumi poterit, ex dicendis in altera consideratione, patens argumentum.

Ecce verò dùm talia meditatio cordis mei secum revolveret, conspicere visa est hinc Mendicitatem Religiosorum, hinc Proprietatem Prælatorum, quarum utraque prædicabat laudes suas, altera alterius statui præferre se contendens. Præoccupavit Mendicitas, & quis dubitaverit, inquit, me præferendam esse Proprietati, vel appropriationi temporalium, quæ volens esse perfecta, abii juxta Consilium Christi, & vendidi omnia quæ habui, & dedi pauperibus, ut nuda sequerer expeditè nudum Christum. Præcello quidem in multis, sed quinque prærogativas enumerasse sufficerit. Mens nonne mihi liberior est ad contemplationem, quoniam egena sum: non potens epulari quotidiè lautè, & splendidè, propterea neque cibo, neque vino gravor in crapula, & ebrietate, neque somniculosa jaceo,

Somno, vinoque sepulta.

Sum insuper aptior ad prædicationem, quoniam doceo nedum verbis studiosissimè haustis ex intimo fonte sacræ Scripturæ, & artificiosissimè compositis, in allegationibus, in rhythmis, in ratiocinationibus, miscendo sæculares Autores, Poëtas, & Rhetores. Sed exemplo proprio, quod efficacissimæ doctrinæ genus est, prædico contemnendas esse sæculi divitias, pompas, honores, atque delicias, sequens Christum qui prius cœpit facere, post docere. Quid tertiò quòd elongatior sum ab adulatione, quia non temporale lucrum, non favorem divitum, non applausum populorum, sed spiritualem duntaxat animarum salutem exquiro; quid enim mihi est super terram? Quid præterea quartò quòd à formidine resistentium verbo Dei liberata sum, dum ab eis major effici non ambio, sed refugio, quærens in nuptiis Ecclesiæ locum novissimum, nolens primos recubitus in cenis, nec salutationes in foro, nec vocari ab hominibus Rabbi, neque primas cathedras in Synagogis: *Matth*. XIII. 67. sæviat mundus universus adversùm me: ad quam me poterit sortem viliorem dejicere, quàm mendicam? Quæram panem meum. Constat denique me liberatam esse ab omni sollicitudine: cur enim de crastino cogitarem? quæ habens alimenta undecunque quæsita, & quibus tegar, etiam vilissimis, resarcitisque saccis contenta dego, considerans *aves cœli, quæ neque laborant, neque nent, neque congregant in horrea, & Pater cœlestis pascit eas*. Matth. VI. 26. & Luc. XII. 27.

Proprietas ex adverso contendebat, primò juxtà sententiam Aristotelis arguentis politiam Socratis, & Platonis, quòd erat expedientior apud homines, præsupposito peccato, secus in statu gloriæ, secus in originalis statu justitiæ, ubi fuissent omnia communia, ubi nullus appropriando dixisset; hoc meum est, hoc est verò tuum, quoniam unicuique fuissent omnia subjecta sub pedibus ejus. Omittatur de singulis hominibus, fiat de Prælatis Ecclesiæ tantùm sermo, quibus ego Proprietas multum offero fructum spiritûs, præsertim quintuplicem, in ædificationem subditorum. Habent ex me primò subsidia temporalium, unde misericordiam exerceant apud subditos egentes, afflictos, & debiles, pupillos, viduas; neque sub specie pietatis & quæstûs spolia quærunt ovium, neque lac emungunt usque ad sanguinem: quod ut exercere posset sanctus Thomas Cantuariensis, studuit usque ad mortem pro conservatione redditum Ecclesiasticorum decertare. Habent ex me Prælati secundò decentem, & honestum statum, fulgentem, & reverendum coram populis; qui sicut animales, neque sa-

tis capiunt cœlestia, neque virtutes interiores plenè considerant, propterea faciliter egenos, & pannosos homines, præcipuè si opportunè, & importunè quæstuosi fuerint, vertunt in opprobrium, vel contemptum: maximè dùm non adsunt eis operationes heroïcæ, & miraculosæ, quemadmodùm fuit in sanctis Apostolis, & plurimis successorum: alioquin si quis ornatum exteriorem splendidum culpat in Prælatis, A tollat ex consequenti pretiosissimos, & præclarissimos quoslibet ritus, & ornatus ab Ecclesia, quæ incedit sicut Regina in tunicis, casulis, & ceteris vestimentis deauratis, circumdata varietate. Adde tertiò, quòd tyrannis incutio formidinem ego Proprietas, dùm attendunt me paratam, & potentem, & talem esse quæ sufficiam eis resistere. In subditos prætereà discolos & insolentes ego disciplinatas punitiones potens exerceo, ne sua contra proborum vitam quietam prævaleat effrenis iniquitas, & ut regentis conservetur autoritas. Postremò, sollicitudinem anxiam, & quandoque fraudium sectatricem ego Proprietas à Prælatis, & domesticis suis excludo; distribuens unicuique prout opus est, ne vel rapere, vel cogitare suprà modum de crastino compellat eos egestas, cui parum esse Fidei, dicit Satyricus & Lex. Hæc est Ecclesiæ primitivæ institutio, hæc aurea mediocritas, quam Salomon optando descripsit: *Divitias*, inquit, *& paupertatem ne dederis mihi, sed tantùm victui meo tribue necessaria*: Prov. xxx. 8. B Pusilli animi est (dicit Seneca,,) ,, non posse pati divitias, & indicere sibi odium auri, vel ,, argenti; refrenetur cupiditas & sufficit.

Parabat ad hæc Mendicitas contentiosa voce responsionem adjicere, præponens se talem esse, cui mediocritas amica est, quoniam nihil habens, ipsa jure proprietario possidet omnia, charitatis, & sufficientiæ titulo; quærit enim *primum Regnum Dei & justitiam ejus*, Matth. vi. 33. omnia idcircò apponuntur ei; nihil insuper se timere defendit; nimirùm quia nihil perdere habet, inculcans illud Satyrici:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Concludit, proprietatem esse tumidam, elatam, pompòsam, jactatricem sui, desidiosam, cæcam, insciam & hebetem, quæ quia tangit picem divitiarum, inquinatur ab ea, & spinarum aculeis cruentata suffocatur: neque pascit, quia mercenaria est, oves proprias pabulo doctrinæ, sed emungit usque ad sanguinem, C & excoriat usque ad interiora ossium, & discrimen vitæ.

Ceterùm has impatienter ferens Mendicitatis contumelias ipsa Proprietas; dici non potest qualia, quantaque reddere verba parabat. Vocans eam imprimis apostatam à Lege qualibet naturæ, scripturæ & gratiæ; nec deerat allegationum multiplicatio. Seductricem insuper arguebat eam, fallacem, gyrovagam, quæ penetrat sub obtentu, nedùm prolixæ orationis (prout loquitur Apostolus) sed Confessionis, domos; *captivas ducens mulierculas oneratas peccatis*; 2. Tim. iii. 6. quæ rursùs nomen humile paupertatis facit instrumentum sibi & medium sub velamine privilegiorum ad omnes divitias, delicias, pompas, cum summo otio, sine labore plus ceteris hominibus assequendas. Pergebat ultrò proprietas inducere testes authenticos pro se, vitas Patrum, Augustinum *de opere Monachorum*, Librum Guillielmi *De sancto Amore*; Propositiones Domini Ar- D machani, cum similibus multis. Quæ demùm sectas habent inter se, pro diversitate habituum & doctrinarum, conjungunt ad impugnationem ceterorum sæcularium, & Regularium Prælatorum, & Doctorum. Tùm exhorrui, fateor, in ipsa meditatione mea, quando talem suboriri contentiosam hostilitatem Proprietatis, & Mendicitatis, animadverti; qui priùs in audiendis laudibus utriusque sedulus delectababar. Exclamo protinùs, abite precor, hinc, neque jurgiis istis me fatigaveritis. Itaque,

Non nostrum inter vos tantas componere lites:

Ite potiùs ad experientiam; hæc siquidem mentiri nescit de quibus novit; novit autem omnia, & mentientes non patitur non redargui; hæc ideò testis idonea, hæc Judex incorruptissima, quæ si querelam hanc susceperit, suggerat & insinuet in sacrosancto generali Concilio. Quid sentiendum insuper allegatis utrinque, quid demùm faciendum. Etenim si Mendicitas probare voluerit testimoniis operum dilucidis, quòd ad illa per eam proposita, sit efficax mediatrix, ipsa prorsùs suscipienda, fovendaque judicabitur. Similiter & Proprietas laudabitur in Prælatis, si tales in eis, quales proponit effectus, operetur. Verùm præclarè dictum est à quodam: Respublica, vel Ecclesia non regitur per se, sed nec solo dictamine speculativæ, vel imaginariæ rationis gubernatur, executio requiritur in practicatione operis, quantùm res humanæ, pro locis, temporibus, & personis patiuntur. Denique non est invenire statum, immò nec hominem unicum, nisi rarissimè, in quo granis virtutum mixtæ non sint plures numero paleæ defectuum. Nam & cum tritico crescunt zizania, qualia tolerare convenit, vel sic eradicare, ne simul evellatur & triticum. Similiter, vinum devotionis secum fert acinos, & feces quorundam defectuum humanæ corruptionis. Enitatur status quilibet esse talis qualem vult se æstimari, atque respectu finis suæ constitutionis, cetera conetur moderari. Sit Mendicitas, ut prætendit, ad comtemplationem liberior, sit ad prædicationem utilem aptior, sit ab adulatione longior, sit à formidine & ambitione remotior, sit ab omnium temporalium sollicitudine quietior. Proprietas verò, sicut gloriatur, hospitalitatem exerceat decentem & venerandum absque fastu superfluo statum teneat, formidinem tyrannis incutiat, subditos insolentes coërceat, sollicitudinem noxiam & anxiam procul à se suisque familiaribus abjiciat. Meminerit tandem utraque juxtà Comici sententiam, quoniam hæc omnia in mendicitate, & proprietate talia sunt, qualis est animus utentis; hoc cernere est in vino bono sapientiæ salutaris cujus odor, sapor, & usus fit aliis in ægritudinem & mortem: aliis autem proficit ad sanitatem, & vitam perpetuam.

Consummata est dictis istis secunda consideratio; sit transitus in tertiam, & postremam.

IN nuptiis Ecclesiæ nunquàm deesse poterit, &c. Primam hujus considerationis partem confirmat Christus Sacerdos in æternum, cujus Lex si deficeret, Sacerdotium non subsistere consequens esset: sicut è converso dicit Apostolus, *quòd translato Sacerdotio, necesse est, ut Legis translatio fiat*. Heb. vii. 12. Altera verò pars considerationis utinam falsa esset, sed verissimam esse nimis experiri datum est: alioquin, nunquàm tot errores, tot insanias falsas, tot hæreses monstruosissimas confictas fuisse (etiam usque ad adulterationem primorum principiorum moralium, qui sunt de primis impressionibus, & inscriptionibus naturæ) sensissemus in hoc Concilio, in cujus gremio per aliquos foventur, nutriuntur, multiplicantur, & augentur, sicut intrà narrabimus.

Sunt quibus vinum sacræ Sapientiæ, & odor ejus, vertitur in abominationem; quorum ista vox est; quid ad nos sermo de Fide? satis est quòd Christiani sumus, credimus sicut parentes nostri, in simplicitate bona; hoc sufficit & satis est, quià *scrutator majestatis opprimetur a gloria*; Prov. xxv. 17. nec opus est altiora se quærere. Dicuntur hæc nedum à simplicibus, & idiotis, sed à magnis Prælatis, quibus ex officio competit, *paratos semper esse debere ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea quæ in eis est Fide*. 1. Pet. iii. 15. Vox aliorum est dum propinari quæritur, vel deputari vinum sacræ Fidei, quærimus pacem, quærimus unionem, & ecce turbatio. Conturbat enim vinum istud plurimos; divisiones, sectas, odia, dissentiones inducit per universum corpus hujus sacri Concilii: dissimulatio, vel dilatio, nonne salubrior, nonne discretior existeret? Sunt alii, nec facilè dixerim, si de-

Digitized by Google

deteriores prioribus, scio quòd insaniores. Bibunt illi quidem vinum sacræ Scripturæ, sed quia corruptis moribus quasi febrilibus totidem humoribus infecti sunt, delirant apertissimè, & in ipsis, ut ajunt, januis principiorum cespitant, impingunt, palpant, & corruunt incurrentes illam Evangelici Prophetæ maledictionem, si ad Allegoriam traducta sit: *Verùm hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt: Sacerdotes, & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.* Sequitur; *Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, ità ut non esset locus ultra.* Isa. XXVIII. 7. 8. Hic vomitus, & hæ sordes, quid aptiùs quàm hæreses ex indigestione vini sanæ Fidei prodeuntes significant? quibus mensa sacræ Scripturæ redditur abominabilis, & hinc videtur impleta de talibus imprecatio Prophetica Psal. LXVIII. 23. 24. *Fiat mensa eorum*, mensa sacræ Scripturæ, *in laqueum, & in retributiones, & in scandalum: obscurentur oculi eorum, ne videant.* Et iterùm Psalmus alter: *Turbati sunt & moti sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* Ps. CVI. 27. Rursùs in Jeremia: *Sume calicem vini furoris hujus*; quia scilicet malos furere facit, quod patuit in Judæis invidis, & avaris furentibus ad doctrinam Christi. Sequitur; *Et propinabis de illo cunctis Gentibus ad quas mittam te, & bibent, & turbabuntur, & insanient à facie gladij quem ego mittam inser eos.* Sequitur: *bibite & inebriamini, & vomite, & cadite, & nolite consurgere à facie gladij, quem ego mittam inter vos.* Jerem. XXV. 15. 27. Per gladium hunc, verbum Dei, sicut per vinum, doctrinam Fidei mysticè designatur: Exempla heu maledictionis hujus nimis apparent apud nonnullos in nuptiis etiam hujus Concilii positos: cujus hanc unam, vel maximam causam accipe, quòd ad examinationem pestiferarum doctrinarum multipliciter evomitarum nequaquàm datum est Theologis, ac Jurisperitis sæpè, ac liberè convenire pro hac re: quæsitum est hoc potiùs viis & exemplis nimiùm scandalosis: væ detinentibus veritatem in mendacio! De quo Jeremias: cap. VIII. 8. *Verè mendacium operatus est stilus scribarum mendax*, dum in calice profano fit vini Theologici propinatio. Quocircà ponatur hic una ex petitionibus compositis, ut novem Assertionum fieret examinatio per singulas nationes, propter causas duodecim Primò quia tandem sic oportebit examinationem hujus doctrinæ fieri, si vera sit & sana, ut dogmatizetur per Christianitatem tàm populo, quàm Clero; & an sit in Foro conscientiæ salubriter consulenda, & fiat hoc in commune per singulas Nationes, & sacrum Collegium, prius quàm feratur in Sessione Sententia. Rursùs secundò, quià materia talis est, de qua possunt judicare nedum Theologi, sed Canonistæ, & Legistæ, & boni Morales, immò & generaliter omnes habentes sanum & integrum judicium rationis, concernunt enim Præcepta moralia quæ sunt prima principia naturaliter inserta cordibus hominum, licet etiam sint divina Lege repetita, & jussa, propter malitiæ nubem, quæ Scripturam hanc obtenebrans obfuscat in cordibus malignorum. Subindè, quia constat, quòd assiduè scandala multiplicantur occasione dilationis quæ fit, & facta est jam per Annum cum dimidio, & ultrà in hoc sacro Concilio, dùm non est declaratum quid veritas habeat super prædictis. Ampliùs quartò, quòd talis dilatio cedere videtur in grande dedecus hujus sacri Concilii, dicentibus mults vario modo, quòd Concilium materiam istam determinare vel non audet, quod est timiditatis & ignaviæ; vel nescit, quod est cæcitatis & ignorantiæ; vel non vult, quod non est charitatis, vel justitiæ. Ampliùs, quia si tanta sollicitudine damnati sunt errores, & errantes à principio Concilii usque nunc de aliis terris & provinciis, ubi multi potentes de illis terris nedum non quærebant hoc, sed totis studiis per litteras & aliter obsistebant: grave nimis videretur & scandalosum in prædictis terris, quòd errores in Regno Franciæ seminati, in notoriam seditionem & scandalum totius Regni, in perniciem incredibiiem tàm animarum, quàm corporum, non declararentur hìc, vel damnarentur: cùm hoc requirat Rex Franciæ Christianissimus, cum Consilio suo toto, & præclarissima Universitas Parisiensis, cum tanta instantia, tàm per Litteras Patentes, quàm aliundè, & cum testimoniis nimis credibilibus super scandalis, & seditionibus provenientibus assiduè ex doctrina tali. Additur hìc, quod Principes dicere possent, Joannem Husum, & errores suos fuisse damnatos, quia erant contrà Prælatos, & Clerum; sed dimittunt istos Joannis Parvi, quia sunt contrà Principes & sæculares, licèt ad veritatem tangant Ecclesiasticos cum sæcularibus, sicut scribit Imperator. Proindè sextò, quia Serenissimus Rex Romanorum, & dùm præsens erat, verbis, & absens litteris attentissimè recommendavit causam istam, & damnari procuravit istam Assertionem: *Quilibet tyrannus, &c.* In qua virtualiter, & sufficienter hæc doctrina novem Assertionum damnata est, sicut patet intuentibus, & declarabitur manifestiùs ex inspectione totius Propositionis principalis Joannis Parvi productæ ex parte Regis Franciæ coram toto Concilio generali, cum instantissima petitione examinationis diligentis de eadem faciendæ. Septimò quia etsi forsan secundùm aliquorum judicium hæc materia potuisset ab initio dissimulari ad tempus; hæc dilatio, seu dissimulatio non habet modò locum, quia per importunitatem aliquorum, ne duriùs quid loquamur, effectum est, ut nedum dogmatizaretur hæc doctrina per unum scilicet Magistrum Joannem Parvi, sed jam per plurimos in hoc Concilio, & alibi, quaquaversùm, & specialiter per totum Regnum Franciæ, cum multiplicatione errorum aliorum non minùs periculosorum, & cum autoritate illorum qui se subscripserunt in modum Communitatis, seu Congregationis, ne dicamus monopolii, vel conspirationis; sicut in schedula Fratrum Mendicantium de quatuor Ordinibus latè patet. Ampliùs octavò, quia necesse est concludere quòd multi sunt hæretici, vel saltem hæreticantes in hoc sacro Concilio, & alibi: quoniam multi ex una parte dicunt, & constanter affirmant, quòd hæc doctrina est erronea in Fide & moribus, ac multipliciter scandalosa: alii sunt in oppositum dicentes, quòd hæc doctrina est vera: alii quòd est opinabilis: alii quòd est probabilis ad utramque partem: alii quòd est forsitan vera: alii quòd non judicio Fidei reprobanda, quia non pertinet ad Fidem. Constat autem quòd Assertiones istæ sic contrariæ stare non possunt cum Fidei puritate, & sine scandalo manifesto totius Ecclesiæ. Est igitur de necessitate salutis providendum per hoc sacrosanctum Concilium. Rursùs nonò, quia si fieret ut aliqui quærunt, dilatio ad futurum Pontificem, vel Concilium, esset gravis nota hujus sacri Concilii; quia diceretur, sicut prætactum est, quòd materiam hanc terminare, vel non auderet, vel nesciret, vel non vellet: immò & futurus Summus Pontifex rationabiliùs posset excusationem prætendere, regerendo culpam super Prælatos de hoc Concilio quod vel timuerunt, vel nescierunt, vel noluerunt ponere terminum tali causæ. Et constat quòd non habebit plures Clericos unus Papa, quàm habeat hoc Concilium, nec majorem audaciam. Adde decimò, quia necesse est dicere, quòd Rex Franciæ, & Universitas Parisiensis, & penè totus Clerus Franciæ decipiuntur circà hanc materiam quam tanto studio prosequuntur, ut damnetur: aut ex altera parte decipiuntur illi qui ad oppositum tendunt, quærentes absolvi, & justificari in hac causa. Potest autem præsens Concilium finem apponere declarando veritatem, cui, omnes & singuli dicunt se paratos obedire, & ita cessabit omnis discordia. Subjungatur undecimò, quòd jam videtur modus debitus tra-

Digitized by Google

tractandi Fidem multipliciter læsus in futuram exempli perniciem, si provisum non fuerit: debet enim causa Fidei tractari simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii. Et quòd priùs antè omnia fiat inquisitio, & determinatio de ipsa veritate Fidei, & suo interesse, quàm de interesse personali cujuscunque. Debet insuper audiri liberè quilibet in denunciatione, sine hoc quòd quæratur involvi per lites: debet præterea examinatio fieri non in abscondito, vel per schedulas, nec A per conspirationes, sed in publico coram peritis, ut habeant ad invicem collationem, & examen diligens, frequens, & liberum: nec debent vota publicari, saltem extrà Concilium, maximè cum signo Notariorum authentico, priusquàm factum taliter extiterit. Demùm, nullus peritus, præsertim Theologus potest, aut debet in tali materia Fidei tanquàm suspectus repelli, quin intersit examini, & judicio, nisi forsitan allegetur, & probetur contra eum quòd est in Fide meritò suspectus, vel infectus. Utrùm verò factum fuerit oppositum omnium prædictorum in processu hujus causæ, jam notorium est, & pateret ex processu, quia & propositum est interesse personale, & denunciatores quæsiti fuerunt involvi, & factæ sunt involutiones processuum, non sine gravibus expensis. Et Reverendissimus in Christo Pater Dominus Cardinalis Cameracensis summus inter suos Theologus, non in Fide per Dei gratiam suspectus, commissus per hoc sacrum Concilium repulsus est, & Magistri in Theologia nullum inter se B poterunt examen facere; deliberationes quoque secretò priùs in sacco positæ sunt, priusquàm examinarentur, publicatæ per universum Regnum Franciæ, & alibi, cum signis Notariorum: ubi nedum Fidei, sed personis imminet grande scandalum, & periculum, cùm materia hæc tangat magnos & potentes. Et apparet satis clarè ex modo, & forma cujuslibet deliberantis, quæ persona sit, vel quæ personæ deliberantes, quàmvis non inscripta sint nomina singulorum, sed aliquorum, & specialiter Mendicantium quatuor Ordines exprimuntur in schedula suas deliberationes continente. Attento etiam quòd aliquæ deliberationes loquuntur injuriosissimè contra magnos, & diversos, & innocentes, ita ut magis sint Libelli famosi protinùs lacerandi, quàm deliberationes recipiendæ, vel promulgan- C dæ. Dicatur postremò, & ultimò, quod per litteras Serenissimi Regis Romanorum, & Regis Franciæ, ac Universitatis Parisiensis, & ex notorietate facti constat: quòd Sententia annullationis quæ lata est adversùs Sententiam Episcopi Parisiensis, & Inquisitoris, nullatenùs explicando causas annullationis, generavit, & generat assiduè scandala contra Fidem, & contra bonum pacis per universum Franciæ Regnum apud doctos, & indoctos: dùm adhuc penderet, & pendeat principalis materia Fidei coram hoc sacro Concilio, nec debuisset accessorium terminari, priusquàm hoc principale. Prætereà necesse est, necessitate Præcepti divini affirmativi, & salutis æternæ, quòd ad occurrendum istis, & prioribus scandalis, hoc sacrosanctum Concilium (quàm citiùs commodè fieri poterit, sicut fieri commodè citò potest) determinet istud principale, declarando videlicet veritatem; quoniam hoc deciso, cætera faciliter, vel decidentur, vel quiescent atque D sedabuntur. Sed oportet (ut præmittitur, & instanter petitur) examinationem fieri in sacro Dominorum Cardinalium Collegio, & per singulas Nationes &c. Subjungatur sequens Opusculum pro complemento Considerationis hujus ultimæ, ubi videbit pius, & sapiens lector, quanta necessitas incumbit apud Reverendissimos Patres, ac Deo amabiles Episcopos, cum præclaris Doctoribus, & ceteris spectabilibus Dominis de Concilio provisionem apponere. Attento quòd ad extirpationem hæresum præcipuè vocati, collectique sunt.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,
ERRORES
CIRCA PRÆCEPTUM, NON OCCIDES.

HÆRETICORUM *sermo sicut cancer serpit*, ait Apostolus 2. *Tim.* II. 17. Canceris autem morbida tabes, nisi cauterio celeri, fortique tollatur, crescit assiduè sua contagio. Non aliter hæretica pestis, quæ, dùm se vult fovere, fit ægrior: dùm defensorem quærit, ille mittit velut in rete pedes suos, & & in maculis ejus ambulat, se non evolvens, sed involvens, ac pondere suo de errore in errorem ruens. Verum quippe est illud philosophicum: *Uno inconvenienti dato multa sequuntur.* præsertim dùm error est in principiis, qui parvus crescit in plurimos, & fit velut una catena tenebrarum, qua colligantur hæretici. Animadvertere siquidem est, quantas hoc unum inconveniens, quod est, justificatio mortis injustæ, quales & quot proh nefas! pepererit, & effuderit errorum tenebras, hæreses, blasphemias, & insanias falsas; ita ut jam sedeat hæresis velut autorizata in cathedra pestilentiæ, pervagans corpus Ecclesiæ; neque videtur remedii locus, nisi per Censuram judicialem sacri Concilii putrida labes cum omni celeritate cauterizetur, neque audiatur malesuada dissimulatio sua lactatrix & fautrix, quæ speciem discretionis, aut pietatis in summa desipientia, & impietate mentitur. Enumerabimus ergò nonnullos errorum ramos ab hac una mortis radice prodeuntes, jungendo quosdam alios in gremio Constantiensis hujus Concilii positos, vel in propria forma, vel in audientium intelligentia, vel in consequentia necessaria, & certa; quatenùs evitetur error cognitus; quatenùs insuper pastoralis sollicitudo providere vigilantiùs animetur.

„ Quòd philosophicalia, & moralia non sunt de Fide, neque spectant ad Judicium Fidei. „

„ Quòd hæreses non possunt, aut debent condemnari, nisi simul evocentur, & damnentur errantes. „

„ Quòd ad Episcopos nullo modo spectat hæresum damnatio; quoniam majores omnes causæ, quæ sunt Fidei, sunt ad Sedem Apostolicam referendæ. „

„ Quòd nihil est judicio Fidei condemnandum, nisi contra Fidei Articulos in Symbolo positos; quoniam soli tales Articuli propriè spectant ad Fidem.

„ Quòd implicat, eamdem propositionem esse evidenter, & Fide credendam, & asserens oppositum, est hæreticus. „

„ Quòd nullus habitus Fidei acquiritur per verbum Christi; sed à solo Deo infunditur, & quòd asserens oppositum est hæreticus. „

„ Quòd allegans judicialia veteris Legis, est eoipso hæreticus. Exemplum de ista: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, aut per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur.* Exod. XXI. 14.

„ Quòd demonstrata una propositione affirmativa universali, vel universaliter posita, hæc consequentia est irridenda à Logicis, & erronea: particularis negativa, quæ opponitur huic universali affirmativæ, est vera: ergò hæc universalis est falsa. „

„ Quòd nulla propositio quæ potest ad aliquem sensum verum trahi, vel opponi, etiam de vi Logicæ, vel Grammaticæ, debet comdemnari, maximè Judicio Fidei.

„ Quòd istæ non sunt condemnandæ: Populares possunt ad arbitrium suum corrigere Superiores suos. „ Temporales Domini possunt auferre bona Ecclesiasticorum

Digitized by Google

„ ticorum habitualiter delinquentium. Ratio, quia „ Deus potest concedere prædictis talem potestatem. „

„ Quòd nullus alligatur virtute juramenti præstiti, „ nisi ad illud duntaxat ad quod tunc advertebat „ actualiter, se volens obligare. „

„ Quòd iste terminus, præjudicium, est analogus ad „ præjudicium animæ quod est peccatum, & ad præjudicium corporis, seu temporale detrimentum, ideò concedenda est ista simpliciter, & Catholicè: Juramentum quomodocunque factum, si vergat in „ præjudicium jurantis, uxoris suæ, vel liberorum, „ non est tenendum. „

„ Quòd sensus Grammaticalis vel Logicalis est sensus „ litteralis sacræ Scripturæ, & ideò sæpè falsus. „

„ Quòd demonstratis aliquibus Assertionibus quas „ Joannes Theologus tenetur explicita Fide credere falsas esse, & contra sacram Scripturam: si dicat „ idem Joannes, quòd etiam Angelo de cœlo non crederet, si diceret eas esse veras, hæc est blasphemia, „ & Luciferiana superbia. „

„ Quòd demonstratis aliquibus Assertionibus quas „ Martinus Theologus, & Prælatus tenetur explicita Fide credere falsas esse, & contra sacram Scripturam, excusatur ab errore, vel hæresi, vel pertinacia, per protestationes conditionatas, dicendo, vel scribendo quòd vult stare judicio Concilii Generalis, „ quantùmcunque defendat interim quòd illæ sunt „ probabiles, & forsitan veræ, inducens ad hoc alios, „ & se opponens, ne damnentur. „

„ Quòd Assertiones eoipso redduntur probabiles, neque judicio Fidei veniunt reprobandæ; si habuerint Doctores deliberantes pro utraque parte. „

„ Quòd Propositio habens duos sensus, unum verum, & alium falsum, nullo modo debet judicio Fidei „ reprobari, etiamsi fuerit scandalosa, vel piarum au„ rium offensiva; vel ad errorem inductiva. „

„ Quòd Assertiones positæ per unum Doctorem in Theologia tanquàm pro Regulis, aut Maximis, aut veritatibus, ad inferendum Constitutionem aliquam, nullo modo sunt judicio Fidei reprobandæ, si possint ad unum sensum trahi, vel glossari, quamtùmcunque conclusio fuerit erronea, vel impia, licèt benè concedatur cum Hilario, quòd *Intelligentia dictorum, ex causis assumenda est dicendi.* „

„ Quòd dicens, se facere conformiter ad Legem divinam, naturalem, & moralem occidendo hominem, non eget alio Mandato Judicis cujuscunque; quoniam „ autorizatur a triplici Lege Prædicta, nec oportet „ quòd assignet expresse talem Legem. „

„ Quòd in occisione hominis non requiritur notorietas allegationum, seu probationum, quòd fecerit talia per quæ debuerat interfici taliter, & à tali sit occisus. „

„ Quòd fur nocturnus, quòd insidiator viarum, quòd „ hæreticus, & sortilegus occiditur meritoriè à quocunque &c. etiamsi potest horum quilibet duci ad „ Judicem suum, nec immineat certum mortis periculum occisori, propter quod ipse debeat vim vi repellere occidendo. „

„ Quòd occisio hominis, si fiat bona intentione, redditur justa, vel excusabilis; vocando intentionem bo„ nam zelum Legis, vel sui Principis. „

„ Quòd mors subita, & improvisa, ac villana quæ „ fit scilicet sine diffidatione prævia, potest, & debet „ meritoriè Christianis aliquibus, non judicialiter condemnatis, aut bannitis inferri, immò quòd hæc est propria mors aliquorum Christianorum. „

„ Quòd Fides quamvis sit hosti servanda, non tamen tyranno. „

„ Quòd sortilegia, & carmina sine tactu quocumque „ hominis contra quem fint, possint virtute sua ho„ minem occidere, non minùs quàm gladius defixus „ in corpore. „

„ Quòd ab hac Lege: *Non occides*, Exod. xx. 13. „ excipitur tyrannus, eò scilicet quòd occidendus est à quocunque, juxta illam Legem: *Maleficos ne patieris vivere.* Exod. xxii. 18. Et est tyrannus qui „ in Republica non jure principatur, aut principari „ conatur. „

„ Quòd Michaël occidit Luciferum æterna morte, „ sine Mandato Dei quocunque, vel alterius. Similiter Phinees occidit Zambri sine Mandato quoque Dei, vel alterius. Et similiter Moyses Ægyptium, & inde meruerunt. Et similiter Petrus volens occidere „ servum Pontificis. „

„ Quòd faciens confœderationes, & juramento con„ firmans multipliciter excusatur, si non intendat, aut „ vult eas servare, dùm hoc facit ut occidendus non „ sibi præcaveat, neque præcipiat, quòd debet occidi. „

„ Quòd quotienscunque aliquis faciens aliquam rem „ quæ est melior, licet juraverit illam non facere, hoc „ non est perjurium, sed perjurio contrarium. „

„ Quòd meritorium est quandoque occidere homi„ nem, vel occidi facere sponte, absque autoritate ju„ diciaria, & hoc extra casum necessitatis actualiter in„ stantis, seu periculi inevitabilis, nisi vis vi repelleretur occidendo, & seclusa revelatione divina. „

„ Quòd meritorium est quandoque occidere homi„ nem, vel occidi facere sponte, non sibi subditum, non „ monitum, non diffidatum, qui neque vim, neque „ mortem intentet actualiter. „

„ Quòd meritorium est, ut priùs occidere sponte ho„ minem ex solis conjecturis, seu factis quæ non habent „ evidentiam, vel notorietatem juris, vel facti. „

„ Quòd meritorium est quandoque occidere, vel occidi facere sponte hominem qui non intentat actua„ liter vim, vel mortem, ubi neque est accusator, neque „ testis, neque pars, neque Judex qui hoc mandaverit. „

„ Quòd meritorium est quandoque occidere, vel „ occidi facere sponte hominem modis prædictis, sic „ quòd potest cadere sub voto, juramento, vel præcepto, & ex consequenti suo debito, quòd sic fiat. „

„ Quòd meritorium est quandoque per insidias fal„ sas occidere hominem voluntariè, vel occidi facere, „ & per blanditas fictas, in quibus est usque ad mor„ tem deceptio. „

„ Quòd meritorium est quandoque immò debitum „ hominem Christianum facere subitò, & viriliter occidi sicut bestiam, præcludendo, quantùm in occidente est, salutem animæ spiritualem, & eò magis „ meritorium, quò fit à persona majoris status, atque dignitatis. „

„ Quòd meritorium est facere occidi hominem non „ accusatum, quia præsumitur sortilegia fecisse adver„ sùs Regem suum, supposito quòd non constiterit le„ gitimè de actu, vel non effectu hujusmodi sortilegiorum. „

„ Quòd meritorium est confœderationes deliberatè „ factas, & juratas non tenere, supposito quòd absque „ præjudicio, ac detrimento animæ valeant observari. „

„ Quòd qualibet lege datur cuilibet subjecto licen„ tia tyrannum occidere. „

„ Item peccat graviter quilibet subjectus habens opportunitatem occidere, & non occidit tyrannum. „

Et iterùm autoritate Legis divinæ, & exemplo „ Christi, cuilibet subjecto sine Superiori interprete li„ citum est tyrannum occidere. „

„ Quòd nulla novem Assertionum denunciatarum „ debet judicio Fidei reprobari; immò quamlibet il„ larum non fore judicio Fidei reprobandam, debet „ eodem judicio declarari: quia nulla est contra Scripturam sacram, inter quas tamen sunt istæ duæ, scilicet decima & nona. *Jus est, ratio, & æquitas quòd* „ *omnis tyrannus occidatur villanè*, [Gallicè vilainement] „ *per explorationes, & insidias. Et propria mors quæ de*„ *bent mori tyranni infideles, occidere scilicet eos per bo*„ *nas cautelas, explorationes, & insidias. In casu societa*„ *tis, juramenti, promissionis, seu confœderationis facta*-

rum

Digitized by Google

„ *rum ab uno milite ad alterum*, *quocunque modo istud fiat*, „ *aut fieri possit. Si contingat quòd istud vertatur in præjudicium unius promittentium*, *aut confœderatorum*, *sponsæ suæ*, *aut suorum liberorum*, *ipse de nullo tenetur eas observare.* „

„ Quòd nullus Episcopus potest de quæstionibus Fidei cognoscere, quantumcunque sint notoriæ, falsæ & scandalosæ, approbando, vel reprobando doctrinam; quia tunc faceret novos Articulos, quamvis benè possit, & debeat; hæreticos condemnare. „

„ Quòd non ideò propositiones spectant ad judicium Fidei approbativæ, vel reprobativæ, quia dicitur in eis aliquid licitum esse, vel illicitum; meritorium, vel demeritorium fieri secundùm Legem divinam. „

Sequuntur errores de alia materia.

QUòd justitia & sapientia in divinis sunt formalitates realiter distinctæ. „

„ Quòd receptio primarum Annatarum per Papam, & Dominos Cardinales nunquàm fieri potuit sine simoniaca pravitate. „

„ Quòd licuit Papæ, & Dominis Cardinalibus quærere solutionem primarum Annatarum ab illis qui beneficiabantur in Curia, vel alibi: sic quòd non expedirentur eis Bullæ, nisi priùs realiter, & de facto tales Annatas solvissent. Licuit etiam extorquere per arrestationem Bullarum, vel aliter, quod se omnibus propriis soluturos obligarent.

„ Quòd nulli quantumcunque multiplicati, possint condere Legem obligantem, nisi Summi Pontificis adveniat autoritas. „

„ Quòd Concilium Generale sine Papa nunquam habere potest potestatem, nisi limitatam, quoniam non est nisi suæ partes, quæ sunt Prælati habentes potestatem tantummodo limitatam. „

„ Quòd gladii spiritualis suprema potestas est in Papa legitimè præsidente, & residente totaliter, quoad executionem talis gladii, & non tunc in Concilio generali. „

„ Quòd gladii spiritualis suprema potestas residet in Ecclesia inseparabiliter quoad Jurisdictionem; separabiliter autem quoad executionem. „

„ Quòd gladii spiritualis suprema potestas sic est in Papa legitimè præsidente, & residente, quod ad approbanda, vel reprobanda in Ecclesia, solus ipse habet definire, & non Concilium generale. „

„ Quòd in Concilio Generali celebrato Jerosolymis super cessatione Legalium Petrus non præfuit, neque definivit, quia suspectus erat in illa materia, nec erat tunc legitimè præsidens, & residens.

„ Quòd omnis Papa conscius sibi quòd est, vel fuit hæreticus post Papatum, tenetur eoipso cedere Papatui, quia nullum jus habet in ipso, etiamsi de novo pœniteat, & secretum fuerit, & ita de quolibet Episcopo, vel in Ecclesia Beneficiato dicendum videretur. „

„ Quòd in omni Concilio Generali, in quo Papa legitimè præsidet, & residet, vox sua sic præponderat vocibus totius residui, quod nihil possunt definire sine eo, nec ipsum ad aliquid quomodolibet obligare. „

„ Quòd Papa, dùm accusatus est, licèt non convictus, aut damnatus, eoipso non legitimè præsidet, & residet, circa quæcunque definienda in Generali Concilio. „

„ Quod accusatio Papæ, & præcipuè mors ejus naturalis, aut civilis, reddunt saltem per indirectum, quòd Ecclesia, vel generale Concilium, majoris sit potestatis in executione & definitione, quàm Papa nec accusato, nec mortuo. „

„ Quod mendicitas est unicum, vel præcipuum medium prædicationis verbi Dei, quoniam teste Christo *Matth.* XIII. 7. 8. Spinæ; quæ sunt divitiæ, suffocant semen quod est verbum Dei, & quòd profectò soli Mendicantes prædicant, quia *pauperes Evangelizantur.* Luc. 7. 22. „

„ Quòd Papa non est immediatus Prælatus omnium Fidelium nec sponsus Ecclesiæ universalis, seu solius Romanæ: alioquin qualibet Ecclesia Cathedralis haberet duos sponsos, Papam, & Episcopum. „

„ Quòd Papa est sic immediatus Prælatus omnium Fidelium, quòd potest pro libito per se, vel alios commissos omnia exercere licitè quæ potest quicunque Prælatus, vel Curatus inferior, etiam ubi non subest necessitas propter defectum inferiorum, neque rationabilis utilitas. „

„ Quòd omnis, qui glossare, defendere, seu tenere præsumpserit undecim Articulos positos in prætensa Bulla Mendicantium, quæ sic incipit: *Regnans in excelsis:* & ille tanquam hæreticus est censendus, & per invocationem brachii sæcularis coërcendus, non obstante statuto Concilii generalis: *Omnis utriusque sexus*; quorum tamen Articulorum plures includunt illa quæ solius facti sunt, nec sub Fide cadunt, quos insuper, si concordari debeant, glossare necesse est. „

„ *Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confessiones*, *eadem peccata qui confessi fuerint*, *iterum confiteri proprio Sacerdoti tenentur.* „

„ *Stante statuto:* Omnis utriusque sexus: *edito in Concilio generali*, *Romanus Pontifex non potest facere quòd parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in Anno proprio Sacerdoti*, *quem dicit esse parochialem Curatum; nec Deus posset hoc facere*, *quia* (ut dicebat) *implicat contradictionem*: *Papa non potest dare licentiam generalem audiendi Confessiones*, *sed nec Deus*, *quin confessus habenti licentiam generalem teneatur iterùm eadem peccata confiteri suo proprio Sacerdoti quem dicit* (ut præmittitur) *parochialem Curatum.* „

„ *Confessus Fratri admisso in forma* Dudum *tenetur eadem peccata in numero iterùm Curato confiteri*, damnatur per Joannem Papam. XXII. in Statuto, quod incipit; *Vas electionis.* „

„ Conclusiones Joannis de Poliaco damnatæ per Joannem XXII. sunt satis veræ, & à quocunque licitè possunt sufficienter teneri. „

„ Statutum Joannis. XXII. editum *Vas electionis*, est irritum, & inane, quià cùm illud fecit, hæreticus erat & per consequens quicquid quod fecit dictus Joannes, sive Mendicantibus sive aliis, antè revocationem inane fuit. „

„ Stante statuto: *Omnis utriusque sexus*: nec Deus, nec Papa de potentia potest facere, quin confessus Fratri Mendicanti admisso, iterùm teneatur confiteri suo Curato. „

„ Confessio Fratribus admissis facta, est dubitabilis & incerta, quà propter homines tenentur dimittere incertum, & sic solùm confiteri suis Sacerdotibus, curam animarum habentibus, sub pœna peccati mortalis. „

„ Quàmvis Fratres admissi habeant autoritatem absolvendi, & audiendi Confessiones, tamen populus subjectus non habet potestatem accedendi ad Mendicantes admissos sine licentia proprii Sacerdotis. „

„ Fratres petentes Privilegia pro Confessionibus audiendis, & sepulturis habendis, sunt in peccato mortali, & Romani Pontifices talia Privilegia concedentes Mendicantibus, aut eisdem confitentibus confirmantes, sunt in peccato mortali & excommunicati, & non fuerunt Pastores, sed fures, latrones, & lupi. „

„ Sacerdos Curatus dans licentiam Mendicantibus audiendi Confessiones, magis dispensat cum statuto Ecclesiæ: *Omnis utriusque sextus*, quàm Papa Fratribus dans licentiam Mendicantibus juxtà formam Decretalis: *Dudum.* „

„ Quòd nulla propositio seu constitutio infrascriptarum octo deviat à vera & sana doctrina Fidei, sed à quolibet Catholico proponi, & recipi potest, absque eo quod potuerit, vel possit à quoquam zelum Fidei habente, & sanè intelligente, de errore vel scandalo, & in sana doctrina reprehendi, prout ex tenore earum apparet evidenter. „

Prima

Digitized by Google

Prima prætensa veritas seu Propositio.

„Quilibet subjectus, & vasallus, qui per cupiditatem, fraudem, sortilegium, & malum ingenium, „machinatur contrà salutem corporalem sui Regis, „& superioris Domini, pro tollendo sibi, & subtrahendo ab eo suam nobilissimam, & altissimam dominationem, peccat tam graviter, & committit A „tam horribile crimen, sicut est crimen læsæ Majestatis in primo gradu. Et per consequens est dignus „duplici morte, & prima, & secunda; quia quilibet „subjectus, & vasallus, sic faciens est tyrannus infidelis suo Regi, & Domino superiori, peccatque „mortaliter. Probatur autoritate B. Gregorii dicentis: „*Tyrannus est, qui in Republica non jure principatur, aut „principari conatur. Nam sicut regnum rectus principatus „dicitur, sic & tyrannis dominium perversum nuncupatur.*

„Licet in casu prædicto quilibet vasallus, & subjectus, sit dignus duplici morte, & committat tam „horribile crimen, quòd non possit nimis puniri; tamen plùs puniendus est unus miles, quàm unus simplex subjectus; & in isto casu unus Baro, quàm „unus simplex miles; & unus Comes, quàm unus „Baro; unus Dux, quàm unus Comes; cognatus „Regis, quàm extraneus; Frater Regis, quàm cognatus; & Filius Regis, quàm Frater. In casu B „prædicto licitum est unicuique subjecto sine quocunque mandato, aut præcepto, secundùm Leges, naturalem, moralem, & divinam, occidere, aut facere occidi illum eumdem proditorem, infidelem, „& tyrannum. Et non solùm est licitum, sed honorabile, & meritorium; maximè quando est tam „grandis potestatis, quòd justitia non potest de eo fieri bono modo per Superiorem: & quando perseverat in sua malitia, nec se vult corrigere, nec emendare, & specialiter quando est periculum in mora.

„In casu supradicto magis honorabile, licitum, & „meritorium est, quòd ille tyrannus infidelis sit occisus, aut fiat occidi per unum de parentibus, & subjectis dicti Regis, quàm per unum extraneum, qui „non est de sanguine Regali; & per unum Ducem, „quàm per unum Comitem; per unum Comitem, „quàm per unum Baronem; per unum Baronem, „quàm per unum simplicem militem; per unum militem, quàm per unum simplicem subjectum. In C „casu allegantiarum juramentorum, promissionum, „& confœderationum factarum militis ad alterum, „quocunque modo sit, aut esse possit; si contingat, „quòd eas servare vergat in præjudicium sui Principis, ejus sponsæ, suorum liberorum, aut Reipublicæ; non tenetur talis miles eas observare: immò „in tali casu eas servare, & tenere, esset facere contrà Leges, moralem, naturalem, & divinam. Si „contingat, quòd dictæ allegantiæ vergant in præjudicium animæ, vitæ, aut alterius promittentium, „& confœderatorum, suæ sponsæ, aut suorum infantium; ipse de nullo tenetur eas servare. In casu „prædicto licitum est unicuique subjecto, honorabile, & meritorium, occidere, seu occidi facere supradictum tyrannum, proditorem, & infidelem suo „Regi, & superiori Domino, per astutias, cautelas, „& insidias. Est enim licitum dissimulare, & tacere D „suam voluntatem sic faciendi.

„Quilibet subjectus, & vasallus, qui à proposito „deliberatè machinatur contrà salutem sui Regis, & „superioris Domini, pro faciendo ipsum mori in languore, cupiditate habendi suam coronam, & dominationem, facit consecrari, aut magis propriè execrari in nomine dæmonum enses, dagas, pugiones, „aut cultellos, virgas, aut annulos aureos facit dedicari in nomine dæmonum per necromanticos facientes invocationes, characteres, sortilegia, superstitiones & maleficia: & post facit apponi, & figi per corpus mortui, dissuspensi de patibulo, & „dictos annulos facit poni in ore mortui prædicti, facit dimitti spatio plurium dierum cum grandi abominatione, & horrore, pro perficiendis dictis maleficiis: & unà cum hoc portat suprà se in uno panniculo ligato, & consuto, de ossibus, & pilis loci „inhonesti dicti mortui dissuspensi; ille, & omnes, „qui hoc faciunt, non solùm committunt crimen „læsæ Majestatis humanæ in primo gradu, immò „committunt crimen læsæ Majestatis divinæ etiam in „primo gradu, & sunt proditores, & infideles Regi suo, & Deo suo Creatori, & sicut idolatræ, & „corruptores falsarii Fidei Catholicæ sunt digni duplici morte, & prima, & secunda: maximè quando dicta sortilegia, superstitiones, & maleficia sortiuntur suum effectum in persona Regis per medium „pravæ crudelitatis dictorum machinatorum, invocatorum, & necromanticorum.„

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

DIALOGUS APOLOGETICUS CUJUS COLLOCUTORES SUNT VOLUCER & MONICUS,

Ut *in Consolatione Theologiæ* servatum est.

Ad MS. Cod. unum Navarricum.

VOLUCER.

REm inquirimus, ô Monice; quam nec paucis diebus, nec ullis penè verbis explicare fas mihi est. Petis, cur terminata per generale Concilium non fuerit caussa Fidei contrà doctrinam pestiferam, jubentem tyrannos per insidias interfici, per quoslibet etiam privatos, ordine Juris, nec divini, nec humani servato, & confœderatione qualibet non obstante. Ego Synodum non incuso, quam revereor, & veneror; sed plurimos in Synodo conversantes excusare non valeo, quos animæ passiones, & pestes improbæ (quibus mos est, cathedram humani subvertere judicii) fefellerunt, & errare fecerunt alios in invio, & non in via; alios malè dissimulare, vel negando justitiam, vel id quod credere debuerant ad justitiam, non ore confitendo ad salutem; alios absurdescere ad salutarem illam Jacobi jussionem: *Nolite, fratres, in personarum acceptione habere Fidem Domini nostri Jesu Christi.* Jacobi. II. I. Si quidem fuit apud aliquos impudentissima personarum acceptio, dùm eadem Fidei caussa, isti damnati sunt, alii pertransiti.

Monicus. Fuerat igitur tutius, ô Volucer, atque consultius, non quæsisse judicium à talibus, quàm exponere *sanctum canibus*, & projicere *margaritas antè porcos.* Matth. VII. 6. Quin etiam advena noster, nonne debuerat priùs sedens computare, si sumptus ei, si suffragia Coadjutorum pro re tanta suppeterent? ne cùm non potuerit perficere, jure ceciderit in illud improperium: *Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc. XIV. 30.

Volucer. Urges vehementer, ô Monice, & in has me trudis angustias, ut quid responsurus sim, non satis inveniam? Itaque si justificationem advenæ nostri suscepimus, poterimus id quidem in multis, speramus, perficere; sed ignominiam oportebit & turpitudinem revelare nonnullorum, quos colere, quosque reve-

Digitized by Google

revereri, quos diligere, status suus & societas efflagitat.

Monicus. Debuerant circumspici priùs talia diligenter, ne in re tanta quæreretur post exitum turpis illa, nec admittenda penitùs excusatio, *Non putavi.* Est enim circumspectio pars maxima prudentiæ, quæ suæ considerationis oculos circumgyrat, nedum in illa quæ de se licita sunt, sed quæ, circumstantiis omnibus attentis, ut tempore, loco, & personis, expediunt. Sunt enim quædam licita, quæ circumstantiis obstantibus ideò non expediunt; quoniam expediri non possunt, & ad debitum consummationis finem induci.

Volucer. Agis, ô Monice, juxtà vulgi proverbium: *Post reditum à Judicio, vel à Foro, sapienter consulis:* quippe si de generali Concilio, si de hominibus ipsum constituentibus, si de Studiis, ac Universitatibus penè totius Christianitatis habentibus ibi Legatos suos, si de Coadjutoribus ad prosequendum, si de Commissariis ad examinandum caussas omnes Fidei, si de sacro Dominorum Cardinalium Collegio, seu Romana Curia suspicandum malè fuerat; de ministratione Justitiæ curreret impugnatio vel accusatio tua, præsertim quia generale Concilium fuerat specialiter celebratum ad hunc finem extirpationis hæreseum, & errorum: & hoc ab initio sic attentatum est fieri, ut detinerentur etiam errantes in carcere, quorum aliqui postmodùm ignibus traditi sunt. Primitùs enim Bohemi; dehinc Anglici detulerant errores Wicleff: Bohemi circiter quadraginta quinque, Anglici plus quàm ducentos; pro quorum reprobatione zelavit publicè advena, & quantùm alter aliorum. Videat autem prudentia tua, si non existimare justum erat, nec temerarium, non minori diligentia, zelo, vel constantia procedi debere ad damnationem doctrinæ, magis in moribus & Republica pestiferæ, & hoc omni tergiversatione, vel personarum acceptione rejectis? Adde, quòd serenissimus Rex Romanorum præcipuus ab initio promotor extitit, ut hæc eadem doctrina tanquam Principibus planè adversa damnaretur, sicut ostendit in assecutione damnationis unius Articuli, vel assertionis continentis totam in effectu doctrinam hanc omni publicæ rei capitaliter inimicam, cujus damnationis tenor est: *Præcipua sollicitudine, volens hæc sacro sancta Synodus, ad extirpationem hæreseum, & errorum in diversis mundi partibus invalescentium procedere, sicut tenetur, & ad hoc collecta est: nuper accepit, quòd nonnullæ assertiones erroneæ in Fide, ac bonis moribus, ac multipliciter scandalosæ, totiusque Reipublicæ statum & ordinem subvertere molientes, dogmatizatæ sunt; inter quas hæc assertio delata est:* „Quilibet tyrannus potest, ac debet licitè, ac „meritoriè occidi per quemcunque vassallum suum, vel „subditum, etiam per insidias, & blanditias, vel adulationes, non obstante quocunque juramento, seu confœderatione cum eo, non expectatâ Sententiâ, vel „Mandato Judicis cujuscunque. „ *Adversùs hunc errorem satagens hæc sancta Synodus insurgere, & ipsum funditùs tollere, præhabita deliberatione matura, decernit, declarat, & definit hujusmodi doctrinam erroneam esse in Fide & moribus, ipsamque tanquàm hæreticam, scandalosam, seditiosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat, & condemnat. Declarat insuper, decernit, & definit, quòd pertinaciter doctrinam hanc perniciosissimam asserentes, sunt Hæretici, & tanquam tales, juxta legitimas & canonicas Sanctiones puniendi.*

Monicus. Dùm etiam atque etiam recogito, Volucer, verba sacræ Synodi, quemadmodùm fatetur se præcipua sollicitudine destructionem hæreseum, & errorum debere prosequi, quemadmodùm prætereà severi censurâ Judicii damnavit hanc assertionem (quæ totam ferè complectitur doctrinam novem assertionum denuntiatarum, cum propositione undè fideliter exceptæ sunt) non invenio rationabilem suspicionis caussam fuisse fingendam quin & Concilium damnans, & res permanens, & Doctorum cœtus consulens, debuissent ad ulteriora procedere: si autem aliter, vel cur acciderit, omitto quærere. Hoc ad præsens inquiro, cur advena noster præ ceteris in hac prosecutione notatus est.

Volucer. Nosti, Monice, quid ad Officium Cancellariæ Parisiensis, cui deservit, spectat in Fidei materiis; nosti professionem suam; expertus es qualemcunque zelum suum ad ea quæ Religionem nostram respiciunt: scis quàm liber est ab omnibus vinculis mundanæ necessitatis, quatenùs possit ampliùs, præparato animo, pro veritate certamen habere. Talis est insuper, de quo justitia (si non rectè ambulaverit ad veritatem Evangelii) valeat fieri absque perturbatione aliorum, seu Reipublicæ, viâ facti, prout aliàs coram inclyta natione Franciæ uni militum palàm dixit. Scis nihilominùs, quòd à Christianissimo Rege Francorum, & à præclarissima filia sua Universitate Parisiensi, imò & ab Ecclesia Gallicana, pro Provincia Senonensi delegatus extitit ad generale Concilium, sub certis instructionibus & Literis; quæ prosecutionem materiarum Fidei, hujus nominatim, nec non unionis Ecclesiasticæ, sed reformationis morum in capite, & in membris multipliciter imponebant.

Monicus. Esto, sic fuerit: accepi nihilominùs emanasse posterius Mandatum à Rege, dùm de tractatu pacis in Francia fuisset agitatum, quòd hæc materia non exponeretur coram sacro Concilio, ita tamen, si pars adversa vellet desistere.

Volucer. Monice, jam esse res integra cessaverat, jam commissio tribus Dominis Cardinalibus etiam antè adventum Ambassiatorum Regis ab adversa parte petita fuerat, & obtenta. Serenissimus prætereà Romanorum Rex hanc materiam, ut sciretur veritas, voluit in medium deduci, sicut ex Litteris sigillo suo signatis, ac per illa quæ palàm operatus est coram Judicibus Fidei personaliter comparans perspicuum est, & ex prædicta condemnatione, *Quilibet tyrannus*, &c. redditur manifestum.

Monicus. Attende, Volucer, ne dùm prosecutionem primò factam justificare vis, culpes eam quæ postmodùm facta est, prosecutionis omissionem; maximè post electionem canonicam, & legitimam Summi Pontificis.

Volucer. Recordare quid anteà dixeris, quòd in omnibus circumspectio tenenda est, ut pensetur, nedùm quid verum, vel justum sit; sed quid expediens: nam variata circunstantiarum qualitate, verè, vel æstimativè, non erit vitiosum si mutetur in diversa, vel adversa consilium, quemadmodùm Terentianus senex ex se refert.

Monicus. Undè cognitum, ô Volucer, plùs quàm anteà, quòd non erat expediens prosecutionis continuatio.

Volucer. Ah Monice, quæso, ne tale aliquid scrupulosè nimis quæsieris, quod, ut prænotatum est, nullis verbis exequi potest, nec cum modestia quæ neminem lædere vult, nudè tradi: oro patere germanum tuum, patere potiùs, morsibus aliorum, quàm alios ipse mordere videatur.

Monicus. Expostulatio tua rationabilis videretur, si tantummodò de personæ læsione, vel jactura nunc ageretur; veritatis verò, & talis veritatis æquo animo quis sustinuerit detrimentum fieri, ut personarum quarumdam operiatur, vel ignominiâ, vel culpâ?

Volucer. Nonne satis videtur pro triumpho veritatis, quòd nulla adversùs eam, post tot agitationes & pertractiones, lata est Sententia quæ præsertim in rem transierit judicatam; quæ prætereà diceret ea quæ veritatis erant læsa esse, protestantibus hoc ipsum per Litteras suas ad Christianissimum Franciæ Regem, tribus

Digitized by Google

bus Cardinalibus qui circumventi, prætensam tulerant Sententiam, super nullitate Sententiæ Episcopi Parisiensis: de qua re latiùs alibi. Manet igitur in robore suo detestatio falsitatis, & hæreticæ pravitatis: manet approbatio tam solemnis sacræ Theologicæ Facultatis in Universitate Parisiensi, cui centum & quadraginta unus Theologi se manibus propriis subscripserunt: manet similis approbatio præclaræ Facultatis Decretorum in eadem Universitate, quæ similiter in se tota pondus approbationis suæ dedit sub Litteris patentibus: manet authenticum valdè Parlamenti Regii Decretum, vel Arestum hujusmodi doctrinæ, cum tota propositione Joannis Parvi capitaliter damnativum: manent Deliberationes solemnissimorum Theologorum de diversis Studiis, quos perversa non subvertit affectio: manet denique Judicium sacræ Synodi generalis integrum, quæ sub silentio, damnationem prædictarum assertionum non reprobans, approbavit; juncto quòd in damnatione tam severa hujus assertionis, *Quilibet tyrannus*, *&c.* voluit satis intelligi aliàs hujusmodi, velut in sua radice, damnasse; quæ radix est, ut neminem alter occidat autoritate propriâ, quantumcunque sceleratum, neque jusjurandum propter incommodum temporale sui, vel suorum, violetur.

Monicus. Sed quid de Deliberationibus quorumdam Mendicantium cum magno numero respondebis, quos dicunt, facta in unum conventione, se cuidam schedulæ subscripsisse, quam sigillaverunt sigillis Generalium de quatuor Ordinibus, ut prætendunt: ubi deliberant (sed in sacco & tenebris) assertiones istas non esse judicio Fidei reprobandas, imò sentiendum esse quòd ad Fidei judicium non pertinent. Neque enim in hanc insaniam ausi sunt prosilire, ut apertè dicerent, quòd veræ sunt: gloriatur tamen adversa pars, tanquàm eas deliberaverint veras esse.

Volucer. O si scires omnia, Monice, quæ circà processum talem emerserunt, nunc istis, nunc aliis viis; imò inviis & exorbitantiis, ebiberet spiritum tuum vehemens indignatio, qualia non prosequor, ne satyram, vel tragœdiam aggressus esse videar. Hoc unum scire potuisti, quòd prædicta deliberatio conspirata, fuit tandem oblata coram toto Concilio, tanquam hæreticalis, aut de hæretica pravitate vehementer suspecta, sub protestatione solemni facta per advenam nostrum, quam tunc nomine Regis & Ambassiatorum suorum proposuit, de subscribendo se ad pœnam talionis, si aliqui quantumcunque multiplicati, contrarium vellent sustinere. Quinetiam sacræ Theologiæ Facultas Parisiensis, dùm ad ipsam schedula talis delata est, pro parte dicti Christianissimi Francorum Regis, suaque deliberatio quæsita, reprobavit eam multiplici ac efficacissima ratione, sub patentibus Litteris sigillo suo munitis. Non igitur potest adversa pars gloriari de pluralitate majori Theologorum, neque numero.

Monicus. Scire velim si post assumptionem Summi Pontificis aliqua saltem eorum, quæ modò commemoras, in favorem causæ Fidei Regis, ac Universitatis, fuerint intimata, vel suggesta.

Volucer. Nolo, Monice, de Sanctissimo Domino nostro, & Christo Domini, velut os in cœlum ponendo, loqui; collaterales nihilominùs habuit, quos in hac, & similiter materia tangente Dominos Polonos, processisse dicunt aliqui minùs diligenter in favorem Catholicæ veritatis, qui neque verbis, neque scriptis exhortatoriis, ad prosecutionem, seu terminationem potuerunt accendi. Testis tibi sit schedula multis ostensa, quam hîc placet inserere sic habentem: *Considerent Zelatores Christianæ Religionis, & honoris Domini nostri Papæ, ac hujus Sacri Concilii, si Articulus secundus principalis convocationis hujus Concilii, qui est super hæresûm & errorum extirpatione, non tractetur, vel expediatur; præsertim in materiis solemniter denuntiatis, & multipliciter agitatis in hoc Sacro Concilio, qualiter hoc varii variè potuerunt imputare. Quidam ad negligentiam in re tanta, atque præcipua sollicitudine tractanda, prout fatetur Concilium in damnatione hujus,* Quilibet tyrannus. *Alii ad ignorantiam, quòd de paucis propositionibus, quæ non sunt de apicibus Fidei, non decreverunt quid secundùm doctrinam sacræ Scripturæ tenendum sit; an videlicet veræ sint, vel falsæ; sanæ, vel insanæ, approbandæ, vel reprobandæ; Alii ad personarum acceptionem & humanum timorem, seu formidinem, & ad illorum (contrà quos hic processum est in Fidei materiis, quemadmodùm sunt Bohemi) remurmurationem: Alii ad apertam justitiæ denegationem in materia Fidei & morum, seu culpabilem dissimulationem: Alii ad Prælatorum, & aliorum avaritiam quærentium in Ecclesiastica reformatione* quæ sua sunt; *vel utilia*, non quæ Jesu Christi, Philip. II. 21. *vel spiritualia: Alii ad Regum, Principum, & Universitatum qui promoverunt prædictas materias vilipensionem & indignationem, ut fuerunt Rex Francorum, Rex Polonorum, & Universitas Studii Parisiensis, & plures aliæ: Alii ad autoritatis Prælaticæ (super hæresibus extirpandis in suis Diœcesibus) enervationem, & ad Curiæ Romanæ in eisdem erroribus extirpandis notoriam omissionem: Alii ad sordidam multorum in hoc Concilio, uno, vel alio modo corruptionem: Alii ad omnium quæ facta sunt in Concilio, scandalizationem, vel infirmationem: Alii ad Legatorum, Regum, & Universitatum qui ex injunctione, vel instructione facta eis promoverunt, & promovere debuerunt prædictas materias, negligentiam culpabilem: Alii ad Theologorum & Prædicantium veritatis Fidei periculum & depressionem, ubilibet per Christianitatem, maximè dùm errantes fuerint potentes, & Principes: Alii ad homicidiorum, proditionum, perjuriorum, seditionum nutritionem, seu justificationem; maximè dùm bella fundantur in sustinendis erroribus: Alii ad hæreticantium & errantium non emendationem, sed obstinationem, nec ad fraternam, seu judicialem, vel paternam correctionem, sed violentiorem effrenationem: Alii ad obedientiæ generalis præstari debitæ modò summo Pontifici (fortassis quod absit) periculosam dilationem, apud multos Christianitatis Principes, aut populos: Alii ad Clericorum apud laïcos, imò & apud fideles, & paganos, & præcipuè Petrum de Luna, & suos fautores, subsannationem, vel irrisionem; quòd in materiis vulgò notissimis, quæ sunt ipsa præcepta moralia, aliter patiuntur errare, & diversa sibi invicem pertinaciter asserere, in præsentia generalis Concilii, in tantùm, ut sub Summo Pontifice, quem omnes pro extirpatione errorum præstolabantur, major dissimulatio suboriri videatur: Alii denique (quod omnium gravissimum est) ad offensam Dei, in desertione defensionis Catholicæ veritatis, imò & fautoriam hæreticæ pravitatis, dùm scilicet error, cui non resistitur, approbatur.*

Testes autem invocant hujus schedulæ compositores cœlum & terram, quòd non ad diffamationem cujuscumque, vel irritationem; sed ad propriarum animarum liberationem, & ad obviandum prætactis & consimilibus scandalis (si non hoc durante Concilio occursum fuerit) eventuris, ista scribunt, atque notificant; parati voce publica latiùs hæc omnia deducere, si ità placitum fuerit Domino nostro Papæ.

Monicus. Qualis data est ad inconvenientia provisiva responsio.

Volucer. Nulla prorsùs, sed in deteriora continuè res lapsa est, usque adeò, quòd pro parte Dominorum Polonorum interjecta est tandem appellatio ad futurum Concilium: cui appellationi cùm respondendum esset, lecta est, ut dicitur, in Consistorio generali & publico, quòd ultimò Constantiæ celebratum est, Minuta quædam sub forma Bullæ, destruens (ut asserunt, qui legerunt eam) fundamentale penitùs robur, nedum Pisani, sed Constantiensis Consilii, & eorum omnium, quæ in eis, præsertim super electione Summi Pontificis, & intrusorum ejectione, attentata, factave sunt. Continebat itaque, in nullo casu licere appel-

Digitized by Google

appellationem à Papa facere, nec ejus Judicium in causis Fidei declinare: planè contrà Legem Dei, Decretaque Concilii. Sed tam cæca semper est affectio, quæ non zelat veritatem, tam semper sibi contrarians, & dissona veritati mens adversa.

Monicus. Vellem pleniùs agnoscere, qualis ex integro fuerit hæc Polonorum causa; neque enim illa leviter crediderim quæ postremò subintulisti: quamvis de occisione omnium Polonorum facienda, absque Lege, vel Ordine; ipsis nec auditis, nec defensis, audierim.

Volucer. Possum quæ brevibus perstrinxi verbis, ea scriptis multiplicibus edocere, quorum aliqua suis titulis seorsùm notabo: res enim prolixa est, & ad alia te vocat, sentio, præsens dies. Dabo prætereà titulos quorumdam ex Opusculis germani tui, plurimis omissis quæ vel memoria non tenet, vel utilitas non tanta est. Ità enim fas erit tibi, vel alteri cui placuerint, illa sub collectorio uno, seu pluribus scriptis dare.

Monicus. Gratam mihi rem feceris, Volucer. Dicito nihilominùs anteà, qualis de natura Concilii sit fratris existimatio: instructus quippe est, nedum ex literis, vel historiis; sed ex ipsa, quæ doctrix est efficax, experientiâ, utpotè qui novissimo huic Constantiensi Consilio continuus astitit, quod numerositate convenientium, quod agendorum arduitate, quod sui præsertim duratione maximum suprà cætera fuit; quoniam per Triennium cum sex ferè Mensibus protensum est.

Volucer. Si pondus doctrinæ, vel eruditionis haberet existimatio peregrini nostri apud alios, qualem facit amor apud te, rem exigeres cognitione non indignam, nec inutilem fortassis posteritati: sed neque plenè didici suam in omnibus quæ gesta sunt, vel opinionem, vel sententiam; quàmvis plurima scriptis reliquerit de potestate Concilii, & ipsius qualitate. Sua fuit insuper conversatio assiduè cum illo Præceptore suo, quem sapientissimum, & prudentissimum, nemo dubitaverit; (Cardinalem Cameracensem dico) poterit ille multò doctiùs, & salubriùs, cum autoritatis pondere super hac re, vel verbo, vel scripto tradere, qui cognovit. Hoc unum scio, quòd zelus habendæ unionis in schismate tam desperato, tantique temporis, fecit multa tolerari, quæ fuissent aliundè nec tolerabilia nec toleranda. Video quòd Ecclesiæ reformatio nunquàm fiet per Concilium, sine præsidentia ductoris affectati, benè prudentis simul & constantis; provideant sibi, dum sciverint, & potuerint membra per provincias, aut regna, non quidem in multiplicatione Constitutionum novellarum, hoc magis interturbat quàm adjuvat; sed per executionem vivacem, & virilem earum Legum quæ jam latæ sunt abundantissimè, supervacuis etiam resecatis, vel omissis. Video, quòd in doctrinis quæ Fidem, quæ Religionem, quæ bonos & salubres respiciunt mores, vix invenietur in hac tempestate (rebus, ut sunt, manentibus, nec habito forti favore potentiæ sæcularis) terminatio debita, vel expedita justitia. Experto crede, neque deductionem pro nunc aliam pete, neque de remediis apponendis verbum feceris surditati; *Ubi non est auditus*, jubet Sapiens, *non effundas sermonem*. Eccli. XXXII. 6.

His interim contentus; habes enim *De Theologica consolatione* grandius Opusculum; tecum habita, gratus Deo, qui te segregavit ab his sollicitudinibus, & pro ceteris in potestate constitutis ora, compatiens, flens, & lugens.

Monicus. Concesserit ita Deus; benè vale, Volucer, præcavens viæ casus: salutaverisque nomine meo fratrem, monens eum sedulò circumspicere vigilanter, quemadmodùm *in medio nationis pravæ*. Philip. II. 15. vivendum sit.

Volucer. Et tu benè valeto, Monice, nostri memor in orationibus tuis.

FINIS.



JOAN.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI SECUNDI

PARS TERTIA

CONTINENS

TRACTATUS

Qui spectant ad

FORUM POENITENTIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DE


POTESTATE LIGANDI & SOLVENDI DIALOGUS

MONITUM

In Exemplari, isti Dialogo titulus non erat inscriptus ex negligentia: sed ut mihi videtur, Dialogus est Discipuli dubitantis & sciscitantis, & Magistri respondentis & explanantis, &c.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 699.

DISCIPULUS.



Um Christus dederit potestatem ligandi & solvendi principaliter Petro, & similiter omnibus Apostolis & successoribus, quæritur, unde dicatur hæc potestas?

Magister. Sicut cognitio nostra rationalis incipit à sensu, sic impositio nominum sumpta est à rebus exterioribus. Dicitur autem aliquis ligatus corporaliter, quandò non potest exercere convenientes operationes in toto vel in parte, ut ligatus pedes & manus, non potest operari manualiter, nec ambulare. Dicitur autem solvi, dùm tolluntur vincula, & redditur suæ libertati, quâ possit liberè uti membris suis. Tractum est inde nomen ligationis ad spiritualia, & similiter nomen solutionis vel absolutionis; ut dicatur anima rationalis ligata, quandò non potest uti liberè legitimis actibus convenientibus suæ conditioni. Sic dicitur somnus ligare sensuales aut intellectuales operationes, quas vigilia solvit. Sed magis ad inquisitionem tuam, Superior Judex ita dicitur per Sententiam suam judicialem pœnalem ligare subditum, dum tollit ab eo liberam facultatem aliquid civiliter exercendi. Absolvit verò dum facultatem aliquid hujusmodi restituit.

Discipulus. Placet quòd protinùs ad compendium descendis. Sed dic si potestas prædicta ligandi & solvendi sunt claves Ecclesiæ, vel claves de quibus dictum est Petro: *Et tibi dabo claves regni cœlorum?* Matth. XVI. 19.

Magister. Quamvis differentia multiplex assignari possit, accipiuntur aliquandò synonimè per Doctores juxta præfatam transsumptionem. Nam sicut clavis materialis aperit & claudit, sic spiritualis suo modo. Sed quia vis breviari sermonem, neque de clavibus hujusmodi perfectum habere Tractatum necesse est, propter alia quæ de Potestate Ecclesiastica latius habes A tractata. Coarctabitur hîc etiam nunc sermo de Potestate ligandi & solvendi judicialiter per sententias latas ab homine vel à Jure, judiciali seu juridicâ. Et describitur in primis, quid est Sententia?

Sententia in genere, secundùm Philosophicam nominum impositionem & modos significandi grammaticales, immò metaphysicales, dicitur esse determinata acceptio alterius partis contradictionis. Et derivatur à *sentio. tis*, quia sententias ita sentit, nec pertinet nisi ad utentes ratione. Differt autem à consilio, sicut conclusio ab inquisitione. *Ethic.* III. secundùm Philos. Un- B de consilium est quæstio vel inquisitio resolutoria super mediis aptis ad consecutionem finis intenti. Sententia verò est determinata acceptio alterius partis, quæ in disceptatione vel consilio versatur. Et hoc aliquandò facit homo solus secum super propriis agibilibus. Inde est illud apud Job: *Sententiam labia mea loquentur*, Job. XXXIII. 3. Et apud Comicum stat Sententia, & in Proverbiis: *Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus Sententias*, Prov. XXVI. 16. cum multis similibus. Unde nominatur Liber Sententiarum.

Attamen & sæpius & rei nostræ viciniùs Sententia dicitur conclusio præconsiliata per plures judicando. C Et convenit synonymè cum Judicio quod fertur post consilium: juxta verbum Christi ponentis gradus inter pœnas iræ debitas. *Qui irascitur fratri suo*, inquit, *reus erit consilio; qui autem dixerit Fratri suo Racha, reus erit Judicio; qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*, Matth. V. 22. Est itaque, secundùm glossas, minus

Digitized by Google

minus grave, quòd pœna utatur adhuc in consilio, quàm dum determinato subjacet Judicio, deinde omnium gravissimum, quod Judicii fiat executio. Et est Sententia sic accepta Decretum vel Dictamen vel Judicium Superioris, per quod vult legitimè subditum suum per pœnam ligari, vel à pœna liberari propter Deum. De tali Sententia & Judicio jubet Dominus in Exodo: *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies*, Exod. XXIII. 2. Et in Ecclesiaste, *Quia non profertur citò contra malos sententia, Filii hominum absque ullo timore perpetrant mala*, Eccle. VIII. 11. Et in Evangelio Joannis: *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate*, Joan. VII. 24.

Discipulus. De Judicio & Justitia repletur ipsa Sacra Scriptura, ac perinde potest uberius agnosci quid sit judicialis Sententia, & quemadmodùm Sententia idem est cum Judicio. Sententia autem duplex est, quædam ligans vel obligans, alia solvens vel absolvens. Claret insuper quomodò Sententia ferri debet legitimè, id est conformiter ad Legem, præsertim divinam, & quòd in obscuris aut dubiis prævium sit consilium, & ut præ oculis Deus semper habeatur tanquam finis omnis finis. Sed oritur quæstio consequenter, si quilibet Judex qui potest ferre Sententiam judicialem ligantem, potest eâdem autoritate ferre solventem?

Magister. Potestas, de qua loquimur, non est potestas solius Ordinis, quæ respicit Corpus Christi verum, & quæ dicitur æqualis apud omnes qui per characterem Sacerdotalem habent potestatem consecrandi verum Corpus Christi, non plus Papa quàm Sacerdos infimus. Hæc verò potestas judicialis seu Jurisdictionis in Ecclesia respicit Corpus Christi mysticum. Cujus potestatis plenitudo residet penes Summum Pontificem, & est in ipso tota potestativè. Ceteris verò per partes derivatur juxta determinationem legitimam istius fontalis & primæ potestatis, & hoc ne confusio sit in Ecclesiastica Politia, sed sit figurata ad exemplar Civitatis Jerusalem, tanquam descendens à Deo, secundùm *Apocalip. Joann.* XXI. 2. Dicendum est igitur, quòd datur aliquibus Potestas ligandi judicialiter in multis casibus, & ipsis prohibetur absolvendi facultas.

Discipulus. Satis animadverto casus multos. Sed nunquid potest Papa concedere facultatem alicui Sacerdoti, sit ille Joannes, quòd personam aliquam singularem, utpura Martinum absolvere possit ab omnibus Sententiis, tam à Jure, quàm ab homine latis?

Magister. Utique potest.

Discipulus. Consequenter quæritur, si per concessionem hanc generalem possit Martinus absolvi generaliter ab omni vinculo Sententiæ pœnalis latæ tàm à Jure quàm ab homine? Et ut compendiosiùs inquiram, poteritne Martinus absolvi ab Irregularitate quam contraxit, quia celebravit excommunicatus?

Magister. Videtur primâ facie quòd sic, nisi certitudinem aliquis ostenderit repugnantem, cum Beneficium Principis sit latissimè interpretandum, pœnæ verò restringendæ. Et ut manifestius fiat istud quod dicimus: loquamur interim de Sententia Judiciali lata ab homine. Et ponamus, quod Martinus delatus fuerit suo Judici celebrasse Missam ipso stante excommunicato, ac perinde ferat in eum Sententiam, quòd est Irregularis, & ad celebrandum deinceps inhabilis.

Discipulus. Casus iste quotidianus esse potest.

Magister. Vicem nunc interrogantis accipio. Poteritne Martinus, taliter ab hominis Sententia ligatus, absolvi per Joannem Sacerdotem?

Discipulus. Cum ligare & solvere sint correlativa ad invicem, si Martinus potuit ab hominis Sententia ligari vinculo Irregularitatis, quomodò non poterit ab hominis Sententia per Papam solvi vel absolvi, quemadmodùm posset de Excommunicationis Sententia ab homine lata taliter liberari; alioquin quid importaret concessio talis amplæ facultatis, quod ab omnibus Sententiis, tam à Jure quàm ab homine latis possit Joannes absolvere Martinum?

Magister. Scisne quid in oppositum possit ex Juribus introduci?

Discipulus. Accepi quosdam dicere, quòd Irregularitas non cadat sub forma Absolutionis, sed sub forma Dispensationis; quoniam Irregularitas non semper A indiget Absolutione, cùm absque peccato contrahatur aliquandò, sed tunc dispensatio locum habet, si gratia tali fiat.

Magister. Non est usquequaque absurdum illud quod isti dicunt. Nihilominus oportet Theologos simul cum Canonistis convenire in acceptionibus istorum terminorum, ligare & solvere, & scire quid dicatur Sententia à Jure, quid ab homine lata, à qua dat facultatem absolvendi Dominus Papa in concessione quæ dicta est. Cum verò (sicut prædixisti) Absolutio referatur ad ligationem, concessio loquens de Absolutione à Sententiis Juris aut hominis, intelligi debet de Sententiis pœnalibus atque ligantibus. Et hoc jam notavimus, sed recepimus constringendo Sermonem de Sententiis à Jure vel ab homine latis, quòd sunt Sententiæ pœnales inflictæ vel latæ propter culpam veram vel præsumptam, propriam vel alienam; propter Sententias pœnales, quæ quandoque feruntur sine culpa B illius in quem feruntur, sed non sine causa. Quod dicitur, patet in excommunicatis propter obedientiam Deo & propriæ Conscientiæ faciendam, ubi latet Ecclesiam veritas.

Discipulus. Apparet quòd in hac descriptione Sententiarum consentire debeat Canonista. Talibus enim Sententiis ligati indigent Absolutione, quæ solvat seu tollat vinculum. Nam quid est Absolutio nisi à vinculo liberatio, sive talis Absolutio fiat per nomen Dispensationis Sententiæ, sive per aliud nomen æquivalens, ut per Habilitatem seu per restitutionem ad priorem statum.

Magister. Dicet fortassis Canonista quòd inter liberationem à vinculo Irregularitatis per Dispensationem, & inter liberationem per Absolutionem hoc interest, quia Absolutio reponit solummodò hominem in statu salutis æternæ, quicquid obest consecutioni salutis æternæ, quemadmodùm fit in articulo mortis, dum pœnitet homo, etiam si nullum posset habere Sacerdotem. Dispensatio autem restituit ad ea quæ sunt divinitatis ad benè esse in vita morali, vel civili, vel meritoria.

Discipulus. Sequeretur ex hac interpretatione quòd C Martinus Absolutus ab omnibus Sententiis, tam ab homine quàm à Jure, non absolveretur in casu prænominato ab Irregularitate sententialiter inflicta per hominem, immò à Sententia Interdicti vel qualiscunque Excommunicationis, sic quòd non posset liberè suscipere postmodùm Corpus Christi, cùm non sit de necessitate salutis; immò nec uti Sacramento Unctionis extremæ, nec tenere Beneficium Ecclesiasticum, nec audire Missas in Ecclesia, nec post mortem habere sepulturam Sacram. Patet hæc sequela, quoniam talia non sunt de necessitate salutis absolutè facienda. Est tamen usus Ecclesiasticus in oppositum, maximè de ligatis per Sententias Excommunicationis; dum enim absolvuntur, liberè possunt postmodùm, nedum Corpus Christi suscipere, sed Missam celebrare D ut priùs, & Beneficiis gaudere Ecclesiasticis. Cur non ita fieret si à Sententiis Irregularitatis à Jure vel ab homine latis absolvantur casu nostro?

Magister. Fortiter instas, attentò quòd in Absolutione Juridica non est necessaria certa forma verborum, quemadmodùm dicimus de Absolutione Sacramentali à peccatis. Huc accedit quòd Absolutio Judicialis à vinculo pœnarum potest fieri circa absentem vel circa non petentem; immò in invitum, secundùm multos feretur seu relaxabitur, dùm Sententia pœ-

Digitized by Google

pœnalis plus invenitur nocere sibi & Reipublicæ; quàm prodesse.

Discipulus. Sed occurrit ad hoc dictum absurditas altera, quòd melioris esset conditionis Sententia pœnalis à Jure vel ab homine lata propter peccatum illius qui ligatur, quàm si absque peccato proprio vinculum aliquod, utputa Irregularitatis, contraheret. Quid enim est Irregularitas, nisi quoddam impeditivum vinculum, ne sit aliquis idoneus ad aliquod opus legitimum, ut puta ad officiandum Ecclesiæ: sicut Excommunicatio ligat & religat à Sacramentorum perceptione, si sit minor; & à civili communicatione, si sit major: ac ita in casu præmisso Martinus culpâ propriâ excommunicatus absolvitur, & absolutus poterit exercere sicut priùs tales actus legitimos qui non sunt omnes de necessitate salutis; non sic autem poterit absolvi obligatus vinculo Irregularitatis absque culpa sua.

Magister. Vide si quædam talia poteris invenire, in quibus favorabiliùs agitur quòad aliqua cum peccantibus, quatenùs ubi superabundavit delictum, ibi superabundet & gratia. Exemplum sumitur familiare proposito nostro. Itaque si vir infidelis, priùs homicida baptizetur; solvitur nedum à culpa homicidii, sed ab Irregularitatis etiam vinculo consequente homicidium: ubi si duas habuisset uxores legitimas successivè, vel unam non virginem, Baptismus non tolleret hoc Irregularitatis ligamentum. Fortè sic in proposito, si Martinus absolvitur ab omnibus peccatis confessis, & cum hoc ab omnibus Sententiis tàm à Jure quàm ab homine latis, veniret quasi per sequelam Absolutio Irregularitatis, sicut Excommunicationis, ex qua sumpsit occasionaliter vinculum Irregularitatis, dum ligatus se divinis immiscuit. Non autem est combinatio vel consecutio talis in Irregularitate, quæ non tàm contracta est ex Sententia pœnali quàm ex Constitutione Legis aut Statuti.

Discipulus. Habent ista probabilitatem, sed non evacuant totam difficultatem nostræ dubitationis, specialiter quoad investigationem descriptionis, seu quid nominis Sententiæ, præsertim à Jure latæ. Ecce recipiamus duas Constitutiones Juris quæ dicuntur Decreta vel Decretales; una dicit sic: *Si quis, suadente diabolo, manus miserit violentas in Clericum, sit excommunicatus ipso facto.* Altera Constitutio dicit: *Si quis celebraverit excommunicatus, sit Irregularis ipso facto.*

Magister. Respondi jam, quòd quælibet scientia terminos suos habet; sed inferior scientia debet resolvere suos terminos, præsertim quando surgit ambiguitas ad terminos scientiæ superioris, qui sunt simpliciores. Sic enim Metaphysica resolvit terminos omnium scientiarum, junctis Logicâ, Grammaticâ & Rhetoricâ. Cum igitur Theologia sit superior ad omnes scientias, etiam ad Metaphysicam naturalem & ad Jus omne Canonicum & Civile, debet resolutio vel interpretatio sumi per Theologiam, præsertim in his quæ salutem respiciunt.

Discipulus. Perspicuum est etiam mihi in exemplis inductis modò per te.

Magister. Privilegiatus itaque per Papam, de cujus potestate principaliter est sermo præsens, jure dicitur absolutus ab aliqua Lege generaliter priùs ipsum ligante, similiter & dispensatus: & hoc sive dispensatio sit Legis moderatio, sive sit ipsius totalis ablatio. Rursùs ille qui habilitatur, absolvitur ab inhabilitationis vel Irregularitatis vinculo. Rursùs dùm infamis restituitur ad famam, absolvitur. Hoc vidit illa junior Sara, dùm oravit. *Obsecro Domine, à vinculo improperii hujus absolvas me.* Tob. III. 15. Quid prætereà de servitute? Numquid non est vinculum magnum? Numquid est liberatio grandis absolutio vinculi servitutis? Servitutis, inquam, vel quæ pensat, vel quæ esset, si non esset Judex concedens libertatem. Unde Papa dispensans cum irregulari, posset ita dicere: *Solvo te*, vel *absolvo te à vinculo Irregularitatis*, vel *ab Irregularitate*. Et ita de qualibet alia Juris pœna, sub pœnali Sententia à Jure lata vel ab homine.

Discipulus. Superesse nihil video circa concessionem in Martino factam, quod absolvi possit ab omnibus Sententiis, tàm à Jure quàm ab homine latis, autoritate summi Pontificis, quin Sententia Irregularitatis cadat sub hac concessione, quæ concessio veraciter est quædam Absolutio. Martinus enim prius ligabatur ne posset ab alio quàm à Summo Pontifice absolvi; nunc verò potest absolvi à quocunque Sacerdote quem elegerit, & ita solutum est vinculum ab eo Sententiarum, ubi reservantur tales casus soli Papæ. *Dialogi finis.*

Accipe sub Compendio PROPOSITIONES OCTO SEQUENTES ad elucidationem præmissorum.

Propositio Prima.

OMNIS Sententia, tam à Jure quàm ab homine lata, derivatur à Sententia primi Judicis Dei, & hoc mediatè vel immediatè; approbativè vel permissivè. Reperitur inde dictum de Deo, quòd sententia ejus fuit hæc vel illa. Dixit expresse Gregorius, quòd *Deus mutat Sententiam, non consilium.* cujus verbi intellectus alibi quærendus est.

Propositio Secunda.

OMnis Sententia, tàm à Jure quàm ab homine lata, continetur sub duplici differentia; quia quædam est solius Dei, quædam creaturæ rationalis sub Deo: & hoc vel à Beatis sicut sunt Angeli; vel de viatoribus, sicut sunt Principes & Prælati. Undè dicitur de Nabuchodonosor, quòd *egressa est Sententia* ab eo, ut *interficerentur omnes Principes Babylonis.* Dan. II. 12. 13. Sunt insuper concordantiæ tales multæ.

Propositio Tertia.

Omnis Sententia, tàm à Jure quàm ab homine lata, dici potest judicialis, & hoc vel in Foro conscientiæ interioris, vel in Foro coërcentiæ justitiæ exterioris. Dicitur enim Sententia judicialis, quasi conclusio seu determinatio Judicii.

Propositio Quarta.

Omnis Sententia judicialis humana, dici potest Civilis vel Ecclesiastica, & hoc secundùm diversos fines proximos & principaliter intentos, quia Sententia Civilis respicit vitam præsentem pro suo convictu tranquillo; Ecclesiastica verò vitam futuram.

Propositio Quinta.

Omnis Sententia judicialis Ecclesiastica fundatur in verbo Christi, dicentis ad Petrum & Apostolos: *Quæcunque ligaveritis super terram*, Matth. XVI. 19. ubi priùs immediatè fundaverat potestatem Excommunicationis judiciariæ, dicens *quod si Ecclesiam non audierit, sit sicut Ethnicus & publicanus.* Ibid. XVIII. 17.

Propositio Sexta.

Omnis Sententia judicialis Ecclesiastica sufficienter explicatur per hæc duo verba, ligare & solvere, utendo terminis istis non ad literam, sicut ligantur boves & asini, sed secundùm transsumptionem corpora-

lium

Digitized by Google

alium ad spiritualia, ita quòd Sententia judicialis Ecclesiastica describi potest, quòd est Sententia ligans vel absolvens in ordine ad finem felicitatis æternæ.

Propositio Septima.

Omnis Sententia judicialis Ecclesiastica, vel à Jure vel ab homine lata, dùm conceditur, ut possit absolvi, A præsupponit quòd ipsa ligaverit uno vinculo pœnali, vel plurimis.

Propositio Octava.

Omnis Sententia judicialis Ecclesiastica diversis nominibus potest explicari vel ferri pro arbitrio Judicis; præsertim supremi qui est Papa, sicut dicendo, dùm ligare vult: Volumus talem esse ligatum, vel excommunicatum, quoad omnes actus legitimos Civiles vel Ecclesiasticos. Volumus talem esse irregularem, inhabilem, infamem; & ita de talibus pœnarum vinculis. Aut dùm vult solvere, dicendo: Dispensamus cum tali, habilitamus talem, restituimus talem famæ suæ, concedimus tali ut promoveri possit ad Ordines non habitos vel in habitis ministrare. Et ita de mille loquendi modis, quæ finaliter resolvuntur in hæc duo verba: ligare & solvere.

Superest ex istis concludere quòd interpretatio doctrinalis Theologorum favêret concessioni prædictæ, B quòd dum Papa concedit Martino, ut habeat facultatem eligendi Confessorem qui possit eum absolvere ab omnibus peccatis de quibus confitebitur, & à Sententiis tàm à Jure quàm ab homine latis, comprehenditur in hac Absolutionis facultate Irregularitas contracta, vel à Jure vel ab homine; quia non contrahitur nisi per Sententiam ab homine, vel à Jure, latam; alioquin darentur Sententiæ tàm Excommunicationis quàm Interdicti, à quibus non posset prædictus Martinus absolvi virtute concessionis suæ. Quod si sic, petitur Regula generalis; quæ casus in quibus fieri & in quibus non fieri valeat Absolutio, determinet. Finis.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis
Distinctio Magistralis & Brevis,
DE MODO
EXCOMMUNICATIONUM
ET IRREGULARITATUM,
ET ABSOLUTIONIS
Ab eisdem.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 180. & 698.

EXCOMMUNICATIONUM tot sunt genera quot communicationum, & consequenter judicantur Irregularitates, quæ dicunt impedimenta ad communicationes legitimas exercendas. Communicationum alia est naturalis, alia civilis. Naturalis est hæc vita corporalis, cui mors opposita potest D dici Excommunicatio. Civilis est multiplex. Quædam secundùm Leges spectantes ad communicationem temporalem præsentis vitæ, de qua spectat ad Dominos Legistas. Alia est Ecclesiastica secundùm Canones & Instituta, quæ spectant ad animam, in ordine ad vitam æternam. Ecclesiastica communicatio (de qua magis ad propositum spectat) consideratur dupliciter. Uno modo ad Deum. Alio modo ad proximum. Communicatio ad Deum est status seu vita gratiæ gratum facientis; cui opponitur generaliter omnis Excommunicatio quæ contrahitur ex mortali peccato, sic quod nequeat talis excommunicatus exercere legitimos actus, præsertim Sacramentales sine peccato. Communicatio ad proximum, seu publica, tractatur & intenditur per Canonistas, dùm loquuntur de Excommunicatione & Irregularitate.

Est autem Excommunicatio seu Irregularitas sub duplici differentia. Quædam est omninò sine peccato, quædam ex peccato existente vel præsumpto. Exemplum primi, sicut bigamia, sicut Judicium latum in causa sanguinis ex Officio, sicut servitus, sicut lepra vel mutilatio, vel officium vile, & similia quæ distrahunt & impediunt ab exercitio divinarum Ministrationum, necnon & ab Ordinum susceptione repellunt. Exemplum secundi, sicut Excommunicatio latæ Sententiæ ab homine vel à Jure, propter contumaciam veram vel præsumptam. Et hæc est acceptio communissima, quæ subdivitur in varias species velut innumerabiles. Tamen in generali quædam est reservata Papæ, sicut etiam Irregularitas, quæ contrahitur ex hujusmodi Excommunicatione, dum quis se miscet in divinis excommunicatus, recipiendo vel exercendo scienter & à proposito.

Altera est Irregularitas, quæ non ita reservatur, sed eam tollere potest Sacerdos simplex, sicut in Excommunicatione minori, quæ suspendit hominem à celebratione; quemadmodùm fit, si quis participaverit scienter cum excommunicatis, non tamen in crimine, sed ex quadam verecunda pietate, & in casibus non concessis. Casus autem particulares hujusmodi suspensionum & irregularitatum quærendi sunt à Juristis, & ab Institutis Religionum seu Communitatum, quia consurgunt ex sola Constitutione positiva, & aliquandò sine crimine, licèt non sine ratione, proptereà condemnabilis est contemptus. Proindè qualis debet esse forma Absolutionis super Excommunicationibus & Irregularitatibus in Foro exteriori & publico, sciatur à Juristis: quoniam in Foro conscientiæ non requiritur forma, nec de necessitate Sacramenti, nec de necessitate Præcepti. Sed sufficit dicere ut suprà: *Ego absolvo te, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen*: cum intentione absolvendi. Expedit autem ut hæc intentio sit latissima, quæ feratur super omni casu in quo potest Confessor absolvere tàm de Sententiis, quàm de peccatis. Et ita sufficit hæc forma pro omni- C bus sine multiplicatione verborum.

Adde quòd absolutus in Foro exteriori de Excommunicationibus, tenetur nihilominùs causas Excommunicationum Sacramentaliter confiteri, ut quòd verberaverit Clericum, &c. Non enim fit publicè Sacramentalis Confessio, ad quam obligat Jus divinum. Ex quibus omnibus colligi potest, quòd multa à plerisque adduntur frustrà in Absolutione Sacramentali, ad Absolutionem penitùs nihil facientia. In hoc enim quòd Confessor quilibet cum intentione actuali vel habituali dicit: *Ego te absolvo, In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*: omnia comprehendit, scilicet *autoritate mihi commissâ*, vel *quâ fungor*, hanc enim conditionem præsupponit ipsa Absolutio. Item *à peccatis tuis mihi confessis*, superfluè additur, quoniam de non confessis non absolvit. Item *& restituo te unitati sanctæ Ecclesiæ & Sacramentis ejus*. Si enim absolutus est ex se quia fidelis est, jam restitutus est. Ceteræ conditiones patent suprà.

Verùm (ut suprà tactum est) si quis fuerit à Jure vel ab homine suspensus, aut majori Excommunicatione innodatus, seu Irregularitate irretitus notoriâ aut contumaci, aut certè illa quæ Sedi Apostolicæ est reservata, &c. In talium casuum Absolutione præscriptus est modus, videlicèt in sacris Canonibus, ut eo modo nodus religetur, quo quis fuerit alligatus. Et hæc Absolutio simpliciter Sacerdotis transcendit potestatem, saltem ex Jure positivo. Similiter eodem Jure, ejus potestati ablati sunt casus Episcopales, aut

aliorum,

liorum Superiorum. Similiter & in Institutionibus Religionum, propter arctiorem sui status custodiam, quæ peccata seu casus soli Prælato reservantur, quamvis de per se quilibet Sacerdos ab eisdem posset absolvere, dummodò ultrà suam potestatem principalem non excederet.

Patet quoque quàm multa & in ipsa Absolutione superiorum casuum, criminum, Excommunicationum, Irregularitatum, &c. ab ipsis Prælatis adjiciantur superflua, & nihil ad Absolutionem spectantia. Nam etiam in talibus sufficit ad communem formam addere solummodò clausulam vel clausulas à Jure institutas; quibus irretitus enodetur, seu à nodis absolvatur, ut dicendo: *Autoritate Summi Pontificis*, vel *Gratiæ* aut *Privilegii concessi* vel *dati*, &c. *Ego te absolvo à tali Excommunicatione*, *Irregularitate*, *Interdicto*, *Suspensione*, *in quam tali vel tali Sententiâ incidisti*, &c. sicut congruit, & autoritas concessa aut virtus Gratiæ Apostolicæ seu Privilegii se extenderit. Quod autem additur, *in quantùm gratum in conspectu divinæ Majestatis fuerit*, &c. nihil facit ad rem.

DE INJUNCTIONE POENITENTIÆ.

SED de injunctione Pœnitentiæ diversæ sunt opiniones suas rationes adducentes, an antè Absolutionem, vel post Absolutionem, injungenda sit Pœnitentia, quæ Confessionis individua comes est: ad hoc enim Confessio fit, quò vulnus inflictum detegatur; ad hoc Pœnitentia injungitur, ut vulneri detecto salutare remedium adhibeatur. Et licèt incertæ sint providentiæ nostræ, nec qua lance Divino Judicio nostræ ponderentur offensæ; tamen abundanti misericordiâ ac pietate ipsius hoc concessum est fidelibus, ut Sacramento Confessionis ac remedio Pœnitentiæ, etiam minùs sufficientis, jam saltem à mortis æternæ sit ereptus supplicio, qui fuerat damnandus, etiam si ob modicæ Pœnitentiæ injunctionem longiùs sit cruciandus, quibus tamen cruciandis multiplex remedium suæ Sponsæ aliundè providit Christus, cujus proprium est misereri, & cujus misericordiæ non est numerus.

De illo autem, an antè vel pòst Absolutionem injungenda sit Pœnitentia, nihil videtur obesse homini simplici, & contrito seu dolenti corde ad Confessionem venienti, & ad Satisfactionem parato. In ipsa autem injunctione Pœnitentiæ similiter occurrit reprehensio super multiplicatione verborum Pœnitentiæ in nullo suffragantium. Sicut enim confitens cavere debet, ne aliquid immisceat quod tantùm Sacramentum excusatione indebita, verbositate importuna, ostentatione falsa, simulatione fraudulenta, ac ceteris quibuslibet malis violet, fructumque ejus tollat; ita non minùs ipse Confessor locum Dei tenens, atque ejus gerens vices, Sacramento Confessionis reverentiam exhibeat, & ejus verba staterâ sanctâ sint ponderata, ne & ipse in tali loco adducat quicquam quod eum verborum subtilitate necnon multiplicatione, aut insolitâ formâ prolationis possit ostentare magis ceteris Confessoribus idoneum, intelligentem, doctiorem, sanctioremque. His enim ac similibus conditionibus plerisque (proh nefas) Confessoribus non solùm fama & favor à lingua, sed etiam à manu crescit pecunia; & cathedra Moysi, quam Dominus laudavit, istis atque aliis modis vertitur in cathedras numulariorum & columbas vendentium, quas idem ipse evertit, & de templo ejecit. Pòst simplicem igitur Confessionem & veram, ut præsupponitur; simplex fiat Absolutio, aut cum timore & magna cautela ad Superiores, si oportet, remissio juxta superiùs dicta: demùm post Absolutionem vel antè (quod ad præsens nolumus determinare, eò quod non obstet huic Sacramento) simplex etiam fiat Pœnitentiæ injunctio.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPUSCULUM SUPER ABSOLUTIONE

Confessionis Sacramentalis.

Ad Cod. MS. Victor. 699.

GRATIA tibi, & pax frater charissime. Petis primò, si apud aliquem Doctorem reperiatur forma authentica Absolutionis Sacramentalis? Respondeo quod sic. Et de hoc videatur *Summa Confessorum*; vel *Berthelina* super hoc verbo *Absolutio*, prima quæstione: utrum forma Absolutionis debeat fieri sub modo indicativo; & secundùm illa quæ reperiuntur ibidem, patebit satis responsio. Ad illud, quod secundò petis, scilicet quæ sit forma sufficiens. Deindè ad tertium quod quæris, unde tot varietates in forma ista Absolutionis? Respondeo, quòd ex ignorantia vel negligentia sufficienter inquirendi quæ agenda sunt circà Sacramenta. Sed cur plus (inquis) circà istam formam, quam circà alias? Ratio una est, quia aliæ formæ dicuntur publicè, & inveniuntur scriptæ, sicque leguntur: hìc autem occultè & absque Libris & arbitris fit negotium.

Potest & alia ratio dari, quia actus Confessionis & Absolutionis est quidam actus judicialis, ubi videtur sufficere quòd Sacerdos Judex explicet sententiam suam quibuscunque verbis, dùm tamen intendat absolvere; sicut dicimus in Matrimonio, quòd consensus interior amborum, significatus exterius qualibuscunque verbis immò & signis, sicut in muto, sufficit ad Matrimonium contrahendum. Denique pro solutione aliorum quæsitorum, & declaratione præmissorum, scribam tibi modum quo utor in hujusmodi Absolutionibus. Unde si nihil dubitatur de Excommunicatione contracta: dico primò per modum imprecationis, quæ de congruo præmittitur. *Dominus noster Jesus Christus te absolvat*, vel *parcat tibi Deus*, vel dum mora major est. *Misereatur tui Omnipotens Deus*, &c. Deinde subjungo cum intentione interiori absolvendi: *quantùm possum*, *& secundùm autoritatem mihi commissam*, & dico, *Ego te absolvo à peccatis tuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, *Amen.*

Nec oportet aliud addere, nec istud pronomen *aliis* nec istud adjectivum *omnibus*, nec istud *oblitis*, nec istud *contritis*, immò potest nocere, si ponitur hoc adjectivum *contritis*, cum virtus Sacramentalis Absolutionis valeat super peccata solùm attrita, licet nondùm contrita. Et ita est additio quodammodò distrahens, quæ præsupponit Contritionem præcessisse, quæ non semper prærequiritur, ut dictum est. Item nec oportet addere *quantum possum*, & adhuc minùs istud, *in quantum debeo*, quia sæpè Sacerdos non tenetur, aut debet absolvere, & ita est additio distrahens.

Item nec opportet addere, *Autoritate mihi commissa*, &c. omnia enim talia sufficienter fiunt & valent per intentionem interiorem quam habet Sacerdos, vel habuit in volendo absolvere. Unde pro Regula teneatur, quòd formæ Sacramentorum debent esse absolutæ & non conditionales. Etsi opponatur, quòd in Baptismo dicitur quandoque: *Si tu non es baptizatus, ego te baptiso*, &c. Respondeo, quòd illa conditio non se tenet nec tenere debet ex parte formæ, sed solùm referenda est ad explicationem intentionis quam habet Sacerdos, quam intentionem ideò explicat, ne putetur velle

Digitized by Google

velle baptizare puerum jam baptizatum, & ita facere injuriam Sacramento. Undè apud Deum sufficeret intentio interior sine tali explicatione, nisi quia sic Ecclesia voluit fieri, circa dicta. Simile esset in dubio quòd aliquis haberet de hostia posita antè eum, dùm celebrat, & nescit planè si consecrata sit jam vel non, ut puta quia nescit si protulerit sufficienter verba, &c. Tunc si necessaria sit securitas amplior, sufficiet quòd homo cùm intentione ista quòd non intendit consecrare istam hostiam si sit consecrata, dicat verba consecrationis; quamvis talis repetitio non sit passim facienda, nec esset in hoc assuescendum.

Addatur, quòd prædicta forma Absolutionis Sacramentalis sufficit in quacunque Absolutione pro peccatis, sive fiat Confessio post unam Absolutionem jam datam, sive non. Nec oportet dicere, *Absolvo te ab isto peccato*, &c. sed sufficit sicut priùs. Denique tutiùs observatur brevis & succincta forma absolvendi prædicta, quàm dum fiunt tot additiones quæ vel sunt superfluæ, vel quandoque distrahentes aut impeditivæ.

Ceterum quoad Absolutionem de Excommunicatione: Respondetur quòd in Foro publico, non Sacramentali nulla certa forma requiritur, sufficit quòd ille qui habet potestatem judiciariam, significet intentionem suam, quâ vult tale absolutum esse. Porrò quoad Sacramentalem Absolutionem quæ ulteriùs requiritur, & circà cujus omissionem multi deficiunt, præcisa forma non ita requiritur sicut in aliis Sacramentis. Unde ista forma sufficit cum intentione interiori, sicut priùs explicabatur: *Ego Absolvo te ab Excommunicatione vel Excommunicationibus*, &c. Et potest addi (licet non sit necessarium) istud: *Et restituo te Sacramentis Ecclesiæ & Orationibus divinis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

Verùm quoad minorem Excommunicationem quæ contrahitur ex participatione cum excommunicatis, sufficit eadem forma. Sed quoad Excommunicationem largo nomine dictam, quæ contrahitur ex quolibet peccato mortali quod seperat hominem à Deo, puto quòd non requiritur specialis formula, sed sufficit alia quæ dicta est pro peccatis.

Ampliùs verò quoad Irregularitates contractas, celebrando in Excommunicatione vel alio tali modo, sicut habetur in Constitutionibus Decretalium, forma non est certa & præcisè requisita, cùm sit quidem actus Judicialis magis quodammodò quàm Ordinis. Nihilominùs potest congruè sic dici, sicut etiam Pœnitentiariorum usus habet: *Ego Absolvo te ab Irregularitate*, vel *Irregularitatibus*, si sint plures, *& restituo te Sacramentis Ecclesiæ*, *& dispenso tecum*. Et hoc ponunt pro futuro tempore, ut homo legitimè possit celebrare, vel uti Sacramentis. Denique additur: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.*

Tandem ad id quod inquiris, si sit expediens in injunctione Pœnitentiæ dicere: *Omnia bona quæ facies, sint tibi pro generali Pœnitentia*? Respondeo quòd sic, quia per hunc modum omnia talia bona habent vim satisfactoriam, licet non tantumdem sicut si specialiter injungerentur, & fieret, & hoc propter obligationem majorem & obedientiam inde sequentem. Sed non esset securum specialiter injungere taliter & talia omnia sic debere fieri, propter periculum transgressionis, & culpæ seu inobedientiæ inde consequentis.

Tenor quæstionis de qua fit superius mentio *in Summa Confessorum Lib.* III. *tit.* 34. *quæst.* 91. secundùm quotationem Libri mei, sic se habet: quia post Confessionem contriti pectoris, regulariter debet subsequi Absolutio Sacerdotis; quæro an forma Absolutionis in Sacramento Pœnitentiæ debet dici sub modo indicativo? Respondeo secundùm Albertum in scriptis super IV. Sententiarum *Dist.* 17. Dicendum quòd sic, propter Sacramenti certitudinem, sed quòd præcedit deprecatio, hoc est de benè esse Sacramenti, & non de esse. Undè convenienter dicitur: *Dominus te absolvat, & ego autoritate qua fungor, Absolvo te à peccatis tuis: In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.* Et hanc formam exposuit Magister Joannes de Verziaco in Scholis, in Lectionibus suis. Thomas etiam in ultima parte Summæ suæ. *quæst.* 84. *artic.* 3. concordat cum hoc. Dicit enim quòd de forma substantiæ est: *Ego te Absolvo*, sed præmittitur Oratio:
A *Misereatur tui Omnipotens Deus*, &c. ne effectus Sacramenti impediatur ex parte Pœnitentis. Item: quia Sacerdos non propria autoritate absolvit, sed quasi Minister; convenienter aliquid apponitur: *Ego te Absolvo. In nomine Patris*, &c. Vel, *Per virtutem Passionis Christi.* Vel *Autoritate Dei*, sicut Dionysius exponit III. *Cœlestis Hierarch.* Quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi, sicut in Baptismo, talis appositio relinquitur in arbitrio Sacerdotis.

Sequitur alia quæstio, utrùm requiritur impositio manuum Sacerdotis in Sacramento Pœnitentiæ? Respondeo secundùm Thomam ubi supra, *art.* 4. „ Dicendum quòd non, quia hoc Sacramentum non ordinatur ad consequendum aliquam excellentiam gratiæ, „ sed ad remissionem peccatorum. Magis etiam in hoc „ Sacramento competeret Crucis signatio quàm manus „ impositio; in signum quòd per signum Crucis Christi remittuntur peccata; & tamen non est de neces-
B sitate Sacramenti. „ Hæc ibi.

Quæsisti insuper, si homo absolutus à pœna & à culpa, secundùm formam solitam conferri in articulo mortis, moriens in illo statu evolet statim ad cœlum? Respondeo, quòd à radice videnda esset hîc tota materia de Indulgentiis ad plenè respondendum. Pro qua videantur Doctores in 4. Sententiarum, & aliæ Summæ. Dico tamen, quantùm spectat ad præsens, quòd Absolutio illa solet dari de peccatis contritis & confessis. Si ergo peccata sint quæ non sunt Sacramentaliter confessa, sicut sunt peccata oblita, non oportet quod de illis secundùm formam Absolutionis detur Indulgentia. Ex quo patet quantùm expedit non dari oblivioni peccatum, sed illa expressè confiteri, habitâ copiâ Sacerdotis: patet ultra quòd in Absolutione Sacramentali non oportet dicere, *Absolvo te à peccatis oblitis.* Verum est tamen, quòd, quia Deus non obligat ad impossibile, si peccata oblita non veniant in memoriam factâ diligentiâ sufficienti, & homo conteritur in generali de illis, tunc homo salvabitur, *sic tamen quasi*
C *per ignem.* 1. Cor. III. 15. Secùs autem est (dicunt Juristæ) de Absolutione de Excommunicationibus, etiam de oblitis, quia non oportet ab illis iterùm absolvi, dùm habens potestatem generalem, ut Papa vel Legatus, &c. absolvit generaliter ab omnibus Sententiis, quòd est tutum petere & habere.

Addatur ad præmissa, quòd Potestas prælatorum in dando Indulgentias non est nisi quædam potestas Dispensationis, quæ debet esse rationalis & ad ædificationem, & ideò si dent sine causa rationabili has vel illas Indulgentias, utpote pro solo intuitu favoris humani vel alio tali modo, non oportet quòd Indulgentiæ tantùm valeant, quantùm sonant. Propterea fatuæ sunt & superstitiosæ quædam intitulationes de Indulgentiis 20. mille Annorum: vel tali modo; qui dixerit quinque *Pater noster* ante talem imaginem, &c. Et esset per Prælatos providendum, quia cedit hoc in contemptum & irrisionem Indulgentiarum, nec continet ve-
D ritatem. Undè plena Indulgentia vix solebat dari pro passagio Terræ sanctæ. Constat tamen, quòd factum, pro quo sunt Indulgentiæ, magis privilegiatum est quam aliud, ceteris paribus.

Addatur præterea, quòd forma dandi Indulgentias sæpè varia est; quandòque enim datur sub certis conditionibus, ut si sint confessi, & contriti, & si dederint manus adjutrices; quandòque datur existentibus in gratia, vel si infrà Mensem habuerint gratiam: itaque tunc dum habent gratiam, recipiunt gratiam sine alio actu Confessionis vel Sacramentalis Absolutionis.

Undè

Digitized by Google

Undè dare Indulgentias non est propriè absolvere à peccatis, sed est de Pœnitentia debita relaxare, vel in toto vel in parte. Et ita patet quòd non requiritur certa forma verborum sicut in Sacramento, sed sufficit explicare secundùm intentionem Papæ dantis, quòd dantur tali tales Indulgentiæ.

Quæris ulteriùs, utrum Absolutio à pœna & culpa pro articulo mortis semel in vita possit dari illi qui non est tunc moriturus? Respondeo: circa hoc necessarium est cognoscere quid & quomodò Papa intendit dando Indulgentias, juxta illud quod ultimò addebatur in solutione alterius dubitationis: quia si intendit quòd solummodò valeant Indulgentiæ pro illo qui moriturus est, & pro hora qua est moriturus, tunc quantumcunque detur Indulgentia à Sacerdote, illa non habet effectum nisi pro hora mortis: undè etsi ille postmodùm moriatur in peccato mortali, effectus Indulgentiæ impeditur. Si autem moriatur in gratia, fortè tunc prima Indulgentia sortietur effectum, etiam si Sacerdos defuerit dans istas Indulgentias. Additur fortè, quia nescitur hîc satis intentio Papæ conferentis. Undè quamvis Sacramentum extremæ Unctionis non debeat dari nisi in articulo mortis, tamen si ille suscipiens non moriatur pro tunc, nihilominùs erit verè inunctus Sacramentaliter, & tamen in altera vice articuli mortis poterit inungi; non enim dicitur articulus mortis, quia per illum homo moriatur, sed quia secundùm probabilem conjecturam humanam est in dubio mortis, & ita non oportet expectare horam extremi suspirii. Est igitur tutum consilium in datione hujusmodi Indulgentiarum à pœna & à culpa pro articulo mortis, quòd in quolibet tali articulo prout expressum est, petat infirmus sibi dari Indulgentiam talem, secundùm Papæ intentionem, & quòd conferens sic dirigat intentionem suam, & dicat verbis quibus valet, postquam absolverit eum Sacramentaliter, modo debito, tàm ab Excommunicationibus quàm à peccatis, *Do tibi plenam Indulgentiam de peccatis tuis*, habendo (ut dictum est) intentionem ad gratiam à Papa expressam, sive explicetur sive non, illa intentio.

Ulteriùs, ad illud quod quæsisti, si versus ille: *Dirupisti Domine vincula mea*, Ps. cxv. 16. &c. dictus semel vel ter in morte habeat efficaciam qualem quidam ponunt, & imponunt Augustinum dixisse? Respondeo pro regula circa talia quæ sunt innumerabilia: nunquam attribuenda est aliqua virtus supernaturalis talibus rebus quibuscunque, nisi hoc trahi possit ex Scriptura sacra vel revelatione Divina; & oppositum credere habet quamdam speciem superstitionis plùs vel minùs, secundùm naturam operis vel assertionis. Non oportet tamen quòd semper sit peccatum mortale, immò habet sæpè excusationem, licet apud simplices & pios qui non ponunt spem in talibus, nisi ex virtute Divina quam reputant Deum talibus rebus indidisse, ac perinde sublevant spem suam, & imaginationem habent fortiorem: quamvis instruendi essent crebriùs, tàm per Sermones quàm aliunde, ut spem suam potiùs figerent in auxilio Dei & Sanctorum immediatè, quàm talia adinventa quærerent. Nihilominùs condescendendum est quandòque fragilitati & debili devotioni hominum & paucæ Fidei, qui nequeunt sic ferri in Deum immediatè. Et ex hoc possunt excusari novenariæ quæ fiunt cum certis observantiis quas credunt simplices esse necessarias, & quòd alioquin nihil valeret quicquid agerent, ut si solùm deessent octo dies, vel si undecim essent, similiter si detur candela longitudinis illius qui offert, quòd plus prodest quàm longior, & ita de similibus innumeris. Non est igitur quælibet talis observantia condemnanda & extrahenda tanquam impia; sed potiùs studendum est ut illud quod fit, fiat intentione pia ad Deum, & sub spe auxilii sui ab ipso & non altero quolibet consequendi. Sic piè potest dici Versus prior & similia, non de assertione certa quòd habeat vim hujusmodi, sed quia devotio dicentis hoc meretur, adjuvante gratiâ Dei, & spes interim sua vigorosiùs elevatur.

Ad aliud cum quæritur, si quis Sacerdos absolvat aliquem bona fide, credens habere potestatem absolvendi illum, qui tamen in veritate non habet potestatem, debeat postmodùm facere conscientiam illi quem putavit absolvere: & si sic; quid ageret si jam mortuus extiterit? Respondeo quòd talis non est absolutus sacramentaliter; salvabitur tamen ex quo bona fide processit & contritus est, nisi postmodùm, dum venerit ad notitiam suam veritas, contempsit confiteri. Sacerdos autem tenetur sibi facere conscientiam dum resciverit, & hoc si commodè possit fieri, aliàs non; nec oportet quòd si non fecerit alteri conscientiam de hoc, quia non commodè potest aut potuit, sit in periculo damnationis: confiteri tamen de ignorantia aut negligentia tutum erit.

Aliud quæsisti: si dicendo Officium Divinum occurrat cogitatio devota circa aliud quàm sonant verba Servitii, sit utilius insequi cogitationem illam vel continuare, quàm reducere se infra terminos & limites Servitii? Respondetur quòd talis aut est exercitatus jam circa illam cogitationem, ita quòd transit apud eum in contemplationem, id est quòd faciliter & absque impedimento potest secundùm illam seipsum elevare, & secundùm illam videre velut in lumine claro & imperturbato, & ita poterit talis in contemplatione semet exercere, etiam tempore Servitii, quia cum omni facilitate, & absque impedimento reversionis ad ea cogitanda quæ dicuntur in Servitio transibit nunc in hoc, nunc in illud. Si verò cogitatio quæ occurrit, sit insolita, & egeat grandi & forti attentione, nec possit trahi ad familiarem cogitationem & facilem, nisi cum diuturna meditatione; tunc in hoc casu videtur tutius & consultius cogitationem illam differre usque post tempus Servitii, quandò Servitium est impositum sub definito. Et secundùm hoc videtur intelligi illud dictum beati Bernardi in una Homilia super Cantica, ubi vetat, ne quicquam aliud tempore Servitii cogitetur, etiam si salubre aliquid occurrerit, &c.

Placuit imprecatio Litteris tuis inserta, quâ petis ut omnes nos Deus in sua pace custodiat, & à tribulatione mundi & hominum in abscondito faciei suæ misericorditer abscondat. Est accommoda præsenti tempestati quæ minatur ingentes horrendasque bellorum plusquàm civilium opiniones, à facie quorum non est refugium tutius & melius quàm ad Deum recurrendo per patientiam & humiliationem magnam. Nam in qualicunque angulo Mundi qualis securitas qualisve pax sperabitur? Disposui manere stabiliter in loco meo Parisiis, & illîc præstolari quæ Domini voluntas de me fiat; nam locorum mutatio quid proficeret, non satis invenio. Expectamus autem præbendam ampliorem & faciliorem ac uberiorem in Ecclesia illa magna, non Parisiensi, sed Paradisi, ad quem tendimus diversis viis, alius sic, alius verò sic, juxta vocantis Dei varios & imperscrutabiles modos. Faciat igitur quilibet per bona opera vocationem suam certam, ne ab expectatione nostra nos confundat Deus. Tu nominatim, Frater charissime, hoc egeris, auxiliante gratiâ Dei, quæ jugiter tecum sit, & fructum ferre faciat in patientia, in qua sola possidemus animas nostras. Lege XLV. cap. Jeremiæ Prophetæ de verbo Domini ad Baruch. Et benè vale, memor mei in Orationibus tuis. Nec pacem quæsieris extra, sed quotidiè tecum habita, & libero animi contemptu rumores fuge; non solùm ne incipias novus autor haberi, sed ne te gratis impleant & vexent. Dominum invoca, & non trepidabis timore ubi non erit timor. Aut si timendum est, *illum time, qui potest corpus & animam perdere in gehennam ignis*. Matth. x. 28. A modò dum dubitationes hujusmodi pulsaverint animum tuum,

Digitized by Google

vel tuorum, recurre diligenter ad Summam quam habes, scilicet Berthelinam, quia illic reperies responsiones ferè de omnibus talibus: aut saltem inquirendo proficies exercens ingenium, & nova quotidie addiscens, vetera profundius memoriâ radicabis. Eas verò solutiones quas non inveneris remanda, & satisfacere curabimus. *Finit exemplar Magistri Joannis Gerson, missa fratri suo Cœlestino*, &c.

Hæc sunt alterius Scriptoris.

Ex prædictis apparet, quòd forma sufficiens & secura absolvendi in Confessionibus, ubi non habetur scrupulus aliquis de Excommunicatione aliqua vel Irregularitate, posteaquàm præmissa est congrua aliqua imprecatio, ut, *Parcat tibi Deus*, vel, *Misereatur*, &c. vel similis, est ista: *Ego absolvo te à peccatis tuis. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.* Nec oportet alia addere, immò tutius est dimittere, quia talia vel sunt supervacua & nugatoria, vel distrahentia, & plus nocumenti quam securitatis & utilitatis afferentia. Ubi autem dubitatur verisimiliter, aut certitudinaliter scitur de Excommunicatione vel Irregularitate, forma habetur in superioribus, nec fingat aliquis nimis leviter scrupulos in materia conscientiæ, sed expertorum & sapientum consilio utatur, aliàs nunquam ad solidam aliquam devotionem perveniet, &c.

Quæ sequuntur, in prædicta Litera non habentur, sed cognoscens ego quòd ad capitulum. XLV. Jeremiæ de Baruch me remitteret legendum, manifestare nescientibus curavi. Sciendum igitur quòd Baruch, qui Scriba erat, prævidens nimiam calamitatem quæ oppressura erat Judæos de Jerusalem, in qua ipse tunc erat quando Nabuchodonosor Rex Babylonis oppugnavit eam, & timens plurimùm involvi communi ceterorum clade, cœpit intra seipsum querulosis planctibus contristari, quem Dominus piè & paternaliter redarguens, quòd in tanta hominum multitudine in captivitatem adducenda, ipse sibi requiem & gaudia quæreret, prædixit ipsum Baruch multa cum ceteris passurum corporaliter, sed non sine grandi & dulcissima consolatione servaturum se animam ejus, quòcunque pergeret compromisit, quod quidem illi sufficere debuit. Unde hîc habetur in dicto cap. XLV. Jerem. *Verbum quod locutus est Jeremias Propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Jerem. Anno 4. Joachim filii Josiæ Regis Juda dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israël ad te Baruch. Dixisti, væ misero mihi: quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo, laboravi cum gemitu meo, & requiem non inveni. Hæc dicit Dominus: sic dices ad eum: ecce quos ædificavi, ego destruo, & quos plantavi, ego evello, & universam terram hanc. Et tu quæris tibi gaudia? noli quærere, quia ecce ego adducam malum super omnem carnem, dicit Dominus; & dabo tibi animam tuam in salutem, in omnibus locis, ad quæcunque perrexeris.* Hæc ibi. Super quo verbo ait Glossa ordinaria in hunc modum. „Rudis adhuc tolerantia passionum, quas experturus erat Baruch, expavit captivitatis calamitatem, quæ tempore Joachim imminebat. Unde conqueritur dolorem additum dolori suo, cui responsum est à Deo, quòd superfluè quæreret sibi pacem, cum totus populus sub fasce tribulationum laboraret. Signat autem eos qui pressurâ tribulationum vel persecutionum, quibus in præsenti Ecclesia gravatur, pusilanimitate titubant quærentes consolationem, quæ solùm in futuro plenè promittitur. Unde: *vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Joan. XVI. 20.„ Hæc ibi.

Igitur hoc exemplo eruditi, rogemus in spiritu humilitatis & animo contrito obnixiùs Patrem misericordiarum Dominum nostrum, ut si propter delicta nostra (quæ pœnas acerbissimas demeruerunt) flagellari nos decreverit, saltem misericorditer corripiat, conservans animas nostras ab omni murmurationis & impatientiæ periculo, quatenùs in præsenti castigati salubriter, & non mortificati, digni simus, qui in æterna beatitudine cum sanctis omnibus consolemur. Amen.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DE

ABSOLUTIONE

DEFUNCTI

CARTHUSIENSIUM.

Collat. ad eumdem MS. Cod. Vict.

SEQUITUR responsio ad interrogationem Carthusiensium aliquorum. Ad videndum si defunctus possit absolvi, sicut dicitur fieri apud Carthusienses, dum inhumatio celebratur; notari potest distinctio magistralis, quòd quadruplex potest intelligi Absolutio. Quædam est Sacramentalis in Foro conscientiæ. Quædam Juridicialis in Foro Ecclesiæ. Quædam Satisfactoria. Quædam Deprecatoria. Constat quod defunctus non potest absolvi Sacramentaliter, sicut nec potest confiteri, quoniam *à mortuo perit Confessio.* Eccli. XVII. 26. Et ad hoc potest reduci illud dictum Petro: *quodcunque ligaveris super terram*, &c. Matth. XVI. 19. non dicit sub terra. Rursùs quia si defunctus sit in gloria, non indiget; si sit damnatus, non est capax; si sit in Purgatorio, ipse aliter salvabitur.

Constat præterea quòd defunctus si fuerit excommunicatus in Foro Ecclesiæ vel exteriori, & pœnituerit, potest absolvi & quoad corpus & quoad animam, sicut frequenter practicatur. Et in hoc casu potest Officians dicere: *Absolvo te.* Non in primo nec in sequentibus expedit.

Constat rursùs, quòd per modum satisfactionis potest defunctus existens in Purgatorio, recipere Absolutionem à pœna sua multipliciter. Uno modo, dum particularis persona applicat meritum suæ satisfactionis pro defuncto. Alio modo, dum hoc facit una Congregatio particularis vel caput Congregationis. Tertio modo, si Papa velit communicare de thesauro Ecclesiæ per modum Indulgentiæ; quoniam isto modo potestas Papæ & claves Ecclesiæ possunt se extendere ad defunctos in Purgatorio, saltem indirectè, cujus declaratio posset longius extendi, sed hîc omittitur. Fundamentum datur in Articulo Symboli, *Sanctorum Communionem*: in quo fundatur valor Suffragiorum pro defunctis factorum per vivos.

Constat denique quòd per modum deprecationis & impetrationis potest defunctus existens in Purgatorio frequenter absolvi juxta doctrinam communem omnium Doctorum, & universalem ritum Ecclesiæ, quæ pro defunctis instituit Orationes atque Suffragia. Et inde est illa Oratio cum similibus: *Absolve quæsumus, Domine.* Juxta quem modum Absolutionis fiunt in Ecclesia quotidie Absolutiones generales ante Missam, & in Completorio dùm post, *Confiteor* dicitur: *Absolutionem*, &c. Et isto modo nulla est difficultas in prædicta observatione Carthusiensium vel aliorum qui dicuntur absolvere defunctos, si non utantur nisi verbis deprecatoriis. Quia vel intendunt impetrare Absolutionem defuncti per deprecationem, vel etiam per satisfactionum suarum applicationem juxta tertium membrum. Si verò fiat Absolutio per verbum præsentis temporis & indicativi modi, ut dicecea-

cendo: *Ego te Absolvi*, &c. potest hoc loquendi modus piè intelligi vel interpretari tanquam sit deprecatorius, aut quòd fiat, juxta secundum membrum distinctionis Absolutio quædam juridicialis de Excommunicationibus, si quæ forsitan contractæ sunt per transgressionem Statutorum Religionis, vel alio modo. Cui consonat quòd inquiritur à circumstantibus, dum corpus debet inhumari, *vultis quòd absolvatur?* Sicut etiam apud sæculares quandoque non humaretur corpus, nisi Episcopus vel Curatus mandaret, & creditores consentirent.

Rursùs posset addi, quòd ex Indulto Apostolico intelligitur fieri largitio quædam Indulgentiarum, per quas absolvatur defunctus à pœna, quâ ligatus est in Purgatorio. Sed hoc indiget majori declaratione, quia nec certum est de tali Privilegio vel Indulto, seu de forma ejus, & quæ causa movisset Papam ad concedendum tales Indulgentias Carthusiensibus plusquam aliis, quamvis austeritas Religionis videretur esse causa rationabilis talis Indulti. Et post scripturam præmissorum datum est intelligi, quòd Prior Magnus, & consequenter alii, funguntur autoritate Legati Papæ circa suos.

Et istam concessionem judico rationalem pro tollendis scrupulis, qui plures insurgunt apud timoratos in Dei servitio, quam aliàs; & ut afflictis pro timore Dei sua prosit afflictio. Undè licet defuncti non sint habiles facere ea quæ communiter instituuntur pro perceptione Indulgentiarum, ut quòd contribuant, jejunent, orent; potest tamen Papalis autoritas concedere ut si pro charis suis vivi talia faciant pro quibus dantur Indulgentiæ, prosint ipsis.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

SUPER
ABSOLVENDI
POTESTATE,

Et qualiter expediat fieri Reservationem peccatorum.

Ad eundem Cod. MS.

GLORIFICATE *Deum qui dedit potestatem talem hominibus.* Matth. IX. 8. Quod verbum quamvis literaliter sit de potestate sanationis morborum in corpore, tamen principaliùs intelligitur per mysterium de potestate Clavium solventium pestes peccatorum in mente. Hæc autem potestas Clavium, quæ circa corpus Christi mysticum cum membris suis (quæ sunt fideles) exercetur, residet in sua plenitudine & fonte apud Papam: de hinc apud Prælatos majores usque ad minores (quos Curatos appellamus) derivatur ordine hierarchico, divinitùs non humanitùs instituto, ad ædificationem Ecclesiæ & salutem populorum, quam Christus expediens judicavit. Et quoniam expedit viam Pœnitentiæ per Claves Ecclesiasticas nec nimis aperiri pro contemptu, nec improbè coarctari sine fructu: videndum est præcipuè de potestate Curatorum, quæ quotidie practicatur, qualiter sit & qualiter non limitanda juxta qualitates temporum & locorum, & multiplicationem transgressionum & possibilitatem remediorum. Qua super re placeat attendere propositiones, non declarationes, quæ sequuntur.

Omnis casus, qui non invenitur à Curatis remotus, censendus est eis concessus in Foro conscientiæ respectu subditorum.

Omnis casus, cujus reservatio ad Superiorem vel non deceret, vel non expediret, Curatis est relinquendus.

Omnis casus purè secretus, nec scandalizans proximum, relinquendus videtur esse Curatis; præsertim ubi non est spes majoris, immò deterioris effectus, ut quia peccator nunquam iret ad Prælatum, nec fortè noto cuiquam (prout sæpè fit) auderet confiteri. Omnis casus Excommunicationis latæ Sententiæ per hominem, & nominatim in hanc vel illam personam publicè, potest à Curatis rationabiliter reservari. Casus Excommunicationum etiam latæ Sententiæ per Jura vel hominem, & hoc sub quadam generalitate nullâ personâ nominatâ, videntur posse concedi Curatis, ut absolvat cum injuncta satisfactione facienda, quantùm Jura permittunt & quies Reipublicæ cum Cleri Privilegio pati potest. Casus carnalium lapsuum, præsertim in sexu muliebri ac puerili, qui secreti sunt videntur Curatis dimittendi sub terrore futuri Judicii, commixtione brutorum excepta, si non desperatio timeatur in remittendo. Casus votorum communium, & sæpe stultorum, cum absolutione de præteritis & commutatione pro futuris videntur Curatis relinquendi, maximè si sint secreti, & si palam inutiles appareant, aut modicùm fructuosi; possunt enim Prælati talia committere ratione potestatis suæ superioris & civilis quæ in omni voto civili supponitur non excepta, sed inclusa, &c.

Casus restitutionum incertarum; ac modici pretii possunt Curatis dimitti; secus in certis; secus in magnis pretiis; secus in defraudationibus notoriis & scandalosis & usuris.

Casus Hæresum occultarum & mentalium; Casus similiter blasphemiarum levi motu iræ prolatarum; Casus perjuriorum quotidianorum non judicialium; Casus sortilegiorum sine horrore ac læsione proximorum ac Sacramentorum abusione; Casus sacrilegii parvi; Casus offensionis parentum sine læsionis enormitate, possunt Curatis dimitti. Casus abortuum, vel in ventre vel extra, qui veniunt omninò præter intentionem parentum, dimittendi sunt Curatis, maximè si sunt secreti, nec proximos scandalizant; quoniam pro talibus nullo modo danda est pœnitentia gravis, præsertim publica, quæ non pia, sed crudelis, ut loquimur, est censenda: nec excusat, sed accusat hoc loco dicere, quòd datur ad terrorem aliorum. Casus habentes in Decretis Patrum suas Pœnitentias limitatas, non sunt proptereà sic semper, immò nec frequenter observandi per Curatos in Absolutione conferenda, quando secreti sunt; secùs de publicis. Oportet certè, ut Pœnitentiæ sint pro circumstantiis arbitrariæ. *Tutius quòque dimittere pœnitentem ire in Purgatorium cum parva pœnitentia: quam hic implere vult, quàm cum magna non implenda ducere in Infernum*, verbum est memoriale Guillielmi Parisiensis. Casus enormes publici & scandalosi tàm Ecclesiæ toti, quàm proximis locis & vicinis, possunt utique majoribus Prælatis reservari, quos casus facile erit cognosci per Curatos.

Casus reservati Prælatis possunt audiri per eos aut eorum Vicarios & absolvi, dùm tamen pœnitentes bona fide proponant reliqua confiteri suis habentibus potestatem, immò quòd libenter omnia confiterentur uni & eidem, si simul idem Confessor vel vellet vel posset absolvere. Tunc enim est unitas Confessionis ex bona fide, quamvis esse videatur diversitas in Confessoribus & tempore vel actione. Lugduni 23. Martii sub correctione.

Finis.

JOAN-

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Pariſienſis
EPISTOLA
ad quemdam
EPISCOPUM
SUPER
MODERATIONE
CASUUM RESERVANDORUM IN FORO.

Ad Codd. MSS. Vict. 463. Colbert. 99. & Navarricum unum.

PONTIFICALI dignitati, ſuus qualiſcunque zelator, clavibus benè uti. Paſtoralis autoritas in caſibus reſervandis quoad Forum conſcientiæ, ſicut & alia quælibet poteſtas, data eſt Prælatis in ædificationem Eccleſiæ, non in deſtructionem, ſicut dicit Apoſtolus, 2. Cor. XIII. 10. & in favorem populi Chriſtiani pro ſalute ſua. Conſtat autem certiſſimè per plures expertos in Confeſſionibus audiendis tempore iſto, quòd reſervatio ſtricta quorumdam caſuum, præſertim in gravioribus & occultis ſpeciebus peccati carnalis, retrahit innumeros à Confeſſione talium peccatorum, ſicut ſunt pueri & puellæ, & mulieres verecundiſſimæ, & rurales idiotæ, à quibus vix poteſt extrahi Confeſſio talium peccatorum, quantùmcunque Confeſſor ſit ſollicitus, humilis, moroſus & diſcretus. Quòd ſi remittantur ad Prælatum vel Pœnitentiarium de longinquo vel in publico, refugiunt & horrent; expertumque eſt millies quòd non vadunt: ſed nec ducenti, nec trecenti, immò nec mille Pœnitentiarii ſufficerent aliquando in una Diœceſi ad tales caſus plenè audiendos abſolvendoſque. Denique quid prodeſt, & certè obeſt plurimùm, addere verecundiam ſuper verecundiam, onera gravia ſuper onera, & difficultatem confitendi talia peccata ſuper difficultatem, quæ tanta eſt ut vix credi poſſet? Et hoc præcipuè quando peccatum ſecretum eſt, & tale quòd autor perpetuò celabit ipſum ſi velit, ut nec Epiſcopus nec alius inde punitionem vel notitiam inveniat.

Sed dices: talis ſi non revelaverit, damnabitur. Fatemur quidem, ſed obviandum eſſet huic damnationi modis omnibus potius quàm addenda ſit occaſio. Expertum eſt itaque quod hic terror reſervationis nullos aut pauciſſimos cohibet ſic peccare: innumeros autem ſic retrahit confiteri propter dictas cauſas & etiam alias; quoniam mulieres præcipuè tali modo retrahuntur.

Primò timentes notari à maritis cum tales Confeſſores adirent; qui, cum zelotypi ſint, ſtatim ſiniſtràm contra uxores ſuas ſumerent occaſionem, undè ſurgerent jurgia, lites, diſcordiæ & amoris interruptio, & cetera quæ pejora procurarent mala, utinam non ſæpius mortem.

Secundò, quia ſæpius à talibus Confeſſoribus exactionantur in dando pecuniam, ceram aut ſimilia, vel injunguntur pœnitentiæ publicæ, undè iterum à ſuis maritis notarentur, undè quoque inciderent pericula.

Tertiò, quod verecundæ non auderent confiteri magno Prælato aut famoſo Doctori, ſicut benè aliis, ſalvo illo quod ſit bonus & idoneus. Et plures cauſas retrahentes quis ab experientia colligere poteſt.

Similiter & in viris cauſæ tales aliqualiter æſtimandæ ſunt & ſimiles, præcipuè ſi aliquis incidiſſet caſum Epiſcopalem: idcircò quia nocuiſſet Epiſcopo aut Eccleſiæ ſuæ, quomodò iſte induceretur ad confitendum Epiſcopo aut ſuo cognito Vicario? Aut fortè quis conſiderans quæſtum pecunialem fore apud Confeſſores tales, ut fit communiter, unde ſcandalizatus ſe à Confeſſione retrahit, & mille talia, quæ innumeros retrahunt à Confeſſione. Et hoc intelligendum de peccatis occultis. Secus eſt in peccatis publicis quibuſcunque. A Talia ſola ſecundùm quoſdam Doctores olim Jura condita reſervabant. Ad quid? Nimirùm ut taxaretur pœna gravis & publica per Superiores talibus in exemplum & terrorem aliorum. Sed in occultis ceſſat hæc ratio; quoniam pro talibus nulla pœnitentia injungenda eſt, quam nolit confitens recipere. Quoniam juxta memorabile dictum Guillielmi Pariſienſis, ſalubrius eſt confeſſum cum pauca leviſſima pœnitentia acceptata relinquere in manu Dei puniendum in Purgatorio, quàm cum magna non adimplenda detrudere ipſum in Infernum. Provideat igitur deinceps ſollicitudo tua pia & Pontificalis Dignitas. Noli claudere regnum Dei gregi Chriſti; cave onera gravia cervicibus debilibus & caſuris alligare. Quamobrem à talium caſuum occultorum reſervatione, qui pro dolor! vix veniunt ad Confeſſores quoſcunque, licet celeberrimi ſint, conquieſcas. Poſtremò ſi non placet caſus omnes occultos (quia de publicis non loquimur) relinquere paſſim cuilibet Confeſſori, ut pro omni ætate confitentium &c. ſaltem hoc expedire videtur, primò quòd B nullus caſus judicaretur eſſe reſervatus quoad confitentes minores, ſcilicet qui non compleverunt decimumquartum Annum, quia non habent perfectum uſum rationis, nec faciliter reſiſtunt tentationibus ſuis vel malitiis alienis, nec leviter audent coram perſonis authenticis & extraneis comparere, quantò minùs audent de tam pudendis confiteri. Conſulendum eſt inſuper verecundiæ & famæ mulierum vel parentum, ſi crebrò, vel publicè, vel de longinquo ad Pœnitentiarios mitterentur.

Et expedit denique faciliter & citò relinquere poteſtatem ſuper occultis caſibus Curatis & Ordinariis, & generaliter omnibus qui bona fide voluerint & ſciverint proficere animabus, non ad quæſtum vel ſubverſionem, immò tales diligenter inquirendi eſſent, & inducendi, & rogandi ad laudem Dei & ſalutem populi, Confeſſores & Prædicatores per condeſcenſionem bonitatis in hoc tempore peſſimo quando nimis experimur, C heu! illud Geneſis *Corruperat omnis caro viam ſuam.* Gen. VI. 12. Hinc horrendum eſt ubique flagitiorum naufragium, à quo ſalvat Arca Pœnitentiæ, cujus Arcæ introitum ideò plùs expedit ampliare quam nimia arctitudo ſua prohibeat eos qui ad ingrediendum allici, immò, juxta Parabolam Evangelicam, quaſi compelli debuerunt. Expediret inſuper in ſpeciali, dùm pax univerſalis habebitur Domino propitio, quòd quilibet de quacunque Obedientia fuerit, habeat licentiam generalem & expreſſam quòd poſſit abſolvi nedum juridicè, ſed ſacramentaliter à quocunque diſcreto Sacerdote ſuper omnibus in omni eventu qui peccavit circa materiam hanc contendentium de Papatu. Dirigat omnia Deus, qui eſt benedictus in ſæculorum ſæcula. Amen.

Ex iiſdem Codd. MSS.

D Caſus aliqui ſpeciales ſunt mollicies ſecum, item pollutio in ſimili ſexu. Item in alio ſexu extra vas ordinatum, tàm in Matrimonio quàm extra Matrimonium. Item corruptio talis in omni gradu cognationis & in omni ſpecie peccati carnalis, ſine reverentia generis aut ætatis, aut Religionis, aut Sacræ Dignitatis aut partium honeſtarum. Et hoc præſertim ubi ſunt in nimia familiaritate parentum cum puellis & pueris & in otio & deliciis; inter quas beſtiales efficiuntur & tales de quibus loquitur Satyricus:

Quid

Digitized by Google

Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quæ sit distantia nescit.

Item sacrilegia in parvis & sortilegia in levibus; & percussiones puerorum Clericorum ad invicem; & restitutiones incertæ de modicis & si qua sunt similia.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

RESOLUTIO SUPER CASU SUBSEQUENTI CIRCA IRREGULARITATEM.

Ad MSS. Codd. Vict. 699.

QUIDAM habens cultellum parvum in vagina alterius majoris repositum, eduxit eum non dolosè, neque ad usum illicitum; quem cultellum dùm unus sociorum vellet accipere, & ipse reniteretur, contigit ut illâ horâ & loco quidam retrorsùm appropinquaret, & impingeret in illum parvum cultellum ut oculus suus configeretur taliter quòd cæcatus fuisse dicitur tandem oculus ille. Quæritur, si dicenda est indè contracta Irregularitas in tenente cultellum?

Responderetur per aliquas Considerationes.

Consideratio Prima.

Considerandum est primò pro dissolutione casûs, quòd in talibus sæpè aliter judicat Jurista, aliter Theologus; quia primus magis inspicit Forum contentiosum & extrinsecum; sed Theologus magis attendit Forum conscientiæ & extrinsecum quoad Deum.

Consideratio Secunda.

Considerandum est consequenter, quòd hoc duplex Forum accipit suam distinctionem, secundùm quod actus moralis habet considerari dupliciter, hoc est dicere secundùm materiam vel secundùm formam actûs moralis. Materia actûs moralis dicitur ipse actus de genere cum circunstantiis suis generalibus, non habito respectu ad finem vel intentionem agentis, forma verò est ipsa intentio finis.

Consideratio Tertia.

Considerandum ulteriùs, quòd materia actuum moralium attenditur in triplici differentia. Nam quidam sunt actus de genere suo simpliciter mali, qui scilicet confestim nominati includunt secum malitiam, sicut dicit Philosophus; ut sunt furtum, fornicatio, homicidium. Alii sunt actus de genere simpliciter boni; ut dare eleemosynam, honorare parentes. Tertii sunt indifferentes de suo genere; ut levare festucam, fricare barbam, & similes.

Consideratio Quarta.

Considerandum rursùs, quòd istorum triplicium actuum primi sic se habent, quòd non sunt susceptibiles bonæ formæ moralis, sicut materia indisposita in naturalibus non est susceptiva formæ naturalis & vitæ, ita quod propter nullam bonam intentionem possunt tales actus boni effici, secundi verò actus possunt fieri mali, quamvis sunt in genere suo boni, dùm accedit intentio perversa, similiter & tertii.

Consideratio Quinta.

Considerandum est consequenter ex istis, quomodò possit esse varium judicium super eodem casu inter Juristam & Theologum; quia Jurista considerat factum in se & circumstantias exteriores de quibus potest judicialiter apparere, & apud eum tenet ista regula, A quòd *idem est de his quæ non sunt & quæ non apparent.* Constat autem, quòd intentio facientis quam habet interius in corde, non cognoscitur in se, nisi fortè per quædam signa seu conjecturas extrinsecas. Theologus autem intuetur cor in Foro conscientiæ, in quo creditur confitenti, tàm pro se, quàm contra se coram Deo.

Consideratio Sexta.

Considerandum deinceps, applicando ad propositum nostrum etiam omnia similia, quòd Jurista considerans actum moralem cum circumstantiis extrinsecis de quibus potest judicialiter constare, fert conformiter judicium ad illas juxtà dicta. Contingit autem frequenter quòd talis actus sic consideratus est de secundo vel tertio genere, qui scilicet potest ex intentione fieri vel bonus vel malus. Exemplum in proposito: tenere cultellum B de se non est malum; similiter quòd aliquis velit cultellum recipere non est de se malum, rursùs quòd aliquis accesserit retrò vel propè non est de se malum. Et ex istis sequitur, quòd læsio oculi quæ secuta est, non est de se mortaliter mala, immò staret quòd sicut præcedens actus seu circumstantiæ, ita & iste resultans facti fuerunt cum magna charitate & benovolentia, ex intentione boni finis apud Deum, quamvis de illa intentione non appareat apud mundum, immò fortè magis de opposito.

Consideratio Septima.

Considerandum insuper pro majori elucidatione, quòd sicut apud Philosophos Naturales distinguitur duplex genus causarum, ita & apud Morales: nam quædam sunt causæ per se, aliæ per accidens. Causæ per se dicuntur, ad quas natus est sequi naturaliter & communiter talis effectus. Sed causæ dicuntur per acci- C dens, ad quas non est ordinatus vel natus sequi talis effectus; aut si sequatur, hoc est extrà semper & frequenter, & præter intentionem agentis, sicut dicitur 2. Physicorum & inducitur à Boëtio *De consolatione Philosophiæ*, describendo casum & fortunam.

Consideratio Octava.

Considerandum juxtà hoc in casu nostro, quòd talis læsio vel excæcatio oculi non est de per se nata sequi &, ut in pluribus, à talibus causis: ideò dicitur fuisse merè casualis seu fortuita, & præter intentionem agentis, & de per se accidens; ideò de se non est imputandus talis effectus agenti quoad Deum & conscientiæ Forum: saltem quantùm ad peccatum, quod non est nisi voluntarium.

Consideratio Nona.

D Considerandum nihilominùs, quòd Jurista contentiosè agens nec credens intentioni, arguet ex circumstantiis, quòd intentio fuit perversa & damnanda per aliquas conjecturas. Una est, si talis dabat operam rei illicitæ. Altera, si hostis erat personæ læsæ. Altera, si non apposuit sufficientem cautelam, ne persona illa læderetur, sed poterat satis advertere quòd ex actu suo sequeretur talis effectus. Sed si omnes istæ conjecturæ & similes cessent in veritate, nec fuerunt in intentione nec esse debuerunt; Theologus stabit judicio conscientiæ apud Deum.

Consideratio Decima.

Considerandum est exemplum in similibus. Ecce, quòd Jacob cognovit Lyam quæ non erat uxor sua, & tamen excusatur à peccato, quamvis posset videri quòd dabat operam rei illicitæ sine appositione sufficientis cautelæ. Quare? Quia certè potuisset attulisse A lumen, dicet aliquis & inspexisse lectum, & ita scivisset quòd Lya non erat Rachel, ac perinde videretur ignorantia non invincibilis esse, quia utique poterat vinci modo tacto vel simili.

Consideratio Undecima.

Considerandum est igitur pro intellectu hujus quod est dare operam rei illicitæ, & hujus quod est habere ignorantiam invincibilem, quòd ista judicanda sunt ex causis per se, non à causis per accidens. Unde in exemplo præmisso Jacob dicitur habuisse ignorantiam facti invincibilem, non quia non posset vinci etiam per industriam humanam, sed quia fecit sufficienter illa quæ in talibus sunt consueta observari, & ad quæ tenebatur secundùm moralem certitudinem: immò videtur, quòd peccasset, & inverecundè egisset afferendo lumen, fuissetque meritò de zelotypia vel nimia suspicione culpandus. Rursùs quamvis ille concubitus cum Lya esset res de se illicita; tamen Jacob non dicitur B dedisse operam rei illicitæ, quia putabat ex errore facti illam esse Rachel, Sic Medicus aliquis aut alius, si ex pietate vellet inspicere oculum alicujus pro extrahenda spina, & à casu aliquis pelleret Medicum, vel læsum, sic quòd spina plus infigeretur & inde cæcitas sequeretur, talis Medicus nec peccare nec irregularis esse quoquo modo diceretur, præsertim in Foro conscientiæ; alioquin sequerentur quotidiè Irregularitates infinitæ, si ex qualibet causa per accidens deberet aliquis Irregularis judicari.

Consideratio Duodecima.

Considerandum est vigilanter super similibus casibus ex eadem radice provenientibus, per quam radicem debent judicari, secundùm artem veram, non secundùm cujuslibet phantasiam. Ponamus coram oculis bellum aliquod mortiferum, licitum tamen, ubi C mille homines trucidantur: attendamus simul quot & quanti sunt viri Ecclesiastici, quorum actiones potuerunt dici causæ per accidens talis cædis, alter dedit consilium quòd Patria defenderetur vi armata; alter prædicavit & hortatus est milites viriliter agere; alter pecunias aut cibos ministravit, aut forsan arma dedit, & talia sine numero potuerunt fieri, etiam per Ecclesiasticos, absque quibus auxiliatoribus vel hortantibus fortè bellum non fuisset.

Consideratio Decima tertia.

Considerandum igitur, quòd hæc consequentia non valet. Iste fuit causa per accidens mortis vel mutilationis alicujus hominis; ergò ipse est homicida vel Irregularis. Similiter fieret applicatio ad materiam Excommunicationum pro tollendis multorum scrupulis in participatione vel consilio, sed hoc meliùs separatum poterit declarari.

Consideratio Decima quarta.

Concludendo, sub correctione meliùs sentientium videtur, quòd ex prædicto casu sic considerato non est dicenda Irregularitas fuisse contracta, neque peccatum commissum.

Corollarium pro regula.

Elici tandem potest ex præmissis per modum regulæ, quòd Irregularitas contrahitur ex homicidio vel mutilatione, & non aliter, quando occidens vel mutilans fecit actum ex quo nata est de per se, vel ut communiter seu probabiliter sequi mors hominis vel mutilatio, sive talis actus sit licitus, prout in Judicibus & belligerantibus pro Republica, sive sit illicitus de genere vel ex intentione. Videtur enim quod ista notificatio sit sufficiens tàm apud Theologum quàm apud Juristam, nisi fortè Jurista aliquis ponat aliquam hujusmodi Irregularitatem fundatam à Legislatore propter solum terrorem incutiendum hominibus, & non ratione delicti., nec ratione mysterii; quo casu talis difficulter poterit distinguere casus aliquos generaliter, per quos diceret contrahi Irregularitatem ex homicidio, & per alios omninò similes vel graviores non contrahi. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

Alius Casus circa EMENDATIONEM LITTERARUM APOSTOLICARUM

Utrum eas emendans incurrat Excommunicationem.

Ad eumd. MS. Cod.

QUIDAM scholaris Parisiensis audiverat ex fama volante, quod falsarii Litterarum Apostolicarum vel de Jure vel aliàs de facto erant excommunicati. Scholari illi Parisiis existenti, allata est de Curia Romana una Gratia expectativa, in qua erat correctio in orthographia unius vocabuli, ubi pro littera [e] ponebatur littera [o]. Scholaris iste erat scrupulosus, & timebat corrigere vocabulum illud propter Censuram Ecclesiasticam; nihilominùs correxit ipsum, solummodò discontinuando litteram [o], & faciendo de ipsa [e], per levem tractum canipuli, & erat correctio imperceptibilis. Posteà scholaris iste ad cautelam, & pro pacificatione scrupuli, confessus est cuidam idoneo Sacerdoti, qui Sacerdos dixit sibi quòd talis correctio non erat falsatio Litteræ Apostolicæ, sed emendatio. Ex quo tempore scholaris iste fuit satis pacificatus in sua conscientia. Tandem labentibus aliquibus temporibus scholaris iste promotus est ad Sacerdotium, & celebravit ferè per triennium, nullum faciens scrupulum de ista materia, donec studendo Summam Confessorum, invenit ibi quæ sequuntur: *Hostien. lib. v. R. 20. de crimine fal. §. qualiter 2. sub §. porrò sed hodie.* „Hodie, inquit, „præceptum est, quòd literis Domini Papæ, nec in D „magno, nec in modico, audeat quis manum imponere, etiam unicam literam vel punctum unicum corrigendo, exceptis Officialibus, quibus hoc commissum est; alioquin manum apponens ex Canone lato in „Curia, ipso facto Sententiam Excommunicationis incurrit, quæ non potest per aliquem citra Sedem Apostolicam relaxari.

Quapropter quæritur utrùm propter istam Constitutionem dictus scholaris incurrerit Sententiam Excommunicationis, & consequenter Irregularitatem, immiscen-

Digitized by Google

miscendo se divinis? De ista quæstione quidam ad pauca aspicientes, vel nimis ruditer sentientes, dixerunt primò super hòc verbo, *manum apponere*, deinde super hoc verbo, *corrigendo*. Superiores tamen litterati, quibus est Epikeia moralis commissa judicialiter vel doctrinaliter, necnon Theologi, præsertim Licentiati, & in Foro conscientiæ habentes Gnomicam, hoc est virtutem superiorem interpretativam secundùm Leges Divinas & æternas, dicerent, judicio meo, quòd A hæc verba debent intelligi, prout includunt in sua ratione seu significatione formali deformitatem & malitiam, hoc est, quòd talis appositio seu correctio facta sit ex malitia vel contemptu. Alioquin cadunt puri literales & rudes in inconvenientia & absurditates plurimas, ut quòd recipiens Bullam Apostolicam & manu contrectans, & eam scholaribus suis exhibens, & eam punctans pro exemplari, incurreret hanc Sententiam, & ita de similibus inconvenientibus, quæ Parmenides nunquam vidit juxta verbum aliorum.

Unde sicut in Excommunicatione percutientium Clericos supponitur quod hoc fiat, *suadente diabolo*, & sicut in Apocalypsi & in Symbolo Niceno, & in Dionysio, *De Divinis nominibus*, dum ponitur quòd nihil liceat addere vel diminuere; dicunt Expositores concorditer, intelligendum esse quòd hæc additio vel diminutio non fiat ad corruptionem principalis intel- B lectûs Spiritus sancti: ità accipiendum est in proposito, addendo quòd Excommunicatio nullo modo ferri potest nisi in contumacem: nullus autem est contumax nisi agat ex contemptu Dei & Ecclesiæ. Hic autem contemptus non fit nisi à sciente verè vel interpretativè, & qui dum scit, non est paratus audire Ecclesiam.

Doctores Theologi, nominatim Doctor subtilis in quarto, reprobant ex hac radice tantam multiplicationem Excommunicationum, præsertim latæ Sententiæ, attendentes quòd Potestas Ecclesiastica data est in ædificationem, 2. Cor. XIII. 10. non indestructionem & laqueum inextricabilem animarum. Quis enim diceret quòd aliquis Prælatus ex motu capitis sui ferens Excommunicationem de rebus indifferentibus, vel etiam bonis de genere, ut quòd levans festucam, vel dans homini eleemosynam, Excommunicationem incurreret ipso facto, tolerandus esset & audiendus? Sic in proposito, quia prorsùs indifferens est tenere Bullam Pa- C pæ benè vel malè, scilicet ad reverentiam benè, vel ad contemptum malè, sic ad alios fines bonos vel indifferentes, benè vel indifferenter. Attento denique quòd non est contemptus verus vel interpretativus, ubi non est obligatio sciendi, prout evenit in Constitutionibus purè positivis apud maximam hominum multitudinem, ubi ignorantia excusat, præsertim apud Deum. Alioquin quilibet esset obligatus esse summus Jurista, immò plus quam summus, qui sciret omnes Constitutiones Summorum Pontificum & aliorum scriptas & non scriptas.

Possent, & expediret, hæc inconvenientia latius deduci contra imponentes jugum grave hominibus, quod nec ipsi digito movere volunt, nec eorum Patres & filii ferre potuerunt. Hoc unum ad præsens quæsitum dico, quòd circumstantiis attentis non est habendus scrupulus tanquam de Excommunicatione latæ Sententiæ, quæ deinceps prohibere debeat à celebratione Missarum & similium; nihilominùs quia abundans cautela non nocet, si discreta, non fatua sit: habeat scrupulosus talem animi præparationem, quòd D ubi etiam aliter aut securiùs agendum sibi monstraretur, proponit hoc se facturum. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

CIRCA MATERIAM EXCOMMUNICATIONUM IRREGULARITATUM RESOLUTIO.

Ad MS. Cod. Vict. 699.

Consideratio Prima.

CONTEMPTUS Clavium Ecclesiasticarum causat, quasi formaliter & principaliter Excommunicationis vel Irregularitatis detrimentum. Sic enim solent communiter Domini Juristæ dicere, quòd Irregularitas contrahitur, dum aliquis excommunicatus se immiscet Sacris in contemptum Clavium. Fundatur autem hæc consideratio principaliter ex illa Lege Evangelica Matth. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus &c.* Sequitur: *dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* ℣. 17.

Consideratio Secunda.

Contemptus Clavium potest intervenire multipliciter in aliquo. Uno modo directè & causaliter, & hoc propriè dicitur fieri ex contemptu, quando scilicet contemptus est causa actionis principalis, ita quòd non fieret actio, nisi esset ad contemptum Clavium: quemadmodùm si quis dicat Episcopo excommunicanti: Ego in despectum vestrum, & vestri præcepti, nihil agam illius quod jubetis. Alio modo fit contemptus implicitè, quia videlicet est contumax inobedientia, quamvis non ex inobedientia, vel propter non obedire, sed propter aliquid aliud delectabile vel utile aliquis peccat contra Prelati jussionem. Tertio modo dicitur contemptus interpretativè omnis voluntaria transgressio cujuscunque præcepti, & isto modo reperitur contemptus in omni peccato, præsertim mortali, directè vel indirectè, verè vel interpretativè.

Consideratio Tertia.

Contemptus primo modo rationabiliter demeretur Excommunicationem, & consequenter Irregularitatem. Similiter & secundus, dùm jungitur contumacia. Sed tertius contemptus non semper est Excommunicationis Ecclesiæ, nec consequenter Irregularitatis demeritorius. Dicitur Ecclesiæ notanter, quia omnis peccans mortaliter est à Deo & apud Deum excommunicatus, sed non semper per Ecclesiasticam Sanctionem.

Consideratio Quarta.

Contemptus neutro modorum prædictorum dicendus est intervenire contra præceptum aliquod Prælati, quando manifestè & notoriè Prælatus abutitur in hujusmodi præcepto Clavium potestate, & hoc dùm scit & cognoscit ille qui non obedit, nec aliunde generat in se vel in aliis scandalosum contemptum Clavium. Quoniam in hoc talis non est inobediens Clavium potestati, sed erroneo Clavium abusui.

Consideratio Quinta.

Contemptus Clavium magis invenitur quoad cul-

Digitized by Google

pam in Prælato taliter, ut præmittitur, abutente sua potestate, quàm in non obediente, si comparatio recipiatur abusiva. Est igitur quandoque meritorium & honorificativum Ecclesiæ Potestatis quòd tali Prælato in faciem resistatur, cum appositione inculpatæ tutelæ, quemadmodùm restitit Paulus Petro.

Consideratio Sexta.

A

Contemptus Clavium quandoque posset inveniri in uno qui non pareret Sententiæ sui Prælati, ubi & quando alius in eadem Sententia non obediens nullo modo contemptûs esset reus, præsertim apud Deum. Cujus ratio est, quoniam unus reputat Sententiam justam, aut quomodolibet obediendum illi; alius verò non, sed scit certitudinaliter aut probabilitate sufficienti suum Prælatum malè uti in præjudicium Clavium, & in destructionem Ecclesiæ.

Consideratio Septima.

Contemptus Clavium debet investigari ex Potestate legitima, & usu legitimo Potestatis illius qui præcipiendo excommunicat vel Irregularitatem comminatur. Alioquin Prælati possent inducere qualemcunque vellent super illos servitutem, si suis Sententiis iniquis B & erroneis semper esset obediendum. Et ita patet, quòd hoc commune dictum, Sententia Prælati vel Judicis etiam injusta, timenda est, indiget glossâ: alioquin non est generaliter verum, si timenda dicatur, quia est sustinenda, nec repellenda, immò in casu, pati illam, esset asinina patientia, & timor leporinus & fatuus.

Consideratio Octava.

Contemptus Clavium plus habet periculi erga personam Summi Pontificis, quàm ergà inferiores; quoniam ab abusibus inferioribus patet recursus ad Papam per Appellationis subsidium; & si dicatur quòd ita potest à Papa fieri Appellatio ad Concilium generale: dixerunt olim ante Concilium generale Pisanum & Constantiense, quòd hoc nullo modo licebat, & allegant Jura sua pro se valdè (sicut eis videtur) expressa. Sed constanter nunc asseritur quòd est hæresis C damnata per Constitutionem expressimam & practicatam in Concilio prædicto Constantiensi, prout alibi diffusiùs est ostensum. Respondetur igitur aliter, quòd non pro levibus causis, ubi etiam liceret, potest aut debet pro Appellationibus prosequendis passim Concilium celebrari, sicut habetur recursus ad Papam.

Consideratio Nona.

Contemptus Clavium non incurretur in multis casibus, quibus Papæ Mandato non obediretur, dum scilicet abutitur enormissimè & scandalosissimè potestate sua in destructionem, non in ædificationem, sicut tamen dicit Apostolus, 2. *Cor.* XIII. 10. ideò potestatem datam esse. Exemplum, si Papa vellet thesauros Ecclesiarum diripere, aut hereditates usurpare, aut in servitutem abjectam Clerum cum suis bonis redigere, D & juribus suis spoliare sine causa. Quis diceret ista debere tolerari? Quis non censeret posse dici Papæ, cur ita facis? Quis non assentiet in facie sibi resistendum?

Consideratio Decima.

Contemptus Clavium etiam non semper invenitur apud illos qui nedum non obediunt Sententiis Excommunicationum promulgatis per Papam vel suos; sed etiam non est judicanda esse apud illos qui per potestatem secularem adversùs tales prætensas Sententias tueri se procurant. Lex enim naturalis dictat ut possit vis vi repelli: constat autem quòd tales Excommunicationes non debent dici jus, sed vis & violentia, contra quam fas habet liber homo vel animus se tueri.

Consideratio Undecima.

Contemptus Clavium, & consequenter Excommunicatio vel Irregularitas non incurritur, dum in præmissis casibus dicit aliquis Jurista vel Theologus juxta conscientiam suam quòd hujusmodi Sententiæ non sunt timendæ, & hoc præsertim si observetur informatio seu cautela debita ne sequatur scandalum pusillorum, qui æstimant Papam esse unum Deum, qui habet potestatem omnem in cœlo & in terra. Veruntamen expellenda est talium stultitia per informationes idoneas, qui si nolint acquiescere, ipsi jam sunt judicandi de scandalo non dato, sed accepto, hoc est de scandalo Pharisæorum & ex malitia, non pusillorum & ex simplicitate vel ignorantia.

Consideratio Duodecima.

Contemptus Clavium dicendus est magis foveri quàm tolli, dùm debentes abusui Clavium resistere dividuntur inter se, & impediunt se, vel per stultitiam vel per ignaviam, ne communi consensu fiat ambulatio in Domini, dum alii favent abusibus, alii tollere volunt. Veritas est quòd omnis via favorabilis & humilis tentanda est cum Summo Pontifice, dum malè informatus fert per se, vel suos injustas Sententias, quòd desistat & reformet; sed si nihil proficit humilis sedulitas, arripienda est virilis & animosa libertas. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DISCUSSIO

ILLIUS

ASSERTIONIS:

Sententia Pastoris etiam injusta timenda est & tenenda.

MONITUM

Occasio Scriptionis hujus initio Tractatûs ponitur: sed quis sit ille Commissarius & de quonam processu actum fuerit, ignoratur.

CASUS est. Quidam se gerens pro Commissario Papæ posuit in suo processu publico assertionem, quæ sequitur: *Sententia nostra, etiam si essent injusta, sunt tenenda & timenda.* Quæritur super hac Assertione. Primò si sit falsa & erronea? Secundò si sit judicio Fidei reprobanda. Tertiò si assertor sit à Judicio Fidei rationabiliter evocandus.

Arguitur quòd sit vera, quia secundùm Beatum Gregorium Sententia Pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est. Cui consonat Urbanus Papa dicens quòd valdè timenda est Sententia Episcopi, licet injustè liget: sed Papa nedum est Pastor vel Episcopus, sed supremus Pastor & Episcopus. Sed contra est dictum Hieronymi super Epistolam Pauli ad Phile-

Digitized by Google

Philemonem, & fundatur in dicto *Isaia*. v. 20. Si quis dixerit injustum justum, abominabilis est apud Deum. Et Gregorius in Homilia XXVII. „ Ipse ligandi atque solvendi potestate se privat, qui hanc pro suis voluntatibus & non pro subditorum juribus exercet. „ Et idem: „ Tunc est vera absolutio Præsidentis, cum interni Judicis sequitur arbitrium. „ Et idem: „ Non debet is pœnam sustinere Canonicam, in cujus damnationem non est Canonica prolata Sententia. „ Constat autem quòd Sententia injusta non est Canonica &c.

Ponuntur pro decisione Propositiones quæ sequuntur ad examinandum.

HÆC Assertio proposita in Processu publico, si sit erronea in Fide & moribus, non est dissimulanter prætereunda, cum sit scandalosa & ex deliberatione posita. Hæc Assertio est una propositio conditionalis includens unam consequentiam talem: si Sententiæ nostræ sunt injustæ, illæ etiam sunt tenendæ & timendæ. Hæc Assertio conditionalis sic resoluta, si sit falsa, est impossibilis. Patet hæc propositio, sicut & præcedens ex regulis infallibilibus Logicorum, addendo quòd Assertio prædicta continet istam universalem: quòd omnes Sententiæ dicti Commissarii, quantùmcunque injustæ, sunt tenendæ.

Hæc Assertio falsa est; quoniam oppositum consequentis stat cum antecedente: quoniam stat aliquas Sententias Pastoris vel Papæ & suorum Commissariorum non esse tenendas, immò nec timendas, dum sunt injustæ. Et hoc in multis casibus. Primò si Sententia lata sit post Appellationem legitimam, ut notavit Innocentius III. in Epistola ad Archiepiscopum Senonensem. Secundò si contineat errorem intolerabilem, ut notavit idem. Et hoc multipliciter potest evenire, cùm nullus Pastor vivens in terris, immò nec Papa sit impeccabilis, quando possit abuti sua potestate, cum circumdatus sit infirmitate, ut dicitur *ad Hebræos*. v. 2. Unus casus est: si sententiet expressè vel etiam implicitè contra Fidem & Scripturam sacram. Aliter; si sententiet in præjudicium veritatis, vitæ, & justitiæ: ut si volens rapere sponsam alterius ferat in contranitentes Sententiam Excommunicationis. Aliter; si sententiet in præjudicium justæ libertatis, ut si volens usurpare civitatem unius Principis, ferat Sententiam Excommunicationis in nolentes eam sibi tradere, & ita de multis similibus: ut si excommunicare velit illos qui suo Regi & suis Edictis rationabilibus obediunt. Notavit hæc Innocentius ubi priùs, & habetur fundamentaliter ex infallibili Lege divina & naturali, cujus deductionem hîc omittimus.

Hæc Assertio est impossibilis. Sequitur hæc ex præcedentibus, notando quòd Jura quibus inniti videtur, non loquuntur tali modo conditionali & hypotetica, nec dicunt quòd Sententia Pastoris sit tenenda: quia longè aliud est dicere, quòd Sententia aliqua sit timenda, & quod sit tenenda, quia tyrannica iniquitas etiam timeri potest, sed non teneri debet, immò contemni vel persequi.

Hæc Assertio censenda est erronea contra bonos mores & Canones: patet, quia cum spectet ad mores & Canones sicut constat, & non est eis conformis in veritate, immò nec esse potest, sicut patet ex præcedentibus; sequitur quòd est eis dissona atque contraria.

Hæc Assertio debet in Fide meritò suspecta reputari; patet ex præcedentibus, & hoc accipiendo Fidem pro objecto Fidei, pro Scriptura sacra & Jure divino.

Hæc Assertio reddit assertorem suum in Fide suspectum, & ita communiter ad Judicium Fidei rationabiliter evocandum, qui compellendus erit vel se exponere, vel revocare, vel si pertinaciter renuerit, relinquendus erit Justitiæ sæculari.

Consequenter ad aggravationem, dictæ Assertionis cum protestatione, quod hoc fit ad finem Civilem & Ecclesiasticum, & pro defensione Catholicæ Veritatis & Ecclesiasticæ libertatis, & non ad ingerendum crimen læsæ Regiæ Majestatis, inseruntur propositiones quæ sequuntur.

A

Rex Christianissimus Francorum juravit in sua consecratione defendere & tenere Jura & Libertates Ecclesiarum Regni sui.

Rex idem pluries à viginti Annis citra habuit Convocationem & Concilium Prælatorum & Universitatum Regni sui, ad quorum deliberationem & Requestum conclusit solemniter per Arestum Curiæ suæ supremæ Parlamenti, quòd Ecclesia Gallicana in se & in membris suis ad suas antiquas & legitimas Libertates reduceretur, nominatim in Collatione Beneficiorum per Ordinarios & in electionibus faciendis.

Rex idem, & legitimus filius suus nunc regens, novissimè post quatuor & quinque Annos fecerunt idem Arestum solemniter publicari cum adjectione pœnarum in rebelles.

Rex idem debet reputare, quòd Sententiæ cujusque Pastoris, etiam Summi Pontificis factæ vel latæ in oppositum mediatè, sunt injustæ, & continent errorem intolerabilem contra publicam Justitiam, & in usurpationem indebitam, & ex consequenti nec tenendæ sibi sunt, nec necessariò timendæ, præsertim cum obtulerit in facie Concilii generalis Constantiensis se paratum velle providere Statui Summi Pontificis sicut alii Reges & Regna pro parte suâ. Dicitur hîc quòd non necessariò timendæ, quia possunt timeri à timoratis conscientiis in aliquo casu, quamvis non ob hoc sint tenendæ. Multùm enim refert dicere quod sint timendæ. Et ideo assertor prædictus, qui addit de suo, quòd Sententiæ Pastoris injustæ sunt tenendæ, valdè temerariè, & scandalosè & erroneè videtur fuisse locutus, nec jura quibus inniti videtur loquuntur modo suo, immò longè modestiùs, ita ut possint ad verum sensum reduci, non autem Assertio sua modo quo posita est, sicut patet ex propositionibus antedictis.

B

Rex idem potest se tueri contra procedentes in eum, vel suos, occasione prædicta, sicut contra volentes usurpare possessiones temporales Regni sui, immò magis, quantùm spiritualia & Ecclesiastica potiora sunt temporalibus.

C

Rex idem debet habere subditos suos, præsertim Ecclesiasticos favorabiles in dicta prosecutione, & obedientes juxta monitionem Apostolicam debent obedire *Regi tanquam præcellenti*; 1. Petr. II. 13. & hoc præcipuè dum utitur sua legitima potestate in observationem proprii Juramenti & Ecclesiæ Libertatis tuitionem.

Rex idem debet protegere subditos suos, si præmissorum occasione & propter obedientiam sibi factam, pati habeant & assumere causam in se: & sub hac protectione subditi tàm Sæculares quàm Ecclesiasti debent & possunt in quiete vivere, non plus sapientes quam oportet.

Rex idem potest rationabiliter conqueri de subditis suis præsertim Ecclesiasticis, si in prædicta reductione libertatum inveniantur tepidi & tergiversatores & claudicantes, & potest ab eis per se aut suos exigere rationes quibus moventur sentire contra deliberationes nedum Consilii sui, sed suorum Prælatorum ac Universitatum Regni sui. Ceterum de pœnis per eumdem infligendis, jubet Ecclesiastica modestia quiescere, nec habere sermonem.

D

FINIS.

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

CONSIDERATIONES V.

UT

CONDEMNATIS ad MORTEM

PERMITTATUR CONFITERI.

MONITUM.



NVALUERAT in Galliâ & Angliâ, aliisque nonnullis regionibus hæc consuetudo, ut damnatis ad mortem denegaretur non tantùm Eucharistiæ Viaticum, sed & Confessio & Absolutionis gratia: quæ consuetudo descenderat fortassè ab antiquâ illâ primævæ Ecclesiæ severitate, quâ graviorum criminum reis Pœnitentiam in articulo mortis petentibus denegabatur; eò quòd *illos*, ut inquit Cyprianus, *rogare non delicti Pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio impellere videretur.* Hanc tamen consuetudinem abrogare conatus est Clemens V. Decreto dato in Concilio Viennensi Anni 1311. quod extat lib. 5. Clementinarum Tit. 9. cap. 1. in hæc verba: *Cùm secundùm Statuta Canonica, ultimo deputandis supplicio, negari (si petant) non debeat Pœnitentiæ Sacramentum: abusum damnabilem in quibusdam partibus contra hoc introductum aboleri omninò volentes; Justitiarios omnes & Dominos temporales, ut ab hujusmodi desistant abusu hortamur in Domino, & obsecramus per viscera misericordiæ Jesu Christi: Locorum Ordinariis nihilominùs injungentes, ut eos ad hoc cùm primùm commodè poterunt diligenter monere, & (si necesse fuerit) Ecclesiasticâ Censurâ compellere non omittant.* Nihilominùs pristinum morem in Gallia perseverasse constat, vel ex hac sola lucubratione quæ à Gersonio edita est nomine Theologornm Parisiensium, qui ut Pontifici Decreto parerent, commonitorium hoc ad Regem Galliæ, Principes ac Judices Regni direxerunt; quod tanti fuit apud Regem, ut Edictum emiserit IV. nonas Februarii Anni 1396. quo permittit ut damnatis ad mortem concedatur facultas peccata deponendi apud Sacerdotem, ut cum pace ad Dominum migrarent. Non statim tamen consuetudo hæc sublata est, ut colligitur ex Statutis Stephani Poncherii Parisiensis Episcopi, qui Constitutionem Clementis V. innovavit. Sed tandem obtinuit ut omnibus qui supplicio capitali afficiuntur de Confessario sedulò provideatur, qui confessis & pœnitentibus absolutionem impertiantur, solo Eucharistiæ Viatico ipsis denegato.

Digitized by Google

V. CONSIDERATIONS.

De novo editæ Ex MS. Cod. Victorino 138.



OUR l'information de tres Chrestien Roy de France & de tous autres Princes & Justiciers de son noble Royaume, sont proposées les cinq Veritez dessous escrites, examinées souffisamment par Clercs, specialement par Theologiens Maistres, & autres souffisans qui en cette matiere se reconnoissent & doivent estre creus.

La premiere Verité. *La Loy de Dieu commande que chacune personne qui se sçait estre en peché mortel aprés son Baptesme, fasse avant sa mort Confession à Prestre, se par empeschement legitime n'est excusée, comme par defaut de Prestre ou autrement.*

La seconde Verité. *Contre cette Loy ne peut homme pur dispenser ou relachier sans nouvelle institution ou revelation de Dieu, & plus qu'homme ne peut dispenser ou relachier, que la personne qui se sçait estre non baptisée, ne reçoive le Sacrement de Baptême avant sa mort, cessans tousdits empeschemens legitimes, comme dit est; la cause de ces deux Veritez est; que Confession & Baptesme sont de l'Institution de Dieu, & non pas de l'Institution humaine seulement.*

La tierce Verité. *Quelconque personne de quelque estat ou dignité elle soit, qui sçait ou doit sçavoir les deux veritez dessus dites, & néantmoins à son escient empesche une personne non avoir Confession de Prestre avant sa mort, puisqu'elle la demande, peche mortellement, & se en cét estat mouroit sans repentance, elle seroit damnée pardurablement, comme s'elle empeschoit qu'une personne ne fust baptisée avant sa mort.*

La quarte Verité. *Quelconque Prince ou Justicier à qui ces Veritez sont souffisamment preschées, monstrées ou enseignées specialement par Theologiens suffisans, ne peut sans peché mortel & peril de damnation, denier & empescher Confession de Prestre à personne quelconque condamnée à mort, qu'elle ne l'aist avant sa mort, s'elle la demande. La cause de ces deux Veritez; car telle personne empesche en tant qu'en luy est, que la Loy & la Justice du Souverain Empereur, c'est à sçavoir de Dieu, ne soit accomplie.*

La cinquiéme Verité. *Toute Loy ou estat au contraire des Veritez dessus dites, est injuste, deraisonnable & non à tenir pour quelconque profit ou dommage qu'en doive venir à la chose publique, Et qui diroit le contraire obstinément, il devroit estre reputé heretique & hors de la Foy. Ce appert par la seconde Verité. Soit ici considéré comment le Droit escrit de l'Eglise reprenne tous ceux qui font au contraire des Veritez dessus dites.*

Et regarde bien chacun Justicier endroit soy, en quel peril il se met de vouloir empescher Confession de Prestre à ceux qui sont justiciés de par luy, & par special depuis qu'il aura eu cette information, & se cette ne luy souffit, aumoins en doit-il demander diligemment à ceux qui sçavent la Loy Chrestienne. Soit en aprés pensé de cœur devot & religieux, comme grande dureté & cruauté c'est destre occasion souvente fois de la damnation des pauvres condamnez, auxquels affliction ne devroit pas estre baillée sur affliction: Car souvent par bonne exhortation de leur Confesseur, ils recognoissent Chrestiennement Dieu; en la fin que par desespoir & tristesse, ou defauts tels, sont damnez. Finablement soit pesé que ez autres Païs comme de Lombardie, & autres on Chrêtienne Religion n'a pas telle renommée comme en France, & où les Seigneurs avisent bien les voyes & manieres d'avoir prouffit de leurs subjects, n'est point coustume si dure, si desraisonnable, & si injuste, comme est celle qui se tient en France; dont c'est douleur, & est à douter que Dieu ne s'en courousse, quand contre son commandement & sa Loy & Justice empesche si communement & si crueusement

V. CONSIDERATIONES EÆDEM.

IN LATINUM TRANSLATÆ.



A D commonitionem Christianissimi Regis Franciæ, nec non Principum & Judicum incluti ejus Regni proponuntur quinque Veritates infra scriptæ, satis superque examinatæ à Clericis, speciatim verò à Theologiæ Magistris, aliisque in hoc argumento peritis quibus Fides haberi debet.

Prima Veritas. Lex Dei jubet ut unusquisque sciens se post Baptismum esse in peccato mortali, ante mortem confiteatur Sacerdoti, nisi legitimum adsit impedimentum: ut verbi gratiâ, si Presbyter desit aut aliud hujusmodi.

Secunda Veritas. Ab hac Lege nemo merus homo dispensare potest, aut quidquam remittere sine novâ Dei institutione aut revelatione, sicut nullus potest dispensare aut remittere quominùs is qui se minimè baptisatum esse novit, Sacramentum Baptismi ante mortem recipiat, nisi adsint uti dictum est, legitima impedimenta. Ratio duplicis istius veritatis est, quia Confessio & Baptismus sunt institutionis divinæ non autem humanæ tantummodò.

B *Tertia Veritas.* Quivis cujuscumque conditionis aut dignitatis existat, qui scit, aut scire tenetur suprascriptas veritates, & scienter impedit quominùs aliquis confiteatur Presbytero ante mortem Pœnitentiam petens, mortaliter peccat; & si ita affectus moreretur, damnaretur in æternum; quemadmodùm si impediret quominùs aliquis non baptizatus, ante mortem baptizaretur.

Quarta Veritas. Quivis Princeps aut Magistratus, cui istæ veritates satis prædicatæ, ostensæ, & traditæ sunt, speciatim à Theologis, non potest absque peccato mortali & periculo damnationis impedire quominùs damnatus ad mortem confiteatur Presbytero, eique petenti confiteri ante mortem, gratiam hanc denegare. Ratio veritatum istarum hæc est: Quia is impediret, quantùm in se est, quominùs Lex & Justitia Summi Imperatoris, Dei nempe, locum habeat.

C *Quinta Veritas.* Lex omnis aut consuetudo contraria suprascriptis veritatibus est injusta, & contra rationem, nec obtinere debet; quidvis indè emolumenti aut detrimenti accedat Reipublicæ: quique contrarium pertinaciter assereret, reputandus esset hæreticus & à Fide extraneus, ut ex secunda veritate apparet.

Consideretur hîc quatenùs Jus Ecclesiasticum scriptum eos damnat qui contra veritates supradictas agunt, & quisque Judex, quantùm in se est, secum reputet, quanto periculo se objiciat, cùm vult impedire ne damnati ab ipso ad mortem confiteantur Sacerdoti, speciatim verò post hanc admonitionem; quæ si non sufficiat, debet præterea rem inquirere ab iis qui Christianæ Legis sunt periti. Pensitent etiam piè & religiosè quàm durum & crudele sit sæpè sæpiùs occasionem dare damnationi æternæ hominum supplicio addictorum, quibus mæror ad mærorem non esset adjiciendus. Namque non rarò hujusmodi homines Confessarii exhortatione commoti ad Deum convertuntur, qui præ desperatione & tristitiâ aut aliis peccatis damnarentur. Denique perpendatur in aliis regionibus, velut in Longobardia & aliis locis, ubi Christiana Religio non æquè viget ac in Galliâ, neque tam benè à Principibus subditis suis consulitur, talem tamen consuetudinem adeò duram, adeo iniquam, adeo injustam locum non habere ut habet, proh dolor! in Galliâ. Et timendum valdè est ne Deus propterà irascatur, cùm contra ejus

D

Man-

Digitized by Google

au prejudice des pauvres Chrestiens nos freres, pour lesquels sauver il a reçu mort, comme pour les autres, & auxquels nous devons faire comme nous voudrions nous estre fait en cas semblable. Et s'aucun dit, que plusieurs méfaits se sçavent par derniere Confession, qui autrement ne se sçauroient mie, response que cette cause n'excuse pas qu'on puisse peschier contre la Loy Divine, ou l'empéchier, & aussi Dieu ne veut pas que tous maux soient punis en ce monde, car autrement il n'auroit que jugier en l'autre, & auvant ce on trouvera bien remede souffisant comme il est trouvé es autre païs dessus dits, où cette coûtume n'est pas.

Dieu veüille inspirer les cœurs de Très-Crestien Roi de France, & de tous les Seigneurs & Justiciers de son noble Royaume, cognoistre cette verité, & la mettent briefvement à effet & exécution, & se le contraire se fait, que Dieu ne veüille, ceux qui ceci monstrent & escrivent, protestent devant Dieu & le ciel & la terre qu'ils sont excusez desorenavant de ce pechié tant grief & des raisonnable, & s'offrent de prouver au long ce qui est dit. Explicit.

Mandatum, Legem & Justitiam, tam sæpè, tam crudeliter injuria miseris Christianis & fratribus, pro quibus sicut & pro ceteris mortuus est, & quibus id præstare deberemus quod nobis in simili casu præstari vellemus. Quòd si quis dicat multa nefaria per ultimam Confessionem resciri, quæ aliàs æterno essent sepulta silentio, responsum hoc accipiat: non propA tereà peccandum esse contra Legem Divinam, aut impediendum id quod præscribit. Quippè nec Deus vult omnia nostra crimina hìc nota esse; aliter enim nihil ipsi superesset vindicandum in altera vita; nec aliundè deerit remedium sufficiens huic incommodo, quemadmodùm & in aliis regionibus, in quibus hæc consuetudo non obtinet.

Dignetur Deus afflare cor Regis Christianissimi cunctorumque Principum & Judicum hujus incluti Regni, ut cognoscant istam veritatem eamque brevi executioni demandent: & si id minimè fiat, quòd Deus avertat, qui hæc docent & scribunt, coram Deo, cœlo & terrâ protestantur se deinceps immunes fore à tam gravi peccato & iniquitate; insuper offerunt se id latiùs probaturos quod in isto commonitorio continetur.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

SERMO FACTUS AD POPULUM PARISIENSEM EX PARTE UNIVERSITATIS, SUPER FACTO BULLÆ MENDICANTIUM.

Anno 1409.

Gallicè in MS. Cod. Victorino 284.

Ad Editionem Rothomagensem anni 1522. collatus.



UOMODO *stabit regnum ejus*? Luc. XI. 18. Quoniam Dominus noster Jesus Christus in hodierno Evangelio concludit benedictos esse illos, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud: congregati estis, ô devota plebs Christiana, tùm auctoritate Domini Parisiensis, aut suorum Vicariorum, tùm ad instantiam Regis filiæ Studio, & Matris luminis sanctæ Ecclesiæ Parisiensis Universitatis. Rogemus itaque primùm Deum, ne malignus spiritus humani generis adversarius nos impediat, quemadmoD dùm impediebat eum, de quo hodiernum dicit Evangelium, hominem, in initio: *Erat Jesus* &c. Luc. XI. 14. Qui quidem malignus spiritus hominem illum mutum efficiebat, & cæcum. Velit Deus, quòd ego non mutus

tus sim ad loquendum de Deo aut de Regno suo, & nullus vestrorum cæcus sit ad veritatem cognoscendam aut inspiciendam. Ad te igitur convertemur, Virgo Mater dignissima, de qua illud idem mentionem facit Evangelium, recitando quo pacto femina quædam, quæ fuit sanctæ Marthæ ancilla, secundùm sanctum Ambrosium, ac Marcella nominabatur, & existens in turba, dixit Jesu Christo: *Beatus venter, qui te portavit*; *& ubera, quæ suxisti*. Luc. XI. 27. In honorem pulchræ hujus & benedictæ laudis, impetra nobis gratiam Virgo Mater gloriosa. Et non te alia salutabimus salute, quàm Angelus Gabriel tibi nunciavit dicens: *Ave Maria*.

Quomodò stabit regnum ejus? &c. Considerando sanctæ Ecclesiæ & totius Christianitatis statum, mihi apparet in impatientiam succlamare ac dicere magna cum admiratione: Bone Deus, cœlorum Rex, quid hoc erit? quid hoc sibi vult? Anne unquam sine perturbatione erimus, sine schismate absque divisione? Quo pacto Christianitatis Regnum stabilitatem nanciscetur? Et *necesse est* (sicut dicis Domine in Evangelio) *ut scandala veniant*, Matth. XVIII. 7. aufer à nobis necessitates illas. De necessitatibus nostris erue nos. Liberasti nos de maledicto hoc schismate, quod totam tuam vastabat Ecclesiam, quod fuerat tam diuturnum. Dedisti nobis unum & verum in sancta Ecclesia Pastorem, quem recepimus magno cum gaudio, reverentia & exultatione.

Et ecce malignum spiritum prælii & divisionis, qui nisus est suscitare turbationem novam, malam nimis, nimis coopertam & fraudulentam sub umbra boni & religionis. Quam ob causam? Ad sanctæ Ecclesiæ Regnum dissipandum: optimè novit proditor iniquus verum esse verbum quod in hodierno dicis Evangelio, quòd scilicet: *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Luc. XI. 17. Sed deficiet ab intentione sua falsus & iniquus proditor, ô devote populus, nostris mediantibus Orationibus aliorumque bonorum Christianorum, ad defensionem Pastorum, & sanctæ Ecclesiæ Doctorum: inimicus falsus & spiritus malignus procurare potest, divina permissione, navim sancti Petri (hoc est Sanctæ Ecclesiæ) turbari & dejici per ventos & tempestates diversarum persecutionum; sed non subvertetur nec submergetur, quoniam semper erunt aliqui qui eam sustinebunt in statu suo, gubernabunt & conservabunt, quamvis admirandum sit inter tantas perturbationes Christianitatis regnum in stabilitate esse posse. Certum est malignum Spiritum continuò niti de malo in pejus, secundùm hodierni Evangelii textum: cùm deserit locum unum, redit cum septem spiritibus pejoribus se, qui intrant & illic habitant, & sunt novissima hominis illius pejora prioribus, & hoc videmus in sanctæ Ecclesiæ persecutionibus.

Prima, mala fuit per Tyrannos; secunda, pejor per hæreticos; tertia, pessima per falsos Christianos, quos Apostolus falsos appellat fratres; *Galat*. II. 4. quarta incomparabilis erit per Antichristum. O vita hæc heu! nil aliud est, quam (ut Job dicebat) tentatio. Sed transeunda nobis est tentatio hæc & videndum est semper sanctæ Ecclesiæ Regnum in se & principalibus suis membris veram habiturum unitatem sine divisione, & veram firmitatem, per quam Regnum hoc nec possit nec debeat cadere in desolationem, juxta illud: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat* &c. Luc. XXII. 32. Et item: *Ecce ego vobiscum sum* &c. Matt. XXVIII. 20.

Propter istam stabilitatem & sanctæ Ecclesiæ permanentiam, in præsentiarùm sumus congregati, & ad loquendum & audiendum, ne perturbationes superveniant (unde dolendum est) nos moventes, aut aliquos de nobis, à vero charitatis fundamento. *In charitate radicati* &c. Ephes. III. 17. & quod unusquisque erga se diligentiam imponat, ut pax sit & unio. Bona, inquam, pax veritati juncta, aliqua enim pax pejor est bello. Quæ est pax cum vitiis & falsitate, si modò pax nominari debeat? contra quam dicit Jesus Christus: *Non veni pacem mittere in terram, sed gladium*. Matt. X. 34.

Sed quomodò ista manu tenebitur firmitas? quomodò stabit Regnum ejus? Per quatuor principales respondebo Considerationes, & causas adjiciam præsentis Processionis. Regnum sanctæ Ecclesiæ est Dei Justitia, ad similitudinem Regni cœlorum, ob quod in sua manet stabilitate: propterea sæpenumerò Regnum cœlorum nominatur. Ideò dicit sanctus Joannes in Apocalypsi, se vidisse Ecclesiam de cœlis descendentem. *Vidi Jerusalem*. Apoc. XXI. 2. Ideò etiam Moysi dictum fuit: *Omnia fac secundùm exemplar*. &c. Exod. XXV. 40. Est determinatio sancti Dionysii in Libro *De Ecclesiastica Hierarchia*. Patet quòd de ordinatione & sanctæ Ecclesiæ gubernamine referendum sit principalius ad sanctam Scripturam, quàm ad Leges civiles. Patet regimen sanctæ Ecclesiæ aliorum non debere sequi regimina; sed opposito modo esse debet, sicut corpus gubernari debet per animam. Apparet, quòd ad Universitatem Parisiensem filiam Regis spectat secundùm doctrinam de sanctæ Ecclesiæ judicare gubernamine, specialiter quoad facultatem Theologicam, & diversimodè quoad alios. Ad Artes, secundùm Philosophiam moralem, quæ conformis est Theologiæ. Ad Decreta, secundùm quod principaliter fundamentum eorum in sancta est Scriptura, & in quantum nimis uti vellent Legibus, excederent eorum terminos. Posset hîc dici de promotionibus sapientum mundi, sed prætereo.

Si quisquam ergò petat, quomodò stabit Christianitatis Regnum in his inferioribus? Responsio; hoc erit servando ordinem & exemplar Regni superioris. Regnum cœlorum certo ordine & essentialibus ordinationibus atque permanentibus (quas nos Hierarchias appellamus) institutum est. Hæc est determinatio sancti Dionysii in Libro suo, quem ea de causa edidit *De cœlesti Hierarchia* ex instructione sancti Pauli, hoc est, quod vos simplices sæpiùs dici auditis, novem esse Angelorum Ordines: Cherubin, Seraphin &c. Et homines, qui salvabuntur, erunt unusquisque in aliquo horum Ordinum, secundùm diversa merita, excepto Jesu Christo & benedicta Matre ejus, qui superant omnes Choros.

Apparet per has duas Considerationes in sancta Ecclesia Ordinem esse Hierarchicum & essentialem, hoc est ordinatum, stabilem & permanentem, ad *Eph*. IV. & V. Exemplum in homine, qui Regnum est personale videmus membrum unum alteri jungi certo ordine. Et hic ordo est in sancta Ecclesia; ut sit unus Papa Jesu Christi Vicarius, sint Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Apostolorum successores. Sint Curati Successores septuaginta duorum Discipulorum, quos dicemus in sequentibus.

Patet si aliquis homo aut status sine causa vel necessitate perturbare velit hunc ordinem, illi resistendum esse. Sic enim factum fuit in cœlo, cum Lucifer aut alii mali vellent transgredi per superbiam eorum Ordinem aut Hierarchiam. Adam fuit expulsus à terrestri Paradiso. Sanctus Paulus restitit sancto Petro, ad *Gallat*. II. Ob hanc causam exclusi fuerunt nonnulli, qui nominabantur Coepiscopi. Liquet Exemptiones fieri non debere sine grandi & justa causa. Nota quòd dicit sanctus Bernardus in Libris *De Consideratione*; & Magister Ægidius Romanus in quodam particulari Tractatu, ubi allegat, quòd ex hoc omnia mala evenerunt Templariis.

Manifestum est, Deum interdùm naturalem & essentialem ordinem mutare, aut miraculo aut necessitate. Exemplum: Quòd Dominæ nostræ nunciatum fuit Incarnationis Mysterium per altissimum Angelum, quamvis consuetus ordo sit perfectiores Angelos Mysteria in illis inferioribus nunciare per medium inferiorum Angelorum. Est enim Ordo Hierarchycus, secun-

cundùm Dionysium VII. *De divinis nominibus*, ut infirma reducantur ad suprema per media. Qui ergò scire voluerit, quomodò Regnum Christianitatis stabit? Responsio: servando suum ordinem, nec ipsum destruendo aut obliviscendo.

Regnum sanctæ Ecclesiæ habere debet Hierarchicum ordinem in omnibus suis membris & statibus quoad unum supremum Pastorem aut Gubernatorem, quem nominare possumus Regem Pontificalem, aut Episcopum Regalem, & est verus unus Papa. Patet, quo- A niam sic est in Regno cœlorum.

Et hîc fundatur, quo pacto omnes ad hoc laborare debent, ut obedientia præstetur sancto nostro Patri. Primò per omnes Latinos sanctæ Occidentalis Ecclesiæ, & deinde per alios de Orientalibus Patriis. Hoc est ad quod conatur Universitas, juxtà totum posse suum, ut Legationes mittantur in Hispaniam &c. Hoc est quod laborat de Græcorum reductione. Hæc est causa, ob quam principaliter congregati estis.

Et si dicat aliquis, nonne homo salvari potest absque hoc, ut in verum credat Papam? Potest, si ignorantia eum excuset, & bona voluntas præstandi obedientiam, postquam veritas illi fuerit declarata: hoc enim modo non recedit à vero & essentiali capite Jesu Christo, nec ab ejus ordinatione; scilicet, quòd solus unus Papa sit in terra. Exemplum Sede vacante. Apparet omnes divisiones Regnorum temporalium arguendas esse, in quantum nocent, aut impediunt pacem in Re- B gno spirituali.

Et hæc est altera causa hujus Congregationis. Apparet unumquemque ergà se laborare debere, quòd personale Regnum suum benè ordinatum sit, ne toti Regno spirituali obsit. Exemplum, quòd perturbationes membrorum totius corporis impediunt harmoniam: aliàs dixi de ordine hujus Regni personalis. Ratio dominari debet, & corpus obedire. Libera voluntas est sicut Rex, ratio ut consiliatrix, virtutes animæ ut executrices. Pulchrum fuit Regnum istud in Adam, sed spiritus malignus divisionem immisit.

Nota, quomodò malignus spiritus impedit portas Regni illius, scilicet quinque sensus per septem malignos spiritus septem mortalium peccaminum, interdum quidem apertè, quandoque verò occultè, & veluti gratificando sub umbra boni, ac per Hypochrisim, quæ secundùm Evangelium nostrum multò pejor est. Potest dilatari hoc: & est spiritus superbiæ nascens C ex humilitate. Spiritus iræ, nascens ex hilaritate. Spiritus avaritiæ, nascens ex liberalitate. Spiritus pigritiæ, nascens ex strenuitate. Spiritus gulæ, nascens ex sobrietate. Spiritus luxuriæ, nascens ex castitate. Est alia causa hujus processionis, ut unusquisque seipsum emendet & castiget.

Si igitur aliquis scire velit, quomodò Christianitatis Regnum stabit. Responsio: obediendo uni capiti, & auferendo divisiones in Regnis temporalibus & personalibus.

Christianitatis Regnum fundatum est & institutum in Ordine & dispositione Hierarchicæ Prælationis, hoc est, Deus sic suam ordinavit Ecclesiam, ut in sancta Ecclesia Ordo esset Prælaturæ ad gubernandos alios & ad Deum dirigendos, secundùm tres quæ ad Prælaturam spectant operationes, purgare, illuminare & perficere. Et hunc servando Ordinem stare debet Regnum Ecclesiæ sanctæ hîc inferius, sic enim est in superiori Regno cœlorum.

Et quoniam videt & visum est compluribus sanctæ Ecclesiæ Prælatis, præcipuè Domino Parisiensi; visum est filiæ Regis Universitati hunc Hierarchicum Ordinem Prælationis aliquo modo in perturbationem aut impedimentum casurum: voluit & vult (ut potest) obviare & resistere. Hæc turbatio accidit propter Scripturam quamdam in forma Bullæ, quam aliqui Ordinum quatuor Mendicantium impetrarunt aut (ut verius dicatur) extorserunt, ut per cautelam, vel per inadvertentiam sancti Patris nostri. Sanctus enim Pater noster, qui magnus est Theologus, nunquam rem talem admisisset, si eam examinasset. Sed (ut per solemnes in Universitate relatum est Magistros) omnia facta fuerunt, ipso ignorante & ipso invito; saltem sine judició aut deliberatione. Sicut homines occupati concedunt per importunitatem aut per cautelas, aut aliquam largam conscientiam plures res aliis.

Hæc est ergo prima protestatio: quòd Dominus Parisiensis, nec sui, nec Universitas, nec ego ipse, intendimus aliquid dicere in præjudicium, aut sancti Patris nostri inhonorationem: tenemus enim quòd postea quam benè fuerit instructus, ipse cassabit omne hoc, aut destruet de quo conquerimur. Pro honore suo laboramus, pro Statu suo, pro Officio & Potestate sua; nihil potest contra veritatem. Et data est potestas in ædificationem, non in destructionem, 2. *Cor.* XIII. 10. quemadmodùm laboravimus; benè, inquam, laboravimus pro Petro de Luna, si bene uti voluisset, sed non voluit; & propter importunitatem quatuor Ordinum Mendicantium, aut saltem aliquorum principalium, impetrata est, aut malè obtenta scriptura quædam, quam Universitas censet intolerabilem & non ferendam pro sanctæ Ecclesiæ stabilitate. Ideò vult hanc Scripturam eorum procuratione cassari, priusquam permittantur uti Privilegiis aut libertatibus dictæ Universitatis: non quod semper priventur (absit ut hoc facere oporteat) sed rationabile est quod in laqueo quem absconderunt, comprehendatur pes eorum. Et hodiernum Evangelium dicit: *Qui non est mecum, contra me*, &c. Matth. XII. 30.

Et hæc est alia causa principalis Processionis hujus & Sermonis, quem suscepi magis obediendo quàm mihi placendo, & exiguo quidem tempore. Novit Deus qualem displicentiam habui, habeo, & habebo de hac turbatione. Diù ostendi me non odio habere Mendicantes, aut eorum voluisse destructionem ut apparet in reconciliatione Fratrum Prædicatorum.

Et si quærat aliquis, quid hæc contineat Bulla? Respondeo, me nondum habere commissionem ad longum declarandi malum ibi contentum in punctis particularibus: tum quia adhuc examinatur, & quia etiam (ut verum fatear) malum radicitùs cognosci non potest, nisi per Theologos. Benè in generali dicere possumus, si scriptura hæc admitteretur, ipsa perturbaret Hierarchicum Ordinem Prælatorum sanctæ Ecclesiæ; magnos, mediocres, & parvos qui sunt Curati. Et quia nondum extremam habemus hujus scripturæ examinationem, ut tangatur aliqualiter malum ibidem inclusum, legetur vobis Instrumentum quoddam de Jure Curatorum, quod deindè ego in Gallicum exponam.

Quia admiratæ sunt turbæ in Evangelio, *Matt.* XII. 23. & *nemo vos seducat inanibus verbis*, ut Apostolus *Ephes.* V. 6. hortatur. *Domini Curati sunt in Ecclesia minores Prælati, ut supra in Instrumento revocationis fratris Joannis de Gorrello.* Hæc determinatio Facultatis Theologicæ facta fuit valdè solemniter ex præcepto expresso Magistrorum in Theologia quatuor Ordinum Mendicantium: & pronunciata per Magistrum Joannem Gorrel propria sua voluntate, in Aula Episcopi Parisiensis. Et hîc complures extricantur veritates, ex quibus aliæ sequuntur veritates, ut per modum Corollariorum. *Domini Curati in Ecclesia minores Prælati sunt* D *Hierarchici*, hoc est principales aut dominantes per primam institutionem Jesu Christi. Hoc fundatur in Evangelio *Luc.* X. cum Glossis & *in Jure Canonico* 21. *Di. & Dist.* 68. *&* 13. *q.* 1.

Evangelium est Bulla Curatorum. Sequitur quòd de ordinatione essentiali & stabili sanctæ Ecclesiæ æquè benè est status Curatorum, sicut ille Prælatorum Cardinalium, Archiepiscoporum: imò verò, sicut status ipsius Papæ, quamvis non sit adeò perfectus.

Sequitur Papam hunc statum destruere, aut annihilare non posse, cum status ille non ex sua proveniat

Digitized by Google

niat positiva ordinatione; sed sine medio ex Dei autoritate.

Sequitur, statum Curatorum perfectiorem esse statu simplicium Religiosorum; simplicium dico, sunt enim in Religionibus veluti Curati, ut sunt Priores, Abbates, Præpositi, aut tales. Hæc est determinatio sancti Dionysii in *Ecclesiastica Hierarchia*, & sancti Hieronymi *Ad Heliodorum*.

Sunt in Statu perfectionis exercendæ. Sequitur Curatos Ecclesiæ Sponsos esse, sicuti Prælatos, quamvis sint imperfectiores, nec facilè Curam eorum debent deserere aut cedere absque bona causa; licet Papa eos non obliget, ut Prælatos ad illud.

Ad Curatos spectat ex statu eorum, jure, aut facultate, concionari. *In Clementinis, de sepulturis, cap. dudum.* §. *verum, &c.*

Sequitur, Papam aut alium quemvis jus hoc Curatis auferre aut impedire non debere. Et ideo nullus in Ecclesia eorum concionari debet, absque eorum facultate, quemadmodùm dicit Decretalis *super cathedram.* Nota quòd ad parochianos non pertinet procurare Prædicationem fieri, &c. Sequitur Curatos ad prædicandum obligatos esse, saltem per alterum.

Pro qua re declaranda duas adjungam propositiones: Curati non obligantur subtiliter aut curiosè parochianis suis prædicare, sed sufficit grosso modo, rudique Minerva Præcepta Dei dicendo, & septem peccata mortalia, &c. Et hoc plus interdùm proderit, quàm illud. Exemplum, sicut homines laborantes & vulgares non nutriendi sunt delicatis cibariis, nec pueri panè duro, sed lacte; alioquin malè eis accideret: pariformiter applica ad cibum spiritualem. Pro hoc est Apostolus &c. *Hebr.* v. 12. Nota majoris esse utilitatis dicere aut legere Mandatorum tabellam, quam complures curiosos Sermones, juxta illud Apostoli: *semper discentes & nunquam* &c. 2. Tim. III. 7. Curati non obligantur die quolibet parochianis suis prædicare, aut tam sæpè sicut Parisiis in Quadragesima. Exemplum de illis qui nimis sæpè comedunt; aut de planta quæ sæpius quàm necesse sit irrigatur; aut de illis qui sæpiùs quàm opus sit alios mori vident, adeo ut non curent, propter consuetudinem. Exemplum de simplicibus villanis hominibus qui leviùs retinent. Non ergo adeo conqueri debent homines Orbis hujus de ista ad tempus suspensione. Nota de his qui præmeditatè prædicant. Nota quomodò fiunt prohibitiones aut interdicta contra bonos, &c.

Ad Curatos pertinet jus audiendi Confessiones, aut providendi ut audiantur, & committendi si Presbyter non est, aut si minùs sufficiens.

Sequitur, Papam, aut alterum, non debere auferre istam potestatem, aut jus ipsis Curatis, absque eorum placito & voluntate, saltem expediens non est.

Sequitur, nullum Privilegiatum Confessionem audire debere in loco Parochialis Ecclesiæ absque consensu & facultate Curati, sicut etiam dicit Decretalis.

Nota quid acciderit de sancto Germano Altisiodorensi. Et responsum cujusdam Episcopi Parisiensis, cuidam Fratri, &c.

Sequitur, Curatos obligari ad audiendas Confessiones suorum parochianorum, aut procurare ut audiantur. Et hanc obligationem non habent Mendici & Privilegiati. Et Papa audire debet aut committere ut audiantur casus ipsi reservati, & Episcopus casus qui illi reservantur.

Sequitur, quòd, ceteris paribus, perfectior res est confiteri suo Curato, quàm alteri Privilegiato, tum propter obedientiæ virtutem, tum propter majorem securitatem, & alias complures rationes. Nota quòd Decretalis, *Omnis utriusque sexus*, in Concilio generali edita, vult unumquemque confiteri peccata sua, saltem semel in Anno, proprio suo Presbytero, aut de sua facultate; alioquin enim parochianus absolvi non posset. Et fuit opinio Antiquorum, & Glossatorum & Doctorum, per proprium Presbyterum Curatum intelligi eum qui administrare debet Sacramenta. Nota, quòd si non eo modo intelligatur una propositionum Bullæ novissimè condemnatæ tanquam hæreticæ, esset vera. Nota de casibus reservatis, ad quos se non extendit Mendicantium potestas.

Curati jus habent Sacramenta administrandi, ut in Clementinis *De Privilegiis*.

A Sequitur, Religiosum quemcunque, quantumcunque Privilegiatum, sub pœna Excommunicationis Matrimonium solemnizare non posse, à qua quidem Excommunicatione solummodò Papa potest absolvere, præterquàm in mortis articulo.

Sequitur, nullum talem Sacramenta ministrare posse nisi (ut videtur) in casu necessitatis.

Sequitur, nullum talem baptizare posse extra casum necessitatis, & non debet, nec potest extremæ Unctionis ministrare Sacramentum.

Sequitur, postquam Curatus Sacramentum Altaris ministrare debet, congruum est ut statum cognoscat, & conscientiam illius cui ministrat. *Probet autem seipsum homo, &c.* 1. Cor. XI. 28.

Ad Curatos spectat Jus dandi sepulturas: sequitur quòd ad Mendicantes non spectat Jus sepulturarum alienorum parochianorum, nisi per Privilegium, quod B quatuor inter alias includit conditiones. Nullus Religiosus aut Ecclesiasticus inducere debet votis, aut promissis, aut juramentis, ut quis sepulturam suam in eorum eligat Ecclesia aut cœmeterio, sub inobedientiæ pœna. Insuper nullus Religiosus aut Ecclesiasticus inducere debet ad continuandum promissum, aut votum emissum se sepeliendi in eorum locis: & fieri potest dispensatio de voto aut juramento justa de causa. Si aliqui Religiosi contrarium faciant, omne hoc quod eis relictum est propter funeralia, aut oblationes restitui debet ante decennium, & corpus reddi si postuletur ut sepeliatur in terra sua, in sua Parochia, ubi jure sepeliri debet, aut Ecclesia eorum vel cœmeterium interdictum est à Jure: hoc est, nullus potest sepeliri quoadusque sufficienter totum restitutum sit, nec Servitium in Ecclesia peragi potest. Si aliqui Religiosi de novo impetrent, quòd habeant libertatem aut Privilegium recipiendi alterum ad sepulturam, hoc intelligi debet modo supradicto, nisi expressè contrarium ponatur in Privilegio: Ecclesia Parochialis canonicam suam debet habere portionem, C videlicet ad minùs quartam partem totius quod relictum est. Hæc materia est prolixa.

Ad Curatos spectat Decimas recipere, & res quæ ad eorum valeant sustentationem. Sequitur; Mendicantes qui tam proprio quàm communi renuntiarunt, Curatos aut Episcopos (ut videtur) esse non posse sine dispensatione.

Sequitur, Curatos licitè Decimas eorum, aut alia bona debita emolumenta exigere posse; quæ quidem Decimæ aut emolumenta Jure debentur, aut consuetudine quæ vim Juris habet, modò sit absque Simonia, ut in mercando, aut negotiando spirituale; quia non priùs persolvitur temporale aut aliquo tali modo, quin rationabiliter scandalum gignere posset. Nota contra illos, qui avaritiæ Curatorum adscribunt, si id teneantur solvere ad quod obligantur; ad hoc enim tenentur, alioquin totum periret, & parochiani efficerentur pejores.

D Sequitur, causam Decimarum spiritualem esse. Sequitur, quòd portio Curatis debita non vocatur propterea Decimæ, eò quòd semper sit decima pars, immò est interdùm vicesima aut tricesima: nota de consuetudinibus Normaniæ & Angliæ, ubi persolvuntur de omni proprio Decimæ, præter quam de mercimoniis. Nota contra applicationem Decimarum quæ Dominis dantur temporalibus, & ob quam causam eis datæ fuerunt; hoc enim fuit per modum vadimo-

Digitized by Google

nii (& pro tempore quoad multos) ut tutarentur Ecclesiam. Nota applicationem Decimarum ad Ecclesias Monachorum, aut Canonicorum, taliter ut Curati pauperes remaneant: & de remedio quod apponi deberet. Nota quòd obligationes, subventiones, redditus, & consuetudines capiendi in Baptismo, in Sepulturis, extrema Unctione, Matrimonio, Confessionibus, Communicatione aut Relevatione post puerperium, & talibus rebus omninò nominantur, ut pro Decimis: est enim omne tale pro sustentatione ipsorum Ministrorum, qui ordinati sunt, ut Parisiis ferè nullum est aliud emolumentum. Et interdùm necesse est, quòd forte ferat debile, & oblatio una, alteram. Exemplum de duobus sigillis Cancellariæ Parisiensis, ubi interdùm sumuntur quatuor solidi, & de centum nihil capietur. Applicetur, si persona dives, in Anno solùm quatuor Offertoria dare velit, & quatuor aux sex denarios pro Sacramento suo in Paschate, & omnis alia Confessionum & Oblationum utilitas ad Fratres devolvatur, unde vivet ipse Curatus? Nota obligationem Decretorum ad Fratres, qui hortari deberent sæpiùs in Anno parochianos, ut jura suis Curatis persolvant.

Ponatur in forma; Jus prædicandi & Confessiones audiendi, essentialiter & principaliter spectat ad Prælatos & Curatos.

Sequitur, expediens non esse, ut Jus hoc illis auferatur, aut turbetur directè sive indirectè, sicut Papa aut alius nollet sibi turbationem fieri in illo quod ad eum spectat. Videte hoc de omnibus Mendicantibus, qui auferunt Prælatis sæcularibus per exemptiones. Et quomodò nunquam confitentur alicui nisi sit sui Ordinis, & tamen cupiunt omnium audire Confessionem. Apparet, quòd ipsi judicant & existimant non esse bonum neque expediens ut alii suas audiant Confessiones, nec volunt alios facultatem hujus habere: volunt ergo Jus unum pro se ipsis habere, & aliud pro vicino eorum.

Sequitur, Presbyterum alteri confiteri non debere sine facultate Prælati sui aut sui Curati: hæc est determinatio antiqua Doctorum. Verum est facultatem hanc dari posse per consuetudinem scitam & toleratam à Prælatis & Curatis; securiùs tamen foret habere facultatem hanc expressè.

Sequitur, quòd tàm in prædicando quàm Confessione audienda, Prælatus aut Curatus primum & præcipuum jus habet, & cuicunque alteri præferri debet, si Officium hoc exercere velit in propria persona, præsuppositâ competenti. Et si quis dicat meliùs esse ut recipiatur in Confessorem is quem Papa elegit, quia sacrilegii instar est dubitare de illo quem princeps elegerit: responsio; Papa principalius Prælatos elegit & Curatos: est ergo ratio hæc contra eos.

Sequitur, Prælatos & Curatos subdelegare posse veluti Ordinariam habentes Jurisdictionem. Ad Mendicantes non spectat prædicare, aut Confessiones audire, nisi accidentaliter & per Privilegium, scilicet per commissionem & Prælatorum consensum & beneplacita.

Sequitur, Fratres se sustentare aut manutenere non posse absque Prælatis aut Curatis, quoàd prædicare & Confessiones audire, sicut accidens naturaliter sine subjecto suo esse non potest, nec Privilegiati & Mendicantes sunt Ordinarii, nec substituere possunt.

Sequitur, Fratres in Ecclesia sancta, statum Hierarchicum non habere, nisi ut alii Religiosi, aut alii Ecclesiastici, vel Christiani: & hoc patet, quia non obligantur concionari, id est, prædicare, nec Confessiones audire nisi velint, sicut ipsi ostenderunt aliàs in Cura S. Germani Altisiodorensis. Manifestum est etiam quia audiunt Confessiones horum quos volunt, & alios dimittunt, sive sit propter paupertatem, sive aliundè; ego non scio judicium aut sententiam. Curati verò tantùm obligantur pauperibus sicut divitibus.

Nota exemplum de vulpe, quod aliàs recitavit Magister quidam in Theologia, quæ dicitur Revocatio *de Polliaco*. Et est quòd absolvit leonem, equum & omnes alias fortes & crudeles bestias ab omnibus casibus, & absolvere noluit asinum qui buccellam feni ex calceo cujusdam pauperis surripuerat.

Sequitur, subjectos Prælatorum & Curatorum non obligari ut victum queritent eis. Alioquin enim (ut dicit sanctus Thomas) status ipsorum Prælatorum nimis molestus esset populo.

Sequitur Prælatos & Curatos non obligari victum quærere eis, si non posuerint eos ad opus & dimittent eis. Manifestum est ut priùs. Exemplum de messoribus, quo utebatur Jesus Christus cum ait: *Rogate Dominum messis ut mittat* &c. Matth. IX. 38. Et si dicat aliquis Papam eos mittere; videndum est an sit necessitas: non enim dandus est curator aut coadjutor Prælato aut alteri ipso invito sine defectu ejus aut impotentia; alioquin gravatur, quod non vult aut velle non debet facere Papa fratribus suis. Prælatis potest licitè quis confiteri eadem peccata multis in casibus, & una quæque talis Confessio reiterata prodesse poterit virtute Sacramenti.

Sequitur, non esse repugnans personam aliquam obligari ad confitendum aliquid quod jam confessa est, sive sit ex propria obligatione suiipsius sive per modum pœnitentiæ aut obedientiæ vel ordinationis, ut in compluribus Religionibus, sive per defectum aliquem, aut incertitudinem primæ Confessionis, aut per Superioris reservationem, ut in casibus reservatis.

Sequitur, quòd confessus Fratribus manere posset obligatus denuò proprio confiteri Curato, sive virtute Concilii hujus generalis, *Omnis utriusque sexus*, sive aliquovis modo. Nota multos Doctores & glossam ordinariam tenuisse, quòd obligaremur denuò confiteri postquam Fratribus fuissemus confessi. Sanctus Thomas, Bonaventura, Henricus Gandensis, & Prælati diversorum Regnorum. Prætereà hanc considerationem advertas. Armacanus postremò coram Urbano tenuit, post revocationem *de Polliaco*, & se fundat in hoc quòd duæ affirmativæ simul sunt possibiles.

Sequitur majorem esse fructum ei qui confitetur Fratribus, si denuò proprio confiteretur Curato. Ideò præcipit Papa Martinus IV. quod Fratres hortentur, & mittant eos qui confitentur, ad proprios Curatos. Et videtur quòd sit de peccatis quæ jam confessi fuerunt. Quo enim ad sequentia peccamina (ut videtur) jam omnino facta est admonitio.

Sequitur, utilem esse ordinationem, dare Privilegia Fratribus prædicandi & Confessiones audiendi, dummodò certis quibusdam & bonis conservaretur terminis, rectaque ordinatione, sine alterius præjudicio & sine abusu, quemadmodùm supponendum est Papam velle, & velle debere, secundùm naturale Jus, divinum, & scriptum. Nota modum præsentandi Fratres, & quales esse debeant, & in quo numero, & quomodò Prælatus refutare poterit eum qui videbitur indignus. Præsentandi sunt idonei, & in vita probati, discreti, temperati, periti & sapientes. Numerus debet esse congruus secundùm Clericum, & loci populum, ne videlicet nimis excedat. Nota Curatos scire debere nomina talium, & scire de quibus absolvunt casibus: non enim aliam habent potestatem quam Curati, nisi aliundè eam obtinuerint. Nota de quinquenniis & trienniis, ubi servari debeant, ubi non. Hæc autoritas: *Cognosce faciem pecoris tui*, intelligitur facilè & convenienter de cognitione in Curia pœnitentiæ, hoc est Confessionis.

Sequitur, quamcunque ordinationem fieri non debere, quæ retrahat, aut fuget, sive expellat subditos ab eorum Prælato aut Curato, & quin reverentia eis debita servetur. Multùm enim valet in Prælato aliquo aut Curato autoritas & reputatio, ut prosit subditis suis. Non est solummodò hîc respectus aut profectus pecuniæ,

Digitized by Google

niæ, ut imponunt aliqui, sed hoc est quoad profectum & bonum spirituale.

Sequitur parochianos non bono jure aut æquitate fugere Prælatum eorum aut Curatum, sicut etiam Curatus eos dimittere non debet; quod intelligitur de parochianis non habentibus causam justam aut exceptionem contra Curatum suum, ut si Curatus aliquem talium persequeretur ad mortem, aut revelare vellet Confessionem. In hoc casu petere potest facultatem: quod si minùs dederit, adeat Superiorem: aut faciat veluti si in casu illo non haberet Curatum.

Sequitur, Curatum negare posse Sacramentum Altaris in Paschate, aut aliàs alicui suo parochiano qui peccatum aliquod commisisset publicum, quod ipsimet confessus non fuisset, aut per suam facultatem, nisi ostenderit testimonium sufficiens se absolutum esse ab eo qui potestatem habet.

Sequitur, quòd quamvis in casibus peccatorum occultorum atque secretorum Curatus Sacramentum Altaris in Paschate parochiano suo petenti publicè & instanter denegare non possit, si affirmet se non habere peccatum quod non sit confessus; attamen eum secretè potest admonere, aut apertè, quòd confiteatur, aut ostendat hunc cui confessus est facultatem habuisse & potestatem absolvendi. Potest etiam Curatus facere edictum aut admonitionem generalem, ne ulla ad Mensam Domini nostri accedat persona, nisi se illi præsentarit aut commissis ab illo, vel per suam facultatem; ad evadendas omnes fraudes & ad meliùs cognoscendum parochiani sui faciem, si in Excommunicatione est secreta vel in odio, aut in aliquo alio impedimento, ut non recipere possit Dominum nostrum, secundùm textum: *Omnis utriusque sexus*. Nota quid Curatus facere debeat de casibus reservatis & Excommunicationibus in Paschate, cum Pœnitentiarius longè ab eo distat. Locus parochialis congruus est & ordinarius ad Ecclesiastica recipienda Sacramenta.

Sequitur, quod, ceteris paribus, meliùs est diebus Dominicis & Festis præceptis audire Missam vel Sermonem aut recipere Dominum nostrum in Parochia propria, quàm ubicunque alibi, præcipuè in locis Privilegiatis, quia est Mater quam parochianus filius ejus meritò honorare debet. Ibi fiunt præcepta, ibi Pater suus est spiritualis, ibi porta est qua itur ad Deum. Ideo sunt Decreta quæ volunt in una Parochia non recipiendos esse alterius Parochiæ extraneos. Et hoc dici debet, sive proclamari publicè, qualibet die Dominica in Missa, aut ante. Hìc fundatur quod Parisiis & in alio magno populo non recipiuntur ulli sine litteris aut sine facultate; feminæ à Relevatione aut (ut vulgariter dici solet) à puerperii egressu, aut mortui ad sepulturam, quod ob lucrum non est &c.

Sequitur, meliùs esse & honestiùs audire Confessiones in Ecclesia, quàm alibi in locis non Sanctis, aut locis secretis, ut sunt cameræ, unde plurima possunt oriri mala.

Sequitur, meliùs, religiosiùs, & magis approbatum esse in Ecclesiis Matrimonia celebrare, quàm in domibus. Et similiter celebrare Missas aut Dominum nostrum recipere.

Sequitur, quòd si parochianus aliquis propriam fugiat Parochiam, & peccet communicando cum excommunicato in sua denuntiato Parochia, aut quòd non sciat futuræ septimanæ statuta & Præcepta, ut jejunia vel Festa, non excusatur; quia est ignorantia voluntaria. Curati possunt licitè & rationabiliter recipere Decimas, & ad eorum uti profectum, non committendo sacrilegium. Et prædicare oppositum aut taliter loqui, ut retrahantur parochiani ne persolvant decimas, est iniquè prædicare.

Sequitur, quòd dicta Autorum non videantur id velle innuere, quòd Ecclesiasticus nihil habere debeat præter simplicem victum, aut simplicem vestitum, & omne residuum esse pauperum, sub pœna committendi sacrilegium: intelligitur enim hoc de Ecclesiasticis, qui paupertatis votum emiserunt, aut intelligitur de his qui abutuntur bonis quæ sunt specialiter instituta pro Ecclesia vel pauperibus. Aliter dicere, esset reprobare omnium Prælatorum status.

Sequitur, quòd recipere Decimas vel oblationes aut possessiones pro Prælatis aut Curatis non diminuit eorum perfectionem: alioquin Religiosus non deberet adipisci Prælaturam aliquam, quia sine ea esset perfectior.

Sequitur, Prælatos, Curatos & alios Ecclesiasticos, qui reditus habent, proprios facere posse, & facere fructus Beneficiorum suos esse, & de jure ipsorum & non solummodò ut simplicem eleemosynam. Hoc enim jus eorum est tàm per Evangelium quàm per Jus naturale & scriptum. Ideò non oportet, quòd si abutantur in aliquo casu, eos in casu quolibet ad restitutionem teneri, quamvis peccent. Possunt etiam facere de propriis eorum bonis Testamentum & eleemosynam, sed Religiosi Prælati excepti sunt. Nota, consuetudo dat eis, & sunt capaces; alioquin ità diceretur de Papa &c. & rediret error de Padua & similium.

Sequitur, quòd habere divitias & benè uti eis, potest in multis casibus majoris esse perfectionis, quàm nihil habere & mendicare. Nota rationes & quomodò mendicitas generare potest sollicitudines, rapinas, fraudes & alia mala, cùm persona contenta non est de eo quod liberè ei confertur, sed est imperfecta more pueri vel incontinentis, aut est gulosa, avara vel pomposa. Nota de Pastillo mendicitatis. Propterea Christianus magis est, qui renuntiavit divitiis voluntate & affectu, quam alio modo. Nota quòd pauperi non creditur in Judicio. Et Jesus Christus non mendicavit, nec consuluit alicui ut mendicaret. Nota si expediens foret Papam & Prælatos mendicantes esse & adeò pauperes sicut Jesus Christus fuit & Discipuli. Et unde evenerunt possessiones? Certè tempore Petri, cùm pagani converterentur, qui priùs serviebant idolis, ut Presbyteri. Nota de Druydibus in Francia, & deductionem Apostoli. 1. ad *Corinth.* IX. Et sic fiat finis conformiter ad materiam Evangelii.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis
CENSURA
Plurium in Theologia Professorum
CIRCA
BULLAM
A
MENDICANTIBUS
EXTORTAM
A Summo Pontifice Alexandro V. Datam Anno 1409. IV. Id. Octobris.

De novo edita ex Codd. MSS. Vict. 463. & 698.

UNIVERSIS Christi fidelibus. Plurimi Sacræ Theologiæ Professores zelantes ea quæ hierarchicum Ordinem Ecclesiæ respiciunt, gratia, salus & pax. Sanè hierarchicus Ordo militantis Ecclesiæ, docente Beato Dionysio, constitutus est immobili firmitate per Christum ad Exemplar cœlestis hie-

Digitized by Google

hierarchiæ, ubi infima reducuntur ad Deum per media: propter quod appellatur Ecclesia frequenter in Evangelio Regnum cœlorum, quam ideo Joannes, dixit se vidisse descendentem de cœlo. *Apoc.* XXI. 2. Proptereà rursùs in figura jussit Dominus Moysi omnia facere secundùm Exemplar ostensum in monte prorsùs. *Exod.* XXV. 40. Porrò adversùs hunc ordinem qui in debita prælatione subjectioneque consistit nemini mortalium, nec Angelis de cœlo potestas data est; quia *nihil possumus, contra veritatem*, 2. Cor. XIII. 8. nec in destructionem sed ædificationem, ℣. 10. sicut ait, Apostolus ille qui restitit Petro in facie, *Galat.* II. 11. audens ei dicere. Cur ita facis: huic innituntur fundamento dicentes, Papam immutare statum Universalis Ecclesiæ nunquam posse. Hæc nos attendentes, simul & Professionis nostræ memores, quæ doctrinis variis & peregrinis obviare debet & parata *semper* esse, *reddere rationem de ea qua in nobis* Fide & *Spe*, 1. Pet. III. 15. contra quam, dicente Apostolo, *oportet hæreses fieri, ut qui probati sunt manifesti fiant*, 1. Cor. XI. 19. reddimus nunc ad instantiam almæ Matris nostræ Universitatis Parisiensis, testimonium veritati, quam post examinationem diligentissimam sentimus super copia cujusdam Bullæ per aliquos Fratrum Mendicantium, subreptitiè vel aliter insciis Reverendissimis Patribus Dominis Cardinalibus, ut fertur extortæ, quæ incipit, *Regnans in Excelsis.* Finitur: *datum Pisis quarto Idus Octobris Pontificatus nostri Anno primo.* Dicimus ergo sub omni reverentia Sanctæ Sedis Apostolicæ, & sedentis in ea Summi Pontificis ac totius Ecclesiæ, quòd tenor illius copiæ videtur nobis primùm intolerabilis; dehinc totius Ecclesiastici status turbativus: & ita demum dicimus adversus tales abusus, provisione celeri & salubri opus esse. Videtur quidem intolerabilis ex modo condemnationis undecim Articulorum illìc numeratorum, cum fulminatione pœnarum horrendarum, & adjectione quòd non obstant Statuta Apostolica, neque illud saluberrimum & celeberrimum *omnis utriusque sexus*: editum in Concilio generali, cui Statuto derogare, quid nisi palam deviare est? Dicit itaque pars una condemnationis hoc modo: *Volentes quòd si quis deinceps prædictos Articulos asserere, aut in scholis aut alibi glossare, defendere, seu tenere, aut prædicare præsumpserit, tanquam hæreticus sit censendus & Excommunicationis Sententiam, ipso facto incurrat; à qua, nisi per Summum Pontificem* &c. additur, *quòd per invocationem Brachii sæcularis, si opus est talis coërceatur*, prout ex tenore ejusdem Bullæ posterius inscriptæ, planè patet. Constat verò nobis juxtà proprios Theologicæ doctrinæ terminos, quòd in Articulis undecim illìc jam damnatis, implicantur multa quæ possunt glossari; nedum absque periculo hæresis & anathematis, sed cum veritate & merito; præsertim per illos quibus ex officio hierarchico competit interpretari & glossare Scripturas tàm doctrinaliter quàm autoritativè; quemadmodùm sunt Doctores & Pastores, quibus hoc officium tollere, quid aliud est, Domine Deus, quàm obstare ne declaratio sermonum tuorum illuminet, & intellectum det parvulis? Quid aliud prætereà, quàm veritati viam claudere & erroribus aperire? Ecce quòd in prædictis Articulis offert se multiplicitas terminorum & amphibologia propositionum tàm de vi sermonis, secundùm diversos sensus, compositum & divisum, universalem & indefinitum, quàm ex vario usu. Nunc ibi per Doctores, ut exempli gratia, est ille terminus complexus *proprii Sacerdotis*, & iste: *licentia generalis*, & ista propositio: *stante Statuto Omnis utriusque sexus: Papam non posse*, &c. & ista *Confessio facta fratribus incerta est.* Quæ propositio, sicut & aliæ plures, illic positæ, si capiantur indefinitè, prout jacent, veritatem habent in multis casibus, nec assertor earum vel glossator hæreticus est censendus vel anathematizandus; undè & si acceptio hujus termini *proprii Sacerdotis* extendatur ad Papam & ad Episcopum & ad Curatum Parochialem, quemadmodùm plurimi sumunt ex Doctoribus pro salvando Constitutionem *Joannis* XXII. quæ incipit, *Vas electionis*, constat quòd sextus Articulus inter octo novos, cujus assertor condemnatur hìc, tanquàm hæreticus sit censendus & anathematisatus & coercendus per mulctationem Brachii sæcularis, est verissimus pro secunda parte; nam de veritate primæ partis Fratres Mendicantes non dubitant: si autem fiat re-

A strictior acceptio hujus termini *proprii Sacerdotis* pro Curato Parochiali; videant ipsi Fratres, quomodò Constitutionem prædictam, *Vas Electionis*, concordare non extortè nec præjudicialiter potuerint cum Statuto generalis Concilii *omnis utriusque sexus.* Est autem Articulus iste sextus in hac forma: *Quamvis fratres admissi habeant autoritatem absolvendi & audiendi Confessiones; populus subjectus non habet potestatem accedendi ad Mendicantes admissos, sine licentia proprii Sacerdotis*: hæc enim secunda pars vera est, appellando Sacerdotem quemlibet horum trium, scilicet Papam, Episcopum, & Curatum, sicut Fratres exponunt: nescimus prætereà, quo commento primus Articulus inter octo dicatur fuisse damnatus per Joannem vigesimum secundum; quoniam in Constitutione *Vas electionis* nullus in forma talis Articulus continetur, scilicet: *quod confessus Fratri admisso in forma dudùm, teneatur eadem peccata in numero iterùm Curato confiteri.* Multa ponit in hunc modum Bullæ copia illius, quæ vel reprehensibilia sunt, vel glossis quæ prohibentur,

B egentia, cùm textus non distinguat. Quid rursùs, quòd Articuli undecim sic damnati velut hæreses, multa implicant, quorum veritas aut falsitas impertinens est penitùs ad ea quæ sunt Fidei; quorum perindè assertio vel negatio, quantominùs glossatio, nullo pacto reddit hominem tanquàm sit hereticus censendus & anathemate terribili feriendus & per invocationem Brachii sæcularis coërcendus, præsupposito ex doctrina Theologica, secundùm quam nos ad certam regulam loqui fas est, quòd nemo censendus est hæreticus, nisi depravatus sit per errorem contra Fidem in intellectu, & per obstinationem vel pertinaciam, non per solam præsumptionem, in affectu. *Errare potero*, inquit Augustinus, *hæreticus non ero.* Qualis autem esset illa æquitas, præsertim in Lege mansuetudinis, si plagarum modus excederet delicti qualitatem? Si non hæreticus ut hæreticus plecteretur? Si vitam æternam habituri, quia per glossas sapientiam

C elucidant, ipsi anathemate, & tali anathemate ferirentur? Est igitur intollerabilis damnatio talis. Adjecimus eam esse totius Ecclesiastici status turbativam, quod existimamus patere, tum ex præmissis, tum ex inspectione statuum singulorum in Ecclesia, Prælatorum scilicet, & Dominorum sæcularium, & Cleri, & populi, & ipsorum Religiosorum. Turbat itaque primò statum ipsorum Fratrum Mendicantium, & convenienter alterum quemlibet indisponit. Quare? quia certè datur instrumentum, vel occasio multis ex Fratribus, ne loquamur de ipsis omnibus; ut ipsi, qui vacare debuerant vel propriæ perfectioni acquirendæ, vel pueritiæ & adolescentiæ, à qua introeunt, corrigendæ, vel juventuti edomandæ, vel veritati, dùm deferbuerint vitia, contemplandæ: præsumant è contrario statim supremæ perfectionis operationem exercere, quæ est prædicatio, secundùm Apostolum; præsumant insuper alios non qualescumque, sed Prælatos

D & Dominos suos corrigere, ne dicamus corrodere præsumant. Prætereà se lautè curare, divitias acquirere, se periculis omnibus impudicitiæ & gulæ & adulationis horis omnibus exponere, nunc penetrando domos, nunc sub obtentu Confessionis *captivas ducendo mulierculas onustas peccatis*; 2. Tim. III. 6. inter quæ pericula fortissimos etiam quosque dejectos Sapiens asserit; Ipsis denique, quos dignum erat versari cum omni paupertate & subjectione; ad omnes maximè Prælatos Ecclesiæ, tàm majores Apostolorum successores, quos dici-

dicimus Episcopos, quàm minores Discipulorum successores, quos Curatos nominamus; non verebuntur se adversus eos contumaciter erigere, impudenter ingerere, calumniosas accusationes per hanc Bullam seruere, quos oportuerat per ipsos Fratres, si vocarentur, sedulò coadjuvari in messe Dominica; quos itidem apud populum subditum reverendos, colendos, amandosque reddere omnibus modis æquum erat; ipsi eos ex adverso spernendos, deserendos, odiendos, se sequendos palam affirmabunt, & hoc impunè, quod iniquissimum omnium est: nam si quis aliorum statuum obmutare, si quis obviare suis ausibus improbis tentaverit, afferetur protinùs in medium Bulla ista, damnans tot Articulos, tamque horrendè fulminans, & intonans. Hæc tanquàm laqueus magnus, perpetuus & inextricabilis, nonne contradictores suos mox involvet? nam illicò, qui contradixerit, hæreticus, anathematicus, imò interficiendus igne vel gladio per auxilium Brachii sæcularis accusabitur, evocabitur, convincetur, condemnabitur. Experti loquimur: nam si in viridi hoc faciunt, id est, Parisiis, ubi sedes Regia, ubi Cœtus tot Prælatorum, tot Doctorum in utroque Jure & aliorum residet, in arido quid facient, id est apud subditos idiotas & simplices? Putamus, imò certè scimus, Fratres Mendicantes non sic institutos per Beatos Dominicum & Franciscum, qui nihil agendum invitis Dominis suis, ita enim Episcopos & Curatos appellabant, nihil in eorum præjudicium attentandum dixerunt & jusserunt. Justè quidem; alioquin non coadjutores humiles Prælatorum, & plebis; sed fures & latrones, aliundè quàm per ostium in ovile Dominicum induxissent; neque enim tantummodò furtum est in auro vel argento, est & in usurpatione dignitatis, juris, officii, vel honoris alieni. Quis autem tolerare, quis admirari sufficerit, homines ultrò mendicare panem à populis, & à Superioribus auferre veram suarum proeminentiarum dignitatem: cum etiam Decretalis *Dudum*, quam tantoperè Fratres jactant, determinat eligendas esse personas tàm meritò probatas, quàm nunc certas, secundùm exigentiam Cleri & populi. Rectè prorsùs; nam per multitudinem intemperatam & incertam talium, gravantur suprà modum sicut Sacerdotes, sic populi; simul in unum dives & pauper: Immeritos autem, quis proficere & non graviter officere, vel publicè judicaret? Jubet ergò Decretalis personas eligendas esse inter eos sufficientes, idoneas, vita probatas & discretas, modestas, atque peritas, quales utique nos non repellendos; sed evocandos, fovendos, remunerandos infrà sinum prælationis judicamus: neque enim propter malos abjicimus bonos, sicut nec Apostolos Christus propter Judam ejecit. At verò longè esset modestorum & bonorum vita, ab illa qualem descripsimus insufficientium, ineptorum, reproborum, indiscretorum, sine modestia, sine peritia; omnia per arrogantem intrusionem, nihil per licentiam agere conantium, & qui se suprà numerum multiplicant: quibus si non obviatum fuerit, quid reliquum est, juste Deus, nisi ut abductis plebibus ab Episcopis & Curatis, ipsi Prælati & Curati nudi, insipientes, & abjecti sub illis Fratribus, quodam nomine Mendicantibus, sed re ipsa honoratis, opulentis & elevatis, & pro arbitrio cuncta volventibus miseram agant vitam. Superest, ut fertur, rei hujus Italia testis: prohibeat deteriora Deus, nec in novarum sectarum excogitationem, ut olim, ex Evangelio æterno corruat cœtus aliquis Christianus. Ceterùm Corepiscopi cur dudùm abrasi sunt ab Ecclesia, nisi quod alterum Ordinem à Prælatis majoribus & minoribus addere, & per accidentalia quædam officia, Christi institutis derogare videbantur?

Concludentes igitur dicimus, propter hæc & alia quæ brevitati & modestiæ studentes præterimus, quia nec ad singularia descendere propositum est, quòd prædicta Bulla, si supersit, cujus copiam accepimus, qualemque non credimus de conscientia Domini nostri Papæ tam exercitati in Sacris Litteris, neque ex deliberatione Sacri Collegii Dominorum Cardinalium processisse; primò tanquam intolerabilis, deinde velut totius Ecclesiastici status turbativa abradenda est, cassanda, & anullanda perpetuò, in confusionem illorum qui talia vel excogitare, vel suggerere; vel extorquere moliti sunt. Ad laudem verò bonorum addimus ad extremum, quòd provisio cautissima per Prælatos & Doctores, per Dominos insuper temporales, per A Clerum & Populum ex omni parte Christianitatis quærenda erit & obtinenda in Sacro Concilio proximè celebrando, si non ante fieri potuerit, quod maneat imperturbatus Hierarchicus Ordo & essentialis Ecclesiæ, Prælatorum & Curatorum quorum potissimè Papa defensor, non destitutor esse debet, nec subintroeant vineam Dominicam vulpeculæ parvulæ demolientes eam, latitantes sub Privilegiorum variorum quasi foliorum aut fovearum velamine tenebroso, ne prætereà dicant se aliqui Coadjutores Prælatorum & complantatores; re autem ipsa supplantatores inveniantur, certantes ut sint tutores invitis, nec erogatores, sed derogatores. Itaque prodeant in lucem omnia, quatenùs appareat Christianitati, quis verè suus est an adversariorum, quia nullum quàm in falsis fratribus periculum majus. Hæc sentimus B pro testimonio veritatis; hæc hortamur pro tollendis scandalis; hæc apud omnes Christianos maximè Prælatos & Doctores fieri postulamus, optantes eis gratiam, Pacem, & Gloriam. Amen.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS
DE
ARTE AUDIENDI
CONFESSIONES.

Ad Codd. MSS. Vict. 774. & Navarricum unum.

C Etsi virtus quam assuefactio gignit, certiùs quam ars operetur, nonnihil tamen prodest artis traditio apud eos, qui nondum perfecti sunt in virtute. Hoc in arte qualibet perspicuum est. Et quoniam ars artium est regimen animarum, præsertim in Confessionibus audiendis, studui quasdam generales considerationes tradere breviter & distinctè, quas esse proficuas experientiâ doctrinæ cognovi. Induxit hoc agere me non mediocriter, quod paucos hactenùs reperi, qui perfectè unquam & integrè confessi fuerint, causâ existente in multis vel negligentiâ vel ignorantiâ Confessorum.

Consideratio Prima.

D Provideat ante omnia Confessor purus esse, quia purgandis animabus invigilat. Spem quoque sui laboris & proficiendi circa alios non in propria, sed divina virtute reponat. Meminerit jugiter, quoniam neque qui plantat neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Christus. 1. *Cor.* III. 7. & quòd nisi Spiritus sanctus cordi assit audientis, in vanum laborat lingua loquentis vel Confessionem audientis. Oret igitur crebrò (prout Sapiens de corporali Medico consulit) quatenùs dirigatur opus suum à Deo, ut ejusdem virtute roretur & crescat.

Con-

Digitized by Google

Consideratio Secunda.

Collocet se Confessor in arce seu specula rationis, abstrahens semetipsum, quantùm potuerit, ab homine exteriori, tàm in se quàm in aliis, ut spiritu ambulet, & non carne, ne fortè illectus formis corporum, fiat ipse laqueus perditionis sibiipsi; totus in animarum perspicienda qualitate spiritualiter invigilet, non attendens discretionem sexuum vel formarum; alioquin A *quid ei proderit si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* Matth. XVI. 26.

Consideratio Tertia.

Compleat erga quemlibet sibi confitentem solliciti Confessoris officium, nihil præcipitanter aut in solo transcursu pervolans; sed morositate pervigili omnia plenè examinans, dijudicansque, memoriæ quoque confitentis quæ dicenda imponendave fuerint, ea diligenti repetitione reponens, infigat. Quippe eligibiliùs est paucos audire completè, quàm multos imperfectè, cum conscientiarum scrupulis non tàm expedire, quàm inexpeditos plerumque relinquere. Imitetur in hoc Deum, cujus perfecta sunt opera. Mallem namque, si Curatus essem, multorum differre Confessiones post Pascha, etiam ubi quidam non redirent, quàm quòd cæcos cæcus seducerem, dum pro B verè absolutis, ipsi non rectè absoluti, se gererent.

Consideratio Quarta.

Ostendat Confessor in operibus nihil in confessis quærere præter salutem animarum & solutionem liberam à laqueis peccatorum, ut nihil agat ad quæstum, recolens illud: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. X. 8. Nihil ad mundanam ostentet gloriam. Pauperibus æquè sicut divitibus se tradat & offerat; turpibus & pulchris; indoctis ut doctis, nisi fortè pro quanto major inde fructus, honorque Dei speraretur sequi. Proderit supra modum hæc sinceritas rectæ intentionis, ut velut magnes aliquis spiritualis ferrea etiam populi corda virtuosiùs ad se trahat.

Consideratio Quinta.

Expedit ut Confessor zelans animas obtineat à Præ- C lato subditorum suam in casibus reservatis potestatem seu relaxationem præcipuè, nisi sint casus publici & scandalosi. Reperiuntur itaque paucissimi, qui non inciderunt in aliquem talium casuum qui Episcopo reservantur. Scientes verò ipsi confessi seipsos non debere remitti deinceps ad alterum, magis se proponos promptosque reddunt, nam uni confessionem suam libentiùs & citiùs detegunt. Confessor etiam similiter eos præsumit liberiùs interrogare de singulis, pleniùs quoque sanare, simul & semel ipsos absolvendo, confidit.

Consideratio Sexta.

Sciat Confessor omnia peccatorum genera & species D tanquam Medicus doctissimus spiritualium ægritudinum. Prætereà qualiter homines diversorum statuum & variorum officiorum peccare possunt, nullatenùs ignoret. Et quanquam ad hæc cognoscenda facti sunt Tractatuli; attamen aliqua sunt quæ non tutò committuntur scripto aut verbo publico, propter evitandum quorumdam scandalum, sed ea secretè discant ipsi quorum interest hoc non nescire, sicut Medicos morborum varietates convenit non ignorare. Aliter nempe quo pacto sibi confessos prudenter ac diligenter interrogabit, instruetque Confessor ad suorum rememorationem criminum, hoc maximè est in peccatis carnis extraordinariis, qualia expertum est vix unquam dici in Confessione à culpabilibus in eis, nisi cautissima arte præmoneantur, interrogentur, capianturque. Et certè necesse est ut Confessor habeat artem hanc obstetricandi spiritualem, ad educendum colubrum talem pestiferum, tortuosum & virulentum ab anima ipsius, aut ipsa sine dubio periclitabitur, & ut crebriùs æternè morietur. Nec reputo audiendos in hac re eos qui nihil interrogandum aut inquirendum esse dicunt à confessis, præsertim cum hoc ipsum velint, requirantque confessi: alioquin non satis consulitur verecundiæ, ignorantiæ & fragilitati peccantium. Nec impletur illud Scripturæ: *Alter alterius onera portate*, Galat. VI. 2. & similia multa.

Consideratio Septima.

Conjecturet Confessor post interrogationes quasdam præambulas super ætate, statu, conditione, studio, vel officio confessi, utrum ipse verecundus sit, & nimio pudore detentus, quia fortè puer est vel femina, vel exilis complexionis. Apud tales præ ceteris persuadendum est primitùs & figendum in animo, quemadmodùm confessio secretissima est, & omniscienti Deo magis quàm homini fit, non ad revelandum aut accusandum quæri peccata sua, sed ad evitandum aut absolvendum, & perpetuè quietandùm. Malle Confessorem mori, quàm aliquid dicendorum detegere. Tollat igitur omnem talem suspicionem, nec reformident quòd propter dicenda Confessor sit eos postmodùm habiturus odio, aut contempturus, accusaturus; immò teneriùs eos diliget sicut filios charissimos, & qui suæ fidei se totos commiserunt.

Consideratio Octava.

Laboret Confessor, præsertim erga juvenes & parvulos, habere Confessionem eorum generalem, quia vix aut nunquam integrè confitentur, nisi fortè prædocti à tali Confessore qualem describimus; quinetiam illud esset utile apud grandævos rurales, & simplices, & feminas. Quod si non possunt leviter induci ad hoc, poterunt ab eis fieri interrogationes tales: utrum facta est tibi conscientia de talibus peccatis, & de tali ætate & de societatibus talibus. Et secundùm responsiones poterit animadvertere prudens Confessor, si plena fuerit talis Confessio. Et si non, tunc nitatur eam perficere, & confitentem ad hoc inducat.

Consideratio Nona.

Præcaveat summoperè Confessor, ne sit austerus ab initio, tristis & rigidus, mox enim per hujusmodi clauditur os obstinati peccatoris. Prævia sit affabilis locutio, etiam si aliquando ita res exigat super peccatis, quousque familiaritas quædam contracta sit; dehinc ostendat quantæ iniquitatis est & hypocrisis pessimæ quicquam velle celare in Confessione coram Deo, & quemadmodùm hoc agere est seipsum turpiter fallere, esse quoque melius dicat, si non confessus abscedere velit, quàm fingere Confessionem imperfectam.

Consideratio Decima.

Quærat Sacerdos à confitentibus, nonne velint expurgari penitùs ab omni suo crimine? Et quod nisi hoc velint, fas habent recedendi, ne tempus incassùm, immò noxiè detineant. Si volunt, debent igitur juvare se, & hoc meliùs & celeriùs fieri nequit, quàm si ad interrogata veritatem plenam responderint; si verò deprehenduntur velle mentiri, & celare, ut sæpè fit, per discretum Confessorem arguantur vehementer & acriter, & compellantur veniam statim quærere

Digitized by Google

rere super hujusmodi mendacio, quòd postquàm fecerint, rursùs blandè & leviter moneantur, nihil deinceps mentiri aut celare. Si verò bis aut ter rursùs mentiti fuerint, poterunt remitti & differri usque ad tempus alterum, injungendo ut meliùs sibi provideant. Sæpè fit ut in altera Confessione libentiùs aperiant omnia, dùm putant mendacia priora magis imputanda eis ad inadvertentiam, quàm in malitiam.

Consideratio Undecima.

Applaudat Confessor dicentibus veritatem super delictis suis, quantò magis enormissima & abominanda videbuntur. Collaudentur de veritate; de religione, de timore Dei, de zelo propriæ salutis, de confidentia ad Sacerdotem & consimilibus: & quòd audacter pergant ad alia, nihil hæsitantes. Fit aliquando non inutilis quæstio, si fuerint aliàs de talibus confessi. Et si non, qualiter inde ampliùs nunc lætari debent, & Deo gratias agere, qui talem eis tribuit voluntatem & opportunitatem. Convenit quoque, ut per Confessorem, gratias præsentialiter agere moneantur; postmodùm tendant ad alia.

Consideratio Duodecima.

Jubeat Confessor, ne confessi crimina detegant aliorum nominando eos, vel signis certis notificando, nisi fortè peccata talia sint, quæ nullo modo aliter possint aperiri, ut si sororem unicam frater malè cognoverit, aut vir uxorem. Non sit prætereà curiosus in inquirendo particulares circumstantias peccatorum, quæ non multùm augent vel variant gravitatem in eis, quoniam nasceretur indè aliquando vel tentatio periculosa, vel turpitudo nimia, aut suspicio retardativa confitendi. Nihilominùs utile judicamus pro serenatione conscientiarum illorum, qui confitentur (quia fortè post modùm gravioribus urgerentur stimulis, quasi non benè & integrè peccata sua confessi fuissent) ut pleniùs explicent omnia, quantùm & quousque judicaverit Confessor expedire.

Consideratio Decima tertia.

Arguat & reprehendat acriter ipse Confessor peccata enormia, postquàm ista plenè cognoverit, & ostendat, quanta punitione peccator dignus est. Attamen cavendum est, ne rursùs peccator confugere possit ad negandum jam confessa, sicut pluries fieri repertum est etiam post Confessionem completam priùs. Idcircò habeatur certissima explicatio peccatorum. Denique quicquid in Confessione dixerit Sacerdos, sit ipse semper in fine mansuetus atque benignus, infundens oleum consolationis, & compassionis, & bonæ spei. Potest insuper aliquando dicere Confessor: ex quo talia, & talia confessus es quæ sunt gravissima; noli deinceps celare aliquid, sed omnia dic, ut te similiter expedias.

Consideratio Decima quarta.

Procedat Confessor in inquisitione peccatorum, & specialiter peccati carnalis (quod à multis cum summa difficultate vix potest extorqueri) primò pedetentim D & à generalioribus incipiat, & quæ nullam aut paucam videntur includere culpam; quia si peccator vult mentiri aut fugere, sæpè deprehenditur per talia quæ naturaliter accidunt omnibus, aut rarissimè reperitur oppositum, qualia si statim neget, constat eum timere dicere grandiora. Hoc modo novi plures fuisse deprehensos, qui interrogati negabant se unquam passos membri pudendi calefactionem, vel pruritum, vel erectionem qualemcumque, vel tentationem vel cogitationem malam de quacumque muliere. Et dùm convicti fuerunt de hoc mendacio, quærebatur, nonne illud erat turpe sic admittere? Quid agebas tu? Et sæpè respondebant illud quod quærebatur, credentes ex modo loquendi Confessoris, quòd illud non imputaretur ad culpam, sed ad laudem.

Consideratio Decima quinta.

A Sciat Confessor generalitates istas & similes: Fuisti unquam à tempore quo cognovisti te in societatibus famulorum aut sociorum, & specialiter in lecto? Si sic. Audisti unquam malum (ut sæpè fit) loqui sibi de impudicitia & mulieribus? Si sic. Loquebaris & tu similiter, & si mala desiderabas? Si sic. Utrum voluerit unquam alter, quod tangeres eum inhonestè vel ipse te? Si sic. Fiat processus ulterior sub velamine tali, quod intelligat an commissa fuerit ibidem mollities sive pollutio. Et hoc peccatum benè committitur etiam antè pubertatis Annos. Immò & semper imputatur in vigilia, dùm completa transit delectatio, etiam pollutione non existente.

Consideratio Decima sexta.

B Poterit Confessor, dùm inhonestè loquendum erit, dicere: Amice, non cures si loquor turpiter, quoniam oportet omnia in Confessione dicere, longè aliter dicerem aut certè silerem extrà Confessionem. Et dicantur talia satis constanter, & quasi præscita aut præsciantur, aut quod non reputentur ita gravia. Non aspiciantur fixè vultus confitentium, sed divertat Confessor vultum suum, quasi non curans aut ferè narrans fabulam, dicendo sic: Ego benè video, tu fecisti sic & sic; consequenter dic ergo totum in Nomine Domini, ego tibi indulgeo, si non aliàs feceris; & si diceres omnia mala mundi, non indè pejus haberes; dic ergò audacter. Immò & quæri poterit, si velit confitens; ut super omnibus diligenter interrogetur & si sic: subinferatur quòd ergò dicat in omnibus veritatem.

Consideratio Decima septima.

Accidit aliquando (licèt rarissimum sit) apud circumspectum & providum Confessorem, quòd aperiuntur C quædam species peccatorum carnalium, aut quædam circumstantiæ viles, quarum peccator non est conscius aut culpabilis. Et hinc fortè scandalizabitur, vel docebitur deinceps agere similia, licèt pro certo non videamus istud ita esse timendum, quemadmodùm aliqui tradunt, quòd propter hoc debeat omitti diligens inquisitio peccatorum. Utinam mala à pueris & aliis tàm diligenter confiterentur, quàm sciuntur & aguntur ab eis. Nec inquirenda esse judicamus quasi nesciant; sed quia fortè ea non tàm gravia esse credunt quanta sunt apud Deum, aut quòd aliter nolunt manifestare ea. Attamen in hoc casu debet cum summa detestatione peccatum tale damnare, quasi non caderet etiam in hominem tale aliquid agere: sed quòd illud dicebatur ad experiendum discretionem peccatorum, an sciat distinguere inter ea quæ fecisset & non fecisset, sunt enim quidam malè respondentes affirmativè ad omnia quæ Confessor interrogat.

Consideratio Decima octava.

Pergat Confessor (ut diximus) à generalioribus ad specialiora, à minùs turpibus ad turpiora, & hoc quasi à causis generalioribus ad effectus earum speciales; ut habito quòd aliquis conatus fuerit se, aut alium socium luxuriosè attrectare; quæratur quàmdiu & quàm sæpè, & cum quot accidit, & quanto tempore in tota vita; & si aliqui erant ex suo genere; & finaliter in qua parte corporis completa est libido sua vel alte-

Digitized by Google

alterius. Demùm ad alteram hujusmodi peccati speciem pejorem successivè poterit inquisitio pertransire.

Consideratio Decima nona.

Congruit, prout expertus sum, quòd parvuli & adolescentes masculi priùs interrogentur modo dicto A de cohabitatione sociorum & famulorum; tanquam de his quæ prima facie minùs horrent, quia minùs insolita sunt. Postmodùm quæratur de cohabitatione mulierum. Et primò, si unquam in ætate quinque vel sex Annorum, vel eo circà, jacuerunt cum ancillis, sicut mos est puerorum. Et sic conformiter inquiratur ad prædicta, & certè reperientur horrenda. Consequenter inquirantur non solùm de ancillis, sed de genere proximiori, ad qualia non descenditur, nisi quasi subitò & à latere, dicendo sine mutatione vultus: ô bone, video; quia tu similiter fecisti cum talibus & talibus. Et si sic (ut heu! sæpè fit) priusquam dearticuletur aliquid ampliùs, fiat practica considerationis undecimæ præcedentis de collaudando peccatorem, dùm peccatum aperuit. Postmodùm suadeatur pro bono suo dicere circumstantias omnes in particulari, sicut de ancillis prædixit; ostendendo, quòd pudor ille ad magnum meritum sibi cedet, futuramque operabitur conscientiæ tranquillitatem, ex B quo nunquam alteri deinceps revelare compelletur. Æstimo autem, quòd feminis converso ordine faciendæ sunt interrogationes, priùs scilicet de cohabitatione mutua secum, postmodùm cum viris aut parvulis aut adolescentibus, sed experientiam totalem non habeo.

Consideratio Vigesima.

Reprehendet fortè aliquis audaciam hanc Confessoris qui talia præsumit aperire quæ vix credibilia sunt & ferè incogitabilia, nisi ab expertis aut aliundè doctis. Sentiat alius quod voluerit, ego coram Deo testor, me plures talibus remediis induxisse ad Confessionem, qui fatebantur nunquam etiam in articulo mortis fuisse talia dicturos cuicumque; laudabant tamen Deum, totis visceribus gratias agentes, quòd ita se aperuerant: quidam & paucissimi retroire volebant aliquando; sed tandem redierunt, fatentes illusionem C esse dæmonis qui claudere os semel apertum rursùm satagebat. Alii jam confessi, propter omissionem hujusmodi interrogationis rursùs ad confitendum inducti, apertum mihi fecerunt judicium, quàm necessaria sit hujusmodi inquisitio.

Consideratio Vigesima prima.

Judicabit aliquis se talia nescire, vel nolle inquirere, quia fortè est ut chirurgicus timidus & inexpertus, pallescens aut spasmum patiens in aspectu fœdorum dirorumque vulnerum. Fatebor cautelam esse necessariam, & non leviter debere fieri descensum ad talia abominanda, nisi confessata præcedentia videantur velut inferre talem conclusionem. Quòd si quis nesciat uti cautela tali, dimittat consulo, ne & sibi noceat, & peccatorem, si semel negaverit neque deprehensus fuerit, scandalizet, & vix in futurum convinci D queat. Quale verò debeat universale remedium tradi apud omnes nondum scio; quoniam prædicationes generales non sufficere satis puto. In hac tamen interim sum sententia, quòd tales casus secreti pro parvulis quatuordecim Annorum & infrà & pro mulieribus nequàquam reservari deberent: alioquin non video quin multi ex hoc defectu Confessionis integrè perditi sunt. Ad nullos verò ampliùs quàm ad Prælatos spectat remedium, etiam damnans, si claudant regnum cœlorum, aut per negligentiam, aut per hujusmodi rigidiorem observationem occultorum.

Consideratio Vigesima secunda.

Videretur saltem expediens quòd in qualibet Cura notabili Curatus si discretus esset, aut alius loco sui Vicarius, aut alius Viceadjutor ordinaretur quasi Pœnitentiarius in talibus & circa tales. Esset insuper diligens audire Confessiones parvulorum & juvenum, quocunque tempore vellent & sibi vacarent, evocando nunc unum, nunc alium; quia provectæ ætatis homines ad hoc fortè non possent induci: provideret tamen quomodò cautè & circunspectè ambularet; qui talis esset, ne culpabiles seducentes hujusmodi parvulos persequerentur eum directè vel indirectè per malitias exquisitas, & fortè confingendas per parvulos, quamquam securitas maxima circà hoc esset puritas conscientiæ & intentionis; & quòd neque verbo neque signo aliquo quomodolibet revelaret quæ dicerentur, & ad non revelandum viis omnibus induceret, neque daret pœnitentiam per quam possent parvuli de quocunque notari apud eos circà quos conversantur. Denique circà hoc melius videtur habere plures Confessores minùs discretos in pœnitentiis injungendis, quàm reservando casus multos discretis paucis, & ad hoc hominem ducere, pudore cogente, ne talibus paucis confiteatur in æternum, sicut tolerabilius est reservare pœnitentiam in Purgatorio, quàm ut infinita patiantur in Inferno.

Consideratio Vigesima tertia.

Remanet aliquando in Sacerdote scrupulus, super Confessione peccatoris, quòd scilicet non dixerit omnia; & hoc habet, vel quia scit aliundè quàm per Confessionem, vel quia tenet certa principia ex jam confessatis, quòd tale peccatum commiserit, aut aliis modis. Quo casu vel remittat peccatorem pro avisando se, ut dictum est; vel si absolvat, prædicat sæpius iterùm & iterùm, quod si celet aliquid, Confessio sua & Absolutio penitùs invalida est & irrisoria. Dici denique poterit, ut si mallet alteri confiteri, pergat in Nomine Domini, tantummodò fiat integra Confessio sua. Sufficit hoc, nec aliud exquiritur; aut redeat, si velit aliàs cum provisione meliori.

Consideratio Vigesima quarta.

Petat Confessor à peccatore, si proponit ampliùs abstinere, cum auxilio Dei, deinceps à peccatis. Item si caret odio contra alium. Item si vult realiter, dum poterit, alienum restituere. Item si occasiones certas peccatorum vitare proponit, ut concubinatum, & usuras, & similia. Si aliquod istorum defuerit, non valet Absolutio, neque tradi debet. Si hoc peccator fateatur, suadeatur tamen interim agere bona quæ poterit, ut Deus illuminet cor ipsius. Item dicimus de revocatione seductorum malis consiliis & moribus per eum, & de diffamatis injustè & similibus, non requirendo tamen ultra illud quod verisimiliter fieri potest ad talia reparanda.

Consideratio Vigesima quinta.

Injungat Confessor pœnitentiam non aliam quàm de consensu peccatoris, & de qua speret impletionem; nisi fortè peccata essent publica & scandalosa, pro quibus ad reparationem cogi deberet invitus. Ceterùm potest aliquando dare pœnitentiam de non peccando tali vel tali crimine per certum tempus futurum, sub pœna aliqua vel pecuniaria vel corporali efficaciter

Digitized by Google

ter solvenda, aut sub debito redeundi ad Confessionem infra biduum post perpetrationem delicti, aut aliquod hujusmodi. Commoneatur tamen ipse confessus, ne pœnitentiam hanc vel aliam quamlibet acceptet, si non eam proponat se firmiter impleturum: agnoverit enim se in Purgatorio, quàm in hoc mundo, graviùs omnia soluturum. Ceterum de celando pœnitentiam suam, & ea quæ in Confessione acta dictaque fuerint, & de non respondendo ea curiosè interrogantibus moneatur.

Denique reliqua multa tradi potuerant, quorum nonnulla jam conscripsi partim Latino eloquio, partim Gallico in variis Tractatulis: & alii Doctores longè ampliora utilioraque. At verò hæc interim pro sua brevitate, ne fastidio sint, sufficiant. Et quia si quis ad opus hoc saluberrimum bona fide processerit, ille plus exercendo & orando, quàm legendo erudietur atque proficiet.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS DE MODO INQUIRENDI PECCATA IN CONFESSIONE

Qui vulgò dicitur:

DE CONFESSIONE MOLLITIEI.

Iste Tractatus hunc titulum habet in MS. Vict. 774. Emendatior & auctior prodit.

Ad MS. Cod. Vict. 774.

QUIDAM Magister in Theologia Parisiis per experientiam multam & studium diligens, cum auxilio Dei pia sedulitate invocato, comperit hæc quæ inferius scribuntur plurimùm efficacia esse ad extrahendum à cordibus confitentium, præsertim juvenum, saniem abominabilem peccati illius detestabilis quod dicitur mollities; & consequenter illam quæ contra naturæ jura transit in personam alteram: quia nisi Confessor sit solers & circunspectus circa inquisitionem hujusmodi peccatorum, vix aut rarò poterit extrahere ab ore infectorum talibus vitiis, ut illa spontè fateantur. Lector autem obscœnitatem materiæ ac verborum excusatam habeat, ob necessitatem docendorum remediorum. Igitur post aliqua colloquia de aliis materiis aut vitiis familiariter ac affabiliter non austerè facta, descendat gradatim & quasi ab obliquo Confessor ad inquisitionem hujusmodi peccati, sic dicendo.

AMICE recordaris quòd unquam in pueritia tua circa 10. aut 12. Annos tua virga, vel membrum pudendi, fuerit erecta. Si dicit quod non, statim convincitur mendacii, & quod vult fingere & timet capi, quia constat hoc omnibus pueris non vitiatis corpore, dum calefacti sunt in lecto vel aliàs sæpè contingere. Idcircò magis ac magis apertè debet urgere ut dicat veritatem. Item Confessor, si ille sit juvenis præcipuè: Amice, nunquid istud erat indecens? Quid ergo faciebas ut non erigeretur? Et dicatur hoc vultu tranquillo, ut appareat quòd illud quod quæritur non sit inhonestum vel silendum, sed quasi remedium contra præfatam erectionis prætensam inhonestatem. Si nolit respondere, planè petatur consequenter: amice, nunquid palpabas aut fricabas virgam tuam quemadmodùm pueri solent? Si omninò
A dicat quod nunquam tenuit in statu tali vel fricuit; non potest ultra progredi nisi admirando & dicendo quòd non est credibile, hortando quòd sit memor salutis suæ, quòd est coram Deo, & quòd est gravissimum in Confessione mentiri, & similia. Si verò dicat quòd tenuit & fricuit. Amice benè credo, sed per quantum spatium? per horam, aut dimidiam? & utrùm tamdiu quòd virga non plus erigeretur? & proferatur hoc quasi Confessor non reputaret hoc insolitum vel peccatum. Si respondeat confitens quòd ita fecit, tunc habetur intentum quòd talis veraciter commisit peccatum mollitiei, etiam si propter ætatem non fuerit subsecuta pollutio; quoniam ibi est complementum delectationis illecebrosæ, & forsan perdidit virginitatem, saltem animi, & magis perdidit quàm si pro illa ætate ivisset ad mulieres. Fortè tamen probabiliter dici potest, quòd per pœnitentiam virginitas reparatur in non polluta, sicut de mentali corruptione quæ fit in consensu intrinseco esse dicimus, dum
B corporalis defloratio seu pollutio non est subsecuta. Istis igitur habitis debet tunc vehementer increpare & detestari vitium illud, & ostendi qualiter dicat audacter alia, quoniam istud est pessimum. Quo facto poterunt haberi faciliter aliæ circumstantiæ; & si in dimissione virgæ post confricationem aliquis humor exibat, vel si fricuerit virgam alterius socii sui, aut si aliquis fricuerit suam & consequenter descendendo ad species magis speciales peccati sodomitici. Consulebat præterea idem Magister, ut similes interrogationes, paucis variatis, fierent etiam provectis viris aut feminis, quia per experientiam crebram reperit multos adultos infectos fuisse tali vitio, qui nunquam confessi sunt per priùs; aliqui ex pudore primò, & postmodùm ex oblivione; aliqui semper ex pudore, ita etiam ut dicerent se habuisse propositum nunquam confitendi; aliqui quia nunquam (ut dicebant) talia fuerant ab eis à Confessoribus suis inquisita. Rursùs propter experientias plurimas consulebat idem Magister, ut servatâ honestate & modestiâ quæ posset ser-
C vari, pueri monerentur nunc à parentibus, nunc à Magistris maximè ad partem, & quasi ex indirecto, ne unquam se fricarent vel palparent in pudendis suis, asserendo gravitatem peccati & quomodò per talia possent virginitatem perdere, & damnari perpetuò. Multos quippe cognovit se per ignorantiam excusantes, dicentes se nunquam audivisse vel scivisse, quòd talis tactus esset peccatum, ex quo non habebant voluntatem cognoscendi carnaliter mulieres. Valeret insuper ista monitio ad aliud; quoniam post perpetrationem peccati citiùs confiterentur etiam verecundissimi pueri. Demùm videbatur eidem Magistro, non adeò timendum esse illud quod quidam timuerunt, ne scilicet pueri docerentur mala agere: videmus enim quòd ex corruptione naturæ, pueri etiam triennes vel quinquennes vehementer sunt inclinati talia agere, quia sentiunt ibi quemdam pruritum incognitum dum stat erectio, arbi-
D tranturque licitum esse quod se fricent ibi, & se palpent & tractent, sicut in aliis locis dum pruritus inest: saltem non advertunt; quo fit ut ex consuetudine crescat cum ætate delectatio, ac proinde labuntur in prædictam mollitiem vel sodomiam ex actu tali, qui primitùs ab eis non putabatur illicitus. Postremò non revocabat in dubium ipse Magister quin tolerabilius esset aliquos forsan ex tali doctrina doceri ad malè agendum, de per accidens, quam ita passim damnabiliter vitium inolere, & absque Confessionis necessario reme-

Digitized by Google

dio derelinquere. Præterea consulebat, ut nec per jocum nec aliter, pueri aut puellæ oscularentur, aut nuda manu tractarentur, nec diu figerentur oculi in eorum decore; & loquendo cum eis dicerentur tantùm verba salubria, casta, sobria, & modesta, nec reciperentur solitariè, nisi forsan in sacro loco, in visu omnium; & breviter hîc ab omni specie mala singulariter abstinendum. Sunt enim quasi parvæ stipulæ, per quas nonnunquam diabolus grandem suscitat inflammationem, quamvis ab initio quandoque non appareat. A Ceterum sibi placebat plurimùm consuetudo patriæ illius, ubi pueri cubant soli. Abhorrebat insuper, quòd juvenes doli capaces, pueri, aut puellæ, aut juvenes cum senioribus quantumcumque propinquis in genere, eodem lecto uterentur, aut quòd se inde per ludum vel aliàs in nudo pertractarent; cognoscebat enim quæ ex talibus horrenda facinora prodierant.

Tandem monebat confessos sibi super hac fœda (de necessitate tamen ad remediandum tractanda) materia de aliquibus. Primò: quòd si aliquem sociorum suorum cognoscerent nunc vel in posterum tali vitio infectum, reprehenderent eum secretè, ut desisteret & confiteretur, ostendendo peccati turpitudinem & detestationem ex dictis Confessorum vel aliis, & ex Legibus publicis, quæ pœnam ignis infligunt, & ex horrenda fulminatione quinque civitatum & similibus. Secundò: ut sobriè viverent, abstinendo à speciebus, & vino forti & multo, & aliis inflammativis ad Venerem, & super omnia B caverent à societatibus perversis, ubi colloquia prava & gestus impudici corrumpunt bonos mores; nec starent in lecto absque dormitione. Item dicebat pro summo remedio occurrendum esse principio tentationis, secundùm omnium Sanctorum doctrinam quotidiè expertam, & per similitudinem de inflammatione materiali. Ad hoc agendum dicebat expedire certas Orationes quasdam parvas, quasdam magnas memoriter habere, quæ statim dicerentur percutiendo pectus, vel læsionem etiam corporalem alicubi inferendo, vel aqua frigida se spargendo, vel surgendo à lecto, & similia. Solebat inducere exempla sanctorum, ut Benedicti, Antonii, Bernardi, sancti Thomæ, & aliorum Patrum, quæ commemorare longum est. Illa tamen in promptu scire, magnam habet utilitatem. Inter alia sibi placebat multùm id quod agebat quidam juvenis in primo tentationis occursu: quasi enim videret facialiter diabolum, spuebat in C terram, dicendo. Psy psy miser, damnate dæmon, quòd ego tibi consentiam, quòd sic offendam Deum meum & Patrem meum, & de Templo suo faciam sterquilinium fœdissimum absit, absit, abi hinc in malam horam, & similia. Quandoque præterea ad animam suam, quandoque ad corpus, quandoque ad Angelum, nunc ad Deum, nunc ad aliquem Sanctorum collocutionem & querelam rei tali congruam medicantem proferebat, aut animo revolvebat. Orationes & Commendatæ ad hoc cum magna Fide, & conatu, & humilitate, & profunda recognitione propriæ fragilitatis, sunt hæ dicendæ, aut similes. *Cor mundum crea in me Deus*, Ps. L. 12. *Ure igne sancti Spiritus. Sancta Virgo virginum: ora pro me.* Ad Sanctos alios & Sanctas. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus*, Ps. LXVII. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*, Ps. LXVIII. Denique locum præcipuum in peccato hoc habet antidotum illud, quod in alia schedula explicatum est, de imponendo scilicet saltem ad gravem pœnam in casu recidivationis, ibidem videatur, vel aliter exoretur D ille, à quo solo homo habet ut sit continens, qui & donum hoc negare nescit fideliter orantibus: quòd tam contumeliosum naturæ humanæ, pro nobis ab eodem assumptæ, facinus dignetur radicitùs extirpare, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

Ad finem hujus Tractatûs in MS. Victorino 774. fol. 54. v°. hæc habentur non magni momenti.

PRo Pœnitentiâ septem Psalmi Pœnitentiales dentur.

Contra miseriam: *Exaudi Deus Orationem meam*, &c. Ps. LIV. LXIII. *Ad te Domine levavi animam*, &c. Ps. XXIV. *Deus in nomine tuo salvum me fac.* Ps. LIII. *In te Domine speravi.* Ps. XXX. LXX. *Inclina Domine aurem tuam*, &c. Ps. LXXXV.

Contra tribulationem: *Usquequò Domine oblivisceris.* Ps. XII. *Deus auribus nostris.* Ps. XLIII. *Miserere mei Deus quoniam conculcavit me homo.* Ps. LV.

Contra infamiam: *Ad Dominum cum tribularer clamavi.* Ps. CXIX. *Ad te Domine levavi oculos meos.* Ps. CXXII.

Contra lapsum linguæ: *Dixi custodiam vias meas.* Ps. XXXVIII. *Exaudi Deus Orationem meam cùm deprecor.* Ps. LXIII.

Contra tristitiam: *Deus Deus meus respice in me.* Ps. XXI. *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ omnes.* Ps. LXVIII. *Judica me Deus & discerne causam meam.* Ps. XLII.

Cum homo incipit illuminari: *Dominus illuminatio mea.* Ps. XXVI.

Pro contemplatione & desiderio Dei. *Quemadmodùm desiderat cervus ad fontes aquarum.* Ps. XLI. *Deus Deus meus!* Ps. LXII. *Quàm dilecta tabernacula tua!* Ps. LXXXIII. *Super flumina Babylonis.* Ps. CXXXVI.

Post transitum tribulationis & pro laude Dei. *Expectans expectavi Dominum.* Ps. XXXIX. *Benedicam Dominum.* Ps. XXXIII. *Benedic anima mea Domino.* Ps. CII. CIII. *Exaltabo te Domine.* Ps. XXIX. *Confitemini Domino.* Ps. CIV. CV. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Ps. CXLIV. *Lauda anima mea Dominum.* Ps. CXLV. *Laudate Dominum, quoniam bonus est Psalmus.* Ps. CXLVI. *Laudate Dominum de Cœlis.* Ps. CXLVIII. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Dan. III. 57.

Ad omnia: *Beati immaculati in via.* Ps. CXVIII.

Contra tribulationem Ecclesiæ: *Deus venerunt gentes.* Ps. LXXVIII.

Contra tentationem circa Dei providentiam: *Quam bonus est Deus!* Ps. LXXII.

Præterea istæ circumstantiæ quæ habentur per hunc versum, inquirendæ sunt in Confessione à Confessore:

> *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodò, quando.*

Per *quis*, intelligitur an sit juvenis vel senex; Clericus vel laïcus; solutus, vel ligatus. Per *quid* intelligitur an sit res sacra, vel non. Per *ubi*, an sit in loco sacro, vel publico, vel privato. Per *quibus auxiliis*, an cum pugno, gladio vel baculo. Per *cur*, qua ratione vel intentione, an ratione vindictæ vel rapiendi. Per *quomodò*, an percussit fortiter vel remissè. Per *quando* an in Quadragesima, vel in alio tempore sacro, vel aliàs.

> *Ars modus atque mora, tempus, numerus, modus, ætas,*
> *Tempus, loca, modus, numerus, mora, scientia, ætas.*

Vel alio modo:

> *Aggravat ordo, locus, peccata, scientia, tempus,*
> *Ætas, conditio, numerus, mora, copia, causa,*
> *Et modus in culpa locus altus, lucta pusilla*

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS DE REMEDIIS CONTRA RECIDIVUM PECCATI:

Secundùm exercitium & doctrinam ejusdem Doctoris.

Ad eumdem MS. Cod. Vict.

HABET hoc proprium ars quælibet, ut faciliori compendio ad finem ducat optatum. Admirari præterea nemo debet, si in animarum regimine, quod est ars artium, experti in ea faciliora quædam sciunt & dant remedia contra morbos vitiorum, præsertim in Foro conscientiæ. Ubi maximè locum habet illa Christi formidabilis Sententia: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Matth. xv. 14. Placuit idcircò scriptis mandare brevem se habendi formam, quam quidam Magister in Theologia, Parisiensis, Fide, moribus & doctrinâ probatus observabat, & observare consulebat, præcipuè contra recidivum in peccato vel peccatis ad quæ confessus se nimis sentit inclinatum. De præteritis itaque dabat satis tolerabilem pœnitentiam, attentis moribus & ætate confitentis, & non nisi de consensu suo, ut est sine camisia uno die in hebdomada per Annum vel tres abstinere, aut uti cilicio, & similia. Item quòd prima vice Confessionis alicujus peccati inveterati, seu detestabilis ob recordationem factæ gratiæ, quòd vitium illud detectum erat opertum & sanatum, injungebat ut toto tempore vitæ suæ confessus diceret bis qualibet die: *Pater noster*, & *Ave Maria*, semel in mane, & semel in sero, aut *Miserere mei Deus*, vel simile aliquod. Et in istis si cadebat oblivio aut impedimentum legitimum, benè volebat ut alio die posset fieri simile vel æquivalens. Sed ad providendum futuro casui & recidivo in morbum peccati, qui semper est deterior, majorem operam dabat, & studiosiùs invigilabat sic agendo, ut simul etiam de præteritis pœnitentiam daret, in quantum resistere peccato consueto, pœnalitatis multùm habet & meriti. Injungebat igitur non perpetuò, sed ad tempus certum longius aut brevius secundùm voluntatem & dispositionem confitentis, quòd idem confitens pro qualibet vice qua incideret tale peccatum quod volebat ex toto sanare, aliqua de subsequentibus adimpleret, vel omnia secundùm tres satisfactionis partes. Primò: quòd in casu illo teneretur uno die sequenti, infra tres dies in pane & aqua jejunare. Secundò: diceret certum Psalmorum numerum. Tertiò: si foret sui juris, daret in Ecclesiam certum locale, aut aliud benè charum sibi, aut summam pecuniæ, secundùm qualitatem divitiarum suarum infra tres dies. Quartò: infra illud trium dierum spatium, teneretur confiteri. Quintò: nonnunquam addebat quòd si quis vehementer tentaretur facere peccatum tale, & omninò deliberaret intra se sic agere, nihilominùs anteà teneretur dicere sub juramento septem Psalmos, aut flectere genua pluries ante imaginem Crucifixi, aut beatæ Virginis, aut alicujus Sanctorum, priusquam opus illud nefarium perpetraret. Sic enim forsan miserebitur Deus, & orando sic vel humiliando se, faciet in tentatione Dominus proventum, & mitigabit maris fluctus suscitatos.

Compertum est remedia hæc cum adjutorio divinæ gratiæ esse efficacissima, tàm in Foro conscientiæ quàm extra, si velit homo bona fide, & non illusoriè converti à via sua mala, & salvari. Sic etenim fieri videmus in Foro exteriori publico, ut pœnæ certæ taxentur ad rebelles compescendum. Sic Domine, sic *in camo & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*, Ps. xxx. 9. & *compelle intrare*, Luc. xiv. 24. si vocare parum est. Sic quemadmodum Naso ait:

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignem:
Ut valeas animo, multa ferenda, tuo.

Causam verò utilitatis pœnitentiæ talis reddebat à priori idem Magister: Quoniam, inquit, secundùm Aristotelem & experientiam: Incontinens ante passionem seu tentationem benè deliberat & eligit; sed adveniente & urgente tentatione, vincitur, labitur, & succumbit. Turbatur quippe judicium rationis & obnubilatur propter tractum, motumque sensitivi appetitus, ita ut non posset habere cogitationem de Deo, & honestatem perfectam & integram & solidam, quemadmodùm si quis somnolentiâ quadam serò prematur. Est præterea saluberrimum, ut per aliquid terribile præsens aut quasi præsens ipse terreatur, & quasi sopitus suscitetur, vivificeturque ad non consentiendum tentationi. Neque enim aliquis est tam acri tentatione pulsatus in carne vel aliter, quin ex toto, vel magna parte desisteret ab impletione tentationis suæ, si pro certo crederet quod in corpore vel in membris vel bonis grave damnum statim esset incursurus. Vigilaret siquidem tunc ratio intra se, & forti voce clamaret: quid cogitas? Quid tibi vis? Quorsùm tendis? Nunquid vis pro quadam levi tentatione aut delectatione sordida quæ subitò in pœnam & fastidium conversa erit, hoc vel illud subire detrimentum? Non tibi sic expedit. Inter hæc aut similia verba resilire incipiet à cogitatione maligna, & avertet paulatim oculos rationis ab ea. Fiet quoque istud cum adjutorio rationis, & cum Confessione peccatorum vel aliis congruis remediis, ut cesset illud miserabile tentationis incendium, quia & cessabit cogitatuum sordidorum sufflatio.

Deinceps respondebat idem Magister ad duas objectiones fieri possibiles, quoniam timor ille servilis videtur evacuare meritum resistendi peccato. Est illic præterea transgressionis periculum. De primo dicebat, quòd ex quo pœna ista ultro imposita erat, & propter Deum, ex illa radice primariâ bonâ germinabat pullulabatque meritum: quamvis enim non ita sincera atque laudabilis sit hujusmodi resistentia & cessatio à peccato in casu prædicto, quemadmodùm est in virtuoso, qui præcisè propter Deum peccata deserit, nihilominùs resistentia talis bona est, & saltem inductiva virtutis, sicut de timore servili, respectu timoris casti, Doctores determinant: quamquam ibi non sit timor tantummodò servilis, sed in sua radice primaria filialis & castus. Resultat insuper meritum ex approbatione sequenti, dum gaudebit incontinens transactâ tentatione non consensisse peccato. Demùm qualiter ibi esset timor simpliciter servilis, cum posset confessus ab ista liberari pœna, non implendo pœnitentiam, attamen implet, quia Deo & Sacerdoti suo vult obediens esse. Et hìc sumi potest grata & pulchra consideratio pro spontè voventibus, ac Religionem intrantibus.

Ad alteram objectionem dicebat similiter fieri posse ad improbationem omnium Religionum, omniumque votorum salubrium; si sic, omnis pœnitentiæ susceptio periculosa esset. Sic & Deus & Superiores in suis Præceptis & Legibus culparentur. Evitatur etiam periculum sufficienter per hoc, quod non nisi consensu habito confessi, & ad tempus, non perpetuò, tales pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ, sive obligationes imponuntur. Sive igitur fiat per tempus ista transgressio, aut si diabolo perurgente fieret, pœnæ solvi possunt, & ita homo à nova transgressione liber erit, immò & opus bonum faciet; quod si transacto tempore statuto remedium videretur inefficax, aut in deterius vertatur, poterit omitti. Si vero sit utile, sicut sperandum est, rursùs valebit iterari. Denique & si salubre antidotum ob A ægrotantis inobedientiam pestiferum fiat, Medicus culpâ caret.

Subinde prædictus Magister aliud adjiciebat documentum. Itaque si videbat pueros, aut alios simplices minùs cogitare Præcepta Dei, & ex hoc liberiùs peccare, reddebat eos magis timidos & cautos contra peccatum per promissiones expressas in manibus suis factas, de cavendo deinceps à tali vel tali peccato: per hoc enim promissionem in Baptismo factam de observatione Legis Christi, tanquàm abolitam à memoria vel transgressam renovabat, & per modum cujusdam recognitionis iterùm promittendo reparabat. Sic Moyses & Josuë respectu filiorum Israël; sic plerique homines post primam confœderationem fœdus antiquum retractant & ineunt. Neque arbitretur aliquis promissionem talem patere discrimini, aut fractionem ejus esse casum specialiter reservatum, quoniam nullum ibi votum est; cùm votum non sit nisi respectu illorum B quæ aliàs essent licita, & quibus confitens implicitè vel explicitè promissionem talem facit aut renovat, scilicet quod contra Dei Præcepta de cetero mortaliter non peccabit. Erit attamen transgressio, de per accidens, deterior, quia & cognitio divini Præcepti jam sibi effecta est lucidior.

Rursùs idem Magister providebat diligenter, ne confessus suus esset deinceps occasio primariæ corruptionis aliorum, præsertim juvenum, & quod sibi sufficeret damnatio perditioque propria, specialiter in peccatis gravioribus & abominandis, immò nec nominandis palam, ne pias aures polluant. Occurrebat diligenter providendo viis omnibus comminatione pœnarum & obligatione, ne confessus transiret in deteriorem speciem ex societate seu communicatione perversa, & explicabat quandòque particulariùs, sicut clam & secretè fieri potest, dum videbat opportunum: malebat enim confessum suum dimittere & tolerare in sua libertate quoad peccata aliqua minùs gravia, quàm ita C eundem urgere ab omni parte, ut ad deteriora laberetur. Quando autem & qualiter illud fiendum est, magis docebit virtus & ars & unctio sancti Spiritus, & circunstantiarum omnium particularium consideratio, quàm scriptis aut verbis possit edoceri.

Postremò dabat consilium idem Magister, ut confitentes non refugerent, sed pro dono maximo reputarent habere peritos Confessores, moribus & scientiâ & longo experimento probatos, qui quærerent non quæstum proprium, sed sincero corde salutem animarum. Et iterùm pro congruis remediis contra singula vitia laudavit plurimum Summam, scilicet *De vitiis & virtutibus*; laudabat denique pro bonis effectibus generandis, libenter conversari cum viris bonis & devotis, quia vox divina est: *Cum sancto sanctus eris*. Ps. XVII. 26. Eorum itaque colloquia sunt ignita vehementer & stimulantia ad virtutem. Sed & sanctorum Patrum vitæ & exempla frequenter & attentè lecta, vehementer proficiunt ad infundendum cordibus nostris divini amoris affectum, D ut Deum in omnibus & super omnia diligentes, promissiones suas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Amen.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

RESPONSIO

SUPER QUÆSTIONE

sibi facta per Vicarium domûs

CARTHUSIÆ

DE STATUTO.

ORDINIS EJUSDEM,

Quòd commissi ad Confessiones audiendas non absolvant à mortali certo, sed remittant confitentem ad Superiorem suum.

Ad Codd. MSS. Vict. 180. & 698.

Confessio Sacramentalis fundatur in solo Jure Divino & Evangelico super illo: *Quodcunque ligaveris super terram*, &c. Matth. XVI. 19.

Confessio Sacramentalis, sicut non potuit institui nisi à solo Deo, sic non destitui potest ab homine puro. Aliàs Papa posset non obligari ad Confessionem Sacramentalem.

Confessio Sacramentalis non obligat ad venalium Confessionem de per se, & de necessitate salutis, quia non tollunt Charitatem, & ideò sine Confessione talium stat salus.

Confessio Sacramentalis non debet extendi per homines puros, ut aliquis peccata venialia confiteatur nisi velit: sequitur ex præcedentibus. Immò nec debent fieri reservationes, nisi in gravibus culpis. Potest autem dici gravis culpa, quæ transit in opus cum consensu & deliberatione perfecta, aut cum gravi scandalo aliorum.

Confessio Sacramentalis non obligat de per se ut homo bis confiteatur idem peccatum, etiam mortale, nisi confitens velit. Ratio, quia Lex Divina non obligat nisi semel confiteri, & hoc per se, & nisi velit homo.

Confessio Sacramentalis non debet coarcti per reservationes casuum, præsertim occultorum, contra vel præter Legem Evangelicæ libertatis, sed dandus est locus timori Altissimi, alioquin timeatur illa Pharisæorum culpatio: *Alligant onera gravia & importabilia humeris hominum, digito autem suo nolunt ea movere*. Matth. XXIII. 4. Fit rursùs aliquandò ut *qui nimis emungit*, eliciat sanguinem, Prov. XXX. 33. & fiat causa fictionis.

Confessio Sacramentalis tali & tanto claudi debet sigillo secreti, ut nec verbo nec signo quomodolibet reveletur, aut revelari probabiliter æstimetur. Facit ad hoc expressa determinatio Ecclesiæ cum naturali ratione.

Confessio Sacramentalis de peccatis occultis, raro & cautissimè debet remitti ad Superiores habentes Jurisdictionem coërcitivam in publicis, quales sunt Abbates & Priores in Religionibus; quia facilis oritur suspicio apud correctos publicè, quòd occulta confessio per eos facta lædatur. Sed etiam debent instrui confessi, quòd Confessio secreta de publicis non liberat eos, quin possint aut debeant publicæ punitioni subjacere.

Confessio Sacramentalis potest quandoque rationabiliter & fructuosè dimitti de venialibus; potest etiam aliquandò fieri fructuosè. Qualiter hoc & quando, docere debet unctio Spiritus sancti cum consilio Christianæ prudentiæ.

Con-

Digitized by Google

Confessio Sacramentalis potest aliquando repeti fructuosè de mortalibus jam confessis, sed obligatio pluries illa confitendi potest reddi vitiosa, quia nimis onerosa.

Confessio Sacramentalis potest sæpe fieri sub conditione, tàm propter ignorantiam facti, quia nescit sæpe homo quid & qualiter fecerit, quàm propter ignorantiam Juris, quia nequit in pluribus à venialibus mortale discerni. A

Confessio Sacramentalis facta sub conditione modis tactis, aut aliàs legitimè, potest habere seu recipere Absolutionem absolutam sub hac forma: *Ego Absolvo te, In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*: quæ forma sufficiens est & secura cum intentione debita Confessoris ad Absolutionem de peccatis; immò & Excommunicationibus in Foro conscientiæ. Nec oportet, immò sæpè non expedit, multiplicare sermonem Absolutionis, ut dicendo, *si & in quantùm possum*, & dicendo, *de contritis peccatis & oblitis*, & *de tali vel tali Excommunicatione*, *si & in quantùm indiges*, cum similibus: quæ addita plùs officiunt sæpe vel perturbant, quàm proficiant vel serenent. Super hoc notetur hæc doctrina.

Absolutio Sacramentalis potest delere peccata quæ nondum erant contrita, sed solummodò attrita. Rursùs oblita peccata non delentur virtute Absolutionis Sacramentalis, quin homo postmodùm teneatur illa confiteri dum redeant ad memoriam; sed si non redeunt, nihilominùs homo salvabitur, si fecerit sufficientem diligentiam recordandi; cum Deus non obliget ad impossibile. Est igitur additio frustra cum dicitur, *de oblitis*. Similiter cum dicitur, *de contritis*, potest esse noxia. Similiter & malè exprimitur, *si & in quantùm possum & debeo*. Sufficit enim quòd intentio sit benè regulata. Patet ad extremum quod noxia sit oblivio peccatorum, quia non delentur virtute Confessionis Sacramentalis, ac perinde virtus clavium quæ remittit magnam partem pœnarum debitarum, ad hujusmodi peccatorum deletionem non sic efficaciter applicatur, prout fit circa peccata quæ Sacramentaliter & expressè sunt confessa. B

ITEM ad quæstionem sibi factam per Vicarium Carthusiæ super Statuto Carthusiensium de Absolutione à peccato mortali, & de consuetudine Ordinis super hoc. Respondit sub correctione & cum reverentia loquendo, non apparet quòd talis reservatio sit conveniens nec consona Evangelicæ libertati, quia non tenemur confiteri de venialibus: & quoad mortalia distinguenda, non est dabilis regula generalis & infallibilis per humanam sapientiam. Propterea talis reservatio non est nisi laqueus animarum, præcipuè timoratarum. Potest tamen fieri reservatio de certis mortalibus manifestis, & quæ transeunt in opus exterius, quia de cogitationibus noxium est aut inutile reservationem adhibere. Item idem ad quemdam Carthusiensem sic scribit: Recepi quòd in Constitutionibus vestris non dicitur, quòd omnis mortalis culpa sit Majori reservata in Foro Confessionis, sed quòd gravis culpa. Et certè tolerabilis & salubris est hæc Constitutio, si benè fuerit declaratum qualis culpa debeat meritò gravis reputari. Et ita salvatur honor Patrum constituentium: & nihilominùs evitatur onus importabile super cervices peccantium. Qualis autem fieri debeat aut possit interpretatio, quid est gravis culpa, puto notatum fuisse competenter in ultimis scriptis, licet incultis, Domino Osualdo respondendo tali quæstioni. Si de solis venialibus debeant absolvere commissi à Priore. Item nota quòd nullus tenetur confiteri peccata venialia Lege Divina, nisi sit ad hoc specialiter obligatus per votum vel particulare Statutum, quale non debet leviter fieri. Et quandoque magis expediret cessare à Confessione talium quàm nimiam incurrere sollicitudinem, quæ plus impediret aliquando quàm fructus Confessionis juvaret. Alioquin etiam Confessione facta oporteret sæpe iterum confiteri, & sic deinceps sine termino; attento quòd vix facimus aliquid, ubi non possumus rationabiliter formidare de peccato veniali. C D

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

AVISAMENTUM DE MODO CONFESSIONEM IN RELIGIONIBUS AUDIENDI & ABSOLVENDI à reservatis.

Ad eosdem Codd. MSS.

SICUT expediens esse suasi pro Patribus Carthusiensibus & Cœlestinis, ut eorum Superiores haberent à Domino Papa latissimam absolvendi in Foro Pœnitentiali Licentiam, sic apparet mihi quòd Confessores ordinati per singulos Conventus habeant magnam & amplam potestatem absolvendi, nedum de venialibus solùm, quia talis esset irrationabilis & intolerabilis restrictio, sed etiam de mortalibus, præsertim occultis, non quod absolverent semper de quocunque mortali. Quando autem deberent remittere ad Superiorem & quando non, relinqueretur arbitrio Confessoris, juxta qualitatem confitentis. Attento primò quòd consultiùs est pœnitentem mittere in Purgatorium cum parva pœnitentia, quàm cum magna non implenda, vel fortè non aliàs confitendo detrudere in Infernum.

Rursùs attento quòd non obstantibus tot Decretis super pœnitentiis injungendis, communior est Doctorum Sententia, quod omnes pœnitentiæ in Foro Sacramentali sunt arbitriæ, intelligendo de peccatis occultis. Ceterum pro manifestis, regulæ & disciplinæ in Religionibus ordinatæ, possunt rationabiliter exigi & ab invitis. Et hìc habet locum quod dicitur in terrorem aliorum, & ne facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi; & nullo modo de occultis, quæ pœnitens non confiteretur nisi vellet, licèt in hoc se damnaret; sed tam horrendo discrimini non occasio præstanda, cum tam misera væ, væ, væ sit, & toties experta fragilitas humanæ conditionis.

FINIS.

JOAN.

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

RESPONSA
AD
QUÆSTIONES QUATUOR.

Sibi per quemdam familiarem motas.
Quarum prima est ista.

An malè loqui de aliis in eorum absentia semper sit peccatum? Quam determinat ad tres Conclusiones. Secunda Quæstio. Si quis fictè confiteatur, an iterum teneatur de omnibus confiteri? Hanc determinat per distinctionem de quadruplici fictione. Tertia Quæstio. Si habeatur suspicio de illo qui confitetur, & non sufficienter discusserit conscientiam suam, an talis possit absolvi nulla inquisitione sibi factâ de peccatis, unde suspicio habetur? Quam solvit similiter per distinctionem. Quarta Quæstio. De Altaribus fractis; de cingulis Sacerdotum non benedictis, & de casulis resarcitis, & sic de similibus: Utrum sit peccatum cum talibus & in talibus Missam celebrare? Ad quam respondet per autoritates.

Collat ad MSS. Codd. Vict. 142. 694. & 699. & M. Targny.

QUÆSTIO PRIMA.

QUÆRITUR, an malè loqui de aliis in eorum absentia sit semper peccatum?

Videtur quòd sic, quia nullus vellet quòd hoc de se aut sibi fieret, ergo nec debet hoc facere de aliis aut contra alios. Consequentia tenet per illam generalem Regulam Juris naturalis & divini: *Quod tibi non vis fieri, alteri non feceris.* Sed in oppositum arguitur, quia si sic, tunc verè totus mundus esset in periculo damnationis perpetuæ, etiam multi Religiosorum: nam communiter cum homines conveniunt, C declinant facillimè ad loquendum de absentibus, & utinam tam citò de eorum bonis sicut proh dolor! de eorum malis. Nonnunquam tamen aliqui loquuntur de mala vita Politiam regentium, & aliorum sæcularium (ut aiunt) intentione non mala.

Pro responsione itaque sciendum, quòd actio moralis libera accipit vel vituperium vel laudem & peccatum ex suis circumstantiis, & specialiter ex circumstantia finis. Inquirendum est igitur ad quem finem dicitur malum de absentibus, & occurrunt sex fines generales. Quandoque hoc fit ad instructionem præsentium & id audientium, ut caveant similia facere. Quandoque fit ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantia decipiantur per malam aliorum societatem quos præsumunt bonos. Quandòque etiam fit ad utilitatem absentium, ut videlicet præsentes eis referant pro ipsorum correctione & emendatione. Quandoque fit ex quadam compassione amicabili, ut scilicet seipsum, & audientes, referens provocet ad orandum instantiùs pro aliorum peccatis & eorum conversione. Quandoque etiam fit ex sola curiositate & assueta loquacitate & quadam libidine loquendi de aliis. Quandoque autem fit ex odio vel invidia, ac pro diminutione famæ alienæ & ex animi indignatione.

Sit ergò prima Conclusio.

Primis quatuor modis potest esse non solùm licitum, immò & meritorium referre mala absentium, dummodò tamen non intendatur principaliter alius finis, quàm aliquis prænotatorum quatuor. Et si non misceatur alia intentio fermentata & sibiipsi mentiens, dùm A benè provideatur ne sint falsa quæ dicuntur, aut in malo, ultra quàm in se sunt per referentem ampliata, aut forsan sinistrè interpretata, ac etiam quòd non plus noceat talis locutio absentibus & eorum famæ, quàm prosit præsentibus & eorum ædificationi. Quoniam pro parvo bono consequendo non est magnum malum committendum.

Conclusio Secunda.

Malè loqui etiam de absentibus ad solùm satisfaciendum propriæ loquacitati & libidini loquendi de aliis, qui est quintus modus seu finis inter prædictos, etiam si fit pro sola deductione temporis & quasi pro solatio, ut sic tempus sine tædio transeat, vix aut nunquam excusatur à peccato, & sæpiùs transit in mortale peccatum: tale enim verbum non solùm otiosum (de quo juxta terribilem Veritatis comminationem sumus red- B dituri rationem) sed & communiter est perniciosum & multipliciter nocivum. Nam habemus ex tali verbo occasionem & rationem magnæ damnificationis aliorum in sua fama. Etiam per hoc cadunt sæpissimè tàm loquentes, quàm audientes, vel in indignationem contrà eos, de quibus fuit oblocutio; vel in falsam testificationem propriam tàm cordis quàm oris, dùm videlicet cogitatio interior pensans coram se posita aliena mala, & sua propria; quandoque similia aut majora, palpans tumet & inflatur, dicendo: gratias tibi ago Domine Deus, quòd non sum ego talis qualis iste, de quo tanta mala referuntur. Et sic miser cadit in foveam quam fecit, & cum illo Evangelico Pharisæo falsè justo, fit pejor quem ipse judicat, si non deterior, ei tamen propter suam superbiam similis; quia etiam peccator ut alius, etsi alio modo. Et hoc pharisaicum vitium tàm in loquendo, quàm in audiendo concipitur facillimè, & fit saltem affectu, etiam si ratio videatur judicare aliter, & id ore manifestare, minimè attentet.

Si quis autem quæret signum, quomodò sciet quando ex bono fine loquatur aut malo, de malis proximi? Respondetur, quòd dùm loquitur aliquis ad bonum istius, cujus mala commemorat; ut puta, ut in se & audientibus provocet mentem ad orandum pro talis emendatione; necessarium est, ut sentiat tunc in se quamdam ad eumdem de quo fit sermo, compassionem piam, dulcemque misericordiam & charitativum affectum. Et etiam requiritur, ut non nimis longum texat sermonem de tam mala materia & despicabili. Sicut pia Mater non delectatur in narrando longè mala filii sui, nec etiam dicit illa nisi ex necessitate, ut putà ipsi Medico, aut illis qui ejus saluti poterunt prodesse, & malum adjacens avertere. Sic itaque narrando suspirat altè, tristatur, dolet, & abbreviat sermonem quantùm prævalet, & quantùm videtur suffi- D cere ad ostensionem infirmitatis, quæ sibi tantæ tristitiæ causa existit.

Sed dùm quis loquitur malum de aliis ex loquacitate, sunt signa opposita; quoniam tunc sentit indignationem animi contrà eos de quorum malis loquitur, & cum quadam amaritudine fellis corrodit & mordet ipsos absentes, & verbis suis venenatis linguâque suâ, sicut gladius acutus acuatâ, lacerat sine misericordia, sine aliqua compassione, nec ponit finem verbis suis, quia satiari nequit ejus vorax invidia, quin licèt cru-

das

Digitized by Google

das omnes carnes & totum sanguinem ejus quem devorat, quantùm in eo est, absumpserit. Et quamvis conscientia sua sibi clamet, quòd talia agendo neminem ædificet; immò & nonnunquam audientes scandalizet, non tamen adhuc cessat; quin, quantùm tempus patitur, venenum suum totaliter effundat.

Item signum est non fallax, cùm sic loquendo malum de absentibus, eos corrigere minimè curat: hoc autem sciri ex eo potest, quia præsentibus non committit, ut absentibus charitativè ea quæ ipse invidiâ refert, denuncient; immò persæpè postquam ad cor revertitur; timet ne id faciant, & si factum foret, non æquo animo sustineret, non quia doleat de alterius injuria & sua propria culpa, sed magis de sua vilificatione & detractionis nota, nollet enim detractor reputari, quamquàm esse non vitet.

Item signum efficax videtur, ut loquens malum de aliis, interroget cor suum coram cordium inspectore Deo, cui mentiri non potest, quamvis posset mentiri iniquitas sibiipsi, & quærat, an vellet quòd alius sic loqueretur de se coram aliis ea intentione, ea forma, & sic de aliis circumstantiis, qualiter ipse loquitur de aliis. Et ni fallor, ut frequenter respondebit sibi cor suum, si mendaciter veritatem tamen supprimere noluerit, se hoc nequaquàm velle. Signum ergò mali est. Hoc clavo retunditur nonnullorum excusatio falsa & frivola, qui cum loquuti fuerint ad libitum suum de proximorum suorum malis, audent, si super hoc objurgentur, dicere, etiam quandoque constanter, licèt mendaciter, se hoc fecisse non mala intentione neque animo cuiquam nocendi, & nullo modo ex invidia. Et si rursùm interrogentur, an ergò ex singulari id egerint dilectione & amicitia, & ad magnum profectum aut commodum absentium, & an similia dilectionis & amicitiæ signa velint ergà se consimiliter fieri? Laqueis perplexitatis ita capti & irretiti sunt, ut vel manifestum contra suam conscientiam proferre mendacium, vel verbum iniquum & dolosum injustè dixisse contra proximum, fateri cogantur, quorum utrumque malum est. Malum igitur, & valdè malum, multùmque perniciosum est homini, esse promptum ad loquendum malum de absentibus. Etiam ceteris malis quæ indè sequuntur circumscriptis, mens tàm loquentis quàm audientium impeditur à melioribus & salutaribus, postmodùm ex hoc etiam invita. Cum enim post fuerit orandum & Deo serviendum, ad mentem redeunt, placeat vel displiceat, cum quadam quasi violentia, quæ priùs incautè commisit vel admisit cum mala complacentia. O! quantò consultiùs est ita loqui de bonis, aut de peccatis & malis propriis, quàm ita rodere dente canino alios! Vix denique servatur mensura, quin misceatur mendacium & malum augmentetur, & ad partem semper trahatur deteriorem, & penè nullo excusetur aut allevietur, ut sic fiat suprà modum peccans peccatum, quasi unum aut simplex peccatum non sufficiat in perniciem ipsius obloquentis.

Conclusio Tertia.

Loqui malum de alio ad finem sextum, scilicet directè ex odio & invidia, semper est peccatum. Et quando notabiliter læditur per hoc aliena fama, & dùm loquens hoc advertit in sua conscientia, aut advertere posset, est gravius peccatum sæpissimè quàm furtum, aut quàm foret esus carnium in die veneris vel jejunii Ecclesiæ magni cujuscunque.

Salubre itaque consilium est ad vitandum tàm grande periculum animæ, ut homo discat & assuescat ita honestè loqui de absentibus, sicut loquendum esset, si ipsi præsentes essent; & personaliter de se sermonem prolatum audirent. Itemque ut homo semper timorem Dei habeat præ oculis cordis; qui utique, ubique est præsens, & in cujus conspectu loquitur quicunque loquitur; non solùm autem hoc, sed & cor intuetur, & reddet tempore suo unicuique, juxtà opera sua. Oret ergò necesse est quilibet ut ponat Dominus custodiam ori suo. Sed & audientes caveant sibi, ne sint prurientes auribus & delectet eos audire aliena mala, quia juxtà beati Hieronymi sententiam verissimam: „Æquè reus est qui detrahentem libenter
A „audit, sicut is qui detrahit, immò nonnunquam ampliori reatu constringitur propter præstitam alteri occasionem: si enim ipse non libenter audisset, forsitan „alter tacuisset.

Et ut ampliùs pertimescamus tam periculosum linguæ vitium, advertendum quòd communiter secundùm Doctores comparatur non solùm furto, sed & homicidio: immò & præferunt hac ratione; quia in homicidio occiditur corpus unum, in detractionis verò vitio occiduntur animæ plures, quia anima detrahentis, animæ detractorem libenter audientium, & quandoque etiam anima ejus cui detrahitur. Item nonnunquàm faciliùs satisfit pro homicidio corporali & furto, quàm hujusmodi homicidio & furto spirituali, scilicet detractione. Ratio, quia in illis quantitas damni æstimari potest, & sic correspondens emenda subsequi: in istis autem nequit; cùm non satis constare possit in quot hominum cordibus mediatè & immediatè detrahens bonam opinionem & famam ejus cui
B detraxit occiderit, atque furtivè bonum famæ (quod inter omnia alia corporalia, & hujus vitæ bona multùm est pretiosum) subtraxerit; unde & difficulter satisfacere ipsi læso potest: cùm tamen juxtà beatum Augustinum: *Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur.* Quomodò autem restituet, cum ignoret quantùm debet? Item inter cetera peccata istud quodammodò est inhumanius & bestialius, quia lupinum. Dicitur namque, quòd nisus nisum non comedat, nec canis canem, nec bestia aliqua bestiam suæ speciei, sed benè alterius, solâ lupâ exceptâ, quæ (ut ajunt) cum fame premitur, lupum comedere non veretur. Sic & detractor homo hominem suæ naturæ consortem; tanquàm lupa rapacissima dentibus detractionis rodere, comedere & occidere non erubescit. In hoc à lupa differens, quòd illa comedit carnes recentes, ipse autem quandoque carnes fœtentes & jam putrefactas,
C quando videlicet non tantùm vivis, sed & dudùm jam mortuis dentes mordaces detractoriè jam infigit. O abominandum malum & valdè odiendum! Benè ergò Sapiens vocat *detractores Deo odibiles.* Rom. I. 30. Cum tamen scriptum sit de Deo: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. XI. 15. In signum magnæ detestationis (haud dubium) peccati detractionis, dicitur Deus odire detractores, qui nihil odire solet eorum quæ fecit: aut restat dicere, quòd detractores non sunt sua factura, non quidem secundùm essentiam, sed propter singularem eorum malitiam. Unde & hac de causa beatus Augustinus vir scientiâ & vitâ utique præclarissimus, ad tantùm detestabatur hoc vitium, ut circà mensam, ubi communiter de facili linguæ peccatum (juxtà beati Gregorii de divite Epulone sententiam) se immiscet, hæc metra (prout in ejus Legenda reperitur) scripta haberet:

D *Quisquis amat dictis absentum rodere vitam.*
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ut facto comprobaret quod scripto statuerat, cùm quidam Episcopi (prout ibidem legitur) ad ejus mensam cœpissent incautè laxare linguam in detractionem absentum, aiebat: Nisi cessarent, ipse illa metra delere vellet, & de mensa recedere. Hinc etiam est, quòd Religionum Fundatores considerantes multiplex in linguæ vitio pendere animæ periculum, sanxerunt providissimè pro summo remedio juge pro loco & tempore suis sequacibus silentium, certas pœnas in robur

bur Sanctionum suarum contrà transgressores adjicientes. Et clarum est, experientiâ docente, quòd ubi censura hæc silentii servatur arctiùs, ibi Religio viget laudabiliùs & perfectiùs.

Porrò quamquàm custodia oris cuique sit necessaria propter cavenda mala prætacta, specialiter tamen hæc oportuna est Religiosis & Sacerdotibus Christi, quorum ora non diabolicis joculationibus, sed divinis diè noctuque laudibus repleta esse debent, maximè etiam propter illa tremenda sacrosancta Corporis & Sanguinis Christi mysteria, quæ ipsorum ora quotidie quasi tangere habent. Demùm malè loqui volens de alio, debet primò considerare seipsum, fragilitatem suam & proprios defectus, & quomodò indiget etiam misericordiâ Dei ipse ne cadat, sicut ille cecidit de quo loqui intendit, immò jam similiter & fortè plus graviter cecidisset, nisi divina gratia se præservasset. Nemo quippe sanctus aut innocens viribus suis. Penset quoque, si ipse esset in statu aliorum, ut alii faciunt faceret, & quandoque pejus. Occasione peccandi namque, quæ valdè multiplex est data, difficile est non peccare, immò singulare Dei donum tunc peccatum posse vitare. Nam si homo, qui non nisi se & linguam suam regere habet, ita sæpiùs deficit, occasione se offerente, ut cadat tàm facilè in peccatum detractionis & cetera mala, nec potest esse Dominus suiipsius: quid, rogo, hic æstimare piè debebit de ceteris, qui non solùm se, sed & alios multos diversorum & mirabilium morum habent regere? Nonne, si qua viscera pietatis & fraternæ charitatis in eo fuerint, pro his talibus, si non omnia punctualiter ad rectum dirigunt, magis devotè orabit, quàm detractoriè lacerabit? Regratiabitur itaque Deo, qui se in tuto locavit, & compatietur fratribus (quia omnes unum habemus Patrem in cœlis) tàm variis & multis periculis, etiam non tantùm pro se, sed pro communi salute expositis.

Denique timeat nihilominùs sibi usurpare divinum Judicium, cum non veretur judicare alienum servum, qui *Domino suo stat aut cadit: stabit autem* potiùs, *quoniam potens est Dominus stabilire eum*, Rom. xiv. 4. hoc enim ipse debet præsumi magis quàm quòd condemnetur. Talia innumera sunt in sacris Scripturis. Et ex dictamine etiam plura sunt similia Juris tàm divini quàm humani, quibus homo se juvare contra tàm pestiferum vitium linguæ poterit pariter & munire, quæ & diligenter debet advertere & in effectum deducere, ne fortè aliàs frustrà sit quicquid boni agit. Advertat etiam, quòd licet totum penè humanum genus peccato linguæ communiter periclitetur; pauci tamen sunt qui debitè inde conterantur, confiteantur & satisfaciant; immò reperiuntur nonnulli adeò mentis oculo cæci, quòd detractiones, adulationes, calumnias, & ceteras manifestas oris damnandas nequitias non reputant apud se pro peccatis; qui si forent de laïcorum numero literas ignorantium, viderentur utique excusandi: nunc autem excusationem nullam habent de peccato, quia proh dolor! & literati & Clerici, & quandoque habitu Religiosi sunt. Timere quòque deberent meritò homines, ne si abutantur linguæ suæ beneficio, ad Deum laudandum & propriam salutem operandum sibi concesso, in extrema sua necessitate, videlicet in horrendæ mortis hora, usus debitus tam nobilis doni justo Dei judicio eis subtrahatur, cum eo per maximè indigebunt ad confitendum peccata sua, & ad exponendum necessitates suas, & ad commendandum animas Deo & sanctis suis eorum amicis, &c. Longiùs quàm intendebamus & forsan duriùs quàm debueramus, de vitio linguæ disseruimus. Sed nemini displiceat, nullus sinistrè dijudicet; pro communi bono factum est, coram Deo loquimur, nulli in contemptum.

QUÆSTIO SECUNDA.

QUÆRITUR, si quis fictè confiteatur, an iterùm teneatur de omnibus confiteri?

Responsio, hîc præsupponenda est una distinctio magistralis de fictione: quia quædam fictio est perniciosè mentiens; quædam dolosè dimidians; quædam patenter inficiens; quædam insufficienter discutiens.
A Fictio triplex prior impedit ne Confessio vel prætensa Absolutio valeat ipsi sic fingenti, quin oporteat vel necessarium sit iterùm de omnibus sacramentaliter confiteri. Quarta verò fictio potest inveniri, licet non bona, non tamen sicut priores æqualiter mala, ubi licèt Absolutio non conferat gratiam, nec peccata deleat, confert tamen, cessante fictione, nec oportebit de sic confessis iterùm confiteri. Conveniunt in hoc satis Doctores quia communiter dicunt, quòd unum peccatum mortale non deletur sine alio, aliàs namque sequeretur quòd gratia staret simul cum peccato mortali. Mentiens autem in Confessione perniciosè, peccat mortaliter. Secùs autem est de mendacio in Confessione admisso quod ex genere suo aliàs esset solùm veniale, ut videlicet miscendo quamdam levem circumstantiam falsam, vel excusationem frivolam.

B Fictio autem secunda, scilicet dolosè dimidians, dicitur, quæ tacet solùm ad celandum suum peccatum uni certo Sacerdoti; attamen proponit hoc alteri confiteri, & hæc facit in fraudem integritatis ipsius Confessionis; videlicet ne vilis reputetur si hoc peccatum tali detegeret, cui jam forsan alia plura & fortè gravia detexit, & reservans hoc cuidam alteri qui propria nescit, ut fallaciter reputetur apud humanum judicium peccator parvus, qui coram Deo est peccator magnus. Si autem hæc dimidiatio fiat absque dolo, utputà justa ratione, cum videlicet confitens habet aliquos casus propter quos excommunicatus est, vel qui aliàs Superiori sunt reservati, & ille Superior verisimiliter non audire vult alia, nisi ea sola quæ suæ autoritati reservata sunt specialiter; vel etiam dum confitens quantùm in eo est, paratus esset omnia confiteri uni Sacerdoti, & idem etiam paratus est omnia audire, sed non eadem hora; aut etiam dum confitens habet aliquod peccatum de quo præsumit probabiliter quòd si tali Sacerdoti confiteretur tale peccatum, ipse forsitan inde scandalizaretur,
C scilicet Sacerdos, vel in Fide vel in moribus, vel ideò quia forsan tangit personam Sacerdotis, prout casus poterit occurrere possibilis, & confitens pro tunc non habet alium ad manum cui confiteatur integraliter; aut si haberet, non tamen benè auderet, propter suspiciones sinistras cavendas, alium pro tali vice accedere. Hujusmodi fictio dimidians, quia non fit dolosè, immò nonnunquam religiosè & prudenti discretione, non reprobatur à Doctoribus communiter. Licet enim Confessor vices gerat Dei in audiendo Confessiones: non tamen ob hoc est Deus vel Angelus, sed homo; unde nimirùm ut homo potest scandalizari.

Fictio tertia, quæ est patenter inficiens, fit dum confitens retinet adhuc propositum actualiter iterùm peccandi, nec habet propositum juxta Confessoris voluntatem injustè ablata restituendi & satisfaciendi aliis prout foret satisfaciendum, & hæc fictio relabitur &
D coincidit in duo membra fictionis priora. Ratio, quia vel hîc est celatio peccati mortalis, scilicet si non confitetur hoc propositum peccandi; vel est perniciosum mendacium, scilicet si dicit se pœnitere & dolere peccasse; cùm manifestè oppositum ostendant signa sua, ex quo non vult satisfacere juxta Sacerdotis judicium: & sic fictio hujusmodi quasi eadem est cum prima vel secunda.

Fictio quarta, quæ est insufficienter discutiens, potest

Digitized by Google

test contingere multipliciter. Primò: ignorando scilicet factum, quia non fuit sufficienter recogitatum. Secundò: ignorando si factum, sit peccatum saltem mortale. Tertiò: ignorando, quòd sit peccatum mortale taliter & expressè confitendum. Quartò: ignorando si displicentia peccati principaliter sit in confitente non ratione culpæ, sed ratione pudoris & pœnæ. Quintò: ignorando si motus in detestationem peccati sit satis intensus vel non. Sextò: ignorando si ponatur obex Absolutioni per propositum non abstinendi à peccato, aut propositum abstinendi, sed debile.

His præmissis itaque præsuppositis, dicendum est ad quæstionem, quòd Confessio non est propter aliquam istarum sex fictionum quartam fictionem quæ insufficienter discutit respicientium iteranda. Nec etiam est iteranda propter fictionem secundam pro ea parte, cum additur, si non dimidiat dolosè, sed sub respectibus dimidiat, ibidem superius expressis. Aliàs verò & propter primam, & propter secundam, & propter tertiam fictionem, est de necessitate salutis ut de omnibus iterum sacramentaliter confiteatur ipse sic fictè confessus. Quòd autem non sit iteranda Confessio propter secundam fictionem pro ea parte, ubi non dolosè dimidiat, necnon propter quartam fictionem cum suis sex speciebus, hujus ratio est ista, quia ipsa Confessio obtinet & habebit efficaciam, vel in Absolutione Sacramentali, virtute Clavium Ecclesiæ, vel postmodùm cessante fictione hujusmodi, sicut fit etiam quandoque in Baptismo. Et ita concordat satis sanctus Thomas cum ceteris Doctoribus.

QUÆSTIO TERTIA.

Quæritur, si habeatur suspicio de illo qui confitetur, quod non sufficienter discusserit conscientiam suam, an talis nihilominùs debeat aut possit absolvi, nullâ inquisitione factâ unde suspicio habetur?

Respondetur sub distinctione. Aut enim Confessor non est Curatus, ita quòd Curæ officio minimè teneatur illum audire. Si sic, tunc potest quærere dilationes, ut ambo interim meliùs deliberent, vel ipsum simpliciter remittere ad alium Confessorem. Si autem Confessor ipse sit Curatus, & per consequens debitor audiendi hujusmodi Confessionem, tunc adhuc est distingendum, secundùm qualitatem personarum. Nam si confitens sit adultus & discretus, potest fieri unum è duobus, scilicet vel ut petatur ab eo si velit moneri per inquisitiones de statu conscientiæ suæ libenter & sine scandalo, & si tunc appareat ex responsione sua quòd non, fiat secundum, dicendo videlicet quòd debet esse certus Confessionem suam vel Absolutionem nil valere, si scienter aliquod peccatum celaverit, nec est intentio absolventis nisi sub hac conditione tacita vel expressa, scilicet si tu confiteris & aliquod peccatum tuum celaveris scienter, ego non absolvo te. Et tutius est ut hæc conditio teneatur mente tacitè, quàm exprimatur ore apertè in Absolutionis forma. Si verò persona confitens sit simplex & humilis, ita quod satis appareat velle libenter informari sine aliqua turbatione & recalcitratione: tunc omninò pium est, salutare & meritorium ut Confessor ipse talem instruat, solùm ut hoc fiat pedetentim, prudenter & discretè, nec durè sed blandè & dulciter. Nec advertatur etiam si scandalum aliquando famæ propriæ etiam exterius inde videatur oriri posse: non enim possumus, immò nec debemus, omnibus scandalis vitandis occurrere semper, prout exempla sufficientia habemus in Salvatore nostro, cujus quamvis perfecta sunt opera, nihilominùs tamen Pharisæi nonnunquam in eis scandalizati sunt.

QUÆSTIO QUARTA.

Quæritur de Altaribus fractis, de cingulis Sacerdotum non benedictis, & de casulis resarcitis, & sic de similibus, utrùm sit peccatum in & cum talibus celebrare Missam.

Responsio secundùm Sententiam Beati Ambrosii ad Augustinum quòd in omnibus talibus quæ sunt Juris purè positivi, potest teneri consuetudo Patriæ seu Provinciæ aut Diœcesis in qua homo conversatur, quando Prælatus immediatus & alii, cum quorum scitu probabiliter talia fiunt, tolerant hujusmodi. Est enim consuetudo circa talia positiva Juris, interpres optima, etiam quidquid in Constitutionibus etiam redactis in Decretalibus vel Decretis, vel etiam Synodalibus aut Jurisperitorum decisionibus inveniatur. Leges enim instituuntur cum promulgantur, & vigorem habent dum moribus utentium approbantur: alioquin Constitutiones positivæ non essent nisi in laqueum & offensiones & scandalum, nedum insipientium, sed & sapientium. Advertendum tamen quòd non facile est circa singularia semper decernere pro regula quasi generali, quæ consuetudo debeat dici sufficienter comprobata vel tolerata per Superiores, præsertim ubi non habetur sufficiens scientia seu cognitio quid etiam sit de Jure purè positivo. Fiat pro hac responsione totum illud quod dicunt Doctores de obligationibus Religiosorum in suis votis & Regulis, quemadmodùm de hoc alibi latiùs tractatum est. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

QUÆSTIONES ALIÆ CUM RESPONSIONIBUS EARUM

Ad MS. Cod. Vict. ubi pars earum Gallicè habetur: & ad Navarricum unum integrum.

Dubitat nuper aliquis, an delectatio cordialis quærenda sit in servitio Dei tam practico quam speculativo? Videtur enim talis delectatio esse fornicatio seu libido quædam spiritualis, quæ non Deum propter se solum quærit zelo amicitiæ purè gratuitæ, sed propter se. Exemplum de officiantibus Clericis alicui Ecclesiæ propter distributiones horarias seu quotidianas. Exemplum aliud de sponsa, quæ non diligeret sponsum propter aliud nisi propter delectationem osculorum cum similibus. Sed videtur ad oppositum. Primo illud Psalmi: *Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ps. xxxvi. 4. Rursùm illud Philosophi: *Delectatio conservat operantem hominem in operatione.* Et iterum: *Signum acquisiti habitus est delectatio in operatione.* Ceterum Deus reddens causam populo Israëlitico maledictionum suarum dicit, quod non servierit Deo in gaudio cordisque lætitia. *Deut.* xxviii. 47. Et alibi: *gaudium Domini fortitudo vestra.* Esd. viii. 10. Cujus sententiæ confirmator fuit Anto. di. Quòd *Unica ratio convincendi inimicum, est lætitia spiritualis*; & hæc fertur adeo in eo viguisse, ut ab ignorantibus eum priùs in vultu cerneretur.

Responsio, nihil est homini tutum in hac vita, cum nec ipsa vel virtutum (sicut dicitur in prosa) tuta sit victoria. Itaque nihil est quo non contingat abuti, & si non formaliter, sed objectaliter. Sunt hæc verba Theologicis nota. Perfecto constat, quod delectatio

Digitized by Google

ctatio in Deo, sincera & casta, laudabilis est, sicut allegatum est, tantummodò jungatur humilitas & pietas sine insolentia.

Sed addebat inquirens, quòd nullam potest sensualem vel spiritualem delectationem admittere, quin tristitias incomparabiliter majores inveniat, si non in delectatione divinæ recordationis se jugiter exerceat, & hoc sciens quærit in Domino per meditationem delectari.

Respondetur quòd hoc agendo Deus sepit vias istius spinis, & quasi claustro concludit ne vagari libeat extra se. Cui consonum est illud de Canticis: *sicut lilium inter spinas*, Cant. II. 2. quæ sunt ibi quasi sepes ab extra, ne dissipator introeat; & ab intra, ne exeat vaga, id est, vanè acta. Itaque melius est sibi facere Deum delectationem fortè minus castam, quàm honestum sit mundi, carnis & diaboli delectationibus inhærere. Rursùs inferebat, quòd fastidio sibi sunt omnes mundi circa proximos occupationes quantumcunque videantur piæ vel honestæ, quemadmodùm si sponsa nihil aliud quærat nisi quod impetret illud de Canticis initium: *Osculetur me osculo oris sui*. Cant. I. 1. Quærit itaque solùm amare & amari. Sed mirandum esset nimis, si non has amaris delicias corriperet aliquando pius Sponsus flagello, nunc interiùs, nunc exteriùs, exponendo videlicet eam aliquando periculis, sicut oportet quod nycticorax quantumcunque domicilium quod eum protegat à contradictione aliarum avium custodiat, aliquando veniat in apertum, pro necessitate cibi vel pusillorum. Passer itaque solitarius in tecto cogitur ad inferiora descendere, sicut Moyses de montis caligine ad populum rebellantem. Quid igitur finaliter concludendum est, nisi quod sapientia divinitùs inspirata, quæ est unctio docens de omnibus, & gratia dirigens, more sessoris & equitatûs Dei, & quadrigæ Aminadab, id est, spontanei, & currûs Dei qui decem milibus multiplex est, sufficienter hominem in Deo sperantem, & de salute sua sollicitum edocebit. Etiam si talis solus concludatur in cella, aut si solitudinem desertorum exemplo Mariæ Ægyptiacæ, & Pauli primi Eremitæ, & Mariæ Magdalenæ cum similibus ceteris solitariis inhabitet.

Finit hoc opusculum de delectatione quærenda in divino Officio ad instantiam fratris Symonis Bastardi de Salinis, pro tunc conventualis Cœlestinorum Lugduni.

QUÆSTIONES ALIÆ.

QUæritur quando committitur peccatum mortale in voto obedientiæ?

Respondetur, quòd majores præcipientes aliquid subditis suis, non intendunt ligare animas eorum, nec debent. Et ideo si quis aliquid sibi injunctum à Majore ex negligentia aut incuria non sic adimpleret, aut differret, non propter hoc peccaret mortaliter. Secùs si hoc ageret ex contemptu. Dicitur autem quis propriè peccare ex contemptu, quando facit aliquem actum motus principaliter ex hoc quod injunctum est sibi oppositum; ac si diceret. Quia præcipitur mihi hoc, ego in contemptum præcepti faciam illud, quasi scilicet vellet ostendere suam falsam libertatem, & habere illam velamen malitiæ. 1. *Petr.* II. 15.

Item quæritur: utrùm junior ambulans in via aut equitans cum seniore, debeat sibi obtemperare in omnibus?

Respondetur, quòd simpliciter sine aliqua interrogatione junior debet obtemperare suo seniori in omnibus, nisi manifestè præcipiat contra Præcepta divina. Supponitur quòd junior reputet meritò seniorem memorem salutis suæ, & sufficienter advertat ad id quod facit, & quod habeat recordationem illorum quæ habentur in Ordine. Secus ubi deesset aliquid istorum, quia posset humili verbo vel signo reducere ad memoriam vel advertentiam senioris.

Quæritur rursùs: utrùm sit utilius fratri in cella sedenti vacare lectioni quàm Orationi vel Meditationi, aut è converso?

Idem respondetur, quod non solùm attendendum est ad illud quod magis proficit pro præsenti, quàm etiam ad illud quod disponit ad futuros profectus. Et quia assuescere Meditationi forti & vehementi plus proficit in futurum, propter habitum quem acquirit homo, ut A postmodùm faciliter meditetur, immò etiam contempletur quando voluerit etiam solus, etiam in officio, etiam sine Libris; consulendum est quòd frater assuescat Meditationi, ut non semper oporteat eum habere Libros ante oculos suos, sed ipsæ cogitationes solidæ, sint Libri sui.

Item quæritur: utrùm quis posset habere certitudinem quòd Deus remiserit ei peccata sua, saltem quoad culpam: & si non habet certitudinem, quanto tempore oporteat ea deflere?

Respondetur, quòd nullus de hoc certus esse potest, nisi per revelationem, quia scriptum est: *Nemo scit an amore, an odio dignus sit*. Eccle. IX. 1. Sed quando quis confessus est pro suo posse, & dolet de peccatis suis, & proponit deinceps non peccare; iste creditur esse in statu gratiæ; & de bonitate divina piè confidere potest quòd ei Deus remiserit peccata sua, saltem quoad malum culpæ: & in tali statu existens potest accedere ad Communionem & Missam celebrare.

De secundò respondetur, quòd quis in Religione B existens, ex quo pro modulo suo & posse confessus est peccata sua quæ fecit quorum recordabatur, & contritus satisfecit ad voluntatem Ecclesiæ, id est, Majoris sui qui specialiter ejus curam habet, & proponit ampliùs non peccare, tutius est ut de cetero non reflectat oculos suos ad peccata sua singulariter consideranda, & maximè carnis, quæ ei possent plus obesse quam prodesse; sed confidens de misericordia Dei & bonitate, studeat proficere de die in diem, ascendendo de virtute in virtutem, ut tandem possit videre Deum deorum in Sion. *Ps.* LXXXIII. 8. Cum verò ab elatione tentatur, tunc ad ejus memoriam reducere potest generaliter peccata sua, non discurrendo per singula, ut inde humilietur & gratias referat Creatori suo, qui eripuit eum de tot ac tantis periculis, in quibus aliquando extitit & permansisset, nisi eum bonitas Dei (quæ neminem vult perire) sublevasset & liberasset. Apud Patrum narrationes data est varia responsio ab uno Patre, modò uni, C modò alteri, secundùm quod prospexit quòd iste ex recordatione præteritorum humiliaretur & ferveret in amore, alter non satis purificatus tentaretur & rediret ad carnem.

Quæritur si fratri alicui perturbato aut occupato in diversis præceperit aliquid Senior, & ex surreptione responderit ei junior. Sinite me, ego nihil faciam vobis; verumtamen statim compungitur dolens & adimplet præceptum Senioris, quod paulo ante dura responsione renuerat.

Quæritur inquam, an sic respondendo mortaliter peccet?

Respondetur pro una vice aut duabus aut tribus non peccat mortaliter; sed si ex consuetudine habeat sic respondere, peccat mortaliter, quia debet resistere consuetudini malæ; sex ex quo frequenter recidivat, sic signum est quòd tali vitio est habituatus, & non cadat ex surreptione.

D Respondent in simili Doctores Theologi, quòd sicut prima ebrietas non est peccatum mortale, ita nec secunda, similiter nec tertia, nec centesima, nisi addatur circumstantia in una ebrietatum sequentium quæ convertit eam in peccatum mortale, putà quòd nunc advertit inebrians se, periculum mortale quod incidit ex ebrietate, & tamen deliberat quòd se inebriabit. Applicetur ad propositum.

Utrum quis non habens specialem Missam dicendam, debeat celebrare pro toto populo indistinctè, aut pro sibi

Digitized by Google

sibi conjunctis specialiter. Quòd si pro toto populo, quibus plus proficiat, aut sibi conjunctis, aut ceteris?

Respondetur, quòd debet sufficere charitati celebrantis & inquisitioni quòd benè agat sine scrupulosa tali nimia inquisitione, quid plus prosit, hoc vel illud: scit enim Deus ponderare meritum suum & omnem actionem. Habeatur pro regula, quòd ubi celebrans magis elevat intentionem suam charitativam in Deum & proximum, illic, ceteris paribus, plus proficit; ac si A diceret: Domine miserere omnium sicut scis & potes, & scis me, & vis orare debere. Denique non potest præfigi regula generalis, quin aliquando plùs afficiatur homo dum orat pro uno, quandoque plùs dum orat pro pluribus.

Item nulla est Missa quæ possit aut debeat celebrari quin omnes comprehendat quos Ecclesia comprehendit. Quod si contraxerit valorem ad aliquos particulares, hoc debet facere non præjudicando huic Ecclesiæ Statuto. Demum, ceteris paribus, salubrius est conari ad orationem generalem ad Deum convertendo se ad eum, quàm in particularibus phantasiis circa homines occupari.

Item quæritur utrùm in *Memento* in Missa sit tutum facere memoriam specialem pro pluribus propter cogitationes quæ possunt oriri ex personarum recordatione?

Respondetur consulendo pro tutiori, quòd melius esset antequam quis accedat ad Altare quòd faceret de suum *Memento* speciale, hoc est quòd dicat in corde B suo, quòd orare intendit pro tali & pro tali. Et tunc quando erit in suo *Memento* in Missa, cum his qui continentur in *Memento* Missalis, sufficit cordialiter dicere: *Memento Domine horum pro quibus teneor & decrevi orare, & horum qui pro me orant.* Nisi sit aliquis frater mortuus pro quo oportet facere speciale *Memento* in speciali, & hoc est tutum consilium etiam ubi non fecisset homo pro illo die aliquod recenter memoriale pro amicis; sed haberet sufficienter in habitu; præsertim ubi celebrans est in publico, & ubi probabiliter æstimat quòd per tale *Memento* dearticulatum non inflammaretur ad devotionem specialem, sed potiùs inquietaretur, & ad reliqua dicenda in Missa minùs redderetur idoneus.

Quæritur utrùm de cogitationibus vanis aut noxiis quæ superveniunt in Canone aut in *Memento*, ibidem C resistendum sit illis?

Respondetur, quòd non debet tunc se occupare quis circa illas, sed ultro procedere. Hoc est tutissimum & necessarium consilium, etiam ubi cogitationes viderentur esse de commodis rebus & expedientibus; quia debet eis tunc dicere saltem facto, venitis importunè, non habeo nunc horam aut locum respondendi vobis, expectate tempus aliud dum vacabit. Porrò quoad cogitationes fœdas, noxias & blasphemas sive sit homo in Missa sive alibi, illæ potius vincuntur contemnendo nec respondendo eis, quàm pugnando. Scio quemdam qui ad occursum talium solitus est in animo subridere quasi subsannans, nec curans immissiones istas fœdas per angelos malos, quæ inde protinus evanescunt.

Utrùm liceret extrahere muscam vel araneam, vel aliud hujusmodi de Sanguine cum cocleari parvo aut aliquo alio non consecrato? Respondeo quòd sic, D præsertim ubi non posset aliquid tale extrahi commodè cum digito consecrato, vel cum patena aut aliquo tali.

Utrùm si caderet aut inveniretur in Sanguine musca aut festuca, aut pilus, aut filum, aut aliquod tale quod posset impedimentum aut nocumentum præstare sumenti Sanguinem, deberet extrahi, & quid inde fieret?

Respondetur, quòd posset extrahi, & lavaretur benè & lotio sumeretur si non esset venenosa, & musca & festuca comburerentur, aut ipsa vel cinis ejus ponerentur in loco abdito, ut in Altari vel piscina.

Utrùm graviter peccaret ille per cujus neglectum talia invenirentur in calice?

Respondeo, quòd tutum est facere conscientiam & confiteri: & est peccatum majus aut minùs, secundùm quod negligens debuit adhibere majorem cautelam.

Utrùm quando ponitur vinum & aqua in calicem, si (ut sæpe contingit) resiliat gutta una vel ampliùs & remaneant ab intus inter labium calicis & fundum, debeant post consecrationem tales guttæ dici consecratæ?

Respondeo, quòd non, præsertim si Sacerdos non intendit nec intendat communiter consecrare nisi illud vinum quod est in fundo calicis. Potest tamen illa gutta sumi ante ablutionem sub intentione generali, si consecrata est, ut consecrata; si non, ut non consecrata. Et cautum est ut Sacerdos sit sollicitus ab initio vigilare circa talia, & circa panem ne micæ cadant ab hostia, & ne tales guttæ remaneant: si autem Sacerdos dùm advertit ante consecrationem tales guttas intendit eas consecrare, ipsæ sunt consecratæ. Similiter si habeat in principio intentionem consecrandi quicquid est consecrabile, tunc totum consecratum est.

Utrùm si quis omittat vel dubitat omisisse aliquid in consecratione, an debeat solùm reincipere ad id quod omisit vel omisisse se credit, aut si ab initio debet reincipere & quid de illis qui assuescunt reïterationem?

Respondetur, quòd non est leviter reïteratio facienda, & malum est consuescere, præsertim in verbis Sacramentalibus non debet iteratio fieri, nisi constet certitudinaliter quòd verba non sunt dicta. Si autem dubitatio sit probabilis, tunc fiet reïteratio sub conditione implicita, sicut fit dum dubitatur de aliquo si fuerit baptizatus ut dicatur sic in corde. Ego non intendo consecrare hanc hostiam, & tunc dicat verba, &c.

Utrùm si quis sine lumine dicat Missam, aut si deficeret lumen in media parte Missæ, & maximè à consecratione usque in finem, incurreretur excommunicatio?

Respondetur, quod debet facere conscientiam tàm Sacerdos quàm minister, non tamen est Sententia Excommunicationis super hoc lata.

Utrùm necesse est accendere facem seu torchiam in Consecratione vel Communicatione populi.

Respondetur, quod observetur usus loci & temporis, & similiter in dando pacem in Missis quæ non sunt mortuorum. Non puto tamen quòd aliquod istorum sit præceptum obligans, nec omissio debet reputari peccatum mortale, nisi fieret scienter ex contemptu vel cum scandalo pusillorum.

Utrùm si hostia in modico maculata vel perforata vel detruncata & non rotunda ut moris est: quid fiet?

Respondetur, quod talis non debet assumi in principio, præsertim ubi necessitas non urget, & potest alia haberi: sed si sit jam sumpta, & non potest alia peti consequenter sine scandalo, dimittatur ipsa & fiat conscientia postmodùm de neglectu.

Utrùm si quis dicat Missam, ita quod nullus ibi sit nisi is qui juvat eum, teneatur ad Confiteor dicere, & vos fratres, vel Misereatur vestri.

Respondetur, quod sic, quia ille unus gerit vicem totius populi.

Item quantum spacium requiritur post perceptionem Sacramenti ad digestionem ejus, ita quod si ex infirmitate vel aliàs homo evomuerit, jam non esset necesse colligere quod evomuit?

Respondetur quòd citiùs aut tardiùs fit digestio secundùm qualitatem complexionum: sed est certa regula, quòd si appareant species in vomitu, illæ debent

Digitized by Google

bent colligi & sumi, vel tanquam Corpus Christi in vase mundo servari; alioquin si nullomodò appareant species, ponatur vomitus in piscinam, vel comburatur.

Quam potestatem habet Abbas de Jure in absolvendo subditos?

Respondeo, quòd habet potestatem Ordinariam plenariam, nisi pro quanto Superior prorsùs suus, scilicet Papa, vel Episcopus invenitur limitasse eam per Jura scripta, vel aliter. Potest insuper potestatem suam subdelegare.

Utrùm Abbas possit absolvere novitios sicut professos?

Respondeo; puto quod sic.

Utrùm illi qui adhuc sunt in laïco habitu antequam habeant habitum novitiorum, vel antequam habeant consensum quod recipiantur pro novitiis, possunt absolvi, ut suprà?

Respondeo, puto quòd sic, si habeant propositum tentandi Ordinem & Religionem sine fraude. Ista tamen quæstio & præcedens magis spectant ad Juristas, vel ad eos qui sciunt Jura positiva & Consuetudines in Religionibus approbatis.

Utrùm Abbas potest delegare suam potestatem, & usque ad quem numerum descendendo?

Respondeo, quòd potest delegare quibuscunque vult, potest etiam quibus delegat dare potestatem quòd eligant & nominent tot & tales, quot & quales voluerint, & ipse autoritate sua delegat eos, & hoc stat cum illa regula, quòd *Subdelegatus subdelegare non potest*, verum est itaque sua autoritate.

Utrùm vicarius Abbatis in absolvendo habeat similem potestatem sicut Abbas?

Respondeo quòd sic, si sibi contulerit, licet ipse directè subdelegare non possit.

Utrùm Priores & maximè in illis Religionibus quæ non habent nisi unum Abbatem qui toti Religioni præest, habeant potestatem sicut Abbates? Et utrùm possint delegare, & quibus?

Respondeo quòd Priores habent potestatem Ordinariam sicut Curati parochiales, sed illam potestatem habent limitatam sæpe per suum Abbatem vel Episcopum vel Papam; possunt tamen subdelegare in illis casibus qui eis autoritate Ordinaria relinquuntur.

Utrùm Sacerdotes sæculares eo Jure quòd sunt Sacerdotes, possunt absolvi ab aliis Sacerdotibus sæcularibus quibusque, scilicet de casibus communibus?

Respondetur quòd non, secundùm Jura scripta; sed consuetudo invaluit in oppositum, scientibus Prælatis & tolerantibus, & ita videntur consentire & dare licentiam. Sed de Religiosis secùs est, quia non possunt audire sæculares sine licentia suorum Majorum.

Utrùm sit celandum quicquid dicitur in Confessione sub sigillo Confessionis?

Respondetur quòd peccata & eorum circumstantiæ, & ea per quæ posset haberi cognitio peccatorum sunt de sigillo Confessionis & de necessitate celanda. Alia etiam sunt celanda tanquam secreta, si dicantur bona fide & intentione, nec tendunt ad subversionem, sed ædificationem.

Utrùm confitens possit dare licentiam Confessori suo revelandi quicquid ab eo audierit in Confessione, sive tangat confitentem aut alium quempiam, sive etiam pro pace aliquorum ad invicem reformanda, aut pro admonitione alicujus seu correctione hujusmodi?

Respondetur quòd propriè loquendo non potest dare licentiam quòd Confessio reveletur: sed potest dicere extra Confessionem, & adhuc cautela magna servanda est in tali revelatione, & expedientius est quod ipsemet confitens dicat quod dicendum est, & præsertim si sit dicendum in publico. Rursùs dum tangit peccata alterius secretum, confitens nullomodò debet revelare, nisi ad bonum ipsius, sicut vellet sibi fieri, & quod dicatur tali, & tale quod prodesse debeat, non obesse.

Utrùm pro periculo vel damno temporali vel magis spirituali confitentis aut Confessoris, aut alterius personæ singularis, aut plurium, vel unius & totius Communitatis evitando, possit aliquid sub sigillo Confessionis auditum revelari, dato saltem quòd Confessor diceret confitenti quòd talia non reciperet A sub sigillo Confessionis, aut quid super hoc sit faciendum?

Respondetur quod nullo modo, etiam pro salvando uno Regno licitum est Confessionem revelare, quia *non sunt facienda mala*, &c. Nec sufficit dicere post auditionem Confessionis quod Confessor non capit in Confessione ex quo jam audivit. Sed si à principio diceret sic, noli mihi confiteri, quia non volo tenere secretum illud quod dixeris. Et tunc jam non esset Confessio Sacramentalis de cujus ratione est quod sit secreta, nisi aliter & aliunde sciatur.

Utrùm si quis peccaverit occultè, sic quod tale peccatum tangat vel scandalizet Communitatem, sive peccatum sit grave vel leve. Utrùm peccans teneatur seipsum publicare? Et hoc tangit Religiosos.

Respondetur, quòd si peccatum sit de se publicum, sicut hîc supponitur, licet persona sit occulta; tunc si B per Prælatum interrogetur de dicendo veritatem, ipse debet illam dicere tàm de se quàm de aliis in casu tali. Et in hoc non prodit se, sed obedit Legi Dei & suo Superiori qui cogunt se revelare. Potest tamen talis culpabilis Prælato suo interroganti in publico coram aliis sic dicere. Domine quod scio paratus sum vobis dicere ad partem. Si autem factum esset occultum de se, & persona aliqua esset publicè diffamata vel accusata, ipsa similiter dum interrogatur à Superiore, tenetur dicere veritatem. Si autem factum est occultum & persona non sit diffamata, tunc talis persona interrogata per suum Superiorem, non tenetur se revelare. Et potest dicere. Domine non debetis me super talibus interrogare, ex quo non sum diffamatus vel accusatus vel denunciatus. Si autem superior urgeat eum per juramentum & sub pœna Excommunicationis, ipse non tenetur obedire nec pœnam timere. Sed si per tales evasiones & responsiones ipsa persona veniat in suspicionem Superioris vel audientium quod ipsa aliquid sciat, hic est major difficultas. Et planè si sit res C cognita in Confessione solùm, dicunt Doctores quòd absque scrupulo potest dicere & jurare. Domine ego nihil scio de istis. Et hoc intelligitur quòd nihil scit tali modo vel scientia, quali modo potest Superior & solùm debet interrogare. Si autem posset similiter in aliis purè secretis ita respondere sine mendacio, ego non audeo definire. Videretur tamen alicui par ratio & par verbi intellectus.

Utrùm in casu prædicto possit Prælatus præcipere, si quis sciverit accuset eum, aut si talis teneatur obedire?

Respondetur sicut ad priorem in omni casu: & addo quòd Superior in tali inquisitione purè secretorum graviter peccat, & esset puniendus; quoniam excedit metas officii sui, & violat quantùm in se est, Jurisdictionem Dei, qui sibi soli secreta reservavit puD niendа.

Utrùm si quis malitiosè accedat ad Prælatum suum confitens peccatum suum de quo credit se non posse publicè puniri, quia ei secretè confessus est; si verò ante Confessionem peccati vel post, venit ad notitiam Prælati tale peccatum per confitentem vel per alium, possit Prælatus ipsum peccatum revelare, & publicè punire peccantem, & præcipuè si publicè accusetur?

Respondetur, quòd sic; sed observet Prælatus ne scandalum oriatur, & hoc faciat ostendendo priùs qualiter scit, modo publico, vel ante Confessionem, vel post

Digitized by Google

post peccatum confessum, celando tamen quòd aliquid sciat in Confessione. Immò si per hoc innuat quod Prælatus revelet Confessionem, ipse est gravissimè puniendus.

Utrùm si Major solus, aut unus, vel duo alii soli sciant peccatum alicujus, an possint aut debeant adducere tale peccatum ad publicum Judicium?

Respondetur, oportet esse ad minùs duos testes, & qui sciant ex certa cognitione, non ex solo auditu, vel quod ipse reus confessus sit publicè; potest etiam in hoc casu per juramenta & aliter molestari ille qui est publicè diffamatus de aliquo facto, vel ubi factum est publicum, licet persona sit occulta, quatenùs publicè veritas cognoscatur.

Utrùm revelator Confessionis remittendus sit ad Superiorem, & ad quem, & si in omni casu, id est, si semper?

Respondetur, quod hoc tutius est ut remittatur ad terrorem, quoniam peccatum est enormissimum & pessimum, & reputarem minus malum apostatare pluries à Religione professa, licet non sit talis pœna in Canonibus statuta, & vix possit dari pœna sufficiens. Jura tamen instituunt quod talis retrudatur in arctum Monasterium &c. non quod Jura cogant profiteri in Religione, sed cogunt carcerem pati, vel talem pœnitentiam.

Utrùm si quis non publicè sed singulariter, exprobrando tamen, & hoc extra Confessionem, vel etiam in Confessione, peccatum dixerit in Confessione auditum puniendus, & quomodò?

Respondetur, quod ex charitate & in Confessione potest sibi objicere peccatum confessum, servata discretione, sed sæpe non expedit, ubi confessus scandalizaretur & malè caperet, & fortè retraheretur à Confessione aliàs facienda. Extra vero Confessionem nunquam fiat exprobrando, nec etiam admonendo, nisi fortè in quodam generali, & hoc adhuc vix potest benè fieri. Propterea tutius est dimittere, & semper ostendere quod de peccatis confessis nihil sciat aut cogitet. Reperiatur alia via monendi quàm ista, & cogitet quilibet quid sibi vellet fieri, aut non fieri in hac parte.

Utrùm si confitens obliviscatur pœnitentiam, debeat iterùm confiteri?

Respondetur, quod talis debet confiteri de pœnitentia oblita. Et quia nunc pœnitentiæ sunt arbitrariæ, videtur quòd non oportet confiteri peccata priora, licet Doctores antiqui dixerint oppositum.

Utrùm si quis non compleat Pœnitentias sibi injunctas ex negligentia & torpore, vel ex mala voluntate, aut fortè quia nimis graves sunt, sufficiat se iterum confiteri, & non iterùm facere primas pœnitentias?

Respondetur, quòd Confessor potest secundùm suam discretionem relaxare; præsertim in pœnitentiis datis pro peccatis occultis, non ita de publicis, nec videtur recurrendum esse de necessitate ad priorem Confessorem aut Superiorem. Et præsertim quando tales pœnitentiæ datæ sunt per Superiorem non sed per æqualem; alioquin tutum est recurrere ad Superiorem vel æqualem, pro relaxatione vel commutatione, & hoc quoad pœnitentias faciendas. Sed jam de omissis puto quòd Confessor qui habet potestatem absolvendi, potest secundùm arbitrium suum dare novam pœnitentiam, & non injungere completionem illius quæ omissa est.

Utrùm expediat sæpe aut in omnibus confiteri eadem peccata, scilicet aut propter pleniorem indulgentiam acquirendam, quæ ex majori confusione causari potest, aut propter majorem humilitatem?

Respondetur, quòd hoc benè fieri potest propter aliquam causarum prædictarum, aut aliam similem, vel propter habendum consilium. Et caveatur in tali narratione curiositas, & specialiter in peccatis carnis.

Utrùm si quis commiserit plura peccata similia ejusdem generis aut speciei, quæ tamen non inducunt ad aliud peccatum grave, id est, quæ non habent circumstantias graves; utrùm sufficiat de quolibet genere aut specie generaliter confiteri, & non in speciali de omnibus?

A Respondetur, quòd sufficit, præsertim si dicatur numerus peccatorum, dùm scitur, aut dùm nescitur explicetur taliter quod Confessor possit satis cogitare multitudinem peccatorum, ut dicendo: per unum Annum vel per Mensem incidi in tale peccatum totiens quotiens tentabar &c. quia quoad quodlibet speciale descendere non oportet, nec sæpe expedit propter audientem & loquentem & temporis amissionem.

Utrùm si plures non simul, sed unus post alium, aut duo tantùm simul viderint quempiam peccare, possint eum ad publicum Judicium adducere?

Respondetur, quòd si duo simul viderint idem factum eodem tempore & eodem loco, possunt testificari ut in publicum veniat. Secùs si sint diversa tempora & diversi actus successivè, & unus vidit post alium, & non simul, quia tunc non sufficit testimonium ad convincendum.

Utrùm propter præsentiam hæretici, schismatici vel alterius excommunicati debeat quis cessare ab Oratione
B vel in Missa sistere, in quolibet passu fuerit vel in Officio divino?

Respondetur, si talis assistens sit notoriè excommunicatus & denunciatus, & hoc constat illis de Choro vel Ecclesia, talis celebrans debet cessare, & significare palàm causam suæ cessationis; nisi excusetur per timorem cadentem in constantem virum.

Si autem Excommunicatio sit occulta, nec fuerit denunciatio facta, talis non debet cessare à celebratione publica, præsertim jam inchoata; quia nec debet alium propalare.

Si quis petit probationem Religionis, & tunc invenitur strabo aut debilis, aut inscius, aut in aliquo inhabilis, & hoc benè tunc notatur, permittitur tamen sic per Annum; post hoc petit Professionem & nullum aliud habet impedimentum quàm prius, utrum possit repelli?

Respondetur quod sic, etiam gratis, non assignata alia ratione.

Item novitius interrogatus, an habeat aliquod impedimentum pro quo non possit profiteri, respondet se non habere, & mentitur, & sic consentitur suæ Professioni, immò de facto profitetur; invenitur tamen
C postea, quia impedimentum habeat; utrum talis professio valeat aut non?

Respondetur, quòd talis novitius ligatus est intrare Religionem istam vel aliam. Sed de Conventu major est difficultas; quia præsupponitur quòd non consensit nisi sub conditione, quòd novitius non haberet aliquod tale impedimentum quod expressè nominatur, & in Statutis Ordinis ponitur: & ita videtur quòd, non stante tali conditione, consensus non tenet. Sunt tamen argumenta ad oppositum de conditionibus appositis Matrimonio, quæ dimitto. Consulerem tamen quòd talis jam professus exteriùs & diù toleratus, non expelleretur nisi necessitas urgeret, & hoc propter scandalum vitandum & charitatem nutriendam.

D Si Dispensator aut Procurator Monasterii vel alius, cui fortè datæ sunt pecuniæ pro emendo aliquid pro communi, aut pro quavis alia causa Communitatis, ipse emat pro se vel pro alio cultellum vel graphium, aut filum, aut acum, absque licentia generali aut speciali, aut permissu Præsidentis; utrùm talis faciat contra votum paupertatis, & reputetur proprietarius, peccaveritque mortaliter tanquam transgressor voti? Et similiter dico, si dederit vel acceperit ab extraneis.

Respon-

Digitized by Google

Respondetur per distinctionem, quia vel talis Procurator æstimat probabiliter & rationabiliter quod Superior suus vellet benè, si sciret, quòd illa fierent de quibus quæritur: & in hoc casu non videtur talis Procurator proprietarius vel transgressor voti. Si autem credit aut credere debeat probabiliter & rationabiliter quod si Superior talia sciret, ipse non approbaret, sed displiceret sibi, & hoc displicentia gravi, tunc talis est fur & transgressor voti.

Utrùm quis renuere debeat Officium quodcunque sibi injunctum à Majore propter aliquod impedimentum ipsius Officii?

Respondetur quòd revelatis excusationibus suis Majori suo, si idem persistat in sua voluntate, obtemperet sibi confidendo de divino adjutorio. Et hoc etiam habet ex Regula, *quod si impossibilia injunguntur alicui fratri* &c. Præsupposito tamen, quòd non habeatur rationalis existimatio de Majori, quod ex imperitia vel malitia præcipiat illud, & quòd illud jubetur quod sit de illis quæ pertinent ad regulam, & ad quæ se extendit potestas Majoris: alioquin non debet obedire. Dicitur autem rationalis existimatio, quando rationes probabiliores habentur ad sic credendum quàm ad oppositum, dummodò non fabricet sibi tales rationes inordinata vel indisciplinata affectio.

Quæritur quomodò intelligatur ista autoritas. Beati Thomæ de Aquino, quod *Consensus delectationis peccati mortalis, est peccatum mortale?*

Respondetur, quòd si quis tentatus fuerit de aliquo peccato mortali; si delectatur in eo delectatione morosa, & placeat sibi illa delectatio, ratione deliberata, ita quòd non vellet quòd tentatio recederet; sed quòd delectatio duret ampliùs, posito quòd non vellet actualiter committere peccatum, hoc est exercere peccatum suum ad extra, peccat mortaliter. Et hæc responsio probata est & in multis aliis casibus habet locum eadem autoritas. Propterea cautissimum est, statim abigere tales recogitationes operum carnalium tàm aliorum quàm suorum, quamvis sit aliquando in tali recogitatione vitium quoddam curiositatis noxiæ, quam non oportet esse peccatum mortale potiùs quàm sit delectatio carnalis, & hæc curiositas communis est apud quemlibet ex sensibus, ut *oculus non saturatur visu nec auris auditu.* &c. Eccle. I. 8. Et potest magis dici delectatio hujusmodi sensualis, quàm carnalis seu libidinosa. Quæstiones finiunt.

EJUSDEM
DE PECCATO
VENIALI DUPLICI.

Ad MS. Codd. Vict. 699.

NOTA, quòd dupliciter potest dici peccatum veniale. Nam aliud est veniale solùm ex genere, sicut verbum otiosum, aut mendacium jocosum. Aliud est veniale ex hoc quod non fit cum deliberatione perfecta, sed in primo motu vel quadam surreptione, quemadmodùm nullum est peccatum adeò mortale, quin per defectum perfecti consensus possit remanere infrà metas solius venialis. Et quoad ista peccata venialia verissima est regula Beati Augustini; videlicet quòd *Nullum adeò est veniale quin mortale fiat, dum placet.* Sed de primis venialibus non oportet; immò sanctus Thomas dat pro regula quòd *Consensus in actum venialem, scilicet de genere non est nisi venialis, sicut mentiri jocosè ex deliberatione, vel frangere silentium, quod solùm impositum est per modum disciplinæ, & delectari in istis non est nisi veniale.* Si autem delectatio fundaretur super hoc quod est peccatum, id est, quòd quis delectaretur in hoc actu sub hac ratione quâ prohibetur & displicet Deo, tunc ipsa delectatio peccatum mortale esset. Sed hæc esset diabolica placentia, quamvis posset fortè sine peccato mortali quis in hoc casu delectari in hoc quòd habeat talem libertatem sic agendi, nesciente suo Superiore aut alia tali ratione. *Finis.*

A

EJUSDEM
DE CORREPTIONE
PROXIMI.

Ad eumdem Cod. MSS.

CORREPTIO Proximi, de qua dicitur Matt. XVIII. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe ipsum.* &c. est in Præcepto. Si tamen istæ sex conditiones concurrant. Prima, est certa peccati agnitio; quia ex sola suspicione non debet fieri. Secunda, est mansuetudo in corripiendo; quia corripiens cum ira magis provocat ad pejus quàm corripiat. Tertia, est quòd in alio non sit tanta aptitudo ad corripiendum; quia si ipsum fratrem peccantem videant aliqui æquè boni sicut ego, vel meliores, & ei fortè magis familares, vel Prælatus suus, probabiliter supponere possum quòd aliquis istorum corripiat ipsum. Si autem certum esset quòd omnes negligerent eum corripere, tunc teneretur quantùm ad hanc conditionem, & aliis conditionibus concurrentibus. Quarta, est spes probabilis de correpti correctione, quæ si non speratur, sed pejoratio timeretur, correctio fieri non debet. Quinta, est quòd peccatum sit mortale, non tantùm veniale. Sexta, quòd non sit spes habendi majorem opportunitatem temporis ad corrigendum seu corripiendum.

B

Istis sex conditionibus non concurrentibus, licèt Præcepto ligetur, non tamen ligatur ad exequendum, id est corripiendum, sed potest differre sine peccato, quousque hæ simul concurrant: hoc tamen non dico de Prælato, sed de fratre qui Præsidentiam non habet in illum qui peccavit. Et Obligatio hujus Præcepti est affirmativa ligans semper, sed non ad semper; sed tantùm pro tempore necessitatis, quod est, quando omnes illæ conditiones supradictæ concurrunt: quare non est timendum homini bonæ voluntatis, de hac transgressione, si pro se habuerit dictas conditiones. Item ex vi Præcepti secreta correctio vel admonitio debet præcedere denuntiationem, quatenùs ipsa correctio cadat sub Præcepto, exceptis his quatuor casibus in quibus non est necessarium. Primus, quando frater venialiter non mortaliter peccat; quia de veniali non est Præceptum. Secundus, quando corripiens fratrem ex sua secreta correctione pejorem fore formidat. Tertius, quando, licèt sit spes correctionis per secretam admonitionem, tamen mora periculum habet; tunc omissa privata correctione statim denuntiari debet. Quartus, quando corripiens sine propria culpa corripere non valet; quia dicit Gregorius: *Perfecti magna nimis laus est perpeti exteriùs fortiter, & interiùs clementer.* Nam sunt nonnulli in ipsa familiari conversatione, qui corrigi nequeunt sine culpa corrigentis, atque ideò cum vel corrigentem inquinant, vel non omni modo hæc agentes, aggravant magna mysterii dissimulatione toleranda. Quare sciendum in his quæ tradidit Dominus servanda: aliquando est præcipuè forma tenenda, ut in Sacramentis, & in talibus non licèt recedere à scriptis verborum formis, quia in ipsis virtus Sacramenti consistit: Aliquando finis intentus magis debet attendi quàm forma verborum, uti cum Dominus dixit curato à lepra *vide nemini dixeris*, (Matth. VIII. 4.) & tamen ille diffamavit eum, quia ma-

C

D

Digitized by Google

magis attendebat propter quid dixerit, quàm quid dixerit. Similiter hîc magis debet attendi finis correptionis, scilicet emendatio peccantis quàm forma verborum. Si quando ergò videatur frater peccans salutarius corrigi per alium qui potest & vult prodesse, quàm per se, securè potest ei indicari: unde etiam Prælato dici potest peccatum fratris, non præmissa monitione vel secreta correctione, non tanquam Judici; sed tanquam amico peccantis, & qui ei magis potest prodesse quàm alius, præcipuè propter casus prætactos. Item peccatum de quo Frater peccans fuit secretè correptus seu admonitus, & de quo se emendavit, potest dici Prælato præcipienti per obedientiam: ita tamen quòd si denuncians solus peccatum noverat, soli Prælato dicat; si autem & alii noverant, non tàm coràm aliis quàm coràm illis, ipsum Prælato revelet. Cavendum ne quis aliquid sinistrum alicui de aliquo loquatur, nisi vel ut ille de quo loquitur ab illo cui loquitur emendetur, vel ne ille cui loquitur ei familiaritate jungatur, & ab ipso corrumpatur. Correctionem aut prædicationem non debet dimittere Prælatus propter subsannationem, ubi sunt aliqui boni inter malos, vel quamvis omnes sint mali, spes tamen sit de correctione; aliàs debet tacere, vel potest ad alium locum transire ubi fructum possit facere.

De Contumelia & Convitio.

CONTUMELIA propriè loquendo importat dehonorationem alicujus, in hoc quod aliquis illud quod est contra honorem alicujus deducit in notitiam ejus & aliorum, & hoc per verba; extenso tamen nomine dicitur etiam esse in factis. Convitium autem est dehonoratio alterius per verba manifestativa vitiorum ejus culpabilium vel naturalium.

De Peccato mortali.

PECCATUM *mortale*, secundùm Augustinum, *est dictum vel factum vel concupitum, quod fit contra Legem Dei.* Generalis tentatio fit tribus modis, suggestione, delectatione, consensu: Suggestione extrinseca fit in dicto vel facto hominis vel diaboli, & hoc omni culpa caret & macula, si ei non consentitur. Intrinseca est delectatio in primis motibus, & hæc maculam habet sed non crimen. Consensus in delectationem mortalis peccati, sicut est fornicatio, est mortalis; quod sic est intelligendum: nam qui sic delectatur, aut advertit, aut non; si non, non est mortale: si advertit, aut citò avertit se à cogitatione, aut non; si citò avertit se, tunc est veniale; quamvis iterùm & iterùm in idem redeat. Si autem non avertit se à cogitatione tali quàm benè scit esse malam, tunc aut advertit periculum peccati mortalis quod est sibi, aut non; si non, adhuc est veniale, licèt majus priore: si autem advertit periculum quod est ibi, nec timet, sed scienter & voluntariè manet in tali cogitatione seu cogitationis delectatione, tunc peccat mortaliter.

FINIS.

NOTABILE DE FORMA ABSOLVENDI A PECCATIS.

A

MONITUM.

Hoc Notabile quod sequitur multùm concordat cum dictis Domini Joannis Gerson, *ità quòd videtur etiam ab ipso positum.*

Ad eumdem Cod. MS. 699.

NOTA: Forma Absolutionis à peccatis & necessaria; est, *Ego absolvo te.* Sed satis convenienter præmittitur, *autoritate Ecclesiæ*, à qua Confessor accipit potestatem absolvendi in susceptione Ordinis. Sed quia illa potestas est retenta in manu Superioris nisi committatur, ideò dicitur, *& Ordinis*; etsi loco hujus clausulæ præmittatur, *autoritate qua fungor*, non est vis: idem enim valet. Denique nota, quòd satis convenienter apponitur in forma suprà dicta, *à peccatis tuis*, ad denotandum de quo fiat Absolutio, vel de quibus. Quòd verò dicatur, *à peccatis tuis, & à circunstantiis eorum*, hoc secundum totaliter est superfluum. Quia aut circunstantia est peccatum, aut non. Si sic; jam dictum est, *à peccatis tuis.* Si non, non cadit sub Absolutione. Item quòd dicatur *de contritis*, periculosum est, & potest esse damnosum, quia nedum contrita, sed etiam attrita peccata possunt per Absolutionem deleri per gratiam post advenientem, ut meliùs post declarabitur. Hoc autem quòd est contritum, omninò excluderet attrita, sicut album nigrum, &c. Denique hoc est injicere scrupulum desperationis, præcipuè in mortis articulo existentibus: nulli enim constare potest si verè de peccatis conteratur. Cùm igitur audit se absolvi à contritis, incipiet dubitare, & vacillare super sua Absolutione, maximè cùm inimicus in mortis articulo toto posse insistat ad dejiciendum hominem à sua spe, & fiducia, & sæpè dolor corporis est vehemens, ita quòd homo nullam devotionis gratiam, seu Contritionem attestantem sentire possit; sicut etiam & in sanitate, homini sæpè sine culpa sua, propter multas rationes, aufertur gratia devotionis. Tollitur igitur per hoc fiducia, vel minuitur, & datur occasio ruinæ, seu desperationi. Etsi enim verè ita sit quòd absque contritione peccata non deleantur; tamen homo sæpe veraciter conteritur, vel in ipsa Absolutione Contritio virtute Sacramenti infunditur, & hoc hominem, ut prædixi, latet; & cùm audit, *à contritis*, capit occasionem mussitandi, & dubitandi, & per consequens periclitandi. Quòd si dicatur *de oblitis*, similiter est superfluum, quia non potest confitens de peccatis oblitis absolutè absolvi, quin etiam teneatur confiteri, si in futurum recordetur. Nec valet dicere, *quæ libenter confitereris*, sive *quæ velles confiteri, si eorum haberes memoriam*, quia staret quòd confitens vellet quando confiteretur, & non vellet, quando recordabitur. Aut fortè voluntatem habet bonam in generali de confitendo omnia quæ occurrunt, quam non haberet de confitendo, si in speciali aliqua occurrerent; sicut manifestum est, & declarari posset per syllogismum incontinentis extra passionem existentis. Et hoc diffusè declarari potest tempore suo, &c. Item malè exprimitur, *si & in quantum possum, & debeo*, quia si non potest, non debet se

Digitized by Google

se ingerere ad audiendum. Et si fortè occurrit casus sibi impertinens, debet remittere ad Superiorem. Sed & sufficit, quòd intentio Confessoris sit benè regulata. Nec est idem dicere, *si & in quantum possum*, & dicere, *autoritate mihi commissa*, quia primus modus loquendi est dubitativus, & per consequens periculosus, ut jam statim supra dictum est; A secundus autem assertivus; & debet intelligi *autoritate*, id est, per autoritatem. Nota: Illa particula: *In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.* additur ad denotandum quòd à Deo est quòd absolvit; vel quia omnia Sacramenta fiunt in virtute Fidei Trinitatis, & Passionis Jesu Christi Domini nostri, *nec est* (ut Thomas dicit in tertia parte Summæ) *de substantia Absolutionis; sed relinquitur arbitrio Sacerdotis, qui cùm sit ut instrumentaliter concurrens*, &c. sive ut minister absolvat, convenienter B apponit illud quod pertinet ad primam autoritatem Dei, scilicet ut dicatur. *Ego te absolvo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, &c. quia tamen hoc non est determinatum ex verbis Christi: *Quodcumque ligaveris super terram*, &c. Matth. XVI. 19. sicut in Baptismo; talis appositio ibi, & non in Baptismo, relinquitur arbitrio Sacerdotis.

ALIUD NOTABILE *Ejusdem ut videtur* DE PRIMIS MOTIBUS, ET CONSENSU.

Ad eumdem Cod. MS.

D

NOTANDUM quòd sunt motus primò primi, & sunt motus secundò primi, & sunt motus, qui consistunt in consensu. Motus primò primi sunt tres, quibus non est aliquod peccatum mortale, vel veniale; quia non attingunt voluntatem, nec ut libera est, nec ut natura. Primus est titillatio in carne, sive suggestio facta excitans ad libidinem. Secundus est delectatio in appetitu sensitivo tantùm, circà illud quod caro suggerit. Tertius est desiderium improvisum prosequendi illud in opus. Motus autem secundò primi sunt illi, qui attingunt voluntatem ut natura est, non ut est arbitrio libera, seu liberativa: & sunt tres. Primus est motus delectationis in voluntate condelectando appetitui sensitivo. Secundus est consensus subitus voluntatis in delectationem. Tertius est consensus subitus, seu desiderium prosequendi in opus. In his est tantùm peccatum veniale: ita quòd in primo gradu est principium peccati venialis, in secundo medium, in tertio limes, seu terminus. Isti sunt consensus, in quibus cadit peccatum mortale, de peccato saltem quod cadit sub prohibitione. Primus, est consensus interpretativus in delectationem, quæ fit, quando ex delectatione voluntatis in tantùm absorbetur ratio, ut non possit intendere judicio, & voluntas negligit movere rationem ad judicandum, & permittit tempus transire, quo possit deliberare. Secundus, est consensus verus in delectationem, habito etiam judicio rationis in oppositum certo. Tertius, est consensus in opus, & verus, & deliberatus, etiamsi opus nunquam sequatur, quod quidem per se est peccatum mortale. C Indè ait Salvator: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, statim, mœchatus est eam in corde suo.* Matt. v. 28.

FINIS.



JOAN.

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS

DE DIFFERENTIA

PECCATORUM

VENIALIUM, & MORTALIUM.

Pro quarumdam personarum laïcarum simplicium eruditione, in idiomate proprio, scilicet lingua Gallica: sed pro aliorum eruditione alius quidam ipsum transtulit à Gallico in Latinum.

Extat Gallicè in MSS. Codd. Vict. 288. & 147.

RUBRICÆ

CONSIDERATIONUM

TRACTATUS SEQUENTIS.

Digitized by Google

PROLOGUS IN TRACTATUN SEQUENTEM.


UI benè considerat bonitatem Dei erga nos, causam habet magnificè regratiandi, & laudandi Deum. Cùm enim de justitiæ rigore deberemus servire ei quotidiè meliori modo quo possemus, sine cessatione; nihilominùs, nostræ compatiens fragilitati, satis illi fuit dare nobis numerum Mandatorum, & in certo tempore; quæ si complemus, gratiam ejus habeamus, & sufficit ei, & acquirimus Paradisum: meliùs tamen facientes, ampliùs & magnificentiùs, remunerat. Necessitas est igitur scire Mandata obligantia, & quæ non: aliàs enim aut transgrediemur ea per ignorantiam, vel in custodiendo ea habebimus magnam nimis de transgressione dubitationem, & dubitabimus ubi dubitandum non erit, per quod perderemus totam conscientiæ tranquillitatem, putando non peccatum, esse peccatum, & è contrà de peccato, quod non esset peccatum. Et quamvis nescirem in omnibus casibus dare Regulam specialem, quando unus actus peccatum fuerit mortale, & quando non; tamen dari possunt aliqua documenta in generali, per quæ judicari meliùs potest de factis specialibus. Propter quod studui scribere vobis Considerationes aliquas breves ad sciendum quando peccatur mortaliter, & quando non, in pluribus casibus; in omnibus enim casibus ad longum eas tradere grave esset, aut impossibile: immò hoc quod vobis scribo plenè non intelligetis, sicut credo, propter suam brevitatem, nisi habeatis qui vobis declaret. Volo ergò ut de his quæ non intelligetis, diligenter inquiratis.


CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO PRIMA.

DECLARATIO GENERALIS,

Quid est peccatum mortale, aut veniale.



INTER alia Mandata Dei, aliqua sunt quæ facere debemus sub pœna perdendi gratiam suam, incurrendique perpetuam mortem: & sunt illa quæ debitam Deo conservant subjectionem, & inter homines societatem; sicuti est amare Deum omni tempore & loco, & non odire eum; sicuti est, non occidere proximum suum innocentem, & non auferre ei sua violenter. Alia Præcepta, vel Constitutiones, & Ordinationes, sunt quæ non obligant nos, nisi ad pœnam temporalem, quia transgredi ea non dissipat subjectionem Deo à nobis debitam, nec societatem quam tenemur habere ad homines. Contra prima facere Præcepta, peccatum mortale est, & contra alias Ordinationes, peccatum est veniale: quemadmodùm videtis, quòd Rex aliqua præcipit sub pœna mortis, aut capitis, & aliqua sub pœna temporali, utpote argenti, vel carceris ad tempus.

CONSIDERATIO II.

Quomodò in omnibus peccatis est invenire peccatum veniale tantùm.

ALIQUANDO præteritur Præceptum ex deliberatione, & certa scientia, & consensu expresso, aliquando non sic; sed per ignorantiam, vel ex primo motu absque pleno consensu. Et in hoc casu non est aliquod ita strictum Mandatum, quin aliquando transgredi possit non peccando mortaliter, pro eo quòd consensus est id quod principaliter facit peccatum. Hinc apparet quòd non nominantur septem peccata mortalia, scilicet, Superbia, Invidia, Ira, Avaritia, Acedia, Luxuria, Gula; ideò quòd omnis superbia, aut omnis ira, & sic de aliis, sit peccatum mortale, immò sæpè est veniale, sicut statim dicam.

CONSIDERATIO III.

Quando vana gloria est peccatum veniale, aut mortale.

VANA gloria de se non est nisi peccatum veniale, quia opus aliquod si est vanum, non est propter hoc mortale. Sed vana gloria peccatum est mortale propter unam duarum causarum, scilicet, propter finem propter quem vana quæritur gloria, aut propter materiam, vel opus in quo quæritur vana gloria. Quantùm ad primam causam est sciendum quòd quæri potest gloria pro altera quatuor causarum. Primò, ad vitandum infamiam falsam, ut si diceretur quòd ego sum latro, benè possum contrarium asserere, & velle quòd sciatur quòd ego sum alius, quamvis hoc fieri non possit sine laudatione mei; & sic non est peccatum, solummodò non habeatur intentio corrupta, sive admixta, sicut facillimè contingit. Immò quandoque tenemur quærere, seu velle ita laudari, & est prudentia, & justitia. Secundò, laus seu gloria, quæri potest pro aliquo spirituali profectu ad gloriam Dei, & ad ædificationem proximi, sicut sanctus Paulus semetipsum laudavit. Et qui benè scit hoc, tempore, & loco convenientibus facere sine alia intentione mala admixta, magnum est meritum, non autem peccatum. Tamen difficile est, quòd homines qui non sunt perfecti, & in humilitate fundati, sciant hoc benè facere, specialiter in publico. A Faciliùs fit hoc in secreto inter amicos in colloquio qui se mutuò diligunt, devotè, ac purè, & bona sua facta revelant invicem; quandoque pro habendo consilio, aut ad dandum consolationem. Tertiò, quæritur talis gloria propter avaritiam, vel quòd habeatur major licentia, vel via malè faciendi, & decipiendi, & sic est peccatum mortale, quia finis est peccatum mortale. Similiter est per omnia. Quartò, vana gloria quæritur, & laudatio pro fine aliquo qui non est nisi veniale peccatum; sicuti quando captatur aliqua levis placentia in laude alicujus, & hoc est peccatum veniale, nisi aliud malum se admisceat. Hoc dico propter illum, qui pro tempore illo ordinare deberet laudem suam, & regratiari Deo, vel ad alium profectum ad quem tenetur pro tunc, & ipse hoc omittit. Secunda causa propter B quam vana gloria esset peccatum mortale, est propter opus, vel materiam per quam vana quæritur doxa. Et fit hoc tribus modis. Quia vel opus est malum de se, & peccatum mortale, & ibi non est dubium quin quærere gloriam pessimum est peccatum mortale; sicuti quærere gloriam de occidendo probum hominem, de igne imposito, de rapiendo feminas bonas, exprobrare alteri, vel vindicando se injustè de altero. Aut opus de se bonum est, ut est facere eleemosynas, jejunare, orare. Et ibi attendere oportet, quomodò vana quæritur gloria; vel scilicet, pro fine principali, & hoc est peccatum mortale, quia secundùm rectam rationem opus bonum non debet ordinari in pejus opus, sicut in finem principalem: quemadmodùm peccatum mortale est, secundùm Doctores, si quis prædicet pro victu habendo principaliter, & tamen unum, & alterum est secundùm se bonum, sed ordinatio C perversa est, & reversa. Si autem gloria surrepit in dicto virtuoso opere non quasi principalis finis, aut principalis causa ad faciendum idem opus, non est peccatum mortale: nihilominùs consilium bonum est auferendi eam, & expellendi, quantùm potest, ad quod totum puriùs fiat, & ad vitandum periculum ponendi principalem intentionem in illa laudatione. Ampliùs etiam caveri debet istud tam in spiritualibus bonis, quàm temporalibus, pro tanto, quòd pretiosiora sunt. Postremò, opus bonum potest esse indifferens, hoc est dictum, quod de se nec bonum est, nec malum, ut est habere tunicam novam, divitias, aut pulchritudinem. Et in his rebus habere gloriam de se, non est mortale peccatum. Et dico notanter D *de se*, quia alia possunt esse pericula, quæ caveri debent, ut scilicet, si mulier quædam scit quòd per tunicas suas dat aliis occasionem peccandi, aut per suum pulchrum sermonem, aut per nimis ostendendo suam pulchritudinem, aut per benè chorizare: ipsa tenetur dimittere. Quandoque Ecclesia prohibet talia opera, sicut torneamenta, aut choreas, in certo tempore, & loco. Non dico ego cavendam omnem occasionem, per quam alius peccare posset; quia fieri

Digitized by Google

fieri non potest, sed nihil fieri debet ad hunc finem, quòd per stultam placentiam, aut fatuum desiderium, aut aliter alius peccet; & si scitur pro certo quòd datur causa alteri ita peccandi, caveri debet secundùm posse: mulier enim non tenetur, neque debet deformare, & defigurare se, aut vestire de sacco, aut nunquàm ire plùs ad Ecclesiam, quamquàm sciat quòd aliqui stulti stultè eam concupiscunt; tamen sicut dictum est, displicere ei debet.

Per hæc quæ dicta sunt potest sciri, quando hypocrisis, aut jactantia sunt peccata mortalia, aut non.

Quantùm est de inobedientia, aut de judicando alium, speciales faciam considerationes, & de contemptu, & dedignatione, & superbia quæ habetur ergà Deum, sicut Lucifer, & Pharisæus.

CONSIDERATIO IV.

Quando superbia est mortale peccatum, aut veniale.

Superbia ergà Deum haberi potest per hoc, quòd putatur haberi gratia quam quis non habet; aut per hoc quòd quis putat eam aut vult habere de seipso, scilicet suam sapientiam, aut fortitudinem, aut pulchritudinem; aut per hoc quòd putat eam benè meruisse ergà Deum, quasi Deus ita teneatur facere, & quòd aliter faciendo injustè faceret; aut per hoc quòd quis putat, & vult habere gratiam à Deo, quasi pro se solo, & de hoc ipse superbit, sicut peccavit Pharisæus qui reddebat gratias Deo de bonis suis, quod benè factum est, sed in hoc ipse deficiebat, quòd gaudebat, quòd alii non habebant illa, ut Publicanus. Et hoc signum erat quòd putabat clarè quòd bona sua essent de se, non autem de Deo solummodò; aliàs enim non se plus glorificasset, quàm si bona illa fuissent in alio. In tribus ultimis casibus superbia semper est peccatum mortale, si adsit deliberatio & plenus consensus; quemadmodùm semper intelligo, quando de peccato mortali loquor, & antè, & post. In primo casu est præsumptio, quæ potest esse peccatum veniale solùm. *Solùm* dico, quando ipsa contingit per ignorantiam, aut ipsum putare non est certum, neque affirmatum. Exempli gratia. Aliquis potest cogitare quòd confessus sit, aut benè pœnituerit, quia scilicet ad hoc satis bonas habet apparentias, quamquàm fortè non sit ita. Est itaque securius non se simpliciter assecurare in talibus, quin semper habeatur rationabilis timor divinorum judiciorum, & humanæ fragilitatis. Et in hoc peccavit sanctus Petrus qui tenebat quòd moreretur pro Christo Jesu, & plures alii conformiter qui putant, quòd contrà tentationes mirabilia facerent. Est etiam benè considerandum, & advertendum in hoc peccato, & in aliis, quòd scilicet, aliquando rectè judicatur, & dicitur, quòd omnia habeantur à Deo, & sine ipso nihil valeret; & tamen totum fit in contrarium, pro eo quòd voluntas non est judicio rationis conformis. Et dici potest talibus, quòd ipsi seipsos proprio ore condemnant. Si enim dicis quòd totum habes à Deo, cur gloriaris tu, & despicis alium, acsi de teipso haberes? Hoc apertè videmus in luxuria, quia homo judicat, & benè scit quòd talis res est peccatum, & tamen facit. Notandum est itaque, quòd si ratio, & voluntas semper sint concordes in bono, totum prosperabitur.

CONSIDERATIO V.

Quando judicare alium est peccatum, & quale.

Judicare alium venit de superbia. Potest autem hoc judicium fieri de operibus alterius, vel de ipsamet persona. Et hoc fit duobus modis. Uno modo per certitudinem, altero per præsumptionem levem solummodò, & suspicionem. Judicare alium firmiter esse malum ergà Deum, & justè damnandum, peccatum est mortale contrà bonitatem Spiritus sancti, quia in uno momento Spiritus sanctus potest hominem facere bonum, sicut Paulo fecit, & Mariæ Magdalenæ, & multis aliis; & potest homo eadem hora pœnitere, estque stultum, & injustum judicare de hoc quod nescitur, quod citius judicari debet ad bonum, quàm ad malum. Judicari de operibus potest esse quando opera de seipsis sunt talia, quòd quocunque modo ipsa non possunt benè fieri, nec per bonam intentionem, nec alio modo: & ibi potest benè pro certo judicari quòd sunt mala, & quòd alter malè fecit. Si opera sunt indifferentia, vel talia quòd possunt benè, & possunt malè fieri; judicare pro certo quòd mala sint, nisi aliter appareat, est peccatum mortale; quia tam citò, immò citius judicari debet bonum, quam malum, quando fieri poterat benè. In hoc tamen casu, & in aliis haberi possunt sine mortali peccato aliquæ suspiciones & judicia levia, quamquàm bonum sit eas cavere. Et caveri debet benè, ne in tali casu quis malum loquatur, aut diffamet alium per tales leves præsumptiones, & specialiter in affirmando eas plus justo aut contrà bonum alterius. Sicuti ad faciendum mori hominem convenit certissimum habere judicium; & similiter in exulando, sive relegando extrà Patriam hominem, vel in auferendo sibi bonam suam famam notabiliter: in parvo tamen damno non est tale periculum. Secundùm ea quæ hîc, & priùs anteà dicta sunt, sciri potest quando habere dedignationem de proximo est peccatum mortale, aut non; & etiam per ea quæ dicentur de invidia, & ira. Et sciendum, quòd judicare suos Superiores multò pejus est, quàm de aliis.

CONSIDERATIO VI.

Quando contemptus Superiorum est peccatum, & quale.

Contemptus, seu despectus Superiorum, & per hoc non obedire, est speciale peccatum superbiæ. Et est semper mortale, quando ex certa scientia fit transgressio Mandatorum suorum Superiorum principaliter, & solummodò pro eo quòd ipsi hoc præceperunt, quia ibi propriè est contemptus; aut quando non reputantur, nec fit vis de Præceptis eorum, ac si ipsi hoc non præcepissent, & per hoc non obeditur. Quando tamen transgressio fit Mandatorum à Superioribus datorum pro aliqua fragilitate, aut pro alia causa, non est hoc nominandum peccatum per contemptum. Et hoc est valdè considerandum, specialiter inter Religiosos, & generaliter ergà omnia Præcepta facta per homines, non per Deum sine medio. Sæpè enim transgredi ordinationes eorum & regulas, non est peccatum mortale. Et dicere aliter, esset nimis durum. Sed tamen quando contemptus accedit qualis dictus est, non erit excusatio mortalis peccati. Hoc in loco scire debetis, quòd non tenemur obedire Superioribus nostris, nisi in casibus in quibus ipsi sunt nobis superiores, & in quibus Dei ordinatione, aut nostra voluntate, nos eis submisimus. Quia si Episcopus meus præciperet ingredi Religionem, ego, nisi vellem non facerem, nisi publicum fecissem peccatum, per quod hoc meruissem. Similiter dico de Abbatibus, de Dominis temporalibus, de Patre, & Matre.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO VII.

Quando Invidia est peccatum, & quale.

INVIDIA de se est peccatum mortale, quia contraria est charitati, quia de bono dolet alieno, & gaudet de malo. Tamen considerandum est quòd invidia aliquando surgit ex motione naturali, quemadmodùm aliqui ex natura sua corrupta sunt invidi, sicut videmus inter canes, & similiter de aliis vitiis; & talis modus invidiæ non est peccatum, quia non est in nostra potestate. Et similiter dico de omnibus motibus, quos à natura habemus: & hoc intelligendum est quando consensus non jungitur.

Secundò, invidia subrepit per deliberationem quamdam, non tamen perfectam, nec plenam, seu completam. Et hæc appellatur primus motus, quando non aufertur quàmcitò quis facere posset, quamquam auferatur antequàm habeatur plenus consensus, & incipit displicere; & hæc non est nisi veniale peccatum. Et similiter est in omni peccato generaliter.

Tertiò, dolor de bono alterius potest contingere sine invidia; videlicet quando dolor hujusmodi ideò est, quia tale bonum evenit ad damnum alterius bonæ personæ, aut populi qui non demeruit; ut si malus homo habeat potestatem grandem per quam mala faciat, potest haberi tristitia pro eo quòd talem habet potestatem.

Quartò dolor ille de bono alterius accedit ex voluntate deliberata, & certa scientia, sine causa bona, & hæc est semper peccatum mortale.

Per hoc benè possumus scire, quando detractio est mortale peccatum, aut non. Detractionem dico, de altero malè dicere per odium, vel invidiam. Quia malè dicere de alio pro fine bono, ad cavendum ne faciat malum, aut pro ejus correctione, aut causâ officii facere, vel dare testimonium veritati, non est peccatum, si alia mala voluntas non admisceatur. Et si hoc fit solùm pro facilitate loquendi, sicut sæpè contingit, & malum quod dicitur non cedit ad magnum damnum alterius, vel famæ ipsius, peccatum est veniale; sed tamen damnum posset esse tale, quòd facilitas loquendi non excusaret, quia cavenda est levitas dicendi, quando ad damnum grande alterius cedit. Conformiter videre possumus, quando deridere alterum, aut maledicere est peccatum mortale, aut non secundùm malum quod indè venit, & intentionem facientis, & iram, quam alter indè suscipit, aut potest recipere verisimiliter, aut rationabiliter.

CONSIDERATIO VIII.

Quando Ira est peccatum, & quale.

IRA de se est mortale peccatum, quia ira est desiderium vindictæ, & malè volendi alteri, quod est charitati contrarium. Tunc sicut in præhabitis, ita & hìc debet considerari quòd quandoque accidit per bonam causam, & ad bonum finem; quod fit quando quis irascitur propter vitia, non autem contrà personam. Et sic etiam irasci debemus contrà propria vitia, & contrà aliena quilibet juxtà se, & secundùm statum suum; sicuti Judices qui debent punire malos de suis malefactis. Et quilibet tempore & loco debet se opponere adversùs mala quæ videt fieri, sive per preces, sive per bonas exhortationes, aut per similes modos. Ira aliquando non est nisi parva, aut nulla affectio amoris ergà alium, uti quando non desideratur ei nec bonum, nec malum; & est hic defectus, aut diminutio charitatis: nec est peccatum mortale, nisi quando proximus videtur in extrema necessitate; quia tunc adjuvandus est sub pœna mortalis peccati, si fieri potest.

Quandoque ira non accidit nisi ex complexione naturali, sicut homines antiqui, & melancholici, sunt de sua natura iracundi, & ira talis non est peccatum. Ira quandoque venit per subitum motum, & imperfectam deliberationem, & non est nisi veniale peccatum: sed si venit per consensionem perfectam, peccatum erit mortale. Nihilominùs ira non dicitur quandoque desiderium vindictæ, sed est quædam impatientia de facto alterius, absque hoc quòd desideretur ei malum, hoc non est propriè ira, nec est mortale peccatum, si impatientia non sit talis quòd ex toto impediat rationem, & operationem aliorum bonorum. Ulteriùs considerandum est, quòd benè potest desiderari quòd malefactum alterius puniatur per Justitiam, & per Judices ad hoc ordinatos, & ad finem quod quis gaudeat jure suo, & hoc non est peccatum tantum, si se non admisceat mala voluntas; hoc est, quod non plus desideretur damnum alterius, quàm recuperare jura sua. Et secundùm hoc quod dictum est judicari potest quando minari vel vilipendere alterum per iram est peccatum mortale, aut non; secundùm scilicet quòd per talia facta recipitur vindicta & nocetur proximo. Etiam quomodò maledicere alteri per deliberationem, imprecando & optando ei malum, grande est peccatum. Et quomodò etiam blasphemare, despicere, ac denegare Deum, & Sanctos, & Sanctas ejus, causa iræ suæ, est blasphemia & villanum mortale peccatum; si persona tunc scit, aut scire debet, hoc quod dicit & facit. De juramentis dicetur in sequentibus.

CONSIDERATIO IX.

Quando Acedia est peccatum, & quale.

ACEDIA ex se non est mortale peccatum, quia non dicit nisi tædium boni spiritualis, sic quod non est nisi diminutio fervoris charitatis. Si tædium hoc est de bono spirituali laborioso, tunc est naturale: natura enim refugit laborem, & hoc non est peccatum, quia motus iste non est in nostra potestate. Et si consentitur tali motui, adhuc non est nisi veniale peccatum: pro generali quippe regula tene, quod consensus ad id quod solummodò est veniale peccatum, non est nisi veniale peccatum. Sed si tædium est tale quod per ipsum omittitur fieri hoc ad quod quis tenetur per præceptum, clarum est quòd ibi est mortale peccatum.

Aut si tædium est tale, quod displiceat etiam vivere, ac per hoc cadat quis in desperationem, sicut faciunt hi qui seipsos occidunt, peccatum est mortale. Penes hoc considerari potest, quando acedia dicendi Horas, & audiendi Missam, peccatum est mortale aut non. Quia si quis tenetur dicere aliquid per Præceptum, aut per votum & per acediam omittitur, peccatum est mortale. Si tamen pars dimittitur, vel omittitur parva, vel si fiant aliqui leves defectus per hoc quod non benè attenditur, non oportet dicere quòd semper sit mortale peccatum. Et quamvis bonum sit attendere; tamen si quis pro certo proposito non impedit se ab attendendo, faciendo aliquid quod totaliter auferat intentionem, sive hoc fiat per cogitationem, sive per opus, non oportet reincipere, nec est mortale peccatum, quamvis de alio cogitetur. Sed si per certam deliberationem in dicendo Horas, quis percipit se impediri ab attentione, & ita vult remanere ita se impediri, cogitur reincipere, quia sic solvendo non quitatur quis, quippe quia tollitur bonum propositum quod in principio habebatur ad serviendum Deo. Estque sciendum quòd quælibet persona Christiana de rationabili ætate debet audire Missam Dominicis diebus, & Festis præceptis; nisi habeat excusationem rationabilem, secundùm ordinationem & consuetudinem patriæ ubi ipsa est, & quam Prælati volunt, & ordinant, & sufferunt, vel permittunt.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO X.

Quando Avaritia est peccatum, & quale.

AVARITIA est *inordinatus appetitus habendi aliquid.* Et fit hoc quandoque in retinendo, quandoque in acquirendo, quandoque in desiderando. Aliquid desideratur quinque modis. Primò bonum alterius, & taliter, quod auferretur, si fieri posset; & ibi est peccatum mortale, quia est furtum cogitationis. Secundò desideratur aliquod illicitum per certam scientiam & deliberationem completam, ut scilicet aliquis non dignus desiderat Præposituram, aut esse Judex, de quo sentit, aut sentire debet, quòd ad hoc est indignus, & ibi est mortale peccatum. Tertiò potest appeti bonum alterius, vel res non licita, per voluntatem non absolutam, sed sub conditione expressa, vel intellecta, ut dicendo, vellem hoc, vel hoc si possem habere absque offensione Dei, aut sine damno alterius, vel si essem dignus. Et hîc non est peccatum, vel est veniale peccatum: nec oportet quòd semper cogitetur conditio; sufficit, quod subintelligatur. Est etiam intelligendum, quòd per tales operationes aut desideria, non omittatur fieri hoc quod quis facere tenetur de bonis alibi, & nec generentur in corde mali motus, qui postea auferri non possint, sicut contingit in isto peccato avaritiæ, & plùs in peccato luxuriæ, quia in tali casu potest esse mortale peccatum. Quartò desiderantur res non necessariæ & superfluitates, per desiderium nimis ardens & tale quòd mens impeditur totaliter ad cogitandum de propria salute, & ibi est cupido, vel sollicitudo pessima quæ est in Evangelio prohibita, & est peccatum mortale. Quintò desideratur per amorem nimis magnum, nec tamen talem, quòd quis vellet offendere, vel omittere ad cogitandum de propria salute, & ibi est peccatum veniale. Et potest amor sic esse temperatus, quòd non erit peccatum, immò meritum secundùm bonum finem intentum.

Avaritia in acquirendo est multis modis. Acquiritur enim aliquando per injustitias, & fraudes, & vias illicitas, & ibi est peccatum mortale, quando ars, qua acquiritur, est peccatum mortale; sicut in perjurando, aut transgrediendo Mandata Dei, sicuti est de stultis mulierculis, uti est de usurariis, & falsis mercatoribus qui mentiuntur, & jurant suas merces aliàs esse quàm sint; uti in ludis prohibitis, quemadmodùm etiam quando omittitur fieri debitum diebus Dominicis de audiendo Missam pro mercando, nisi aliud excuset, uti esse potest in aliquibus casibus. Acquiritur aliquando per media quæ non sunt nisi venialia peccata, ut per verba otiosa, & jocosa, & mendacia ad risum Dominos provocantia, & potest esse ibi sæpiùs veniale duntaxat peccatum. Et si aliqui facerent, sicut fistulatores, aut joculatores, aut sicut qui similia exercent ad lucrandum vitæ necessaria, quia aliam artem non sciunt, non auderem dicere quòd essent extrà statum salutis. Quia Domini ad auferendum eorum melancholias quæ eis superveniunt occasione magni oneris quod portant, capiunt indè solationem, & deductionem in talibus rebus, & aliquando etiam populus. Hîc posset audacter sermo fieri de mercantiis, quando peccatur in eis, & quando non; & de modis committendi usuras, sed causâ brevitatis transeo illa faciliter ad præsens.

Avaritia est in retinendo, quia si retinetur alienum scienter, & contra placitum ejus cujus res illa est, taliter quòd si ipse sciret non sibi placeret, & non habetur voluntas restituendi tempore, & loco. Sed si res talis est, & istiusmodi hominis, quòd certam habeat confidentiam quòd ille cujus res est non haberet displicentiam quòd ego haberem, & me cum illa juvarem, vel quòd ad præsens non habeo commoditatem restituendi sine aggravatione magna, & alter de hoc non damnificatur granditer, & habeo voluntatem restituendi tempore, & loco, ibi non est in retinendo peccatum mortale. Secundò retineri potest id quod necessarium est pro se, & pro suis, secundùm quod requiritur ad statum, & dignitatem, & alia quæ justè exercentur & habentur, & hîc non est peccatum. Tertiò retinentur superflua, & quæ nihil proficiunt ad necessitatem, & ad statum hominis, & ibi sæpè est peccatum mortale; & specialiter quando hoc fit per ardens desiderium habendi, vel acquirendi, quod satiari non potest. Et hujus signum est, quòd plùs eligitur quòd res putrescat, & vastetur, quàm quod tradatur ad usum, & fructum. Sed tamen amor retinendi talia non necessaria potest esse ita parvus quòd non erit nisi peccatum veniale. Et specialiter si tunc non occurrat, vel compareat, pauper, qui sit in periculo mortis, nisi ei succurratur; quia tunc tenetur aliquis juvare proximum, tàm de superfluis, quàm de his, quæ sunt necessaria ad statum; non autem de his, quæ sunt necessaria simpliciter ad victum, quia meliùs debeo me amare, & vitam meam, quàm alterius. Et ibi data est generalis regula, quando dari debet eleemosyna sub pœna peccati mortalis; tunc scilicet, quando videtur alius in periculo mortis, nec videtur quomodò ei succurratur per alium. Tunc enim tenetur quis occurrere sub pœna peccati mortalis, si facere potest sine periculo tali in quo alter est, quod nominatur extremæ necessitatis.

CONSIDERATIO XI.

Quando Gula est peccatum, & quale.

GULA est *desiderium aut appetitus deordinatus in manducando*, & est de se veniale. Et potest evenire quinque modis. Aliquando appetitus est solùm ex natura, quando naturaliter desideratur manducare, & bibere, quando fames, aut sitis habetur, & in hoc non est peccatum, nec in delectatione quæ naturaliter est in manducando, quia hoc non est in nostra potestate. Secundò ultra desiderium hoc jungitur quandoque desiderium voluntarium, & placentia in delectatione, & ibi est peccatum veniale. Tertiò quando fit transgressio alicujus Mandatorum Dei, vel Ecclesiæ, sicut jejuniorum statutorum, per gulam sine causa rationabili. Quando tamen persona granditer se gravaret in jejunando, scilicet vel propter ejus senectutem, vel infirmitatem, aut nimiam juventutem, aut propter laborem qui est ei utilis & necessarius, vel quia non habet undè pascatur una vice, aut quia habet infantem quem lactat, & nutrit! In casibus istis, & similibus, non tenetur persona jejunare, immò peccaret aliquando, si jejunaret; quia aliquando gravaret naturam suam, & complexionem nimis. Quartò quando tale placitum habetur in manducando quod præponitur divino amori, hoc est dictum, quòd potiùs fieret transgressio Mandatorum Dei, quàm quod abstineretur à manducando, & ibi est peccatum mortale; sicut si aliquis propter suum gulosum manducare vult rapere alienum, aut non vult ire ad Ecclesiam, quando ad hoc tenetur, aut quando scienter omittit facere aliquod Mandatorum Dei propter nimiam suam repletionem, aut inebriationem. Et hinc scitur quando ebrietas est peccatum, & quando non; quia si quis cadit in ebrietatem fortuitu per potationem majorem quàm sit rationabile vel fortius vinum, quàm putavit, peccatum est veniale. Si autem persona benè percipit, & videt, & scit malum, quod accidit ex inebriatione, & nihilominùs per gulositatem inebriat se scienter, ipse peccat mortaliter. Et similiter facit ille qui alium per malitiam inebriat, aut pro inebriati malo, scilicet vel ad decipiendum, vel ad infamandum. Estque considerandum, quod si persona tenetur per votum, aut per generale Præceptum Ecclesiæ, aut per pœnitentiam jejunare, & accidit sibi unum aliquod de suprà memoratis impedimentis, per quæ gravaretur, bonum est

Digitized by Google

est quòd petat consilium de non jejunando à suo Prælato, vel ad minùs à suo Curato, aut Confessore, si competenter fieri potest, & requiri, ad habendam majorem securitatem.

CONSIDERATIO XII.

Quando Luxuria est peccatum, & quale.

LUXURIA de se est contra Mandatum Dei. Et fit multis modis. Quia aliquando non est nisi in primo motu cogitationis, & ibi est peccatum veniale, quia consensus non est perfectus. Secundò potest haberi consensus ad delectationem quæ est in opere luxuriæ quod esset peccatum mortale, & ibi est peccatum mortale. Et similiter accedit in aliis peccatis, uti aliquis posset tantùm delectari in cogitando, quomodò inimicus haberet magnum dolorem, aut infortunium quòd peccaret mortaliter, posito quòd hoc maleficium non vellet facere suo inimico. Similiter persona potest cogitare de delectatione quam habent illi qui peccant per luxuriam, & in hoc habere beneplacitum per deliberationem perfectam, quòd peccabit mortaliter, posito quòd nolit tale opus facere. Aliud esset, si quis acciperet delectationem in his quæ de se non sunt nisi veniale peccatum, quia consensus in peccatum veniale non est nisi veniale peccatum. Tertiò potest haberi consensus ad opus carnale extrà Matrimonium, & ibi semper est peccatum mortale. Quartò aliquando non solùm tenetur mala voluntas in corde, immò etiam nutritur ipsa à foris in videndo, & loquendo, vel tangendo se, vel aliam personam, & ibi semper est mortale peccatum, sicuti voluntas ex qua sequitur opus, est peccatum mortale.

B

Ecce videtis quot peccata mortalia fiunt sæpè, quando tenetur mala voluntas, & specialiter in choreis, & in aliis jocunditatibus sæculi. Aliter dicendum foret, si non habeatur mala voluntas ab intùs, quia videre pulchritudinem mulieris fieri potest sine peccato, vel quod non erit nisi peccatum curiositatis. Debet etiam cavere persona, feminam dico, quòd non det causam peccandi alteri per visum, aut transitum suum, aut sermonem, aut tactum, quia ibi esset peccatum, posito quòd non vellet peccare carnaliter; quia etiam caveri debent pericula, quæ eveniunt per malos motus, qui indè exurgunt. Quintò cogitari potest de peccato carnis ad confitendum, vel ad cavendum, vel solùm per conditionem, dicendo: si non esset contrà Mandatum Dei, talis res fieret, aut talis; & ibi sæpè non est peccatum, vel non est nisi veniale: sed tamen quòd caveatur malus consensus contrà Mandatum Dei, & quòd talis cogitatio non inflammet se nimis. De hoc peccato scripsi diffusiùs alibi in uno Tractatulo nominato: *Speculum animæ.*

C

CONSIDERATIO XIII.

De Mendacio, & quale peccatum est.

MENTIRI ad damnum magnum alterius, est peccatum mortale. Mentiri per jocum, aut ad utilitatem suam, vel alterius, sine damno alterius, est peccatum veniale. Et sciendum quòd benè potest celari aliqua veritas sine mendacio, & sine peccato. Sed tamen omne mendacium est malum, & peccatum; quia fit abusus loquelæ quæ ordinata est ad hoc manifestandum quod est in corde, & principaliter propter hoc; quia, si daretur licentia mentiendi sine peccato, destrueretur tota fiducia societatis quæ est inter homines, quia nesciretur quando veritas diceretur, & quando non; ex quo mentiri posset licitè in aliquo casu. Quantùm ad opera, benè potest fieri aliquid ad aliam intentionem, quàm ad eam quam accipiunt videntes, ad celandum se in certis casibus, sicut faciunt qui insidias aptant, & faciunt in bellis.

D

CONSIDERATIO XIV.

De jurando, & quando est mortale.

A

JURARE falsum scienter, in omni casu est peccatum mortale, sive in rebus seriis, sive in jocis. Sed si per inadvertentiam, aut facilitatem loquendi, pejeratur, potest esse veniale peccatum, quamquàm mala consuetudo non excuset eos qui per ipsam perjurant. Ibi vides quàm grande malum est, assuescere se jurationibus. Et accipitur juramentum ad intentionem ejus cui fit, & secundùm usum communem intelligendi, quia qui arte jurat falsum, arte perjurat. Et quantùm ad juramentum de futuris, persona statim perjurat tunc cùm habet voluntatem firmam non implendi, vel quia non complet de facto.

CONSIDERATIO XV.

De Correctione fraterna.

NOS tenemur sub pœna mortalis peccati corrigere bonis sermonibus, vel aliter nostrum proximum, quando scitur quòd malè facit, & certum tenetur quòd per illam correctionem, quæ ei fiet, ipse se continebit, & aliter non. Sed si æstimatur quòd nihil proficiatur & quòd fortè pejus faceret, vel persequeretur, vel odiretur is qui talem instrueret; tunc non tenemur proximum corrigere, nisi simus Judices vel publica Officia habentes: quia esto quòd malefactor irascatur, aut non; ipse est puniendus, nisi esset quòd forsitan propter hoc majus malum adveniret Reipublicæ, & bono communi. Et intelligitur etiam hoc, quando publica sunt peccata.

CONSIDERATIO XVI.

Quandò facere contra conscientiam est peccatum mortale, aut non.

QUÆCUNQUE persona quæ firmam habet conscientiam de aliquo quòd sit peccatum mortale, & in illa conscientia ipsa hoc facit, peccat mortaliter, quantùmcunque res illa fit non mala. Sed tales falsæ conscientiæ sæpè refutari debent, & auferri ad judicium magis sapientum. Et est intelligendum quod dicitur, de conscientia firma, quia propter quasdam faciles dubitationes quæ habentur, & quas non est facilè auferre quandoque, non oportet quòd hoc quod dictum est, habeat locum, ex quo habetur fortior conscientia ad contrarium.

CONSIDERATIO XVII.

Quomodò de duobus malis minus est eligendum.

QUOTIENSCUNQUE per suum factum aliquis cadit in tales laqueos quòd effugere non potest absque peccando, tunc debet omittere, & cavere ne faciat id quod de se est pejus. Quemadmodùm si quis jurasset occidere alium, ipse debet non tenere suum juramentum, & non occidere alium. Et similiter dico de omnibus jurationibus, & de omnibus minis, promissionibus, & votis per quæ pejus fieret ea servando, quàm omittendo, propter supervenientes casus fortuitos, vel quia factæ sunt stultè, & improvidè.

CONSIDERATIO XVIII.

Quandò Ignorantia est peccatum, & quomodò.

IGNORANTIA accidere potest aut per negligentiam non volendi apponere laborem ad sciendum id quod debet sciri, aut ad finem quòd liberiùs pec-

Digitized by Google

peccetur, & jocundiùs. Et istæ ignorantiæ non excusant peccatum, immò aliquando gravius efficiunt. Alia ignorantia, quando quis fecit suam diligentiam secundùm statum suum, & suum intellectum, ad sciendum id quod sciendum erat, & tamen non scit totum hoc quod expedivit sciri ad suum statum; & talis ignorantia excusat ex toto peccatum, sicut ignorantia facti. Si aliquis putaret manducare pisces in sexta feria, & dantur ei carnes in similitudine piscium, talis manducando non peccat, nisi aliter sciat: & similiter in pluribus casibus; quia ignorantia de se nunquàm est peccatum, sed negligentia, & contemptus sciendi facit peccatum.

CONSIDERATIO XIX.

De Confessione multa documenta.

NOs tenemur confiteri postquam peccavimus mortaliter, tantummodò in casibus qui sequuntur. Videlicet una vice in Paschate propter Ordinationem Ecclesiæ. Secundò, quando recipi debet Sacramentum Eucharistiæ, & secundùm quosdam omnia Sacramenta, Baptismo excepto. Tertiò, quando quis est in periculo mortis secundùm verisimilem conjecturam, & humanam dubitationem, sicut in periculo gravis infirmitatis, aut belli, aut maris. Quartò, quando habetur Confessor qui absolvere potest de peccatis, & putatur, sive creditur quòd nunquam habebitur nisi fortè nunc, ut accidere potest in casibus Prælatis reservatis. Quintò, quando firmam habet quis conscientiam quam non deponit, quòd debet confiteri. Et est hoc intelligendum, quando haberi potest Presbyter talis qui possit absolvere, & qui non sit qui Confessionem revelet, nec hortetur confitentem sibi ad malum faciendum; quia in tali casu ita fieri debet ac si non haberetur talis Sacerdos, etiamsi esset ipse proprius Curatus. Et quamvis materia ista de Confessione sit benè utilis ad diù tractandum, tamen ego breviter transeo dicendo ea quæ sequuntur.

Primò, de peccato veniali nemo tenetur confiteri, quamvis sit benè factum, & perfectio: & similiter dico de circumstantiis, & conditionibus, quæ de se non sunt peccata mortalia. Item celari debet peccatum alterius in Confessione, sicut confitens vellet quòd celaretur suum peccatum, & non debet obediri Confessori qui hoc vellet inquirere, & specialiter si non sciretur benè quòd Confessor vellet proficere alteri, & nullo modo nocere, sicut fit quandoque ad trahendum alium à suo peccato singulariter extrà Confessionem, nisi fortè in casu quo proprium peccatum dici non posset Presbytero cuicunque sine accusando.

Item qui non habet Contritionem, hoc est, propositum, & desiderium abstinendi à peccato, talis non absolvitur, & debet posteà integrè confiteri, & etiam de ista fictione, se simulasse scilicet, quasi habuerit bonam Contritionem: & secundùm aliquos sufficit, quòd non habeatur præsens voluntas peccandi. Item bonum est brevem facere Confessionem sine faciendo longum processum, & sine dicendo longam quasi fabulam. Sufficit, quòd Confessor sufficienter intelligat hoc quod confitens fecit & quòd omittatur id quod ad gravitatem peccati non pertinet. Et specialiter hi qui sæpè confitentur, advisare debent hoc de quo habent specialiter conscientiam, & hoc ipsum dicere, & residuum in generali, & breviter, nisi fortè aliter fieret ad habendum consilium, aut consolationem. Item contingit quòd aliquis ignorat de aliquibus factis, utrùm faciat, vel non, nec etiam scit utrùm mortaliter peccet, aut non, & in tali casu potest confiteri sub conditione, dicendo. Ego dubito de tali facto, aut de modo facti, & de intentione pro quanto ego peccavi, ego confiteor; quia in Confessione mentiri nemo debet, nec affirmare hoc de quo est dubium. Tamen bonum est, & securum de talibus pœnitere, ac si quis certus esset. Item si quis sentit se per frequenter confiteri, quòd minorem ex hoc habeat devotionem, occasione consuetudinis, talis debet abstinere ad aliquod tempus. Et similiter dico de recipiendo Sacramento Corporis Domini nostri Jesu Christi. Sed qui se sentit proficere ex hoc magis, ac magis, & habere majorem conscientiæ pacem, potest omni die confiteri, & omni die communicare. Item nemo præsumere debet, quòd possit, aut sciat se ponere in statum talem per diligentiam Confessionum, quin semper inveniat de pulvere defectuum venialium, quia in ipsamet Confessione peccatur venialiter. Itaque in vacuum talis fatigaret se qui nimis vellet de talibus defectibus confiteri, & circà eos immorari. Quia etiam quitatur homo multis aliis modis quàm per Confessionem, uti est dicere, *Pater noster*, aut percutere pectus suum.

CONSIDERATIO XX.

De peccatis, quæ fiunt in mercantiis.

IN mercantiis caveri debent aliquæ conditiones specialiter. Videlicet, quòd nihil juretur ab aliquo, nisi quod tenere velit, & nisi teneatur, quia aliter perjuratur, & peccat mortaliter qui scienter facit. Et hoc est dura res pro nostris mercatoribus de Francia. Item quòd vitetur mendacium (& specialiter ad damnum alterius) in laudando suas merces multo plus quàm judicentur esse laudandæ.

Item si in mercibus, sive venalibus sunt magni defectus, qui sciri non possunt, aut percipi, sive respiciendo, sive tangendo, non debent celari, nec vendi debent ac si prædictos defectus non haberent. Aliter enim fieret deceptio alterius grandis & aliter quàm quis rationabiliter vellet quòd sibi fieret. Item quòd pro mercantiis suis quis non perdat servitium Dei ad quod tenetur per Præceptum Dei, aut Ecclesiæ, & specialiter secundùm patriæ consuetudinem in qua est, & quam Prælati sciunt, & sustinent. Item quòd custodiatur bona fides, secundùm quod merces constiterint, & pro quanto vendi possint, salvo sufficienti lucro, secundùm labores factos, & secundùm tempus quod currit. Et quòd propter simplicitatem alterius, aut bonam fidem, non fiat ei pejus. Item quòd non vendatur cariùs ad credulitatem, quàm ad argentum, nisi fortè haberetur damnum magnum in non habendo argentum. Et in isto casu, & in omnibus similibus, debet homo suam examinare conscientiam. Quia si judicat, quod plùs diligeret suam pecuniam, vel etiam minorem quàm expectare, & plus habere propter damnum quod recipiet, ego teneo quòd rationabiliter potest vendere cariùs secundùm damnum quod scit, aut intelligit, se habiturum. Propter quod in multis casibus sciri potest quando ergà Deum fit usura, & quando non, quia intentio est quæ facit peccatum ergà Deum, quidquid sit de judicio ad homines. Proptereà si quis cariùs vendat ad credulitatem, sive expectantiam, & propter hanc causam non vellet statim solvi, usura est. Item ad cavendum perjurationes, & mendacia, & alia peccata, ego consulo servari consuetudinem quorundam bonorum, & fidelium mercatorum, hoc est, non superferre suas merces, sed eas vendere ad unum verbum. Et quando videbitur hæc consuetudo, citiùs, & breviùs emetur, & fiet placitum Deo.

CONSIDERATIO XXI.

De bona Fidei nostræ credulitate.

QUilibet homo qui habet rationem, & discretionem, debet per expressum credere Articulos nostræ Fidei, & veritates quæ ei communiter prædicantur & annunciantur, tàm per usum sanctæ Ecclesiæ, uti

Digitized by Google

utì est in colendo Festa, & per Autores approbatos, & per suum Curatum. Sicuti est, quòd unus solus Deus in tribus Personis qui omnia creavit, & qui habet justum & sapiens regimen totius mundi: & conformiter de aliis Articulis & veritatibus. Nec debent simplices homines magnas facere inquisitiones de talibus veritatibus, sed eas credere humiliter; quia pessima superbia est, non velle intellectum suum submittere ad credendum, & se inclinandum in id quod Deus præcepit. A

Contra hoc faciunt illi qui murmurant de hoc quod Deus facit uni & non alteri, ac si sit injustus aut nesciat quid faciat. Contra hoc faciunt sortilegi & sortilegæ. Et si eveniat, quòd inimicus tibi afferat vel mittat tibi phantasias & cogitationes contrà aliquas veritates Fidei; & tu sentis quòd eas repellere non potes, non reputes, & contemne eas, tantùm cura quòd bonum habeas desiderium & voluntatem credendi id quod credendum est & secundùm quod teneris. Et ista bona voluntas reputatur tibi pro facto, & erit tibi meritoria. Nec hoc dico quin etiam rogare debeas Deum quòd libereris de tali tentatione; & etiam habere consilia sapientium. Quamquam frequenter non sit aliud consilium quàm quod dixi, sicuti alia vice planiùs scripsi de tentationibus blasphemiæ: & sicut fuit dictum sancto Antonio qui aliquando posuerat se ad pensanda divina judicia, quomodò unus est bonus, alius est malus; quomodò tot & tanta est quantitas damnandorum respectu salvandorum & similiter de aliis judiciis Dei. Et tunc dictum fuit ei; *Antoni, Antoni, de te cogita, & Deum dimitte convenire cum suis creaturis. Satis enim sapiens, bonus & potens est ad faciendum id quod faciendum est, etiam absque hoc, quòd tu doceas eum, aut introëas secreta ejus.* Sicuti ei dicebatur. *Fac benè, & benè habebis.* B

CONSIDERATIO XXII.

De Excommunicatione, & remedio ejus.

QUÆLIBET persona quæ scienter se permittit excommunicari & non apponit quam citò potest remedium pro sua absolutione, ipsa peccat mortaliter pro contemptu sui Prælati, & cum hoc perdit bona quæ fiunt in sancta Ecclesia, quod est perditio horribilis. Et est hoc intelligendum, usquequo pœniteat & confiteatur, & habeat suam Absolutionem ad minùs à Deo. Quod tunc fit, quando quis ab Ecclesia excommunicatus est, nec potest convenienter apponere remedium ad habendam suam Absolutionem ita statim, & inclamat misericordiam à Deo, & tunc non est expulsus habendi partem suam de bonis quæ fiunt in Ecclesia sancta generaliter, quamquàm adhuc non debeat intrare ad Officium divinum, nec alia sibi prohibita facere, quousque suam ab Ecclesia habeat Absolutionem. Et debet vitari omnis homo excommunicatus ab Ecclesia, qui est nominatim excommunicatus & denunciatus, & per hoc scitur quòd ipse est excommunicatus, excepto in quibusdam casibus; uti servitor potest servire Domino suo excommunicato, uti etiam potest eis fieri sermo pro correctione eorum, uti in casu extremæ necessitatis, & sic de aliis casibus. C

CONSIDERATIO XXIII.

Quando Sacerdos vitari debet, ne Missa ejus audiatur.

VITARI non debet Sacerdos in suis Missis aut aliis Officiis, nisi sit excommunicatus per suum nomen, & talis denunciatus. Aliàs quantumcunque sit peccator, & tenens concubinas, aut alia faciens mala, (quia ex quo Prælati Superiores in Ecclesia Dei hæc sustinent, nemo tenetur tales vitare.) Et si sunt aliqua Jura, quæ videntur dicere eos vitandos, illa sic, ut præmissum est, intelligenda sunt; aut defecerunt, & non tenentur per non usum & ad pejus cavendum, & ne homines frequenter eleventur & faciliter contra suos Curatos, propria autoritate. Tamen hìc nihil affirmo & ex causa. De hoc alibi largiùs scripsi.

CONSIDERATIO XXIV.

Quod malum facit peccatum veniale, & undè venit.

QUAMVIS peccatum veniale non auferat gratiam Dei, tamen per ipsum veniunt plura & magna damna, propter quod cavendum est & abstinendum ab eo, secundùm posse. Quia per ipsum acquiritur pœna, & perduntur plura bona alia quæ fieri possent, & grandia merita quæ lucrari possent, & ruitur citiùs in peccata mortalia. Et verè bonus filius non solùm cavere debet Patrem suum prodendo vel tradendo offendere, undè perdat amorem Patris; sed etiam custodit se, & abstinet se facere quicquid non est ad placitum Patris. Quamvis itaque in pluribus casibus (ut dictum est) posset aliquod malum fieri absque mortali peccato, vel absque peccato aliquo, quia scilicet ad bonam intentionem, & propter bonum finem fit, sicut dixi in desiderando laudem mundanam, aut de volendo alteri malum temporale; nihilominùs bonus servus Dei plurimùm, immò plus dubitat & timet decipi, & defectum committere in talibus casibus quàm in illis quæ clarè & manifestè sunt mala, & quæ benè fieri non possunt. Scit enim inimicus, quòd bonus Dei servus nunquam committeret aliquod quod sciret aut quod in aperto clareret esse malum, & ideò conatur cooperire malum sub umbra & similitudine boni. Hortatur enim quandoque quærere falsam laudem sub umbra vitandi infamiam, vel proficiendi alteri: & indè veniunt malæ jactantiæ & vanæ excusationes. Conformiter in corrigendo alium, vel inquirendo, vel desiderando malum alterius, sicut tetigi superiùs. Ecce in conclusione videtis quòd nihil est securitatis in hac vita, quæ non est nisi tentatio. Propterea humiliare debemus nos in timore temperato, cum spe, sub Dei nostri boni Patris gubernamine, & expectare quòd semper erimus in tentationem usque ad ultimam mortis horam, sicut affirmat sancta Scriptura. Et sanctus Antonius hoc dicit, & nos videmus ad oculum quolibet die. Et hæc est sufficiens causa tenendi nos quotidiè in custodia nostri, in vero timore & humilitate, sicut captivi suam sententiam qualibet expectantes horâ, & non sciunt qualis futura sit, vel qualis sit in Judicio Domini sui.

CONSIDERATIO XXV. ET ULTIMA.

Generale exemplum declarans, quid est peccatum mortale, aut veniale.

AD meliùs intelligendum omnem supradictam materiam, accipiam animam nostram, comparando eam per exemplum uni Reginæ, & Deum Regi alicui sponso ejus, & inimicum traditori Regis, & tentationes ad similitudinem nunciorum. Pono ergò, quòd Regina Franciæ sit cum Rege in camera sua, sicut ejus sponsa & amica singularis; veniet aliquis gartio aut famulus, nuncius missus ab Regis inimico ad loquendum Reginæ, ad inducendum & inclinandum eam ut dimittat Regem, & se donet inimico ejus. Sit pro exemplo Rex Angliæ. Regina potest sex modis, aut statibus se habere ergà nuncium qui quærit eam dehonestare. D

Primus status est talis quòd nec velit, nec dignetur recipere talem nuncium, qui eam requirit dehonorare, aut audire verba ejus, nec recipere ipsius dona,

Digitized by Google

immò faciat turpem, malum, & durum vultum, & expellat eum foris domum suam turpiter. Vah de te, & vah de Domino tuo, fuge hinc, fuge, in mala hora veneris. Et quòd Regina statim revertatur ad Regem suum sponsum, & dicat magnam turpitudinem, & injuriam quam suus inimicus requisierit ad faciendum, & petat ab eo vindictam, & de tanto teneat se Regina propiùs ad Regem, & firmiùs in ejus amore, semper requirendo adjutorium ejus contra tales infideles nuncios quos nec videre dignatur.

Secundus status potest esse, quòd Regina non refutabit statim audire talem nuncium qui fortè apportat ei donaria ex parte hostis Regis, aut aliquas placentias habebit; tamen displicet eidem Reginæ quòd venit, & prædiligeret quòd non fierent sibi tales præsentationes, seu dona, nec dicerentur tales nunciationes, & non recipit eas ex toto, immò conatur tandem & nuncium refutare.

Tertius status est, quòd Regina libenter videbit talia xenia, & dona, & audiet verba nuncii qui eam sollicitat ad inhonesta, & ad dimittendum suum sponsum Regem, & consentire suo hosti, quamquàm non vellet assentire dicto nuncio in hoc quod ille ab ipsa petit, nec ire de facto ad hostem Regis; sed tamen benè placet ei quòd talia verba sint sibi dicta, & tenet colloquium suum intra cameram in præsentia Regis cum dicto nuncio; nec curat ipsa de recurrendo ad Regem, ad petendum adjutorium suum contra tales infideles suasiones.

Quartus est, quando Regina per verba consentit, & facit, & conatur ad hoc quòd faciat voluntatem Regis Angliæ, & recipit dona, & bonum facit vultum nuncio ejus, & ex hoc incipit ex toto dimittere sponsum suum Regem Franciæ, & dat seipsam hosti ejus.

Quintus status est, quando Regina non est contenta solùm concordasse ad id quod ab ea Rex Angliæ petit, & recepisse suum nuncium cum bono vultu; sed etiam pergit ad ipsum quæsitum spontè, propter odium quod jam concepit contrà suum sponsum, & malum amorem, & stultum quem habet ad hostem; quæ etiam nititur facere ejus voluntatem, & ultronea requirit eum, sicut garcia effrons, vel effrenis, & stulta femina exposita.

Sextus status est, quando Regina taliter est fixa, & traducta in talem statum, sicut jam dixi, quòd per quamcumque rem quæ ei dici possit, aut fieri, ipsa tamen non vult indè abstrahi, nec percussionibus, nec blandimentis factis sibi à suo sponso, nec per duritias quascumque Rex Angliæ ei faciat in suo servitio, nec pro verecundia, nec minis, nec pro quacunque re quæ sibi posset accidere, immò est obstinata.

Inter istos sex status primus est bonus, & virtuosus, & laude plenus, custodiens fidem Reginæ, & fidelitatem, & amorem ejus, & per hoc magis diligit Regem, & diligitur ab eo. In secundo Regina custodit fidelitatem suam erga Dominum suum; sed in hoc deficit, quòd non pellit foras ita statim, ita durè, nec ita turpiter prædictum nuncium qui eam quærit ad dehonorationem, sicut ipsa deberet; & in hoc est sæpè peccatum veniale. In tertio statu Regina peccat graviter contrà Dominum suum, quoniam in ejus præsentia ipsa libenter audit verba adversariorum ejus, & eorum accipit munera, & recipit malas placentias, quamquàm non velit abscedere de facto, consentiendo ad habendum societatem ad eos; & in hoc sæpè est mortale peccatum, & perdit gratiam Domini sui, quia non debet ipsa beneplacitum accipere nisi in ipso, nec se ponere ad periculum habendi consensum ad opus. In tribus aliis statibus semper perdit Regina gratiam Domini sui, & pejùs in quinto quàm in quarto statu, & pejus in sexto quàm in quinto; quia in tali casu Regina est incorrigibilis, & occidenda, vel ardenda, sine remedio.

Per hoc exemplum, si volumus benè pensare, possumus meliùs videre in qualibet tentatione quando perdimus gratiam Dei per mortale peccatum, & quando non. Scire enim debemus quòd quælibet tentatio nuncius est inimici infernalis qui nos requirit ad ei consentiendum, & ut anima nostra perdat, & rumpat fidelitatem suam quam Deo & Domino suo debet, & sponso; & secundùm quod anima resistit aut plùs, aut minùs, secundùm hoc ipsa custodit meliùs, aut pejus fidelitatem, & gratiam amici sui. Et consideretur diligenter iste modus in quolibet peccato habendi se, aut resistere scilicet aut consentire, & invenietur quilibet istorum sex statuum esse possibilis.

Sciatis etiam quòd tertius status est difficilior ad benè cognoscendum, pro eo quòd est inter duos status, quorum unus est peccatum mortale, scilicet quartus, & alter non. Et est sciendum, quòd quando aliquid est prohibitum sub pœna peccati mortalis, & aliquis hoc non vult facere per exterius opus, & nihilominùs perfectum consensum habet in corde quòd vellet tale opus facere, si tempus pateretur, & locus, aut non obesset verecundia; talis peccat mortaliter. Quòd si non habet talem consensum perfectum, & nihilominùs libenter rememoratur diu in cogitando tale factum quod est prohibitum, & accipit complacentiam magnam, & inordinatam, peccat etiam mortaliter, sed tamen non ita graviter, sicut antè. Si autem opus, aut factum tale sit, quod non sit prohibitum sub pœna mortalis peccati generaliter; quemadmodùm mulier aliqua maritata posset cogitare de marito suo qui esset absens, & acciperet complacentiam in memoria societatis ejus; aut sicuti aliquis cogitare posset ad cibum quem manducaturus est in prandio, & habere complacentiam sine tali peccato mortali: quia complacentia, aut delectatio, non est peccatum, nisi in hoc quod est prohibitum, aut quod de se trahit ad prohibita. Ulteriùs considera in exemplo priùs posito, quomodò Regina desiderare potest continuè esse in amore Regis Domini sui, & ideò ipsa odit omnia suo amori contraria: aut ipsa non diligit eum, immò magis timet pœnam, & iram Regis, & vellet quòd non esset præsens, aut mortuus, ad finem quòd alibi posset quærere complacita sua. In primo statu sunt boni qui amant Deum propter suam bonitatem, sicut boni filii suum Patrem. In secundo statu sunt illi qui solummodò præ timore damnationis abstinent à malefaciendo, & vellent Deum non habere potestatem, aut voluntatem eos puniendi, etiam contrà sua mandata facientes.

De cognitione peccatorum venialium, & mortalium, finis.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

SERMO DE POENITENTIA:

FACTUS IN CENA DOMINI.

S*I non lavero te, non habebis partem mecum.* Joan. XIII. 8. & in Evangelio præsentialiter recitato. *Ampliùs lava me, Domine, ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Ps. L. 4. quia coinquinavit me nimis, ne ad pronunciandum sanctum verbum tuum vir pollutus labiis, reprobus, & incircumcisus inveniar. Malè nimirùm præsumit sordes alienas vel loquendo, vel operando tergere, qui totus peccati volutabro demersus est. Quamobrem tibi, Domine Jesu, non tantùm pedes affectionum, sed etiam caput intentionum, & manus operationum ad abluendum offero. Irrora desuper, distilla pluviam voluntariam gratiæ tuæ, quatenùs

Digitized by Google

nùs per venam oris mei egrediatur verbum plenum virtutis, & benè ſonans; quo per auditum ſuſcepto, mundi fiant omnes propter ſermonem tuum; digni quoque inveniantur habere partem tecum quæ repromittitur mundis corde, *quia ipſi* te *Deum videbunt*. Matth. v. 8. Fiat hoc illa intercedente mundarum mundiſſima Matre tua, quam interpellamus propter hoc atque ſalutamus, dicentes: *Ave gratia plena*. A

SI *non lavero te*, &c. Joan. XIII. 8. Dura, valdèque tremenda ſententia: *Si non lavero te*, *non habebis partem mecum*. Attendat veſtra devotio, quæ ſit pars, cujus ablationem Dominus comminatur ei qui lotus ab eo non fuerit, & agnoſcet quia hic ſumma paupertate, miſeria, & calamitate præmitur. Quippè pars iſta Dominus eſt, qui ſe mercedem magnam, & omne bonum nominat, de qua gloriabundus Propheta totus exultavit, dicens: *Deus cordis mei*, *& pars mea Deus in æternum*, Pſ. LXXII. 26. Pro qua inſuper commendatur Maria, quia *optimam partem elegit*, *quæ non auferetur ab ea*. Luc. x. 42. Cui pars hæc uberrima, & maxima portio non ſufficit, nimis avarus, vel ſtolidus eſt. Quid eſt igitur Dominum dicere: *Si non lavero te*, *non habebis partem mecum*, niſi eum dare patenter intelligi: *ſi non lavero* te, *non habebis* me, ſeparaberis à me.

Porrò quid ultrà profectò reliquum eſt, niſi ut talis illotus projiciatur à facie Dei, etiam à ſorte Sanctorum, eatque maledictus *in ignem æternum*, cum illis quorum B (ſicut Apocalypſis ſcribit, *Cap.* XXI. 8.) *pars erit in ſtagno*, *& igne ardenti*, *& ſulphure*. *Ignis* quoque *grando*, *nix*, *glacies*, *ſpiritus procellarum*, *pars calicis eorum*. Pſ. CXLVIII. 8. Si pars verò illotorum tam horrenda, tam intolerabilis dicitur, de toto quid expectandum cenſemus? Maledictus qui partem ſuam hoc modo facit deteriorem. Terreat igitur unumquemque noſtrûm, Viri Patres, & Fratres, terreat, & erudiat hæc formidanda nimis ſententia: *Si non lavero te*, *non habebis partem mecum*, Joan. XIII. 8. Primùm erat, ut vivendo innocenter cuſtodiremus nos immaculatos *ab hoc ſæculo*; nunc verò quia *polluta eſt* noſtra *mens*, *& conſcientia*, ſupereſt ut lotio divina nos emundet. Sed undè ſordes in nobis? Undique prorsùs. Polluit nos ſuperbia, invidia, ira, acedia, &c. Polluit nos, ſicut olim in Lege, immundus cibus, & hoc per malam delectationem. Polluit nos immundus morbus, ut lepra per malum conſenſum, immundus tactus in opere, immundus locus in perverſa conſuetudine. Polluit nos per omnem modum pars quam arbitramur noſtram eſſe, mundana cupiditas, quæ eſt pars vana, vilis, fragilis, & damnoſa. C Talem partem figuratam habemus in Nabuchodonoſor, de quo Dan. IV. 12. 13. *Cum feris pars ejus in herbis terræ. Cor ejus ab humano commutetur*, *& cor feræ detur ei*. Attendite vilem ſocietatem, quia *cum feris* carentibus ſenſu. Et nonne *homo*, *cùm in honore eſſet non intellexit*, *comparatus eſt jumentis inſipientibus*, &c. Pſ. XLVIII. 13. Vide vilem poſſeſſionem, quia *in herba terræ*. Et quid *herba terræ*, niſi terrena felicitas, de qua Propheticus ſermo: *Manè ſicut herba tranſeat*, *manè floreat*, *& tranſeat*, *veſpere decidat*, *induret*, *& areſcat*, Pſ. LXXXIX. 6. Denique conſidera vilem commutationem, & *cor feræ detur ei*. Fera etſi non habet ſapientiam, retinet tamen crudelitatem. Sic illoti, beſtiæ ſunt in humana effigie latitantes, ſecundùm verbum Senecæ, & Boëtii: deductionem omitto. Sed undè vobis lotio? Attendite, quia lavat nos ab inquinamentis noſtris Magiſter, & Dominus noſter Jeſus D Chriſtus: *Effundam*, inquit, *ſuper vos aquam mundam*, Ezech. XXXVI. 25. Alioquin ſi non laverit, nullus mundabitur, nemo non privabitur parte ſua. Lavat autem. Quomodò lavat miniſterio pœnitentiæ ſalutaris, quæ velut lotrix ſagaciſſima, diligens, & virtuoſa, præparat aquam in Contritione, abluit in Confeſſione, extergit in Satisfactione: ſic reſtituitur pars noſtra Deus in perfecta reconciliatione. Felix pars, quia velut pars Benjamin ſuperat in quinque partibus partem immundorum. In bonis naturæ, quæ reparantur; in bonis fortunæ, quæ poſſidentur; in bonis gratis datis, quæ multiplicantur; denique in bonis gratiæ gratificantis, gloriæ beatificantis, à quibus alii privantur.

Animadvertat unuſquiſque noſtrûm quid dicat Chriſtus, quidve intelligat ad noſtrum documentum; *ſi non lavero te*, &c. Joan. XIII. 8. Ita dicebat mihi ipſa meditatio mea contexere Sermonem conſequenter de lotione peccatorum per miniſterium Pœnitentiæ, cujus eſt hoc officium deſuper commiſſum pro reſtitutione partis noſtræ. Offerebant ſe concordantiæ, & diſtinctiones ſine numero de Scripturis pro dilatatione proſecutionis præmiſſorum: tum ecce inter meditandum & ſtudendum, irrumpere viſa eſt ſecretum thalamum cordis mei peſtis improba, ſcientia inflans, curioſitatis noxiæ germen, portentoſa mater, eadem & filia. Monſtrum heu horrendum tam ingens! Hìc ambulat in magnis, & in mirabilibus ſuper ſe. *Pſ.* CXXX. 2. Ponit *in cœlum os ſuum*, & *lingua ejus* tranſiit *in terra*. Pſal. LXXII. 9. caput quoque inter nubila condit, quia ibi eſt *tenebroſa aqua in nubibus aëris*. Pſalm. XVII. 12. Hæc poſtquàm animadverterit pergere me ut de Pœnitentia loqueretur, pepulit me: ad cujus impulſum cùm tremuiſſem, & faciem convertiſſem, ipſa me torva, indignabundaque animoſitate ſuſpiciens, ut arrogans eſt, & tumida. Abi, inquit, in malam horam tuam; quid cogitas, quid ordiris, quid puſillus iſte & degener animus obrepſit tibi, ut famam negligere, ut perpetuam conflare non horreas infamiam? Quid me ſpectas ita, dùm, omiſſis conſiderationibus altis, & ſubtiliſſimis ſpeculationibus, materiam communiſſimam aſſumis, quaſi in eadem jugiter cantilena nugatoria perſeveres, quaſi pueriliter vulgatiſſimum carmen afferas, vel efferas? Linque humiles materias; nunquid deſunt tibi myſteria longè plus difficultatis & veræ laudis habentia circà Sacramentum Altaris, & benedictæ Paſſionis? Illic tuum ingenium, tuam manifeſta eruditionem coram viris omni doctrina ſupereminenter eruditis. An ignoras ubi loqueris? Adde quòd materia de Pœnitentia non accuratum ſtilum, vel elaboratum, ſed quotidianum exigit, quod locutionis genus quaſi ſordidum jam apud modernos diſſolutum, flaccidum, & nauſeans contemnitur, præſertim in ſermocinationibus extrà Scholam. Nonne demùm habet in promptu quilibet materiam hanc de Pœnitentia per Doctores copioſiſſimè pertractatam, IV. *ſententiarum*, & in Summis, atque Tractatulis Confeſſorum? Quiſquis ea legere voluerit, protinùs intelliget. Prætereà, quæſo, non te caſſo labore fatiges, neque turpem riſum tibi ſuſcites.

Hoc modo ſcientia inflans ſtomachando loquebatur: tum deſursùm elapſa eſt (ſicut placuit Altiſſimo) Charitas ædificans, cujus introitum, decorem, & aſpectum ſcientia inflans (quæ & ſuperbiæ ſpiritu, & invidia tota vexabatur) ferre non valens, mox abſceſſit. Tunc Charitas ſic orſa eſt? Te non fallat, precor; precor non abducat meretrix hæc peſſima ſcientia inflans, curioſa, vana, garrula, quietis impatiens, quæ ſub ſpecie vanâ ſubtilitatis, mentes ſibi deditas eviſcerat, torquet veluti quibuſdam minutis muſcularum aculeis. Hæc gignit pruritum, non extinguit. Hujus hæc occupatio eſt, *ſemper* diſcere, & *nunquam ad ſcientiam veritatis* 2. Tim. III. 7. pervenire, arrogantioreſque omnibus hominibus ſuos efficere ſectatores. Hanc deſere, delectent te utilia magis quàm ſubtilia, ad imitationem illius qui loquitur per Prophetam: *Ego Deus docens te utilia*. Iſa. XLVIII. 17. Nunquid non in tanta temporis egeſtate, in tanto diſcrimine rerum, in tali mortis incertitudine, docendi ſumus vivere, potiùs quàm diſputare, vel acutè phantaſiari? *Quæ tibi præcepit Deus* (inquit Sapientia) *cogita ſemper*. Eccli. III. 22.

Porrò ſi quotidiè peccando ſordeſcimus, quid ſalubrius, quidve conſultius, quàm ut de noſtra lotione cre-

Digitized by Google

crebrò loquamur? Anxiè quæramus, assiduè pertractemus? O quot sibi videntur sapientes in oculis suis, quot literati, & docti, qui hæc necessaria ideò nesciunt; quia velut facilia legere, retinereque despexerunt; quia insuper tempus, ingenium, curam in supervacuis contriverunt; quia denique bonam vitam quæ talium optima doctrix est, colere neglexerunt; quos tandem si, Deo propitio, resipiscere contingat, si ad meliora studia mentem divertere, pigebit affirmo, pudebitque temporis acti. Quare? quia fessi & confracti nihil invenient de universo labore suo, nisi vanitatem arguendam, & curam superfluam, sentientque vix se discipulos idoneos ad illa cogitanda in quibus dudùm Magistri esse debuerant, quod & falsò crediderant, quia tam cæca semper est, tam insolens inflantis scientiæ arrogantia. Sentient ad extremum nihil difficilius esse arte benè vivendi, nihil planè subtilius, nihil sublimius, atque divinius. Perge igitur, ut cœpisti, neque sermonem de lotione pedum animæ, hoc est, affectionum quomodolibet interrumpe; hoc necessitas quotidiana, hoc instans Paschæ festivitas, quia verus agnus Dei cum azimys sinceritatis & veritatis edendus est; hoc præsens societas eorum, qui non se solos, sed alios habebunt erudiendo lavare flagitat, & exposcit. At verò tradita sunt hæc in Libris Theologorum copiosè; tradita sunt, scio; est etiam veritas altera, quæ non tradita est, nec vacat omnibus omnia legere: & habet quid latentis energiæ vivæ vocis actus, & in aures transfusa fortius sonat, & tenaciùs memoratur. Charitas hæc suadens (credite) persuasit facilè monitis suis obsequi. Undè glorior in Domino, de cujus munere est, modestum piumque quodlibet ingenium. Remanserat tamen scrupulus aliquis, si materiam hanc de Pœnitentia lotrice mentis optima, tractare convenientiùs oporteret, vel declamatorio more, vel scholastico. Primum accuratius & venustius est; alterum acutius, & quodammodo verius æstimatur: primum magis accommodatur affectui, secundum plùs instruit. Tandem ex circumstantia temporis, & auditorum qualitate, inductus sum scholasticum morem gerere. Quotidianus namque sermo est, & scholis usitatus, nec rursùs egemus interprete, si intelligatur etiam à parùm intelligentibus benè, satis est. Omittatur ornatus, nisi spontè pervenerit. Dicamus in primis altiùs repetentes, quòd lavat nos Christus ministerio Pœnitentiæ salutaris, quæ Pœnitentia haurit aquam, & quodammodò fundit in pelvim cordis nostri per Contritionem, abluit & sordes ejicit per Confessionem, extergit, desiccat, & clarefacit, per Satisfactionem. Hæc tria per ordinem nunc egit Emendator noster Christus, misit aquam, lavit, extersit. Hæc dicendorum summa est, hæc tria notasse lego Psalmistam: *Dixi, confitebor adversùm me*, &c. Ps. xxxi. 5. id est firmiter proposui; ecce Contritionem. *injustitiam meam Domino*; ecce Confessionem. *Et tu remisisti impietatem peccati mei*; ecce Satisfactionem. Et rursùm alibi: *Iniquitatem odio habui*, Ps. cxviii. 163. hæc est Contritio; *& abominatus sum*, hæc est Confessio, quæ extrà vomit abominabilem peccati sordem; *Et legem tuam dilexi*, &c. Hæc est Satisfactio in custodia Legis Dei.

Nunc pertractemus triplices hujus Officii conditiones, quasi iter trium dierum perambulantes. Et quia in paucioribus via magis, rem totam sub brevibus terminis, atque metaphoris coarctemus.

ITaque pro lotione nostra ministrat aquam Contritio, non qualemcunque; sed calidam, mundam, amaram, vivam, crebram, & continuè scaturientem. Juxtà quæ quatuor, quadruplex est de Contritionis qualitate Consideratio.

Consideratio Prima.

Aqua Contritionis sit calida, hoc fit per conversionem in Deum, Fide, Spe, & Charitate subnixam. Sicut homo avertens se à Deo, & conversus ad creaturas, sordes contrahit, sic è contrà mundatur. Hoc est quod dicitur à Doctoribus, quia quatuor requisita sunt in Contritione: Conversio ad Deum, aversio à creatura, infusio gratiæ, & expulsio culpæ. Hunc calorem non habet aqua illorum qui dolent de peccatis solo timore pœnæ, sicut fit in jam damnatis, & in condemnandis; sicut communiter evenit in morte, ubi affectio commodi, quæ gelida est, & non justi dominatur. Quo circà sequitur, expediens esse prævenire horam mortis ad hauriendum hanc aquam, & calefaciendum ex bona, & quotidiana meditatione. Signum frigiditatis est, si homo crederet diù vivere, vellet diù permanere in peccato. Non sic ille qui dicebat, se non minùs serviturum Deo, si constaret certissimè quòd mille Annorum spatio protracturus esset vitam. Sic illa quæ cogitans de Inferni suppliciis, & de odio Dei regnante in damnatis supplicabat, ut etiamsi damnaretur, tamen Deum diligeret. Sic Job Cap. xiii. 15. *Etiamsi me occiderit, tamen in ipso sperabo.*

Consideratio Secunda.

Prætereà sit aqua munda Contritionis. Hoc dicitur propter eos qui cum suis lachrymis miscent propositum delinquendi, vel in voluntate peccati hujus, vel istius manent, vel à manifestis peccati occasionibus non declinant. Hæc turbida aqua est, non mundans, sed inquinans. Sed quæret quis: oportet non contritum firmiter credere quòd de cetero non peccabit? Planè non oportet; immò formidandum est de ruina; alioquin temeritas esset, qualis in Petro. Siquidem aliud est, proponere, & velle non peccare pro futuro, aliud de hoc ipso præsumere. Dixerunt in hac parte Doctores aliqui quòd sufficit negativè se habere, hoc est, non habere actuale propositum peccandi, præsertim cùm additur Confessio, sicut dicunt de Baptismo, quando non opponitur obex. Aliorum rationabilior, & Sanctis conformior est sententia, quòd oportet positivè detestari peccatum, & de meliori proponere. Compatitur autem propositum illud timorem, & tremorem de casu, sed non amorem delinquendi.

Consideratio Tertia.

Rursùs tertiò sit aqua Contritionis amara. Hanc habere volebat qui dixit. *Recogitabo tibi omnes Annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Isa. xxxviii. 15. Notandum tamen, quòd duplex est amaritudo talis. Una est ex dictamine rationis, & sua deliberatione, detestando peccatum; & hæc est virtus imperans dolorem. Alia sequitur amaritudo in sensu, si non sit indispositio complexionis, vel consuetudinis, vel aliundè; & hæc non semper exigitur, quia non semper est in potestate nostra flere sensibiliter, etiam cùm vellemus; immò & in aliquibus dolor iste posset esse nimius, & declinans ad excessum, sicut in mulieribus aliquibus, aut melancholicis habentibus ex levi causa lachrymas, etiam usque ad turbationem cerebri, & oculorum caliginem. Aliquando plus meritorium est velle flere, & non posse, quàm fletibus abundare; hoc est quod dicitur: *Dole, quòd non doles.* Quæret ulteriùs aliquis, si Contritionis amaritudo tanta esse debet, ut homo mallet damnari, vel annihilari, quàm rursùs peccare, vel etiam perdere omnia quæ habet, etiam corpus? Tolle inquisitiones tales curiosas, & periculosas, & ideò omittendas, ô anima, & dic: Tu scis fragilitatem meam, tu fidelis es; & non permittis me tentari super id quod possum, id est, non cadere in tales necessitates,

tes, hoc, vel illud eligendi, nisi dares virtutem benè eligendi. Hoc modo servatur humilitas cum justitia, ubi si fieret electio alterius partis, immineret alterum ex his periculis, scilicet præsumptio, vel mendacium.) Quæres præterea, si quis habens filium ex adulterio, tenetur dolere de tali filio, & velle ipsum non habuisse? Responsio, quòd hic facienda est separatio filii, & peccati. Diligendus est filius, odiendum est peccatum; nec est una danda electio in his rebus. Nota de Matre Magistri Sententiarum.

Consideratio Quarta.

Postremò sit aqua contritionis viva, id est, crebrò, & quasi jugiter scaturiens. Hanc optabat Propheta, dicens: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Jerem. IX. 1. Hoc sic implebitur, si mox & semper, ut fit actualis recogitatio de peccato, dolet homo, detestans illud modis, & dictis; alioquin videtur illud approbare, & noviter delinquere; sic qui justus est, justificabitur adhuc, & sordidus sordescet adhuc. *Apoc.* XXII. 11. Qualis autem exigatur contritio de venialibus? Dicitur, quod virtualis sufficit, dùm scilicet quis in generali detestatur omne peccatum, & ad Deum convertitur. Felix anima, cui datum est habere talem aquam calidam, mundam, amaram, & vivam. Sed væ cordi nostro, & similibus, cordi duro suprà adamantem, & silicem, quod nisi emolliatur, *malè habebit in novissimo*. Eccli. III. 27. Quis dabit hanc aquam in pelvim cordis mei? Percute, Domine Jesu, virga tua silicem hanc, ut fluant aquæ largissimæ, quemadmodùm factum est olim, pecutiente Moyse petram in deserto. Legi de quibusdam tuis, quòd non habentes hanc aquam ad nutum, percusserunt seipsos etiam verbere, & virga materiali, ut indè consequenter, te miserante, cum plagis & sanguine perflueret rivulus lachrymarum. Hæc est una ex industriis producendi hanc aquam.

Alteram industriam habemus in figura Jacob, qui puteos impletos humo & limo, scilicet Philistæis replentibus mundabat, aut alios fodiebat, ut abjecta terra manaret libero conductu vena purissima. O quotiens impletur anima nostra limo, & terrâ, scilicet terrenis affectibus & desideriis, quibus obstruitur præsens meatus animæ, ne Contritionis aquæ fluant. Ceterùm purgatio hæc fit per emundatorium jejunii, & abstinentiæ amarum, sicut Christus surrexit à cena, deposuit vestimenta. Tertia additur industria per adjutorium orationis, ut si haurire aquam soli non sufficimus, haurientes nobiscum advocemus, quemadmodùm egit ille, qui à Maria Magdalene gratiam impetravit lachrymarum. Ad hoc figuraliter induceretur illud Solini (si tamen verum est) de quodam puteo profundo, in quo dum deesset aqua, advenit virgo ad os putei, & suo clamore aquam eduxit; sic anima per orationem sicut Aza suspirans, impetravit *irriguum inferius, & irriguum superius*. Josue. XV. 19.

Utuntur alii pro quarta industria consideratione miseriarum, & calamitatum quas vident in proximis, ut indè per compassionem lachrymas eliciant. Sic fit, ut consequenter misereatur eorum benignus & misericors Deus. Consideretur anima propria quasi sit in Purgatorio. Hæc industria locum habet in consideratione Passionis Domini nostri Jesu Christi, de qua dicit Bernardus, quod *nullum cor tam durum est quod non molliatur, si Passio Domini ad memoriam revocetur*. Hic oculis Christi in hac consideratione Petrum respicit, & flet amarè. Per has utinam, aut similes industrias proferret terra cordis nostri fluenta aquæ vivæ, ne esset, vel sit, sicut terra sine aqua, deserta, inanis & vacua, terra invia & inaquosa, terra montosa Gelboë, ubi nec ros, nec pluvia, cadit. 2. *Reg.* I. 21. Itaque sine hac aqua incurritur illa maledictio Christi: *Si non lavero te, non habebis partem mecum*. Joan. XIII. 8. Prohibeat hanc Altissimus.

Habitâ aquâ per Contritionem, bonum erit initium, ut fiat ablutio per Confessionem. Fiat autem opportunè, fiat integrè, fiat verè, & non fictè, fiat à suo Judice. Fiat opportunè, hoc est, tempore ordinato per Ecclesiam, saltem semel in Anno: & hic est primus casus. Secundus casus est, antè susceptionem benedicti Sacramenti, & hoc extendere voluerunt aliqui ad omnem actum Hierarchicum Ecclesiæ quod non sine Confessione deberet exerceri: sed ratio eorum non
A videtur concludere, nisi de Contritione. Nota si occurrat peccatum celebranti. Alter casus est in periculo mortis secundùm probabilem conjecturam; alioquin homo se exponeret periculo peccati, quia tenetur ad minus antè mortem confiteri: cessante illâ probabili conjectura, licet differre Confessionem. Quartus casus, si nunc habeatur copia Sacerdotis, vel Pœnitentiarii, nec est spes quòd postmodùm antè Pascha, vel mortem, vel Eucharistiæ debitam susceptionem, habeatur. Confessio crebrior, etsi laudabilior sæpè sit, non tamen ampliùs in obligationem cadit regulariter. Dixi laudabilior sæpè, quia contingere potest, ut repetitio esset vitiosa, & quasi tota enervans devotionis virtutem, sicut in scrupulosis tædiosissimis nolentibus acquiescere cujusque consilio. Dixi præterea regulariter non cadere in obligationem, quia vel ratione conscientiæ hoc dictantis, vel status, aut tribulationis, aut
B necessitatis hoc exigentis, aut regulæ statuentis, posset obligatio consurgere.

Fiat etiam integrè: sicut integra est Contritio de omnibus, sic Confessio. Hic studiositas speculatrix de plurimis quærit; ad quæ respondere potest charitas ædificans. Illa est enim, quæ docet de omnibus; quippe Spiritus sanctus charitas est, qui docet *omnem veritatem*, Joan. XVI. 13. Est etiam charitas finis Legis, secundùm quam cetera debent moderari.

Quæritur ergò primò de venialibus. Dicitur quòd non est de necessitate confitendum, & hæc consideratio docet tollere scrupulos multorum celebrantium; quia venialia possunt aliter deleri quàm per Confessionem.

Quæritur de oblitis. Dicitur quòd sufficit fecisse diligentiam moralem, sicut pro magna re fieret: & sic vel Deus indulget, vel alias reducet ad memoriam. Talis certitudo sufficit ad non peccandum noviter in celebrando, vel ad Confessionem non invalidandum. Sed an deberet fieri reductio ad memoriam confitentis, vel inquisitio? Sic utique cum recto moderamine, & sine curiositate noxia, sicut obstetrix omnia,
C & Medicus, & Judex diligenter investigat. Alioquin à pueris, puellis, & laïcis, & idiotis qui non habent reflexionem super actus suos, vix haberetur aliqua pura Confessio. Sciunt experti. Hæc est utilitas principalis Confessionis. Animadverte tamen, quòd si oblita redeunt ad memoriam, illa confitenda sunt eidem Sacerdoti, vel alteri, quamquàm essent dimissa, sicut de peccatis diximus in Contritione deletis.

Quæritur de dubiis. Dubia sunt in triplici differentia, sicut potest homo æstimare se deliquisse in hoc, vel in illo. Aut enim credit magis quòd peccavit mortaliter in hoc facto, vel in illo, & sic tenetur confiteri, vel deponere conscientiam. Aut dubitat ex æquo, & sic similiter obligatur. Aut credit magis quòd non peccavit, cum dubio tamen de opposito, & hoc dicitur scrupulus, & pro hoc dubio non tenetur, nisi aliundè teneretur; quandoque expedit dicere, quandoque, & sæpiùs contemnere, & contrà agere, præsertim habito consilio pe-
D ritorum. Item in dubiis sub conditione confitendum est, & potest certa Absolutio dari. Item in dubiis consurgentibus ex Juribus, & ex sententiis positivis, potest non confitentibus expressè Absolutio administrari.

Quæritur de circumstantiis.

Respondetur, quòd quædam sunt peccata mortalia, quæ scilicet mutant speciem, ut furari in templo, illæ sunt de necessitate confitendæ. Quædam aggravant peccatum notabiliter, ut rapere centum, plus est quàm

quàm decem, & tales, si habentur in memoria, dicendæ sunt. Quædam aggravant tantummodò modum faciendi; tales non sunt dicendæ de necessitate, immò quandoque omittendæ, ut in peccato carnis, nisi pro securitate majori & dubio, ne peccatum mutaverit speciem. Quædam alleviantes, quædam impertinentes. alleviantes non sunt dicendæ, nisi in dubio scandali Sacerdotis: impertinentes omninò dimittendæ sunt, nisi pro familiaritate contrahenda.

A Quæritur de circumstantia personæ, cum qua fit peccatum.

Respondetur quòd est regulariter tacenda, nisi vel ubi non potest aliter peccatum dici, ut si vir abusus est propria uxore. Vel ubi potest prodesse non obesse tàm dicenti, quàm audienti, quàm personæ illi peccatrici. Addunt aliqui, quòd si aliter non potest dici peccatum, quin Confessor agnoscat personam, pergendum est ad alterum: hoc æstimo consilium esse, non præceptum; nisi ubi posset obesse personæ illi revelatæ.

Quæritur de casibus reservatis. Hîc est tam profunda difficultas, ut Durandus Doctor exercitatissimus in istis, tractando hanc materiam dixit, quòd expediret habere super hoc Papale consilium. Et difficultas (ut benè tangit) provenit ex reservationibus peccatorum aliter quàm fit in Curia Romana; quia non reservat Curia Romana (ut dicit) nisi quasdam Irregularitates aut pœnas. B Dicunt aliqui, quòd Jura nunquàm voluerunt reservare peccata aliqua, nisi publica ad terrorem aliorum. Una mollities reservabitur, adulterium mulierum, peccatum Sacerdotum concubinariorum. Si Prælati omnes attenderent profundè, quanta est difficultas, quantum onus dicere peccata sua secreta, etiam uni (credo firmiter) nunquàm tale jugum imponerent leviter cervicibus subditorum, undè innumerabiles præcipitantur in Infernum. Mille Pœnitentiarii non sufficerent in hac hebdomada, pro Consultoribus reservatorum. Cognovi plures qui per biennium vel triennium vix potuerunt induci ad confitendùm quædam suorum peccatorum. Qualiter ergò talia dixissent uni Prælato vel Pœnitentiario, præsertim pueri & puellæ, & mulieres verecundissimæ? Dici non potest, quantus est in pudore tyrannus. Credentes terrere subditos, occidunt & demergunt tacentes in Infernum. Ex hac materia, & aliàs perpendite, quanta difficultas est in materiis moralibus, & Theologicis utilibus, in quibus homines per totam vitam exercitati, vix sciunt, quid dicere. C Quid igitur facient scholastici nostri temporis, qui materias tales nec cogitare nec legere superficietenùs dignantur, dicentes: ô sciemus talia, cùm vellemus. Velint ergò tales aliquando; alioquin nihil scient, etiam quando voluerint, pauca scient. Sed dicamus ad id quod quæritur; qualiter se habebit peccator, habens casus reservatos? Hæc est certa conclusio, quod si habeat talem Sacerdotem qui potest & velit eum absolvere, nec indè scandalizetur, tenetur totum dicere. Exempli gratia. Si vadit ad Episcopum, & Episcopus vult totum audire, dicat. Si ad suum Curatum qui potest absolvere, similiter dicat, dùm tamen utrobique sit securitas, quòd neuter scandalizabitur per pronitatem ad peccatum, ut in materia Fidei vel in peccato carnis; sed quærat tunc alios de licentia saltem petita. D Si autem Episcopus qui potest omnia absolvere, non vult nisi reservata audire, & alius non possit nisi non reservata, non abest bona voluntas, & bona fides in confitente; non auderem dicere, quin posset peccata sua isto modo dimidiare; sicut ligatus duabus Excommunicationibus potest absolvi, primò de una, post per decem dies ab altera; sicut etiam in diversis diebus potest fieri una Confessio. Itaque non requiritur tanta unitas hîc, sicut in aliis Sacramentis: & est ibi quædam unitas in Ministris istis duobus, in unitate scilicet unius potentis sacramentaliter, integrè & perfectè super istius peccata. Non auderem prætereà asserere in onus Sacramenti Confessionis, quòd talis teneretur suo Sacerdoti qui non potest de omnibus absolvere, omnia dicere. Scio tamen, quòd tutius est & salubrius (sed non quilibet potest faciliter induci) dicere peccata sua sic diversis, quia (ut dicit Scotus) talis Confessio de uno peccato pluribus, non vocatur ex genere suo esse secreta, quia isti duo qui audierunt, possent ferre testimonium contra confitentem in Foro contentioso, licet peccarent; tamen valeret testimonium. Item nullus invitus potest (ut videtur) cogi dicere bis peccatum suum in Confessione, cùm Lex divina non cogat, vel obliget, nisi ad semel confitendum. Et si in Religiosis oporteat pluribus confiteri, hoc est de eorum voluntate qui se Regulæ submiserunt. Sic dicitur, quòd si Curatus Sacerdos non cognosceret peccatorem &c. hoc argueret, quòd omnia peccata dicenda rursùs essent.

Tertiò fiat verè, scilicet non fictè, hoc est in Contritione & Charitate, secundùm probabilem conjecturam. Utrùm autem Confessio quæ fit sine charitate, liberet ne iterùm dicantur peccata, vel à Præcepto Ecclesiæ, est difficultas vix inter scholasticos sufficienter dissolubilis. Ostendit hoc multiplex opinionum varietas. Dicit autem Dominus Guillielmus Parisiensis & alii communiter, quòd Attritio quæ aliàs non esset sufficiens, fit sufficiens virtute Sacramenti. Ponendum est igitur & dicendum, sicut quidam in Evangelio. Marc. IX. 23. *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Ita Pœnitentiario; adjuva, Domine, impœnitentiam meam.

Quæritur si tali debeat dari pœnitentia.

Respondetur, quòd sic, non absolvendo, sed ad cautelam & præservationem pro futuris, ut Deus cor illuminet. Consilium Ambrosii: *Age interim quicquid boni potes, & malum abbrevia.* Quid si dicit se contritum, & putat Confessor quòd mentitur, vel scit aliundè, vel non vult facere conscientiam, sed excusare? Respondeo quòd prædicere debet sibi quòd Absolutio non valet, si posuerit impedimentum, & quòd intentio sua non est eum absolvere, nisi faciat quæ promittit & dicit. Attamen Absolutio debet fieri absolutè. Est autem forma talis: *Ego te absolvo primò ab Excommunicatione.* Item: *Ego te absolvo à peccatis tuis mihi confessis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.*

De Confessionis secreto hoc tenendum est primò, quòd in nullo casu revelanda est, etiam in hæresi, nec Papa potest dispensare. Item nec de consensu Confessi, nisi dicat extrà Confessionem. Item nec ad interrogationem cujuscunque Judicis per quodcunque juramentum, nisi homo sciverit aut per testimonia, quia dicere tunc potest, & ideò debet. Nota fatuam cautelam aliquorum. Item etsi sola peccata sint propriè de sigillo Confessionis, tamen pœnitentiæ datæ, & interrogationes rationabiles, hinc indè, & personæ nominatæ sunt celandæ. Inquirentes autem & revelantes graviter peccant & essent puniendi, præsertim ubi ex curiositate, non ex charitate discreta procedit inquisitio. Item de personis confessis expedit magis tacere quàm aliquid dicere; vel laudando vel vituperando, in generali vel speciali.

Fiat postmodùm à suo Judice. Judex in Confessione est vel Papa, vel Episcopus, vel Curatus, vel aliquis legitimè ab aliquo istorum delegatus.

Quæritur, cui sit expedientius confiteri.

Respondeo, quòd regulariter, & ceteris paribus, suo Curato ordinario. Primùm propter obedientiam, deindè propter facilitatem habendi eum postmodùm in periculis mortis, vel in Sacramentorum administratione.

Quæritur, si confessi habentibus potestatem delegatam teneantur iterùm peccata eadem semel in Anno confiteri.

Respondeo quòd non, præsertim ubi de consensu Curati hoc factum est. Ideò tutiùs est petere licentiam

Digitized by Google

tiam. Expedit etiam, ut talis in Anno semel se præsentet Curato suo pro Sacramento suscipiendo & obedientia impendenda; alioquin Curatus posset negare Eucharistiam.

Quid si Curatus nollet credere?

Respondetur, quòd cuilibet in Foro conscientiæ, seu Confessionis, credendum est pro se, & contrà se, nisi in casibus publicis, quoniam aliter Curatus non posset certificari, etiamsi sibi fieret Confessio.

Quid si Confessor erret in absolvendo plus quàm potest?

Respondetur, quòd si errat bona fide, & nesciat impedimentum, securus est. Si autem sciat, non ritè absolvitur. Si etiam postmodùm sciat impedimentum fuisse, tenetur, ut plurimùm, iterùm confiteri. Dare verò regulam generalem quando sic, & quando non, est prolixum nimis, atque difficile. Felix ablutio pedum per Confessionem, quæ ita fit *opportunè*, *integrè*, *non fictè* & *secretè*, & *à suo judice*. Sed væ sordibus abominabilibus aliquorum, & ineluibilibus, quos in apertum Confessionis venire, & palpari, vel tangi, immò vel videri, non permittunt quatuor pestes improbæ; *pudor*, *timor*, *præsumptio*, *desperatio*. De pudore habemus in Tobia, cui volenti lavare pedes occurrit piscis volens eum devorare. Quid piscis in aqua latens, nisi pudor occultus? Sed suffocandus est pudor talis, & ad multa tandem utilis invenitur; ad cibum contra dæmonium, & ad visum. Applicationem non prosequor. Ceterùm scabies sic latet in aliquibus, ut se scabiosos non credant, dicentes: quid ego feci? Sum ego fur, vel homicida? Hoc contingit etiam illis qui devoti reputantur, quia latet superbia, subtile malum, quæ non permittit devenire in cognitionem peccatorum, contrà quod orabat Propheta: *Illumina oculos meos*, &c. Ps. XII. 4. Expertus sum de multis, & in multis qui per quatuor, aut tres Annos fuerunt in peccatis gravissimis, quamvis ferè quotidiè confiterentur, &, ut erat sua opinio, pœnitebant. Quid ergo erit de non recogitantibus Annos suos in amaritudine animæ suæ, si recogitantibus sedulò talis cæcitas eveniat? Quem non exterreat quod dicit Apostolus: *Nihil mihi conscius sum*, &c. 1. Cor. IV. 4.

Amplius verò præsumptio, seu repromissio nequissima decipit plures habentes vocem corvinam, cràs, cràs; converti poteris cùm voles. Hæc vox innumera hominum millia & perdidit, & perdet, quia

Qui non est hodiè, cràs minùs aptus erit.

Postremò vidimus desperationem in Juda, & Cain, & quibusdam aliis. *Migrat Judas*, id est, Confessio servus optimus, *propter multitudinem, & afflictionem, servitutis*, Thren. I. 3. quia scilicet, quotidiè fit reïteratio peccatorum quæ Judas abluere tandem refugit, & desperat. Abjiciamus hæc impedimenta, quia Dominus etsi rem grandem nobis diceret, benè facere debueramus; quantò magis quia dicit cuilibet nostrum, *vade, & lavare septies*, id est, perfectè. 4. *Reg.* V. 10.

CONvertamus postremò oculos nostræ considerationis ad extersionem, quæ fit per manum Satisfactionis. Hæc quidem extersio habeat asperitatem, seu pœnalitatem, habeat rationabilitatem, habeat claritatem, habeat celeritatem.

Proposueram secundùm hæc quatuor quædam differere salubria de modis injungendi Satisfactiones, ut nec graves sint, nec importabiles, nec publicæ pro peccatis secretis. Nec dentur invitis, aut si non fieri credantur; quia melius est cum parva pœnitentia, & quasi nulla, ducere homines in Purgatorium, quàm cum forti quæ non fiet, opprimere, & detrudere in Infernum. Nec exigantur irregulariter juramenta, aut promissiones, de hoc, vel hoc faciendo; sed magis omnia in monitione, atque consilio. Denique saluberrimum est inducere homines, ut adversitates, & labores hujus vitæ accipiant in patientia, & bona gratiarum actione; quoniam per hoc poterunt efficaciter, ut crebrò, satisfacere de peccatis suis, & gratiarum augmenta promereri: fiat virtus de necessitate. Sunt autem sordidæ transgressiones aliquæ quæ vix ad fundum possunt extergi. Exemplificemus in quatuor. Primò corruptio aliorum in moribus, super quo accipite quid Berengarius moriens in die Epiphaniæ dixerit: *Hodiè mihi apparebit Dominus meus Jesus Christus, vel ad gloriam, sicut spero propter pœnitentiam meam, vel ad damnationem, sicut formido propter aliorum corruptionem quos ad viam veritatis reducere non potui.* Horreant, & caveant hi qui ad similitudinem dæmonum gaudent alios secum trahere ad interitum, præsertim juvenes, & pueros; tales nescio si potuerunt unquàm satis pœnitere; sufficere eis debuerat damnatio propria. Quid de malis exemplis magnorum, & literatorum virorum?

Alterum est vitium quod vix suscipit Satisfactionem, & extersionem, scilicet injustum bellum in temporalibus, & injustæ promotiones in spiritualibus, undè oriuntur mortes tàm temporales, quàm spirituales. O felices quos Deus tollit extrà necessitatem, aut periculum talia faciendi, ut nec injustè militent, aut militare consulant. Inferimus adhuc tertiò injustam patrocinationem quæ dolis & astutiis tollit hereditates aliorum, quia fit vix conscientia, vel restitutio super istis. Et adhuc insanabilior est injusta diffamatio quæ debitam vitæ civilis famam aufert.

Postremò ponimus pompositatem statûs, ut per simoniam, vel rapinam, aut usuram; quia vix potest fieri cessio ut descendat quis à statu alto, quamquàm damnabilissimo, in bassum, debitum, & tranquillum. Tanta est humani cordis arrogantia, ut se, & suos plures damnari citiùs patiantur, quàm humiliari; quòd si non esset, non tantùm durasset hoc execrandum, & exitiabile schisma pestiferum.

Tandem epilogantes oremus ut lavet nos Christus, quatenùs partem secum habeamus. Lavet autem per ministerium Pœnitentiæ quæ hauriat primùm aquam contritionis calidam, mundam, amaram, & vivam. Secundò abluat per manum Confessionis oportunè, integrè & non fictè, secretè & suo ordine, hoc est, sub suo Judice; nec obstent quatuor pestes, pudor, timor, præsumptio, desperatio. Extersio demùm fiat, quæ habeat asperitatem, rationabilitatem, claritatem, celeritatem, subtrahentes nos à voraginibus peccatorum, quæ nos in alienas manus per injurias præcipitat, à quibus vix unquam possumus emergere. Sic mundi erimus, & in cubili conscientiæ nostræ tranquilli, habentes partem exuberantissimam cum Christo, hìc per gratiam, & in spe, & postmodùm in re per gloriam, cujus nos participes efficiat. *Amen.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPUSCULUM DE INDULGENTIIS.

Ad MSS. Codd. Vict. 699. & M. Targny.

QUÆCUNQUE alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis. Et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlis. Matth. XVIII. 18. Collata est autem potestas hæc hìc promissa, dum post Resurrectionem Christus apparens Disci-

Digitized by Google

Discipulis suis, insufflavit in eos & dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Joan. xx. 23. Specialiter autem, & excellenter, data est ista potestas clavium Ecclesiæ promissa prius Petro ibi: *Tibi dabo claves Regni cœlorum.* Matth. xvi. 19. dùm post Resurrectionem ter interrogatus de dilectione dixit Christus sibi ter respondenti, quòd eum diligeret: A *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joan. xxi. 15. 16. Fundaverat autem Christus potestatem alligandi juridicè per Excommunicationem, dùm dixerat: Quòd *si Ecclesiam non audierit*, &c. Matth. xviii. 17. Fundatur denique super præmissis potestas omnis Indulgentias conferendi. Super quibus quia varii variè tradiderunt, placuit sequentes annotare pauculas Considerationes.

Consideratio Prima.

Potestas clavium Ecclesiæ juridicialis, & forinseca non extendit se simpliciter, & directè ad remissionem culpæ. Ratio, quia requiritur Sacramentalis Confessio, & Absolutio ad hujusmodi remissionem, quæ scilicet Confessio non fit in publico, & judiciali Foro.

Consideratio Secunda.

Potestas clavium judicialis, & publica non extendit se principaliter, & directè ad diminutionem pœnæ, nisi illius quam inflixit, aut infligere potuit, cujusmodi sunt pœnæ Excommunicationum, & quarumcunque Irregularitatum, inhabilitationum circà legitimos actus Ecclesiasticos, aut civiles. Ratio quoad partem quæ excipit, & affirmat; quia *cujus est condere, hujus est destruere*, vel *interpretari*. Sed negativa patet per idem argumentum à contrario sensu deductum.

Consideratio Tertia.

Potestas clavium Ecclesiæ super Indulgentiis concedendis, modis quibus consuevit uti Ecclesia, vel Ecclesiæ Prælati, à summo usque deorsum, per connotationem Annorum, quadragesimarum, & dierum præsupponit necessariò remissionem, vel Indulgentiam in C Foro secreto conscientiæ, seu Confessionis Sacramentalis, de facto, vel in voto, seu proposito, & sæpiùs in facto, juxta tenorem Bullarum, quibus inseritur hæc clausula, *verè pœnitentibus, & confessis*, nisi collator Indulgentiarum intendat hoc satis esse quòd homo sit in charitate contritus, scilicet cum proposito, suo tempore, & loco faciendi Confessionem actualem. Est autem ista favorabilior interpretatio.

Consideratio Quarta.

Potestas clavium Ecclesiæ Sacramentalis, & in Foro conscientiæ, eminentior est, utilior, & eligibilior in collatione & consecutione Indulgentiarum, quàm potestas sola judicialis. Ratio patet ex præcedentibus; quoniam sine Confessione Sacramentali de facto, vel in voto, seu proposito, nulli dies Indulgentiarum, vel à pœna, vel à culpa, sortiuntur effectum.

Consideratio Quinta.

Solus Papa supremus, scilicet Christus, cum Patre, & Spiritu sancto, potest dare plenaria autoritate Indulgentiam omnimodam à pœna, & culpa, quam dum confert, dat innumerabiles, & infinitos Indulgentiarum dies. Ratio, quia vel absolvit, & quitat totam pœnam debitam peccato mortali, sive sit originale, sive actuale. Et hæc quidem est infinita extensivè, atque durativè. Aut si mutat Christus pœnam illam debitam mortali æternam in temporalem, patet adhuc quòd hujusmodi remissio se extendit ad infinitos dies Indulgentiarum, si tales dicere possumus dies infinitos, vel æternos, juxtà illud: *Annos æternos in mente habui.* Ps. lxxvi. 6.

Consideratio Sexta.

Solus Papa Christus gratis, & absque merito alio quàm suo, facit hujusmodi commutationem pœnæ æternæ in pœnam temporalem, vel in plenam Absolutionem. Ratio, quia si talis remissio fieret ex merito illius cui remittitur, ipsa non esset jam purè gratuita, sed quodammodò debita, vel ex operibus vendita: nos autem hoc intelligimus de merito condigni.

Consideratio Septima.

Solus Papa Christus in justificatione impii priùs natura infundit gratiam, quàm remittat culpam. Priùs insuper dimittit reatum pœnæ æternæ per infusionem hujusmodi gratiæ, quàm homo mereatur à peccato resurgere, vel ab hoc reatu liber esse. Quocircà non satis advertebant qui dicebant, primum actum Contritionis post peccatum esse plùs incomparabiliter meritorium, quàm aliquem posteriùs elicitum: fundantes se B in hoc, quòd Contritio prima merebatur liberationem à pœna æterna, & consecutionem vitæ æternæ, non ita autem actus Contritionis sequentes merebantur hujusmodi remissionem, quia jam facta erat.

Consideratio Octava.

Solus Papa Christus potest illam tot dierum, & Annorum mille millium Indulgentiam concedere, qualis posita reperitur in diversis concessionibus Summorum Pontificum, vel aliorum, sub variis temporibus, locis, & causis. Et fortè talis enormitas concessionis ab aliquibus quæstuariis, aut aliter malè motis, conficta est.

Consideratio Nona.

Indulgentiarum concessio rationalis præsupponit primò in conferente autoritatem à Christo fundatam, & in Evangelio, vel ex ipso explicatam. Secundò idoneitatem ad impletionem conditionis appositæ in Indulgentiis, ut quòd sit verus contritus, aut confessus, & faciat hæc, aut ista, &c. Præsupponit tertiò causam concessionis, seu distributionis hujusmodi Indulgentiarum legitimam, clave scilicet Ecclesiæ non errante, neque Christo reprobante; ubi tamen non certa, & evidens notitia requiritur, sed æstimatio bonæ fidei, & probabilis conjectura, quemadmodùm in distributione thesauri materialis de Fisco Regio, vel Ecclesiastico, Papa, vel Rex, vel alius distributor attenderet.

Consideratio Decima.

Indulgentiarum concessio per tot millia, nedum dierum, sed & Annorum, videtur difficulter salvabilis post remissionem æternæ pœnæ, & commutationem in D temporalem. Constat enim, quòd nec homo singularis in hac vita potest, aut debet ad tot Annos obligari pœnitentiam agere, cùm non victurus sit per millesimam partem tot Annorum, & nemo ad impossibile obligetur. Constat prætereà quòd dum mundus finem habebit, cessabit Purgatorium, & ex consequenti dies pœnarum suarum.

Consideratio Undecima.

Indulgentiarum concessio non extendit se ad pœnas, ex

Digitized by Google

ex corruptione naturæ contractas per peccatum originale. Certum est enim, quòd Papa non absolvit à siti, à fame, ab infirmitatibus, & à morte. Extendit igitur se hujusmodi Absolutio ad pœnas pœnitentiales supradictas, & infligendas justo pœnitentialis satisfactionis judicio pro peccatis actualibus, vel hìc, vel in Purgatorio, quoniam in Inferno nulla redemptio. Utrùm verò claves Ecclesiæ se possint extendere non solùm super terram, sed sub terra in Purgatorio, maximè quoad remissionem pœnæ, aut venialis culpæ, aut Excommunicationis priùs latæ, dum viveret reus nunc existens in Purgatorio, sunt opiniones ad utramque partem probabiles. Et favorabile est dicere quòd sic, saltem per indirectum, propter communionem in charitate. Sed non debet aliquis sic inniti Indulgentiis concessis in toto, vel in parte, à pœna, & à culpa, quin studiosus sit satisfacere per se, & alios, hìc in vita.

Consideratio Duodecima.

Indulgentiarum concessio non est parvipendenda, seu contemnenda; sed amplectenda devotè in Fide, Spe, & Charitate Domini nostri Jesu Christi, qui potestatem talium clavium Ecclesiasticarum dedit hominibus. Constat enim, quòd fructuosior est, & acceptabilior Deo & hominibus, operatio talibus innitens Indulgentiis, quàm altera hujusmodi non innitens (& hoc verum est, ceteris paribus.) Consilium est igitur sobrium, & sanum, quòd absque curiosa discussione de præcisa, vel evidenti & certa quantificatione, seu mensuratione hujusmodi Indulgentiarum studeat homo pius tales acquirere secundùm qualitatem suæ vocationis: pondus autem valoris illi relinquere qui omnia facit, & fecit in numero, pondere, & mensura. Postremò concedentes Indulgentias, taliter, & intentione, & in verbis, vel in scriptis, suas concessiones moderentur, ut nec divinæ justitiæ cum misericordia derogetur, nec scandalum maximè pusillis præbeatur, vel ne facilis concessio majoris Indulgentiæ pro minimis, vel exiguis causis pariat in arduis, & legitimis, pro Ecclesia, vel Republica negotiis detrimentum.

Consideratio Decima tertia.

Si quis petit pro se, & perseveranter, & piè, hoc est ad salutem, & ex charitate, efficax est ejus oratio. Patet hoc ex regula magistrali, quæ fundatur super hoc verbo Christi: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Joan. XVI. 23.

Consideratio Decima quarta.

Si quis petit Indulgentiam peccatorum fieri sibi in hac vita potiùs quàm in Purgatorio, ritè petit & piè, quoniàm pœna Purgatorii longè gravior est, quàm præsens quælibet, & minùs habens, immò nihil habens de merito. Deducitur ad hoc petitio Psalmistæ notans de triplici Foro judiciali, seu punitivo. *Domine, ne in furore tuo arguas me*, Psal. IV. 1. 2. quoad Infernum, ubi regnat horrenda & quodammodò furiosa justitia propter effectum, non ob judicantis affectum. *Neque in ira tua corripias me.* Psalm. VI. 1. quoad Purgatorium, ubi sedet justitia quodammodò rigorosa, & irata. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum*, Ps. L. 1. quoad præsentem vitam, ubi sceptrum tenet & Thronum gratiæ, dulcis misericordia.

Consideratio Decima quinta.

Si quis petit Indulgentiam peccatorum suorum fieri in hac vita ex charitate, & perseveranter, obtinebit utique, & moriens statim evolabit ad cœlum. Sequitur ex præcedentibus, quia vel per martyrium, vel aliis modis Deo cognitis purgabitur in hac vita, & longè mitiùs quàm in altera puniretur; simul & præmium essentiale per patientiam merebitur augmentari.

Consideratio Decima sexta.

Si quis petit dilationem satisfactionis suæ fieri non in hac vita, sed in Purgatorio, potest hoc contingere culpabiliter propter debilitatem Fidei de pœnis Purgatorii, aut quia nimis amat delicias, divitias & honores vitæ præsentis, vel quia plus debito asperitates exhorret. Si verò veniat hæc petitio ex consideratione fragilitatis propriæ, & debilitate suæ patientiæ in adversis, ne succumbat, & peccet, tolerabilis videtur esse timor iste, licet imperfectus sit, & non omninò excusabilis; quia quodammodò diffidit de Deo quòd non tolerabiliter secum ageret, neque quòd daret debitam patientiam. Colligitur autem ex hac consideratione quædam ratio moralis, & Theologica, cur viri sanctissimi tot flagellis atteruntur in hac vita, quia confidentes in Dei misericordia, quòd *faciet eis cum tentatione proventum*, 1. Cor. X. 13. petunt hìc puniri, & non in finem peccata scilicet etiam venialia differri purganda, quorum Deus petitionem exaudiens commutat sententiam, & pœnam Purgatorii in pœnam temporalis hujus exilii, & in augmentum essentialis præmii, scilicet cum acceleratione Paradisi. Hinc est illud Augustini: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Notetur de Mauritio Imperatore, qui pro excessibus suis elegit in præsenti puniri, & proditoriè cum uxore sua & liberis occisus est, qui dùm viveret omnibus diebus suis Gregorium Papam Sanctissimum omni genere tribulationis persecutus est, ut videri potest in vita ejusdem sancti Gregorii. Sic aliqui justi vivunt, & moriuntur ignominosè quoad mundum, sed mors justi subita quam præcessit bona vita, non minuit ejus merita, si moriatur in sua justitia. Propterea nil temerè judicandum. Certissimum enim signum Indulgentiæ salutaris est, bona facere & mala pati.

Subduntur aliæ Considerationes ejusdem pro amplificatione materiæ super Indulgentia peccatorum.

Ad eosdem Codd. MSS. Vict. 699. & M. Targny.

Consideratio Prima.

Eligibilius est, orare pro vivis quàm pro mortuis, ut liberentur vivi ipsi à culpa, & perseverent in gratia. Accipitur autem hoc loco oratio nomine generali pro omni adjutorio spirituali, quale intelligitur fieri tribus modis. Per amicabilem intercessionem, per meritoriam actionem, per recompensatoriam satisfactionem. Patet ista consideratio, quia mortui sunt extrà terminum vitæ; qui si sint in Purgatorio, vel in cœlo, non indigent liberari à culpa, maximè à culpa mortali, & sunt in gratia confirmati; damnatis verò non prodessent.

Consideratio Secunda.

Eligibilius est orare pro mortuis existentibus in Purgatorio, ut liberentur à pœna, quàm pro vivis. Ratio est, quia plus indigent, quia minùs se juvare possunt. Recompensabunt prætereà, cùm eis benè fuerit in gloria, quando habebunt vocem in cœlo. Denique non potest pro ipsis esse talis oratio frustrà, cùm sint in gratia; cùm prætereà fiat ex sua jussione, vel ordinatione speciali. Multi rursùs ita sibi fieri metuerunt dum adhuc hìc essent in via, bona sua argiendo, & ita de pluribus causis, seu motivis. Porrò amicabilis intercessio spectat maximè ad Sanctos in glo-

Digitized by Google

gloria, qui sunt extrà statum merendi, & satisfaciendi. Sed meritoria actio pertinet ad solos viatores. Recompensatio similiter satisfactoria spectat ad eos tàm pro vivis, quàm pro mortuis qui participes esse possunt. Expedit demùm, ut omnis oratio nostra Ecclesiæ communioni se conjungat.

Consideratio Tertia.

Eligibilius est homini viatori procurare sibi juvamen spirituale & speciale in vita sua, ut liberetur à culpa, & pœna, quàm expectare per fundationes, aut alia pia Testamentorum legata post mortem, quòd talia sibi fiant. Ratio est quia post mortem talia ei ad aliud non proderunt, nisi quòd liberetur à pœna, si sit in Purgatorio. Nunc autem, dùm vivit, sibi prodesse possunt ad remissionem culpæ, & inventionem gratiæ, necnon ut in gratia finaliter perseveret. Rursùs quia liberalius & difficilius est dare in vita, quàm relinquere post mortem distribuendum.

Consideratio Quarta.

Eligibilius est, ceteris paribus, agere opus satisfactionis ex charitate pro vivis, aut mortuis, quàm opus solùm meritoriæ actionis, aut amicabilis intercessionis. Patet quia satisfactio includit tria simul, & non è contrà. Juncto quòd opus meritorium, simul & satisfactorium, non minùs meretur de præmio essentiali, vel augmento gratiæ, ex hoc quòd est satisfactorium pro certa liberatione à pœna, quàm si non esset alicujus pœnæ deletivum; alioquin non expediret satisfacere, si in diminutionem gloriæ quæ incomparabiliter melior est quàm à pœna, liberatio verteretur. Additum est, *ceteris paribus*, quoniam opus meritorium non pœnale, & per consequens non satisfactorium, ut sic, posset fieri cum majori charitate, & circunstantiis aliis meliorantibus actionem, quòd liberatio à pæna non æquivaleret augmento gratiæ in præsenti, vel gloriæ in futuro.

Transferentur hæ considerationes ad omne genus suffragiorum, etiam illorum quæ habent efficaciam ex vi operis operati, ut in Sacramento Missæ. Concluditur insuper ex præmissis, quòd non semper eligibilius est acquirere Indulgentias pro liberatione à pœna, vel satisfactione, quàm aliis operibus bonis vacare, dum tamen possint fieri cum majori charitate. Et ita similiter dicetur de operibus vitæ activæ, ut de jejuniis, aut aliis afflictionibus pœnalibus, & tamen satisfactoriis. Patet iterùm fatuitas illorum qui solo intuitu lautæ sustentationis habendæ, se onerant operibus satisfactoriis pro alienis: Secùs si ex magna, & sola charitate proximorum hoc faciunt: & dum sentiunt se utiliùs, & accommodatiùs juxtà vocationem suam occupari circà talia opera, quàm circà puras & altas meditationes, & excessus mentales, qui paucorum sunt valdè: aut subindè quia sunt obligati propter receptionem sustentationis corporalis per Fundatores, vel alios ad talia exercenda. Collige ergò, quòd Indulgentiæ peccatorum proveniunt multis modis. Primò per satisfactionem propriâ voluntate factam. Secundò per satisfactionem propria in Confessione susceptam. Tertiò per satisfactionem per alium pro se persolutam in corpore, vel in donis; præsertim cum autoritate commutantis. Quartò per Indulgentias Ecclesiæ, seu Prælatorum. Quintò per communicationem suffragiorum communium, sicut in Monasteriis, & Ecclesiis. Sextò per patientiam in adversis, cum obsecratione quòd in partem suæ Purgationis convertantur: nam Dominus in tribulatione peccata dimittit. Septimò per omne opus ex charitate factum, quamvis spectet ad contemplationem, si jungatur intentio, vel oratio, quòd valeat ad Indulgentiam peccatorum. Sic enim dictum est de Maria Magdalena, quia *dimissa sunt ei peccata multa quia dilexit multum*. Luc. VII. 47. Et ad servum. *Omne debitum* inquit *dimisi tibi, quia rogasti me.* Matth. XVIII. 32. Valet octavò vehementer omne opus misericorditer proximis impensum, secundùm opera misericordiæ, tàm spiritualia, quàm corporalia, quorum quælibet ad septenarium rediguntur. Sic enim dictum est: *Date, & dabitur vobis, dimittite, & dimittemini.* Luc. VI. 36. 37. Postremò pietas gratuita Dei, Sanctorum que suorum, prevenit, & confert sæpè Indulgentiam qualem nullis præcedentibus meritis haberemus, innitendo eis.

Hîc finitur iste Tractatus in MS. Cod. Vict. 699. & M. Targny.

Hoc semper supposito, quòd supremus Papa Dominus noster Jesus Christus has Indulgentias certificabit, & confirmabit. Qui nos semper dirigat, & conservet in operibus Mandatorum suorum. Qui cum Deo Patre, &c.

Opusculi de materia Indulgentiarum Finis.

VERSICULI
SUPER MATERIA
INDULGENTIARUM.

MS. Victorinum habet

SUPER COLLATIONE
INDULGENTIARUM
Anno 1428.

Ex MS. Cod. Vict. 137.

Arbitrio Papa proprio si clavibus uti
Possit, cur finit, ut pœna pios cruciet?
Cur non evacuat loca purgandis animabus
Tradita? sed servus esse fidelis amat.
Deserit ergò fidem malè dispensans, neque prudens
Clavibus usus inest, dans, capiensque tremant.
Profectus certè est magnus, benè clavibus uti,
• Quando fit hoc, semper unctio sola docet.
Charus in Ecclesia thesaurus, & utilis adsit:
Quem dat larga manus, prodiga crimen habet.
Civibus Angelicis nequit hic mandare viator.
Commendare potest, orat ut Ecclesia.
Impie, pœniteas, tunc Indulgentia fiet
Infinita tibi, pœna brevis superest.
Pœna tamen gravis est, cautus relevare studebis;
Divitiis sparsis, muneribusque piis.
Dans aliquod munus, vis Indulgentia prosit:
Proderit, & nulla dona Deo pereunt.
Paucula sunt dona, sunt de rebus perituris.
Accipies cœlis præmia perpetua.

Glossula. • *Charus in Ecclesia.* Notatur hîc triplex conditio concurrere debens in largitione Indulgentiarum non prodiga, quòd non veniant in contemptum, quòd sint ad publicum profectum, quòd non sonent turpem quæstum. Undè quoad secundam causam pauper ex eadem charitate dat denarium, sicut dives dat talentum; licet meritum essentialis præmii sit æquale in ambobus, non tamen oportet hoc de præmio accidentali remissionis pœnæ debitæ peccato. Et in hoc potest esse conditio divitis melior. Juxtà illud: *Redemptio animæ viri propria divitiæ.* Fundatur etiam positio, quòd actus exteriores possunt addere super meritum interius & essentiale, meritum accidentale, multis modis, & causis hîc omissis. Videtur modus loquendi in forma Absolutionis cautus esse, licèt non multum clarus, dum additur in fine, quantùm claves Ecclesiæ se extendunt. Et hoc ideo fortè dicitur, propter tres causas modo dictas. *Finis.*

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Pariſienſis,

QUÆDAM

ARGUMENTATIO

Adverſus eos, qui publicè volunt dogmatizare, ſeu prædicare populo, quòd, ſi quis audit Miſſam, in illo die non erit cæcus, nec morietur morte ſubitanea & talia multa.

Ad MS. Codd. Vict. 137.

MULTIPLICITER inconveniens eſſe videtur prædicare populo, quòd, *ſi quis audit devotè Miſſam in die, non erit cæcus illo die, nec morietur ſubitò, nec carebit ſuſtentatione ſufficienti corporalis vitæ.* Et ita de quibuſdam bonis temporalibus.

Primùm, quia hoc eſt temerarium, & ſuperſtitioſum aſſerere. Nam ſtat antecedens verum, conſequente exiſtente falſo. Stat enim, quòd quis audit Miſſam devotiſſimè, & tamen juſto Dei judicio illo die ſubitò morietur, vel ad ſalutem ſuam, quia placita erat Deo anima illius, vel ad damnationem; quia fortè poſtmodùm ſtatim peccavit, & ab inſidiatoribus occiſus eſt, vel apoplexia percuſſus: ſic argueretur de quocumque alio bono temporali. Ampliùs ſtat, quòd bona illa de quibus ſermo, ſint alicui homini in detrimentum ſuæ ſalutis, & mala oppoſita in bonum ſuum. Ergò dicere quòd Miſſa univerſaliter conferat illa bona, eſt dicere quòd in caſu Miſſa devotè audita operatur in præjudicium ſalutis æternæ. Pro hoc facit, quod dicit Auguſtinus, *multos in petitione proſperitatum exaudiri à Deo irato*; & patuiſſet in Apoſtolo, de ſtimulo carnis: & in pueris quotidiè cernimus, verbera eis in bonum provenire. Rursùs quæritur, ſi nox includatur in die? Et ſi ſic; ſtabit, quòd per auditionem Miſſæ quotidiè de viginti quatuor in viginti quatuor horas poteſt aliquis diſpoſitiſſimus ad cæcitatem vel ad apoplexiam, remanere ſemper videns, & nunquàm de apoplexia moreretur. Si dicatur, quòd non includitur nox, oſtendatur ratio. Item taliter prædicare, eſt ad judaïzandum inducere populum, dùm pro ſolis temporalibus commodis Miſſam audiet, aut principaliter hoc faciet.

Ceterùm eſt dare occaſionem irriſionis Sacramenti, & ſcandali verbi Dei; quoniam ſi aliquis qui audit Miſſam, in die cadat in aliquod prænominatorum inconvenientium, ſtatim videntes acclamabunt, quòd falſum eis prædicatum eſt, aut judicabunt fratrem ſuum, dicentes eum non devotè Miſſam audiviſſe. Utrumque eſt inconveniens & malum: quare &c.

Porrò quæritur, quare plus operatur auditio Miſſæ prædicta bona temporalia, quàm alia quæcunque; & ſuper qua ratione fundatur hæc Aſſertio. Non ſuper ratione naturali, ſicut conſtat; non enim Medici hoc dicerent. Nec ſuper atteſtatione Scripturæ ſacræ & authenticæ, ſicut eſt de effectibus purificantibus ſufficiens fundamentum, quod in non ponentibus obicem, cauſatur gratia in Sacramentorum ſuſceptione. Convincitur ergo ſuperſtitioſum, frivolum, & vacuum; immò nocivum talia & taliter aſſerere. Denique poteſt evenire ſæpius quod mulieres oneratæ menagio; aut pauperes alii peccarent audiendo Miſſam diebus feriatis, occupando tempus, eundo fortè per dimidiam leucam ad Miſſam, quòd videlicet ea ad quæ tenentur, quamvis minora bona ſint, obmitterent. Sed & nulla poteſt veriſimilitudine colorari unum quod circà hoc dictum fuiſſe refertur, non ſeneſcere hominem pro tempore quo Miſſam audit, vel eidem intereſt, nec indiget hoc reprobari. Si fortè dicatur, quod aliqui Sanctorum ſic dixerunt, ut Auguſtinus. Primò reſpondetur quòd illud quod ex ſacra Scriptura vel ex ratione fundamentum non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur: ſed iſta Aſſertio eſt hujuſmodi, quod nec ex ratione, nec ex Scriptura ſacra, robur habet; immo potiùs ratio, & ſacra Scriptura hanc Aſſertionem impugnant. Ultra dicitur, quòd ſi quis Doctorum reperiatur in Libris authenticis ſuis publicis & receptis, & non in ſchedulis quibuſdam confictis & incertis, & apocryphis talia poſuiſſe, piè, & reverenter gloſſandus eſt, & nullo modo crudè & nudè populo annunciandus, propter cauſas dictas & ſimiles. Dare verò robur & pondus autoritatis & allegationis in ſermone publico & à perſona authentica talibus ſchedulis incertis, & non receptis per Eccleſiam eſt periculoſiſſimum, & ad errores innumerabiles inductivum. Nam quilibet pro libitò tales poteſt fabricare, ſicut fit in intitulationibus quibuſdam Orationum; quòd ſi quis eas dixerit, habebit talia & talia temporalia. Quæ intitulationes ut communiter falſæ ſunt & ſuperſtitioſæ & delendæ & malè confictæ; vel à Scriptoribus propter quæſtum, vel à quibuſdam volentibus ſcriptis ſuis dare gloriam & permanentiam; vel ab hæreticis vel à melancholicis putantibus de ſomniis, quòd ſint revelationes.

Deinceps per Prædicationem, qualis dicta eſt, populus qui eſt proniſſimus ad ſuggeſtiones, curioſitates & ſortilegia, credenda redditur proclivior; dùm talia palàm accipit in Sermonibus, in quibus Fides recta ſolidè & nudè prædicanda foret, & in ea populus nutriendus plùs quàm in fabulis anilibus. Eas itaque avidiùs audient & relatoribus applaudent longè magis quàm prædicantibus veritatem; & hoc propter corruptionem virtutis rationalis, & incurvationem ejus in errores; ſicut patet in pueris. Sed Prædicator verus non applauſum ſuum quærit, ſed populi profectum: nec attendit quid delectet inutiliter; ſed quid proficiat ſalubriter. Forſan opponetur de quibuſdam Sanctis, apud quorum memorias fiunt preces pro certis infirmitatibus depellendis, plus quàm de aliis.

Reſpondetur, quòd in multis talibus errorem populi Prælatorum negligentia nimis invaluiſſe permiſit. Nam & quædam imagines adorantur ab eis præ ceteris; ut quòd antiquiores vel pulchriores; eas tamen conſtat nullius eſſe virtutis; & innumerabilia ſunt talia, quæ ſibi populus confingit, ſi dimittatur ambulare in adinventionibus ſuis. Ceterum in hoc caſu, qui apponitur non fit Aſſertio generalis, quòd qui requiret talem Sanctum de tali infirmitate, indubitanter ſanabitur: hoc enim eſſet falſum & ſuperſtitioſum & temerarium; nec Eccleſia poſſet hoc ſtatuere; nec unquàm aliquis ſobriè loquens ſic intellexit generaliter, & hoc propter rationes prætactas & ſimiles. Datur verò rationabiliter pia ſpes ſeu credulitas; quòd ſi quis ergà talem Sanctum orationem ſuam fecerit, Sanctus ille erit interceſſor ſuus ergà Deum; & ſi expediat ſaluti ſuæ, nec aliundè ponat obicem, exaudietur. Provideatur tamen diligenter, ne in modo orandi ponatur aliquid ſuperſtitionis admixtum; ut quòd dicatur talis numerus Orationum, ſub tali forma & in tali ſitu & in tali ordine. Alioquin tota Oratio nihil haberet utilitatis; ſiquidem iſtud aſſerere ſemper eſſet vanum & ſuperſtitioſum; quoniam Sancti non moventur talibus obſervationibus, ſed pia mens & pius orantis affectus, atque devotio, exauditionem operantur &c. Iſtud dictum ſit ad rememorationem & attentionem eorum qui forſan aliter prædicaverunt, vel ſic prædicaſſe judicantur; quatenùs data occaſione ſapienti, eum ſapientiorem efficiat, & ſanet eâ linguâ

Digitized by Google

plagam in cordibus populi, quâ intulisse putatur, ut verum sit illud: *Una manus vobis vulnus opemque feret.* Nec æstimetur ab aliquo scriptum hoc esse detractionis, ac mordacitatis causâ, sed piæ æmulationis; sic Deus scribenti misereatur; sic errores suos talibus commonitionibus aut taliter, corrigere semper velit, & dignetur. Amen.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

MODUS QUIDAM,

Quo certis ex causis

ROMAM

ire non valentes

IN

ANNO JUBILEO,

Spiritualiter peregrinationem eamdem perficere possint.

Gallicè in Cod. MS. Victorino 286.

SCIENDUM est iter, aut peregrinationem ad Romam usque proficiscendi, in memoram fieri remissionis, atque plenariæ veniæ quæ in veteri Lege quinquagesimo fiebat Anno, & quòd Spiritus Sanctus quinquagesimo post Resurrectionem die missus fuit, die videlicet Pentecostes. Quià etiam à Francia Romam eundo, sunt circa trecenta quinquaginta leucæ, quæ in quinquaginta perficiuntur diebus, die quolibet decem perambulando milliaria. Sunt autem dicti quinquaginta dies septimanæ septem grandia significantes mysteria, secundùm quod varia reperiuntur septenarium numerum servantia. Ut in speciali septem sunt virtutes, tres Divinæ, & quatuor Cardinales. Septem sunt etiam dona Spiritus Sancti, septem Sacramenta, septem Beatitudines, septem denique ipsius *Pater noster* Petitiones. Et omne hoc contrà septem mortalia prodest peccata, quia etiam Deus in septem diebus omne opus suum complevit.

Primùm, ponere quis se in talem debet statum, in quò mori auderet, aut Dominicum Corpus sumere; estque enitendum, ut status hic benè conservetur. Item dicendum est unoquoque die pro leuca qualibet *Pater noster* in bona devotione, & diversis quidem horis, quò meliùs attendatur, & frequentior peregrinationis susceptæ habeatur memoria, præcipuè manè, & vesperi. Valet etiam hoc ad decem Præceptorum Legis significantiam. Item post quinquaginta dies, veluti si quis jam Romæ esset, assumendus est status supradictus, & fient per dies septem veluti septem visitationes, & peregrinationes; secundùm septem Romæ principales Ecclesias, Sancti Petri, scilicet, Sancti Pauli, Sancti Joannis, Sancti Sebastiani, Sancti Laurentii, Sanctæ Crucis, Dominæ nostræ. Et hæc faciendo orare debet persona, ac si præsens esset se reconciliare Deo, & Sanctis, & veniam petere ab unaquaque persona, secundùm quod Deus eam docebit. Item redeundo fieri potest, ut eundo, *Pater noster* videlicet sua dicendo. Item si persona hoc modo peregrinationem faciens dives fuerit, bona quoque illi sint sufficientia, facere potest die quolibet eleemosynas, loco expensarum quas inter ambulandum faceret. Item ipsa etiam potest singulis diebus aliquam visitare Ecclesiam, secundùm eam quam habet oportunitatem, & ibi Missam audire, aut suam facere devotionem. Item facere jujunia aliqua, aut abstinentiam, etiam secundùm quod fuerit ipsa devotio. Hoc modo peregrinatio hæc in quindecim complebitur septimanis, & esse potest in memoriam quindecim gaudiorum Dominæ nostræ. Et credo in bona fide, quòd hoc facere magnoperè proderit, & ampliùs quàm corporaliter eundo, ut plerique vadunt; ulteriùs nil affirmo. Item sciendum est, quamlibet personam, cujuscumque status fuerit, posse qualibet hora magnum Indulgentiarum acquirere numerum domi manendo, precando, & orando pro certis quibusdam rebus, & personis. Ut qui pro certis orat Dominis, ut pro Rege, & Regina centum habet dies, aut plures. Pro Pace Regni Franciæ, centum dies; & sic de compluribus vivis & mortuis, pro quibus datæ sunt Indulgentiæ oranti pro eis. Qui autem alio modo orare non novit pro supradictis rebus, & hominibus, dicat *Pater noster* pro omnibus simul, eâ intentione, ut velit omnibus illud bonum propter quod Indulgentiæ illæ, ac viæ concessæ fuere, & elargitæ.



JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI SECUNDI

PARS QUARTA.

CONTINENS

TRACTATUS

Qui ſpectant ad

MUNIA & OFFICIA

PRÆLATORUM, CLERICORUM,

aliorumque Fidelium.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS, DE STATIBUS ECCLESIASTICIS:

Egregia continens Præcepta de Officiis Summi Pontificis, Cardinalium, Prælatorum, Curatorum, & Previlegiatorum.

Huic subjunctus est Tractatus ejusdem ferè argumenti, de Officiis Laïcorum cujusvis conditionis.

Recognitus & emendatus ad MSS. Codd. Navarricum unum, San-Victorinum 694. & Colbert. 99.



Ax, quam omnes observare convenit cum omnibus, tamen maximè circà ministerium Religionis Christianæ, numquam solidiùs subsistit, quàm si veritate, & justitia, tanquam sororibus, fulciatur: nam si non in vera justitia, & justa veritate reddatur unicuique quod suum est, nonne schisma protinùs irrumpens pacem exturbabit? Audiamus idcircò sub brevium Considerationum numero quid status Summorum Pontificum, quid Prælatorum, quid Curatorum, quid Mendicantium possit quilibet de suo ministerio veraciter asserere; ne transgressio finium propriorum, seu dilatatio nimia separet justitiam ab osculo felici pacis, ac proindè lites fœdas, ut assolet, introducat.

SEX CONSIDERATIONES SUPER STATU SUMMI PONTIFICIS.

Consideratio Prima.

STATUS Papalis institutus est à Christo supernaturaliter, & immediatè, tanquàm Primatum habens Monarchicum, & Regalem in Ecclesiastica Hierarchia, secundùm quem statum unicum & supremum, Ecclesia Militans dicitur una sub Christo: quem Primatum quisquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Ecclesiastico statui particulari coæquare præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius, atque sacrilegus: cadit enim in hæresim totiens expresse damnatam à principio nascentis Ecclesiæ usque hodiè, tàm per institutionem Christi de principatu Petri super alios Apostolos, quàm per traditionem totius Ecclesiæ in sacris Eloquiis suis, & generalibus Conciliis.

A

Consideratio Secunda. Status Papalis licèt non omninò vacet, seu deficiat per mortem Papæ naturalem, vel civilem, nec per consequens Ecclesia definit esse una; nihilominùs eniti debent Christiani sub pœna schismatis, quòd in hoc statu constituatur, & præsideat assiduè unicus, & certus Summus Pontifex, quantùm fieri potest, pro loco, & tempore; sic quòd non est licitum scienter impedire quominùs sit unus talis Supremus Pontifex in Ecclesia, in quo sit Ecclesiasticæ potestatis plenitudo, & quòd non sint plures, in quo Ecclesiasticum regimen desinere esse posset Monarchicum, & in aliam Politiæ speciem, ut in Aristocraticam, aut in Timocraticam verteretur, quàmvis Papatus has Politiarum species non excludat, sed assumat, quemadmodùm de sacro Dominorum Cardinalium Collegio, & de generali Concilio videre est.

B

Consideratio Tertia. Status Papalis non eximit Papam à legibus purè divinis, quæ vel in Evangeliis, vel generalibus Conciliis positæ sunt. Et ex hoc consequenter patet, quòd Papa subjicitur Legi illi de correctione fraterna: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Matth. XVIII. 15. & Luc. XVII. 3. sic quòd potest fraternaliter corripi, dum peccat. Et si tandem nollet audire Ecclesiam quam generale Concilium repræsentat, debet haberi *sicut Ethnicus, & publicanus*. Matth. XVIII. 17. Et ita potest hoc modo per Concilium vel judicari, vel coërceri, vel pro excommunicato haberi.

C

Consideratio Quarta. Status Papalis non eximit Papam à Juribus quæ sunt purè de dedictamine naturali, quem-

quemadmodùm sunt principia Juris naturalis. Propterea, cùm Lex naturalis dicat, quòd bonum commune tanquàm aliquid divinum præferendum est particulari bono, deducitur ex hoc, quòd ad bonum totius Ecclesiæ quam Concilium generale repræsentat, reducendum est bonum personale Papæ; sic quòd in præjudicium boni communis particulare bonum Papæ, seu commodum, vel status retentio, vel dilatatio prævalere non debet, cùm secundùm exigentiam finis A cetera debeant moderari; finis autem Papatûs est utilitas Ecclesiæ.

Consideratio Quinta. Status Papalis quamvis eximat Papam à Legibus purè positivis, canonicis, vel civilibus, sic quòd secundùm eas coërceri punitivè non potest, ut præcisè tales sunt, nihilominùs Papa non debet, aut potest Leges positivas, ... præsertim per Concilium generale, ad quod sufficienter spectat discernere, vel dictare, si Papa palàm convertat potestatem suam in destructionem Ecclesiæ, non in ædificationem.

Consideratio Sexta. Status Papalis obligat Papam tantò ampliùs, quantò major est in Ecclesia, subjicere se Legibus divinis, naturalibus, & Canonicis, ad utilitatem Ecclesiæ. Propterea cùm magis videant oculi, quàm oculus, videtur, quòd non sine grandi discrimine salutis Papa possit deliberationes, vel instituta generalium Conciliorum contemnere, ut non secundùm communem, sed propriam deliberationem contendat in Ecclesiastico regimine præsidere. Propterea B benè dictum est, quòd Papa non potest generalem statum Ecclesiæ immutare, vel tollere.

SEX CONSIDERATIONES DE STATU SUMMI PONTIFICIS,

Et Dominorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ CARDINALIUM.

Consideratio Prima.

Status Summi Pontificis, ac sacri Collegii Dominorum Cardinalium sibi collateralium fundatus est in Ecclesiastica Hierarchia sub cœlesti, immediatè à Christo; nec humana institutione, seu præsumptione potest destitui. Cui statui qui pertinaciter derogat, censendus est juxtà sacros Canones hæreticus, atque sacrilegus. C

Consideratio Secunda. Status prædictus dotandus est, vel fovendus, pro debita & honesta sustentatione temporalium, sine quibus in hac vita misera spiritualia diù non subsistunt, quemadmodùm alter status quicunque Ecclesiasticus inferior, seu subditus dotatus est, vel dotandus, juxtà sui qualitatem.

Consideratio Tertia. Status prædictus non ideò perdit Jura sibi convenientia quæ posuit propositio duplex præcedens, si fortè fuerint abusus aliqui personales, olim, vel nunc inventi: alioquin sic argueretur adversùs omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem, quòd dissipandus est, deserendus, & perdendus, *quoniam in multis offendimus omnes.* Jacob. III. 2.

Consideratio Quarta. Status prædictus potuit, & potest in subventionibus temporalis, & honestæ sustentationis præscribere de certo modo, vel quota subventionis, sicut Prælati, vel Curati inferiores respectu subventionis factæ per subditos in Oblationibus, Decimis, & similibus, etiam ubi status prædictus aliundè dotatus esset ex patrimonialibus bonis, vel aliis, quemadmodùm in Prælatis dicimus, & Curatis.

Consideratio Quinta. Status prædictus dùm recipit, & quærit subventiones consuetas in Oblationibus, Decimis, vel Annatis, & similibus, non debet eoipso de simoniaca pravitate notari, nisi fortè vitium aliud in executionis modo concurrerit; quod visum corrigi debet, non obindè status minui, destrui, culpari, vel Juribus aliundè debitis defraudari. Sicut ab infirmo morbus tollendus est, non subjectum, vel corpus destruendum. Oppositum verò pertinaciter imponens, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius esset, nec ferendus.

Consideratio Sexta. Status prædictus potest, & debet rationabiliter resistere per viam appellationis, aut aliàs, si adversùs prædicta voluerit aliquis de facto procedere, præsertim dùm personæ de illo statu subjiciunt se, & statum suum debitæ regulationi sanctæ Matris Ecclesiæ, si forsan aliqua fuerint in eis reformanda, & hoc agendo, nedum non scandalizant activè, vel peccant; sed merentur tanquàm defensores Jurium, non solùm suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed Universalis Ecclesiæ, & ad utilitatem, honestatemque totius Reipublicæ Christianæ, quæ consistit in suo decore membrorum, maximè principalium.

DE STATU PRÆLATORUM.

Consideratio Prima.

Status Prælationis Episcopalis in Ecclesia sic est de primaria & immediata, ac supernaturali institutione Christi, quòd naturali vel humana solùm autoritate non potuit institui, sicut potuit status dominationis temporalis, Regiæ vel Imperialis humanitùs, & naturaliter ordinari.

Consideratio Secunda. Status Prælationis Episcopalis in Ecclesia quoad sui collationem primariam fuit immediatè à Christo datus primis Apostolis; sicut status Papalis Petro; licet postmodùm talis collatio vel acquisitio fieri potuerit, & facta sit in successoribus per homines, sicut Matthias factus est Apostolus per electionem, vel sortem, & successores etiam Petri fiunt nunc per humanam electionem Dominorum Cardinalium, qui modus potuit & potest variari, ut infrà ponetur.

Consideratio Tertia. Status Prælationis Episcopalis habuit in Apostolis, & in successoribus usum vel exercitum suæ potestatis sub Papa Petro, & successoribus ejus, tanquàm sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem Episcopalis autoritatis. Undè & quoad talia minores Prælati, scilicet Curati, subsunt Episcopis, à quibus usus suæ potestatis quandoque limitatur vel arcetur; & sic à Papa posse fieri circà Prælatos majores ex certis & rationabilibus causis, non est ambigendum.

Consideratio Quarta. Status Episcopalis non ita subest statui Papali, quòd illum possit Papa annullare, sicut nec status Papalis posset humanitùs destitui. Nihilominùs idem status Episcopalis quoad acquisitionem isti personæ, & quoad exercitium, subest rationabili Papæ voluntati ad utilitatem Ecclesiæ, ut dictum est. Hæc autem rationabilitas videtur attendenda seu regulanda, maximè per determinationes Conciliorum generalium præsertim jam factas de consensu & autoritate Summorum Pontificum.

D *Consideratio Quinta.* Status Episcopalis quoad sui acquisitionem isti personæ, & quoad exercitium, non ita subest meræ voluntati Papæ, quòd pro libito possit sine injuria & peccato circà hujusmodi acquisitionem & destitutionem, ampliationem, & restrictionem operari, quoniam data est ei potestas, dicente Apostolo, *non ad destructionem, sed ædificationem.* 2. Cor. XIII. 10.

Consideratio Sexta. Status Episcopalis habet ex se & Christi institutione primaria potestatem conficiendi Corpus Christi, & ministrandi sacra Ecclesiastica omnia;

Digitized by Google

nia, Jus insuper prædicandi, Jus stipendia temporalia sumendi, Jus excommunicandi, Jus Prælatos minores, scilicet Curatos instituendi, Jus Ecclesias consecrandi, Jus Beneficium Ecclesiasticum, vel stipendium temporale conferendi, vel facere conferri ministrantibus sub se spiritualia, Jus Indulgentias dandi. Et ita de reliquis multis, quæ Summo Pontifici competunt, ut in fonte.

Consideratio Septima. Status Episcopalis quoad sui usum, vel exercitium, non ita subest puræ voluntati Papæ; sicut status Privilegiatorum Mendicantium, vel aliorum quibus essentiali ordine & Hierarchico statu, prædicta Jura Episcopalia non competunt. Potest idcircò Papa sub talibus Privilegiis & Privilegiatis absque injuria vel peccato immutationes operari restringendo, vel tollendo; non sic passim in Prælatis vel Curatis.

Consideratio Octava. Status Episcopalis licèt esse possit in aliquo sine plebe & sine usu, vel exercitio, hoc fieri non convenit, quia vanum & monstruosum in Ecclesia videretur; quoniam frustrà est potestas, cui non subest operatio.

Consideratio Nona. Status Episcopalis, si nimis arctetur in suis Juribus essentialibus quoad restrictionem usus, vel exercitii passim communiter per Papam, absque utilitate majori Ecclesiæ; sive hoc esset in exemptionibus subditorum ab eo, sive in reservatione casuum in Foro Pœnitentiæ, seu in restrictione stipendiorum temporalium, seu in reservatione Beneficiorum Ecclesiasticorum sub eo, seu per inductionem onerosam Privilegiatorum se invito, aut in immoderata exactione stipendiorum, aut modis similibus. Ille, inquam, status Episcopalis posset rationabiliter deferre querelam, nedum ad Papam, & generale Concilium, quod est convenientissimum medium, sed ad Principes orthodoxos, implorando juvamen opportunum.

Consideratio Decima. Status Episcopalis, sicut non acquiritur in aliquo per solum titulum Fidei vel Charitatis, ita non deperditur per solam hæresim, vel peccatum mortale, non interveniente humana destitutione, vel divina revelatione; alioquin status Ecclesiæ Hierarchicus prorsùs esset incertus cum suo usu, vel exercitio, quod non est conveniens dicere de politia à supremo Legislatore constituta.

Consideratio Undecima. Status Episcopalis sicut potest diversis temporibus & institutionibus, modis variis, acquiri & similiter auferri; sic & status Papalis in casu per Ordinationes Papales, aut per Concilium generale, sicut & factum est, aliquando potest immutari.

Consideratio Duodecima. Status Episcopalis potest ab aliquo propter suam malitiam auferri, licèt renitretur occupans; sic & status Papalis, ut videtur in casu, præsertim per Concilium generale posset auferri, cùm status Papalis datus sit Ecclesiasticæ communitati, quæ in hoc habet quid divinum, tanquam commune bonum, ad quod conservandum Papalis autoritas fuit instituta.

Consideratio Decima tertia. Status Episcopalis habet rationabiliter Monarcham supremum, scilicet Papam, ratione unitatis Fidei & Sacramentorum; sed hoc non ita perspicuum est esse debere ex institutione Christi, & pro utilitate universalis Ecclesiæ respectu dispensationis bonorum temporalium & Jurisdictionum contentiosarum, seu coërcivarum, quæ diversis Legibus seu Decretalibus, aut Statutis, pro diversitate locorum, & temporum regi debent; sicut & alia merè temporalia, Regalia, vel Imperialia. Hinc benè dictum est, quòd quælibet Provincia in sensu suo abundat.

Consideratio Decima quarta. Status Prælationis, si fiat limitatio sui usus in Beneficiis conferendis, vel in exemptionibus, non debet rationabiliter conqueri, dùm hoc manifestè fit propter studium litterarum, præsertim sacræ Doctrinæ, quod per talia promovetur, & dùm hoc patienter fit ad reprimendos abusus notoriè provenientes, sive hoc sit ex importunitate Dominorum temporalium, vel ex propria pusillanimitate, vel alia quavis corrupta affectione. Sed in hoc capere medium conveniens non aliter videtur posse determinari, quàm juxtà Aristotelis sententiam, scilicet *Ut sapiens judicabit.* Nihil autem videtur in hoc sapientius, quàm generale Concilium ritè, & liberè celebratum.

DE STATU CURATORUM.

Consideratio Prima.

Status Curatorum succedit statui septuaginta duorum Discipulorum Christi quoad Legem novam, & figuratus est in antiqua Lege per Levitas. Ac proindè status Curatorum est de institutione Christi & Apostolorum suorum, à principio fundationis Ecclesiæ; quæ institutio per declarationes Summorum Pontificum & Synodorum, tàm generalium, quàm specialium, magis ac magis innotuit.

Consideratio Secunda. Status Curatorum est de essentiali, ac intrinsecâ Ecclesiæ Hierarchiâ, sicut status Prælatorum, quamvis inferior sit, & pro sua perfectione variabilior. Qua ratione Curati simplices non æquè propriè dicuntur sponsi, sicut Episcopi, liberiùsque permittuntur cedere, vel renuntiare Curis suis.

Consideratio Tertia. Status Curatorum institutus est ad regimen animarum dirigendarum in finem ultimum per Communionem sacramentorum & peccatorum remissionem, & promotionem ad virtutes.

Consideratio Quarta. Status Curatorum annexam habet obligationem docendi & publicandi verbum Dei suis parochianis, saltem in quodam generali tenore Legis Evangelicæ quoad credenda & agenda, secundùm statum suæ simplicitatis: sicut majoribus Prælatis convenit ex obligatione scientiæ, reddere rationem particulariùs de ea, quæ in eis est, Fide & Spe, 1. *Pet.* III. 15. apud omnes, tàm qui deforis sunt, quàm qui intùs, fideles scilicet & infideles; hæc enim obligatio consequitur ad obligationem priorem, quæ est de spirituali regimine subditorum.

Consideratio Quinta. Status Curatorum est status perfectionis, non solùm acquirendæ, sed etiam exercendæ, cùm sibi competat tam obligatio, quàm autoritas reducendi animas ad Deum, secundùm Hierarchicos actus, qui purgare, illuminare, perficere, nominantur.

Consideratio Sexta. Status Curatorum superior est in ordine Hierarchico Ecclesiæ ad statum simplicium Religiosorum, sicut divinus Dionysius & Hieronymus & præcedentis considerationis ratio determinant.

Consideratio Septima. Status Curatorum Ecclesias Parochiales sibi deputatas habet in tali libertate, quòd nulli alteri Sacerdoti fas est, ipsis invitis, aut sine eorum licentia prædicare in eadem, præsertim dùm prædicare voluerint ipsi, sed nec Confessiones illic audire, nec Sacramenta ministrare, salva semper autoritate, vel rationabili ordinatione superiorum Prælatorum.

Consideratio Octava. Status Curatorum habet Jus & titulum recipiendi Decimas, & Oblationes, & Funeralia, aut alia emolumenta loco illorum, pro sustentatione sufficienti status sui. Et hoc fit tàm de Jure divino, quàm naturali, præsupposito dominio. Determinatio autem hujus vel illius quotæ, vel commutatio in aliam subventionem habet fieri solo Jure positivo.

Consideratio Nona. Status Curatorum sicut habet cognoscere de sibi subditis ovibus in ministratione Sacramentorum & aliorum spectantium ad Religionem Christianam, ut sanctè Sancta suscipiant, sic decet maximè

Digitized by Google

maximè ut quilibet parochianus se priùs ostendat suo Curato generaliter vel specialiter, in Foro conscientiæ, quam eadem Sacramenta suscipiat. Potest insuper edictum generale vel speciale, suis parochianis super hoc per Curatos, ne aliter se ingerant, promulgari.

Consideratio Decima. Status Curatorum securiùs & justiùs eligitur, quantùm est de se, & ceteris paribus, pro Confessione Sacramentali facienda à parochianis, quàm alius status; præsertim qui non est superior secundùm institutionem Ecclesiæ Hierarchicam; patet, quia mutua & correlativa est obligatio parochianorum ad Curatos, undè vicissim magis obligantur. Collusiones prætereà hinc, indè possibiles fieri, magis ex hoc evitantur. Denique remedia spiritualia celeriùs, & consultiùs in casibus multis exhibentur. Potest nihilominùs apud Privilegiatos quandoque ratio potior inveniri.

Consideratio Undecima. Status Curatorum sanctus & salubris, non debet inculpari, vel infamari, per quoscunque, si in eo quandoque sint personæ minùs idoneæ ad debitum regimen animarum; alioquin nullus esset status in Ecclesia Militante, qui culpari non deberet, sicut nullus absque macula quorumdam de ullo statu visus est diù stare.

Consideratio Duodecima. Status Curatorum potest sufficienter regere suos parochianos, si polleat bona charitate & simplici morum honestate, etiam ubi litteratura magna deesset. Propterea non leviter se eis præponere debent alieni; quamvis inveniantur magis litterati.

Consideratio Decima tertia. Status Curatorum potest cum facili studio habere ea, & scire quæ ad Parochiam suam regendam sufficiunt, majora majoribus prudenter remittendo. Hoc autem si agnoscere neglexerint, debet apud eos correctio Episcopalis maximè vigil esse, ut astringantur severiùs tenorem habere in scriptis eorum quæ scire debent in punctis regiminis, tam Institutiones synodales positivas, quàm ceteras.

Consideratio Decima quarta. Status Curatorum potest obventiones ordinatas licenter exigere, verumtamen tali modo & tempore, quòd simoniaca pravitas, vel ejus suspicio nequaquàm incurratur, ut quòd propter negationem temporalium, spiritualium interim ministratio non negetur, nec interveniat quæstuosa mercatio.

Consideratio Decima quinta. Status Curatorum debet cum bona gratia suscipere statum Privilegiatorum, tanquam coadjutores missos, habentes à Superioribus licentiam prædicandi, & Confessiones audiendi; si non appareat rationabilis causa aliquem talem repellendi, utpotè si detractor, si collusor, si corruptor, si quæstuosus, si seductor appareat: aut si parochianorum multi indè veniunt in contemptum Curatorum: aut si tunc Curatus per seipsum id agere circà parochianos suos quod agendum sit satis potuerit, quia videretur præferendus, nisi legitima fieret exceptio contra eum.

Consideratio decima sexta. Status Curatorum vix potest à parochianis sine peccato sic contemni, quòd eorum licentia neque in generali, neque in speciali priùs quæratur, dùm alibi confiteri, aut Missas, vel Sermones audire tempore divini Servitii, diebus Dominicis, & Festivis, voluerint. Quæ licentia si sine causa rationabili denegetur, sufficit excusare frequenter eos qui alibi confitentur, licentiâ non obtentâ, sed petitâ.

DECEM CONSIDERATIONES, QUÆ PONUNTUR PRO STATU PRIVILEGIATORUM.

Consideratio Prima.

STATUS Privilegiatorum ad prædicandum, & Confessiones audiendum statutus est post primariam Ecclesiæ institutionem, rationabiliter ordinatus ad sublevamen eorum qui Hierarchicos in Ecclesia status habent, præsertim post talem, & tantam in temporalibus dotationem, quæ secum attulit multam occupationem.

Consideratio Secunda. Status Privilegiatorum debet cum bona charitate licentia sua uti. Non ad quæstum, non ad æmulationem, non ad ambitionem, non denique in præjudicium temporale, vel spirituale Curatorum, sed instando clàm, & palàm apud Parochianos, quatenùs honorem debitum, ac sustentationem suis reddant Curatis; alioquin faciunt quod sibi fieri nollent. Meritòque repelluntur hi, de quibus aliter constiterit, & Excommunicationem à Canone nonnunquàm incurrunt.

Consideratio Tertia. Status Privilegiatorum, & omnium generaliter Religiosorum prohibetur sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ, ne Sacramentum Extremæ Unctionis vel Eucharistiæ ministrent, & Matrimonia solemnizent.

Consideratio Quarta. Status Privilegiatorum habet quòd in suis locis, & publicis prædicare possunt, dùm Prælatus non prædicat, nec Prædicationem instituit. Similiter hoc possunt in Ecclesiis Parochialibus de licentia Curatorum: alioquin prohibentibus Curatis, vel quia volunt per se ipsos prædicare, vel aliter legitimè allegant, tenentur desistere.

Consideratio Quinta. Status Privilegiatorum hoc habet, ut idonei præsentati sufficienter per Superiores suos ad Prælatum Diœcesanum, valeant in locis suis Confessiones audire diœcesanorum, & eos absolvere cum tali potestate, & in casibus talibus, quemadmodùm Curati Parochiales ordinariè funguntur, & non ampliori, nisi de speciali gratia Prælati major eis fuerit elargita potestas.

Consideratio Sexta. Status Privilegiatorum habet hoc, ut quàmvis Sacramentum Pœnitentiæ possit pluries super eadem peccata suum effectum sortiri, saltem quoad augmentum gratiæ, cùm sit Sacramentum iterabile, & licet meritoriè eadem peccata pluribus confiteri, nec sit repugnantia, quin ad hoc possit aliquis obligari; nihilominùs confessi Privilegiatis non tenentur inviti eadem peccata ampliùs confiteri plus quàm si suis Curatis eadem confessi fuissent, quantùm est ex parte efficaciæ Sacramenti.

Navarr. Codex & Colbert.

[Non tenentur amplius eadem peccata confiteri quantùm est ex parte efficaciæ Sacramenti, sed an aliundè videat & declaret Ecclesia.]

Hoc enim per Joannem XXII. fuit declaratum, & usus communis hoc obtinuit.

Consideratio Septima. Status Privilegiatorum hoc habet, ut à confessis sibi non debeant Curati novam extorquere Confessionem de eisdem peccatis, præsertim si secreta sint; nec debent prohibere parochianos, cùm talia voluerint eis confiteri. Fas sit Curatis, immò tutum inquirere à parochianis suis, quando, & qualiter, à quibus Confessionem receperint. Quibus ve-

Digitized by Google

veritatem respondere si quis parochianus negaverit, vix in statu salutis esse credi posset; ipsique in hoc casu petenti Eucharistiæ Sacramentum rationabiliter denegaretur, dicendo; nescio si confessus sis ab habente potestatem, & an in hoc te decipias, vel alter te.

Consideratio Octava. Status Privilegiatorum hoc habet dùm de peccatis publicis absolvunt parochianos, ut ipsi debeant facere fidem de Absolutione, & absolvendi potestate, si super hoc à Curatis Parochialibus fuerint requisiti, sub pœna denegandi rationabiliter talibus, cùm se dicunt absolutos, Eucharistiæ Sacramentum.

Consideratio Nona. Status Privilegiatorum hoc habet, ut non debeant inducere voto, vel promisso alios ad eligendum sepulturam in Ecclesiis, & locis suis. Vel ad persistendum in jam electa ibidem, & hoc sub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ. Debent prætereà reddere quartam partem legatorum, seu funeralium Curato Parochiali ipsius defuncti, quæ *Pars Canonica* nominatur.

Consideratio Decima. Status Privilegiatorum ad prædicandum debet secundùm qualitatem auditorum formare sermonem, ne coram laïcis, & subditis detegantur vitia Clericorum, atque Dominorum. Hoc enim esset non extirpare vitia, sed nutrire rebellionem, scilicet murmurationes, & contemptus apud audientes. Fiat insuper prædicatio principaliter de punctis nostræ Religionis in Fide, Spe, & Charitate, cum ceteris virtutibus. Sed & præsertim Confessiones mulierum juvenum non nisi locis patentibus, & publicis, audire, nec conventicula in cameris, & angulis agere præsumant, *ab omni specie mala* abstinentes se. 1. Thess. v. 22.

DE UTROQUE STATU SIMUL.

Consideratio Prima.

Status uterque, Curatorum scilicet, & Privilegiatorum, invigilet cognoscere casus reservatos Prælatis, ne seducantur & seducant, si transgrediantur limites suæ potestatis, quàmvis expediret, pauciores casus, præsertim occultos, reservari, ut sunt peccata illa carnis quæ frequentissimè commissa vix confitentur, præsertim per mulieres, & adolescentulos.

Consideratio Secunda. Status uterque studeat *alter alterius onera* portare, *Galat.* vi. 2. sine contentione & æmulatione de rebus prædictis, vel aliis, nè si invicem, more cornicum, se mordeant, consumantur. Ne prætereà surgat fœda opinio Ecclesiasticorum apud laicos, & *vituperetur ministerium* verbi Dei. 2. *Cor.* vi. 3. Nonne Deus, quæso, abundè dives est pro omnibus? Nonne pacis est Deus, non divisionis? Denique quid prodest Pharisaïca contentio de statûs præeminentia, quid sanctius est dare operam ut quis perfectus inveniatur, quàm si jacens in imis de perfectione status glorietur. Attento præsertim, quòd Conciliorum Ecclesiasticorum observatio non potest ita concludi sub regulis quibuscunque, quin necesse sit recurrere sæpissimè ad glossam sapientissimi Augustini tractam ex operibus Christi, videlicet, quòd talia dantur observanda in animi præparatione, & non semper operis exhibitione. Quæ animi præparatio potest apud omnem statum, & personam Christianæ Religionis, si vult, inveniri.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS DE MODO VIVENDI OMNIUM FIDELIUM.

AD NOBILES.

Recognitus ad unum MS. Navarricum.

Consideratio Prima.

Regula prima quæ spectat ad Nobiles, Potentes, & Scabinos, ne pauperes videlicet per potentiam suam opprimant, & à subditis suis opprimi permittant. Malos usus in villis suis destruant. Causas pauperum, viduarum, & orphanorum libenter audiant, & citò justè judicent. Munera pro Judicio faciendo, vel festinando, aut retardando non accipiant. Nil à subditis suis extorqueant.

AD MILITES.

Consideratio Secunda. Regula ad milites tangitur. Luc. iii. 14. *Neminem concutiatis.* scilicet in persona, per potentiam indebitè. *Nemini calumniam faciatis* in rebus, quam per militiam facere possetis. *Et contenti estote stipendiis vestris*, id est, de reditibus vestris multis temporibus, accipiendo verò ad defendendam Patriam. *Accipe gladium sanctum munus*, &c. 2 Mach. xv. 16. *Non sine causâ gladium portat.* Rom. xiii. 4.

AD SIMPLICES.

Consideratio Tertia. Regula simplicium quoad Ecclesiam, ut jejuni ad Missam veniant. In Missâ non loquantur, nec circunspiciant. Antè Missam orare debent, ut gratiam Dei recipiant. In Missâ memoriam Passionis Christi habeant. Antè Evangelium Sancti Joannis non exeant. Sermones libenter & diligenter audiant, & referre post Missam gratias Deo satagant.

AD EPISCOPOS, & PRÆLATOS.

Consideratio Quarta. Regula Episcorum & Prælatorum satis patet ad Tit. 1. 7. *Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.* Et Matth. xxiii. 11. *Qui major est vestrûm, erit vester minister.* 2. Cor. vi. 1. *Hortamur vos* &c. Est autem officium Episcopi, malos corrigere, & arguere; bonos, & pusillanimes pacificare. Quia sicut Dominus Petro in personâ cujuslibet Prælati ait: Joan. xxi. 17. *Pasce oves meas*, &c. 1. Thess. v. 14. *Fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes.* De istis 2. Tim. iv. 2. *Prædica verbum, insta opportunè, importunè, obsecra, argue, increpa in omni patientia & doctrina.* Et ad Galat. vi. 1. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto*, &c.

AD CLERICOS.

Consideratio Quinta. Regula Clericorum est, habere doctrinam sanam, vitam sanctam, famam odoriferam. Hebr. vii. 27. *Sacerdotes habent hostias pro delictis suis offerre.* Et Augustinus in Regula sua: *Sit vobis cor unum, & anima una in Domino.* Psalmista: Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes tui induantur justitiam. Psal. CXXXI. 9. *Induite vos, sicut electi Dei, viscera misericordiæ.* Coloss. III. 12. & pietatis habentes.

AD RELIGIOSOS.

Consideratio Sexta. Regula Religiosorum est, vivere in obedientia, & castitate, & paupertate. Et debent devotè orare, & contemplari, & carnem mortificare contra vitia, & concupiscentias. Undè Augustinus in Regula Monachorum: *In omnibus, & super omnia ametur, & honorificetur Deus.* Et Hugo de sancto Victore *De claustro animæ. Summa Religionis regula in hoc dependet ut Prælati custodiant subditos suos, subditi Prælatis benignè obediant, devoti sint senes, juvenes vero laboriosi. Sit honestas in habitu, mediocritas in victu. Sint in claustro assidui, & ad injuriam rari. Non sint civiles, sed claustrales. Sint intenti Psalmis, non Causis. Non sit rumor in claustro, sed dilectio. In Capitulo non lites, sed confessio. In choro sit sacra simplicitas, & circa Altare reverentia honestas.*

AD DIVITES.

Consideratio Septima. Regula divitum, ne aliquid injustum acquirant, ne propter divitias suas pauperes vicinos suos despiciant. Pauperes sustineant. Operariis suis benè & citò persolvant. Adulatores, neque adulatrices in mensa recipiant. Diligenter, & libenter ad concordiam vicinorum suorum laborent.

AD PAUPERES.

Consideratio Octava. Regula pauperum, ut divitibus libenter, & fideliter serviant, nec divitibus propter divitias suas invideant, nec propter paupertatem adulatione, vel detractione peccent. Nec impatienter, sed gratanter paupertatem sustineant, nec injustè ditari cupiant, nec Ecclesias propter divites vitent. Nihil furti à familia suorum vicinorum, nec ab aliis retineant.

AD VIRGINES.

Consideratio Nona. Regula Virginum. Non sint loquaces, sed simplices corde, & habitu. Ad virginitatem Matris Christi cogitent, & eam diligant. Choreas vitent, inter juvenes non sedeant, nec se ab eis palpari permittant, non ament aliquem illicito amore. Adulatores, neque adulatrices recipiant, nec audiant. Orationes libenter dicant. Sordida verba, & inhonesta fugiant.

AD VIDUAS.

Consideratio Decima. Regula Viduarum est, ut continentiam diligant, & in vestibus humiliter se habeant, & Orationibus libenter insistant. Homines suspectos in hospitio suo non recipiant. De Consilio proborum se gubernent, & vivant. Sanctam Annam, & Elizabeth viduas cogitent. Familiam castam habeant. Parùm per vicos currant.

AD NUPTAS.

Consideratio Undecima. Regula Nuptarum est, 1. *Tim.* V. 14. & *Tit.* II. 4. honorare Superiores, diligere maritum, regere familiam, diligenter gubernare domum, & seipsam honestam, & irreprehensibilem ostendere, sive exhibere.

AD MULIERES.

Consideratio Duodecima. Regula Mulierum est, quòd non se indicenter ornatas ostendant. Aures, collum, guttur, & caput tegant. Humiliter in Ecclesia, & ubique, se habeant, nec alias mulieres per superbiam suam juvent.

AD MARITOS & UXORES.

Consideratio Decima tertia. Regula Virorum ad Uxores, & è converso ponitur Eph. V. 25. *Viri diligite uxores vestras; sicut & Christus dilexit Ecclesiam suam. Uxor autem timeat virum suum.* ℣. 33. *Viri cohabitantes secundùm conscientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem.* 1. Pet. III. 7.

PARENTUM AD FILIOS.

Consideratio Decima quarta. Regula parentum ad filios. *Et vos, Patres nolite provocare ad iracundiam filios vestros, sed educate eos in disciplina & correptione.* Eph. VI. 4. *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.* 2. Cor. XII. 14.

FILIORUM AD PARENTES.

Consideratio Decima quinta. Regula filiorum ad parentes est, quòd parentes honorent, & eis in bonis obediant, nec eis sua furentur. Antè eos non respondeant; maledictionibus omninò sibi caveant. Cùm parentibus aliquando ad Ecclesiam vadant libenter, in negotiis parentum suorum fideliter laborent.

DOMINORUM AD SERVOS.

Consideratio Decima sexta. Regula Dominorum ad servos. *Vos Domini eadem facite, illis remittentes minas,* Eph. VI. 9. & solvite: *Domini, quod justum est & æquum servis præstate; scientes quod vos Dominum in cœlis habetis.* Coloss. IV. 1. *Ne lædas servum tuum in veritate operantem. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua non defraudes illum libertate; neque inopem derelinquas illum.* Eccli. ℣. 22. 23.

SERVORUM AD DOMINOS.

Consideratio Decima septima. Regula servorum ad Dominos. *Servi obedite Dominis carnalibus: non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum; scientes quòd à Domino accipietis retributionem hereditatis.* Coloss. III. 22. *Servi, subditi estote in omni timore Dominis vestris, non tantùm bonis,* &c. 1. Pet. II. 18.

AD FAMILIAM.

Consideratio Decima octava. Regula ad familiam: ne fraudem Dominis suis in serviendo, negligendo faciant. Fideles sint in rebus suis custodiendis. Nihil ab eis auferant occultè, nec alios facere permittant. Nuncium malum non faciant uxori, vel filiis Domini sui. De malè respondendo caveant. Malos rumores fugiant undè in domum malum oriri possit, sed discordias etiam reportare vitent. Missi citò revertantur. Mercedem suam in superbia vestium non expendant. Ita vivant in humilitate, ut labor eorum sit eis in remissionem peccatorum suorum.

Digitized by Google

AD MERCATORES.

Consideratio Decima nona. Regula Mercatorum est, ut non in die Dominica mercentur: nec perjurent. Ab illicito sibi caveant lucro, nec ad diem vendant, vel carius propter dilationem. Ut debitum suum tempore promisso solvant. Nec scientes mentiantur. Æquam stateram habeant, æqua pondera, & æquam mensuram.

A

AD TABERNATORES.

Consideratio Vigesima. Regula Tabernatorum est. Ne permittant ludere ad taxillos in tabula sua, neque in taberna sua. Deum blasphemare non permittant, nec meretrices recipiant de nocte. Plenam mensuram dent omnibus. Vinum cum aqua ad vendendum non misceant, nec aliqua pocula vel fercula aliquo modo ad vendendum defraudent.

AD HOSPITES.

Consideratio Vigesima prima. Regula ad Hospites est, quòd malos in hospitio suo non permittant, vel scienter recipiant, nec hospitibus suis furentur avenam, vel fenum. Nec sustineant, quod hospites scienter fornicentur in hospitio suo. Justam, bonam, rationabilem computationem cum hospitibus suis faciant.

B

AD SENES.

Consideratio Vigesima secunda. Regula ad senes est: in Ecclesia libenter jaceant. Juvenibus bonum exemplum præbeant. De maledicendo, sive malefaciendo ipsos reprehendant. Turpia verba non habeant, nec laudent malitias coram juvenibus. Mulierculas à bono non retrahant, nec juvenes laudent in superbiis suis.

AD OMNES.

Consideratio Vigesima tertia. Regula ad omnes est, ut Excommunicatos vitent. Non se inebrient. Pauperes pro posse suo sustineant. Sacerdotes, & Religiosos, & Ecclesiam ubique honorent; & devotè ab eis doctrinam audiant. Festa benè custodiant. Decimas ritè solvant. Detractionem caveant. Ab adulatione, à blasphemia, à mendacio, à perjurio, ab assiduo juramento, à turpibus verbis, & maximè à luxuriosis verbis se abstineant quia circumstantes, & audientes ab eis inflammantur. Præcepta Ecclesiæ teneant, pœnitentias sibi injunctas diligenter impleant. Alter alterum ad bonum opus invitet, & de malo reprehendat. Dent libenter eleemosynas, quia *sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Eccli. III. 33. Missas, Sermones, & Confessiones libenter colant, & frequentent. Ablata restituant, quia *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*, ut dicit Augustinus. In vespere, id est, in fine vitæ tormenta Inferni, & gaudia Paradisi cogitent. Regula omnium ponitur Matth. XXVIII. 19. *Baptizantes omnes Gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, ut secundùm illud Joan. I. 7. *Omnes crederent per illum.* I. Pet. III. 8. *In fine autem, omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, misericordes, modesti, humiles: non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes*, &c. Eccle. XII. 13. *Deum time, & mandata ejus observa, hoc est omnis homo*, &c. undè Galat. VI. 16. *Qui hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.*

C

D

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

SERMO

FACTUS IN

CONCILIO REMENSI

Anno Domini 1408.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 698. Colbert. 99. & 5972. & Navarricum unum.

BONUS *Pastor animam suam dat pro ovibus suis:* Originaliter *Joan.* X. 11. & recitativè in Evangelio Dominicæ currentis præsentialiter lecto. Animadverte nunc, ô bone Pastor, ô Reverendissime Pater Sanctæ Sedis hujus Remensis Antistes, animadverte tu, qui animam tuam habes pro ovibus tuis dare, non venalem habere, non præjudicialiter retinere. *Leva* nunc *in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati venerunt tibi*, Isaiæ XLIX. 18. obedientes sunt, non *sicut oves errantes, sed conversi* sunt ad te *Pastorem, & Episcopum animarum* suarum, I. *Pet.* II. 25. secundùm verba primi Pastoris Petri in Epistola ejusdem Dominicæ currentis. Interrogentur, qui & quales ipsi sunt. Respondere convenit eis ex sententia illud Gen. XLVII. 3. *Pastores ovium sumus.* Conveniat & ô utinam illud alterum de Evangelio cuilibet eorumdem: *Ego sum Pastor bonus*, qualis *animam suam dat pro ovibus suis.* Pro illis, inquam, ovibus quæ Propheticum illud canunt Deo; *Nos autem populus tuus, & oves pascuæ tuæ.* Ps. LXXVIII. 13. Miretur igitur, & affluat, & dilatetur cor tuum, cùm videas tu, bone Pastor, Coadjutores tuos, Consodales, duces gregis tui, ipsosque rationales quosdam pascuæ tuæ, hoc est, Provinciæ tuæ Remensis, arietes. Quidni miretur in hac die, & afluat, & dilatetur cor tuum, cùm promiserit summus Pastor noster dicens: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum?* Matth. XVIII. 20. Grandis promissio, Viri Patres, & Fratres, & omni consolatione plenissima. Hæc nempè celeberrima Congregatio, hæc tua convocatio Sanctissima, ô bone Pastor, nunquid in nomine Jesu facta esse verè putanda est? Putanda est profectò; fit enim ad extirpationem vitiorum, & virtutum plantationem. Fit ad evulsionem schismatum, & pulcherrimæ pacis radicationem. Fit denique ad fortem custodiam gregis Dominici, ne malè dispersum, ne vagabundum per deserta negligentiæ rapiat, dissipet, perdat, devoret ipsum lupus ille vorax infernalis; quin potiùs visitatus crebrò colligatur sub unius ovilis tectum, quod est Fides Christiana: illic protectione sollicita foveatur. Ecce ergò Dominus noster Jesus Christus in medio nostrûm est, Viri Patres, & Fratres. Intendite, quæ dico; Dominus in medio nostrûm est; quid aspicitis, quid stupetis? Ita est, credite, non mihi, sed pollicenti, qui mentiri non potest: *Ego* (inquit) *in medio eorum sum.* Matth. XVIII. 20. Et quis ego? Qui loquitur, *Dominus fortis & potens.* Ps. XXIII. 8. Ipse est *Pastor bonus, qui animam suam* dedit *pro ovibus suis.* O certè pulchra, ô felix hæc, & Deo grata societas, in cujus medio Dominus ille est, cui Angeli serviunt, cui sol & luna famulantur. Nemo jam desperet, nemo trepidet ex aspectu, vel occursu tot luporum rapacium, insidiantium quotidiè gregi Christi; confidat potiùs unusquisque in verbo Elisæi: *Plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* 4. Reg. VI. 16. Adest quippe Deus, adsunt & ministri ejus millia

Digitized by Google

millia millium, & decies centena millia; *Dan.* VII. 10. quòd si tales pro nobis, *quis contrà nos*? Rom. VIII. 31. Ades & tu pulcherrima, non dicam, Pales, quam pastorum deam Gentilitas fabulatur, sed summa veri Pastoris Mater, Virgo misericordiæ, Virgo benedicta. Ades planè, nam ubi Mater, si non ubi Filius invenitur. Adimus ergò nunc te cum fiducia, quæ thronus es gratiæ, Mater misericordiæ, ut *gratiam & misericordiam inveniamus in auxilio oportuno*, Hebr. IV. 16. quod ut assequamur, præsentemus illud Angelicum: *Ave gratia plena Dominus tecum*, &c.

BONUS *Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Fiat hoc, fiat: Congratulor tibi, ô bone Pastor, congaudeo, & glorior in Domino; quoniam video, vident & ceteri omnes hîc præsentes studium tuum, zelum tuum, quo ad imitationem veri Pastoris quæris per hoc sacratissimum Concilium dare animam tuam pro ovibus tuis. Et qualem animam? Animam sanè quæ triplici virtute prædita est. Habet itaque anima tua, sicut & reliquæ de humana specie, vim triplicem, habet vim rationalem respectu veri, vim irascibilem respectu ardui, vim concupiscibilem respectu boni. Itaque *bonus Pastor dat* hanc totam *animam pro ovibus suis*. Fiat hoc igitur, fiat, quia *Tempus faciendi, Domine*, loquitur Propheta ad Dominum. Quare *tempus faciendi*? quia *dissipaverunt Legem tuam*. Ps. CXVIII. 126. Qualem Legem? Legem Evangelicam, naturalem & Canonicam. Quibus modis? Innu- B meris & pessimis. Propterea convenit nunc Ecclesia magna, Ecclesia totius hujus Remensis Provinciæ cogitare quid facerent. Et benè quid facerent, quia *tempus faciendi*, tempus ponendi manus ad opus, & ad aratrum; alioquin quid proderit novas veteribus superaddere Sanctiones, si non veteres fiant, nec novæ? Apponatur manus ori necesse est, hoc est, operatio locutioni, ne sit *vox quidem vox Jacob, manus autem manus sint Esau*. Gen. XXVII. 22. Evitetur improprium quod vulgari proverbio meliùs sonat: *dictum optimum est, sed quærite quis hoc aget*. Illud insuper, quod objectum fuisse Platoni Seneca refert: *Aliter loqueris, aliter vivis*. Denique satis fuit mordax in Pastores responsio feminæ cujusdam devotæ. Hæc redibat de Sermone quodam cum turba multa. Interrogatur ab obvio quodam, si sermo factus esset, nequaquàm, inquit. Porro dùm interrogans miraretur, itaque reversionis cum hominum hac copia causam requireret, ex quo non erat Sermo factus, subintulit ipsa: *Sermo utique dictus est, sed non factus. Dicunt enim, &* C *non faciunt*. Matth. XXIII. 3.

Fiat igitur ab uno quoque Pastore, quod proponit Dominus: det *animam suam pro ovibus suis*. Illam itaque animam, quæ imago est beatæ Trinitatis, secundùm triplicem vim prænominatam. Relucet nimirùm in sua vi rationali sapientia, seu veritas, quæ appropriatur Filio. Relucet in irascibili potentia, seu strenuitas, quæ appropriatur Patri. Relucet in concupiscibili benevolentia, seu bonitas, quæ appropriatur Spiritui sancto. Hanc, ô bone Pastor, totam animam, non unicam suæ virtutis portionem, curaveris dare pro ovibus tuis, triplici sedulitate pascendis. Nec enim æstimo te latere, quemadmodùm olim primo Pastori Petro ter interrogato, terque respondenti, bonus Pastor Christus ter subintulit dicens: *Pasce oves meas; pasce agnos meos*. Joan. XXI. 16. 17. Et rursùs: *Si diligis me, pasce oves meas*; pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio: pasce verbo prædicationis doctæ, pasce exemplo conversationis sanctæ, pasce subsidio charitatis piæ. Prædicatio docta fundatur in Fide quoad vim rationalem. Conversatio sancta roboratur in Spe, quoad vim irascibilem. Subventio pia consummatur in Charitate, quoad vim concupiscibilem. Quisquis hoc modo paverit oves suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est Pastoris boni, implens sententiam suam comprehensam in verbis thematis: *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Joan. X. 11. Sic enim repellit ab ovibus suis rationalibus tres turmas Chaldæorum interficere quærentium greges cum pueris, juxtà figuram in principio Job positam. Sic arcet, sic reprimit tria luporum spiritualium genera sævissima ab ovibus Christi, lupum carnem, lupum mundum, lupum diabolum. Fides appropriatè reprimit mundum. Quæ est *hæc victoria, quæ vincit mundum? Fides nostra*. 1. Joan. V. 4. Spes coërcet, & configit carnem, dum agit *ut nostra conversatio sit in cælis*; A Philipp. III. 20. non carnalis. Charitas demùm fugat diabolum, quia sola dividit inter filios regni, & perditionis, Dei scilicet, & diaboli. His itaque prælocutis tàm pro fundamento quasi solido dicendorum, quàm ut posito ordine lucido confusio fastidiosa, & memoriæ inimica vitetur. Pergamus consequenter juxtà hanc tripartitam animæ tuæ virtutem, ô beate Pastor, & exequamur tres in hac nostra qualicunque exhortatione partitiones principales sub ternario Considerationum in unoquoque partitionis articulo, quatenùs ædificium nostrum tanquam triangulari triplicitate subnixum, fortiori stabilitate subsistat. Erit prima partitio, de pabulo doctæ prædicationis. Erit secunda, de pabulo sanctæ conversationis. Erit tertia, de pabulo piæ subventionis. Fiat, fiat.

EXEQUENTES igitur primæ partitionis structuram collocemus in ea primam Considerationem, quæ talis est.

Consideratio Prima.

PASCERE *oves pabulo prædicationis*, dando animam quoad vim rationalem pro eis, est officium de necessitate annexum Pastorali dignitati: dura pro quibusdam, sed verissima sententia. Proba: perspicuum certè est, politiam Ecclesiasticam à Christo Legislatore sapientissimo perfectè constitutam esse, quippè ille est, de quo Moyses cecinit: *Dei perfecta sunt opera*. Deut. XXXII. 4. Sed ad hujus institutionis perfectionem exigitur nutritio spiritualis pro vita animarum conservanda, quemadmodùm in politia terrena necessarius est corporalis cibus; alioquin sine pabulo convenienti, sicut illa temporalis, sic & illa spiritualis vita suo modo deficeret, nec esset communitas per se sufficiens. Ad hoc respicit dictum vetus à Christo renovatum: *Non in solo pane vivit homo*, &c. Luc. IV. 4. Oportuit igitur ordinare ministratores aliquos pabuli hujus spiritualis pro rationalibus ovibus gregis Christi, ne perirent, qui hoc agere, & possent ex officii autoritate, & deberent ex Superioris obligatione. Tales verò, quales alios convenientiùs accipimus, quàm Prælatos? Hos ideò *Pastores* appellat crebrò Scriptura tam veteris, quàm novi Testamenti, increpans eos qui non oves, sed se pascunt. Undè nec puduit Deum ad hujus rusticanum humilitatis exemplum sese dejicere: *Ego sum Pastor bonus*, &c. Joan. X. 11. Hinc Malachias cap. II. 7. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem ex ore ejus requirent*. Propterea enim *dedit* Deus *ipsis regiones Gentium, & labores populorum, ut custodiant justificationes ejus, & Legem ejus exquirant*, Ps. CIV. 44. 45. & *sint parati*, juxtà quod vult Petrus: Omni poscenti reddere rationem de ea, quæ in eis est, Fide & Spe. 1. *Pet.* III. 15. Hinc Paulus ad Timotheum, & ad Titum, & alibi pluries, vult Episcopum doctorem esse, & potentem *instruere in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Tit. I. 9. Hoc officium prædicationis ita prætulit, quasi de reliquis nulla sibi cura videretur. Undè & dixit: *Non misit me Chri-* D *stus baptizare sed prædicare*. 1. Cor. I. 17. Conformis est ad hoc Apostolorum responsio dicentium: *Non est æquum nos relinquere verbum & ministrare mensis*, &c. Act. VI. 2. Quantò magis, existimas, hoc dixissent de aliis operibus minùs sanctis, minùs spiritualibus, atque piis. Sed, ô mores! ô tempora! ludibrium nunc apud quosdam ex Prælatis, vel probrosum aliquod artificium suaque indignum dignitate, Prædicatio, vel publica ad populum exhortatio judicatur. Est, inquiunt, hoc officium, vel Mendicantium vel pauperum Theologorum. Adeò

Digitized by Google

Adeò nihil sapit quæ Dei sunt animalis homo, adeò qui de terra est, nihil nisi de terra loqui potest. Sed dicunt: prædicamus gregi nostro per substitutos, prædicamus per tales qui se libenter ad hoc opus ingerunt, & hoc nonne satis est? Nonne multiplicatio fit Sermonum tanta, quòd in nauseam transit audientium? Agimus utique alia grandia & ardua, dùm Jurisdictionem nostram, dum temporalitatem vigilanter protegimus; spiritualia enim sine temporalibus diù esse non possunt. Sed respondeant velim: primò quid decentius atque salubrius, aut quòd accessorium Prælatus per se ipsum exerceat, & principale per substitutos, vel è contrà? Si enim illud oportuit facere, scilicet prædicare, & aliud non omittere, scilicet Jurisdictionem defendere; sit executor principaliorum ipse qui principali est habendus, quia etsi Prædicatio possit per substitutum fieri, quantò magis id quod minus est, temporalium defensio? Advertas proindè quàm pauci sunt Sermones in tam multis, multis inquam, numero, sed perfectionis laude rarissimis. Quare? Quia adulteratur verbum Dei atque corrumpitur, dùm vel quæstus æstimatur pietas, vel dùm miscentur errorum mala semina, vel inutilia, steriliaque narrationum frivolarum zizania superseminantur. Ita profectò cura vigilantior apud quosdam ex Prælatis habetur in eligendis mercenariis pro cultura agrorum suorum, quàm habeant in electione bonorum Prædicatorum pro cultura spirituali animarum. Denique quia solùm temporalium defensionem, vel administrationem attendunt; nil mirandum si consequenter censeant Procuratores & Advocatos, vel prudentes aliquos de sæculo, in cautelis & traditionibus humanis præferendos esse viris quantumlibet in in sacra doctrina & spiritali conversatione pollentibus: nam secundùm præstitutionem finis, de conferentibus ad finem judicamus. Addamus ad priora, quòd officio cuilibet Hierarchico tantùm annexa est Prædicationis obligatio, quantùm plùs vel minùs approximaverit Pastorali dignitati, quemadmodùm sunt Archipresbyteratus, Curæ Parochiales, Archidiaconatus, Decanatus & similes. Undè spectat ad Curatos cognoscere summatim, & in quodam generali Præcepta Legis cum quadam explanatione grossa, Articulos similiter Fidei nostræ, traditionem quoque Sacramentorum, distinctionem peccatorum ac eorum quæ sunt reservata à non reservatis, institutiones Festorum, & si qua sunt similia. Pertinet autem ultrà hæc ad Prælatos, scire rationem subtiliter ac particulariter reddere adversùs hereticos protervos de prædictis. Denique cùm Beneficium detur propter officium (officium, inquam, non tantùm in Horis dicendis, sed tantumdem vel ampliùs, in concernentibus de propinquo vitam, & pasturam gregis Dominici) dijudicent apud se hi qui Prædicationis officium sibi maximè debitum vel nesciunt vel omittunt, vel deteriori sacrilegio spernunt, & irrident. Dijudicent, oro, si Beneficium tale ritè, justèque recipiunt aut retinent, non minùs quàm si negligerent Ecclesiasticum in Horis dicendis officium. Dijudicent an fructus Beneficiorum suos faciant & similia, qualia non est meum nunc definire, quamvis æmula curiositas vehementer exposceret difficillimum in hac re judicium; sed abeat aliorsùm in toto hoc nostræ exhortationis excursu, & quod fieri debere monstratum est, fiat, fiat.

Consideratio Secunda.

Pascere oves pabulo Prædicationis, dando animam rationalem pro eis; sicut est officium magnæ dignitatis, ac pietatis; sic grandis in eo difficultas invenitur. Si *pietas*, juxtà Apostolicam vocem, *valet ad omnia*; I. Tim. IV. 8. quæ major altera, quæ dignior pietas excogitari possit, quàm quæ liberat animam à morte perpetua, quæ protegit eam, ne lupis infernalibus pateat in devorationem; quæ tandem ducit & perducit, ubi *ingredietur* & *egredietur* & *pascua inveniet*? Joan. X. 9. Huic officio quæ vel qualis altera misericors largitio valebit æquari? Si magnum est pascere carnem protinùs morituram, ut interim vivat; animam in æternum victuram, quàm pretiosum est pascere ne pereat? Dura est nimis illa Prophetæ lamentatio: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis*; Thren. IV. 4. si ad carnem referas; sed durior in immensum, si de spiritu sermo fiat. Accipite quomodò concluserit Jacobus Epistolam suam: *Fratres*, inquit,
A *si quis ex vobis erraverit à veritate & convertat quis eum; scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.* Jacob. V. 20. Porrò difficultatem curæ pastoralis Pastores sancti quales Gregorius *in suo Pastorali*, & Chrysostomus *in alio* similiter *pastorali suo* ad Basilium diligenter aperuerunt, assignantes præcipuam difficultatis rationem ex Prædicatione verbi Dei. Tanta quippe in ovibus pascendis pabulo Prædicationis varietas, & velut contrarietas accidit, ut quod unam nutrit, maceret alteram, aut mactet,

Poscentes vario multùm diversa palato.

Culpaverit aliquis avaros; prodigus indè sumet argumenta suæ profusionis iniquæ. Culpaverit prodigos, avarus indè tenacior, sordidiorque efficietur. Sic est invenire in omni vitiorum extremitate, nisi cautissima sollicitudine sic arguat unum vitium, quòd alterum similiter inculpetur. Hoc autem semper & solerter agere per gladium verbi Dei secantem à dextris & à sinistris, ut medium virtuosi itineris liberum pateat ad
B incedendum viam regiam Mandatorum Dei, tàm arduum puto; Prædicatorem quoque tam prudentem & vigilem exigere sentis, ut vix possit unus ex millibus inveniri. Adde, quòd auditorum quidam hebetes sunt, quibus penè nihil potest quantacunque prolixitas decies repetita inculcare. Alii prævolant ingenio, confestimque fit apud eos omnis morositas onerosa. Quàm paucissimos insuper videbis auditores qui fideliter & diligenter attendant ea' quæ dicuntur, qui non ea quæ audierint, sed quæ audire putaverint trahant ad sua desideria fovenda potiùs quàm eradicanda, seu moderanda. Vertitur eis verbum Dei in proverbium & fabulam, trahuntque illud ad omnem partem contradictionis, sicut de sono campanarum agunt pueri. Sicut etiam in fabulis de lupo syllabizante narratur, qui audiens *pa* & *ter*, dijunxit ex his *Agnel.* Quare? quia sic in imagine sua versabatur. Tales denique ea quæ malè intellexerint pejus interpretantur, & pessimè deferunt
C ad ceteros, invidiâ vel stultitiâ stimulati: gerunt similitudinem cribri vel colatorii lactis; effluit ab eis quicquid purum susceperant; purgamenta sola, ut festucæ, sordes & paleæ retinentur. Exigitur ergò ad officium Prædicationis ingenium velox, solers, atque versatile, velut in non prospecto tempore à dextris, à sinistris, antè, retrò, sursùm, & deorsùm. Exigitur eloquentia torrens & vehemens, suadibilis & suavis, copiosaque, ne adhæreat lingua palato & arescat. Nec minùs temperatam esse convenit, ne nimis effluat semen generativum filiorum Dei, & sordescens inutile fiat ad generationem. Exigitur cognitio Scripturarum sacrarum cum ceteris omnibus quæ ad mores spectant. Indè est illa, dùm Pastor consecratur, interrogatio: *Scis utrumque Testamentum*? Quorum aliqui quâ conscientiâ respondeant, *Scio*; ipsi viderint. Exigitur multiplex experientia actuum humanorum & conditionis annotatio eorum qui docendi sunt. Exigitur exemplaris vita, & conversatio irreprehensibilis, *in medio nationis pravæ*, Philip. II. 15.
D aliena ab omni crimine, præsertim ab avaritia & luxuria, quæ maximè sunt contraria famæ; alioquin plus destruit exemplo, quàm ædificet verbo. Vox operum fortiùs sonat quàm verborum. Exigitur denique gustatio spiritûs per contemplationem; alioquin ceteros accendere ad æternorum desideria qua fronte præsumpserit, si frigidus in se totus & algidus remanserit? Vide nunc si officium Prædicationis existimaveris leve, passimque omnibus imponendum. Nihilominùs ipsum quod tantæ pietatis & difficultatis ostensum est, fiat, fiat.

Digitized by Google

Consideratio Tertia.

Pascere oves autoritativè, pabulo Prædicationis, dando animam rationalem pro eis, est officium quod nulli fas est exercere, nisi misso; nec mitti quispiam debet, nisi idoneus & probatus. Primam partem brevibus verbis absolvit Apostolus: *Quomodò*, inquit, *prædicabunt, nisi mittantur?* Rom. x. 15. Confunderetur enim penitùs Ecclesiastica Hierarchia, si cuilibet indifferenter autoritativum Prædicationis officium laxaretur. Patuit A in Turelupinis & aliis idiotis quos hæc audacia fefellit, & in varios traduxit errores. Autoritativum vigilanter diximus, quia fraternam correctionem, secretam scilicet, aut amicabilem quæ ædificare, non scandalizare præsumit Lex Christiana, cujus finis est charitas, concedit omnibus, dum ait: *si peccaverit in te frater tuus*, &c. Matt. xviii. 15. Sic enim dicit Sapiens, mandasse Deum *cuilibet de proximo suo*. Eccli. xvii. 12. Et nihil humanum putabat Comicus senex à se alienum: nullus enim peccat, quin noceat universis, tanquàm si membrum corporis vel pars exercitus spiritualis depereat. Fit autem missio ad prædicandum solemniter, vel per Deum immediatè, quæ tamen probari debet apud recipientes; vel per miraculum, vel per prophetiam, vel aliud sufficiens tale signum. Aut fit per Deum mediante Superiorum autoritate, quibus impositum est hujus autoritatis vinculum: fit rursùs nonnunquàm missio talis B ex ipsa necessitatis lege, quando non aliter posset Fidei seu morum veritas inviolata servari. Ubi verum est illud: *Pasce fame morientem; si non pavisti, occidisti.* Porrò nullum debere mitti, qui non fuerit idoneus & probatus, docent Artes ceteræ, quas exercere non præsumit ignarus ipsarum. Sicut ex Horatio sumpsit Hieronymus:

Quod Medicorum est,
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Removet Apostolus ab officio Prædicationis mulieres: *Mulierem*, inquit, *docere non permitto*. 1. Tim. ii. 12. Investigemus rationem, & inveniemus multos ex viris prohibitos. Spectat nimirùm ad Pastoralem Doctorem constantia, spectat prudentia, spectat pudicitia, ut sit in eo facultas, veritas & bonitas. Constantia dat ne succumbat adversis, ne cedat convitiis vel injuriis, ne rumoribus falsis & indignis, vel infletur ad gloriam, C vel contabescat ad ignominiam. *Neque enim gladiator* (sicut dicit Chrysostomus) *plùs habere debet animam in manibus*, hoc est, eam ultrò morti dare, *quàm Prædicator.* At verò quis nesciat mulierem imbecillem esse, fragilem, inconstantem; sic pueri, vel adolescentes, pueros dico, vel ætate, vel moribus, sic omnes quærentes *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Philipp. ii. 21. Cedunt namque ad primam injuriæ, vel contumeliæ personalis, seu jacturæ temporalis suspicionem, tanquàm arundines vento mundani timoris agitatæ. Prudentia dat pastorali Doctori ut nec fallere velit, nec falli leviter possit. Sed audi quid de judicio mulierum dixit Aristoteles; quoniam *instabile est & invalidum.* Sic apud Comicum dicuntur mulieres propè sicut pueri levi sententia. Quod viderat egregius Poeta dicens:

Varium, & mutabile semper
Femina.

Quot autem inveniuntur inter viros, quorum judicia circà agibilia & credibilia, vel nullum est, vel obscurum, timidum & incertum, vel erroneum; quia nec ipsos erudivit Lex Dei, nec regularis benè vivendi disciplina perdocuit. Solidum idcircò nequeunt aliis circà scrupulosas quæstiones suas dare consilium, tanquàm interrogatio fiat eis de ignotis, nec expertis. Continentia denique dat Pastorali Doctori, ut nec in se lubricitatem admittat, nec ad illam auditores alliciat. At verò mulieris vox, facies, gestus quasi tedæ sulphuribus illitæ, audientes & spectantes adurunt faciliter, & in pravam desideriorum carnalium flammam accendunt. Sic virorum aliqui muliebriter fracti sine nervis disciplinæ, plus eloquio & gestibus effluunt in lasciviam, ipsamque provocant, nutriunt & augent, quàm extinguant.

Festinabam in ipsa meditatione mea pergere post hanc triplicem primæ Partitionis Considerationem ad aggressum secundæ Partitionis, locuturus de pabulo sanctæ conversationis; tùm ecce visa est astitisse industriosa Sedulitas, affirmans non satis esse, si deducantur in medium defectus existentes circà pabulum Dominici gregis, nisi pariter invenirentur provisiones, & hoc tantò efficaciùs quantò particulariùs: universalia enim parùm, sed singularia multùm docent. At ego dùm has provisiones ab eadem industriosa Sedulitate perquirerem; (citò enim secum sensi) enumeravit plurimas hìc & in posterioribus, quarum paucas antè conspectum Convocationis hujus celeberrimæ rememorari jussit, repetens crebrò: fiat, fiat.

Provisio Prima. Fiat in primis juxtà præmissa executio Decretalis illius, quæ in omni Metropolitana Ecclesia Scholam Theologiæ constituit. Nec videtur Schola Mendicantium satis esse. Expediret ampliùs, ut hæc institutio (cujus quotationem, sicut & aliarum, Dominis Juristis linquo) extenderetur ad Ecclesias Cathedrales & alias Collegiatas notabiles, sic quòd una Præbenda esset ad officium hoc salutiferum specialiter & irrevocabiliter, applicata. Quemadmodùm Dominus noster Benedictus, procurante Præceptore meo inclyto Domino Cameracensi constituerat; sed nescio quo pacto tam sanctum opus è mediis (ut dicitur) manibus elapsum est. Concedebatur ut legentes & studentes perciperent certis diebus & horis distributiones quotidianas, hac ratione qua intendentes temporalibus Ecclesiæ commodis sine ulla contradictione recipiunt. Expediret insuper, ut Monasteria notabilia non carerent viris docentibus suos Religiosos, etiam ab adolescentia, meditari in Lege Domini die ac nocte. Alioquin postmodùm in ipso otio suo, quod contemplationi deditum esse convenit, qualiter exercebuntur ad divina? Tenenda denique esset Decretalis prohibens ipsos audire Leges, vel Physicam, Artes scilicet practicis negotiis accommodas: Nam apud eos quæ scientia magis, quàm Theologia deberet vel doceri, vel cognosci?

Provisio Secunda. Fiat ampliùs apud ipsos qui se Prædicationibus exponunt, examinatio priùs circà generalia nostræ Fidei, & circà Præcepta & mores; ut cognoscatur si talia prædicare noverint, & ad ea principaliter prædicanda, seclusis fabulis anilibus & ludicris, compellantur. Arceatur insuper tam generalis licentia apud quosdam Religiosos, qui protinùs ut aliquis sciverit duo verba proferre volubilitate linguæ, inthronizant eum in Cathedra prædicandi. Instruantur denique, non detrahere Superioribus absentibus in subditorum præsentia: nam hoc agere quid proficit, nisi ad subversionem auditorum, apud quos indè nutritur rebellio, murmur, odium, impatientia, contumacia, protervia, & detractonis libido, cujus signum est, quia extollunt se detractores hujusmodi, quasi soli sint qui veritatem audeant palàm dicere. Doceatur populus è contrà obedire Præpositis suis, *etiam dyscolis.* 1. Pet. ii. 18. ostendendo, quòd *Dominus regna-* D *re facit* malos, & *Hypocritas propter peccata populi,* Job. xxxiv. 30. & in eorum gravem pœnam. Sic habeat Prædicator linguam, & linguam. Linguam pro subditis, & linguam pro Dominis, & Prælatis.

Provisio Tertia. Fiat rursùs Provisio sufficiens Curis Parochialibus, ut sibi possint de pabulo Prædicationis providere sicut institutio prior habuerat quæ apud multos adhuc observatur, ubi Mendicantes non abundant. Sit etiam in qualibet Parochia cura specialis juxtà sacros Canones, de instructione parvulorum, præsertim in morum disciplina secundùm primitiva nostræ

Digitized by Google

nostræ Religionis rudimenta. Ecclesiæ siquidem reformatio (sicut quidam ait) debet inchoari à parvulis, quoniam ejus deformatio venit ab eis pravè, & nequiter institutis. Quamobrem fiat, sicut prætactum est, provisio sufficiens aliqua pro Magistris, fiat pro Prædicatoribus idoneis, si sint sæculares, de Præbendis; si Mendicantes, aliundè per Prælatos, & Curatos, quatenùs ad pietatem magis quàm ad quæstum suam valeant Prædicationem ordinare. Itaque si Procuratoribus, si Advocatis, si aliis practicantibus assignantur sedulò pensiones certæ, & magnæ, quàmvis aliundè lucrentur; qualiter non absurdum erit, non magis hoc fieri pro laborantibus gratis ad spiritalem ovium Dominicarum nutritionem, dùm exercent Officium quod de necessitate monstravimus annexum esse pastorali dignitati? Sed improperando dicunt nonnulli Prælatorum: Cur, inquiunt, vos Theologi, maximè Doctorati non prædicatis? Cur *statis* in studio, vel in cameris *tota die otiosi*? Cur talentum scientiæ vobis collatum retinetis? Accipiant sic loquentes veram hanc pro multis responsionem. *Nemo nos conduxit.* Matt. xx. 6. 7. neque Licentia Magistralis in Theologia dat obligationem prædicandi, sed ostendit idoneitatem quam exercere non tenentur, nisi velint, vel aliundè mittantur cum mercede sua. Addito, quòd plus sollicitudinis, & temporis apponet aliquis Prædicator verbi Dei in uno Sermone ritè componendo, retinendo, & pronunciando, quàm Advocatus unus per multos dies patrocinando. Cur ergò sua mercede cariturus est recipienda ab illo cujus debitum exercet Officium, & non solùm à populo? Hoc igitur fiat, fiat quod audaciùs introduxi; quia me sentio ab omni specie quæstûs alienum, cùm satis jam habeam, Dei dono, de bonis Ecclesiæ, ut ponam sine sumptu alieno Evangelium.

Provisio Quarta. Fiat postremò quoad hoc publicatio quorumdam Tractatulorum compositorum, vel componendorum, vel qui jam fortè compilati sunt, in quibus generalis tenor nostræ Fidei, & Præceptorum, & Sacramentorum cum similibus contineantur, quatenùs in eis Sacerdotes, & Curati simpliciores legere possint, & instrui quid ipsi scire, quid alios docere debeant; docere, inquam, etiam per Scripturam talem, si non aliter cognoverint. Compelli quoque poterunt talia suis expensis exemplaria sibi comparare, quemadmodùm fit de Statutis humanis synodalibus pro cura temporalium, & hoc nisi forsan aliundè charitas abundans Prælatorum indigentiæ pauperiorum subvenire voluerit. Hìc inseri potuisset de Lectionibus sacris legendis ad mensam Ecclesiasticorum, & præsertim Prælatorum. Item de cohibendis quæstoribus istis laxantibus linguas suas ad falsitates, & ineptias. Sed hæc interim sufficiant de provisionibus circà primam partitionem, & suas Considerationes ita commemoratas.

SECUNDA PARTITIO PRINCIPALIS.

Audistis, Præstantissimi Viri Patres, & Fratres, quemadmodùm diximus aliqua de pascendis ovibus pabulo Prædicationis doctæ, dando animam propriam secundùm portionem, vel vim rationalem pro eis; nec sum nescius quantò plùs plura, & altiora dici poterant, sed supplebit imperfectum meum ditissima vestræ sapientiæ magnitudo. Nunc prius quàm convertatur Oratio ad alium modum pascendi oves, secundùm portionem irascibilem animæ, & hoc exemplo sanctæ conversationis, dicatur id quod obtigit mihi in ipsa meditatione mea, dùm circà hoc eloqui recogitarem duce, vel comite industriosa Sedulitate. Circumvolvebam oculos meæ considerationis per ovilia varia Ecclesiæ Militantis. Illic aspexi veros Pastores habitantes in casulis, & portatilibus Tabernaculis, scientes hìc se non habere Civitatem manentem, sed debere futuram inquirere. Illic similiter visæ sunt oves rationales gregis Christi signatæ omnes signo *Thau* de sanguine agni. Sed heu pericula, heu seductores, heu mille nocendi artes, mille movendi discrimina; quælibet ovis suos patitur hostes, suas insidias, sua certamina. Hanc vepres, spinæ, sentesque dilacerant; hanc æstus urens; hanc bruma rigens discrassiant; hæc infixa est in limo profundi, hæc ex altis rupibus præceps ruit, adhæret huic veterna scabies, alteri contagiosa societas morbum affricat, sicque fascinatio morbidarum transit in teneriores agniculos. Denique quid ovibus miseris erit tutum, quando (juxta Proverbium Græcum) *Lupi funguntur Officio Pastorum*? Vel certè Pastores versi sunt in lupos, qui non parcunt ovibus. An non lupus tyrannus rapax, qui lanam & lac ovium, immò carnes & ossa, per violentam exactionem surripit, cassat & opprimit? An non lupus tyrannus fallax, qui lanam & lac ovium, carnes & ossa, per astutiam procurationum & advocationum surripit, cassat & dejicit? An non demùm lupus tyrannus vorax, qui lanam & lac ovium, carnes & ossa, per gulam & luxuriam surripit, cassat & inficit? Et ubi jam obsecro, tales lupos rapaces, fallaces & voraces non poteris invenire, qui rapiunt, qui fallunt, qui devorant? Rapiunt cavillando, fallunt litigando, devorant luxuriando. Audiamus ex Ezechiele veterem summi Pastoris querimoniam: *Lac comedebatis & lanis operiebamini, quod crassum erat occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia*; Ezech. xxxiv. 3. 4. & reliqua in hanc sententiam. Juxtà quæ, pro complemento nostræ hujus secundæ partitionis, induco tres Considerationes cum duodecim Provisionibus, quas industriosa Sedulitas recensuit.

Consideratio Prima.

Bonus Pastor nequit animam dare pro ovibus secundùm vim irascibilem, nisi priùs studuerit ejicere tyrannidem rapacem, quæ est lupus avaritiæ. Instituens itaque Paulus verum Pastorem docuit, *Hospitalem esse* debere, *& non turpis lucri cupidum.* Tit. 1. 7. Sed quomodò daret hospitibus sua, qui tollere satagit aliena, quique raptoribus alienis non obsistit? Videatur ergò quid admonet hoc loco industriosa Sedulitas.

Provisio Prima. Fiat, inquit, reformatio Hospitalium: hoc est enim de cura Pastoris; fiat hæc reformatio tàm in temporali, quàm in spirituali regimine, ne illic cura pauperum negligatur, præsertim ad salutem animarum suarum in patientia, & pœnitentia congruis, & in Sacramentorum susceptione, qualis fructus est in Hospitalium fundatione principaliter intentus. Expediret quoque sic fieri in quolibet Hospitali qualiter observatur Parisiis uniformiter satis ad Decretalem, de advocandis priùs Medicis animarum, quàm corporum. Illic confestim ut aliquis ægrotus quæritur introduci, priùs intrà januam confitetur, & absolvitur. Erit insuper providendum apud professos, & professas, in hujusmodi Religionibus, sicut etiam fieri convenit in aliis omnibus, quatenùs tria vota sua custodiant, obedientiæ, paupertatis, & castitatis. Nam inveniuntur ibi appropriationes manifestæ, sicut apud seculares; sed eos exterrere debuerat mors Ananiæ, & Saphiræ. Quid insuper sibi volunt tot discursiones eorum per domos sæcularium? Et ô utinam nulla sint Monasteria mulierum quæ facta sunt prostibula meretricum, & prohibeat adhuc deteriora Deus.

Provisio Secunda. Fiat ampliùs provisio contrà tyrannides varias, & oppressiones miserabiles & indignas pauperis populi, maximè ejus qui subditus est Ecclesiis, & hoc per prædones domesticos, per familiares inimicos, sub umbra sæcularium Dominorum. Has

Digitized by Google

Has oppressiones videre faciliùs est in rebus, quàm exponere sermonibus. Quod si non moventur Pastores ex atrocitate rerum providere: qualis erit sermo meus, qui jacentes eos, & torpentes, valeat excitare? Moveat eos recogitata & lecta constans autoritas Ambrosii, ut cui succedunt in simili dignitate, succedant in pari constantiæ stabilis inflexibilitate. Videant Pastores, ne odiosi mores sui fœtentes coram Deo, & hominibus, dent hanc causam gravaminis pauperis sui gregis.

Tertia Provisio. Fiat ulterior provisio, ne pauperibus sua bona auferantur, vel detineantur. Hæc sunt ea bona quæ viris Ecclesiasticis supersunt ultrà simplicem victum, & vestitum, juxtà decentiam sui status in Ecclesiæ Republica. Notissima est hoc loco, sed durissima Bernardi, atque Hieronymi sententia, qui retentionem hujusmodi, vel luxuriosam profusionem non dubitaverunt sacrilegium, immò omni sacrilegio, & deprædatione damnabiliorem appellare. Videant Ecclesiastici, ne fortè ob hoc, justo Dei judicio, proveniant rapinæ ejus, & conculcationes indignæ, & Jurisdictionum suarum usurpationes; quia quandoque *quod non habet Christus*, *tollit Fiscus*, & quod subtrahitur egeno, rapit prædo. Hoc enim est veteris proverbii sententia, quòd *abdita vulpium fiunt rapina luporum. Ut qui prædatus fuerit, prædetur, & ipse.*

Hîc insuper providendum erit de celeri Testamentorum complemento, non impedimento, per eos qui accelerare debuerant; Ecclesiasticos Curiales loquor, per quos abusus incredibiles fieri memorantur, ita ut nec fidelis inveniatur in Testamento hujus, vel illius.

Quarta Provisio. Fiat demùm provisio circà Ecclesias versas in dissipationem, quarum primitùs extitit magnifica fundatio, quatenùs in eis servitores assignentur juxtà facultatem redituum, vel cum aliis uniantur, aut ex toto cassentur, ne sint hujusmodi Beneficia depauperata, plùs in scandalum, & opprobrium, quàm in Dei laudem, & populi ædificationem, sicut in Prioratibus nonnullis experiuntur. His itaque subvenire fundationibus antiquis sanctius esset, atque salubrius, quàm fundare novas Ecclesiolas, volendo sibi facere nomen. Suprà modum convenit occurrere tantæ, tamque fœdæ & abjectæ paupertati, immò mendicitati Curatorum in locis plurimis, qui tamen positi sunt in Ordine essentiali, & Hierarchico Ecclesiæ Militantis, tanquàm minores Prælati, & Discipulorum successores, quibus tamen nulla ob egestatem suam reverentia, vel obedientia datur à subjectis ovibus; quia nec inveniuntur viri sufficientes, qui talibus Parochiis sic in egestatem versis, velint personaliter deservire: quòdque adduntur eis frequenter à Pastoribus crassis, vel Officiariis suis, ipsis volentibus, onera oneribus, citationes, angariæ, taliationes; ita ut liberior sit jam laïcorum, quàm Ecclesiasticorum talium conditio, nec jam *ut populus, sic Sacerdos*, Isaïæ XXIV.2. sed liberior, & honestior populus, quàm Sacerdos. Quòd si tales deservientes Parochiis sint tantummodò Vicarii Religiosorum, vel Canonicorum, vel per proprios Curatos substituti, cogantur ipsi principales de sufficienti vitæ sustentatione provisionem assignare, vel de quadraginta, vel de quinquaginta libris annuatim; ne aliis in penuria laborantibus, ipsi in otio totum diripiant; fiat hoc, fiat.

Consideratio Secunda.

Bonus Pastor nequit animam suam dare pro ovibus suis secundùm vim irascibilem, si retinet, vel in se, vel in suis tyrannidem deceptricem, quæ est lupus fallaciæ. Jubet Apostolus: *Episcopus*, qui Pastor est, *sit domui suæ benè præpositus*. 1. Tim. III.4. Aliter enim, sicut idem arguit, *qua ratione diligentiam habebit Ecclesiæ Dei*, ℣.5. qui regere propriam nescit Domum? Domus autem Prælati Curia est habens ministros, familiares, & officiatos, pro reddendo unicuique Bona & simplici fide, quod suum est, non ad spoliationem, sed correctionem; non ad corruptionem, sed ædificationem; non ad multiplicandum lites super lites, sed ad compendiosum pacis stabilimentum. Sicut autem charitas incipit à se, sic & reformatio debet inchoari, ut primò fiat judicium à domo Prælati, sicut fit in universo à domo Dei, ne præterea contingat objici Prælato; *Medice, cura teipsum*. Luc. IV.23. Et illud Apostoli: *Qui prædicas non furandum, furaris*, Rom. II.21. immò & sacrilegium facis.

Prima Provisio. Quocircà suadet industriosa Sedulitas, ut fiat efficax, non verbalis Provisio contrà astutissimam illam, immò sæpè apertam tyrannidem Promotorum, & Procuratorum, in angariis, & citationibus; quæ omnia cùm injustissimè comperti fuerint commisisse, gratis abscedunt à querela, nec jam gratis, quia recipiunt expensas ab innocentibus absolutis, deque calumniis perversissimis, de diffamationibus præterea crudelissimè impositis ipsi mercedem quæ eis malè vertatur, recipiunt. *C'est le droit de la porte Bodet.* Est hoc, precor, æquitas? Nonne claudicat hæc disceptatio? Esset nonne justius, ut hujusmodi Procuratores perciperent stipendia laboris sui à Dominis suis, vel Prælatis, qui deberent subditis dare Justitiam, quàm ab innocentibus sic vexatis? *Væ qui condunt Leges iniquas*; ait Dominus per Isaïam Cap. X. 1. 2. *& scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei; ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Notetur hîc juramentum, quale debitum est præstari per Advocatos, per Promotores, per Notarios, per Procuratores, præsertim ut nihil agant, vel foveant quod injustum esse, vel crediderint ab initio, vel postmodùm compererint.

Secunda Provisio. Fiat insuper abbreviatio tam dispendiosarum litium, moderatio tot Excommunicationum, tàm à Jure, quàm ab homine fulminatarum. Et hoc nonnunquàm pro defendenda, seu recuperanda re modica parùm utili, vel profana; cùm tamen baculus iste primitùs fuerit institutus à Christo tanquàm durissimum, summumque supplicium, quo nolentes Ecclesiam audire, plecti deberent. *Quòd si Ecclesiam non audierit*, inquit Christus, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matth. XVIII. 19. Nunc apud quosdam talis regnat stoliditas, qualis apud illum qui, ut muscam abigeret à fronte proximi, ictu securis excerebravit eum. Itaque temporalis incommoditas vix reputari debet musca pungens, per respectum ad æternam salutem quam auferunt aliquando percussiones istæ per Excommunicationes gravissimas, quæ ut in aliquem ceciderint, vix abjici possint, trahentibus de una in aliam, lupis Curiæ rapacibus.

Tertia Provisio. Fiat amplius observatio Decretalium prohibentium ne detur aliquod omninò in spiritualium administratione; aut saltem adhibeatur moderatio tam in collationibus Ordinum, quàm Beneficiorum, in approbationibus Sacerdotum officiare debentium, in sigillationibus quoque, & multis similibus, plùs ad quæstum (sicut dicunt aliqui) quàm ad spiritualem profectum superimpositis. Exequantur saltem ista tali modo, quòd *ab omni specie mala* simoniaci scandali semet abstineant. 1. *Thess.* V. 22.

Quarta Provisio. Fiat ulteriùs correctio subditorum, secundùm qualitatem delictorum, & plùs ad emendationem suam, & timorem aliorum, quàm ad pecuniarum exactionem, quæ gregem simplicem scandalizat frequentiùs, quàm ædificat; quòd si delicti qualitas exigat imponere pœnam pecuniariam, exponatur illa in pios usus manifestè, ne plùs ad avaritiam Pastorum, quàm subditorum correctionem exacta videatur. Addimus hîc incidenter de juramentis terribilibus exactis per Officiales, & alios Curiales Officiarios, dùm examinant aliquem criminosum super dicenda veritate; quibus tamen juramentis deferre nolunt, seu credere: qualia etiam violatum iri fore probabiliùs, quàm oppositum,

Digitized by Google

situm, suspicantur. Hîc nonne laqueus est manifestæ, ac crudelissimæ perditionis animarum? Cùm insuper dicat Apostolus quòd *omnis controversiæ finis est juramentum*: Hebr. VI. 16.

Consideratio Tertia.

Bonus Pastor nescit dare animam suam pro ovibus suis, si in se, vel in suis tyrannidem voracem nutrit, quæ A est lupus gulæ, atque luxuriæ. Sobrium quidem, nec multo vino deditum, nec præterea bigamum jubet Apostolus Episcopum institui, *Tim.* III. 2. *Tit.* I. 7. prohibens ex consequenti crapulosas comessationes, potus ad æqualia, meretricationes sordidas, dare symbola, frequentare tabernas, quasi non eis domus sint ad comedendum, aut velut histrionum more nullibi pejus habeant, quàm in domo, & quæ illic detractiones, bone Deus, quales gouliardiæ, quanta in vitam hominum benè viventium, & sobriorum derisio, qui risus, lusus, & gestus indecori, usque ad scandalum vilissimorum mancipiorum, vel muliercularum, sibi ministrantium? sciunt, qui viderunt.

Prima Provisio. Qua in re consulit industriosa Sedulitas, ut fiat primò restrictio frugalis tantæ varietatis, & multiplicitatis ferculorum sumptuosissimorum in eadem mensa, usque ad nauseam & prodigam vastationem earum rerum, ex quibus multi ventres pauperum pasci B possent. Sileamus hîc de ægritudinibus indè nascentibus, de hebetudine mentis, de subversione rationis, de occasione rapacitatis, de temporis, quod pretiosissimum est, consumptione. Consideretur iniquitas illa, qualis quantaque est apud Ecclesiasticos viventes ex laboribus, & oblationibus pauperum, qui ita luxuriantur, quasi gratis obvenerint sibi, quasi præterea ad nihil aliud nati fuerint: diligentiùs quoque pascuntur apud eos, & chariùs aliquando canes, quàm pauperes. Nec ista dicuntur, ut laudetur in Prælatis, personis Ecclesiasticis, sordida tenacitas honestati hospitalitatique contraria; sed adsit frugalitas liberalis, quæ non secundùm inanem jactantiam, aut opinionem prodigorum, sed secundùm conscientiæ virtuosæ judicium mensuretur. Utrùm verò, pensata temporum modernorum qualitate, sit expedientius Prælatos splendere in ornatibus exterioribus, vel ducere vitam pauperum, Christo & Apostolis conformem in nuditate, aut vilitate vestium, alio loco deductum est. C

Secunda Provisio. Fiat ampliùs honesta restrictio talis pompæ in multitudine onerosa, & incomposita, tot servitorum, tot equorum, & mulorum consumentium opes sine mensura, sine fructu. Addè quod enutrit homines istos comatulos, & adolescentes lascivos otiositas pessima doctrix. Nam *multa mala docuit otiositas*, ait Sapiens, *Eccli.* XXXIII. 29. cui pessimæ comites ebrietas, & crapula conjunguntur. Ad quid aliud isti tunc student, nisi vel insidiari alienæ pudicitiæ, prodigi suæ, vel lusibus illiberalibus occupari? Hinc illa adinventio deformissima habituum variorum, hinc juramenta, blasphemiæ, & similia, hinc lusus taxillorum, & similium prohibiti, hinc omnia denique tollentia morum honestatem. Subditi verò ceteri quid faciunt, nisi quod viderint familiam sui Pastoris facientem; imitantur certè & libenter: aut qua fronte juberet Pastor crapulam, & luxuriam à subditis ejici, qui assiduè coram oculis, & in penetralibus suis illa intuetur, & D gaudet exerceri? Proverbium est: *Qualis rector civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Eccli. X. 2. Et: *Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

Tertia Provisio. Fiat observatio jejuniorum ab Ecclesia statutorum constantior apud divites & potentes, præsertim Ecclesiasticos, apud quos prohdolor versa sunt jam velut in derisum, cùm soli ferè pauperes, atque rusticani jejunent; quibus vix est panis cibarius relictus ad saturitatem sufficiens.

Quarta Provisio. Fiat inquisitio diligens, & cauta, super peccatis enormissimis, qualia commemorat Apostolus in principio Epistolæ ad Romanos, quibus corrupit heu! *omnis caro viam suam.* Gen. VI. 12. plùs quàm Sodoma, & Gomorra, & hoc sine differentia sexus, aut ordinis, aut gradus, aut generis, aut ætatis, aut Religionis sacræ, aut matrimonialis vinculi, aut affinitatis spiritualis, aut partium corporis honestarum. Credite fodientibus parietem per districtam inquisitionem in Foro pœnitentiali, qui habentes obstetricandi scientiam, educunt colubrum tortuosum, & vident abominationes pessimas, quæ fiunt. Credite, inquam, quia providendum esset omninò cum effectu, & discretione, contrà tantam familiaritatem in cubilibus, & alibi, quam exercent parentes utrique cum utraque progenie & affines affinibus in adolescentia, senesque cum junioribus tam in Religione, quàm in scholis, & alibi. Dubitaverim prorsùs, si non deteriores mores trahunt aliquando pueri, & puellæ hac occasione in parentum domiciliis, & Religionum, & scholarum contuberniis, quàm facturi erant in prostibulis lenonum, vel meretricum. Et hæc interim dicta sint de secunda partitione principali: operibus dicta firmentur. Fiat, fiat.

TERTIA PARTITIO PRINCIPALIS.

TANDEM reliquum est pro complemento susceptæ commonitionis aliquid dicere pro tertia, & ultima partitione, de pascendis ovibus pabulo charitativæ subventionis, dando animam quoad vim concupiscibilem pro eis. Et quidem non invenio pabulum charitatis & gratiæ melius, efficaciusve tradi posse gregi Christi, quàm per debitam collationem Sacramentorum. Illic quippe gratia confertur in suscipiente, virtute operis operati, hoc est, ultrà, vel supra meritum suscipientis, in virtute meriti Christi instituentis Sacramentum, & illud spirituali privilegio ditantis, ut indè opus privilegiatum nominetur. Concedet præterea ut Minister Sacramentorum tunc maximè se disponat ad gratiam, dùm eam suo ministerio studet apud subditas oves transfundere. Alioquin juxtà probabilem, sed formidabilem quorundam Doctorum sententiam, ipse novo se peccati laqueo stringit.

Proposueram verò velut in antecedentibus, ita & hîc reducere tertiam hanc partitionem ad tres considerationes principales, ostensurus in prima de pabulo salutaris gratiæ per Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ. Baptismus enim generat, Confirmatio roborat, Eucharistia complementum præstat. In secunda de pabulo salutaris gratiæ per Sacramentum Pœnitentiæ quod lapsos reparat, mortuosque vivificat. In tertio de pabulo salutaris gratiæ per reliquum triplex Sacramentum, scilicet Ordinis, Matrimonii, & Extremæ Unctionis. Sed præoccupavit industriosa Sedulitas brevitatem, diligens, & allegans sufficere, si provisiones idoneæ saltem aliquæ usque ad duodenarium numerentur.

Provisio Prima. Quamobrem dic, inquit, ut fiat primò diligens examinatio illorum qui ministraturi sunt Sacramenta, ne fortè sint ignorantes formam necessariò requisitam in collatione hujus, vel illius Sacramenti, ac proindè nihil agant, seu conferant. Expertum est crebrò, multos ex Confessoribus per ignorantiam culpabilem formæ Sacramentalis non veram dare Sacramentalem Absolutionem. Sic obstetrices, aut laïci baptizare quandoque putantes parvulos, de quorum morte dubitant, non verè baptizant, quia forma debita & à Christo instituta non utuntur. Sic inventi sunt quidam ex Prælatis nonnunquam errasse in collatione Ordinis ex defectu, vel formæ, vel materiæ, vel intentionis debitæ, ita ut suppleri, vel de novo fieri necesse fuerit ea quæ prius acta credebantur.

 Pro-

Digitized by Google

Provisio Secunda. Fiat administratio Sacramentorum omnium sicut Apostolus jubet, de omnibus honestè & secundùm ordinem, non in jocis, & scurrilitatibus, quæ ad rem non pertinent. Errant hîc fatui, & fatuæ in Baptismo parvulorum, in celebratione Matrimoniorum cum ululatibus impudicis, & fœdis irrisionibus. In auditione autem Missarum cum quanta irreverentia & indecentia, videre quotidiè est ad oculum. Nonne tangitur Altare per laïcos incompositos, comitatos canibus mingentibus ad pallas Altaris? A Quid de Viris Ecclesiasticis tempore ministerii sui in Ecclesia, & Choro; quas ibi garrulitates non videbis, velut in Foro muliercularum, & rerum venalium est; quas distractiones, quos risus, quos clamores, prohibente nemine ex Superioribus; nam & Superiores culpa par involvit? Quid demùm de ritibus impiis illorum, quos Deus omnipotens vel corrigat, vel malè perdat, qui nedum blasphemias, & insanias falsas exercere, immò defendere non verentur, etiam in Ecclesiis nobilioribus, & horâ Missæ, quas palliant sub nomine fatuorum, adversùs quas aliàs conscripsimus.

Provisio Tertia. Fiat collatio Confirmationis Sacramentalis frequentior per Diœcesim, quia etsi non semper necessitatis sit ut actualiter suscipiatur, est tamen necessitatis, ne contemnatur.

Provisio Quarta. Fiat auditio Missarum totalis diligentiùs à subditis, præsertim diebus Dominicis, & Festivis, & in suis Parochiis. Versatur enim in hoc principaliter Præceptum de observatione Sabbati; nec excusatur omittens à violatione, cessante causa legitima. B Provideatur hîc, ne insistant mercaturis, & operibus servilibus tempore illo. Item de recedentibus statim post aspersionem aquæ Benedictæ, vel Dominici Corporis elevationem. Quid insuper de multitudine præceptiva tot Festorum, quæ vel non observantur, & ita peccatur; vel egestati subditorum mechanicorum non sufficienter consulitur; vel pessimæ otiositati, quâ nesciunt rurales benè uti, janua grandis aperitur. Subintroëunt consequenter magno agmine ebrietates, lites, lusus improbi, expensæ sumptuosissimæ, choreæ plenæ peccatis, & insaniis, & carminibus blasphemis, immò & per Inquisitorem damnandis; dissolutiones quoque luxuriosæ, & ad breve verbum, subingreditur malum omne; ita ut, quod pro honore Dei, & pro animarum salute fuit sapienter institutum, vertitur in contumeliam ejus, & salutis detrimentum. C

Provisio Quinta. Fiat in unaquaque Diœcesi diligens electio Confessorum idoneorum pro Sacramento saluberrimo Pœnitentiæ dignè ministrando. In hoc principalissima, & ferè tota residet utilitas pro pabulo gregis Dominici. Nam per Sacramentum hoc Pœnitentiæ reducuntur oves errantes, sanantur ægrotæ, pascuntur famelicæ, præsertim si Confessor probus, si continens, si doctus, atque sollicitus affuerit. Alioquin si sollicitat ad malum, si ad quæstum solum mendicat, si negligenter, ignoranterque super confitentium transgressionibus inquirat, si per ebrietatem, aut iracundiam sigillum inviolandum quomodolibet effregerit, aut si demùm blandiens obstinatis neque deserere peccata volentibus, eos absolvere tentaverit. Væ, væ, simplicibus ovibus Christi à talibus Sacerdotibus, qui non jam *mercenarii*, Joan. X. 12. sed *rapaces lupi*. Matth. VII. 15. vocandi sunt, quàm longius abigendi.

Provisio Sexta. Fiat Confessio coram oculis omnium D in patenti loco, ne subintroëat lupus rapax, in angulis suadens agere quæ turpe est etiam cogitare. Væ aliter agentibus, & sub familiaritatis specie in angulis, vel camerulis res ignominiâ plenas exercentibus, easque deteriore sacrilegio sub devotionis specie pallientibus, excusantibusque.

Provisio Septima. Fiat reservatio casuum, seu peccatorum, moderatior. Providendum est saltem, quòd nullus casus judicetur reservatus quoad juvenes minores quatuordecim Annis, quia nec habet ætas illa perfectum usum rationis, nec faciliter resistit tentationibus suis, vel malitiis alienis, nec audet leviter coram personis extraneis, & authenticis comparere; quantominùs de pudendis, & verendis confiteri. Consulendum est insuper verecundiæ, & famæ mulierum, ne in suspicionem veniant maritorum, vel parentum, si crebrò, si palàm, si de longinquo ad Pœnitentiarios mitterentur. Expedit denique, faciliter & citò relinquere potestatem super occultis casibus ipsis Curatis, & Ordinariis; non enim de publicis loquimur peccatis: relinquatur etiam omnibus quos bona Fide constiterit velle, & scire proficere animabus, non ad quæstum, vel subversionem. Tales quippe diligenter inquirendi essent, inducendi, & rogandi, immò conducendi, quantò magis dùm se ultrò, & gratis offerunt, admittendi. Pœnitentiam itaque dicit Hieronymus, *secundam post naufragium tabulam*, quam amplificare, & dilatare plùs expedit quàm ut nimia arctatio sua nequeat illos recipere, qui allici, immò velut impelli debuerant. Qua super re extat quædam Epistola longior ad Pastoralem Dignitatem.

Provisio Octava. Fiat examinatio diligentior Clericorum ad Sacros Ordines se offerentium, præsertim in vita, & moribus, de spe insuper continentiam quam vovent observandi, & ut Latinam linguam competenter intelligant, cum his quæ Sacerdotale requirit officium. Alioquin consultius esset pauciores, sed electiores constituere, quàm laxare passim per ovilia Domini tales sine disciplina, sine eruditione, sine continentia, nihil à dissipatoribus lupis differentes. Hîc de concubinariis, & de suscipiendo, vel non suscipiendo Sacramenta ab eis; de tolerando quoque eos, vel abjiciendo; de corripiendo insuper eos per Superiores, non pro quæstu annuali eos confovendo, multa se offerrent tractanda, quæ alio loco disputata sunt. Hîc præterea de non ordinandis antè ætatem legitimam, dispensatione non habita, cautè agendum est, quia peccant ordinans, & ordinandus: nec datur executio, immò nec ordo quandoque, si Prælatus tales per expressium ordinare non intendat; est enim essentiale in collatione cujusvis Sacramenti, conferentis intentio.

Provisio Nona. Fiat Matrimonialis conjunctio cum omni solemnitate, & Bannis, neque in domibus profanis, sed in Ecclesiis, ne incidat in illud improperium Apostoli: *Ecclesiam Dei contemnitis?* 1. Cor. XI. 22. Moneantur quoque diligenter per suos Confessores ut infrà limites maritalis licentiæ sese contineant, ne abutantur inhonestiùs & execrabiliùs seipsis, quàm meretricantes in prostibulis.

Provisio Decima. Fiat collatio diligens Extremæ Unctionis, dùm adhuc patiens sentitur compos mentis, quatenùs admonitio salubris de salute propria, pia quoque ad hoc Sacramentum devotio sibi proficiat aliter quàm si pressus ægritudine animus nihil attenderet. Est quidem hoc Sacramentum reïterabile, est etiam necessitatis, ut non contemnatur; quàmvis non ut continuò, vel semper suscipiatur. Hîc de ægrotantibus specialiter in domibus Hospitalium, deque sepeliendis eis cum pietate, dùm illic fortè ignoti moriuntur esset attendendum.

Provisio Undecima. Fiat frequentior, utiliorque visitatio per totam Diœcesim, vel Provinciam, spargendo ubique bonum semen verbi Dei, etiam si fieri commodè potest, præsente Prælato principali, prout jura volunt, ut circumeat Parochiam. Hic est cardo totius reformationis Ecclesiasticæ. Hæc virtus omnis hujus, aut similis Concilii Provincialis. Quemadmodùm enim vetere Proverbio dicitur: *Oculus Domini impinguat equum.* Sic præsentis Pastoris autoritas nutrit, & pascit gregem suum. Ita tamen, si providus, & compositus in se, & familia sua pastor fuerit, & sagax; non lupus, non latro rapax. Hoc modo visitare nonne esset dare pondus autoritatis, & honoris, verbo Dei, quòd nunc per inertiam,

tiam, vel omissionem, ne dicamus vilipensionem Prælatorum versum est apud subditas oves in opprobrium quoddam, & fabulam. Quare? quia videt populus solos Mendicantes, & pauperes apud eos contemptibiles prædicare verbum, nec adesse Prælatos, ut vel sua illud honorent præsentia.

Visitando denique exerceretur inquisitionis Officium, perquirendo de doctrinis variis, & peregrinis, clàm, vel palàm seminatis, de sortilegiis, de superstitionibus, de blasphemiis, & contumeliis, & gravaminibus A plebis per exactores Curiales, vel alios; de Excommunicationibus quoque justis, vel injustis, & citationibus, vel angariis. Exerceretur proindè Sacramentum Confessionis fructuosè, & misericorditer, tàm pro casibus reservatis, quàm pro quibusdam criminibus quæ parochiani celant quandoque propriis Curatis, & aliquando non sine justa ratione. Concernit quoque hic visitationis modus Archidiaconos, ne plus ad quæstum, & subversionem, quàm ad pietatem, & ædificationem sua visitatio judicetur executa. Et ne sit velut cattus abigens quidem mures à caseis, ipsos verò plùs devorans. Hoc prætereà respicit celebrationem annuam Conciliorum Provincialium, quia secundùm verba Juris, nihil penè sic mores disciplinatos ab Ecclesia expellit, quàm negligentia Sacerdotum, qui contemptis Canonibus ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Deinde, ne quis B diceret, quòd sufficientes contrà omnem prævaricationem constitutæ sunt Leges à prioribus, subditur; quòd ea quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti sententia debent condemnari, & velut repullulantia malis radicibus germina crebriùs amputari, præsertim per visitationem quæ est quædam applicatio Legum ad operationem, & sua vivificatio, quæ aliter mortuæ sunt, vel languescunt.

Provisio Duodecima. Fiat ad extremum reductio pulchræ pacis, tam turpiter exulantis, ad habitaculum totius Ecclesiæ, & hoc per implorationem divinæ misericordiæ, per morum correctionem qui nos sua perversitate à nobis, Deoque separant; per Concilii generalis (si ita visum fuerit) celebrationem, in quo generales per Christianitatem errores passim sparsi venirent hoc generali remedio corrigendi.

Pergebat hoc loco industriosa Sedulitas velle plura, particulariaque super ipso schismate pestifero terminando disserere, ut de subtractione, de neutralitate, de Beneficiorum ad Ordinarios revocatione; sed modestia repressit dicens: hîc neque locum esse, neque tempus; jam C quoque dandus est, ait, multiloquio tuo finis. Parui modestiæ, & sub exhortatorio quodam epilogo concludere taliter institui.

Bonus Pastor, ut audivit vestra devotio præclarissima, Viri Patres & Fratres; *bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*, Joan. x. 11. dixit Christus Pastor ille, qui fecit quod docuit. *Nam cœpit facere*, post *docere*, Act. 1. 1. ut qui potens erat priùs opere, post sermone, priùs coram Deo, dehinc coram populo; dedit animam suam pro ovibus suis in prædicatione, in operatione, in Sacramentorum per mortem ejus vivificatione. Fiat hoc similiter à vobis. *Attendite* priùs *vobis*, dehinc *universo gregi*, *in quo posuit vos Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Act. xx. 28. Quamobrem inveniatur apud unumquemque vestrûm, conformiter ad præmissam triplicitatem, & sacram Evangelii lectionem, triplex conditio. Vocet D unusquisque oves suas proprio nomine, & hoc Prædicatione, & familiari exhortatione; vadat ante eas, & hoc exemplari conversatione, & sollicita directione. Defendat, & adjuvet eas, & hoc in Sacramentorum religiosa ministratione. Sic associabunt eum sedula turba, canes latrantes in voce Prædicationis. Sic audient vocem ejus oves, & sequentur, quia præcedet eas in gressibus operationis. Sic demùm cognoscet singulas ex nomine, attendens diligenter vultum pecoris, in Sacramentorum, præsertim Confessionis exhibitione. Sic pascet eas tripliciter. Pascet verbo, pascet exemplo, pascet subsidio. Et hoc per seipsum, quod utique sanctius, efficaciusque est; vel per idoneos Visitatores substitutos: adjuvante Deo, & omnia confirmante, qui est Pastor bonus, & Deus benedictus in sæcula sæculorum, Amen. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS DE VISITATIONE PRÆLATORUM, VEL DE CURA CURATORUM.

Ad MSS. Codd. Vict. 698. & Colbert. 99.

AD laudem Dei, & ædificationem populi Christiani, compilata est hæc brevis, & rudis compilatio tempore quo celebratur Remis Provinciale Concilium Anno Domini 1408. ultima Aprilis, collecta tàm ex sermone illic habito, quàm ex schedulis, & dictis variis plurimorum. Et in primis, cùm Institutiones Canonicæ sint inefficaces, & languidæ, nisi per Pastorem, qui est Lex viva, demandentur effectui, saluberrimum videtur pro reformatione morum, & subditorum emendatione, quòd Pastor juxta canonicas Sanctiones visitet diligenter, & crebrò suum gregem, aut per ipsum, aut per Vicarios doctos, habentes plenariam ab eo potestatem, in negotiis præsertim spiritualibus ordinandis, & expediendis, præcipuè circà materiam Pœnitentiæ, prout eis visum fuerit expedire, & cum moderato stipendio eis ordinando per Prælatum. Qua in re videntur attendenda pro quadam generali recommemoratione ea quæ sequuntur; cum additione, vel diminutione, secundùm circumstantiarum occurrentium qualitatem, & cum appositione remediorum, secundùm prudentiam visitantis.

Primò visitaturus Prælatus aliquam Parochiam personaliter, adventum suum prænuntiet per dies aliquot, priùs indicans per schedulam, ut si quis indigeat consilio, vel remedio salubri pro facto conscientiæ suæ, sive in commutatione votorum, sive in casibus reservatis, sive in aliis quibuscumque, sit paratus tali die, tali hora, & tunc confidenter adveniat. Indicetur præterea omnibus parochianis cessatio ab omni opere, ut in Ecclesia compareant.

Item si Visitator sit Prælatus, indicetur eis ultrà hoc, quòd ad Sacramentum Confirmationis dignè suscipiendum se præparent, & illud recipiatur. Qui si non sit Prælatus, inducantur adire eum quam primum commodè poterunt. Est enim Sacramentum salubre, nec contemnendum, dùm opportunitas se ingerit.

Item Visitator in principio sui adventus poterit ad populum in Ecclesia per se, vel per alium facere commemorationem brevem, conformiter ad illa quæ continentur in Tractatulis compositis pro eruditione simplicium Sacerdotum, & populorum, in materia Præceptorum, & conscientiæ.

Item Visitator poterit priùs, si voluerit, vel postmodùm interrogare ab illo vel de illo, qui deservit Curæ Parochiali, si sit Curatus, vel solùm Vicarius mercenarius con-

Digitized by Google

conductus. Item qualis est in habitu, in tonsura, in victu, in conversatione, in eruditione. Item quales reditus sunt in Cura, & quomodò ministrantur, quoniam ex defectu sufficientis provisionis illis qui Altari deserviunt, eveniunt mala multa. Item de Presbyteratûs domo, ut utensilibus & reparationibus, tàm in Ecclesia, quàm alibi per matricularios, seu parochianos faciendum. Item qualia habeat stipendia Vicarius A ille qui deservit, sicut tactum est. Et fiat sufficiens provisio per principalem, sive sit ille Curatus, sive Collegium, juxtà Canonicas Sanctiones. Et sciatur, quo privilegio gaudet Curatus non residens, & si justè. Item si in Parochia sit alia villa adjuncta pro succursu, propter quam oporteat eum celebrare duas Missas quandoque in die, & qualiter in illis se habet. Et si in prima Missa capit ablutionem, quod fieri non debet, quia solvit jejunium naturæ. Item videatur, si ille sciat ea quæ spectant ad officium Curati, & specialiter in materia Sacramentorum, ubi majus esset periculum: ut sciat formam pro Baptismo, pro Eucharistia, pro Absolutione, tam ab Excommunicatione quàm à peccatis, nec non pro Matrimonio & pro Extrema Unctione, & si nesciat, doceatur. Item sciatur ab eo, qualiter se habeat in casibus dubiis emergentibus quandoque circà ministrationem Sacramentorum, ut circà celebrationem Missæ; dùm cadit aliquid in calicem, vel dùm Sanguis effluit, vel dùm reperitur esse vinum sine aqua B in calice; vel in pyxide, ubi est Hostia sacra, inveniuntur vermes, &c. Et si nesciat, doceatur.

Item circà Baptismum, dùm puer est baptizatus de obstetrice, qualiter se habeat & doceatur.

Item si obstetrices sciant veram formam baptizandi in Parochia sua, & super hoc poterunt obstetrices interrogari & doceri, quòd hæc forma est, spargendo aquam super puerum: *Joannes*, vel *Christina*: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.* Item qualiter se habeat ergà infirmos visitandos in articulo mortis, & si nesciat, doceatur. Item si celebret semper jejunus, hoc est, quòd nihil sumpserit post mediam noctem ejusdem diei, quamquam post illam horam dormierit & jejunus sit, quoniam hoc non debet.

Item si ostendit hostiam populo antequàm sit consecrata, quoniam hoc fieri nunquàm debet, & abusus obtentus corrigatur. Item si celebraverit suspensus à Jure vel ab homine, per Excommunicationem, quia C ab Irregularitate indè contracta solus Papa, & summi Pœnitentiarii tunc absolvunt, & super hoc doceatur. Item si celebraverit coram excommunicatis, causa timoris vel favoris, vel quia nolebant recedere; & juxtà rationem, sive tenorem, detur sibi consilium. Item si dixerit Primam antequàm celebret, sicut debet fieri, nisi in die Natalis Domini. Et si post pollutiones nocturnas aut diurnas statim celebret, super illa re doceatur quid agendum sit, nunc propter reverentiam Sacramenti, nunc propter officii sui necessitatem. Item quomodò se habet in Foro Pœnitentiæ ergà confitentes sibi, qualiter interrogat de peccatis, qualiter instruit, qualiter absolvit, qualiter remittit pro casibus reservatis; & qui sunt casus reservati: qualiter absolvit excommunicatos, vel participantes; qualiter injungit pœnitentias; & si absolvit eos, qui nolunt habere propositum desistendi à peccatis, ut rancore, furto, luxuria. Quibus locis & temporibus audit Confessiones. Si pro peccatis occultis dat pœnitentiam publicam vel D solemnem, sicut faciunt stulti Pœnitentiarii in principio Quadragesimæ mulierculis & hominibus, qui sæpè nullam habent culpam, aut saltem non publicam super morte parvulorum suorum, & doceatur diligenter de omnibus verbo, vel scripto.

Item si Ecclesiam suam cum sacris ornamentis, & sacro Chrismate, & Fontibus pro Baptismo, teneat decenter, & honestè, & securè. Item si Altare suum sit integrum; si Hostiam sacram mutat de Mense in Mensem, vel crebriùs, vel super his sollicitè moneatur atque doceatur. Item sciscitetur cautè, secretèque apud parochianos de aliis moribus suis, ut si sit continens vel concubinarius; si sollicitat ad malum mulieres confitentes; si per iram vel crapulam frangit sigillum Confessionis signo vel verbo; si sit lusor ad taxillos, vel aliter scandalosus populo, in tabernis, in juramentis horribilibus, &c. Et sic admoneatur, ut emendetur vel ejiciatur. Item si se reconciliet, & per quos, dùm vult celebrare. Item quos accipit adjutores in Confessionibus audiendis circà Pascha. Et si se Fratres ingerunt, eo tunc invito, & si parochiani sui omnes, seu sibi vel ordinatis ab eo repræsentant, licèt ab aliis se dicant fuisse confessos.

Item si per negligentiam suam aliqui exspirant sine Sacramentis, vel pueri, vel ægroti, aut si mulieres habentes pueros ex concubinatu admittit solemniter ad Purificationem; quoniam hoc non debet. Item qualiter denunciantur Festa, quoniam sæpè fit excessus & laqueus apponitur, si nescit.

Item qualiter facit Absolutionem generalem in Pascha, & si nescit, doceatur, & detur sibi forma.

Item si habeat Statuta Synodalia, & si sciat legere ea, & si publicat ea quæ debet ex talibus populo nunciare, & in hoc debent esse Prælati paucis contenti, quoad illa quæ concernunt temporalitatem Ecclesiæ, sed magis de salute provideat animarum.

Item si sciat cantare & legere in Missali. Item si habeat in scriptis tenorem generalium Præceptorum, si sciat septem peccata mortalia, & videatur de Doctrinali simplicium, vel de Tractatulis aliis ad hoc ordinatis; quoniam hæc sunt magis necessaria, & utilia, quàm solæ Constitutiones Synodales, ut dictum est.

CETERUM post inquisitionem de moribus Curati vel sui substituti, poterit fieri inquisitio ab eodem vel ab aliis probis, super conditionibus parochianorum, & hoc cautè, in generali petendo qualia vitia magis regnant in Parochia sua, non nominando personas, nisi vitia sunt notoria; ut secundùm hoc posset Visitatorum sermo meliùs adaptari. Inquiratur ergò si in parochia sint plures excommunicati, & quibus casibus, ut Visitans possit ad eorum Absolutionem procurandam meliùs procedere.

Item si regnant ibi hæreses, sortilegia & qualiter, & si sint superstitiones in ligaturis, scripturis, & brevibus appensis; si blasphemiæ, si usuræ, si falsæ mercationes, si furtum, si peccatum contrà naturam, si adulteria, & similia; quia secundùm ista poterit Visitator Prædicationem, vel Visitationem suam, vel Confessionem fructuosiùs adaptare, ut dictum est.

Item, si parochiani benè servant Festa principalia, veniendo ad Missam, & stando per totum; vel si recedunt sumptâ aquâ benedictâ, vel post elevationem Corporis Christi. Notetur hîc de moderatione, qualiter fieri possit in tot Festis, sive per Concilium generale, sive per Provincialia de consensu ejusdem Concilii generalis. Et notetur de Festo Trinitatis solemnizando, prout Papa noviter instituit. Item si solvant Decimas, de quibus & quibus. Si veniunt omnes ad Confessionem, saltem in Pascha, ut tactum est, & si sciant, *Pater noster*, & *Credo*, & si dicunt illa, & si non, compellantur ad illa scienda & dicenda. Item si vexantur ab Officiariis Prælati vel alterius, & qualiter, super his provideat Visitator. Item si Testamentorum executores faciunt suum onus impositum, & si non, moneantur & cogantur. Item si fuerint inter aliquos inimicitiæ capitales, & sic finiantur, prout poterit fieri. Item si sint lites motæ inter eos, & quibus causis, & si possent ad concordiam summariè convocari, ut tactum est. Item si jejunia Ecclesiæ observant, vel si irrident. Item si scholæ habentur pro juvenibus. Item qualiter instruuntur pueri in Parochia & alia loca visitando, sive sit in Religione sive alibi; quia à pueris debet inchoari reformatio Ecclesiæ. Et prohibeatur hîc nimia familiaritas fratrum, & sororum ad invicem, & cum parentibus; quia jacendo cum

Digitized by Google

cum eis aliquando suffocantur in corporibus, & deterius aliquando provenit in moribus: provideatur igitur, quòd sint scholæ, ubi non sunt. Item si morientes in puerperio aperiantur, ut infans vivus recipiatur, & baptizetur; quoniam hoc expedit, sed cum cautela.

Item qualiter se habent parochiani in Ecclesia reverenter, & ordinatè, & quietè, & si non, moneantur. Item si fiunt Sermones apud eos & per quos, & quando, & quomodò, & si accedunt ad audiendum. Item si quæstuarii, seu quæstuores veniunt ad eos, & quomodò missi sunt, & quid dicunt super materia Indulgentiarum; si irrationabilia, aut mendacia, esset providendum. Item si laici & mulieres intrant Chorum, & si ducunt choreas in locis sacris, & si illìc celebrant convivia, & si induunt vestes sacras, & si sic; corrigantur, & prohibeantur. Item si irreverenter se habeant dum baptizantur sui pueri, & dum fiunt Matrimonia, vel in aliis Sacramentis ridendo, jocando, garrulando, & si fiunt nuptiæ cum Bannis, & in Ecclesia Parochiali. Item si infirmi priùs quærant Medicos animarum quàm corporum, & juxtà hoc quid fieri debet moneantur. Item si parochiani turbant, vel per se vel per canes, per infantes clamantes, divinum Officium, quod nequaquàm conveniens est fieri.

Item si diebus Festivis exercentur à sæcularibus Justitiariis torturæ, & quæstiones ad mortem, & si impediuntur ne confiteantur ante mortem, quæ omnia fieri non debent. Item si qui loquuntur irreverenter de Prælatis, & Dominis, & aliis, scandalum procurantes, non correctionem. Si quærunt Extremam Unctionem in infirmitate. Si abortivos & excommunicatos sæpeliunt in cæmiterio. Si exercent mercaturas in Festis, & locis sacris, & si exercent tunc opera servilia. Et si in Ecclesia sint arcæ sine necessitate guerrarum; & secundùm hoc doceantur quid agendum est. Item si parochiani excedunt in crapulis, & ludis prohibitis, & similibus, specialiter in nocte Natalis Domini & aliis Vigiliis sacris, & super his doceantur. Ampliùs si sint alicubi Judæi, videatur quòd non seducant Christianos, nec signis careant distinctis, & si velint converti, non omninò spolientur suis rebus. Ampliùs, si in Parochia sint domus Religiosorum, & Hospitalia, fiat inquisitio secundùm status eorundem, & qualiter servant vota sua, specialiter continentiæ, & paupertatis, sine approbatione, quomodò curant de pauperibus, & specialiter in spiritualibus, & si, antequàm recipiantur infirmi, confiteantur, quemadmodùm fit in Domo Dei Parisiis. Item si illic sint Monachi Compatres. Si obligant Ecclesias suas, & si sic, prohibeantur.

RURSÙS applicet se Visitator per se, vel suos comites, ad audiendum Confessiones diligenter, & morosè, tàm magnorum, quàm parvorum, modis idoneis, & secundùm instructiones alibi memoratas, præsertim quoad peccata carnis, quæ difficiliùs & periculosiùs extrahuntur; nam in hoc stabit fructus principalissimus reformationis. Item si ille qui deservit Curæ repertus fuerit idoneus; detur sibi bona potestas super casibus occultis reservatis, & præsertim, quæ sint repetita, & erga juvenes, & feminas. Item si non reperiatur esse talis, instituatur in proximiori loco unus idoneus sæcularis vel Religiosus, tanquàm Pœnitentiarius, ad quem possent remitti parochiani super talibus casibus reservatis, & super habendo consilio in talibus dubiis conscientiæ. Item pro debita appositione remediorum per Visitantem expedit ut habeat, & haberi faciat Tractatulos breves per Parochias in vulgari, de examinatione conscientiæ, & de casibus reservatis ad hos, vel ad illos, cum Statutis Synodalibus abbreviatis pro cognoscendo quæ sunt formæ præcisæ Sacramentorum, nec non de Præceptis Dei, atque similibus. Item pro tractando certum & fructuosum modum reservandi peccata; videtur primò quòd nullus casus debet reputari reservatus apud pueros, & puellas juniores quatuordecim Annis, propter causas in quadam quondam Epistola notatas, quæ incipit: *Pontificali dignitati*. Item modus traditus in Synodalibus Domini Episcopi Cameracensis videtur idoneus, paucis additis, aut remotis.

Primò loquitur Episcopus sic dicens: Reservamus nobis majora peccata, videlicet peccata contra naturam in viris ultra viginti Annos, homicidia, incendia, simonias, hæreses, apostasias, sacrilegium ultrà quadraginta solidos, incestus cum Patre, Matre, filio, filia, sorore, fratre, & cum Religiosis mulieribus, ac Professis, injectiones violentas manuum in parentes ex deliberatione factas, sortilegia in Sacramentis, videlicet in Eucharistia, & Chrismate, oppressiones parvulorum voluntarias & procuratas, negligentias parentum in igne, vel aqua natos perdentium, perjuria solemnia & fidei fractiones solemnes in Curia nostra, votorum solemnium transgressiones, maleficia impedientia coïtum conjugatorum, procurationes sterilitatum, vel abortivorum, propinationes veneni, magnas blasphemias Deo factas, casus eorum qui falsificant Litteras Curiæ nostræ, vel abutuntur eisdem, omnes Excommunicationes tàm à nobis, quàm à Canone latas, exceptis inferiùs nominatis, & expressis, & omnia talia peccata istis graviora. Casus pœnitentiarios per Decanatus commissos committimus Pœnitentiariis nostris generalibus per Decanatus deputatis. Peccata contrà naturam in omni ætate à mulieribus perpetrata, & à viris infrà vigesimum Annum; pollutiones manuum in omni ætate, perjuria, & fidei fractiones quæ non fuerunt fractæ in Curia nostra, votorum non solemnium transgressiones, injectiones manuum in parentes, ubi non fuit læsio gravis, vel deliberatio, sortilegia quæ non sunt de Eucharistia, vel Chrismate, injectiones manuum parvulorum in Clericos usque ad vicesimum Annum, oppressiones parvulorum non voluntarias, sed casuales, clandestinas nuptias, incestus, exceptis Patre, Matre, filio, filia, fratre, sorore, omnia adulteria; hoc salvo, quòd si clandestinæ nuptiæ, incœstus, adulteria per duos testes aut plures qui his interfuerint, aut aliàs per communem famam, vel infamiam probari possint, priùs super his Ecclesiæ, vel nostram Jurisdictionem exercentibus satisfaciant. Injectiones manuum in Clericum, vel Sacerdotem, ubi non est enormis læsio, quæ tamen si probari possit (ut prædictum est) priùs Ecclesiæ, & læso satisfaciat. Sacrilegia usque ad quadraginta solidos, ità tamen quòd debita fiat restitutio Ecclesiæ de eisdem. Omnia peccata, in quibus Curati habent potestatem. Item restitutiones incertæ convertendæ ad pios usus. Casus, qui Presbyteris, Parochianis Curatis, & eorum vices gerentibus committuntur. Inordinatus concubitus cum mulieribus, mollities, & peccata contra naturam in ætate puerili in viris usque ad nonum Annum, adulteria ex parte viri provenientia, damnificationes, & furta, dummodò fiat restitutio Ecclesiæ, injectio levis manuum in parentes, sortilegia in rebus minimis, & communibus ubi non est horror & turpitudo, perjuria privata in quibus nullus damnificatur, stuprum virginum, aborsus non procurati, sed casuales. De casibus, nobis, aut Pœnitentiariis nostris reservatis, Curatis, & eorum vices gerentibus; excepto mortis articulo, aut alia manifesta necessitate, absolvendi omnem interdicimus potestatem.

Sacerdotes vero Confessiones mulierum cum quibus peccaverunt, aut fautorum, & mediatorum, non audiant, donec saltem de peccatis inter eos aliis confessi fuerint competenter, & cessaverit infamia, si qua fuerit propter hoc contra eos; sed mittant eas ad

ad honestos, & idoneos Confessores. Ac ibidem notetur, quod hic expediret ut in Conciliis Provincialibus esset major autoritas collata à Papa circà ordinem casuum reservatorum, & Irregularitatis, ut salubriùs provideretur.

PORRÒ si talis Visitatio de qua loquimur non fiat per Parochias; videntur tamen ista diligenter esse interroganda singillatim à quolibet Curato, & Vicario ejus secundùm statum suum, & hoc dùm venit ad Synodum Episcopi, & aliorum, & hoc vel publicè, vel ad partem, vulgari lingua, vel Latina, prout expedientiùs, vel utiliùs esse videbitur ad laudem scientium, & nescientium verecundiam, ac doctrinam.

Item quòd fieret talis examinatio de omnibus quæ ad regimen Curarum, priùsquam eis litteræ concederentur.

Item Domini Prælati, & alii habentes Jurisdictiones, poterunt facere speciales instructiones pro inquisitione facienda super abusibus qui dicuntur fieri in Curiis suis, ut sciant, & provideant; tanquam incipientes reformationem à seipsis, & à domo sua.

Item notetur hìc de juramentis Officiariorum requirendis, & servandis, sicut ordinatum est, eo quod cognitum est quòd multa sanctè jurent, sed ferè nihil observant.

Item de juramento exacto ab illis qui quæstionantur, vel per impositiones à mercationibus, quorum tamen juramento non statur, cùm *finis omnis controversiæ sit juramentum* secundùm Apostolum. Hebr. VI. 16. Nam per ista grandis laqueus ad perjuria etiam publica, & solemnia procuratur.

Item de Testamentis expediendis sine tali sumptu, & protactu, in præjudicium grave animarum, quæ torquentur in Purgatorio.

Item de Excommunicationibus tam frequenter, & leviter fulminatis à Jure, & Judice.

Item si absolutus judicialiter ab Excommunicatione confiteatur iterùm sacramentaliter, quià sic oportet fieri, ut super his fiat declaratio per hoc sacrum Concilium, juxtà Institutiones olim, & noviter per Venerabilem Universitatem Parisiensem compositas. Et licèt Sententia Excommunicationis non ligat, ut excommunicatus vitetur, nisi sit judicialiter pronunciatus esse talis. Similiter quòd Irregularitas non incurratur pro Excommunicatione, nisi sit declarata per Judicem, & ità de similibus, quæ multos tollerent laqueos animarum, & indè melior ordo Hierarchiæ civilis servaretur.

Item de Promotoribus, qui dùm faciunt exactiones injustissimas, nihil solvunt de expensis, nec puniuntur; sed reportant salaria sua ab innocentibus absolutis, diffamatis, & vexatis.

Item de applicatione pecuniarum pro emendis taxatorum in pios usus, & publicos; quia aliter est scandalum contrà Prælatos in populis.

Item ad evitandum notam, vel speciem simoniæ in omnibus, ubi dantur pecuniæ ad ministrandum spiritualia, sicut sunt Ordines, Sepulturæ, Baptismus, Missæ, &c. expediens videretur, & conformiter ad Jura, aut quod nihil reciperetur, aut cum moderatione majori, aut quòd priùs darentur spiritualia quàm aliquod exigeretur, vel reciperetur temporale, sed postmodùm quærerentur consueta, quæ si renuerentur contumaciter solvi, fieret tunc honestiùs actio contra tales.

Item hoc esset interpretandum, si Jura olim tradita contrà dantes aliquid in omni re spirituali, & in introitu Religionis sint in sua severitate servanda, sicut apparet quod non; alioquin ferè totus Ecclesiasticorum cœtus in damnationis statu esset: fiat igitur declaratio.

Item in ministratione Ordinum fiat diligentior inquisitio, & observatio ætatum institutarum per Canones, & hoc per Religiosos, sicut per alios.

Item idem si sint Privilegiati, quia hic est laqueus formidabilis pro Prælatis, & pro talibus ordinatis propter suspensionem & alias pœnas Juris, vel propter defectum Prælati in intentione, quia prædicunt publicè quòd intendunt tales ordinare, ut Subdiaconus fiat in decimo octavo. Diaconus in vigesimo. Sacerdos in vigesimo quinto Anno, nedum propter A scientiam, sed etiam propter mores.

Item quòd non promoveantur sine certo & stabili Titulo Beneficii, vel patrimonii, sine fraude.

Item sciant competenter loqui Latinum, & intelligere. Et provideatur quòd non sint Sacerdotes in scandalum. Et hìc proficeret ponere modum tot Missis, quas habere volunt in domibus suis communiter homines parvi status.

Item denuncietur recipientibus sacros Ordines, quòd faciant votum castitatis solemne, ne putent se liberos ad fornicandum, sicut fatui quidam putant.

Item contra prædones, & vexatores terrarum Ecclesiæ videretur procedendum per viam publicæ, & piæ Prædicationis ad Dominos, insinuando gravamina particulariter, & ostendendo pericula suarum animarum, nisi provideretur, & non dando onera, denunciando Curatis, aut suis Vicariis, quia nec au-B dent, nec possunt exequi.

Item quæratur executio Constitutionis quam Papa fecerat pro Theologis, immò veriùs pro Ecclesiis, ut scilicet in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiata notabili sit una Præbenda affecta in perpetuum pro uno Theologo qui legere, docere, & prædicare sit astrictus. Similiter providendum esset Abbatiis, & Monasteriis, quòd non carerent viris docentibus eos, etiam à puero, meditari in Lege Domini die ac nocte: quià cum tali ignorantia, quid de divinis intelligerent, aut saperent?

Item reformetur honestas in divino Officio, & Servitio, contrà ludos fatuorum contumeliosos Deo, & Ecclesiæ, & per Excommunicationem, & privationem distributionum, vel incarcerationem.

Item contra garrulationes indecoras in choro tempore Servitii, & fiant novæ Constitutiones, aut jam editæ conserventur.

Item deberet fieri specialis inquisitio, ut Visitatio pro Mendicantibus tam in facto Sermonum, & Con-C fessionum, quàm aliorum, & specialiter quòd evitent consortia feminarum in camerulis, & detractiones in Sermonibus, & fabulas inutiles, & assertiones temerarias, definiendo aliquid generaliter esse peccatum mortale, vel non esse. Et quæratur qualiter in præmissis se ingerunt, & si contrà Decretalem; *Omnis utriusque sexus.*

Item quæratur, de quibus peccatis remittunt ad Pœnitentiarios, quia dicitur quòd aliqui absolvunt ab omnibus.

Item si ministrant Sacramenta contrà prohibitiones Juris, si prædicant contrà Prælatos, & Sepulturas, & Decimas, si admittunt excommunicatos à Judicibus ad sua consortia in divino Officio, seu Servitio & ceteros, sicut fertur ab aliquibus esse.

Item pro Prioratibus desolatis, ubi non sunt nisi unus, vel duo Religiosi, sæpe in scandalum sui, & aliorum, esset providendum; quià dum redeunt ad claustra, turbant alios, nec proficiunt.

Item de observatione Benedictinæ, pro Monachis D nigris, & aliis: videatur illa & quæ necessaria sunt, & declarentur.

Item videatur de modo conferendi benè & liberè Beneficia, in casu reductionis Beneficiorum ad Ordinarios, & de reliquis consequentibus.

Item providendum est in excessibus Visitantium plus sæpè ad quæstum, & pompam, & destructionem, quàm ædificationem, & ordinetur certa taxa moderata.

Digitized by Google

Item videatur de modo habendi certam contributionem pro tota Provincia ad defendendum, & prosequendum ea quæ erunt ordinata; & quòd ipsa viriliter, & prudenter exequantur usque ad aliud Provinciale Concilium, & de triennio ad triennium fieri debet ex pœna apposita, vel ordinetur alia, conservetur, & declaretur: similiter qui debent comparere, & qualiter.

Item, si expediat tres, vel quatuor Provincias quandoque simul convenire.

Item, si ordinentur conformiter ad Decretalem aliqui, qui habent inquirere reformanda pro qualibet Diœcesi, & referre avisamenta provisionum decentium in sequenti Concilio.

Item, fiat in qualibet Diœcesi monitio similis illi quam Episcopus fecit Parisiensis contra loquentes sub specie joci contra Fidem, & Sacramenta, ut scilicet audientes denuncient tales Episcopo loci, vel Officiali, vel suo Curato infra octo dies, aut quamprimò commodè potest fieri. Et hîc essent graviter prohibendæ cantilenæ erroneæ, & lubricæ, & contra honorem matrimonialis Sacramenti compositæ, sed prudenter secundùm locorum, & temporum, & morum qualitates. Hæc, inquam, plùs in modum cujusdam memorialis, quàm doctrinæ subtilis notata sint: det autem in exequendis Spiritus sui robur Deus, qui est benedictus in sæcula. Amen.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SERMO

DE

DESIDERIO & FUGA

EPISCOPATUS.

De novo Editus ex MS. Cod. Victor. 463.

ET *ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, & venerunt ad eum, & fecit ut essent duodecim cum illo.* Marc. III. 13. 14.

Tenuit jam nos per aliquot lectiones præsens particula textus; sub paucis enim verbis multam hoc loco sententiarum varietatem inclusit Evangelista noster Marcus, sive litteralem intellectum quis sequatur, sive in mystico, vel morali magis adhæreat. Attendite quia de ascensu Christi in montem, & de vocatione eorum ad se, *quos voluit ipse*, & de adventu obedientiali vocatorum, denique de numero eorum determinato fit hic sermo. *Et ascendens*, inquit, &c. *Marc.* III. 13. 14. Novissimè tandem, ut interim omittamus reliqua, movebatur ista quæstio litteralis: Utrùm liceat appetere vocationem Christi ad ordinem Apostolicum, hoc est, ad Episcopatum. Et huic dubitationi satis annexa est altera: Utrùm vocatus ad Episcopatum venire per acceptionem teneatur, quia dicitur hìc: *venerunt ad eum.* Rursùs altera subjungitur. Ad quid institutus est ultrà Summum Pontificem Christum, vel ejus Vicarium, certus numerus Prælatorum, quia dicitur: *& fecit ut essent duodecim cum illo.* Dicamus, si placet, aliquas super his breves Propositiones ad aliqualem elucidationem hujus materiæ, & in primis repetamus aliqua dicta priùs in proxima superiori lectione pro dissolutione rationum, tunc ad utrumlibet notatarum, de appetitu Prælationis, vel sonantiùs ad Apostolica verba, de desiderio Episcopatûs: *Qui Episcopatum, inquit, desiderat &c.* I Tim. III. I. Et quoniam intentionis oculus, vel illustrat, vel offuscat totum operationis corpus, dans, ut dici solet, operationi nomen, resolvemus desiderium Episcopatus ad varios fines, ut quolibet seorsùm liquidiùs appareat, quis bonus, aut quis illicitus, dici mereatur.

1. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum propter eminentiam status, tanquàm propter finem principaliter intentum, peccat peccato elationis, superbiæ, & vanitatis ex consequentibus. Hanc veritatem includit autoritas Augustini pro ratione quadam inducta *Lib.* XIX. *de Civ. Dei. Locus superior, sine quo populus regi non potest, etsi administretur, ut decet; tamen indecenter appetitur*, appetitum intellige sistentem se in loco superiori, velut in fine principali.

2. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum propter sufficientiam temporalium, ut sunt victus & vestitus obtinendam, tanquàm propter finem principaliter intentum, peccat peccato avaritiæ, vel acediæ, vel simoniæ & ita non licet. Hanc veritatem intendebat Augustinus, cùm ait in Lib. *De Opere Monachorum*, summatè quia verba non habeo; *Quærere debes victum, ut evangelizes; non evangelizare, ut vivas*, rationem tangit idem Augustinus: *Esset itaque perversus ordo, si principaliùs, & perfectiùs ordinaretur ad minùs perfectum, vel accessorium, velut ad finem in quo sisteretur; quoniam finis, ut sic, habet rationem majoris & perfecti.*

3. *Qui Episcopatum &c.* ut laudetur, & vocetur *ab hominibus Rabbi*, & habeat *primos recubitus in cenis*, & *salutationes in foro*, quemadmodùm proh dolor, à tempore Christi usque ad hanc fæcem sæculorum multi Pharisaïca ambitione principaliter intendunt, illicitum est, & ab ipso Magistro veritatis gravi maledictione damnatum *Matth.* XXIII. 4.

4. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum propter ditationem parentum principaliter, vel sustentationem eorum, vitium est carnalitatis, & nonnunquàm sacrilega rapacitas. Hîc laudatur Augustinus, qui affines suos, & consanguineos non tractavit more vulgi, ditando scilicet eos de bonis Ecclesiæ.

5. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum propter opus bonum, ut scilicet proximos, & subditos, ædificet, & pascat pabulo vitæ scilicet, & doctrinæ, non semper agit laudabiliter, & benè. Probatur, quia circumstantiæ plures aliæ possunt deesse, quarum omissio redderet appetitum istum vitiosum, vel de præsumptione, vel indiscretione, vel scandalo; nec mirandum, cùm teste Dionysio, & Aristotele, bonum constet ex omnibus circumstantiis, unius verò circumstantiæ defectus malum constituat. Potest autem appetens Episcopatum tanquàm bonum opus, hoc facere, quia reputat se dignum, & sufficientem, neque est tamen; vel quia in aliorum scandalum præsideret, aut aliquo alio modo.

9. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum, non agit de per se malum in genere, quin ex appositione certarum circumstantiarum possit appetens indè laudari, & mereri. Hæc propositio contradicit illorum asperitati, qui absoluto verbo determinant: Illicitum est, Episcopatum appetere; cùm tamen dicat Apostolus I. Tim. III. I. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; hoc autem qualiter esset verum, si tale opus non posset benè fieri: quòd si possit benè fieri, potest utique benè amari, dum habetur; & desiderari, dum non adest, cùm in proposito sequatur oppositum.

9. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum, si licitè hoc vult fieri, debet intendere dilectionem Dei, & proximi, & hoc actualiter, vel saltem habitualiter, & virtualiter tanquàm pro fine principali. Hoc volebat Augustinus, cùm nedum in desiderio Episcopatus; sed alio qualicumque, dum ad Deum loquens dicebat: *Et finis eorum desideriorum meorum tu es*: conformiter ad Apostolum I. Cor. X. 31. *Omnia in Dei gloriam*

riam facite, qui & alibi determinat, quod *finis legis, & plenitudo ejus est dilectio* Rom. XIII. 10. puto quòd hac ratione priùs inquisivit Dominus a Petro, considerando scilicet gregem suum, si plus aliis ipsum diligeret.

8. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum, fallitur plerumque reputans se ex charitate appetere, quod quærit ex vanitate vel ex alia vitiosa radice. Tradit hoc beatus Gregorius *in Pastorali* loquens vocem experientiæ, de plurimis qui antè adeptionem Episcopatûs ponunt in animo se multa facturos pro regimine plebis, in prædicando, & animas totis conatibus, ut eis videtur, ad viam salutis dirigendo, qui postquàm adepti sunt quod optabant, nihil agunt de præcogitatis suis; veluti somno, scilicet, vel inertiæ, se totos tradunt, aut ambitioni, vel luxuriæ, fœdi deserviunt. Novi ego ipse quendam qui ad Episcopatum anhelabat, cui dum diceretur, me præsente, status vester inferior longè securior est eligibilior, utpotè minus honoris, & satis mundanæ sustentationis habens. Respondit: Et quid valet homo de se solo cogitans, volo me circà Sermones, & Exhortationes publicas exercere: hic est finis meus particularis. Ità sibi fortè tunc pingebat, ut fit, in animo phantasmata consideratio sua consurgens ex ambitione, quæ, quò magis falleret, tegebat se hac umbratili veste virtutis, & mentiebatur iniquitas sibi: hic enim tantus promissor nescio si toto tempore sui Episcopatûs unum Sermonem egerit ad populum, ceterùm pecunias undequaque congregavit, quas alius tamen violentior raptor coëgit evomere. Et quoniam adeò *profundum est cor hominis & inscrutabile*, Jerem. 17. 9. ità ut nec à seipso possit agnosci, quia vitia se virtutes esse fingunt; propterea sancti viri, qui semper pavidi sunt & verentur cum Job omnia opera sua, non credunt se sibi in appetitu præsidentiæ Episcopalis; refugiunt potiùs & horrent maximè. Multiplex exemplum in arduo positum de Moyse, Marco, & ceteris.

9 *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum propter dilectionem Dei & proximi principaliter, potest si ad eundem finem referatur, desiderare consequenter sublimitatem status, sufficientiam temporalium, laudem hominum sublevationem necessitatis parentum, & consanguineorum, & alia similia quæ adeptionem Episcopatûs sæpè consequuntur. Declaratur propositio ex duabus præsuppositionibus: una, quòd talia appetere, quæ dicta sunt, non est de per se malum in genere, quin possit benè fieri, vel quæri. Unum videtur minus, laus hominum licitè desiderabilis, ipsa tamen ab Apostolo, & Augustino nedum indulgetur, sed jubetur: *Debemus*, inquit Augustinus, *nobis conscientiam bonam; hominibus verò bonam famam; alioquin quo pacto Apostolus tam studiosè atque magnificè se laudasset* 2. Cor. XI. *alioquin præterea nemo deberet infamatores suos repellere, neque esset via ad Deum, nisi per infamiam, & non per bonam famam.* Alia propositio est verbum Aristotelis dicentis, quòd *ubi unum sit propter aliud jam non duo sunt, sed unum.* Ut si quis nuntius ad Sanctum Jacobum in Hispania, transeat per S. Jacobum in Francia, reputatur una via. Sic colligens herbas medicinales, & conterens eas, & de his succum eliciens ad potum infirmi, & ejus sanationem, dicitur facere unum actum. Quare? Propter unitatem finis principalis, qui est infirmi sanatio. Sic proportionaliter quisquis agit actum moralem, vel bonum de genere, propter dilectionem Dei, & proximi principaliter, agit nihilominùs propter fines alios proximos, & subordinatos; jam illi fines non habent tam de ratione finis, quàm rationem mediorum ad finem principalem consequendum. Dicendus est idcircò finis unus, & non plures. Nunc ad propositionem.

Si quis desiderat Episcopatum propter sublimitatem status, & gloriam humanam, non quidem sistendo hic velut in fine principaliter, & ultimatè intento, sed consequenter referat hic sublimitatem, & gloriam, ad utilitatem proximorum, & Dei honorem, atque dilectionem, quià scilicet potest efficaciùs prædicare, vel monere ad virtutes, si sit altæ dignitatis, & bonæ famæ; talis, inquam, laudabiliter agit; judicatur insuper actus suus non actus vanæ gloriæ, quasi tendens ad illam, sed actus divinæ dilectionis, & charitatis fraternæ, propter hunc finem principaliter intentum per alios fines internos ad hunc deducentes. Attendite, si non sonant eorum veritatem, quæ diximus verba Gregorii 1. *hom. Præcepta* inquit, *Charitatis, & multa sunt, & unum; multa per exhibitionem operis & unum in radice*, scilicet & fine *charitatis.* Porrò valet plurimùm veritas hujus propositionis novæ cum declaratione sua, si debita fiat ad certos actus morales applicatio; hoc nempe modo salvatur qua ratione Canonicus licitè vadit ad Ecclesiasticum Servitium propter distributiones quotidianas: quo pacto Capitulum celebrat Missam propter stipendia manualiter, vel annualiter exhibita: qualiter benè quis retrahitur à peccato pænarum comminatione, vel promovetur ad virtutes adjectione commodorum temporalium, vel æternorum; & ità de mille similibus. Observetur tamen vigilanter, ne mentiatur iniquitas sibi. Inducitur ad istorum commendantionem verbum Psalmistæ: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Ps. CXVIII. 112. Sunt tamen qui dicunt, hanc propositionem, & similes positas in talibus Scripturæ loquutionibus, accipi debere non prout notat causam finalem, sed tantummodò motivam, vel inductivam, & non præsentem, & efficacem. Sed in idem redeunt isti nobiscum, quoniam dicit Aristoteles: *Scimus causam efficientem & finalem coincidere.* Et sicut duplex est causa finalis, principalis, scilicet, & minùs principalis, seu subjectiva: sic causarum efficientium una est principaliter agens, alia minus principaliter, velut instrumentum, atque subserviens; qua sublata, nullus effectus sequi posset.

10. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum, non semper agit præsumptuosè, præsertim dùm probabilibus conjecturis tàm alieno judice, quàm proprio de se experimento, sentit se satis ad hoc idoneum, præsupposito semper divino, sine quo nihil ritè fit, auxilio. Damnas propositionem istam; damnas ex consequenti nedum illum qui desiderat Episcopatum, & vocari ad eum; sed omnem hominem qui vocationi consentiret. Damnas proindè Prophetam Evangelicum Isaiam, qui Domino quærenti, *quem mittam*, respondit *Ecce ego, mitte me.* Isa. VI. 8. Damnas omnes postulationes etiam minorum Prælaturarum, ut sunt, curæ animarum. Damnares prætereà præsumptione, vel temeritate, eos qui profitentur Sacram Sapientiam ad prædicandum eam, qui rursùs ad baptisandum, qui ad confitendum, qui ad Missas celebrandum attenderent, qui demùm, ut ad pauca redeam, offerrent se acturos ea in herarchico officio, quæ benè non nisi cum gratia Dei possunt agi. Quæres cur ita sequi talium damnationem, & quali ratione necesse est: quia nimirùm par est ubilibet rationis fundamentum. Arguunt itaque damnantes omnem Episcopatûs appetitum: nemo, inquiunt, dignè, vel utiliter administrare potest Episcopatum sine gratia Dei; nemo autem scit, *utrum odio, vel amore dignus sit*, Eccle. 9. 1. juxtà verbum Ecclesiastes. Præsumit ergò, qui sic appetit. Vertamus, precor, idem argumentum ad unum de illatis priùs ostendendum. Da mihi aliquem qui dignè Sacro sancta Missæ mysteria sine gratia celebrare possit; nemo autem scit, utrùm dignus sit odio, vel amore: præsumit ergò, qui ad hæc se ingerit. Oportet planè propter hæc, & similia utrinque salvanda, distinguere de scientia in hac parte: quædam enim est moralis, seu dialectica, vel probabilis, & civilis; quædam evidens, vel demonstrativa: causatur porrò scientia, vel certitudo ex rationibus topicis, non tamen necessariò concludentibus; sicut brevitatis, & exempli gratia dicimus, aliquem se scire esse in gratia, scientiâ tali quæ suf-

Digitized by Google

sufficit, ut absque præsumptione, & novo peccato, ad Missæ celebrationem accedat; dum non est sibi conscius de peccato mortali, vel altero impedimento legitimo, post discussionem suæ conscientiæ, & vitæ, qualis in Articulo tali fieri solita est, A præsertim à timentibus Deum, & offensam ejus declinantibus. At verò cur non pari ratione poterimus dicere illum non agere præsumptuosè, qui Episcopatum desiderat, & acceptat, si post discussionem sufficientem sui ipsius, tàm per se, quam aliorum judicio, non invenerit in se legitimum impedimentum, quominùs possit ea quæ Episcopatus sunt exercere, de illo, & in illo fisus, qui ait; *Sine me nihil potestis facere*, I. Joan. xv. 5. Cum quo insuper, & in quo dicebat Apostolus se omnia posse: *Omnia possum*, inquit, *in eo, qui me confortat Christus.* Philip. IV. 13.

12. *Qui Episcopatum desiderat*, & vocari ad eum, quàmvis hoc possit in casu laudabiliter facere; hoc tamen est valdè difficile, & rara avis in terris, & ità sæpè vitiosum reputatur. Deductio primæ partis consequitur satis ex præcedentibus; nam cùm Episcopatus non sit de se malus, neque appetitus ejus erit de genere reprobandus quin possit inducere circumstantias ceteras omnes bonas, malis prætereclusis, ut ambitione, & cupiditate; unde puto, ad hoc induci posse, quòd B allegari solet, scilicet desiderare Episcopatum fuisse laudabile, & meritorium, quando primi ducebantur Episcopi ad martyrium; hoc itaque signum erat, quòd non intereà ambitione, nec propriæ commoditatis libidine, sed sola Dei & Christi dilectione principaliter movebantur. Diligere autem Deum, & proximum, quis dubitaverit esse malum. Quis præterea nesciat, exercitium debitum in Episcopatu nedum virtuosum esse, sed in magnum cedere perfectionis robur, & augmentum; appetere verò benedictionem Status à Legislatore, per quam eatur *de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion*, Ps. LXXXIII. 8. nemo negaverit esse laudabile; neque enim laudantur in aliquo magis hi qui Religionis ingressum desiderant, quàm quòd desiderant perfectionem adipisci. Audio rursùs Boëtium ad Philosophiam, sui consolatricem, summatè dicere: Regimen Reipublicæ non tàm per ambitionem, sed per virtutis exercitium, ne otio torpesceret, conquisivisse. Cadebat demùm ejusdem oratio in eandem sententiam, dum ad Deum dicebat: *Fac me* C *tibi placentem, in populo tuo fructuosum.* Iterùm Glossa super id Psalmistæ Ps. LVI. 8. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* ac si diceret, inquit, David, Deo: „ Vis me dimittere post fœtantes, *paratum cor meum*, „ *Deus, paratum cor meum*: vis me tollere, & populum „ tuum regere; erat quippe David in utrumque paratus, „ *tanquam jumentum factus apud* Deum. Ps. LXXII. 23. „ Potest ergò, Deo inspirante, & agente, primatus appeti, & nedum potest, sed aliquando debet tam appeti, quàm suscipi, ita ut votum de nunquàm accipiendo Episcopatum sit aliquando illicitum: sicut votum, quo quis nunquàm se intraturum Religionem pollicetur. Verùm de hoc alibi. Pergamus nunc ostendere, quòd Episcopatum desiderare, & vocari ad eum, etsi possit in casu laudabiliter fieri secundùm deductionem modò factam; hoc tamen est valdè difficile, & rarum. Hinc ortum habuit, sicut arbitror quòd habet Domini quæstio: *Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* D Matth. XXIV. 25. Catalogus nempe virtutum omnium ab Apostolo numeratarum I. Tim. III. quòd *oportet* omnem *Episcopum irreprehensibilem esse &c.* redit ad duplicem hanc virtutem; ut qui constituitur Episcopus, & superintendens, sit fidelis, ne decipiat; sit & prudens, ne decipiatur. Porrò quia nunc occurrit virtus utraque, cogitur seu consistit quælibet in sex membris, & quia contrariorum eadem est disciplina, opposita vitia, infidelitas scilicet, & imprudentia, cognoscuntur in appetentibus Prælaturas per totidem signa contraria. Exigitur itaque fidelitas in Prælato. Primò, ne proditor sit Domini sui Dei per peccatum mortale 2.° ne decipiat, & seducat populum suum exemplo malæ vitæ. 3.° Ne per se, vel suos Curiales, spoliet subditos calumniosè. 4.° Ne deserat eos in egestate, & absque hospitalitate. 5°. Ne sinat eos opprimi per temporalem violentiam persecutionis tyrannicæ. 6.° Ne fugiat, lupo adveniente, vel aliud faciat, quo oves dividat inter se. Prudentia verò consistit in Episcopo. 1.° Si cognoscat divinam Scripturam. 2.° Si habeat sufficientem de temporalibus industriam, & curam 3.° si sit *benè præpositus suæ domui.* I. Tim. III. 4. 4.° Si cognoscat, & eligat dignos ad sacros Ordines, & specialiter Sacerdotii. 5.° Si sciat ordinare ea quæ per se, & suos agenda sunt in Foro conscientiæ. 6.° Si sciat ordinare ea quæ per se, & suos agenda sunt in foro Curiæ publicæ. Sunt qui nesciunt divinam Scripturam plusquàm idiotæ simplices, vel laïci, vel scire nolunt: sunt qui Scripturam sacram in suis etiam Professoribus despiciunt: sunt qui putant sufficere, si per alios studeatur, & prædicetur sacra Scriptura, cùm tamen obligatio sciendi eam sit annexa tali officio; alioquin puer parvulus posset esse Episcopus. Sunt qui negant sacram Scripturam esse necessariam inter jam Fideles, cùm tamen non sit minùs difficile conservare Fidem jam generatam aliquando, quàm illam inducere. Sunt, qui vel spontè seminant errores, vel jam seminatos evelli non sinunt. Sunt qui solam de quodam regimine curam laudant, nec attollunt se ad ea quæ sunt spiritus plusquàm gentiles, vel mundani rectores, apud quos pluris est unius domunculæ reparatio, quàm mille animarum eruditio, atque salvatio.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SERMO

DE REDDENDO DEBITO

Factus Lugduni

IN SANCTA SYNODO

Anno 1421. in Mense Octobri, tunc præsente Reverendissimo Patre Domino Amedæo de Thalarii Archiepiscopo ejusdem Lugduni Civitatis.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 137.

REDDE *quod debes*, Matth. XVIII. 28. & in Evangelio Dominicæ currentis, & consonat Evangelium præsentis feriæ quartæ de ficulnea, cui maledixit Dominus quia non reddebat fructum. Debet, teste Gregorio formari sermo Doctorum secundùm qualitatem auditorum. Nam alterâ doctis, alterâ minùs eruditis, alterâ populo, alterâ Clero linguâ loquendum est. Hoc autem fieri non potest sine gratia illius, cujus est dirigere linguam. Quæ quidem lingua in vanum laborat ad aures audientis, nisi Spiritus sanctus cordi affuerit andientis: & nisi doceat qui cathedram in cœlo tenet, & qui dat *Evangelizantibus verbum virtute multa.* Ps. LXVII. 12. Debet autem gratiam illam reddere quam perdidimus in Adam, Virgo illa *gratia plena*, quæ *gratiam* perditam invenit *apud Deum.* Luc. I. 30. Reddat igitur illam nobis suis precibus, & intercessione, ut *detur* efficax *verbum in apertitione oris mei.* Ephes. VI. 19. Quod ut impetremus, salutemus eam salutatione Angelica, dicendo, *Ave Maria* &c.

REDDE *quod debet*, ubi suprà. Postulat, exigit, & clamat Justitia, cujus officium est, reddere unicuique quod suum est, quatenus verba præassumpti thematis obedienter audiat unusquisque nostrûm. *Redde quod debes.* Matth. XVIII. 28. Quòd si quis petiverit, quid debeo? Debet sic inquirens considerare, à quo sit, juxtà quem sit, & quid sit, & ita reperiet se com-

Digitized by Google

comparationem habere ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum, seu spiritum proprium. Deus suprà se est, proximus juxtà, proprius spiritus intrà. Clamat igitur Justitia cuilibet hujusmodi:

Redde quod debes Matth. XVIII. Deo, quod proximo, quod spiritui tuo. Quæ tria continet procemium Orationis Dominicæ, dùm *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus dicere: Pater noster qui es in cœlis.* Matth. V. 9. Reddamus igitur honorificentiam paternalem. *Si Pater*, inquit, *ego sum, ubi est honor meus?* Malach. I. 6. Proximo dilectionem fraternalem, quia unus est Pater noster, & ita fratres sumus? Spiritui nostro cœlestem imitationem, seu conversationem, *ut conversatio nostra sit in cœlis*, Philipp. III. 20. sicut & Pater noster in cœlis est, *& mandatum habemus à Deo* &c. I. Joan. IV. 21.

Benè habet; jacta sunt nostræ exhortationis fundamenta, superædificando prosequamur secundùm decem Præcepta Legis, quæ sunt veluti decem millia talenta commissa unicuique homini, & impressa tabulis cordis per naturale judicium rationis, quod est lumen vultus Dei signatum super nos. Et in Tabulis lapideis fuerunt consequenter repetita tempore Legis scriptæ. Ecce enim quià Pater noster est supremus Pater, debet sibi reddi cultus summæ Majestatis, bonitatis & veritatis, secundùm tria appropriata Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Potentia Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui sancto.

Sunt secundùm hæc tria primæ Tabulæ Præcepta:
Primum: *Non habebis Deos alienos.* Exod. XX. 3.
Secundum: *Non assumes nomen Dei in vanum.* ℣. 7.
Tertium: *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* ℣. 8.
Rursùs, quià proximus est frater noster, & filius per creationem & adoptivam dignitatem, debet sibi reddi honorabilitas, veritas & bonitas.

Secundùm hæc tria, quinque Præcepta secundæ Tabulæ. Primum: *Honora patrem tuum &c.* ℣. 12. Ibi honorabilitas. Postremò quià Spiritus noster cœlestis est, debet sibi reddi cœlestis imitatio, seu conversatio, undè colligi possunt duo Præcepta ultima, nonum & decimum, quæ sunt: *Non concupisces domum proximi tui, nec desiderabis uxorem ejus.* ℣. 17. Hæc enim duo Præcepta maximè regulant interiorem spiritum, & cœlestem efficiunt, dùm non solùm cavet ab opere quoad proximum, sed etiam cogitatione quoad Deum & semetipsum. Secundum: *Non occides.* ℣. 13. Tertium: *Non machaberis.* ℣. 14. Quartum: *Non furtum facies.* ℣. 15. Ibi bonitas. Quintum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* ℣. 16. Ibi veritas. In decem istis talentis decem Præceptorum, secundùm quæ totidem imaginari possumus exactores dicentes unicuique: *Redde quod debes.* Matt. XVIII. 28. ecce nobis aperta est latissima sermonis materia: & omissis interim conquisitionibus subtilibus, quomodò justitia dicatur ad Deum, & ad proximum, & ad seipsum, juxtà veram metaphoricam Justitiæ denominationem; aperiamus & aliam deductionis viam seu jam dictam concordantiam, dicentes, quòd debemus acquitare nos Deo. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Matth. XXII. ℣. 21. Debemus reddere proximo. *Redde proximo in tempore suo*, Eccl. XXIX. 2. & Rom. XIII. 7. *Reddite ergò omnibus debita: Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem.* Sequitur de bonitate interiori sub unico verbo, dùm subdit: *Qui enim diligit Legem implevit.* ℣. 8. 9. 10. *Nam non* &c. usque: *plenitudo ergò* & Matth. VII. ℣. 12. *Omnia quacunque &c.* Ecce debes, ô homo, totum Deo, quià fecit, quià refecit, quia reduxit ab inferis, quia felicitatem promisit. Clamat omnis creatura adversùs hominem: *Redde quod debes.* Matth. XVIII. 28. Sol, quia illuminavi. Ignis, quia calefeci. Aër, quia fovi. Tetra, quia nutrivi. Et omnia pugnabunt, dicentes: *Redde.*

Coarctemus, & coaptemus ea quæ dicta sunt, non ad homines omnes, vel status; sed ad præsentem, & honorandam Synodum, in qua principaliter residet status Ecclesiasticorum, prout distinguitur à statu militantium, & à statu burgensium. Et quoniam sicut *plenitudo legis est dilectio*. Rom. XIII. 10. ità plenitudo potestatis pastoralis fundata est in dilectione. Ob hoc enim collaturus Christus potestatem Petro quæsivit ter, an ipsum diligeret, & ipso ter respondente: *Tu scis, Domine, quià amo te*, Subintulit Jesus ter: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Joan. XXI. 15. 16. 17. Erunt igitur tres considerationes principales, juxtà
A quod quilibet Pastor debet pascere tripliciter subditos, verbo, facto & exemplo; secundùm tres actus hierarchicos, & secundùm quod comparatur quilibet, ut tactum est, Deo, proximo, & Spiritui suo.

PRIMA CONSIDETATIO PRINCIPALIS.

REDDERE debet Deo, sibi & proximo, omnis Ecclesiasticus, præsertim curam habens animarum, cognitionem, atque scientiam prædictorum decem Præceptorum. Ratio: constat enim, quòd ex officio competit aliquibus ista cognoscere, & docere. Alioquin Ecclesia non fuisset sufficienter instituta; sed non inveniuntur aliqui, quibus magis ex officio spe-
B ctet, quàm Prælatis majoribus & minoribus, Episcopis scilicet, & Curatis; inde conjungit Apostolus ista duo: *Pastores & Doctores*, Ephes. IV. 11. & Matth. ult. 19. *Ite, docete.* & Act. VI. ℣. 2. *Non est æquum nos derelinquere verbum &c.*

Prima Doctrina. Officium Prælationis urget cognoscere Legem Dei, nedum per alios, sed etiam per seipsos. Ratio: Alioquin pueri, & laïci possent esse Prælati.

Secunda Doctrina. Officium Prælationis obligat aliter majores, & minores ad cognitionem Legis Dei, & ipsius prædicationem, seu doctrinam. Ratio: quià majores debent esse *parati reddere rationem omni poscenti* &c. I. Pet. III. 15. Sufficit ad minores cognitio generalis, & grossa, & similiter publicatio, seu prædicatio.

Tertia Doctrina. Officium Prælationis reddet ratio-
C nem de perditionibus subditorum per doctrinæ defectum. Sicut evenit, teste Propheta: *Protereà*, inquit, *ductus est populus meus captivus, quia non habuit scientiam.* Isaïæ V. 13. Ad hoc est parabola Ezechiëlis de speculatore &c. & dictum Christi de cæco duce cæcorum. *Matth.* XV. 14.

Quarta Doctrina. Officium Prælationis est ignorantibus, & mutis pondus, & pondus damnationis. Hinc videri posset, quòd non sunt in statu salutis, quòd non faciunt fructus suos, quòd ordinantes & tolerantes eos graviter peccant. Rursùs quòd scholæ deberent institui, nedum pro pueris, sed pro talibus Curatis. Rursùs quòd ad habendum generalem tenorem divinorum Præceptorum, & Articulorum Fidei, & similiter urgeri deberent non minùs, sed plus quàm ad habendum tenorem Synodalium Statutorum. Proindè quoad practicam & modum prædicationis, præsertim ut vulgares, inter cetera videntur attendenda quæ sequuntur.

D SECUNDA CONSIDERATIO PRINCIPALIS.

REDDERE debent Ecclesiastici Prælati minores & majores gratis, diligenter & sincerè ministrationem Sacramentorum, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, &c. Ratio: sicut ad primam considerationem, quià ad aliquos spectat &c. & non ad alios &c. immò prohibetur. Possent autem totidem dari doctrinæ, quot sunt Sacramenta, de quibus specialiter tractatur IV. Sententiarum.

Pri-

Digitized by Google

Prima Doctrina. Ex debito pastoralis officii tenentur Curati diligenter esse instructi in formis Sacramentorum, & in remediandis periculis occurrentibus in administratione eorum; super quibus debent in Synodis, & Visitationibus principaliter examinari, & si nescient doceri, & quandoque puniri. Provenit enim quandòque ex ignorantia, quòd pueri non sint ritè baptizati, ut ab obstetricibus, in casu necessitatis, dùm non sunt edoctæ per Curatos super forma baptizandi. Confirmatio non debet dari, nisi prævia Confessione. De Sacramento autem Pœnitentiæ quid dicemus, cùm non sufficeret tota dies exponere defectus qui proveniunt ex ignorantia Confessorum, & negligentia confitentium. Sed remittuntur hæc ad Opuscula super hac re conscripta.

Secunda Doctrina. Ex debito pastoralis officii tenentur (ut dictum est) Prælati majores, & minores gratis Sacramenta ministrare. Matt. x. 8. *Gratis accepistis, gratis date.* Hìc autem esset grandis sermo, quomodò licet, & quomodò non in administratione Sacramentorum pecunias accipere. Constat enim quòd *dignus est operarius cibo suo & mercede sua.* Matth. x. 10. & Luc. ix. 10. Constat rursùs, quod ista est principalis apud multos dotatio Ecclesiarum Curatarum.

Tertia Doctrina. Ex debito pastoralis officii debent Prælati Curati ministrare Sacramenta per se, vel per alios idoneos, etiam cum periculo propriæ vitæ, sicut evenit tempore epidemiarum, & pestilentiarum; sed non terreantur, quia hic est actus arduissimus similis martyrio, si fiat principaliter propter Deum, & indè mors sequatur, ut expressè determinat sanctus Thomas. Hinc patet quantùm honorandi sint Curati verbo, signo, & opere à suis parochianis, longè amplius quàm alii qui non ità sunt obligati, sicut Religiosi &c. Debet itaque obligatio esse mutua, quomodò &c.

Quarta Doctrina. Ex debito pastoralis officii non semper obligantur Pastores majores, & minores passim omni petenti ministrare Sacramenta. Sed possunt & debent in multis casibus denegare. Exemplum de petentibus Eucharistiam in Pascha, si sint notoriè excommunicati, vel peccatores incorrigibiles: item si non appareat legitimè quòd confessi sint; secùs si peccata essent occulta. Quot, & quanta sunt attendenda specialiter in Sacramento Confessionis, & Pœnitentiæ, valdè difficile est exponere, quia si talis Sacerdos ut populus, quomodò docebit?

Primò qui casus reservati, & quomodò remittendi, specialiter in Excommunicatione.

Secundò de paccatis extraordinariis, ut in conjugatis &c. suffocatione puerorum.

Tertiò de restitutionibus non in pios usus, sed debitis.

Quartò de votis, quia fiunt nimia levitate.

Quintò de Pœnitentiis publicis, & quòd non sunt arbitrariæ, quia non reddimus quod debemus. Iratus Dominus jubet: *Ite & effundite septem phialas iræ Dei.* Apoc. xvi. 1.

TERTIA CONSIDERATIO PRINCIPALIS.

Reddere debent Ecclesiastici Prælati majores & minores de seipsis, tanquàm de existentibus in statu perfectionis exercendæ, & non solùm acquirendæ, ut reddant exempla sanctæ vitæ. Ratio, quia quilibet talis est in statu Hierarchico, ad quem secundùm Dionysium spectat *illuminare, purgare* & *perficere.* Purgant exemplo bonæ vitæ, illuminant verbo doctrinæ, perficiunt Sacramentorum ministratione.

Prima Doctrina. Status Prælationis tam majoris, quàm minoris, perfectior est ut sic, quàm status Religionis, salva reverentia, & honore oppositum dicentium, & omnium Religiosorum, quibus in hoc nihil detrahitur, si veritas publicetur. Et quidem de majoribus Prælatis pauci hoc negant, quin sint in statu majoris perfectionis. Sed attendendo rationem, facilè est inspicere non affectionatis, quòd similis ratio militat pro Curatis: constat enim quòd sunt in statu, aut (ut tollatur omnis calumnia) sunt in gradu, & ordine perfectionis exercendæ. Religio autem ut sic non dicit perfectionem, vel exercitium perfectionis, sed viam ad perfectionem acquirendam, sicut scala quædam. Videatur igitur, si sequitur: Iste status est perfectionis acquirendæ, ergò simpliciter est status perfectionis. Et an hoc adjectivum *acquirendæ,* distrahat, aut limitet vel restringat.

Secunda Doctrina. Status Prælationis tàm majoris, quàm minoris, debet habere ministrationem temporalis sustentationis sufficientis, & honestæ à subditis. Ista est dotatio Apostoli. 1. *Cor.* ix. ad longum. Non ità prædicantibus ex sola privilegii, vel impetrationis voluntate, non officii necessitate; sed conducentes debent, & postulantes necessaria ministrare, ne populus onere duplici conteratur.

Hìc incideret sermo de Curatis, quibus insufficienter provisum est per illos qui Decimas regulariter eis debitas recipiunt, & dimittunt eos nudos. Indè fit, quòd non sunt in Curis Capellani plures, & scientifici, sicut benè reperitur in Alemania, & alibi, qui exponunt Evangelium populo. Nota de illis qui reputant inhonestum prædicare &c.

Tertia Doctrina. Status Prælationis tam majoris, quàm minoris non debet repudiari, vel deminui in suo honore per exemptiones voluntarias, aut impetrationes subditorum, super facultatibus alibi Sacramenta recipiendi, non habita licentia suorum Prælatorum.

Quarta Doctrina. Status Prælationis majoris, & minoris, debet admittere immò evocare gratanter, & diligenter homines instructos in Lege Dei, & idoneos, ut in Prædicationibus & Sacramentorum ministrationibus sint ejusdem adjutores, proviso quòd non introducantur lupi, vel vulpeculæ, pro Pastore. Et viceversa tales evocati debent Prælatos majores, & minores omni honore dignos habere, signo, verbo, & opere, publicè, & secretè. Nota quid sit gradus. Gradus est status propriæ dignitatis, nota hypocrisis tolerabilior, quàm Sodoma.

Attendere debent Ecclesiastici secundùm decem Præcepta, quomodò regulent vitam ut ità doceant. Sint fideles Deo, nec superstitiosi aut contumaces, sed obedientes. Sint veraces, non blasphemi. Sint custodes Festorum. Sint honorantes Prælatos suos & Superiores. Non occidant, non adulentur, non furentur, non sint falsi testes per detractionem, non sint concupiscentes malorum. Sit perseverantia, ne dimissa repetantur. Tandem cùm Dominus venerit positurus rationem, sit paratus unusquisque, quid responderit, quando ex sententia dicet: *Redde quod debes* &c.

Prædicaturis ad populum videtur quadruplex dogma regulariter observandum.

Primum Dogma. Status Dominorum tàm Ecclesiasticorum, quàm temporalium non est acriter, & aperte reprehendendus ad populum.

Secundum Dogma. Status Ecclesiasticorum, etiam inferiorum, præsertim Curatorum, & Religiosorum non est acriter, & apertè reprehendendus ad populum.

Tertium Dogma. Status mulierum in ornatu vestimentorum suorum non videtur posse corrigi sufficienter per Prædicationes ad populum.

Quartum Dogma. Status mercatorum in fraudulentiis, & excessivis appretiationibus quas sub juramento, vel potiùs perjurio confirmant venientibus ad primam emptionem, non videtur posse corrigi sufficienter per Prædicationes ad populum.

Ratio primi est, quoniam per hujusmodi reprehen- sio-

Digitized by Google

sionem inducerentur populus magis ad rebellionem, murmur, & detractionem, quàm ædificaretur ad obedientiam, patientiam & amorem. Attento, quòd non satis capiunt, aut intelligunt ea quæ sunt Dominorum, sicut nec pueri in scholis ea quæ sunt Magistrorum. Attento præthereà, quòd, ut frequenter ad partialitates, & Dominorum murmurationes reperiuntur inclinati. Sic è converso non sunt inculpandi per Prædicatores populi, vel subditi coram Dominis suis, temporali, vel Ecclesiastica potestate fungentibus A propter innatam in multis Dominorum superbiam, atque tyrannidem violentam. Aptetur ergò Prædicatoris lingua vario modo, juxtà varietatem audientium docendorum, prout Joannes Baptista legitur effecisse. Ratio secundi sumitur ex ratione præcedentis, & ab experientia. Undè Prædicantes contrà potestatem Curatorum, ut suam extollant, vel ut redditus & jura sua fraudulenter præripiant, non sunt coadjutores, sed oppressores. Rursùs aliqui habentes fortè zelum, sed non secundùm scientiam, prædicantes contra Curatos concubinarios, asserendo quòd Missa eorum vitari debet, etiam si tolerentur à Prælatis, suscitaverunt majus incomparabiliter scandalum, quàm profecerint. Est igitur potiùs adeunda, postulanda, & expectanda provisio B Prælatorum, quæ si non suffecerit, vel ex eorum dissimulatione, vel ex morbi radicatione in peccantibus obstinatis; restat, ut correctio remittatur divino judicio cum quadam permissione, sicut de meretricibus in Republica, & multis aliis criminibus etiam publicis, non minus enormibus fieri necesse est, ne scandalum deterius oriatur. Ratio tertii est, quoniàm potest status, & ornatus mulierum licitè variari juxtà personarum Nobilium, locorum quoque, & temporum, & maritorum suorum varietatem, atque voluntatem. Quià igitur unus Prædicator detestetur absolutè unum communem ornatum in mulieribus, ut peccatum mortale, quem alius prædicare poterit fortè rationabiliter tolerabilem, & licitum, circunstantiis hinc indè pensatis; hoc nihil aliud est agere quàm scandala, diffamationes, odia & scissuras inducere; propterea recurrendum videtur ad provisionem veterum Romanorum, qui super ornatu fe- C minarum sic vel sic habendo Leges statuebant, immò & viri super seipsos reperti sunt hoc fecisse. Et adhuc in civitate quadam Alemaniæ magnifica, dicta Nurenberga, Lex talis dicitur observari, quòd zonas argenteas, pepla & tunicas, non nisi certi pretii, quod excedere non licet, instituisse & observare feruntur. Non obstat, si dicatur quòd talis ornatus mulierum provocat inspicientes ad libidinem, & ipsas ad superbiam, & lasciviam, quoniam nullus ornatus est, immò nulla est res exterior, quâ non contingat abuti: suprà modum tamen videtur inverecundia detestanda, sicut est frons meretricis. Ratio quarti est, quoniàm experientia doctrice Prædicatores quantùmcumque multiplicati ad populum, nullo modo reperiuntur impedire quin tales excessus & perjuria fiant, & in eis Prædicationes nihil aliud quàm contemptum majorem ope- D rantur. Esset igitur provisio facienda per Leges Superiorum pœnales, quorum fieret efficax executio, quod certum pretium daretur in rebus venalibus, sicut de vino & pane, & quibusdam similibus. Et quoad blasphemias negando, & vituperando, atque despiciendo Deum cum suis Sanctis, videretur similiter per Leges pœnales executorias, juxtà quod pluries attentatum est fieri per sanctum Ludovicum, & alios ei vigilanter providendum. Debet Prædicator attendere, ne nimia facilitate definiat aliquem actum esse peccatum mortale, præsertim in operationibus quæ possunt aliquando benè fieri, circunstantiis appositis.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

SERMO

DE VITA

CLERICORUM

Habitus tempore Quadragesimali

AD CLERUM.

Collat. MSS. Codd. Vict. 285. & Navarricum unum.

POENITEMINI *& credite Evangelio*, Marc. I. 15. Evangelium hodiernum, cui credi oportet, sub tali fine conclusit Christus, ut diceret: Luc. XIV. 11. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quid autem aliud est pœnitentia, quàm *humilitas vera sub Deo, placationem ejus postulans cum venia delictorum. Pœnitemini ergò*, hoc est, humiliamini sub Deo offenso, & ab eodem placato exaltabimini. Ità enim credere Evangelio æquum est, quoniam *qui se humiliat exaltabitur.* Qui se humiliat in Curia Pœnitentiæ, exaltabit eum Curia misericordiæ, quoniam *superexaltat misericordia judicium.* Jacob. II. 13. Damnati quidem sumus nos peccatores coram Justitia: ad misericordiam appellare fas habemus quamdiù vivimus; tandiù enim sedem tenet eadem misericordia. Quod si adversarius, & accusator noster diabolus quomodolibet obniti voluerit, habemus te Patronam clementissimam, te Advocatam sapientissimam, te auxiliatricem potentissimam, Virginem Matrem, quæ ab omni Ecclesia Regina misericordiæ, & Advocata nostra conclamaris. Si igitur Regina misericordiæ es, sicut es, tuum est causam misericordiæ tueri, & Curiæ suæ Jura illibata servare. Est autem Jus Curiæ hujus, ut qui venit ad eam non ejiciatur foras, sed accusatione sua sublevetur, absoluaturque. Ecce, Patres, & Fratres, quanta nobis fiducia est de salute, & exaltatione nostra, si per Pœnitentiæ appellationem ad misericordiæ Forum causam nostræ pravitatis, jam à Justitia ritè damnatam deducimus. Deducimus autem, si nosmetipsos accusamus, judicamus, & damnamus. *Si nosmetipsos dijudicaremus* (inquit Apostolus I Cor. XI. 31.) *non utique judicaremur.* Si judicaremus pœnitendo, non judicaremur pœnam patiendo. Nolumus certè damnari, ecce unicum post peccata patet effugium. Confugiamus ad Curiam misericordiæ, ad illam Pœnitentia nos deducet, ubi pro Advocata & Patrona sororem nostram habemus, & Matrem Judicis nostri, qui spernere nos non poterit, quoniam ipse caro nostra, & frater est. Hanc Matrem adeamus pro impetratione misericordiæ. Et ut de Pœnitentiæ humilitate, pro nostra exaltatione, vivaci fructuosoque sermone loquamur: supplicemus & dicamus illud Angelicum; *Ave gratia plena, Dominus tecum.*

POENITEMINI *& credite Evangelio.* Marc. I. 15. Nominatim huic Evangelio. *Qui se humiliat exaltabitur.* Luc. XIV. 11. Qui se humiliat per Pœnitentiam, exaltabitur per gratiam, & gloriam, Viri Patres, & Fratres, etsi solum Domini nostri Jesu Christi imperium subditis suis omnibus (& quidem omnia sibi subjecta sunt jure creationis, reparationis, & conservationis) satis esse debeat ad obediendum sibi, ut agant dignos Pœnitentiæ fructus; *Pœnitemini* ait: nihilominùs appropriatè ad personas nostras, quæ Ecclesiasticæ dicimur, & quas Sermonis nostri tenuitas commonere nunc accepit, assumi posse video per-

Digitized by Google

persuasionem nostram ad pœnitendum ex tribus, more oratorio. A statu personæ, à loco, à tempore. Ita enim agere Cicero, ita Aristoteles, & Oratores ceteri docuerunt. Secundùm quæ tria tripartitam super pœnitendi necessitate orationem contexemus. Prima quidem argumentatio à statu personæ sumetur. Tales nos esse considero, Viri Patres, & Fratres, tales, & in tali nos esse gradu, statuque conspicio quos oportet pœnitentiam agere, non pro peccatis nostris tantummodò, sed pro delictis alienis. Aliorum quippè peccata comedimus, aliorum quippe culpas bibimus, aliorum defectus calciamus, & vestimus. *Peccata populi mei comedunt.* Osee. IV. 8.

Non sit cuiquam admirationi, quod dicimus, quoniam ità fit, dum eleemosynis aliorum talia nobis comparamus cibos, potus, alimenta. Quæ nimirùm eleemosynæ ideò datæ sunt, ut pœnitentiam pro conferentibus, & satisfactionem Deo faciamus. Status ergò noster, status pœnitentium est, eorum scilicet qui ultrò semetipsos ad pœnitentiam obligarunt. Quòd si quis inter nos aliter sentit, ille proculdubiò proprii status, & gradus ignarus est, quia ipsum tantò magis pœnitere convenit, quantò minùs pœnitet, & quantò magis esse sibi pœnitendum dissimulat, vel ignorat.

Hanc tamen veritatem planè durissimam, sed tamen prædicandam, & cognoscendam, multi in statu nostro, in statu Ecclesiasticorum, vel dissimulant, vel ignorant, vel sacrilega impietate contemnunt; alioquin nunquam tanta aviditate, nunquàm tali præcipitatione improvida inhiarent ad eleemosynas tales, quas Beneficia nominamus, vel Dignitates, vel Officia quibus annexa est talis obligatio pro aliis pœnitendi & satisfaciendi; cum tamen pro nostris satisfacere delictis vix sufficiat vita nostra, & utinam sufficiat. Nunc quanta est dementia, hominem tot culpis propriis obnoxium, pressum, & obrutum, suscipere, immò rapere modis etiam indebitis alienas offensas, & super cervices debiles apponere. Hoc quippe fit, (ut diximus) dum Beneficia Beneficiis cumulamus; nam pluralitas Beneficiorum ex eleemosynis fundatorum, ad pœnitentiam pro pluribus faciendam astringit. Nunc verò heu cæcitas! heu insania! Nos his obligationum vinculis, servitutibus spiritualibus misera colla subjicimus, quasi non jugum grave satisfaciendi pro aliis, sed libertas, & absolutio videatur.

Addamus adhuc, quòd status noster, status Ecclesiasticorum, penitùs est in exemplum provocativum aliorum ad Pœnitentiam, quasi vel Liber, vel speculum, vel imago Pœnitentiæ. Quod si pro Pœnitentia legatur in nobis petulantia, pro Contritione destructio, & dissolutio, pro Satisfactione irritatio Dei, & vitiorum omnium accumulatio; nos tot damnanationibus digni reddimur, quot homines nostris exemplis corruptissimis seducuntur. Si damnandus est qui seipsum spontaneo peccato depravat, nunquid non ergo damnatior, qui multos secum in interitum trahit, rapit & dejicit. Rursùm statui nostro comes esse debet sacra scientia, hoc est Sacrorum, & Sacramentorum notitia; qualis cognitio absque Pœnitentia nec perfectè cognosci, nec efficaciter tradi potest. Hæc quippe illa est sapientia, aut pars est, de qua benè enunciatum est, quòd *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. I. 4. Itaque Sacerdos quilibet Angelus dicitur, quoniam Dei nuncius esse debet ad populum, quilibet in gradu suo, *& Legem ejus*, scilicet Dei, *ab ore ejus requirent.* Malach. II. 7. *Dedit illis regiones Gentium* (inquit Propheticus sermo Ps. CIV. 44.) *& labores populorum possederunt, ut custodiant justificationes ejus & Legem ejus requirant.* Non dedit nobis Dominus laborem aliorum, ut in sudore vultus alieni vescamur pane nostro, & nihil inde officii, nihil suffragii, nihil satisfactionis impenderemus pro ceteris qui suis nos laboribus alunt, aluerunt que. Quantò minus ista data sunt, ut luxurieris superbè in pompis, equis, familiis, fœdissimè in meretricularum lenociniis. Non prætereà commissa sunt ut comessationes crapulosas, & sumptuosas, in otio dissoluto, cum maxima temporis consumptione, & oneratione corporis, ac animarum quotidiè sequeremur, Denique ut ditaremus carnem, & sanguinem; immò quandoque carneos, & sanguineos homines de bonis pauperum, de patrimonio Crucifixi; sed ut custodiamus justificationes Domini, & Legem ejus inquiramus. Custodiamus, inquam, non diffamemus, dissipemus, irrideamus, laceremus justificationes Domini: & Legem ejus inquiramus, non tradentes nos, nostraque institutionibus mundi, & Legibus Justiniani, sed Legi Domini, quæ *immaculata est convertens animas, & sapientiam præstans parvulis*, Ps. XVIII. 8. glossa, *humilibus*, quales sunt pœnitentes. *Pœnitemini ergo.* Postremo moveat nos qui dicit: *quanto gradus altior.* (qualis est noster, qui Sacerdotes dicimur, & qui *genus electum, regale Sacerdotium* I. Pet. II. 9. Christi Domini, immò, & dii nominamur) *tanto casus gravior*, consonè ad illud satyricum:

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat major habetur.

Porrò si casus noster gravior, consequens est ut resurrectio per pœnitentias fortior exigatur.

Conclamo igitur, precor & obtestor, per Evangelium sacratissimum Domini nostri Jesu Christi *Pœnitemini, & credite Evanglio* Marc. I. 15. quoniam *qui se humiliat* per pœnitentiam, *exaltabitur* Matth. XXIII. 12. ad gloriam. Hoc modo status noster, status Ecclesiasticus, urget nos magnis, & certis rationibus pœnitere, si non obtorpuimus, si non omnino perditi, & Christiana Religione, abalienati sumus. Rursùs compellit ad idem locus ipse materialis in quo conversamur, qui locus est Ecclesia. Commonebat prætactus nostræ orationis ordo, ut similiter ex loco in quo conversamur, qui locus est materialis Ecclesia, robur eidem orationi nostræ donaremus.

Sed multis quæstionibus agitatur animus ex his quæ dicta sunt. Una si Ecclesiastici non pœnitentes pro seipsis proficiant aliis pro quibus eos diximus ad satisfaciendum obligatos? Videtur, quòd non, per prædictum, & per illud Gregorii: *Cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* Alia, si Ecclesiastici non pœnitentes pro aliis, faciunt bona Ecclesiæ sua, & si ad restitutionem obligantur? Videtur enim quòd contrà donantium intentionem bonis illis abutuntur, nec laborant in vinea Domini, nec denarium habere merentur. Altera; si Ecclesiastici omnes tenentur ad studium Legis divinæ? Videtur quòd sic per prædicta, quià ideò *dedit illis Deus regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant justitias ejus, & legem ejus exquirant*, Ps. CIV. 44. ut dictum est. Ad opposita istorum omnium est argumentum, quia talia dicere, est partem Ecclesiasticorum longè majorem ponere extra statum salutis, eamque damnationis ream affirmare.

Aliæ quæstiones sunt, ut, si licet ex bonis Ecclesiæ aliquid sibi retinere ultrà id quod dicit Apostolus: I Tim. VI. 8. *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti sumus?* Videtur enim, quod residuum est Ecclesiæ, & pauperum, quale auferre sacrilegum, & impium dicunt Hieronymus & Bernardus. Annexa est huic quæstio de ditatione parentum ex bonis Ecclesiæ. De collatione Beneficiorum indignioribus. De multiplicatione Beneficiorum ultrà decentem sustentationem personæ occupantis. De lucrantibus distributiones ex solo introitu ad Horas. De dantibus se totos ad practicationes sæculares, & quandoque ad turpes quæstus. Et similes multas, quas omnes dissolvere brevitas affectata reclamat.

Digitized by Google

Sed quatuor Considerationes quasi totidem claves pro apertione faciliori placet afferre.

Prima Consideratio.

ECclesiastci, qui non pœnitent, sed computrescunt in peccatis suis, nullum opus faciunt apud Deum pro se, vel aliis acceptum sibi ad consecutionem vitæ æternæ, pro quanto fructus suorum operum talis ex corrupta radice procedit, quæ radix est eorum voluntas depravata. Elongantur quoque magis & magis à Deo, quoniam quàm *longe à peccatoribus salus*. Ps. cxviii. 155. Hoc intendebat Dominus cum ait; Malach. ii. 2. *Maledicam benedictionibus vestris*, & similia plurima in hanc sententiam.

Secunda Consideratio.

ECclesiastici, quamvis impœnitentes, implentes tamen ea quæ ex institutione Beneficiorum suorum injuncta eis sunt, in Horis dicendis, & similibus, ipsi faciunt fructus Beneficiorum esse suos, saltem apud homines, nec ad restitutionem obligantur. Obligantur tamen in Foro conscientiæ aliter recompensare benefactoribus, & fundatoribus suis, præsertim faciendo sibi *amicos de mammona iniquitatis*, Luc. xvi. 9. ut per alios suppleant redemptionem, & satisfactionem quam ipsi sine gratia permanentes insufficienter agunt. Valent præterea hujusmodi Beneficia non ex virtute personarum, quoniam tales supponuntur esse in peccato mortali & per consequens Dei hostes odiosi, sed ex persona totius Ecclesiæ, & ex offerentium devota pietate valorem suscipiunt, qualem & quantum novit Deus.

Tertia Consideratio

PLus congruit Ecclesiasticis notitia sacræ Legis quàm alia, & multis ipsa est de necessitate Præcepti, sed magis, & minùs, pro diversitate Officiorum, Curarum, atque Dignitatum. Curati nominatim tenentur scire Præcepta Dei, & Articulos Fidei in quodam generali, pro denunciando subditis. Materiam insuper de Sacramentis Ecclesiæ, prout in communi usu practicatur, & versatur; ut de modo baptizandi, de modo audiendi Confessiones, & interrogandi, & docendi, & absolvendi, & pœnitentias injungendi; de modo celebrandi, de modo Matrimonia contrahendi, de modo sacræ Unctionis, & de instructione illius qui laborat in extremis, & si quæ sunt talia. Curati pro his sciendis si non laborant, vel studendo vel audiendo, an sint in statu salutis, ipsi viderint, ego non æstimo. Quidam Tractatuli super his communibus confecti sunt, quos saltem habere deberent tales Ecclesiastici, quoniam nec sumptuosi sunt in scribendo, nec dispendiosi, & difficiles in intelligendo. De Prælatis vero qui absentes sunt, nihil hìc definio, quemadmodùm parati esse debent ad faciendum &c.

Quarta Consideratio.

INtentio Ecclesiasticorum in omnibus suis actibus debet esse divinus honor, & ejus obsequium, & consequenter ex incidenti, & quasi accessoriè ipsi possunt temporalia desiderare, & acquirere, pro sustentatione decenti suorum statuum; decentem intelligite statum, prout sapiens judicabit, & non prout ambitio, vel avaritia suadebit. Juxta quam considerationem datur regula consequenter ad sciendum si in celebrationibus Missarum, si in Horis lucrativis, si in aliis operibus suis, immò & si in multiplicatione Beneficiorum ipsi Ecclesiastici sint simoniaci, vel simonia, aut turpi lucro notandi. Descendere autem ad singula omninò definienda, neque facile est, neque possibile sub certa regula, propter varietatem circumstantiarum, ex quibus Juris variationem nescit nemo.

PLura dici potuerant, sed interim contenti, & ad secundam nostræ exhortationis partem transeuntes, ostendamus ex loco in quo sumus, congruitatem pœnitendi. Locus noster, Viri Patres & Fratres, locus Ecclesiæ materialis, in quo frequentiùs conversamur, nos admonet, si non obsurdescimus, ut obediamus dicenti Christo: *Pœnitemini* &c. Marc.
A i. 15. Quamquàm enim vallis hæc miseriæ, locus sit universaliter fletus & pœnitentiæ, ubi tanto magis flendum esse dicit Augustinus quantò minùs fletur: nihilominùs Templorum locus sua quidem religione, & qualitate, commonere facit ut pœniteamus. Quid itaque aliud videntur prædicare Imagines omnes in Ecclesia antè, quaquaversùm, suprà, subtùs, & in lateribus; cantus insuper, & pulsus, ea quoque quæ leguntur & fiunt omnia, nisi levemus *sursum corda*, & non mentiamur respondentes; *Habemus ad Dominum*. Levare autem *sursum corda* nequeunt sanè ipsi peccatores sine pœnitentia, & magna pœnitentia. Habent seculares homines, seu militares, seu plebei loca sua in quibus exercentur plena multis spectaculis, vanitatibus, & insaniis falsis, quæ pœnitentiam non solùm non incitant, sed perturbant. Vide fora negotiosa abundare infinitis perjuriis fraudibus, murmuribus inconditis, clamoribusque dissonis. Vide Curias patrocinantium, intra quales nota litigantium magniloquas linguas, acutas, & instructas, ut
B narrent fabulationes *sed non ut lex tua*, Ps. cxviii. 85. Domine. De Curiis Curialium, quid aliud dicturus sum, quàm quia totæ curæ sunt, & totæ curæ vanissimæ, nec curæ cœlestes sed plerumque, scelestæ? Non discurram per singula talium loca, quorum plurima à sanctis Doctoribus meritò interdicta sunt eis qui pœnitentiam salubrem integro animo peragere moliuntur. At verò nos Ecclesiasticos continet locus sacerrimus, locus religiosissimus, locus totus pœnitentiæ salubris provocativus; si tamen in eo non manemus sicut bestiæ, ignari mysteriorum omnium, quæ fiunt, & cernuntur. Si præterea, corpore existente in Ecclesia, non sit animus in patinis sicut est apud Terentium. Si denique non facimus de domo orationis *domum negotiationis*, Joan. ii. 16. & *speluncam latronum*. Matth. xxi. 13. Quo pacto fit? Certè aut cogitando, aut garriendo secularia, aut distributiones divinas tanquàm nobis qui non eas lucramur indebitas furtivè rapiendo, furtivè dixerim Judice Deo, &
C si non mundo, qui si eos solvit, non tamen absolvit. Ceterùm Crux, & Crucifixus, nonne loquuntur ut pœnitentiam agamus? cum talem ipsum Christum antè oculos statuant, quo nullus unquàm acerbiùs doluit, non pro suorum sed pro nostrorum satisfactione peccatorum. Sanctorum rursùs Sanctarumque Imagines idem suadent, ingerentes memoriæ nostræ, quòd *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*, Act. xiv. 21. ut ipsi &c. Denique tumbarum sculpturæ magnis nos vocibus & lamentis ad pœnitentiam provocare non cessant, ingerentes quid illæ sunt, quid fuerunt, quid nobis meruerunt, quid exigunt ut suum, quorum corpora incinerata tegit tellus.

Si ad hos omnes, & similes assiduè clamores nequaquàm aperimus aures mentis intimas, non jam surdastri, sed surdi sumus; immò ipsis quas intuemur, & calcamus imaginibus, atque simulachris assimilati sumus, quæ habent aures, & non audiunt. Quid de ipso sacrosancti Dominici Corporis Sacramento satis unquàm dicturus sum? Malo nunc silere, quàm
D pauca dicere. Væ illis qui abutuntur eo, ad cumulum peccandi, quod singulariter datum est ad auxilium, sublevamenque pœnitendi. Hi sunt indigni tractantes illud quod sub quæstione terribili increpat Dominus per Prophetam: *Quid est quod dilectus meus fecit in domo mea scelera multa?* Jer. xi. 15. Non nos ita, Viri Patres & Fratres, sed in loco tali tanquàm divino, & cœlesti, audiamus vocem Domini imperantis, ut

Digitized by Google

ut amotis calciamentis nostræ vetustatis per pœnitentiam (suum est enim hoc officium) stemus in terra hac, quæ sancta est, dicentes cum Jacob: *Terribilis est locus iste, non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cœli.* Gen. XXVIII. 17. Etenim *Dominus est in loco isto* ℣. 16. & nos ergò sancti sumus, qui habitamus in sancto, quibus Dei gratia concessit, si non abutimur, illa vota prophetica: *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini.* Psal. XXVI. 4. Et rursùm: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, &c.* Psal. LXXXIII. I. Et iterum. *Elegi abjectus esse in domo Dei mei &c.* Ibid. ℣. 11. Ad pœnitendum præcipuè. *Pœnitemini* ergò. *Marc.* I. 15.

Circà hæc quadruplex occurrit consideratio moralis.

Prima Consideratio.

SANCTIÙS est, & Deo palentiùs, & fructuosiùs regulariter, orare Deum in Templis, & locis sibi dicatis, quàm in aliis. Valor quippe orationum ibidem factarum cumulatur ex oratione generali Ecclesiæ & loci majestate, ex qua fit devotionis major incitatio. Propterea non absque grandi ratione sedula religio Patrum nostrorum, particularia Oratoria vetabat, præsertim pro Missis celebrandis. Dixi in consideratione, *regulariter*, quoniam accrescere valor ipsis orationibus aliundè quàm ex loco sancto posset.

Secunda Consideratio.

OMNIS blasphemia, quæ attribuit Deo, vel Sanctis ejus indigna, vel turpia; vel verbo, vel facto, vel signo, tantò execrabiliùs fit in Ecclesia, quantò locus plus sacer est. Quæ blasphemia si fiat sub ludi specie, debet per autoritatem Superioris seriosè reparari. Nec consuetudo ad oppositum alleviat, immò aggravat; quià verissimè corruptela est, & sacrilega corruptela, quæ in caput Superiorum redundabit, si non pro suo officio remediare curaverint: majori quidem animositate, quàm pro suis temporalibus decertarent.

Tertia Consideratio.

UNA ex causis, quare Ecclesiastici mali, & impœnitentes, pessimi sunt suprà ceteros (prout sæpè expertum fuisse testatur Augustinus, & tempora mea idem monstrant ad oculum, assignatur convenienter, quia tales ipsi Deo magis ingrati sunt, dùm abutuntur eis omnibus quæ eos ad pænitentiam provocare debuerant. Omnia enim remedia pro sua correctione, ut sunt exempla Sanctorum, & prædicationes, &c. converterunt in fastidium, & contemptum, ex continuo auditu, & visu, adeò ut tandem se esse credant sapientes, & prudentes, præ aliis monitoribus suis, quoniam impinguati sunt, incrassati, dilatati, ideò dereliquerunt Deum factorem suum &c. *Deut.* XXXII. 15. & humilitatem nostræ Religionis, & suorum promulgatorum ponunt in abominationem sibi. Qualis igitur spes salutis esse potest, ubi quæ fuerant remedia, convertuntnr in nauseam, & venena?

Quarta Consideratio.

AFFECTIONES perversæ, quæ separant à Deo, damnabiliter fiunt ubique, damnosiùs in Ecclesia. Negotiationes prætereà seculares fiebant olim in Templo Jerosolymitano displicibiliter Christo, hoc ex suo zelo subvertente *cathedras nummulariorum* apparuit. *Matth.* XXI. 15. Nunc displicibiliùs fiunt in Templis suis, in quibus mysteria magis spiritualia convenit celebrari. Hæc de secunda parte Sermonis.

POSTREMÒ fas nobis est, non solùm ex statu personæ, nec ex loci qualitate corroborationem addere nostræ orationi, pro persuadenda nobis pœnitentia, ut jam fecimus; sed etiam tertiò ex temporis qualitate. Omitto, quòd tempus omne vitæ miseræ hujus, & erumnosæ, tempus lugendi est, tempusque pœnitendi. Non loquor de tempore hoc Quadragesimalis abstinentiæ quod intravimus; quamquàm multa dici ad rem competerent: cùm de jejuniis, qua observatione complenda sunt, & qui sunt quos pia necessitas excusat; quali insuper delicto obnoxii sunt Ecclesiastici transgressores, & fraudatores hujusmodi jejuniorum: tùm præterea de jejunio Quadragenario Christi, quali, qualiterque fuerit completum virtute. Sufficiat ad dolendum, lugendum, pœnitendumque continuò aspectus hujus temporis, immò hujus tempestuosæ ætatis nostræ, in qua regnat luctuosissimum absque exemplo, immò nullis unquam luctibus æquandum schisma, quod non vetustate consumitur, ut omnia; sed indies altiùs radices malas agit, & tanquàm fama, monstrum horrendum indies *Vires acquirit eundo.*

Expectavimus pacem, deplorat Propheticus sermo, Jerem. XIX. 19. *& ecce turbatio.* Sic Ecclesia insanabili quodam cancro depascitur, ægrescitque medendo. Sic suam hydram patitur, quæ ex successione fœcundior fit. Ipsa insuper, ut Minothaurus, vix egressibili labyrintho circundatur, & more ferarum habet in rete pedes suos. Nunquid non igitur tempus tale est, in quo pœnitere, & dolere cum ingenti gemitu, & plangore assiduo, cum lachrymis & rigitu coarctamur nos Ecclesiastici, & dicere: *Tu exurgens, Domine, misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.* Psal. CI. 14. Et iterùm: *Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt Legem tuam,* Psal. CXVIII. 126. Legem charitatis, vnionis, & pacis.

Prima Consideratio.

IN omni tempestate grandi, & internecione, ubi primùm incipitur à Sanctuario Dei saluberrimum est, juxtà Ezechielis visionem, signari signo *Thau* in frontibus, illi quippe soli salvantur sic signati. Quale signum illos solos accipere notat prædicta visio, qui gemunt, & dolent, super cunctis abominationibus quæ fiunt; hoc autem per pœnitentiam fieri perspicuum est. Ubi vero magis incœperit ira Dei à Sanctuario suo, quàm hoc tempore misero, quis legit, quis audivit? *Pœnitemini.*

Secunda Consideratio.

QUONIAM facta est scissio, ita universalis in corpore mystico ex peccatis singularium personarum, & eorum perversis moribus, quomodò fit in corpore vero dissolutio ejus ex vitio morbido partium, & corruptis humoribus; consequens est, ut pœnitentialis medicina primùm reciperet in membris sanitatem, præsertim cùm videatur hic esse digitus Dei, cui humanum auxilium quasi penitùs deesse sentitur: quapropter impetrandum est divinum, testimonio Josaphat; quæ impetratio non meliùs, quam per pœnitentiam humilem acquiritur. Quoniam sicut exaltatio ambitiosa, & perdita malorum Ecclesiasticorum tam fœda abjectione humiliavit Ecclesiam, ipsa si quæritur rursùs exaltari, ut per pœnitentiam humilem hoc fiat necesse est. *Pœnitemini ergo.*

Tertia Consideratio.

REVERENTIA pia ad Matrem viget plus quàm aliàs in filiis, tempore necessitatis, & conculcationis suæ, ut humilientur, & doleant, & pœnitentiæ signa demonstrent; præsertim ubi per talia, miserabilibus ejusdem Matris necessitatibus subveniri convenit, dùm singuli filiorum singula merita sua, sicuti quasdam donationes, & redemptiones conferunt in commune ad redemptionem Matris captivatæ. Sic est in præsenti tempore. *Pœnitemini ergo.*

Digitized by Google

Quarta Consideratio.

SCHISMA præsens non impedit veram pœnitentiam, immò magis ad eamdem faciendam animat & inducit, tanquàm ad primum antidotum, & medium pro portu salutis attingendo. Scio tamen nonnullos hinc indè posse inquietari à scrupulis,& quæstionibus pluribus, super casibus reservatis, & super potestate clavium, & aliis perplexitatum nodis, quibus schisma præsens respersum est. Scio nihilominùs responsum factum esse Antonio, quod sola humilitas omnes diaboli laqueos secura prætersugit. *Humiliatus sum & liberavit me* (inquit Propheta Psal. cxiv. 6.) Nulli verò absque pœnitentia datur post peccatum talis humilitas, quæ rursùs exaltet. Soli igitur benè pœnitentes securi sunt: quamobrem *pœnitemini ergo*.

Hæc fortassis sufficere potuerant de necessitate pœnitentiæ nostræ, nisi reverentia Evangelii hodierni, cui credi oportet, & quòd appropriatè de Ecclesiasticis loquitur, cogeret nos sua majestate ut aliquid diceremus, nec ipsum nostro silentio indigno transiremus. Itaque Evangelicus sermo xxiii. cap. *Matth.* undè Evangelium hodiernum conscriptum est, loquens in persona Christi ad Pharisæos, & Scribas sui temporis, notat in speciali sub reprehensionibus quatuor, & octo maledictionibus, à quibus debent Ecclesiastici præcavere; ut increpatio malorum, bonorum sit instructio, & ut super malo cognito pœnitentia salubrior fiat.

Prima reprehensio est, dicere bona, & non facere; hoc enim quid aliud est, quàm se propria voce damnare, & talem, cui meritò dicat Dominus: *De ore tuo te judico, serve nequam?* Luc. xix. 22. Videte autem, Patres & Fratres, quantò amplius est delictum, neque dicere bona, neque facere, immò dicentibus, atque facientibus modis omnibus seriò, & joco, clam, & palam contrariare.

Secunda reprehensio est, onerare subditos duris & multiplicatis ponderibus præceptorum, & pœnarum; digito autem suo nolle ea movere. Quo in loco culpantur illi Ecclesiastici, qui Excommunicationum, & vexalium, & maledictionum Sententias, accumulant suprà merita, quo fine, ipsi viderint, & quàm consonè ad Evangelicam libertatem.

Tertia reprehensio est hypocrisis, & superstitiosa in habitibus quibus sanctitatem, aut religionem præferunt, qualia intùs horrent & fugiunt ipsi taliter induti, qualiter induimur nos Ecclesiastici omnes, divisi à populo, præcipuè dum in Ecclesia ministramus. Sed sæpè mentiuntur hæ vestes, dùm aliud monstrant extrà, aliud tegunt intrà, exteriùs sanctitatem, interiùs vilitatem.

Quarta reprehensio est, ambire vanam gloriam in locorum eminentia, & alto recubitu, in cenis, in salutationibus popularibus, atque forensibus, in titulis & appellationibus, nomine Magistri, aut Patris, aut Domini, in quibus omnibus corrupta affectio, magis quàm ipsa actio quæ de genere bona est, & benè fieri potest, inculpatur. Potest enim aliquis omnia ista quærere, si status suus, & vocatio exigant pro utilitate Reipublicæ, & Ecclesiastico honore, non pro singulari ambitione. Aliquis enim ex Ecclesiasticis cur non fas habet altè sedere, & salutari populariter, & appellari, vel Mater, vel Pater, vel Dominus, si non istis delectetur? Hoc est, si non nomina tantùm, & famam; sed res, & opera, & officia, per nomina designata, quærit, & implet non ad suam, sed ad Dei laudem, magnificentiam, & gloriam.

Sequuntur octo væ. *Væ primum* est, claudere viam cœli perversis moribus, & exemplis. Hoc fit dum imperiti, & simplices ex populo arguunt sibi licere ea quæ vident Patres, & Pastores suos facientes.

Secundum væ, sub prætextu longarum orationum viduas, & simpliciores, spoliare. A quo væ non immunes sunt hi, qui Obitus, & Servitia multa in Ecclesia pollicentur, & ea vel non exolvunt, vel imperfectè ac negligenter, exolvunt.

Tertium væ, traduci potest appropriatè ad Ecclesiasticos quærentes promotionem alicujus ad statum Ecclesiasticum, vel contrà eos qui affectu carnali, vel alio, faciunt eum perversis exemplis, & moribus, A *duplo filium gehennæ*, Matth. xxiii. 15. quàm futurus erat in statu sæculari.

Quartum væ contra malos interpretes Mandatorum Christi, & specialiter juramentorum, & votorum, in quibus falluntur, & fallunt ex Sacerdotum ordine in Confessionibus audiendis.

Quintum væ, contrà eos qui Decimas, usque ad minimum esse solvendas decreverunt, & graviora ipsi derelinquunt, judicium scilicet, misericordiam & Fidem, sicut apud quosdam in Ecclesia plus punireur transgressio unius ceremoniæ, & traditionis humanæ, quàm blasphemia in Deum, aut suorum prævaricatio Mandatorum.

Sextum væ, mundare diligenter id quòd foris est in vasibus quibus Deo ministratur, ut est calix; & conscientiam dimittere rapinis, & immunditia plenissimam: ut faciunt qui in conscientia peccati mortalis, & in continuo proposito non relinquendi peccata sua, neque occasiones peccatorum, ministrare B præsumunt.

Septimum væ, contra hypocrisim eorum qui sanctitatem fingunt extrinsecis signis, intùs autem sunt pleni hypocrisi, & iniquitate, comparati meritò sepulchris dealbatis. Quod si culpantur hi qui mali sunt; quo vituperio digni videntur, qui peccata sua prædicant, gloriantes *cum malefecerint*, & exultantes *in rebus pessimis*, Prov. ii. 14. in perniciem & contagionem, & scandala certa pusillorum? Cuidam improperium dixit alius. Abi, hypocrita: cui acuta mordacitate respondit injuriatus: Tu talis es, ut nec hypocrita dici possis: ita palàm, & in publico perversus es, ut nullus fictioni locus relictus sit.

Octavum væ, est in eos qui Sanctis reverentes esse videntur, colentes eorum sepulchra, memorias, atque Reliquias; ipsi tamen eos nequaquàm imitantur in sanctitate, immò præsentibus inimicantur, & insidiantur qui Sanctorum vitam atque mores quæsierint imitari. Ad quæ omnia væ subjungitur horrenda conclusio: *Ecce* C *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matth. xxiii. 38. Domus hæc domus erat Synagogæ, cui succedit domus Ecclesiæ, quam jam penè desertioni vicinam intuemur, ut olim Synagogam. Avertat hoc pius Ecclesiæ sponsus Jesus Christus, avertet autem, si fuerimus pœnitentes, si nos benignè intuitus fuerit & convertet ad se, & tandem reponet in firmissimo habitaculo suo. Ad quod nos perducere dignetur, qui sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

ALIUS SERMO
IN CENA DOMINI.
AD
D
ECCLESIASTICORUM
Cautelam & Eruditionem.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 298. & Navarricum unum.

TRADIDIT *Jesum Judas Simonis Iscariot.* Originaliter in sententia Joan. xiii. 2. undè sumptum est Evangelium præsentialiter recitatum, de proditore Juda, de obstinato, & incor-

Digitized by Google

corrigibili. Quo utar nomine, Clerico, vel Prædicatori, vel Apostolo, vel Sacerdoti locuturus. Totus in meditatione, mea contremui, totus horrore concussus sum, recogitans, quam *terribilis in consiliis* Deus *super filios hominum*. Ps. LXV. 7. Videns insuper cum Ecclesiaste opera Dei mirabilia valdè, *quod nemo possit corrigere quem ille despexerit*. Eccle. VII. 14. Si claudit, quis aperiet? Si mittit crystallum obdurationis, *a facie frigoris ejus quis sustinebit?* Ps CXLVII. 17. Si diabolus cor subintret, nonne sicut malleatorum incudem indurat illud, ità ut rideat vibrantem damnationis hastam, vertuntur sibi in stipulam lapides fundæ, nec acquiescit cujusquam precibus. Judas in exemplo est, quem nec efficacissima prædicatio, nec maledictionis æternæ insinuatio per Christum facta deterrere potuit à præconcepto parricidio, nec consideratio tuæ dignitatis, ô Virgo beata, ô Mater pietatis emollescere potuit, ut misericordiùs ageret erga te, & Filium tuum benedictum. *Maledictus furor talis, quia pertinax, & æmulatio, quia dura*, Gen. XLIX. 7. dum tradidit Jesum Judas Simonis Iscariotæ. Nunc autem, ô Virgo serena, ne sit in aliquo nostrûm tale cor incredulum, & durum, cor à satana occupatum, cor ad divinas monitiones, vel increpationes clausum, adimus cum fiducia thronum gratiæ tuæ, suppliciter exorantes, ut irroratione ejusdem gratiæ percepta quæ cor emolliat, ut abjecta omni nequitia diabolicæ fraudis, ne cor induret, inveniatur nemo nostrûm proditor Filii tui spernens Legis suæ monita salubria. Quod ut impetremus, præsentamus tibi illud Evangelicum: *Ave gratia plena*, &c.

TRADIDIT *Jesum Judas Simonis Iscariota*. Joan. XIII. 2. &c. Memini, meminerunt & præsentium (ut opinor) aliqui, quemadmodùm hoc eodem vespere, ducto semel in circulos suos annuales sole, tractavimus literaliter thema præsens, incipientes ab hoc verbo: *Cum jam diabolus misisset in cor Judæ* Joan. XIII. 2. &c. Quam particulam ex industria dimittimus, circa quam præcipuè motæ sunt tunc quæstiunculæ plures, quasi ex persona Studiositatis speculativæ, quarum dissolutio vel ad Scholasticum exercitium, vel ad tempus alterum linquebatur; quas etiam nunc vel repetere, vel dissolvere, nequaquam est animus. Satis adest materiæ plangere potiùs, & plangendo Clerum nostri temporis, ne proditor Christi sit, admonere libet, ut Clerus qui in Apostolico Ordine indè successor invenitur, nullo pacto fiat ejusdem imitator in crimine: quali crimine? Nimirum in eo, quod narrat Evangelicus sermo, comprehensus in verbis thematis.

Tradidit Joan. XIII. 2. &c. Hæc totius nostræ intentionis summa, hic cardo circà quem dicendorum omnium volvetur oratio. Nam illos commonere, qui vel foris sunt in alio Ordine, vel absentes quid ad nos? Studeamus igitur ostendere modos, quibus, & quot Judas tradidit Jesum; & ex ejus damnatissimis proditoriæ fraudis operibus sciamus nos de Clero, nos dicti per antonomasiam Ecclesiastici, à quibus, & qualiter, abstinere debeamus, ne, si similes fuerimus in execrando facinore, par nos involvat horrenda damnatio. Jactamus in primis hoc pro dicendis fundamentum, quòd proditio est *fraudulenta læsio alicujus sub amicitia, vel officii simulatione*. Et ità proditio, duplex est iniquitas, quià & odium est, & simulatio. Proditor est, qui simulat officium, & affert detrimentum. Vel proditor est familiaris inimicus, eo perniciosior, quo efficacior est, & inevitabilior ad nocendum. De tali Prov. Cap. XI. 9. *Simulator ore decipit amicum suum*. Contingit autem fieri simulationem amicitiæ, vel obsequii, tripliciter; in statu, & professione: in gestu, & operatione: in affatu, seu locutione. Hanc triplicem benevolentiæ simulationem si quærimus, in Juda reperimus ergà Jesum, sicut his tribus modis ingerere finxit se Judas sibi benevolum, scilicet in statu, ut quia Apostolus ejus fuit; in gestu, ut quià osculum ei dedit; in affatu, ut quià eum Rabbi nominavit. Ædificemus (si placet) super hanc basim triplicem duos nostræ collationis parietes principales, traducendo Judæ proditionem ad Ecclesiasticorum omnium cautelam, & eruditionem.

TRADIDIT itaque *Jesum Judas Simonis Iscariota*. Primùm, quia amicitiam obsequiosam prætendebat in statu, quam longè projecerat ab affectu. De gestu autem, & affatu, similiter in altera parte videbimus. Porro status Judæ quadruplici titulo fuerat insignitus. Erat quippe Judas Clericus, hoc est, in sortem Domini electus, tanquàm domesticus ejus, & heres. Ad quid? Ut Dominus sua pars suaque esset hereditas. *Cleros* enim Græcè, est *sors* Latinè. Erat præterea Judas civis Sanctorum, ascriptus de civitate Jerusalem, tanquàm domesticus, commensalis, & Canonicus Regularis sub Abbate Christo. Erat rursùs Prædicator, & Apostolus, *Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis*. Marc. XVI. 20. Sibi quippe data erat potestas super omnem virtutem inimici, communicata simul eloquia divina, & secreta cœlestia. Erat denique Sacerdos Dei Altissimi, institutus à Christo, secundùm ordinem Melchisedech. In primo filius Jesu, & heres. In secundo frater, & concivis, & Religiosus. In tertio amicus, immò Mater, propter spiritualem propagationem in aliorum cordibus. In quarto socius, & comminister. Agnoscitis, qualia, & quot in statu suo, & quàm magnifica dilectionis pignora Judas susceperat. At verò quid pro his omnibus retribuerit; scitis. Tradidit quippe Jesum, Patrem suum, Fratrem suum, domesticum suum, & Abbatem, amicum, & Pontificem, & socium dignantissimum. Sed ad hæc audita quis ex nobis non indignè ferat? Quis non exhorreat tam inexpiabile piaculum? Quis non sceleratissimum, perditissimumque Judam damnatum pronunciet? Veruntamen inspiciamus nosmetipsos, Charissimi, qui vel Clerici, vel Ecclesiastici dicimur, qui Prædicatores, qui Præsbyteri; non nos fallamus adulatione propria, non terga vertamus lucidæ veritati; fortasse videbimus, quod hæc de nobis fieri potest narratio. Qualis narratio? Utique quòd inter nos sit qui tradiderit Jesum exemplò Judæ Iscariotæ. Tradidit, inquies, & quomodò potest hoc fieri? Nonne *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*, Rom. VI. 9. Apostolo dicente, quod non moritur, neque ad mortem traditur? Audi vero alio loco Apostolum tu, ô homo, qui Apostolum appellasti. *Rursùs*, inquit, *crucifigentes in se Filium Dei, & ostentui habentes*; Hebr. VI. 6. si crucifigentes, cur non pari more loquendi morti tradentes? Crucifigitur in membris suis? Crucifigitur, quantùm in nobis est, dum causâ suæ crucifixionis peccatum iteratur. Proditur autem, dùm simulatoriè colitur, statu, gestu, vel effatu. Inhonoratur verò pravo cordis affectu. Esto, dicet aliquis de Clero, crucifigam Christum modo quo loqueris: esto prodam eum; attamen longè est peccatum meum à sceleratissimo facinore Judæ proditoris, qui miracula testatissima Christi vidit: non ego. Jesum prædicantem, commonentem, deterrentemque audivit: non ego. Consors Apostolorum fuit: non ego. Desperando se suspendit: gratiâ Dei non ego. Appello te, homo, qui sic loqueris, præ Juda te justificans. Credisne Judam vidisse, & audivisse, quæ dicis? Si nequaquam, tu vanè crimen Judæ per hoc exaggerandum pronuncias? Si credis, jam igitur miracula confiteris quæ vidit Judas, tu pœnam proditoribus æternaliter infligendam agnoscis. Ampliùs verò tu multitudinem testimoniorum, & scripturarum per successionem tanti temporis hujus, post occubitum Judæ plus agnoscere debuisti. Quod si tam certissimis historiis fidem de-

Digitized by Google

derogas; sed dicis, si miracula videro, credam. Accipe responsionem epuloni datam, Luc. xv. 31. non *si quis ex mortuis resurrexerit* coram te, credes. Clarissima certè miraculorum lux perversos reprobosque animos non tàm illustravit ad credulitatem, quàm radiando cæcavit. Hoc fuit in Juda, hoc in Judæis, & hæreticis perspicuum. Cave tibi igitur, ne si Judæ præbueris te similem in vita, similis in obduratione, & reproba morte justo Dei judicio relinquaris. Quocircà pro explicatione majori quadruplicem Considerationem assumimus.

Prima Consideratio.

AD exemplum Judæ proditor est Ecclesiasticus, qui spreta parte sua ditissima, egenam avaritiam consectatur. Ad quid? Ut uxorem immò adulteram pessimam nutriat, concupiscentiam suam, & fiat. Iscariot, id est, mercedem accipiens. Avaritiam hìc intelligite affectum inordinatum, malè cupidum, non tantùm pecuniæ, sed rei cujuslibet transitoriæ. Vultis audire Considerationis hujus rationem? Debuerat quippè perseveranter Clerus dicere id quod ab initio suæ institutionis juxtà nominis interpretationem protulit cum Propheta *Dominus pars hereditatis mea* &c. Psal. xv. 5. Et rursùs: *Pars mea Deus in æternum.* Psal. LXXII. 26. Hæc sors hereditaria, hæc uberrima portio, hæc pars optima nonne Clero sufficere debuerat? Nonne cum eodem Propheta gloriari æquum erat, quando subditur: *Funes*, id est, divisiones, *ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.* Ps. xv. 6. Valdè præclara; quales opes, quæ divitiarum copiæ satiabunt animam Clerici, si Deus omne bonum, si merces magna nimis, velut insufficiens abjicitur? Fit nihilominùs stoliditate mirabili; magis verò miserabili, ut Clerus per avaritiæ cupiditatem avertatur à sorte sua, Deo suo, quem deserens, & ab ejus facie passibus non tam corporis, quàm gravis affectionis egrediens, primùm in se recurvus corruit. Stulta verè, pravaque mutatio de Deo in se. Nam in se quid nisi vastum quoddam indigentiæ desertum invenit, aut sentit? Anima quippè sine Deo quid, oro est, nisi horribilis quædam, & inhabitabilis terra, deserta, invia, inaquosa, vel potiùs tenebrosissima quædam, & profundissima miseriarum abyssus. Præterea Clerus sic aversus à Deo, neque jam consolationem aliquam, neque refectionem, aut satietatem ab eo sentiens, quidni, avertente Deo faciem suam, conturbetur? Quidni ad ad tenebrositatis vesperam veniens, famem patiatur ut canis? Quidni querulus dicat Deo: *Posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi* Job. VII. 20.? Itaque fit sibimet regio egestatis, longinqua valdè à peccatoribus salus. Occupante igitur regionem illam fame valida miseriarum, consolationum, falsorumque bonorum, perditoque gustu vivi & veri boni, egreditur jam homo Ecclesiasticus semetipsum, per exteriorum quinque sensuum portas, quia nullibi pejus hospitium, neque amarius consortium, quàm in se, & secum invenit, egredictur foràs, & congregat iniquitatem sibi. Egredietur, si fortè videndo, audiendo, sentiendo, gustando, vel olfaciendo umbras, aut picturas veri boni, res sensibiles, afferat sibi indè consolatiunculas aliquas, quas substernat animæ suæ ægrotanti, & fauciæ, ex quibus pascat concupiscentiam insatiabili aviditate voracem cum filiis suis, operibus carnis, quasi totidem catulis fame rabidis. Sed expertus quàm vere enunciaverit qui dixit Eccl. 1. 8. *Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*; reperit cum Augustino omnia miris amaritudinibus respersa, quià juxtà Satyricum,

Plus aloës, quàm mellis habent.

Misera planè, sed digna sors, ut ejectus Clerus cum Caïn à facie Domini, vagus sit post concupiscentias suas, & à contristantibus eum profugus super terram, non viventium in æternitate, sed morientium in temporalitate. Denique Clerus sic aversus à Deo & conversus ad mundum, quid patitur? Nonne sentit, & videt, *quam amarum sit reliquisse Dominum?* Jerem. II. 19. Sentit profectò, nisi sensum perdiderit. Nam adhæret uni civium regionis illius, hoc est, carni, quæ de mundo, non de supernis est, ut spiritus. Hæc mittit eum pascere porcos sordidos, brutales, & furibundos desideriorum pessimorum, quibus dat siliquas inanes voluptatum. Sed quid dicit Scriptura de adolescente filio, undè parabolam assumpsimus? *Cupiebat ventrem implere de siliquis, quas porci comedebant, & nemo illi dabat.* Luc. xv. 16. Onerat quippe talis cibus voluptatis, irritatque famem, non satiat. Superest ergò, ut quia satietatem in nulla re unà reperit, nitatur evagari per varia; propterea fit dispersus multipliciter, & inquietus, semper hians, semper ad ampliora coacervanda, ne desit aliquid, elaborans; semper *nescio quid curtæ deest rei*, inquit Satyricus. Finita sunt quippe omnia; animæ autem desiderium, & os & venter capaces sunt infiniti, propterea quicquid objectum fuerit, non plus affert satietatis, quàm gutta uno gulpho vastissimo. Totus iste Mundus sensibilis ad animæ ventrem quid est, nisi bolus exiguus; nam si mille millia Mundorum adjeceris, eum non implebunt. Patuit in Alexandro, in Cæsare, in aliis tyrannis. *Væ misero mihi* (inquit Alexander cùm ex Democriti sententia innumerabiles mundos audisset,) *ego nec unum subjugavi.* Idem de scientiæ cupiditate. Exemplum deindè senserunt, qui tota studiositate sua nihil aliud invenerunt quàm nihil scire, & quòd multa scire magna fatuitas. Porrò quid mirandum, si non satiatur comedens in somnis, ut loquitur Isaïas, & ut Poëtæ de Tantalo fabulantur? Sed & umbram, & ventum, dentibus atterens, & pascens, saturitate quomodò implebitur? Ideò benè enunciavit, qui dixit, appetitum divitiarum esse infinitum. Midam, & Tantalum Poëtæ, & Cresum cum innumeris divitiis historici pro exemplo posuerunt. Ecce cui assignata erat sors uberrima, sorsque plenissima, dùm, derelictâ eâ, umbram, & ventum consectatur temporalium commodorum, vel lucrorum, dùm quærit ea tanquàm pretium quoddam hujus commutationis Dei cum Memmona, ipse neque rem habet, neque pretium. Postremò cum Juda suspenditur, strangulaturque laqueo temporalis sollicitudinis, intercipientis spiritum vitalem gratiæ, ne interiora refrigeret, & crepat medius, & diffundantur omnia viscera ejus in terram. Fingo istud, nisi esset testis sapiens: *Avaro*, inquit, *nihil est scelestius*. Sequitur: *Projecit enim in vita sua intima sua.* Eccli. x. 9. 10.

Vultis accipere similitudinem (ut dicitur) palpabilem pro prædictis. Ponite antè oculos vestræ considerationis canem aliquem mordicitùs inter dentes gestantem frustum carnis; transnatet canis iste flumen aliquod, videatque umbram carnis in aqueo speculo, hic canis, ut avidum est animal, si hiando nititur umbram hanc arripere, vel glutire, quid agit nisi, ut verum carnis cibum perdat; elabitur enim, fundoque mergitur, non tamen vanescente potitur. Aut si similitudo magis placet in hominibus. Recogitate aliquem in horto pomifero positum, super cujus horti filices humi repentes super urticas, & vepres jaciantur ab alto umbræ pomorum ex radiatione solis objecta; quanta, precor, æstimabitur stoliditas in hoc homine, si spretis veris pomis ipse nitendo, & serpendo pedibus, manibusque totus incumbat inhians aperto ore super hujusmodi vepres, & urticas, cupiens umbratilibus pomis saturari? Quid ipse nisi ustiones, puncturasque; quid nisi lacerationes referret de toto conatu suo? Profectò hic est

Digitized by Google

est typus avari, qui spreto Deo vero cibo & fructu, persequitur umbras ejus, umbratiles scilicet divitias, quas Jesus spinis, quia cruentant, & pungentibus curarum aculeis vulnerant, comparavit. Itaque nisi hæc umbra quasi somnialiter, & umbratiliter fieret, sicut unus Poëtarum dicit (referente Fulgentio) non cecinisset Psalmista: Psal. LXXV. 6. *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Et rursùs: Psal. XXXVIII. 7. *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Minus quippe habet entitatis, & permanentiæ temporalitas æternitati comparata, quàm somnium avolans, vel umbra pertransiens; si earum cum temporalitate, quantumlibet extensa, fiat collatio. Talem (nisi me fallit æstimatio) formaverant imaginem rerum humanarum duo Philosophi, Democritus, & Heraclitus; quorum alter mox ut ingrediebatur solium domus ridebat, ità nihil sibi serium, sed ineptum videbatur: alter flebat, arbitrans omnia quæ gerebantur miserrima. Talem Job, talem ille, qui introïerat in Sanctuarium Dei imaginem pinxerat. Job dicit: v. 3. *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus statim.* Alter: Psal. LXXII. 20. *Velut somnium surgentium, Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Clerus utinam sic sentiret ex intimis rerum vanitatem, quòd quià non facit tradit Jesum, prætendens ex statu, & nomine se habere solum Deum in sortem hereditatis, à quo longissimè projectus est per vitium cupiditatis. Quòd si vult regredi, formam habeat jam allegatam adolescentis, revertatur de exterioribus ad se, de se ad Patrem dicens: Luc. XV. 18. *Pater, peccavi in cœlum & coram te* proditor nedum tui, sed cujuslibet creaturæ, *fac me sicut unum ex mercenariis* non mundi, sed *tuis*, ne peream cum Juda Simonis Iscariotæ.

Secunda Consideratio.

AD imitationem Judæ proditor est Ecclesiasticus, qui corporaliter etiam ascriptus ad consortium, Ecclesiamque Sanctorum, deserit illos corde nequam, transiens ad Synagogam peccantium; ibique Simon existens, id est, mœrorem audiens. Hæc fuit iniqua Judæ proditio, ut dum cum sanctis Apostolis, & Maria Matre Jesu corporaliter versaretur, ipse totus animo cum Judæis de traditione Domini sui, de desolatione cœtus istius pertractaret, ut verum sit illud per Psalmistam Psal. XL. 10.: *Etenim homo pacis meæ qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem. Imitantur autem eum, qui sunt ex parte illius.* Sap. II. 24. quorum conversatio corporalis cum Catholicis mentitur Fidem, & devotionem, quæ longè sunt ab eis: non enim sunt fratrum amatores, sed spoliatores, fraudatores, irrisores eorum, etiam spiritualiter in moribus, civiliter in fama, perversissimis machinationibus occisores. Ita traditur Christus in membris suis. Ecclesiasticos itaque, quos avaritia pervertit jam à Deo, invidia comes avaritiæ suscipicit; dùm vident in alio quod non habent, fraus insuper, dolus, detractio, ira, furtum, sacrilegium, odium, tædium veri boni, & similes vitiorum pestes, tanquàm latrones aliqui, & proditores inveniunt eos, inventosque cæcant, alligant, sauciant, trahunt, distrahunt: denique extrà viam virtutis ejiciunt. Vix ad tempus relinquitur pallium hypocrisis, tegens cadaverosam fœditatem intrinsecùs horridam operimento quodam conversationis exterioris cum reliquiis, velut in sepulchris dealbatis. Dignum planè est, ut qui talem, tantamque portionem Deum fastidivit, quique avaritiæ tyrannide distractus à loco uberis pascuæ, à monte coagulato & pingui corruit in desertum, vallemque totius egestatis, & salsuginis ipse incidat in latrones cum illo, qui de *Jerusalem descendebat in Jericho*, Luc. X. 30. & de pace in mutabilitatem, & de quiete in confusionem. Ità qui noluit esse socius Apostolorum, nec habere soliditatem Fidei cum Petro, mititatem cum Andræa, puritatem cum Joanne, & sic de reliquis, fit consors perfidorum, fit præda vitiorum, & qui priùs nutriebatur in croceis, amplexatur stercora, *Thren.* IV. 5. & cum inimicis Domini terram lingit.

Occurrit verò inter loquendum venerandus ille cœtus Apostolicus, cui gratissima, castissimaque præsentiæ tuæ serenitas, ô Virgo benedicta, splendorem sanctamque lætitiam aspirabat, quò magis execranda redditur Judæ proditiosa malignitas, quæ cum tot Sanctis, Sanctus esse non voluit. Dic, ô Juda sceleratissime, quid hæc Virgo commensalis tua, familiaris tua, obsequiosa tua. Dic, ut de reliquis sileam,
A quid fecit tibi, quid molestiæ intulit, ut Filium suum charissimum traderes ad mortem, & tam duram mortem? Nunquid tibi dura fuit, vel injuriosa, quæ benignitate nitebat apud omnes. Nequaquàm prorsùs; quinetiam pia credulitate suspicor, etsi Evangelium sileat, quòd ergà te plus officii, plus benevolentiæ monstraverat, exemplo Filii, tentans si fortè durissimam cordis tui nequitiam, cujus non erat penitùs ignara, molliri, leniri, vel fraterna, vel materna correctione contingeret. Sentiebat te ad Judæos cursitare clàm, & redire, neque tamen prodebat te; sed in bonam potiùs partem trahens omnia, forsan precabatur te, rogabat, hortabatur, ut invidiam Judæorum erga Filium suum, Magistrum tuum, tu mitigares, tu pacis conciliator fieres: nec deerant quantùm suspicari fas est, blanditiæ virginales cum gravi majestate monendi per verba potentia gignere compassionem in cordibus belluarum. An fortè seor-
B sùm te advocans alloquebatur. Vides, ô Juda charissime, quo pacto Magistrum tuum, Filium meum quærunt Judæi perdere. Scivisti, aderas enim, quando sustulerunt *lapides, ut jacerent in eum.* Joan. VIII. 59. quando vix è Templo vivus evasit: nunc precor te per socialem omnium nostrum convictum, si & quid ipse totus bonus, nosque omnes benè unquàm de te meruimus, roga Judæos quæ ad pacem sunt. Is enim, & redis ad eos, ostende nihil esse in Filio meo dignum morte, qui infirmos eorum curavit, qui doctrinis erudivit, qui solum Dei honorem & gloriam vivendo, prædicandoque quæsivit. Cur in hujus morte peribimus omnes? Scis quòd ex ejus vita pendet mea. Quinetiam tu ipse qualem alium Dominum, vel Magistrum habiturus es, in quo plus benignitatis, gratiæ, & favoris expectas? Elegit te in fratrem, in Apostolum,
C in amicum; pavit te, ministravit tibi, potestate miraculorum cum autoritate prædicandi dotavit te; dispensatorem suum constituit te: denique majora sunt quæ promittit. Ad hæc, & similia Virginis alloquia scire vellem, ô crudelissime Juda, quæ tibi facies, qui gestus, qualis pro responsione vel sermo, vel nutus. Sed certè leve erat, te impudenti simulatione velle fallere Matrem, qui Filium Dei putasti decipere, dicens: *Nunquid ego sum Rabbi.* Matth. XXVI. 25. Et rursùs: *si oportuerit me mori tecum non te negabo.* ℣. 35. Nam, teste Matthæo, omnes Discipuli cum Petro similiter hoc dixerunt; alii forsan improvidè, tu proditoriè. Cupiditas tua (ô Juda) obvolvebat te tanta noctis caligine, ut in lucidissimo die turpitudinem tuam latere putares, nec erubesceres. Nunquid non in ipsa proditionis hora, verba reverendæ, blandæque salutationis protulisti, dicens: *Ave Rabbi.* ℣. 49. Magistrum vocas, de quo nuper ad Judæos tan-
D quàm de malefico, & fraudulento dixeras; *Tenete eum, & ducite cautè.* Marc. XIV. 44.

Animadvertitis, ô Viri Patres, & Fratres, animadvertitis quàm cæca sit avaritia, quæ ita cor Judæ firmavit, occlusitque, ut ægresceret, medendoque deterior redderetur.

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri sacra fames?

Nam ad ipsos etiam Judæos ultrò cucurrit, non sollicitatus ab eis, sed more emptoris interrogans: *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?* Matt. XXVI. 15. Ha-

Habet itaque cogitatio avaritiæ radicatam suam ebrietatem, suum furorem, suamque insaniam inexorabilem precibus, inflexibilem consiliis, surdam monitis; demùm ad minas omnes jamjam irruentes imperterritam. Et putatis avaritiæ soli propriam hanc esse surditatem ad consilia? Putatis huic Judæ soli contigisse? Habet hanc incorrigibilitatem comitem, hanc melancholicam insaniam, hoc dæmonium surdum, affectio A quælibet vel passio vitiosa, dùm profundari, radicarique sinitur; hoc in philocaptis ad amorem: hoc in vanè gloriosis ad gloriam, pompas, prælationem; hoc in invidis, ad odiosam malignandi libidinem quotidiè conspicimus. Alioquin meliùs irent res humanæ, præsertim Ecclesiasticæ, si non salubribus monitis, consiliisque legum æternarum, passiones vitiosæ, ebriosæ, stultæ, furiosæ, vel dominationis, vel avaritiæ, vel ambitionis, obstitissent: neque tam diuturna contagione schisma præsens labefactasset Ecclesiam, si non pro extirpando solum schismate, non pro obsequendo passioni multiplici vitiosè fuisset insudatum. Exitus verò qualis habebitur, nescio, Deus scit. Hoc unum fidenter assero, quòd pax, quam avara superbia Clericorum, præsertim in sublimitate positorum, exulare fecit ab Ecclesiæ domo, non regredietur per eamdem viam avaritiæ, & superbiæ, in regionem nostram. Non muneribus B non terroribus sollicitando animos contrariantium, sed per viam liberalem, ac benignæ humilitatis. A qua tamen quàm longè abierimus, cogitare stupor est quærentibus omnibus, *quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, Philip. II. 21. Non sine reatu proditionis cum Juda Simonis Iscariotæ.

Tertia Consideratio.

PRODITOR est cum Juda Ecclesiasticus prædicans & confitens Jesum verbis; operibus autem negans. Judas interpretatur confitens, sed est confiteri Deum ore, negare verò factis, secundùm Apostolum. Ignosce mihi, Domine Jesu, quoniam hìc contrà meipsum prophetaturus sum, contrà animam meam, nisi miserearis, locuturus. Heu quotiens ego cum meis similibus te Jesum, Legemque tuam ore tractavimus? Quotiens aliorum languores prædicando C sanare, quotiens spiritus immundos errorum, & vitiorum ab aliis depellere, quotiens teipsum in eorum cordibus per semen verbi tui spiritualiter gignere tentavimus? Cor autem nostrum longè erat à te, languidum, ægrum, vitiis obsessum, cui ex sententia dicere potueras illud proverbii: *Medice cura te ipsum.* Luc. IV. 23. Illud insuper dictum tuum peccatori: *Quare tu enarras justitias meas & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, projecisti sermones meos retrorsùm* Ps. XLIX. 16. 17. & cetera, quæ sequuntur. Sic Urias tulit secum litteras propriæ mortis. Sic fabricatores Arcæ pro salvando Noë cum suis perierunt. Sic dicente Seneca: *Turpissimum est quod nobis objici solet, verba Philosophiæ tractare non opera.* Sic Dominum cognoscentes Philosophi, neque tamen eum sicut Deum glorificantes, non gratias agentes, D dati sunt in reprobum sensum, quanto magis Theologi Christiani.

Nolo tamen insultent Prædicatoribus *Canes muti non valentes*, neque volentes *latrare*, Isaiæ LVI. 10. quoniam si proditionis rei sunt Ecclesiastici qui loquentes bona non faciunt; nunquid, obsecro gloriabuntur illi, nunquid excusabuntur, quorum officio annexa est obligatio prædicandi? Ipsi autem bona neque dicunt, neque faciunt. Itaque duplici contritione conterentur, quia & seipsos interimunt lætali gladio criminum, & alios silendo otiandoque malè perdunt. Quamquàm terribile sit valdè, undè tanta surditas in auribus Prædicantium qui propriam vocem non audiunt, quo pacto non verentur ferre damnationis in seipsos Sententiam. Quo modo præsumunt Deum (ut ità loquamur) edocere, quali pœna mulctandi sunt? Qua fronte non expavescunt severissimum illud de Evangelio improperium: *De ore tuo te judico, serve nequam?* Luc. XIX. 22. Sed profectò aliquando faciliùs est accusare vitia, quàm vitare; faciliùs laudare virtutes, quàm implere. Denique non omnes qui Scripturarum verba vel legunt, vel loquuntur, formaverunt in seipsos veros, proprios, & intimos conceptus eorum quæ dicuntur, non plùs aliquando quàm pueri, vel picæ, vel cæci de coloribus. Proprii nimirùm & veri conceptus spirituales per gustum intimum; gustus verò intimus per operis exercitium cum desiderio vehementi gignuntur, formanturque. Notavit hoc qui dixit: Ps. CXVIII. 104. *A mandatis tuis intellexi.* Et rursùs: *Gustate operando & videte cognoscendo.* Nam *gustus ipse cognitio est, & experimentalis notitia.* Secundùm Gregorium *in Hom.*

At verò ne miserabilis hæc admiratio, hæc fatuitas insensibilis, hæc incorrigibilis insania videatur apud arrogantes, & æmulos propria solis Theologis; communis est, affirmamus, omnibus hominibus, quos non exceperit gratia Salvatoris. Miraris tu, & mirando detestaris, & irrides, quòd Theologus dicit aliqua de contemptu mundi, & gloria futuri seculi, & ea interpretaris, quòd non credit, quæ loquitur. Ostendam tibi plus, vel æquè mirandum. Quis, precor est ex hominibus, qui nesciat se moriturum, qui non fateatur, & dicat: Ego absque ulla momenti interpolatione sicut reus fugio ad mortis suspendium, ego sicut umbra prætereo. Nihilominùs quàm raros ex hominibus ostendas mihi, qui non talia, & taliter operantur in acquisitione divitiarum, in luxu sæculi, contentionibus, & æmulationibus, & similibus insaniis, quasi perpetuò victuri sint, quasi non protinùs, & repentè, velint, nolint, ab hoc umbratili sæculo migraturi. Currunt ad mortem sicut vitulus aliquis saltans, lasciviens & ludens. Ità nihil movet eos illud quod sciunt, quod loquuntur, quod pro certissima re profitentur. Mentior, si non viderim hominem damnatum suspendio, mox interiturum cum sociis qui jam pendebant, fabulari in quadriga, ridere, jocari. Denique quotiens videmus homines hilari vultu cum risibus, & cachinnis, recentia aliorum funera, præsentiaque celebrare.

Intra Ecclesias, quotidianum tibi erit hoc spectaculum monstruosum. Desinant igitur Theologorum insanias ipsi, qui non minùs insaniunt, subsannare. Accipiet talis quilibet illud Horatii:

Tu tandem major parcas, insane minori.

Ceterum habet hoc unum prædicatio, commonitioque superba, quia fit interdùm, ut loquens aliis, seipsum tandem aliquando audiat, se instruat, se convertat, quemadmodùm contigit uni ex sanctis Patribus, & ita de proditorio peccatore verus justus exoritur, carens spiritu obdurationis, jamjamque dissimilis Judæ Simonis Iscariotæ.

Quarta Consideratio.

PRODITOR est Ecclesiasticus suscipiens sacrum Presbyteratus honorem, & officium, si perditè vivendo exhibet se diabolo execrabile mancipium, quem oportuerat sanctis operibus esse Dei Sacerdotem, & Ministrum. Nimirum *quanto status altior, tanto casus gravior.* Pergebam in Sacerdotes nostri temporis declarare, volens exaggerare proditionis suæ nequitiam suprà iniquitatem Judæ quoad plurima; nam Judas mortalem, isti immortalem tradunt, vendunt, prostituunt, fœdant, dilaniant, crucifigunt: sed affuit Studiositas speculatrix familiaris nostra contrà faciem mentis meæ. Querelam, inquit, hanc declamatoriam linque. Noli frustrà niti, & nitendo odium quærere, desine surdos, immò obduratos suprà petram quorundam animos velle verbis emendare. Contereres eos potiùs quàm emollires, habeto Judam in exemplum. Quamobrem his sibi derelictis dic, obsecro te, solutionem ad dubitationes aliquas

Digitized by Google

quas literales ex dictis habentes originem. Dic si Judas, quem apostatasse jam constabat à Deo, vendiderat quippe eum nocte præcedenti, dic, inquam, si in hac cena verè Sacerdos est effectus? Respondi, verè effectum Sacerdotem, ità enim Doctores sentiunt, ex quo suscipere intendebat id quod Christus dabat omnibus Apostolis dicens: Luc. XXII. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Dic igitur, si potuisset Corpus Christi verum consecrasse? Respondi, consequens esse, ut hoc potuerit. Dic igitur, si supra Corpus Christi mysticum potestatem susceperat sacramentaliter absolvendi? Respondi, non suscepisse, sicut nec Petrus, nec Apostolorum ceteri usque post resurrectionem. Promissa fuerat anteà talis potestas, sed post resurrectionem exhibita, sicut Pontificatus Summus: nisi dixerimus quòd Ecclesia duos Papas, Jesum & Petrum, tunc in carne mortali simul viventes habuerit. Itaque Sacerdotalis Ordo pro sui complemento duas formas habet, habetque duplicem characterem sicut duplicem potestatem: unum super Corpus Christi verum, super mysticum alterum.

Dic consequenter, cur Cyprianus, & alii Doctores plurimi, quorum dicta recitantur in Decretis, posuerunt nihil fieri in Sacramentis, nihilque conferri à schismaticis, qualis erat Judas? hoc etiam in præsenti schismate quidam dogmatizare, scribereque voluerunt. Respondi, determinationem Augustini, & Ecclesiæ, ad oppositum esse, si simpliciter ita sentiebat Cyprianus cum suis. Est quoque ratio manifesta, quoniam potestas inabdicabilis est humanitùs, quæ charactere indelebili stabilitur.

Intelliguntur autem dicta Cypriani cum ceteris, de schismaticis, vel hæreticis, qui vel non faciunt, vel facere non intendunt secundùm observationem formæ, & materiæ, ab Ecclesia traditam, & à Christo institutam. Vel dic, non possunt, *Glossa*, sine peccato.

Dic, si Judas statim ut excidit à Fide, & à Religione per apostasiam proditoriam, vendendo Jesum Judæis, perdiderit jus in Apostolatu, & ut clarior sermo fiat in simili; dic si Episcopus, vel Prælatus aliquis eo facto, quòd errat in Fide, & pertinaciter sit depositus? Respondi, quòd etsi Prælatus hæreticus dignus sit deponi, nihilominùs non est eo facto depositus; sicut aliquis quantumcunque sit dignus Episcopari, non est propter hoc, eo facto factus Episcopus, nisi per electionem humanam, vel divinam manifestam. Itaque neque deponitur invitus, nisi divina, vel humana autoritate coagente. Alioquin incertissimæ essent, & vagæ Ecclesiasticæ potestates Hierarchicæ. Signum hujus manifestum habetur in Juda, quem in honore Apostolico Jesus tenuit, nec à consortio separavit, quantumcunque sciret illum apostatam in occulto: sed nec Virgo eum Maria, sui facinoris conscia, devitavit.

Dic igitur, qualiter ille erit caput in Ecclesiastica Hierarchia, qui non meretur dici membrum? Respondi, potestates & gratias istas esse distinctas secundùm donum Prælationis, & donum charitatis seu Fidei. Propterea potestas Prælationis manere potest, immò dari, desinentibus aliis, sicut abscedente Charitate manet sæpè Fides, & Spes. Error oppositus magnam, ut audio, in Anglia rixam dedit. Materia igitur sufficiens ad Prælationem de facto, vel suscipiendam vel recipiendam, est homo baptisatus viator, intendens recipere id quòd Ecclesia conferre constituit. Dic, cur Dominus Judam, quem casurum sciebat, elegit in Apostolum. *Ego*, inquit Joan. VI. 71. *duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est?* Respondi, quæstionem istam esse unam de illis, quas intuens Apostolus, reverenti silentio præteriens honoravit exclamans! *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ &c.* Rom. XI. 33. Hoc unum scimus, quòd in Juda non causavit Deus improbam voluntatem proditionis sceleratæ inesse malitiæ. Attamen ipse hac mala voluntate bene usus est tanquam Dei sapientia *Attingens a fine usque ad finem fortiter & disponens omnia suaviter.* Sap. VIII. I. Corripitur hìc stulta ambitio cordis humani, proruens impavidè ad culmina dignitatum, quem honorem homo etiam vocatus, etiam electus à Deo, non tutè neque sine multo cadendi discrimine suscipit; testimonio sunt Judas, & Saül, plurimique. Quis igitur manet exitus, dum ingerit se quispiam prece, pretio, non vocatum, non electum, utinam non reprobatum?

Dic si miracula fiebant à Juda, utique reprobo; quale erit pro canonizatione Sanctorum apud Ecclesiam argumentum? Respondi, vitam inspici debere, quæ si in humilitate certa, & non ficta conjuncta sit miraculis, resultant (ut determinat Gregorius *in Dialogis*) duo signa sufficientis sanctitatis ostensiva. Porrò miracula sine vita quoad hoc, signum fallax. Properabat Ingeniositas studiosa multiplicare quæstiones hujusmodi super numerum, cui ego valefaciens, noli, inquam, ampliùs me interrogando morari, quoniam grandis adhuc restat dicendorum via, de signis proditionis Judæ Iscariotæ. Paruit illa petens scholasticum exercitium; ego ad morale negotium redeo, &c.

ENUMERATIS itaque quatuor simulationibus sumptis ex Judæ statu, vel professione, pro collationis parte prima, supersunt juxta propositum ab initio simulationes aliæ, quibus proditionem suam Judas vel tegere, vel excusare conatus est tàm gestu, quàm affatu. Quatuor utrinque notaveram, quàmquam plures inveniri posse non abnuo. Has simulationes tum occupationum turba irruens, tum amica brevitas præterire jubebat; quas nihilominùs brevi compendio, non tam ambulare, quàm excurrere proposui, octonarium sub quaternario complexurus, & ad mores sub quadruplici consideratione traducturus.

Prima Consideratio.

JUDAS cum Jesu cibum sumpsit nedum carnalem, sed sacramentalem, quod esse debuerat non mediocre fœderis argumentum. Omittamus Judam: Clerum intueamur, & proh dolor Ecclesiasticos similes invenimus, comedentes patrimonium Jesu; eum verò in suis pauperibus spoliantes, sumentes Eucharistiam, sed eam venalem facientes. Hinc provenit, æstimo, tanta super omnes homines in Ecclesiasticis quibusdam cæcitas, tàm incorrigibilis obduratio, juxta imprecationem Prophetæ: Psal. LXXXVI. 23. *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum* &c. Tolerat nihilominùs Ecclesia tales, sicut Christus Judam, agricola zizaniam, præsertim in occultis, ne vel Confessio prodatur, vel secretum.

Secunda Consideratio.

JUDAS toleravit, lotionem pedum à Christo sibi fieri, quibus pridiè ambulaverat ad vendendum eum. Fuerat hoc signum munditiæ, & amicitiæ, quamquàm non emundatior interiùs, sed sordidior, & odiosior effectus est. Tales aliquos videre in Clero est, extendentes palàm pedes affectionum, vel in compunctione, vel in Confessione, tanquam Christi manibus abluendos, sed remanent sordes in pedibus eorum. Quare? quia nolunt peccandi delere penitùs voluntatem, sed eligunt, vel in sterquilinio libidinis computrescere, vel in alieni retentione rubigine consumi, vel igneo vindicandi zelo succendi. Tales etsi quotidie videantur confiteri, & celebrent, irrisores sunt proditorii, non pœnitentes idonei. Horum cuilibet, dum osculantur Christum in Sacramento,

Digitized by Google

vel fratrem in Ecclesia, dici potest ex sententia: *Juda, filium hominis osculo tradis?* Luc. xxii. 48. Et rursùs ex persona ipsius Christi: *Amice, ad quid venisti?* Matth. xxvi. 50. Amicum intellige, non moribus, sed natura. Vel ideo amicum nominat Christus, quià ad amicitiam quemlibet peccatorem recipere, si non obstiterit, paratus est in hac vita.

Tertia Consideratio. A

JUDAS se curam pauperum gerere officio, gestu, & verbo, videri voluit. Erat quippè Judas loculos habens, inferens ea quæ asportabantur, propterea indignè tulit effusionem unguenti dicens: *Ut quid perditio hæc?* Matth. xxvi. 8. Hoc præterea velamine exitum suum à cena cooperuit, cujus intentioni accommodans Christus vocem ait: *Quod facis fac citiùs*, Joan. xiii. 27. quod ità acceptum esse ab Apostolis, quasi ad usus necessarios exisset, tradit Evangelium. Si à Juda ad Ecclesiasticos hujus temporis devolvamus nostræ considerationis oculos, quot inspiciemus, qui sub titulo alendi, sustentandique pauperes, reditus uberrimos in loculos Beneficiorum reconditos habent, curant nullos, auferunt ea quæ asportata sunt, non jam ut dent uxori, & filiis, sed execrando sacrilegio in obscœniores usus vertunt. Currunt alii, discurruntque, Martham se jactantes, qui otiosorum B Mariæ similium unctionem, hoc est, devotionem fastidiunt, improbantque dicentes: *Ut quid perditio hæc?* Matth. xxvi. 8. Quasi videlicet ipsos practica talia tractare ingens amor Christi, & pauperum, non lucrorum temporalium ardor agitaret. Tales nihil magnum, nihil Ecclesiastico viro dignum deputant, nisi quod lucrum affert temporalium commodorum, in pecuniæ, vel nescio cujus sollicitæ Jurisdictionis dilatatione. Profundè apud eos invaluit illud: *Spiritualia sine temporalibus, diù esse non possunt.* Et illud Horatii:

O cives, cives, quærenda pecunia primùm!
Virtus post nummos,

prædicante ex adverso Jesu: *Primùm quærite regnum Dei &c.* Matt. vi. 33. Cùm præterea Christus ut exemplo suo doceret, non magnipendendam esse apud Ecclesiasticos Prælatos temporalium curam, ipse Judam reprobum, furem, sacrilegumque talibus præfecerit, nolens tali sollicitudine conteri sanctiores A- C postolos. O Deus, ô Religio, ô Fides, ô pietas, eloquar, an sileam? Nunc heu, spiritualitas omnis, ut animarum cura, Confessio, vel Prædicatio, vel omittitur, vel pessimis, sordidis, infidis, dyscolis, inscïis passim committitur. Et à quibus? Ab illis qui non tutè servanda traderent talium alicui bona sua, nisi sub quotidiana ratione. Et quæ bona? Non dicam aurum, non argentum, non vasa pretiosa, dicam poma, dicam cibaria, vel alia vilia sua, seu ludicra. Tam vilis est apud eos, tam nullius pretii, animarum perditio, *pro quibus mortuus est Christus.* Rom. xiv. 15. Quotidiè vigilanter apud eos calculus ponitur de expensis, de moribus ultima fit quæstio; utinam vel ultima, sed jam nulla. Ex hoc loco de loculis Jesu grandis olim quæstionum & assertionum rixa, præsertim tempore Joannis xxii. excitata est, dicentibus plurimis, Christum habuisse aliquid in communi, expressam esse in Evangelio veritatem, neque mendicasse Apostolos, D nec paupertatem vovisse, sicut nec castitatem. Erat enim Judas uxoratus nimirùm, sicut Petrus. Dicertabant alii tota animositate ponentes ex adverso pro hæresi dicere, quòd Christus habuit aliquid in proprio, vel communi. Nam hæc est, inquiunt, Evangelica perfectio, altissimaque paupertas. Studiosos remitto ad scripta, nisi placeat pharisaïcas de perfectione contentiones magis spernere, quàm inspicere; perfectio Christiana est Dei dilectio, in qua qui ferventior est, hic & perfectior judicatur.

Quarta Consideratio.

JUDAS ad extremum referens triginta argenteos dixit: *Peccavi tradens sanguinem justum.* Matth. xxvii. 4. Sed dicam hìc quod sentio; vox ista non pœnitentis est, sed proditoris, proditionem suam ad complementum deducentis. Quo pacto, inquies? Nonne Judas hìc & confitetur peccatum, & ablatum restituit, & Magistro suo justitiæ titulum ascribit; quomodò vox ista proditionis erit, non contritionis? Ponat igitur, volo Judas mecum rationem. Appello te, ô Juda, si justus est ille quem tradidisti, sicut justum nominas, verax fuerit necesse est, debuisti credere, quæ docuerat te, quæve prædicanda tradiderat. Docuerat autem Dominus dicens: *Veni animas non perdere sed salvare*, Luc. ix. 56. Jusserat insuper, quòd fratri peccanti dimitteretur peccatum, non tantùm septies, sed usque septuagies septies. Cur ergò de tam veraci, misericordique Doctore desperas? Porrò si tanta est iniquitas tradidisse Jesum, cur hoc priùs quasi dissimulando parvipendebas. Hæc plenè fuit diabolica fraus, quæ te possederat, te volente. Ille enim proditor, & homicida diabolus, peccata priusquàm fiant, quasi nulla esse suadet, ut præsumat homo: dum verò perpetrata fuerint, illa nimis exaggerat, ut desperet. Indè est forsan, quòd in vocem Cain erumpis, ô Juda perfide, dicens: *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Gen. iv. 13. Veniam merearis, ô Juda: vis igitur gratiam Dei, vis ejus misericordiam, meritis emi; vis eam, operum tuorum mercede concudi. Hoc prorsùs est, quod dico, tu à mercenaria cogitatione tua non discedis. Striples eam potiùs, dum justitiam tuam constituere volens per merita tua, non es justitiæ Dei subjectus; illi, inquam justitiæ, cui vox tua testimonium perhibet dicens: *Peccavi tradens sanguinem justum*; Matth. xxvii. 4. sed cor negat, suspendium contradicit. Quomodò justus, si sperantes in se, si pœnitentes abjiceret, & damnaret? Sed quis eram, inquies, qui facere possem irritum verbum Dei dicentis: *Væ tamen homini illi, per quem tradar, bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille.* Matth. xxvi. 24. Comminatio hæc erat, ô Juda, quatenùs resipisceres, non necessitatis inductio. Alioquin Petrus necessitate peccasset, nec jam peccasset, si necessitatus. Alioquin præterea plurimis nunquàm post propheticas minas salus patuisset. Mutasses voluntatem pœnitendo, mutasset sententiam indulgendo. Sed irriserunt, inquies, Sacerdotes Judæorum, spem auferentes, & dicentes: *Quid ad nos, tu videris.* Matth. xxvii. 4. Nunc ergò cognoscis, cum qualibus mercatus es, quià cum odiosis, & perfidis nihil solatii, irrisionis verò plurimùm afferentibus. Propterea cur eorum subsannationes justa vicissitudine non irrisisti, fugiens præsertim ad Matrem illam totam benevolam, & misericordem? Affirmo securus, ipsa tibi venienti gremium pietatis extendisset apertum, nec quando subsannasset, aut improperasset tibi more Judæorum, aut stultorum, qui de sanctitate sibi blandientes, abjiciunt cum austeritate vocis, aut gestûs humiles in Confessione pœnitentes non attendentes illud Apostoli: Gal. vi. 1. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis instruite in spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris.* Sed jam pridem sentio, ô Doctissimi, & Sapientes Viri, quòd & memoria, quæ fallit in aliquibus quæ dictaveram, & prolixitas inculta gignere potest fastidium. Esto finis igitur in obsecratione Domini nostri Jesu Christi, & misericordissimæ Matris suæ, ne sit in aliquo nostrûm cor obduratum, & desperans, instar Judæ Simonis Iscariotæ; sed pœniteamus temporaliter, hìc in spe, ut tandem re ipsa gaudeamus in æternitate, præstante eo qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

OPUSCULUM
DE SOLLICITUDINE
ECCLESIASTICORUM
AD
FRATRES COELESTINOS,
Continens sexaginta & octo particulas.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 180. 694. Navarricos duos. & M. Targny.

QUÆRITUR responsio super dubiis sequentibus; undè crebrò sollicitudines conscientiarum in Ecclesiasticis, & Religiosis oriuntur.

Primum dubium. Si liceat Ecclesiasticis, maximè Religiosis, dum conferuntur eis temporalia, se & successores suos obligare ad certa, & determinata suffragia in Missis, vel aliis Officiis Ecclesiasticis, sicut habet usus communis? Solutio particulâ 13. quæ supponit alibi tractata de simonia.

Secundum dubium. Si liceat omittere tales obligationes sine reatu peccati mortalis, præsertim quando videntur graviores quàm oportet, ex eventu, vel aliundè? Solutio particulâ 12. & à 19. usque 32.

Tertium dubium. Si melius esset, quòd conferentes temporalia starent in sola generalitate pro suffragiis habendis, & si ad hoc, quomodò monendi sunt? Solutio particulâ. 17. 18. & 41.

Quartum dubium. Si in casu secundi dubii necessaria sit & secura dispensatio superioris Prælati, vel Papæ, vel Ordinarii? Solutio particula 28. usque 32.

Quintum dubium. Si liceat Ecclesiasticis benè, & sufficienter fundatis, recipere novas obligationes cum augmento Servitii? Solutio particulâ 33.

Sextum dubium. Si hoc liceat sine augmento Servitii, ità quòd non plures dicantur Missæ, vel Obitus &c. quàmvis hoc intendant temporalium collatores? Solutio particulâ 49.

Septimum dubium. Si liceat admittere super Fratres jam fundatos, alios qui habeant speciales cellas & obligationes ad suos institutores alias quàm reliqui Fratres? Solutio cum 8. 9. 10. & 12. dubiis: particulâ. 34. 35. 36.

Octavum dubium. Si liceat se obligare, quòd omnis fructus spiritualis in Missis, & aliis quæ obligatus dicet, cedat in utilitatem temporalia conferentis.

Nonum dubium. Si tantùm prosunt suffragia, dùm fiunt pro pluribus, quantùm si fierent pro uno, vel paucis, & præsertim illi qui facit?

Decimum dubium. Si debens unam Missam possit alios adjungere, sine defraudatione illius qui Missam petiit, aut instituit?

Undecimum dubium. Si necesse sit, semper pro specialibus Fundatoribus orationes facere speciales, maximè dùm hoc instituerint, licet non specificando ad modum, & quis modus tenebitur? Solutio particulâ 39. cum 5. sequentibus.

Duodecimum dubium. Si liceat pro loco solemniori in sepulturis, vel pro aliis pompis exequiarum paciscì verbo, vel intentione de majori temporalium collatione?

Decimum tertium dubium. Si discretè faciunt obligantes se ad suffragia pro aliis, quando indè minùs valent, ut videtur, pro seipsis, & non est comparatio temporalis commodi ad spirituale? Solutio hujus, & 14. particulâ 45. cum tribus sequentibus.

Decimum quartum dubium. Si cautè faciunt Religiosi qui leviter admittunt ad participationem omnium beneficiorum illos qui benè faciunt eis, vel qui petunt.

Decimumquintum dubium. Si obligatus ad orationes vocales, sit solutus ab obligatione, dum eas dicit sine attentione, vel devotione, vel affectione, aut sollicitudine; nam attentio est quædam sollicitudo. Solutio istius, & sequentis; particulâ 55. usque ad finem.

A *Decimum sextum dubium.* Si sufficit generalis intentio, qua vult Ecclesiasticus, vel Religiosus orare specialiùs pro benefactoribus, quàm pro aliis, super qua specialitate quantificanda se refert ad Deum, qui ponderator est meritorum.

PARTICULA I.

NOLITE *solliciti esse.* Matth. VI. 25. Lucæ 12. 22. Jubet hoc supremus Abbas noster Jesus Christus, in cujus spiritu salubriter instituti, *clamamus: Abba Pater.* Rom. VIII. 15. Consonat Apostolus ejus magnus, Prior in Religione Christiana, dicens, Corinthiis in persona omnium: *Volo vos sine sollicitudine* &c. 1 Cor. VII. 32. Sed mox subintulit utilem & necessariam de sollicitudine distinctionem, ne vel sibiipsi, vel aliis consortibus suis contrarius videretur, quorum sermo frequenter ad sollicitudinem contrà desidem inertiam exhortatur. Ait enim: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ* B *Domini sunt, quomodò placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ mundi sunt.* 1 Cor. VII. 32. 33.

PARTICULA II.

ECCE habemus sollicitudinem, & sollicitudinem. Una est Dei, altera mundi. Una spiritualis, altera temporalis. Utraque siquidem bona. Alioquin culpata fuisset uxoratorum cum sua sollicitudine conditio; prima tamen melior, atque divinior, adeò ut vacatio dici possit, & dicatur tam hîc, quàm ab Apostolo 1. Cor. VII. 32. *Volo vos*, inquit, *sine sollicitudine esse.* Et alibi ad Philip. IV. 6. *Nihil solliciti sitis.* Et per Psalmistam Dominus: *vacate* (inquit) *& videte, quoniam ego sum Deus.* Ps. XLV. 11.

PARTICULA III.

FELIX illa sollicitudo vacans, & vacatio sollicita, qualem habere licet, decet & expedit illos præcipuè, C qui cælibes esse sine tribulanti jugo uxorum nedum elegerunt, sed voverunt; quales vos elegit, & assumpsit Abbas noster Christus (ô Patres & Fratres Cœlestini) quos ad præsens alloquitur sollicitudo dilectionis meæ, quam suis impulit quæstiuncularum stimulis zelus vester religiosus, *sollicitus* juxtà verbum Prophetæ Mich. VI. 8. *ambulare cum Deo suo.*

PARTICULA IV.

SENSIT itaque vester in Domino timor, cujus vis est secundùm Philosophum, reddere timentem sollicitum. Sensit, inquam, quemadmodùm frustrà fuisset assumpta sollicitudo vacans Deo, si quadam retrospectione, seu tergiversatione corrueret in mundi sollicitudinem, & jam non tantùm vana esset, quasi finem non assequens vacationis; verùm damnabilis judicaretur, & reproba; si in damnabilem, reprobamque sollicitudinis peccatricis foveam præceps laberetur, qualem dissuadet maximè sermo propositus: *Nolite*, D ait Christus, *solliciti esse* &c. Matth. VI. 25.

PARTICULA V.

QUÆRERET forsan novitiorum aliquis, quæ sit, & qualis hæc sollicitudo culpabilis. Nam de tolerabili mundanorum satis insinuatum est, & de quadam altera otio sancto condivisa videtur admonita, sed non criminata fuisse illa Mariæ sedentis ad pedes Jesu,

Digitized by Google

Jesu, soror Martha. *Martha*, inquit Jesus. *sollicita es & turbaris erga plurima*; *porrò unum est necessarium.* Luc. x. 41. At verò tota commonitionis Christi series cum expositionibus suis in illa prohibitione sollicitudinis, sicut Matthæus, & Lucas referunt, dat intelligi sollicitudinem malam esse, quæ non est prudentis, & sagacis providentiæ, neque necessitatis; sed est vel diffidentiæ vel perfidiæ, vel cupiditatis curiosæ, & anxiæ, de quibus non est modò per singula disserendum.

PARTICULA VI.

A VENIAMUS igitur per compendium statim ad piæ sollicitudinis vestræ in Domino quæstiones, quæ sollicitudinem reformidant impiam, dum piam, immò necessariam coguntur amplecti. Manet apud vos (Patres & Fratres) profundo corde firma monitio Apostolica *Sint mores sine avaritia contenti præsentibus.* Hæbr. XIII. 5. Nihilominùs aspicitis illa esse necessaria, quæ concedit idem Apostolus. *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* 1 Tim. VI. 8. Benè suades, ô magne Prior Apostole, placet id quod apponis: *his contenti simus.* Attamen *alimenta*, & ea, *quibus tegamur*, oportet habere. Non autem hoc ipsum totum, vel labore nostro, qui divinis mancipamur officiis, vel ostiatim mendicando, qui nequaquam discurrere per vicos & plateas instituimus, obtinere fas nobis est. Denique nihil æquius, secundùm omnem Legem esse deducit Apostolus 1. Cor. IX. 14. quàm *qui altario deservit, de altario & vivat.*

B

PARTICULA VII.

VÆ *væ mundo à scandalis?* Matth. XVIII. 7. Væ scandala spargentibus ubilibet dæmoniis! *In via hac qua ambulabam*, conqueritur Propheta: *absconderunt superbi laqueum mihi.* Psal. CXXXIX. 6. Et rursùs: *Juxta iter scandalum posuerunt mihi.* Electa est ecce sub triplici Religionis voto via paupertatis, ut sollicitudo noxia divitiarum cruentans, & enecans, vitaretur. Electa via castitatis perpetuæ, contra sollicitudinem alligantem uxori cum tribulatione hujusmodi. Electa via derelictionis propriæ voluntatis per obedientiam, contrà sollicitudinem tot dubitationum, tot scrupulorum, tot discriminum, qualia propria voluntas, se dum ducere vult, se seducens incurrit. Pudet heu, pigetque recordari, quantis, & qualibus apud nonnullos detrimentis omnia sunt in oppositas exorbitationes eversa, subversaque. Jam heu nimis apparet veritas parabolæ Christi, quæ modò, dum hæc relegerentur, lecta est in Ecclesia, de immundo spiritu, *qui cum exierit ab homine*, tandem redit, & adducit *septem spiritus nequiores se*, Matth. XII. 45. dùm invenit domum vacantem, non quidem verè, sed sola simulatione, sicut & solis extrinsecæ professionis scopis fictè mundata est.

C

PARTICULA VIII.

EST utique nequam, & immundus spiritus *cupiditas*, quæ *radix omnium malorum*, 1. Tim. VI. 10. *& idolorum servitus* Ephes. v. 5. ab Apostolo, *& mammona* dicitur *iniquitatis* Luc. XVI. 9. à Christo. Sed nonne nequior est simulata paupertas, quæ sub voti velo latens, tota divitiis inhiat, tota sollicitudinibus earum pungitur, & intus, & extrà continuis mirisque modis laceratur, cruentatur, dissipatur. Cui namque poterit esse dubium solerter attendenti, quin spiritus avaritiæ nequaquam jam adduxerit septem spiritus, idest universitatem vitiorum, nequiores se? *Simulata quippe* (sicut ait Augustinus) *æquitas, duplex est iniquitas.* Non secùs hoc loco dic, quòd ficta, & vota paupertas, non est paupertas spiritus, non paupertas virtus, non amica bonis moribus frugalitas, sed duplex iniquitas, quia

D

& verè cupiditas est, & simulatio. Nec hìc sistitur, sed progrediens istic voti fractionem, Fundatorum defraudationem, proximorum factis, dictis, & exemplis scandalizationem invenies. Demùm subit illud væ Christi dictum Pharisæis pro talibus in Religione penitùs lapsa versantibus, quales hìc solos plangimus *Circumitis mare & aridam, ut faciatis unum Proselytum*, id est Novitium in Religione, *& cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.* Matth. XXIII. 15. quoniam *displicet Deo infidelis, & stulta promissio. Et melius est, non vovere, quam post votum non reddere.* Eccle. v. 3. 4.

PARTICULA IX.

SISTE tandem, anima, siste calamum, quem indignatio tua rapit ultrà longè quem inchoando proposueras. Et quæ doctrinam bonam datura es, distraheris satyra, quæ nulla unquam oratione, nulla declamationis acrimonia, satis erit reprobanda. Revertamur ad progressum finis intenti, resumentes illud, unde arripuit nos malorum recogitatorum (præsertim apud non paucos nostri temporis Religiosos) anxius Dei timor, Christianaque pietas, & miseratio fraternalis. Illud erat aperire, quo pacto paupertas religiosa vacaret absque sollicitudine victûs, & vestitûs. Interveniunt, fateor (& vos interrogando fatemini) plures crebrò pungitivi conscientiarum scrupuli, non sinentes timorosos Fratres implere cum pace verbum Christi cum Apostolico monitione, *nolite solliciti esse.* Matth. VI.

PARTICULA X.

SUNT autem in genere tres in conquisitione victûs & vestitûs nequam stimuli. Unus simoniæ, alius usuræ, alter fraudulentiæ. Sollicitatur nimirùm timorata mens, ne fortè misceat se inter dantem temporalia pro spiritualibus recipiendis; & è contra labes simoniacæ pravitatis, & hoc utique frequenter (væ væ) provenit, dum non habetur cordis directio dùm lumen intentionis nostræ, quæ dicitur oculus corporis omnium actionum nostrarum, est tenebræ. *Luc.* XV. 35. Sollicitatur præthereà ne in reditibus comparandis (quia non semper inveniuntur ad perpetuum) reddatur contractus usurarius ex adjecta conditione, seu pactione de facultate, totiens quotiens redimendi. Super hac verò duplici quæstione sollicita, scrupulosaque, possunt haberi quædam Opuscula nostra nuper edita, si tamen cum magnis talium tractatoribus visa fuerint numeranda.

PARTICULA XI.

SUPEREST ad præsens investigare, & inventos tollere (quantùm juverit sator boni seminis Christus) zizaniorum fraudulentorum aculeos, quos latebrosa nocte, dùm dormiunt per negligentiam homines superseminat inimicus homo, sub obtentu conquisitionis victûs, & vestitûs. Hoc etiam præcipuè vestra per quæstiunculas sollicitudo scire desiderat. Et quoniam defraudatio directè contrariatur justitiæ, tot modis inveniemus defraudationem, quot justitiam fieri; oppositorum quidem eadem est disciplina. Dicitur autem justitia *virtus ad alterum, vel sicut ad alterum, reddens unicuique quod suum est.* Porrò justitia, amplè sumpto vocabulo, comparatur ad Deum, & ad proximum, immò ad seipsum, sicut ad alterum, prout in pœnitentia fit, dum spiritus carnem subjicit servituti. Sic erit defraudatio una ad Deum, altera ad proximum, tertia, quasi metaphoricè dicta, ad seipsum. Et primitùs de proximi defraudatione (quia notior est videamus, & conclusiones deinceps inferamus.

PAR-

Digitized by Google

PARTICULA XII.

Conclusio Prima.

SOLLICITUDO pia conferentis temporalia, defraudatur, si sua intentio à recipiente non servetur, hoc enim propriè sonat fraus, & dolus, dùm prætenditur unum, & fit alterum. Sic dicitur de testatore, quòd fraudatus est, si sua differatur, aut non impleatur intentio; neque tamen accipienda est de quavis intentione. Non enim cadit sub obligationis recta lege nequam intentio, si saluti contraria, si moribus absona, si in deteriorem exitum ejus observatio sit ventura, qualis esset intentio palàm simoniaca, vel usuraria, vel juri præjudicans alieno, vel Deo, sanctisque suis, non honesta.

PARTICULA XIII.

Conclusio Secunda.

SOLLICITUDO pia conferentis temporalia dirigi debet ad sustentationem Ministri illius temporalem faciendam, à quo spiritualia requiruntur. Iste siquidem justus, proprius, & verus est titulus suscipiendi spiritualia. Et hoc supponatur ad præsens, tanquàm deductum sufficienter in materia de simonia, dum de directione cordis forma daretur. At verò plerumque fit, ut mentiatur *iniquitas sibi*, Ps. XXVI. 12. nunc per ignorantiam affectatam, & ideò culpabilem; nunc per negligentiam quæ non tanta sollicitudine quærit agendorum veritatem. Expedit igitur, ad particulares descendere casus, non quidem ad omnes, aut singulos, hoc enim nobis est impossibile, quoniam varii sunt sine numero, & ità varii, quòd una circumstantia quandoque posita, quandoque deficiens judicium sapientis variare compellit, & hoc cum admiratione parùm sapientis, nec ad omnia circumspicientis. Quæsivit unus Anachoretarum à quodam Patre: Pater, debeo tentationes admittere, aut protinùs eas abjicere? Admitte, inquit. Accessit alter cum eadem petitione: Abjice, inquit, nec admitte? Nonne contraria videri possunt; admitte, non admitte? Sic apud Sapientem Prov. XXVI. 4. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam.* Et ibidem: *Responde stulto juxta stultitiam suam*, ℣. 5. Sic in Evangelio de monstrandis, & non monstrandis operibus bonis habes.

PARTICULA XIV.

QUA in re colligitur, undè tam frequens error in moralibus judiciis venit. Sunt, qui solis intendunt generalibus regulis, ut sunt proverbia, & autoritates Sanctorum. Sunt qui ad sola singularia dant se totos, nullam ad prima principia resolutionem facientes, quia vel nesciunt, vel negligunt, aut toti litterales, & sine spiritu carnales sunt, vel excæcat eos propria malitia hæc, aut illa. Sunt alii circumspecti simul, & prudentes, qui singularia cautè colligunt, & sapienter ad regulas resolvunt generales, colligentes pariter quæ fuerit ratio datæ Legis, quandoque per elevationem mentis ad regulas divinas, quandoque ad humanas. Primum fit per virtutem quam vocat Aristoteles gnomicam. Alterum per epikeiam, quam dicere possumus bonam æquitatem. Et quoniam rarissimi sunt tales circumspecti, requiritur enim cùm eruditione longus experientiæ usus: non expedit passim ab omnibus quærere solidum pro moralibus consilium, neque similiter præsumere illud dare quisque debet, præsertim non habita cum suis circumstantiis omnibus vera casus forma, quæ quæritur.

PARTICULA XV.

ET certè frequens istic ab inquirentibus solet intervenire defectus. Et cùm jus ex facto oriatur, quid mirùm, si in responsione fit deceptio? Non quidem semper ex respondentis, sed ex inquirentis vitio, aut crebriùs propter phantasiam parùm instructorum qui se paralogizant decipiunt & sophisticant, putantes casus aliquos esse similes, quos ex unica quandoque circumstantia addita, vel remota, vel non attenta, constat prorsùs esse dissimiles, vel adversos. Exempla tacta sunt, & apud Medicinam dandam patet hoc vitium, dùm unus sibi visus arroganter peritus in hac, aut hac medicina danda, applicabit unam receptam ad morbos ex causis oppositis ortos, non attendens quòd aliud quod sanat calcaneum, non sanat, sed excæcat oculum.

PARTICULA XVI.

OMITTAMUS narrationes super hac re vulgares, nec referamus, quam justè proindè rationem, vel non valeant Advocati prætendere, dùm casum omnem ad se delatum justificandum suscipiunt; & veniamus ad alias conclusiones cum suis modificationibus, investigando præcipuè de intentione sustentantis Ministrum Ecclesiæ, quæ & qualis sit tenenda per eum qui sustentatur, & recipit; sive sit unus, sive sint plures, Sæcularis, aut Religiosus.

PARTICULA XVII.

Conclusio Tertia.

SOLLICITUDO pia conferentis temporalia, si vult potest in sua generalitate suffragia requirere. Et sub hac intentione sola stando, non minùs merebitur sæpè apud Deum, quàm particulariùs exigendo. Non habet prima pars dubitationem.

Secunda pars utinam spiritualibus oculis (quales sunt oculi columbini sponsi, & sponsæ in Canticis) aspiceretur; quoniam apud illos perspicua esset, qui cognoscunt omnia benefactorum omnium, quantùmlibet occultorum, præmia reposita apud Deum, propter quem, & in quo fiunt. Verùm pauci sunt spirituales hujusmodi, qui non miscere curent grano purissimo charitatis, illud seminando, quædam zizania vanitatis. Fitque illud Virgilianum:

Infelix lolium, & steriles nascuntur avenæ.

Audi conformiter illud Evangelicum, quod *simul exortæ spinæ suffocaverunt semen* verbi, Matth. XIII. 7. & fructum boni operis.

PARTICULA XVIII.

Conclusio Quarta.

SOLLICITUDO pia conferentis temporalia potest, & debet admoneri clàm, aut palàm per Prædicatores, aut alios, super præmissa veritate pro directione puriori intentionis suæ: suadenda quippè sunt bona cum dissuasione malorum. Nihilominùs observetur illud antiqui Proverbii: *Ne quid nimis*; quia *Qui nimis emungit, elicit sanguinem*. Prov. XXX. 33. Nimis exacuens ferrum, quandoque vel hebetat, vel consumit ipsum. Satagens denique totum, quicquid severit, aut messuerit, purum esse, non habens aliquid zizaniorum, neque palearum; quidni frustrà, quidni stultè sæpè conetur, & damnosè fatigetur. Nunquid eligibilius est granum aliquod, vel impurum, quàm nullum colligere? Quocircà dicamus consequenter.

Digitized by Google

PARTICULA XIX.

Conclusio Quinta.

SOllicitudo pia conferentis temporalia potest cum bona venia, immò & cum gratia conditiones certas apponere, explicativas intentionis suæ. Sufficere in primis debet ad consensum hujus veritatis usus totius communis Ecclesiæ, qui sic habet, & recipit; cui si quis detrahit, imprudenter se decipit. Sunt autem tres conditiones, propter quas piè potest conferens apponere limitationes certas. Una concernit personam recipientem. Altera, personam conferentem. Tertia, personam affinem, vel attinentem.

PARTICULA XX.

ATtende, & videbis expediens esse personæ recipienti, quòd limitetur ad certa suffragia, quatenùs reddatur animus ejus magis sollicitus debitum solvere, & intentionem suam in Deum dirigere. Quatenùs prætereà maneat ejus conscientia securior, quo poterit agnoscere, quòd, obligatione soluta, quietus manet. Nec parvipendendæ sunt duæ rationes istæ; quibus additur tertia. Constat namque apud Deum, qui novit omnia, qui & dicit: *Ego Deus, & non mutor*, Malach. III. 9. nihil esse necessitatis aperire nostras intentiones, & affectiones exponere. Hoc ergò requiritur propter nos orantes, ut scilicet exhibeamus nos tales vobis ipsis, qualem cupimus esse Deum nobis, pios, amicos, sedulos, compatientes, & ita de reliquis affectibus. Sed quis nesciat, quòd orans plùs movetur, & afficitur in seipso, dùm ad particularia respicit, dùm benefactorum munera, dùm obligationes, dùm intentiones, dùm necessitates considerat, quàm in quadam universitate se tenendo?

PARTICULA XXI.

VIdebis rursùs circà personam conferentis expediens esse frequenter, & necessarium aliquando suffragia limitare. Primo, si ad illa suffragia teneatur vel ex voto, vel ex Sacerdotis injuncto, vel ex alterius Testamento, Legato, vel Mandato. Certum est proindè suffragia Ecclesiæ, vel singularis personæ, non tantùm valere pro mille, aut omnibus, quantùm si pro uno fiant, & hoc ad præsens supponatur ex aliis Opusculis. Nec est controversia qualiscunque apud Doctores de suffragio satisfactionis, & redemptionis, sicut exempla civilia & quotidiana concurrunt de debente centum francos, qui liberaretur, centum pro se solutis; sed additis secum decem sociis in participatione liberationis, propria ejus tantumdem liberatio tardaretur.

PARTICULA XXII.

VIdebis denique, circà personam affinem, vel attinentem personæ conferentis referre quamplurimùm, si viderit, & senserit per successores temporum, & generationum, quòd talis parens ejus, vel affinis, talis fuit piæ sollicitudinis, ut pro se, & suis talia fieri constitueret pietatis officia. Nonne movetur, ac commovetur proindè preces cum gratiarum actione, & laudibus ad Deum referre? Nonne probabile est, eumdem animandum fore, ut quemadmodùm ille fecit, ita & ipse faciat? Deductio latior patet advertenti.

PARTICULA XXIII.

Conclusio Sexta.

SOllicitudo pia conferentis temporalia potest cum bono corde, nedum in suffragiis conditiones apponere; sed cum hoc loca certa, & honorabilia suæ sepelitionis eligere, cum appensione insigniorum, seu titulorum conscriptione, juxtà sui status qualitatem: sic de pompa funeralium diceretur. Sequitur hæc conclusio per deductiones præcedentes. Et quoniam inveniuntur sanctissimi Patres talia curasse; nam piè recogitata cedunt omnia ad honorem magnificum Dei, & Ecclesiæ, tàm Militantis, quàm Triumphantis, & ad Fidem, Spem quoque resurrectionis astruendam, & ad incredulorum confutationem proficiunt. Veritas est, talia omnia converti nunc in bonam, nunc in malam partem, pro facientium, pro conferentium, pro recipientium, pro inspicientium, pro interpretantium diversa, & adversa qualitate; neque omninò aliter invenies in operationibus humanis extrinsecùs exhibitis. Ad quod adduci potest illud comicum: *Talia sunt hæc omnia qualis est animus utentis.* Quemadmodum de divitiis, aut paupertate, dixit Sapiens, quòd *substantia pauperis secundum cor ejus*. Eccli. XXXVIII. 20.

PARTICULA XXIV.

FUndamentum suscipit hoc loco saluberrimum illud Christi Præceptum, ab Apostolo repetitum: *Nolite judicare*, Matth. VII. I. Rom. II. I. Quod utique de talibus, ad utrumlibet indifferentibus intelligitur esse præceptum, *ut qui manducat, non manducantem non spernat*, Rom. XIV. 3. & è contrà. Qui offert temporalia, non offerentem non spernat. Hinc Abbas Pastor: *Dic*, inquit, *semper tibi*; *tu quis es*, *& ne judices quemquam*. Sic & salvabitur humilitas, & curiositas superba, periculosa, temeraria & inquieta, confundetur.

PARTICULA XXV.

Conclusio Septima.

SOllicitudo pia conferentis temporalia defraudatur, si non impleatur obligatio, vel promissio, vel conventio secum facta, cessante causa legitima non implendi. Conformiter ad primam conclusionem, est hæc septima conclusio. Restat solùm difficultas in assignatione causarum, seu casuum, quibus, & quando potest prætermitti à recipiente illud quod conferens instituerat. Una causa est necessitatis. Altera majoris, vel urgentioris utilitatis. Tertia per dispensationem superioris autoritatis; quæ duplex est: una suprema Papæ, alia ordinaria Prælatorum.

PARTICULA XXVI.

NEcessitas incumbit nunc ex impotentia, vel infirmitate recipientis, nunc ex fortuitis demolitionibus Ecclesiarum, ex dissipationibus hereditatum, atque redituum, quibus sustentandus erat Minister Ecclesiasticus, cujus Beneficium quod dabatur propter Officium, si prorsùs deperiit, non videtur astrictus remanere Servitio, nisi fortassis obligatio remaneat aliundè.

PARTICULA XXVII.

POrrò major, aut urgentior utilitas provenit quandoque per temporis successum. Ubi oportet (juxtà illud Juristarum) quòd alia ratio reformet pactum. Nec est illud mirabile, insolitum, vel impossibile, cùm in juramentis, & votis generaliter emissis de futuro, plerumque sic eveniat, ut quæ generaliter promissa bona esse videbantur, fiant in casibus particularibus vel non observanda, vel mutanda, quia noxia sunt, vel inutilia moribus, vel dissona Ecclesiasticis ritibus, seu boni majoris impeditiva. Suppetunt exempla frequenter, si quis adverterit: ut, si quotidiè dicenda sit Missa de *Requiem*, veniet dies natalis Do-

Digitized by Google

Domini, dies Resurrectionis ejus, dies Pentecostes. Conveniunt parochiani ad auditionem Missæ, quæ tunc fortè non habetur ab alio; puto, nullus diceret tunc cantandum esse *De Requiem*.

PARTICULA XXVIII.

ATTENDERENT utinam conferentes temporalia, quid plus honoris, & celebritatis affert circa divinum Religionis cultum; & viderent, quòd aliquando fructuosius esset pro suffragiis habendis fundare die obitus sui Missas, vel alia Servitia quæ de Sanctis sunt, aut de tempore, quàm si in solis funeralibus Servitiis sisteretur. Quemadmodùm si fiat unum Annuale juxtà ritum & significationem Missalis quotidiè, videtur habere plùs devotionis in suscipiente, quoniam natura sic habet, ut identitas, vel assidua similitudo causet fastidium. Nihilominùs oportet juxtà, & propter præmissa, pias conferentium, & recipientium conventiones non leviter abrumpere; sed tractare reverenter. Quamvis non est arbitrandum, omnes hujusmodi ceremoniales institutiones obligatorias esse sub pœna peccati mortalis, si transgrediantur, quia nec de aliis Constitutionibus longè essentialioribus Ordini Monastico hoc est sentiendum. Contemptus autem nihil sollicitus super impletionem talium, crimen habet tàm apud Monasterium, seu Collegium, quàm apud singulares.

PARTICULA XXIX.

CETERÙM de dispensatione Superioris additum est pro tertia causa, quoniam non omnium est passim tales casus decidere, sub regulis generalibus emergentes; sed ad Prælatos spectat interpretatio juridica, ad Doctores scholastica, præsertim quando potest esse rationalis dubitatio de duplici casu priori, necessitatis videlicet, & majoris utilitatis. Grandis verò nunc aperiri posset discussio super hac materia dispensationum, & commutationum, tàm in respectu dispensationum, quàm in ordine dispensationem quærentium, & recipientium, quæ specialem postulat separatumque Tractatum, sicut & quædam alia cursim hìc pertransita.

PARTICULA XXX.

DICAMUS unum hìc & nunc pro expedienti, tutius esse semper assumere dispensationem Superioris, seu commutationem, quæ ut haberi commodiùs possit, procurandum est ab autoritate Papali, præsertim in Religionibus exemptis, quòd detur aliquis ab eo substitutus, sit de Religione, sit alius qui facultatem habeat totiens quotiens videbitur, dispensandi, ad quem facilis pateat accessus. Hoc consilium in aliis etiam casibus conscientiæ scrupulosis salubre est, sint illi casus occulti, sint publici, sint super peccatis, sint super pœnis, & Irregularitatibus peccatorum.

PARTICULA XXXI.

DEMÙM Papa ritè consultus non se reddat difficilem concedere talia, quando, & ubi non apparet fraus, vel laqueus ista quærentium, non in velamen falsæ libertatis malitiæ, sed serenationem conscientiæ, & dilatationem viarum pœnitentiæ. Qua in re colligitur ex consequenti de particularibus exemptionibus à Prælatis ordinariis: quòd frequenter noxiæ sunt; nedum propter præjudicium juris alieni, nedum propter conturbationem ordinis Ecclesiastici, & Hierarchici; verum propter incommodum Collegii sic exempti. Cur ita? quia nimirùm præcludit sibi recursum facilem ad Prælatum ordinarium, dum quæsivit quasi libertatem, excutiendo jugum suum.

PARTICULA XXXII.

Conclusio Octava.

SOLLICITUDO pia temporalia conferentis si ordinavit Missam esse dicendam (exempli gratia) die Lunæ pro seipso, defraudatur per recipientem sic obligatum, si det talem Missam pro altero, sive fiat hoc
A ex priore, sive fiat ex obligatione, vel susceptione subsequenti. Ratio perspicua est per deductionem ad impossibile, vel inopinabile.

Da si quidem, ità esse, quòd una Missa sufficiat pro duobus, dabis consequenter quòd sufficiat, & liberabit pro tribus, pro decem, pro centum, pro mille, & ità pro quolibet, & pro toto mundo. Dabis ulteriùs, quòd non erit melior conditio procurantis sibi Missam peculiarem. Dabis denique quòd pro una Missa potuerunt centum habitæ sub voto, sub promissmo, sub injuncto per Forum Pœnitentiæ, vel alterius Justitiæ, solvi. Cur ergò tot Presbyteri, tot Missæ constituuntur: cùm unus Sacerdos cum sua Missa unica satis esset pro omnibus?

B

PARTICULA XXXIII.

VELLET addere forsitan aliquis, quòd recipiens, dum habebat priùs ad sufficientiam pro sustentatione status sui, vel ex Beneficio, vel patrimonio, vel piè collato, fraudat, & peccat tàm proximum quàm se; cùm tota ratio conferendi temporalia Ministris Ecclesiasticis videatur esse sua sustentatio, non divitiarum accumulatio, vel ornatus pompaticus. Sed hæc assertio durior est quàm oportet, super qua memini me pridem in quadam lectione quæsivisse. Denique qualis, & quanta sit mensuratio sufficientiæ status, non potest sub arte tradi.

Nam quod uni parum est, fit alteri nimium; immò fit in eodem pro varietate temporum, & circumstantiarum talis varietas quandoque rationabiliter, quandoque verò culpabiliter, dùm quis accipit, & ascendit statum sibi moribusque suis & meritis improportiona-
C tum, faciens sibi non de necessitate virtutem, sed de vitio necessitatem. Adde quòd recipiuntur aliquando temporalia præter, vel ultra necessitatem præsentem, aut non pro solo statu recipientis, sed ad aliorum providam, piamque relevationem.

PARTICULA XXXIV.

Conclusio Nona.

SOLLICITUDO pia conferentis temporalia procurando sibi Missam juxtà casum priorem non defraudatur, si Presbyter recipiens adjunxerit alios in orationibus suis publicis, aut secretis, ut *Memento*, aut si offerentes (ut solet) post Evangelium recipit. Moderatur hæc conclusio præcedentem, ritum simul
D Ecclesiæ conservat, & exercet charitatem, quam rursùs à terrena cupiditate discernit. Denique Doctorum consiliat apparentem in aliquibus discordiam, cujus aspectus ad diversa, hujus ad hæc, illius ad ista vertebatur.

PARTICULA XXXV.

QUÆRAMUS à conferente temporalia quæstiones aliquas, ut ex sua responsione veritas magis emineat. Et primò vis, ô Frater, ut in Missa quam pro te dici constituis, nulla dicatur locis suis alia penitùs oratio, quàm pro te? puto respondebit, sicut & respondere debebit, quod hæc fieri non prohibet.

Vis rursùs, ô Frater, quòd in *Memento* tàm pro vivis, quàm pro defunctis, nullus commendatus habeatur, nisi tu, & tui? Respondeat oportet, quòd hoc non intendat,

Digitized by Google

tendat, quoniam institutioni Ecclesiæ jam ipse repugnaret. Vis præterea, quòd volentes ad Offertorium venire, quatenùs ipsi Missæ participes sint, repellantur? certè nec hoc dicet, si ritum Ecclesiasticum plenè cognoverit. Quid vis igitur tibi, Frater fieri pro peculiari Missa tua? Si responderit, volo tota mea, tota cedat in spiritualem utilitatem meam, tota valeat ad remissionem peccatorum meorum, & satisfactionis debitæ, vel injunctæ redemptionem. Sed an hoc ita vis, Frater, quòd Sacerdos nihil sibi mereatur, nihil seipsum juvet, nihil pro seipso satisfaciat, nihil demùm rependat obsequii parentibus, nihil benefactoribus, nihil commendatis; similiter & tu conferas nihil Ecclesiæ toti Militanti? Nolo, dicet, & jure dicet. Quid superest igitur, nisi referre quantitatem suffragii Deo, quæ, & qualis tibi data debita est? nolito murmurare, sciet profectò, sciet ille, qui *montes ponderat in statera*, 2. Machab. IX. 8. tua similiter dona mensurare. Adde, quòd in oblatione tua fortassis alii sunt melioris conditionis ut participent, quàm tu ipse.

Quomodò petes? hoc, inquam, modo, quia de bonis eorum uno modo, vel alio malè quæsitis facis eleemosynam, facis fundationem, dilatas pompam tuam, facere vis nomen tibi; aut, modestiùs sentiendo loquendoque, tu debitor es parentibus, patriæ, benefactoribus, denique universæ communioni Sanctorum. Patet igitur sub hoc interrogationis, & responsionis typo, conclusio declarata.

PARTICULA XXXVI.

Conclusio Decima.

SOLLICITUDO pia conferentis temporalia non defraudatur, si juxtà consuetudinem Ecclesiæ quam ipse scit, apponatur unus Obitus (exempli gratia) cum suo certo die fundato. Da oppositum, damnabis omnes ferè Cathedrales, & Collegiatas, & Parochiales, imò & Monasteriales Ecclesias. Contradices insuper rationi quæ non vult, ut cuilibet conferenti aliquid pro suo Obitu fiant semper exequiæ speciales, quoniam sæpè modicum & insufficiens est quod offertur ad sustentationem Ministrorum: & obligatio de Obitu faciendo conditionem recipit (etsi non semper explicetur) implicitam. Item nec dies Anni sufficerent, si cuilibet soli certus dies Obitus, aut etiam aliundè instituentis esset servandus. Si verò talis conferens temporalia nesciret consuetudinem Ecclesiæ, prout ipsimet de Collegio, seu corpore suo sciunt, & fertur intentio sua, quòd Obitus annuatim fiat pro se solo tali die, nihil tamen explicat super hoc; tunc adhuc bona fides, & æquitas recipientium salvatur in sua consuetudine. Si autem fiat mutuus, & expressus consensus inter dantem & recipientem, non apparet quòd consuetudo militet, ut alter Obitus conjungatur juxtà modum septimæ, & octavæ, conclusionum.

PARTICULA XXXVII.

Conclusio Undecima.

RECIPIENS defraudat crebrò semetipsum in receptione temporalium; quàmvis videatur esse Regula Juris quòd nemo sibiipsi, sicut nec volenti, aut consentienti, faciat injuriam, aut fraudem; nihilominùs invenitur per metaphoram hominis ad seipsum fraus, sicut & justitia. Et hoc ad præsens supponatur, & tangamus in facto modos aliquos. Primò si mentitur iniquitas sibi, & proximo, dum non implet, nec implere proposuit quæ promisit; satis est ei si pecuniam undecunque collegerit, quasi dicens sibimet illud metricum.

Promittas facito, quid enim promittere lædit?
Pollicitis dives quilibet esse potest.

At verò, *Dum lucrum quærit in bursa, damnum acquirit æternum in anima*: sententia est Augustini.

PARTICULA XXXVIII.

FACIT aliam sibi defraudationem sub interpretationis cujusdam velo latentem, dum se Judicem constituit in causa propria suæ obligationis, commutans illam pro voluntatis arbitrio. Aut dum suffragia non plus agit pro benefactoribus, & fundatoribus, quàm pro ceteris quibuslibet, dicens, sibi satis esse suam in generalitate sola intentionem continere, quoniam sciet distribuere Deus prout volet, & quibus volet, & quantùm volet. Exemplum de paupere debitis insolubilibus obligato, qui liberat se cedendo coram Judice suo omnibus bonis suis. Posita videtur hæc doctrina sub fine cujusdam Opusculi *De valore orationis*, addito de quadam Melania nobili Romana exemplo.

Verùm non ita sub universali regula sermo factus est, quin distinctionem discretionemque recipiat. Propterea dicamus viceversa casus aliquos quibus expedit, & quandoque necesse est intentionem ad particularia traducere.

PARTICULA XXXIX.

CONSTAT in primis, quòd, licèt Deus non egeat intentione nostra, vel oratione particulari, sicut nec aliis bonis nostris, ut aliis benè faciat, nihilominùs vult secundùm ordinem suæ sapientiæ dare aliqua, dum specialiter ad ipsum dirigamus orationes nostras, qualia non esset daturus sine illis, *ut non sint vacua sapientiæ suæ opera*, Sap. XV. 27. juxtà verbum Sapientis. Constat insuper quòd novit Deus ponderare merita, intentiones, & corda conferentium temporalia; dat tamen aliqua conferentibus, dum fiunt orationes, & suffragia postmodùm pro ipsis, quæ & qualia non daret, si dimitterentur, nec fierent. Patet in illis qui constituunt in suis Testamentis, aut aliundè certas pecunias restitui, vel dari pauperibus; qui licet sic ordinando possint mereri, non tamen proficit eis & aliis tantundem hæc voluntas, non sequente effectu, sicut sequente; quoniam in casu maneret iste ordinans adhuc ad restitutionem posteriùs obligatus.

PARTICULA XL.

CONCEDIMUS ultrà, quòd recipiens temporalia potest habere aliquotiens orationes ferventiores, & Deo placentiores, dùm non facit eas in particulari pro his, aut illis personis; immò tradit Hugo de sancto Victore in suo *De oratione*, & trahitur satis ex verbis sancti Antonii, quòd oratio tunc est acceptissima Deo, dùm omnium, & suiipsius obliviscitur, nec scit quid petit, propter quemdam in Deo raptum, & sublevationem, vel ascensum.

Non autem modò loquimur de oratione tali, sed potissimè de vocali, super quam, & de qua cadit utplurimùm obligatio, dùm pro suffragiis temporalia conferuntur.

PARTICULA XLI.

QUAMVIS ô utinam persuasum haberent homines sæculi, quantùm sit acceptior oratio talis per devotos silentes, & quietos; quantùm præterea sua ad Deum elevatio etiam jocundissima prorsus, & suavissima plus impetrat apud Deum, plus eumdem placat, plus solvit de pœnis debitis, plus de meritorum gratiis impetrat, quàm sola talis exercitatio corporalis *in vigiliis suprà modum*, 2. Cor. 11. 27. & canticorum multiplicationibus, quæ sæpe plùs exturbant cerebrum, & tædium gignunt, quàm devotionem inducant. Qualia per Prophetam notavit aliquando Dominus dicens: *Aufer*

Digitized by Google

Aufer à me tumultum carminum tuorum. Amos. v. 23. Non ideò tamen, ut culpemus, ita loquimur, sed ut rationabile fiat obsequium,& bono uni melius aliud præferatur, neque semper animalis homo prævaleat, & spiritualem ordine non recto dijudicet. Sed quid? *Ut homines sunt* (ait quidam) *ita morem geras; privilegium quoque paucorum, officia, leges & instituta non mutat plurimorum.*

PARTICULA XLII.

Addamus, quòd in certis casibus non expediret ut recipiens temporalia haberet ad conferentes particularem nimis, aut frequentem recogitationem. Docet hoc exemplum Patris Arsenii, qui rogatus à quadam nobili Matrona, ut sui recordaretur: *Ora*, inquit, *Deum, ut Deus deleat ex animo meo memoriam tui.* Possunt itaque tales aliquando recordationes plus orantem suis phantasiis impedire, quàm devotionem augere vel puram efficere revolvendo.

PARTICULA XLIII.

Subjungamus consequenter quòd ex humilitate laudabili potest fieri coram Deo talis aliqua cessio omnium bonorum spiritualium in manibus suis, proportionabiliter ad Forum extrinsecum de temporalibus bonis, ratione debitorum; & hoc ex consideratione tot exactorum quibus obnoxii sumus, & qui nos premunt & quodammodò suffocant, dicentes ex omni parte: *Redde quod debes.* Matt. XVIII. 28. ut sunt creatio, recreatio, redemptio, debitorum totiens facta remissio; præterea tàm crebra nunc uno modo, nunc altero immediatè & mediatè, facta receptio. Quo casu pauper homuncio sic deprehensus & angustiatus, dicere potest ad Deum. *Domine, vim patior, responde pro me.* Isaï. XXXVIII. 14. Tu, inquam, qui pretium nostrum es; nostra justitia, nostra redemptio, redde creditoribus meis quomodò vis & scis; tantummodò vitâ gratiæ in paupertacula hac me sustentes, & satis est.

PARTICULA XLIV.

Porrò nullus debet in dubitationem vertere, quin particularis intentio & attentio directa Deo pro istis, aut pro illis sit efficacior & laudabilior plerùmque. Primò: ex gratitudinis virtute & ingratitudinis evitatione. Secundò ex augmento devotionis affectualis quam naturaliter habet parere beneficiorum recordatio, si gratia Dei conjungatur. Dici solet, & verum est, quòd particularia magis movent; immò consilium est pro duris & indevotis, ut per cogitationes tales semetipsos afficiant, & durum cor emolliant. Tertiò, quia fit obligationis certior impletio, & ad serenationem conscientiæ satis valens, dùm experitur homo se fecisse vel facere quod tenetur ex conventione. Demùm non impeditur ex hac particulari recogitatione cessio fieri generalis qualem notavimus, sed juvatur.

PARTICULA XLV.

Conclusio Decima.

Recipiens temporalia potest iterùm defraudare seipsum, dùm maledictionem incurrit, quâ dicitur: *Maledictus, qui partem suam facit deteriorem.* Verum est itaque, quòd opus spirituale factum pro satisfactione, non valet tantumdem pro multis, sicut pro paucis, ceteris paribus. Obligans igitur se ad satisfaciendum pro aliis, non tantumdem facit pro propriis suis debitis in hoc mundo, vel in Purgatorio, quantùm si propriæ liberationi totus insisteret. Stabit ergò, quòd pro receptione sustentationis hujus vitæ mortalis laborabit in Purgatorio, pœnas luens multis Annis. Quamvis in casibus multis charitas ad proximum exhibita piè, recompensare valet hujusmodi dilationem liberationis propriæ in augmento præmii vitæ æternæ. Dùm præterea fecit se homo pauperem propter Deum & salutem propriam; dùm rursùs fecit aliundè sibi *amicos de mammona iniquitatis*, Luc. XVI. 9. dedit quoque, ut A reciperet; & recepit ut daret.

PARTICULA XLVI.

Caderet hoc loco materia de mendicitate corporali; utrum videlicet obligetur recipiens eleemosynam sub titulo mendicitatis, hoc est, solo titulo & respectu naturalis defectus, absque alia recompensatione seu redditione mutua temporali vel spirituali; alioquin non esset vera mendicitas, sed commutatio, qualis est in ceteris Ecclesiasticis redituatis. Utrum, inquam, talis mendicans tutiùs & liberiùs vivat apud Deum & homines, quàm alii qui nolunt esse contenti solo hujusmodi paupertatis titulo, sed obligationem Juri divino & naturali consonam voluntariè conjungunt; immò consequenter laberetur hæc inquisitio, si stant isti duo tituli pariter in eodem & pro eodem, mendicare, & orationum vicem sub obligationis pacto rependere. B Deindè profundiùs fodiendo aut agitando, pulcher veritatum thesaurus & fulgor apparet oculis non infectis: sed ad exitum propositæ conquisitionis jam sermo festinat.

PARTICULA XLVII.

Conclusio Decima tertia.

Recipiens defraudat se, dùm accipit officium intercessionis ipse qui Deo displicet, & est in peccatis totus. Fuerunt, qui dixerunt multa & terribilia circà materiam istam de peccatoribus Ecclesiasticis, ut quòd sunt fures & latrones in tractatione & dispensatione, & receptione temporalium, quòd non faciunt fructus suos, & quòd tenentur ad restitutionem, nec possunt indè eleemosynam facere, cum multis similibus, quorùm aliqua sunt expresè damnata quæ erant de errore Albigensium & Waldensium, & novissimè C Wicleffistarum & Hussitarum, qui sumpserunt occasiones errandi ex odio & zelo, *non secundùm scientiam*, Rom. x. 2. contrà dyscolos mores Ecclesiasticorum, quos intuebantur; magis detestando & cum indignatione, quàm miserando cum pia oratione & modesta redargutione. Arguendo præterea per similitudines dispensationis temporalium ad spiritualia, quæ non semper eisdem pedibus currunt.

PARTICULA XLVIII.

Concedimus autem, quod Ecclesiastici peccatores possunt in multis casibus facere fructus Beneficiorum, aut Religionum suos, quamvis ad consecutionem vitæ æternæ non sunt digni pane quo vescuntur; quamvis insuper non ita satisfaciant Deo, sicut justi. Sed multa Deus concedit ingratis. Nonne potest existens in peccato, debens decem solidos proximo; satisfacere sibi, nec obligatus remanere? Nonne posset etiam D nomine alterius debitoris, quasi mediator solutionem hanc offerre? Possumus ita judicare de peccatoribus Ecclesiasticis, quòd tàm nomine proprio quandoque, quàm in persona Ecclesiæ, cujus Ministri sunt, possunt se & alios adquirare; quamvis non stat eos esse tales, & salvari vel mereri.

Digitized by Google

PARTICULA XLIX.

Conclusio Decima quarta.

Recipiens temporalia se defraudat, & proximum, dùm superinducit ad redditus jam constitutos novas pro aliis obligationes, prioribus incompassibiles, aut earum distractivas. Sunt, qui super priorem fundationem (exempli gratia) decem Fratrum, sic recipiunt novos, ut Servitium non hinc augeatur. Sunt qui recipiunt sub tali pacto, quòd in omnem eventum debeat semper fieri Servitium pro Collatoribus ultimis, etiam ubi deficerent ea omnia quæ tradiderunt. Constat in his casibus & similibus, defraudari priores, qualiter ipsi posteriores defraudantes non vellent sibi fieri per eis consequentes.

PARTICULA L.

Conclusio Decima quinta.

Recipiens temporalia, dùm defraudat se & proximum, dicitur interpretativè defraudare Deum; quoniam Deus est Princeps supremus, curam habens hominum, & reputans sibi benè vel malè fieri quod eis fit, & indè consurgit meritum nostrum apud ipsum. Facit ad hoc parabola illa de operibus misericordiæ commemorandis in die judicii. Verumtamen appropriatiùs dicitur aliquid in defraudationem Dei fieri, dùm directè & immediatè dimittitur illud quod ad gloriam suam celebrandam, & recolendam fuerat institutum.

PARTICULA LI.

Conclusio Decima sexta.

Recipiens temporalia, præsertim Communitas pro se & Successoribus, debet cùm bona fide, & sagaci discretione diligenter in recipiendo considerare: primò quid licet; secundò quid decet; tertiò quid potest & expedit, nedum ad præsens, sed etiam ad futurum. Evenit itaque, sicut in agentibus iter longum, quòd parvum pondus in se in principio, aut pro pauco tempore sit tolerabile, quod per successionem continuam redditur velut importabile. Sic de parvis & paucis Suffragiis, dùm vel junguntur aliis, vel perpetuantur, possumus invenire.

PARTICULA LII.

Adde, quòd memoria hominum labilis est. Quòd præatereà supervenientes non de facili suam attentionem applicant ad insolita. Quòd insuper custodienda est, quantùm commodè fieri potest, uniformitas apud Fratres, sicut in cibis, vestibus, alioque convictu; sic in Officio & cantu, alioque ritu, & ita de considerationibus hujusmodi. Fiunt nihilominùs frequenter obligationes in oppositum, aut propter inadvertentiam, inconsiderationemque recipientium, aut urgente penuria, aut propter complacentiam conferentibus faciendam, aut quia non audent recipientes apponere conditiones pro seipsis licitas, decentes, & expedientes. Quare sic? quia non placerent conferentibus, quales sunt corporales & spiritualium non capaces; maximè eorum quæ regularis disciplina constituit aut requirit. Denique fit hoc propter avaritiam recipientium, & eorum turpem quæstum, qui casus palam statim habet culpam, sive fiat in augmentum præter necessarium jam fundatorum Cœnobiorum, sive multò ampliùs, si quæratur nova fieri fundatio per fas, perque nefas, ad faciendum sibi sub Religionis augmento famam, ubi potiùs ignominia dici debet, quæ fœdis innititur fundamentis.

PARTICULA LIII.

Sunt aliæ intentiones vitiosæ, quas non oportet omnes hîc enumerare, sicut de publicis raptoribus, de usurariis, de obligatis ad restitutionem certam qui putant per fundationes se quitare, quod apertum est potiùs semet involvere, non advertentes verbum illud tremendum Sapientis: *Qui facit eleemosynam de substantia pauperis, quasi qui victimat filium antè patrem.* Eccli. XXXIV. 24. Constat autem, quòd recipientes ipsos par pœna constringit, si non major aliquando, quantò spiritualiores & exemplariores, sapientiores insuper & timoratiores esse debent. Proindè quoad restitutiones incertas tutior est receptio, maximè dùm Superioris autoritas juncta erit. Quamvis sit hoc in loco aliquid monstro simile circà debentes restituere; cùm sciant, quibus & qualiter, quos citiùs induci videbis dare centum titulo fundationis alicujus, quàm decem restituere. Adeò prona est vanitas diligere vanitatem; adeò cor humanum pronum est quærere mendacium.

PARTICULA LIV.

Verùm, quia de præteritis, nisi pro quanto faciunt ad cautelam futurorum, non est consilium: superest unum inter cetera remedium generale jam tactum, videlicet Superioris interpretatio. Pro futuris verò sedula & crebra recogitatio, cum mutua collatione Seniorum, ut deinceps *ab omni specie mala*, 1. Thess. v. 22. quantùm possibile fuerit, semet abstineant; quoniam Deus non eget fraudibus aut dolis nostris ut vel colatur crebriùs vel abundantiùs suos alat, aut cultores hos vel illos multiplicet, quæ multiplicatio non magnificet lætitiam. Sed dum facit de superfluitate aut superrogatione, necessariam obligationem, affert inquietam, & sæpè damnabilem sollicitudinem contrà præassumptum verbum quasi pro themate, *Nolite solliciti esse*, &c. Matth. VI. 31.

PARTICULA LV.

Addamus ad præterita pro uberiori doctrina de sollicitudine, quòd prima & vera sollicitudo est, quærere Regnum Dei & justitiam ejus, *Matth.* VI. 33. ac proindè (juxta Petri admonitionem) *omnem sollicitudinem projicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis.* 1 Pet. v. 7. Attamen in quærendo Regnum Dei & justitiam ejus, quæ aliter in Regula Monachali videtur appellari opus Dei, opus divini servitii, multæ se scrupulorum sollicitudines ingerunt; tres nominatim: una, quoniam affligitur quandoque suprà vires corpus. Altera, quòd remanet ariditas quædam mentis. Tertia, quòd evagatio cordis compesci non potest, ac exindè videtur omnis fructus perdi, vel peccatum committi.

PARTICULA LVI.

Nutrit hanc sollicitudinem scrupulosam verbum beati Bernardi *De modo psallendi*, qui non satis videtur apud multos explebilis propter tres istas rationes. Dicit enim sic: *Moneo vos dilectissimi, purè semper ac strenuè divinis interesse laudibus. Strenuè quidem: ut sicut reverenter, ita & alacriter Domino assistatis; non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præscindentes verba dimidia, non integra transilientes, non fractis & remissis vocibus muliebre quoddam balba de nare sonantes; sed virili, ut dignum est & sonitu & affectu, voces sancti Spiritus depromentes. Purè verò: ut nil aliud, dum psallitis, quam quod psallitis cogitetis. Spiritus enim sanctus illa hora gratum non recipit quicquid aliud quàm debes, neglecto eo quod debes, obtuleris. Psalmodiam non multùm protrahamus; sed rotunda & viva voce cantemus: metrum, & finem*

Digitized by Google

finem versus simul intonemus, & simul dimittamus, punctum nullus teneat, sed citò dimittat, post punctum bonam pausam faciamus, nullus antè alios incipere, & nimis currere præsumat, aut post alios nimiùm trahere vel punctum tenere, simul cantemus, simul pausemus, semper in auscultando. Hæc ille.

PARTICULA LVII.

Confitemur, expediens esse propter minùs instructos, & nimis literales, aliqua dicere. Et primò quòd hæc est exhortatio, non præceptio: *Moneo vos*, inquit. Sed tamen aliqua videntur asseri, quæ divinam obligationem insinuant, ut illud: *Spiritus enim sanctus illâ horâ gratum non recipit* &c. In quo dicto difficultas major pendet; quoniam de non parcendo vocibus, nec illas remittendo, constat quòd corporalis excusat debilitas; illa præcipuè, quæ turbationem capitis in læsionem judicii rationis affert: cui periculo Superiores tota vigilantia tenentur in universis & singulis occurrere, quo facto non oportet in alia vexatione vel corporali nimium pios esse; sed de labore & dolore & de vexatione corporali lætari in spiritu, propter mercedem quam unusquisque recipiet, secundùm suum laborem ad quem homo nascitur, sicut avis ad volatum. *Job.* v. 7.

PARTICULA LVIII.

Non parcentes inquit, *vocibus*. Certè non ideò suadet vocem clamosam, non talem, quæ venarum, quæ cerebri, quæ vitalium ruptiva sit. Non denique comprehendit debiliores, in qualium numero scribens Bernardus sæpè fuit ascriptus: alioquin tanta scribere cum, vel dictare, clamor ille continuatus non tulisset.

PARTICULA LIX.

At verò de vocalis orationis attentione multi multa dixerunt, multa scripserunt: tentavit verò nostra sollicitudo, si posset hæc difficultas ad pauca, claraque resolvi. Et occurrit nobis distinctio talis. Sunt in oratione vocali tria, unum, per modum materiæ; aliud, per modum formæ; tertium, per modum finis, qui cum forma sæpè coincidit. Materia orationis consistit in verbis; forma, in sensu verborum; finis, in elevatione mentis ad Deum. Et hic finis duplex est, unus fundatus conformiter ad sensum verborum, qui potest dici finis proximus; alius est fundatus undecunque per diversa, licet non contraria. Ex qua distinctione eliciuntur propositiones, quæ sequuntur.

PARTICULA LX.

Materia orationis cadit principaliter sub Præcepto, sic quòd orans absolvitur, sive cogitet actualiter sive non, sive vagetur mente vel corpore, dummodò proferat orationis verba, vel proferentes audiat juxtà qualitatem orationis. Alioquin *non esset salva omnis caro*. Marc. XIII. 20. Et patet exemplis, & explanatione Præceptorum divinorum, ut de jejunio & honore parentum, quæ non ideò sunt peccata, si non fiant ex gratia, si non impleatur semper intentio præcipientis & finis, sicut alibi patet latior deductio. Sic enim dicimus, quòd agens opus pœnitentiale per Confessorem impositum; quamvis hoc fiat in peccato, non tamen tenetur iterare; ut exempli gratia, dare iterum sex solidos; vel jejunare vel orationes certas repetere; verum est quòd talis Satisfactio non est reconcilians Deo propter impedimentum peccati, & tamen ratione operis est adquitans, hoc est ab obligatione solvens, & si non sit Deo reconcilians, tamen agens non ideò peccat; quamvis sit in peccato.

PARTICULA LXI.

Sensus orationis non cadit sub Præcepto, ut recogitetur semper, vel intelligatur. Patet de illiteratis & idiotis; patet de canticis in tubis & organis; patet de passibus obscurissimis Canticorum, maximè propheta-
A lium, de quibus accipitur mysticè, quod *tenebrosa aqua in nubibus aëris* Ps. XVII. 12. Et iterùm: *Nubes & caligo in circuitu ejus*. Psal. XCVI. 2. Patet insuper de multis scripturis habentibus in superficie verba carnalia, quæ plus incitarent recogitata mentes imperfectorum ad lubricitatem (quia nondum spiritualis sensus capaces sunt) quàm ad spiritualem devotionem. Sunt aliæ narrationes quædam valdè steriles in superficie literali; nec habentes aliquid suavitatis spiritualis, si non apud illos jam perfectos, qui forti meditatione sciunt sugere *mel de petra, oleumque de saxo durissimo*, Deut. XXXII. 13. quales inveniuntur paucissimi. Ceteris verò quid nisi fastidium, vel nauseam, vel mentis ariditatem talium discussio, & ruminatio sola proferret, vel afferret.

PARTICULA LXII.

Propterea dicamus consequenter & conformiter ad
B sanctum Thomam, & rationem; quòd finis in oratione principalis est, elevatio mentis in Deum mediatè, vel immediatè, directè, vel indirectè; principaliter, vel occasionativè. Orans verò qui non potest consequi finem istum per recogitationem attentam sensuum orationis particularis quæ profertur, & hoc propter aliquam ex causis tactis, qui tamen finis dicitur proximus & quasi proprius huic orationi, debet cum omni libertate spiritus, & absque scrupulorum sollicitudine contentus esse, si finem ultimum meditationibus aliis consequatur. Felix si dicere posset: *Oculi mei semper ad Dominum*. Ps. XXIV. 15. *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*. Ps. XVIII. 15. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi*. Ps. CXX. 1. Felix, si non datur ei contemplando volare, si potest; vel repere, vel more locustarum semet excutiendo vicissim saltus dare.

PARTICULA LXIII.

C Monitio præmissa cantandi Bernardi non repugnat huic propositioni. Patet, quia sic afficiens se ad Deum per alias cogitationes non elicitas ab immediato sensu litteræ quæ canitur, non facit aliud quàm debet, neglecto eo quod debet; immò facit omninò quod debet, conformiter ad finem, à Spiritu sancto præscriptum. Veritas est quòd, ceteris paribus, expedientius est affectionem suam exercere juxtà litteram quæ profertur, propter quatuor in speciali rationes. Una, est Scripturæ veneratio, in qua Spiritus sanctus semper loqui credendus est. Altera, est particularior eruditio circà mysticos, sub arido literæ nucleo clauso sensus. Tertia, est suavior assuefactio circà quotidianos cantus. Quarta, est major stabilitio circà determinatos affectus, quàm circà vagos, & jugiter novos. Additur oratio quæ petat revelari sibi suavitatem mellei sensus in literæ favo latentis, & hoc per compressionem meditationis, quæ prorsùs non fiet, nisi dederit Deus
D parvulis intellectum, aperiens thesaurum suum aquæ vivæ.

PARTICULA LXIV.

Denique plurimùm confert, si priùs antè tempus orationis fuerit cohibitio sensuum exteriorum; quoniam Dominus januis clausis dedit pacem & Spiritum sanctum Discipulis. Sit insuper continua muscarum inutilium à facie cordis effugatio, manu fortis atten-

Digitized by Google

tionis. Non ita tamen, quin aliquando sit expediens nihilipendere suam importunitatem, plùs quàm importuniùs eam abjicere conari, licet perdituræ sint ad horam suavitatem unguenti. Hoc confirmavit unus Patrum, exemplo de retentione venti in pallio; alius de catuli latratu; alius de aucarum sibilo; alius de muliere litigante; alius de rivo, qui violentior fit, obice posito; alius de cachinnantibus terrere pueros volentibus; alius de blasphemiæ spiritu; alius de pruritu curiositatis qui non scalpendo curatur, sed per ramusculos accenditur. *Est* autem *curiositas, studium ea sciendi quæ nos vel non decent, vel non expediunt, vel non ædificant.* Hanc compressit Christus in Apostolis die Ascensionis. Hanc in Petro, quærente de statu Joannis: *Quid ad te?* ait. Joan. XXI. 22. Undè sub hoc metro cohibebat se unus dicens:

Clause, quid ad te? sta, quis tu, duc cor in alta.
Fac opus injunctum deinde vacatio tibi.

PARTICULA LXV.

Placuit ad confirmationem præcedentium ponere per expressum verba sancti Thomæ super IV. dist. 15. de oratione. q. II. art. 4.

„Attentio, inquit, in oratione potest esse triplex: „Primò enim est attentio ad verba, quibus petimus, & „ad petitionem ipsam, & ad ea quæ petitionem ipsam „circumstant; sicut est necessitas, pro qua petitur „Deus qui rogatur & alia hujusmodi. Et quæcun„que harum attentionum adsit, non est reputanda inat„tenta oratio; undè etiam illi qui non intelligunt pe„titionis verba, ad orationem attenti esse possunt. Sed „tamen ultima attentio est laudabilior, quàm secunda; „& secunda, quàm prima. Et quia anima non potest „esse vehementer attenta ad diversa, ideò prima atten„tio potest nocere, ut minor sit orationis fructus, si se„cundam evacuat; vel secunda, si tertiam omninò tol„lat, sed non è converso. Tamen attentio communiter „accipiendo, id est ad aliquod trium prædictorum, non „nocet, sed multùm prodest.„ Hæc ibi.

PARTICULA LXVI.

Porrò circà finem Opusculi possumus addere distinctiones Magistrales de attentione & devotione & affectione, quæ alibi seorsum notatæ sunt:

PRIMA DISTINCTIO DUODECIM MEMBRORUM.

Membrum Primum.

Devotio in oratione quandoque non admittit alias quascunque cogitationes, nisi solius Dei; & hoc est in præsenti vita rarissimum, ubi vix hora, vel dimidia, fit in cœlo mentis silentium.

Secundum. Devotio quandoque recipit alias cogitationes, sed pertinentes & ordinatas, & solùm tales; & hoc est rarum & bonum.

Tertium. Devotio recipit cogitationes impertinentes, & quasi superfluas; & hoc est quotidianum.

Quartum. Devotio recipit contrarias & adversas cogitationes, ut sunt vitiorum; & hoc periculosum.

Quintum. Cogitationum impertinentium una quandoque est vehemens, & suffocans actualem devotionem, sed non auferens virtualem nec habitualem, nec vocem; & hoc potest esse virtutis exercitium

Sextum. Alia vehemens est, tollens virtualem devotionem, sic quòd jam virtus devotionis non imperat, aut continuat orationem, sed consuetudo vel alia ratio; & hæc non necessariò tollit laudem ab oratione.

Septimum. Alia est cogitatio vel affectio, quasi fluctuans, quæ nec excedit, & suffocat devotionem, nec exceditur totaliter ab ea; & hæc stat cum laude.

Octavum. Alia est levis, & vento similis; licet videatur importuna, sed superatur, aut contemnitur; & hæc non tollit laudem, sed exercet mentem.

Nonum. Cogitationum contrariarum una est absolutè, & directè contraria, qua scilicet orans detestatur orare, & devotionem habere, sed timore disciplinæ prosequitur; hæc omninò vituperabilis.

Decimum. Alia, quâ orans habet displicentiam conditionalem, sic quòd non oraret nisi vovisset; non tamen detestatur se vovisse, sed placet; & hæc est sufficiens atque laudabilis, licet non excellens, & habet devotionem habitualem & originalem.

Undecimum. Alia est vitiosa circà peccata; alia ut propter commotionem iræ vel illecebræ, quæ non displicet nec acceptatur consensivè, licet velit, nolit homo sentiatur; & hæc potest esse materia virtutis exercendæ, & ad expulsionem expediret quandoque magis niti, quàm ad orationis continuationem.

Duodecimum. Alia vitiosa criminaliter, cui non sufficienter resistitur, sed ei verè vel interpretativè consentitur; & hæc est damnabilis. Quis autem dicatur verus, quis interpretativus, alibì dictum est. Consentire siquidem dicitur aliquis malo, dum non fecit quod in se est, neque facit ut vitetur. Subjungitur alia distinctio de attentione sub triplicitate multiplici.

Prima Triplicitas.

Attentio Orationis triplex est.
- Recta, habens aliud objectum, quàm se.
- Reflexa, habens pro objecto se.
- Conjuncta, recipiens alias, quàm se.

Secunda.

Attentio Orationis recta, triplex.
- Generalis, ut quia vult orare tota die.
- Specialis, ut quia vult talem orationem dicere.
- Individualis, quia vult particulis singulis intendere.

Sic de affectione posset esse distinctio.

Tertia.

Attentio Orationis quolibet modorum dictorum, triplex:
- Actualis, cujus actus inest, movens immediatè.
- Virtualis, cujus virtus inest, movens actu cessante.
- Habitualis, vel aptitudinalis, cujus solus habitus inest, non sufficiens id movere.

Quarta.

Attentio Orationis recta & simplex, rursùs triplex.
- Circa sola verba, quasi materiam.
- Circà solum sensum, quasi formam.
- Circà solum Deum, quasi finem.

Quin-

Quinta.

Attentio Orationis reflexa sicut & recta, triplex.
- Generalis.
- Specialis.
- Individualis, ut suprà.

Sexta.

Attentio Orationis reflexa, quocunque modorum, triplex.
- Actualis.
- Virtualis, ut suprà.
- Habitualis.

Septima.

Attentio Orationis recta & conjuncta, seu mixta, triplex.
- Circà contraria positivè.
- Circà opposita privativè.
- Circà velut indifferentia ad utrumque.

Octava.

Attentio mixta circà positivè contraria, triplex.
- Consentiens.
- Dissentiens.
- Pigra, vel dormitans, sive sint à carne, vel mundo, vel dæmone, vel talia contraria.

Nona.

Attentio mixta consentiens contrariis, triplex.
- Absolutè voluntaria.
- Conditionaliter voluntaria, quia renititur, sed vincitur.
- Interpretativè voluntaria, quia tenetur esse vigil, & non est.

Decima.

Attentio privativè opposita, triplex.
- Tollens omnem circà verbum, & sensum, & Deum recogitationem.
- Tollens duo præmissorum, & non verbum.
- Tollens tantummodò unum, sensum scilicet, vel verbum, vel Deum.

Undecima.

Attentio juncta velut indifferens, triplex.
- Totaliter interrupta actu, virtute, & habitu.
- Partialiter interrupta solo actu, & virtute.
- Partialiter interrupta solo actu: non virtute, nec habitu.

Duodecima.

Attentio Orationis qualiscumque triplex, secundùm quòd Oratio.
- Obligatoria sub pœna peccati mortalis.
- Obligatoria solo consilio bonæ æquitatis.
- Obligatoria solius causâ societatis, ut dùm quis tenetur, non orare vocaliter, sed orantem attendere.

Decimatertia.

A *Attentio Orationis mixta, & interrupta triplex.*
- Quandoque per unam, aut tres dies, vel Mensem, ex consuetudine, patet in peregrino.
- Per magnas moras, sine renisu forti, vel frequenti.
- Per morulas, cum renisu, quasi per saltum animi crebrum contrà muscas cogitationum importunas.

Decimaquarta.

Attentio Orationis, abigentis has muscas, triplex.
- Quædam impossibilis, & vana, & conturbativa.
- Quædam difficilis, nec pro tunc usquequaque necessaria.
- Quædam facilis, licet importuna, tamen meritoria.

Decimaquinta.

B *Attentio qualibet præmissarum sub debito, triplex.*
- Circà verbum bona, & necessaria sit, ut dicatur à se, vel à socio.
- Circà verbum, & sensum, beneplacens.
- Circà verbum, sensum, & Deum, perfecta.

Et similes fieri possunt distinctiones de affectione, quæ dicitur affixio quædam.

Decimasexta.

Attentio qualibet præmissarum, triplex.
- Habitualis bona, dùm manet in attentione, ex decem Annis non criminaliter interrupta.
- Virtualis melior, dùm manet in operatione.
- Actualis optima, ceteris paribus, dum manet in toto homine, toto corde, tota anima, tota mente, tota virtute.

C

Decimaseptima.

Attentio reflexa in bonum, triplex.
- Facilis in contemplativo, & spirituali, qui volat libero velut cœlo.
- Difficilis in meditativo, & rationali, qui nititur sursùm, rependo.
- Vaga, vel inutilis, in solo animali, qui serpit in humo.

Decimaoctava.

D *Attentio reflexa in bonum, triplex.*
- Rarissima primo modo tam duratione, quàm visitatione.
- Rara secundo modo, nec semper necessaria vel cauta in vocali Oratione.
- Quasi nulla tertio modo, & sufficit quòd cum asina Jerusalem talis ambulet.
- In simplicitate *quasi vitula Ephraim, docta diligere trituram*, Ozee. x. 11. atque muscas acres cogitationum, quantùm valet toleret; nec ita velit abigere per impatientiam, quòd sessorem suum Spiritum sanctum dejiciat.

De-

Digitized by Google

Decimanona.

Attentio reflectens se super attentionem preteritam in verbis debitæ Orationis vocalis in se, vel cum socio, triplex.

- Una, quæ vehementer æstimat verba non protulisse.
- Alia, quæ istud timet velut ad utrumque.
- Tertia, quæ vehementiùs opinatur se dixisse, vel alium, quàm omisisse.

Vigesima.

Attentio reflexa judicans, triplex.

- Primo modo, compellit ad repetitionem, vel pœnitentiam; secùs de non attentione circà sensum, vel Deum.
- Secundo modo, suadet repetitionem, & aliquandò compellit, propter oportunitatem habitam.
- Tertio modo, dissuadet repetitionem potiùs quàm impellat; & hoc propter innatam mentis evagationem, quæ non recordatur faciliter eorum circà quæ non actu reflectitur, sicut nec oportet.

Exhortatio conclusiva.

Attendite vobis igitur, & attentioni vestræ in Orationibus debitis, ô Ecclesiastici; vos præcipuè Patres, & Fratres Cœlestini, quorum intuitu res hæc agitur. Attendite cum pia sollicitudine quæ pravam expellat, tanquàm clavus clavum. Attendite, ut sciat unusquisque donum esse Dei, *non plus*, nec minùs *sapere*, *quàm oportet*, Rom. XII. 3. & hoc utique non poterit faciliter consummari, cùm *pravum sit cor hominis & inscrutabile*, Jerem. XVII. 9. nisi sermo Dei vivus & efficax adsit, discretor cogitationum & intentionum cordis nostri; quòd ut fiat, orandus est, & in ipsum jactandus noster cogitatus, ut tandem verbis Apostolicis concludamus: *Nihil solliciti sitis; sed in omni Oratione, cum gratiarum actione, petitiones vestræ innotescant apud Deum: Et pax, Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Jesu* Domino nostro. Amen. *Philip.* IV. 6. 7.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DIALOGUS SOPHIÆ & NATURÆ, SUPER CÆLIBATU SIVE CASTITATE ECCLESIASTICORUM:

Compositus Lugduni

Anno Domini 1413.

Ad MSS. Codd. Vict. 694. *& duos Navarricos.*

DIALOGUS apologeticus pro cælibatu Ecclesiasticorum, cujus collocutores sunt Sophia, & Natura, continet Actus quatuor Principales. Primus investigat finem humanæ conditionis, qui non est principalis ut generet, sed ut felix vivat. Secundus, ratiocinando concludit ipsi naturæ, quòd castitas moralis, nedum matrimonialis, sed etiam virginalis, atque vidualis, in multis est laudabilis. Tertius hoc idem deducit de heroïca castitate, qualem naturæ discipuli vel coluerunt, vel beatificaverunt, vel consuluerunt. Quartus specialiter insistit circà divinalem castitatem, qualis imponitur Ecclesiasticis viris ultrò, non vi, cum perpetua Matrimonii negatione, cum dedicatione ad Deum, cum celebri rebus sacris apA plicatione, ubi tandem Naturæ pax est cum Sophia. Alloquitur in primis Sophia (quæ & Sapientia, Phronesis, aut Theologia dicitur) Naturam, quam ex inspectione cujusdam Dialogi, per egregium militem Doctorem Guillielmum Saygnet noviter editi, indignatam senserat contrà votum castitatis Sacerdotum Occidentalium ex Constitutione Concilii Niceni. Est igitur principium verborum suorum veritas Evangelii.

ACTUS PRIMUS PRINCIPALIS.

SOPHIA.

SUNT *Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum cœlorum, qui potest capere, capiat.* Matt. XIX. 12. Ne murmuraveris igitur adversùs castitatem, soror
B Natura, quoniam summus Magister, & Dominus noster protulit hoc verbum in grande præconium voluntariæ castitatis.

Natura. Quis potest, ô Sophia, capere verbum istud? Quis cum verbis summi Patris nostri concordare? Qui prima mei constitutione dedit Legem talem, nedum hominibus, sed animantibus omnibus, ut crescerent & multiplicarentur, nec dubium, quin per generationem. *Crescite*, inquit, *& multiplicamini, & replete terram.* Gen. I. 28. Hinc dictum est à Discipulis meis Philosophis, quòd sum ego Natura *vis insita rebus, ex similibus similia procreans.* Eunuchorum verò quis generat, quis multiplicat, quis denique terram replet? Nonne dum spontè id fecerint, meis, immò divinis Legibus se quasi prævaricatores opponunt? Nonne fiunt inutile lignum non afferens fructum, & propterea jure maledictum?

Sophia. Nolite putare soror Natura; sumus enim unius Patris Filiæ, qui Deus est unicus. Non putaveris, inquam, Deum nostrum Patrem, dissensionis esse Spiritum, in quo sit, *est*, *& non*, qui dictis suis
C dissonus sit in Lege, & Evangelio.

Natura. Nequaquàm ita prorsùs erraverim, sed indè rapior in admirationem, quomodò fiet istud quod tu dicis. Ut cum mea Lege stet in Evangelica veritate laudabilis, & ultronea castratio eunuchorum, qui terram replere non possunt.

Sophia. Vide, ne sis tu, & tui, illorum de numero, de quibus Magister meus Jesus Christus, utique Deus tuus præmisit, quòd *non omnes capiunt verbum istud.* Matth. XIX. 11. Deindè facta distinctione de triplici modo Eunuchorum, subjunxit de ultimis: *Qui potest capere capiat.* ℣. 12. Forsitan, & tu capere non potes.

Natura. Cur illud non potero te doctrice, quam fateor meam esse Magistram.

Sophia. Si Magistram me cognoscis, te discipulam exhibe, te credulam præbe. Nam oportet omnem qui discere vult credere, in tuis etiam disciplinis,
D quantò plus in meis quæ superant in multis tui facultatem ingenii, quamvis in nullo vero sim tibi prorsùs contraria, vel adversa. Sed est veritas, quæ supergreditur veritatem. Prima cernitur in lumine Fidei, seu revelationis, descendentis *à Patre luminum.* Jacob. I. 17. Alteri conspiciendæ sufficit tuum lumen naturale. Non aliter in doctrinis judica, quàm in operibus, qualia sæpè esse cognoscis effecta suprà vires tuas, ut, quòd sol stetit, quòd virgo peperit. Quibus ideò miraculorum nomen indidimus, quia non potes ipsorum contingere rationem.

Na-

Digitized by Google

Natura. Si penitùs ita sit, ut nullo pacto capere valeam quod inquiro, quid, oro, nisi silere relictum est, & ponere digitum ori meo.

Sophia. Benè speraveris, quære cum humili pietate, non animositate proterva, conabor tibi ostendere concordiam Evangelii cum Lege cælibatus, cum Matrimonii castitate, cum fœcunditate gratiæ cœlibatum.

Natura. Gratum id effeceris mihi. Ecce tibi me discipulam exhibeo docilem, dicito quæ vis. A

Sophia. Quærendum imprimìs est, ne nos propriè vocis ignorantia seducat, quis sit intellectus hujus tuæ, immò divinæ Legis: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, Gen. I. 28.

Natura. Nimirum talis, ut per copulam maris, & feminæ, species in se remaneat per propagationem individuorum continuam.

Sophia. Oportet-ne quippiam aliud attendere, præsertim circà genus humanum quod ratione regi debet?

Natura. Quid vis, si attendatur aliud?

Sophia. Est-ne precor, finis altior hominis, quàm ut vivat hîc in terris more brutorum, & se per generationem multiplicet.

Natura. Si sit alius, tu commone, vel edoce.

Sophia. Rectè petis, quoniam, ignorato fine cujuslibet rei, nihil solidum de eadem fieri potest. Dixerunt itaque discipuli tui, quòd secundùm exigentiam finis cetera debent moderari. Est enim causa causarum movens alias omnes, sicut efficientem, formalem, & materialem. Cùm ergò scire, sit rem per causam cognoscere, superest in hac conquisitione nostra, ut prima potissimaque causarum non lateat. B

Natura. Superest, agnosco.

Sophia. Sumamus in primis à fine compendium, prout suadet discipulus tuus Plato, & dicamus, quòd *Finis hominis est cognitio intuitiva, & fruitio summi boni in vita perpetua.* Quid refugis? Quid attonitam te stupor invadit? Sentio, te non capere, mortales fieri immortales, nec terrenos in cœlestes commutari. Verumtamen Deus noster communis Pater ita sanxit, ita mihi, meisque sua divinitùs illustratione retexit. Respiraveris autem. Ego familiariùs intereà tecum agam, sciscitans à te, quem esse finem proprium hominis, ut homo est, discipuli tui (quos dicunt Philosophos) posuerunt; quem finem appellaverunt felicitatem. Et ne gratis per diverticula tot opinionum vagabunda pererres, volo mihi narraveris sententiam illam quæ tibi probabilior æstimatur, & verior. C

Natura. Faciam, ut petis, gratiam habens tali condescensioni benevolæ. Nam ad illa quæ præmisisti prærupta modò scandare vires, non sufficiunt.

Sophia. Convalesces tandem, me duce, meoque lumine, sicque potens fies. Dic interim de petito.

Natura. Magnus inter meos cultor Aristoteles, nec à mearum semitis rationum devians hàc, & illàc, more plurimorum conclusit, & constituit in Ethicis suis, felicitatem hominis in contemplatione primæ causæ, quoniam *illa est operatio optima potentiæ hominis circà optimum objectum suum.* De hinc quid Stoïci, quid Epicurei, quidque Platonici senserint de fine hominis, sum prompta referre.

Sophia. Sta: Sufficit ad præsens hoc unicum pro re quam agimus verbum Aristotelis tui, quoniam per omnia consonum est mihi, meisque disciplinis. Sed altiora nostra migrare non valuit, deficiebat sibi creaturarum scala, per quam comprehendere semper enisus est veritatem, non habens ex te natura viam alteram. Propterea me dedit Deus filiis hominum, quatenùs deducerem eos ab illa felicitatis arce, in qua stetit Aristoteles, ad principium felicitatis æternæ suprà modum sublimioris, quàm Christus noster credendam per me, meosque infallibili revelatione firmavit. D

Natura. Sit ita. Quid valet tandem iste circuitus ad rem primò propositam de concordia castitatis eunuchorum sponte castratorum, cum mea Lege de multiplicatione filiorum, quales utique gignere nequeunt qui manere volunt, aut fortè coguntur eunuchi, vel castrati, prout apud tuos, quos Ecclesiasticos nominant, copiam videmus ingentem.

Sophia. Certè per omnem modum ritè processimus, dùm finem investigavimus humanæ conditionis, quia finis est qui rebus omnibus necessitatem Legis imponit. Ad quem non aspicientes, circà humanum genus delirant intolerabiliter; simile de hominibus ut de jumentis, & brutis ferentes judicium.

Natura. Pergè ultrà.

Sophia. Pergo, docens ex concessis tuis, quòd laudabilis nedum mihi, sed tibi, tuisque castitas esse debet. Non dicam in omnibus & singulis, alioquin periret successio, sed in nonnullis, nec paucis.

Natura. Miror, si poteris hæc ostendere.

Sophia. Ostendam, ne dubites, desit tantummodò avida temerariæ contradictionis protervia.

Natura. Deerit, spondeo.

ACTUS SECUNDUS

PRINCIPALIS.

SOPHIA.

NOBIS de castitate locuturis, oportet, ne fallat æquivocatio, cognoscere tam descriptivè, quàm divisivè, conditionem castitatis. Est autem castitas *virtus moderativa passionum partis concupiscibilis circà venereas voluptates*, sicut sobrietas circà delectationes gustus in cibis, & potibus moderatur. Hoc Aristoteles tuus. Hoc tota discipulorum tuorum schola proclamat.

Natura. Nec reclamo. I, quò vadis.

Sophia. Castitatem sic descriptam triplicamus, seu tripliciter dividimus. In castitatem moralem, heroïca, & divinalem. Et quidem de morali (quia notior est) prior erit sermo, deindè de heroïca, postremò de divinali tractabimus.

Natura. Placet, ut vis.

Sophia. Castitas moralis, quemadmodùm ceteræ morales virtutes, consistit in medio. Est enim virtus habitus electivus, in medio consistens quoad nos, ut sapiens judicabit. Conjecturatur verò medium castitatis: ut nec excedat castus, ne deficiat circà venereos, actus secundùm sex circumstantias in generali, quæ sunt persona, locus, causa, tempus, modus, materia; ut fiat scilicet, per quem oportet, cur oportet, ubi oportet, quando oportet, quomodò oportet, & circà quod oportet, alioquin laude carebit.

Quis, quid, ubi, quando, cur, quomodò cernere debes.

Natura. Et quo pacto plùs in homine, quàm in ceteris animantibus? Cur non homini meæ Legis instinctus primùm insitus sufficit, ut multiplicetur & crescat, & repleat terram.

Sophia. Cur non ita quæris rationem Quare Deus *omnia subjecit sub pedibus* hominis, *oves, & boves universas, insuper & pecora campi, volucres cœli, & pisces maris*, Ps. VIII. 8. & non cuivis animantium ceterorum; si parem æstimas Legem utrorumque? Sed planè datum est, & insitum hominibus liberum arbitrium, quo reliqua carent omnia. *Est* autem *liberum arbitrium facultas rationis & voluntatis, quasi liberum de ratione judicium.* Hinc dominium accepit super irrationabilia quælibet, quasi servilia sub libero. Hinc semetipsum per illud liberum arbitrium regere debet, sub quo est appetitus suus sensualis, ut dominetur illius. Hinc illa consurgit aurea mediocritas, debita suis actibus. Hinc de-

Digitized by Google

deviando per plùs, & minùs, debito jure culpatur. Tu verò, Natura, per te solam sub Deo Patre summo regis, & dirigis omnia quæ rationem hujusmodi non habent sibi conjunctam. A te denique plùs aguntur, quàm agant, nec in suis motionibus crimen habent, sicut nec propriam quâ regantur conjunctam obtinent rationem. Propterea neque castitas, neque sobrietas, neque generaliter virtus aliqua moralis reperiuntur in brutis, nisi fortè per metaphoricam locutionem, ut turtur casta, castus elephas, canis prudens, leo fortis, A mansueta columba nominantur. Et ex opposito per similitudinem vitiorum, superbus equus, astuta vulpes, vorax lupus, sus luxuriosa.

Natura. Animadverto quæ dicis, nec à meis sunt aliena principiis. Jam insuper velut à longinquo, quid moliris, odoro.

Sophia. Itaque molior ostendere quòd castitas perpetua non tibi semper est adversa.

Natura. Immò certè juxtà deductionem tuam, & descriptionem, nulla mihi castitas, sicut nec aliqua virtus moralis existimanda est contraria.

Sophia. Rectè sentis, & concludis. Undè submurmuras ergò, si sunt *eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Dei.* Matt. XIX. 12.

Natura. Nunquid non jure conqueror de talibus qui se totos, & pro semper ab officio generationis abdicant? Nonne peccant in extremorum altero, qui tanquàm agrestes, vel insensibiles, omni dant operationi venereæ repudium? Nonne subjectum proprium, speciemque destruunt?

B

Sophia. Quid si palàm ex concessis tuis monstravero tale aliquid fieri posse multis casibus, cum tuis legibus, & virtute? Quid si videas equos ad libidinem pronissimos, ex equarum usu debilitari, quibus abstinentia totalis dat sicut & multis aliis, robur & incrementum usque in senectam, & senium? Adeò vis æstimativa circà venera phantasiam quàm abstinentia magis lædit. Sed quærenda sunt rursùs aliqua, quatenùs efficiatur processus lucidior. Concedis absque scrupulo, quòd opus generationis non est passim ab hominibus exercendum, nisi quando oportet, & ubi oportet, & de reliquis ita circumstantiis.

Natura. Concedo.

Sophia. Des igitur oportet regulas ad istarum cognitionem circumstantiarum, quales tui discipuli, Aristoteles potissimè, tradiderunt. Etsi nullus eorum ad supremam, puram, & liquidam conspexerit veritatem, quia tuo lumine, non meo (quod supernaturale est) suum exercebant mentis intuitum: propterea diversas in Sectas, & schismata partiti sunt, quarum multas tuus coarguit Aristoteles. Ut quòd mulierum debebat esse communitas in usu, more brutorum quorumdam animalium; neque enim sunt omnia talis intemperatæ conditionis: sed sociali quodam, individualique vinculo mas & femella conjunguntur, sicut in avibus plurimis cernere est. Dicebant alii, debere passim homines cum feminis in publico misceri, velut canes. Indè Cinici, id est, canini, dicti referuntur. Laudaverunt alii conjugium; sed hoc pacto, ne plures essent unius, aut quòd concubinatus non indè tolleretur quasi culpabilis, quàmvis honoris legitimi minus habens. Addiderunt nonnulli, fornicationem soluti cum soluta non esse peccatum, immò crudeliter agi questi sunt contrà genus humanum, si non liceret uti liberè proprio corpore, sine cujuspiam injuria, quærendo voluptatem. Sileo de barbaris nationibus recto rationis judicio carentibus, vel propter indispositionem corporis, ut cernimus in naturaliter fatuis, vel ob perversionem consuetudinis. Non loquar de bestialibus, non de melancholicorum mille speciebus in subversione recti judicii. Denique nolo totam hìc & nunc materiam, (quæ latissima est) de castitate prosequi. Satis mihi fuerit, centrum illud attingere, circà quod nostra præsens collocutio versatur, & volvitur.

Quod ut fiat compendiosiùs, conveniamus, precor, in aliqua positione, vel certissima, vel probabiliore: alioquin vagari per omnia satagentibus nusquàm finis.

Natura. Conveniamus, assentio, memor sponsionis meæ prioris, discipulam me docilem, non protervam esse velle.

Sophia. Modestè facis. Coarctetur idcircò sermo noster ad illos, & pro illis, inter quos est hìc, & nunc nostra conversatio; ad Christianos loquor, qui nullo pacto damnant conjugia legitima, sed honorant, & colunt, tradentes pro relatione partis generativæ circumstantias sex debitas, quòd concubitus ille tibi naturæ consonus, concessus insuper, immò jussus est à summo Patre nostro Deo, qui fit inter illas personas quas ipse conjunxit, exemplo primorum Parentum, dans mulierem id adjutorium viri, ut relinqueret Patrem, & Matrem, & adhæreret uxori suæ. Itaque jam sunt duo in carne una ad opus commune filiorum, ut crescant, ut multiplicentur, & repleant terram. *Gen.* I.

Natura. Et si sint plurimæ nationes nescientes, vel non admittentes regulationem hujusmodi sic arctam; nihilominùs terminis his concludi non recuso, quia multiplicationem generis humani non annullant; videntur potiùs honestare ipsam per sacra conjugii fœdera castitatem.

Sophia. Honestant certè, propagationemque filiorum reddunt eis utiliorem, quàm vagus, incertusque concubitus. Qua in re statim colligo, non tibi displicibilem esse castitatem conjugii limitibus astrictam, eò quòd fœcunda est hujusmodi castitas generans, quando oportet, & ubi, cum ceteris circumstantiis.

Natura. Nullo pacto displicet. Sed qualis me molestat castitas, intelligis; videlicet quæ se totam eunuchizat, & castrat, quæ valefacit omni concubitui, quo sine prolificat nullus. Talis est castitas illa, quam nominant virginitatem. Hæc perpetuam carnis integritatem, omnis expertem actus conjugalis semper retinere gloriatur. Aliam dicunt vidualem, differentem in hoc à virginitate, quia jam experta venereos actus, vel in conjugio licitè, vel illaudabiliter extrà conjugium, nihilominùs habet hoc cum virginitate commune, nunquàm generationi filiorum intendere velle.

Sophia. Distinxisti subtiliter triplex genus castitatis moralis, conjugalis scilicet, virginalis, atque vidualis, extenso nomine, qualiter expressisti, vidualem accipiens. Nobiscum verò convenis de castitate conjugali, nondum de virginali, & viduali mecum sentis. Et hoc C superest ut probemus, hic axis est, hic cardo præsentis discordiæ.

Natura. Sic esse concedo.

Sophia. Teneamus, quæ præmissa sunt omnia, protinùs in concordiam veniemus.

Natura. Tenebuntur.

Sophia. Si dedero tibi casus plurimos, & apud multos homines, quibus non potuerunt ipsi conjugalibus uti commerciis, vel de facto, vel de Jure, toto tempore vitæ suæ, consequens est, ut castitas in eis perpetuæ continentiæ à generatione filiorum permaneat.

Natura. Consequens est.

Sophia. At verò facilis est antecedentis deductio, tribus modis in generali. Unus est facti, alius Juris, & tertius electio conditionis melioris. Et quidem hunc tertium modum separatim post tractabimus, nunc de duo- D bus primis pauca de tot exempla tangemus. Quis impedimenta facti negaverit quæ se coram assiduè ponunt, ut corporalis castratio, ut invaletudo, & naturalis frigiditas, & incarceratio perpetua, ut defectus aptæ mulieris. Sic viceversa de femineis obstaculis.

Natura. Numquàm istos negaverim casus quos nobis oculus indicat. Sed quid de necessitate, cùm loquimur de virtute?

Sophia. Multùm per omnem modum, quando fortis, & solers animus facit de ipsa necessitate virtutem, quando detrimentum vertit in meritum. Rursùs ubi defuerit

Digitized by Google

fuerit aliquandò necessitas hujusmodi naturalis, quæ facti dicitur, concurrere potest altera quæ Juris est, quando de Jure, non de facto negatur omnis ab homine mare, vel femella conjugalis associatio, ac perindè prolificatio. Exemplum in servis emptitiis, quos nubere Domini vetant. Exemplum de pauperibus, & egenis non habentibus undè tolerarent onera conjugii, vel prolem convenienter educarent. Exemplum A de leprosis piè nolentibus progeniem similiter eis inficiendam gignere. Exemplum de fœdis & turpibus, tam visu, quàm victu, non satis tolerabiliter in Matrimonio convicturis. Exemplum de viduis, & viris, & feminis habentibus pueros jam vix educabiles ab eis, quibus, benevolentia providenti, nolunt superinducere copulam novercalem. Quidni casibus omnibus istis, & similibus eligatur castitas perpetua, seu virginalis, seu vidualis? Quamquàm mala quæ premunt hanc inducant; nihilominùs ideò voluntaria dici potest, atque moraliter laudabilis, quia voluntas inducta, voluntas est, quemadmodùm tuus ostendit Aristoteles de projiciente merces in mare, ne pereat. Postremò si passim casus inveniuntur in omni sexu, ætate, gradu, quibus potest, immò debet vacatio fieri ab actu generationis ad tempus, nunc magnum, nunc majus, quandoque maximum; cur non poterit hoc concedi cadere posse per totum tempus vitæ? Habes igitur demonstratam tibi, B quam præassumpsimus propositionem, quòd laudabilis sæpè est ex circumstantiis castitas, seu virginalis, seu vidualis, generationi nunquàm vacans.

Natura. Negare non valeo, nisi memet in præconcessis negavero. Veruntamen mea non tollitur exindè querela super illis quos à talibus impedimentis liberos (qualia nominasti) voluntas (nescio quæ) spontanea (nisi potiùs obstinata, vel agrestis, vel innaturalis, dicenda est) removet ab actu procreationis liberorum. Hoc est, cur de tuis Ecclesiasticis stomachabar ob Niceni cujusdam constitutiones Concilii, de perpetuo talium cælibatu.

Sophia. Senseram; volui tamen uti circumlocutionibus antè dictis ad introductionem sequentium. Subjungetur insuper ratiocinatio de castitate heroïca post moralem, priusquàm de divinali quam adeò gravem censes verbum fiat. Benevolam te dederis, & attentam, & docilem.

Natura. Laudabis videns.

ACTUS TERTIUS

PRINCIPALIS.

SOPHIA.

RECORDERIS oportet eorum quæ prior actio conclusit, de fine conditionis humanæ.

Natura. Nimirùm ille est, contemplatio primæ causæ, secundùm deductionem Aristotelis mei, quamvis de felicitate politica, & æconomica quædam alia, sed non adversa, tradiderit; reponens eam in tranquillo convictu civium per se sufficienti, & in dispositione bona domûs.

Sophia. Loquamur interim de felicitate monastica, seu speculativa hominis, ut homo est, ad quam practica, seu politica, vel æconomica tandem habet ordinari.

Natura. Age prout vis, etsi cur ita facias non satis agnosco.

Sophia. Agnosces; nam interrogo te, si felicitas hominis, quâ nihil ei meliùs, nihil optabilius, nihil honestius, utilius, delectabilius est, acquiritur sæpè meliùs per castitatem heroïcam, quam per copulam conjugalem; castitas talis erit præferenda, seu amplectenda? Ita enim dictum est, quòd secundum exigentiam finis media sunt accipienda quæ nullam prorsùs habent bonitatem, si non ex fine; quemadmodùm veritas conclusionis in speculabilibus dependet ex primis principiis: est enim finis principium primum in practicis.

Natura. Vellem exponeres, quid per nomen heroïcæ castitatis intelligis, ne processus fortè fallat, ignoro.

Sophia. Rectè cupis, & jam paulò ante reliqueram insinuandum quo pacto castitas, nedum de facto, vel de Jure poterat jugiter amplecti per non paucos, sed quòd hoc fieret, seu fieri persuaderet conditionis electio melioris. Et hîc stamus pensandum, dicentes, heroïcam castitatem ex duobus maximè; primitùs ex fine felicitatis, dehinc ex electione continentiæ virginalis, seu vidualis, ad semper & pro semper, propter adeptionem faciliorem hujus finis possem dictis, & exemplis cultorum tuorum deducere. Nihil credo plus obesse veritati, vel acquirendæ, vel speculandæ, (potissimùm de causis altissimis) quàm voluptatem veneream, quàm contactum illorum corporum, sine quo uxor cum liberis haberi non potest, ubi sorbetur, & absorbetur rationis judicium, ubi nihil virile, nihil altum, nihil cœleste, mens quæ tali se dederit passioni, sinitur meditari. Quid igitur si senserit adolescens, vel tuo, vel divino munere, vel alterius commonitione, perpetuam hujus furoris carentiam conferre plurimùm felicitati capessendæ, ad quam conditus est homo: nonne poterit consultò velle jugiter continere, mortificando tyrannicam hujus moribundi corporis rabiem, ne revocet, aut retrahat, aut deturbet ad alta tendentem?

Natura. Ecce in modico suades continentiam, sicut & felicitatem omnes homines debere complecti. Sic perindè qualis poterit superstes esse posteritas?

Sophia. Non hæc formidaveris, quia sicut non omnium est heroïcos esse, id est, divinos, & super communem hominum conditionem elevatos, ita nec taliter castos existere. Propterea dicit Magister noster, & Dominus: *Qui potest capere, capiat.* Matth. XIX. 12. Non est omittenda laus libertatis, non liberalium collaudatio studiorum, formidando ne servi C remaneant nulli, ne præterea mechanicis nemo deditus inveniatur exercitiis. Rara sunt excelsa omnia, semper quoque vilium, aut mediocrium major erit numerus, suasione optimorum non extante.

Natura. At verò difficilis, ne dicam impossibilis, est hæc heroïca, vel horrida castitas.

Sophia. Difficilis, fateor:

Sed tendit ad ardua virtus.

Difficilis, sed apud plurimos adolescentes, & adolescentulas inventa est. Denique non ego sola cum meis, sed tui virtutem heroïcam posuerunt quasi suprà hominem, sicut in solitariis benè compositis, sicut è contrario deprimit sub homine incomposita solitudo. Solitarius quippè vel Deus, vel bestia.

Natura. Recolo dicta meorum. Sed moderatus venereorum usus quìn aptus sit ad virtutis, & consequenter D felicitatis adeptionem, non palàm cognosco. Nec intemperatum laudo, sed nec prorsùs nullum approbare valeo, propter divinam sui similis generationem, immò & propter urgentem mei juris necessitatem. Et quidem propterea separo semen à superfluo tertiæ digestionis, ego debitis in vasis illud condo, ego meatus ei convenientes adapto. Denique mulcebrem indidi, desiderabilemque suprà modum delectationem, quæ continuè stimulat, quæ si non effluendo sedetur, lædit, & molestat, aut aliquando mortificat. Hic est omnium

Digitized by Google

omnium communis amor vincens omnia, de quo Virgilius noster:

Omne adeò genus in terris hominumque, ferarum,
Equorumque genus, pecudes, pictæque volucres.
In furias, ferrumque ruunt, amor omnibus unus.

Sophia. Declaraveris, & aggravaveris quantumlibetvolueris, nunquàm obtinebis ut impossibilis heroica castitas jure putetur apud homines strenuæ voluntatis, quos æquus amavit, non falsus Jupiter, sed Deus verus, & quos

Ardens evexit ad æthera virtus.

Quam virtutem, mei gratiam dicunt, atque charitatem. Fassus est quippe meorum unus; *Ut scivi*, inquit, *quia non possum aliter esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum.* Sap. VIII. 21.

Natura. Quid mihi nunc de miraculis, quæ solis innitor Legibus meis.

Sophia. Neque sanè Leges tuæ divinum secludunt auxilium, sine quo juxtà Platonis tui verbum, nullum ritè fundatur exordium. Nihilominùs agam tecum proximiùs; dicam undè fortassis tu stupeas, tuique mirentur.

Natura. Expecto.

Sophia. Facilius est apud hominem qui bona voluntate zelat castitatem illam perpetuam, quàm interpolatam sine vitio custodire.

Natura. Papæ! quid ais?

Sophia. Id quod audis, quod ut meliùs accipias, constituo duos homines, unum uxoratum, alium cælibem: continebit, dico, cælebs faciliùs ab omni voluptatis illicitæ sensu deliberato, vel experientia, quàm uxoratus utetur moderatè sine quavis impudicitiæ maculantis culpa.

Natura. Vellem certis id approbationibus confirmares.

Sophia. Sumuntur rationes ex consideratione sextuplici; ex allicientis ablatione, ex febrili similitudine, ex pruritûs curatione, ex humoris desiccatione, ex jocunda consuefactione, ex virtutum associatione.

Natura. Nolo moreris per singula, sed te ad pauca resolve.

Sophia. Fiet. Difficultas continendi potissimè causatur ex imaginativa virtute, præsentante objectum appetitui tanquàm delectabile; vel directè, quia mulcet; vel indirectè, quia tristitias stimulantes aufert. Cujus rei signum est, quòd, imaginatione cessante super venereis actibus, cessat & eorum concupiscentia, vel appetitus. Perspicuum fit hoc in irrationalibus quantumcunque pronis ad luxuriam, sicut in equis, tauris & canibus. Hoc expressit Virgilius tuus *in Georgicis* de custodia equorum, docens, eos separatim ab equabus alendos esse, & causam addit cum experientia, dicens:

Carpit enim vires paulatim uritque videndo.
Femina.

Natura. Negari non potest, sensu repugnante.

Sophia. Ceterùm causatur imaginatio, vel actuatur ex duobus. Unum, est objectum exteriùs placibile perceptum visu, tactu, vel auditu, vel etiam olfactu. Hinc Naso:

Fortis equus visæ semper adhinnit equæ.

Hinc Magorum unus apud Athenas adeptus est modico nasi adjumento, vel odoramento Regnum, ait Valerius: quoniam equum suum ex memoria odoris equæ movit primus ad hinnitum. Alterum imaginationis excitativum, est humor seminalis, quærens exitum. Qui si negetur, stimulat, ut urina superabundans, ut vapor colericus, & igneus, causatque pruriginem circà partes alias, non minus circa genitales calida ventositas prurit, irritat, & urit.

Natura. Voluit hoc, & ingeniavit summus autor meus, providens ne desiderium propagationis per generationem sui similis languesceret. Nam ut comestio salvat individuum, sic speciem carnalis commixtio.

Sophia. Voluit, fateor, sed ita voluit in hominibus, ut motum hujusmodi ratio sibi data regeret. Quod & effecisset absque omni difficultate rebellionis, si non suo primitùs Creatori ratio rebellasset.

Natura. Transcendit hæc assertatio limites meos: de peccato tali perge, quo cœpisti.

Sophia. Nemo dubitaverit, quin conjugatus habeat objectum principaliter, & jugiter alliciens, quod est uxor sua, plus quàm cælebs habere cogatur.

Natura. Quis hoc negat? Sed præsto simile est remedium per usum consortis legitimi.

Sophia. Præsto est, sed an plus æquo succendat, inflammet, & ardeat, inebriet & abducat, viderint conjugati. Dicit enim Satyricus:

Quid enim Venus anxia curat?
Inguinis, & capitis, quæ sit distantia nescit.

Quot indè, Deus altissime, quot intemperantiarum, fœdissimarum, & inconcessarum bulliant rivi, quot flagitia, quot contumeliæ, quas turpe nefasque dicere, sæpiùs erumpant, tu nosti omnium cognitor occultorum. Cælebs intereà rebus honestis intendens ac intentus, nocteque, dieque poterit avertere tales quales isti patiuntur inflammationes.

Natura. Cessant hæ passiones, dùm explentur.

Sophia. Si cessaverint ad momentum, protinùs acriores irruunt. Quia libidinis usus non satiat, sed irritat, more febrilis ardoris quem potus nutrit, auget, & inflammat. Sic puritus in corpore, scalpendo, dùm mori videtur, augetur. Sic fons lactis in nutrice sugendo continuatur, qui dimissus arescit in alios versus humores & exitus.

Natura. Sic ingeniavi multis in rebus, & modis. Sentio denique, similem tibi de seminis humore argumentationem sumere velle.

Sophia. Jure sentis, ac proindè cernis causas incontinentiæ præcipuas longiùs à cælibe fieri quàm à conjugato, quæ sunt objectum alliciens exteriùs ex abundantia stimulans, & exitum quærens, quod in cælibe per sudores, aut aliter, sine quavis impudicitiæ culpa defluit, exit, aut evanescit. Quid? quòd consuetudo vim tuam habet ô Natura? Propterea Cicero tuus benè consulit. *Optima*, inquit, *forma vivendi eligenda est, quam jocundam reddit consuetudo.* Sunt, qui venereas voluptates, etiam licenter exhibitas aspernarentur ut viles, ut indignas, ut nauseam spiritui dantes, quoniam *gustato spiritu desipit omnis caro*, ait Gregorius unus meorum. Talis olim noster Augustinus, qui priùs Ambrosii statum beatum prædicabat, nisi quòd cælibatus suus onerosus sibi videbatur. *At nesciebam*, inquit, *quales, quantasque suavitates sentiret ipse benè olentis castitatis.* Sententia est, verba non teneo. His accedit virtutum aliarum comes ipsis castè viventibus societas, quæ longè sunt à sollicitudine conjugatorum, curarum cessatio mordacium, cœlestis conversatio, sobrietas, frugalitas, studium liberum, colloquens cum toto seculo secum, præsens ego Sophia in allocutione tædii sui. Rursùm habet super se *jugum* Christi *suave, & leve*, Matt. XI. 30. putrescere faciens jugum multiplex, & ferreum mundi. Non ulla sibi parturientium fastidia, non educatio con-

Digitized by Google

contumaciam sæpè liberorum. Postremò locum istum multi mei, & tui, super oneribus conjugii copiosissimè, vehementerque prosecuti sunt, præcipuè noster Hieronymus, qui laudes nunc virginitatis, & adversùm Jovinianum nuptias æquantem cælibatui, ubi quicquid ex historiis, & sententiis veterum, cum sacris Litteris exhauriri potest, induxit. Quo fit, ut repetitione nostra (quoniam habentur in promptu) non egeant, nec te latent.

Natura. Mallem laterent meque omnesque, præsertim in hoc quòd laudem virginitatis in improperium, reprobationemque vertit nuptiarum. Nec defuerunt, qui tale quid ipsi, dùm viverent, opponerent.

Sophia. Opposuerunt. Sed respondit, conjugium sanctum, & nuptias sanctas esse, de quibus hîc dicendum non est per singula.

Natura. Si talis esset omnium cælibum conditio qualem descripsisti, tolerabilem mihi non nego fore quamdam ipsorum multitudinem, dùm plures aliorum intenderent, quantùm sufficeret, generationi filiorum. At verò de mille vix unum talem invenies ampliùs, quia laudem fundas heroïcæ castitatis ex fine, quia præparat ad contemplationem altissimæ veritatis: quid de tot meis, de tot tuis elevatissimis, & doctissimis usque ad prophetiæ spiritum viris, quos scimus uxores habuisse?

B

Sophia. Non tollimus omnem ab uxoratis cognitionem perspicuam veritatis, illam specialiter quæ lucet in speculativo intellectu, qualem tui vel solam curiosiùs investigant; amantes veritatem magis ut lucentem, quàm ut redarguentem, & corrigentem mores perversos, quos non ita deserere curaverunt. Propterea traditi sunt velut ingrati *in reprobum sensum*, Rom. I. 28. *& obscuratum est insipiens cor eorum*, ℣. 21. & in stultum finem deducti sunt. Datur altera cognitio non declarativa, & illustrativa ut præcedens, sed in experimento consistens, & affectu, quam nemo novit, nisi qui accipit. Et hæc si datur uxoratis, profectò fit dum vacant ab amplexibus, & rarissimè fit, quia nec nunc confertur Prophetiæ spiritus, neque suavissimus odor ille, sapientissimaque jocunditas quam ego sapientia confero secundùm nomen meum, quòd plus sumitur à sapore, qui est gustatio spiritûs affectualis, quàm à sapore, quòd respicit intellectum. Porrò si pauci sunt cælibes, & electi, & elevati, perfectique, multò rariores sunt (ceteris paribus) nuptiis dati, qui sine contaminatione se custodiant.

C

Natura. Foves meam adversùs continentes querimoniam, dum continendi difficultatem causas; mecum quoque sentis quæ dixi, vix unum, vel unam de mille reperiri.

Sophia. Immò veriùs debilito, compescoque, dum castitatem in cælibatu faciliorem trado, dum possibilem in omni ætate, sexu, gradu, ordine (quamvis difficilem) multis ipsam prædico: alioquin peccatum non haberent, aut ad impossibile tenerentur. Viderint qui non credunt, si omnibus in commune non uxoratis detrahunt perversa, temerariaque dijudicatione proximorum, etiam in matrimonio conjunctorum, quos & quas esse constat frequenter mutuò separatos per tempus, & per tempora, & dimidium temporis, vel distantiâ locorum, vel impedimento morborum, aut Religionis Sacramento. Quos si continere dixeris eos tunc posse, cur non & cælibes tanto spatio saltem poterunt idem, immò proniùs ex deductis? Eos verò si suspicatus fueris per incontinentiam superari, damnas omnes, teque ipsam, tuosque domesticos, parentes & alienos. Itaque regrediendum est ad hanc veritatem, quòd sub rationis imperio est sensualis appetitus, & carnalis executio; difficultate, vel inclinatione nitente in contrarium, non obstante. Ad quod astruendum valet responsio Hyppocratis secundùm aliquos, vel secundùm alios, Socratis, quem

D

dùm physionomiâ inspectâ, diceret physionomus corruptorem esse puerorum, discipulos volentes irruere in eum compescuit dicens: *Sum, sed contineo.*

Natura. Modestè, civiliterque persuades. Sed quid de multitudine dicis uxorum.

Sophia. Nolo putaverit aliquis, multitudinem uxorum (dum etiam legaliter multis fas esset uti) libidinis ignem, furorem, fomitem, tyrannidem excutere,

A

sed crebriùs in malum augere. Docet hoc spurcissima Saracenorum secta, quos à fœdissimo & à te, Natura, damnato masculorum concubitu, pluralitas uxorum non avertit; sed invertit, pervertit & subvertit. Quid insuper de Romanis scripserit Apostolus noster in Epistolæ principio; quid ipsi Poëtæ sui cecinerunt; quid Historici narraverunt de muto hoc vitio, cognitum est. Quo palàm fit, venereum furorem plùs cedendo, fugiendoque vitari, quàm utendo. Habet proindè castitas heroïca Deum finem, quærens expeditum à mille sollicitudinibus animum, quibus nequaquàm caret conjugium. Fit proximior Deo, fit auxilii sui capacior: eam idcircò licet, decet & expedit amplecti.

Natura. Cur non utuntur corporali castratione, qui mentalem eligunt servare perpetuam. Tunc itaque nec ipsi peccarent concupiscendo feminas, nec eas in peccatum traherent, & à suspicionis macula de consortio mulierum manerent immunes.

Sophia. Multùm aliter sentit unus de meis, dicens, quòd *Concupiscentia spadonis devirginavit adolescentulam virginem.* Eccli. XX. 2. Apud Comicum insuper dicuntur amatores esse mulierum maximi, verùm nihil posse. Adeò verus est sermo Magistri nostri, quòd *ex corde procedunt adulteria, fornicationesque*, Marc. VII. 21. torpeat quàmvis corpus. Ceterùm nefas est, autoritate propria se castrando mutilare, sicut & se occidere, præcipuè dùm non servatur indè totum corpus, sed debilitatur, alteratur, vitiatur; undè consequenter anima passiones morbidas subit, & in moribus tetras. Neque in hoc Origenis mei probatur exemplum, vel zelus, *non secundùm scientiam* Rom. X. 2. castitatis, se carne castrantis.

Natura. Quid agat igitur adversùs stimulos carnis integer corpore, si talia patiantur mutilati.

Sophia. Arbitrium in eis liberum cùm timore Dei configit carnes eorum sagittis gratiæ potentibus, *cum carbonibus* virtutum *desolatoriis*, Psal. CXIX. 4. si quærantur bona fide, & toto corde remedia furoris hujus, quæ plurima sunt, & præcipuum fuga inertis otii, quod vidit qui ait:

Otia si tollas, periere Cupidinis artes.

Adsit sobrietas, familiaritas absit.

Natura. Certè non meum est audire modò generationem cohibentia, cujus est incentiva procurare. Te transfer ad alia, si qua supersunt, quæ post aliquantulam, si vis, pausationem prosequere.

ACTUS QUARTUS

PRINCIPALIS

Tractans de Castitate divinali.

SOPHIA.

AN satis ô Natura soror, pausatum est?

Natura. Satis.

Sophia. Terminemus ergò quod super est.

Natura. Terminemus expecto.

Digitized by Google

Sophia. Hactenùs in actione superiori triplici versata est oratio nostra, quasi præparatoria pro quarto hoc (qui & ultimus est) actu potissimùm intento; non supergressi sunt termini capacitatis tuæ. Nunc in altiori suprà, non contrà te regione colloceris oportet, ubi de Christianorum moribus, ac ritibus agendum est, qui non tua traditione, sed mea per Deum, & ex Deo, supernaturali sunt revelatione suscepti.

A *Natura.* Hoc tantò mihi facilius erit, quantò causam unam esse præstantissimam, optimam, & supremam non dubito. Est enim vox mea apud omnes talem esse quam appellant Deum, de qua post inquisitionem solertissimam dixisse fertur Aristoteles meus: *Inveni te causam primam, fac me tibi placentem.* Demùm quæ gens tam effera, quæ natio tam barbara, quæ non aliqua Religione teneatur? At verò quis, & qualis sit verus cultus, per revelationem specialem aliter quàm ex creaturis meis acceptus, fateor super me est (non ut benè dicis) contrà me est.

Sophia. Da te interim mihi, meæque fidei, credens, ut intelligas unicum Christianæ Religionis verum esse cultum Dei nostri.

Natura. Credo, quatenùs ad intelligentiam docendorum per te pateat via.

Sophia. Collocabimus ergò principium docendorum, ubi dictorum finis fuit. Istam quippe Legem esse divinitatis, ut supremum inferiorum jungatur principiis superiorum, tradit ille magnus olim tuus Areopagita Dionysius, quem prædicatio cum miraculis meum fecit & extulit. Diximus de heroïca castitate, quam non adversam tibi, nec impossibilem monstravimus. B

Natura. Monstrasti confiteor.

Sophia. Conjungitur huic in ascensu castitas divinalis, prout moralem heroïca sibi sternit castitatem.

Natura. Castitas hæc divinalis qualis est, & quid superaddit, edissere.

Sophia. Ritè petis. Et quidem ex finis consideratione cognosces. Nam moralis castitas habet proximum finem, se continere secundùm dictamen rectæ rationis per te naturam hominibus inditæ. Ast heroïca tendit altiùs, in primam causam se revolvens & exaltans. Divinalis verò finem attingit eundem, qui Deus est, sed eminentiori modo, propter tria præcipuè. Primò, quia voto firmatur. Secundò, quia Fide, Spe, Charitateque dedicatur Christo, qui simul in unum Deus & homo est, Dominus, & proximus, frater, amicus & sponsus. Tertiò quia Sacro sanctis mysteriis hæc castitas applicatur. Propter hæc tria plurimùm distat hæc castitas à castitate Idololatrarum. Fuerunt quippè virgines inter eos dæmoniis, ut Vestæ, & Palladi, & Telluri, non Deo sacratæ, immò execratæ, sic & apud diabolicos Manichæos. Porrò moralis castitas est velut incipientium & purgandorum. Heroïca velut perficiendorum, & illuminandorum. Divinalis tertia, tanquàm perfectorum in æterna beatitudine consummandorum. Talis esse debet castitas Ecclesiasticorum, præsertim Sacerdotum, & maximè Prælatorum. C

Natura. Debet esse, dicis, sed an sit, tu videris, ô Sophia.

Sophia. Nondùm agimus de castis, sed de castitate, quam absolutè consideratam personalis abusus non sordidat, aut violat, sed effugat, quemadmodùm te Naturam vitia quantùmlibet enormia, qualia nominantur fieri contrà te, non te polluunt, quin digna jugi veneratione subsistas. Convenio te nunc igitur, an, præsupposita Fide, laudabilis tibi sit hujusmodi castitas divinalis? Quid differs? Quid mussitas? Si castitatem heroïcam convincit apertissima ratio te laudandam concedere; quo pacto superesset aliqua dubietas de præconio castitatis divinalis, qualis descripta est vota Deo, dicata Christo, dedita cultui sacro? D

Natura. Vincor veris, nec effugium video, si non ad abusus culpandos querelam meam receperis.

Sophia. Abusus ego non minùs quàm tu culpo, criminor, abominor, damno. Verumtamen dic, quales reperis intolerabiles in castitatem professis exhorbitationes. Sunt quippe nonnulla, quamvis vitiosa, locis temporibusque, & personis toleranda: alioquin tollantur omnia bona, tam tua, quàm mea necesse est. Quoniam nulla sunt, quibus non contingat abuti. Cognoscit Deus figmentum humanum, scit homines circundatos infirmitate à summo usque deorsùm, ideò propitiabilis est super malitia.

Natura. Jure mihi, tibique displicibilis esse debet tanta multiplicatio indignorum, tanta frequentatio prævaricationis votorum, tanta contaminatio Sacrorum, mearumque Legum horrenda perversio, maximè cùm videas ipsa tot scelera, flagitia, iniquitates, peccata, delicta, abominationes quas vel nominare, vel etiam cogitare turpe est, in meum reverti propaginis debitæ præjudicium. Hinc regiones vacuæ derelinquuntur absque habitatore. Hinc cultus tuus iste Christianorum penè deperditur, multiplicatis per generationem hostibus suis, Ethnicis & Saracenis. Subindè quid obesset novi Legi tuæ plusquàm veteri, similiter tuæ, si honestissimo Matrimonii Sacramento Ministri Religionis uterentur? Nunquid sapientior, aut sanctior, quàm olim, effectus est Deus? Fuerit ipse Christus Virgo, fueritque natus de Virgine virginali desponsata viro, fuerit præfiguratus in virginitate Jeremiæ & Eliæ, suaserit ipse virginitatem paucis qui capere possent idoneis. Undè, quæso, Præceptum ortum est, ut non solùm jam sit castitatis consilium, & hoc sine delectu juvenilium personarum, & adolescentularum, immò puerorum, puellarumque, sub velo Religionis, quorum quarumque mille furores, aut similium esse, dicit Horatius? Quid de provectioribus, quos incontinentes fuisse priùs ambigit nemo, nec fortè posteriùs continentes sperat ullus? Vincit indignitas rei meam certè conquestionem, quæ longè plus operibus se loquitur, se clamat, & prodit, quàm meis posset vocibus, nisi spontè quis obsurdescat.

Sophia. Si tam acerba fers animositate facinora voventium castitatem. Respice quæso, respice trabes ingentes defectuum in oculis, atque colluviones fœtidissimas in omnibus membris generationi vacantium. Sed quia non aptè probrum probro diluitur, ad id respondeo, quòd quæris amariùs, an sapientior fuerit Christus Filius in nova, quàm Pater in veteri Lege. Eadem, crede mihi, prorsùs eadem fuit sapientia, quæ ad perfectum duxit imperfectum, pueritiam ad perfectionis ætatem, timorem ad amorem, & spiritus libertatem. Porrò cur non inspicis in Sacerdotibus veteris Legis quanta super alios sanctitatis, quanta castitatis imponebatur arctatio? Uxorem non nisi virginem, non nisi semel & unicam, non repudiatam, non sordidam, fas erat accipere. Vacabant ab uxorum quolibet amplexu tempore vicis suæ, sub mortis interminatione: si moriebatur uxor in adolescentia, continendi necessitas incumbebat. Et quoniam assiduè nostri Sacerdotes sacris occupantur mysteriis, quid divinius, quàm ut continua polleant castitate? Vacant Legi Dei, quam ab eorum populus ore requirit. Hæc autem Lex sicut immaculata est, immaculatum speculatorem, Doctoremque vult. Quod si Græcorum Christianorum opponitur Conjugium. Fortassis ideò privati sunt illa quâ præditi fuerant Legis peritia, & in varios jam suprà modum corruerunt errores dissonos Romanæ, veræque pietati. Quid! quòd apud eos vigent adhuc Calogeri Monachi cælibes sub regula magni Patris Basilii, quos ferè solos de Clero populus habet in pretio? Huc accedat, quòd ministri gratiæ revelatæ fiunt per electionem, non hereditariam, ut olim, successionem. Debent insuper liberiores quàm olim, à sæculari servitute vivere. Debent rursus in re familiari minùs esse solliciti, deditique minùs avaritiæ, seu rapinæ thesaurizare volenti pro filiis, & filiabus, instar Judæ, quinimmò pro nepotulis, quos unus è Pontificibus

datos

datos à dæmonio loco filiorum quos Deus subtraxerat ab Ecclesiasticis, querulus loquebatur. Attende, quæso, quemadmodùm hæc tria, quæ sunt electio, libertas, vacatio, fundant rationabilitatem cælibatus perpetui Sacerdotum, juncto, quòd nullus ad votum, sicut nec ad Sacerdotium cogitur; nullus antè discretionis Annos, dum est arbiter sui; nullus, qui non auxiliante Domino, sine quo nihil facere possumus, votum suum possit implere. Tantummodò voluntas bona adsit cum gratia, nec ei desit, vel obex sit arbitrium. Quod si cadant aliqui, præsto est per pœnitentiam sublevator Deus. Denique, ô Natura, ne glorieris, adeò magnificans multitudinem hominum, quomodò melior est unus timens Deum, quàm mille filii impii. Maximè si timor sit conjunctus animæ continenti, cujus non est condigna ponderatio, quæ *diligens munditiam propter gratiam labiorum, habet amicum Regem* Deum. Prov. XXII. II. Adde quòd virginitas implet cœlum, fæcunditas carnalis mundum. Denique tuus Aristoteles politias instituens, notavit moderatam debere esse puerorum multitudinem: quod à nonnullis accipitur, quasi necandi sint superflui; quod practicasse Græcos, Comicus aliquando insinuat. Verùm rectiùs intelligatur, ut sit hominum pars generationi non intenta, vacans altioribus. Solvitur perindè quædam tua oppositio de virginitate, quia non medium tenet, sed extremum. Tenet utique medium quoad nos; quoniam abstinet quando oportet, & quantùm oportet, & ubi oportet, omnium circumstantiarum qualitate pensata, prout sapiens judicabit. Quamobrem parce iræ tuæ, soror Natura, solerter animadvertens, quòd per cælibatum salubriter provisum est statui Ecclesiasticorum de beneficiis viventium. Quibus si darentur uxores, si liberi nascerentur, quis post eorum mortem suas pasceret uxores, & filios? Non successor in Beneficio, quod sibi vix sufficit; non alius, si non casualiter: & ita mendicitate vilescerent, vel inedia, fameque perirent, attento & hoc, quòd Sacerdotes multi sibi soli vix vivere satis habent, quid si familiam addideris sumptuosam?

Natura. Parcam iræ, ô Sophia. Vis igitur, ut siccis oculis, duro corde, visceribus congelatis, sine compassione, sine pietate, præteream silentio tuarum, mearumque prævaricationes Legum multiplicatas super numerum.

Sophia. Nolo equidem, sed pari fœdere tu mecum provisionem implores accommodam.

Natura. Quem inveniam, misera, consolatorem? quis tantis feret opem malis? Cur creata sum, videre tanta mala meæ sublimis creaturæ? quæ nunc cladibus, & pestilentiis infecta deperiit, nunc bellis horridis attrita corruit, nunc per non usum, vel abusum virtutis generativæ prorsùs naturalissimæ, divinæque, & perfectæ, quasi sterilitate consumitur, & arescit.

Sophia. Desuper est providus super omnia Deus, communis mihi, tibique Pater, Creator, & Rector; sperandum de sua misericordia, cujus copiæ non est numerus, petendum est ejus subsidium, quærendum, pulsandum. Denique Principes populorum, dùm erunt congregati cum Principe summo, Vicario Dei Abraham, commonendi erunt, orandi, contestandi ferre præsidium rebus lapsis, hominum defectus reficere, deformata reformare, nominatim circà tot propaginis obstacula, non afferentia Deo gloriam, non Ecclesiasticæ Religioni decorem, propter tria quæ tuæ miscuitti querimoniæ. Quorum unum est, nimia voventium, maximè adolescentium multiplicatio. Alterum, creberrima votorum, sine fructu legitimæ prolis, effractio. Tertium, contaminatio Sacrorum, tuæque constitutionis abominanda subversio.

Natura. Cur non adjicis, tollendum esse votum à Sacerdotio, cùm non sit ei divina, & essentiali, ut inseparabili societate connexum, quicquid sit de Monachis?

Sophia. O quasi stet in non vovendo tota reformatio, quasi non peccent uxorati. Sed nec refert magnoperè, si votum nequaquàm sit annexum essentialiter Sacerdotio, postquàm ità conjunctum sibi est, ut omnis illud suscipiens nedum voveat, sed votum etiam solemnizet Matrimonium dirimens jam contractum, non minùs quàm in Monachis. Sed nec plus habet dispensabilitatis unum, quàm alterum, nisi quòd facta Monacho dispensatione desinit esse Monachus; quoniam status importat tria vota de sui ratione. Sacerdoti verò concessâ dispensatione voti, Sacerdos tamen manet. At verò hìc non versatur reformatio principalis, sed per alia media, qualia nunc, & hìc aperire non est consilium. Hoc dicimus, quòd de duobus malis minus est incontinentes tolerare Sacerdotes, quàm nullos habere. Sicut abutimur bonis Dei, sic utitur ipse malis nostris ad electorum salutem, nominatim in Sacramentorum ministratione, quod olim figuratum est in pastu Eliæ per corvos, in quibus peccatorum nigredo figuratur. Non expectet aliquis, quòd area Dominicæ ministrationis tanta possit sollicitatione purgari, quin plures sint paleæ vitiosorum, ut luxuriosorum; inter quos latent, & foventur tanquam grana purissima, cultores castitatis. Quis scit, si plures nunc Ecclesiastici custodiant in cælibatu castitatem illibatam, quàm si juncti conjugio maritalem integrè conservassent. Quis nesciat, in multis, & de multis desiderabilibus facilius esse totaliter abstinere, quàm usum moderari? Vidit hoc Epicurus assertor voluptatis, qui teste Seneca dicit: *Vis dives fieri, non divitiis adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum; similiter in omnibus ejusmodi.* Vis voluptuosè vivere, non voluptatibus adjiciendum, sed cupiditatibus, & concupiscentiis detrahendum, adeò vel divitem, vel voluptuosum fieri, non in exterioribus situm est, sed intrà nos. Quid! quod non humana præsumptione regitur Ecclesia, sed Spiritus sancti directione? Prout omnia tempus habent; fuit Ecclesia primitùs sine dotatione temporalium, qualiter postmodùm per Silvestrum, & alios Sanctissimos Spiritus sanctus largè dedit: sic aliquando per conjugatos regebatur Ecclesia, ut in antiqua Lege, nunc per cælibes in nova. Concludimus tandem, nos intereà contentos esse debere remediorum postulatione, qualia, qualiterque tetigimus, ut tranquillè, concorditerque maneamus sororeo nexu junctæ, Natura cum Sophia.

Natura. Fiat, precor, ità.

Explicit Tractatus de cælibatu Ecclesiasticorum, compilatus Lugduni 1. Junii 1423. Fertur à quibusdam sibi notis hunc Tractatum una die composuisse. Nam cum Dominus Guillielmus Saygnet miles, edidisset quoddam Opusculum ut Latini Sacerdotes nuberent, tradidissetque memorato Doctori quid super his videretur sibi respondendum, in crastino hunc Tractatum Theologicum exhibuit.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS DE TEMPERANTIA, IN CIBIS, POTU, & VESTIBUS PRÆLATORUM,

Ad MSS. Codd. Vict. 180. & 694.

JAM in una priori lectione absolvi, sicut potui, dubitationem non mediocrem super abstinentia perpetua à carnibus, an licita sit apud solitarios Religiosos imitatores Joannis Baptistæ in eremo.

Digitized by Google

mo. Vellem nunc ſub compendio majori ſimiliter elucidare, qualis temperantia in cibis, & potibus, in veſtitu, & ceteris, aut neceſſaria ſit, aut congrua Prædicatoribus, aut Prælatis, quorum eſt officium inſtar Joannis præire *antè faciem Domini parare vias ejus, ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus.* Luc. I. 76. 77. Ad hanc dubitationem ſub unica concluſione reſpondeo. Expedientius eſt, & efficacius, Prædicatorem, & Prælatum declinare ad auſteritatem vitæ, & parcitatem in veſtibus, in cibis, & potibus, & paucitate ſervitorum, & ſimilibus, quàm hominibus ſæcularibus in talibus conformari. Et in primis ſi attendimus vitam Chriſti, quæ noſtra eſt inſtructio; ſi præterea Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum exempla recogitamus, perſpicuum eſſe debebit apud Chriſtianum id quod dicimus. *Fateor*, (inquit diſcretiſſimus Auguſtinus) *fateor, de pretioſa veſte erubeſco; non enim decet hanc profeſſionem, non hanc monitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos.* Et arguo ſic inquiſitivè. Pompam in veſtibus, in ferculis, in ſervitoribus, aut quærunt Eccleſiaſtici ad placendum Deo, vel ut proficiant proximo, vel ad Eccleſiæ honeſtatem, & autoritatem: quidam enim ad aliquam harum rationum confugiunt.

Non primum, ut placeant Deo, quoniam verum eſt illud Hieronymi, *Non tenera veſtis, ſed munditia mentis ornatum facit Clericorum.* Conſtat inſuper, plùs placere Deo opera pietatis, in quibus poſſunt expendi ea quæ talis pompa requirit. Si quæris igitur plùs Deo placere, opera Deo magis placentia facito; alioquin apud te mentitur iniquitas ſibi, quòd jam non ſoli Deo magis per talia placere contendis; ſed vel tibi, vel mundo.

Si quærunt Eccleſiaſtici per talia proficere proximis & ſubditis; videant, obſecro, ne turpiter fallantur, & tota (ut aiunt) via errent. Plus enim ſcandalizat pompa Clericorum ipſos laïcos, tàm Principes, quàm alios, quàm ædificet. Plus ad indignationem, & murmur, & invidiam eos concitat, quàm ad amorem; & plùs augent in eis avaritiam, & ſuperbiam, quàm extinguant. Debet autem eſſe officium Clericorum, monere ſubditos verbis, & exemplis ad virtutum exercitia, humilitatem, frugalitatem, & ſobrietatem. Porrò non habet opus iſta pars allegationibus Scripturarum ut doceamus pompam Eccleſiaſticorum eſſe in ſcandalum laïcorum. Interrogetur experientia, & magna voce clamabit: Ita eſt, nihil verius eſt. Nam undè fuit tanta Principum, & ſæcularium devotio apud antiquos Eccleſiaſticos, pauperes, & pannoſos? Undè tantus honor, tanta reverentia, tantus cultus? Utique quia pompas tales nihilipendebant. Idcircò tanquàm apud bonos & fideles diſpenſatores, copioſiſſimè eis miniſtrabantur divitiæ, qui poſtquàm inſoleſcere, & eis abuti cœperunt, in contraria verſa eſt prior largitio, dico, in direptionem, & contemptum. Audivi his auribus unum ex Principibus noſtri temporis præcellentem, coram quò dùm fieret ſermo de refrenatione & moderatione pomparum ſtatuum in regno Franciæ nimis exuberantium, & aliarum expenſarum, propter quas niſi proviſum fuerit, fraudes, rapinæ, & injuſtitiæ, & odia, & ſeditiones, ſaltem occultæ fiunt, propter quæ omnia, teſte Sapiente, *regnum de gente in gentem transfertur.* Eccli. x. 8. Reſpondit indignabundus Princeps ille: Incipiant Eccleſiaſtici, apud quos tota pompa eſt, tota ſuperbia, & in veſtibus, & in prandiis, & in omnibus; & de ſingularibus facta eſt tunc narratio, ubi quæ ad honorem ſuum Eccleſiaſtici videntur agere, illa in magnam eorum, & ſuæ Eccleſiæ contumeliam, & probrum, commemorata ſunt; prandia loquor, & cetera prodigalitatis facinora. Si verò dicant Eccleſiaſtici, quòd talia non agant ad ſuperbiam ſuam, vel excellentiam; ſed ut conformentur illis apud quos vivunt, & ut erubeſcentia videtur, niſi honorabiliter ſint inter proximos & alios, immò quod amplius eſt, ut non ſcandalizent eos tanquàm ipſi ſint avari, vel hypocritæ ficti, niſi ſecundùm tempora temporaliter ſe habeant, & moribus aliorum conformes ſint. Videant obſecro, ſic dicentes, primùm, ne contrarientur huic Præcepto: *Nolite conformari huic ſæculo.* Rom. XII. 2. Ne præterea ipſi, quorum intereſt errores aliorum corrigere, in ſimiles, aut pejores ruant,
A dùm eos non emendare, ſed imitari volunt. Itane videlicet, ſi omnes ſuperbi facti ſunt, avari, diſſoluti, prodigi, & reprobi; ipſi Eccleſiaſtici, ne diſſimilitudine ſua eos offendant, paria vitia ſectabuntur? Abſit. Imitanda potiùs eſt humilitas Chriſti, non exhorrenda, nec erubeſcenda vilitas, quæ propter eum in ſuipſius dejectionem ſuſtinetur.

Ceterùm cùm addunt, ſibi præcavere, ne de avaritia, & hypocriſi notentur, ſi fuerint in talibus pompis parciores ceteris. Eſſet hæc evaſio colorata, ſi non eſſet modus rationabilis, & pius, & juſtior, per quem hanc ab hominum cordibus æſtimationem abolerent. Fateor enim, & ſic eſt, oportere viros Eccleſiaſticos tollere, quantùm commodè poſſunt, omnem ab eis avaritiæ, & hypocriſis ſuſpicionem, ſi prodeſſe ſubditis voluerint. Verum quippe eſt illud Auguſtini, quòd *Bonam conſcientiam Deo, proximis verò famam bonam debent, & in hoc crudelis eſt qui famam ſuam*
B *negligit.* Quòd ſi quis ex Prælatis ſibi parcè vivat, pompas omnes abjiciens, vel abhorrens; theſaurizet nihilominùs, & extorqueat undecumque pecunias, reddit ſe, non negabo, contemnendum longè ampliùs quàm ſi talia ſpargeret. Similiter ſi facinoribus peſſimis abundat, nec aliqua non dicam liberaliter, ſed prodigè & pompaticè virtute polleat, niſi quòd temperantiam iſtam exteriorem moderatiorem oſtendit, judicabitur rationabiliter fermentatus *fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Luc. XII. I. Dicetur nempe, iſtam pompam extrinſecùs negligere, non ad humilitatem, ſed tenacitatem; non ad virtutem, ſed ad celandum qualicumque modo vitæ ſuæ turpitudinem; vel denique ſic, ut lucroſiùs, atque liberiùs ſubditos ſeducat, ſeductoſque licentiùs ſpoliet, laceret & perdat. Quid igitur acturus eſt Prælatus, ne ſubditorum morſibus pateat tanquàm avarus, ſeu tenax, ſordidus, aut fictus, ſi non lautè, vel uſitata aliorum prodigalitate vixerit, ſi non Eccleſiaſtica bona in uſus profanos diſſi-
C paverit, in veſtibus, & prandiis, in familiaribus otioſis, & dyſcolis; & quid, inquam, acturus eſt? Reſpondeo ſub una veritate ſatis notanda: vir Eccleſiaſticus, præſertim Curatus, vel Prælatus, non ſolùm poteſt licitè dare in publico eleemoſynas ſuas, & antè ſe tuba canere, hoc eſt, ſe manifeſtare cùm facit eleemoſynam; ſed etiam ad hoc agendum obligatur pro loco, & tempore, tanquàm in exemplum poſitus aliorum, & velut lucerna ardens *ſuper candelabrum, ut omnibus luceat, qui ſunt in domo* Eccleſiæ ſuæ. *Matth.* v. 15. Si autem egerit hoc, tollet omnem ſuſpicionem tenacis avaritiæ; quando monſtrabit operibus quòd ſibi parcus eſt, ut aliis fructuoſiùs largiatur, & bona Eccleſiæ recipit non ut rapax conſumptor, ſed ut pius diſtributor. Cognovi unum, qui plerumque diſtribuebat aliqua in publico ſub hac intentione, qui non dediſſet in occulto, nec errare putandus eſt. Sed errant planè qui Prælatos quoſdam laudare ſe credunt, cùm dicunt, eos
D nihil dare in oculis hominum, ad evitationem vanæ laudis: nam ad dandum publicè Præceptum habent, quod aliis eſt conſilium. Dicet ſtatim aliquis, ſententiam hanc contradicere verbis Chriſti, quibus nos inſtruit dicens: *Cùm facis eleemoſynas; neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Matth. VI. 3. Et iterùm: *Noli tuba canere, ſed da in abſcondito, & Pater tuus qui videt in abſcondito, reddet tibi.* ℣. 2. 4. Ita eſt, ſicut jubet Chriſtus: jubet nihilominùs, ut luceant opera noſtra bona, ut glorificent Patrem noſtrum qui in cœlis eſt. *Matt.* v. 16.

Digitized by Google

v. 16. Et fortassis invicem adversari putarentur hæc duo mandata, si non ex locutionis circumstantia pateret concordia. Vult quippe Christus, ut opera nostra fiant, & in abscondito, quoad intentionem non captandæ laudis propriæ; & in publico, propter augmentationem in proximis divinæ gloriæ, sicut dicit Gregorius, *quòd sic fiat opus in publico, quatenùs intentio maneat in occulto.* Scio, & benè scio, quòd istud plurimum habet difficultatis apud non exercitatos in virtutibus, & qui nondum didicerent humiliter sapere, & humanæ gloriunculæ favores despicere: propterea apud eos, qui non habent ex officio prodesse ceteris, plerumque tutius est, atque consultius occultare bona sua ab oculis hominum, quatenùs eadem tegere possint, & conservare à surreptione & flatu inanis gloriæ apud Deum; incredibili siquidem facilitate exufflat ventus superbiæ eleemosynæ fructum à manu dantis eam in conspectu aliorum, nisi fuerit manus hæc per humilitatem priùs solidè clausa contrà talem superbiæ ventum. Propterea videte, quæso, in quantis se perplexitatibus involvunt, & quomodò ponunt in rete pedes suos Prælati, præcipuè qui aliorum gerendorum suscipiunt curam, priùs quàm solidati sint in virtutibus, maximè in humilitate; quoniam obligat eos susceptum officium, ventilare, & exponere opera sua bona ad auram publicam, sicut eleemosynas, prædicationes, & cetera pietatis officia. Sunt enim in loco constituti, non acquirendæ perfectionis, sed exercendæ. Ideò jussione Apostolica prohibetur *neophytus* ordinari, *ne in superbiam elatus*, &c. 1. Tim. III. 6. Tamen tales Prælati inexercitati, si agere ista tentaverint, vix, aut nunquàm evadunt præcipitium, foveam scilicet elationis, & tumescentis superbiæ. Difficile quidem est illud benè agere quod non antè didiceris. Et si hoc in omni arte verum est, maximè tamen in arte artium, quæ est benè vivendi, ad regimen animarum. Ad hoc propositum exponit Gregorius de quibusdam Prælatis illud de Job prællegatum: *Immisit in rete pedes suos, & in maculis ejus ambulat.* Job. XVIII. 8.

Ex prædictis concludamus, non oportere viros Ecclesiasticos consumere bona Ecclesiæ in pompaticis usibus ad evitandam notam avaritiæ. Sunt quippe modi alii, per quos melior, & sanctior fama quæri potest. Porrò si vir Ecclesiasticus in reliquis benè vixerit, pudicè, justè, & piè, nullo modo generabit suspicionem de simulatione sanctitatis sibi parcè vivendo; augebitur potiùs fama sua, & erit odor bonus bonis. Ceterùm apud quosdam malignantium, & omnium quantumcumque sanctè facta calumniantium, linguisque maledicis semper loquentium iniqua, nullus proficere potuerit, quin gloriam sequatur invidia, & invidiam mala detractio. Sed talium contemnendus ipse contemptus, nec extimescendum scandalum, *quoniam cæci sunt, & duces cæcorum.* Verba Christi sunt ad Apostolos. *Matth.* XV. 14.

PERTRACTEMUS tertiam rationem quam aliqui, pompas suas excusare volentes confingunt. Agimus, inquiunt, talia, non quòd in corde nostro sit superbia, non ad extollentiam oculorum, sed utimur his *tanquam non utentes*, 1. Cor. VII. 31. ut Ecclesia per hoc cum servitoribus suis honoretur, & honorata magis magisque revereatur, & sit ejus efficacior autoritas. Verùm attendant sic dicentes, primò quòd honor dari debet in testimonium virtutis, non propter exteriores divitias, vel ornatum. Inducunt ergò causam erroris ad populum, qui propter pompas movent eos ad honorandam Ecclesiam cum servitoribus suis, quoniam propter virtutem, & bonorum futurorum adeptionem, potiùs debent venerari: alioquin Christus, & ejusdem Apostoli non sufficienter ornassent Ecclesiam, & honorassent, quando talia in se contempserunt, & aliis spernenda sua ferunt. Undè & Jacobus inculpat eos, qui honorando divites *in aureo annulo & veste fulgida*, Jac. II. 2. spretis pauperibus personas accipiunt. Et Bernardus ad Eugenium *Lib. de Consideratione.* „Tu Pastor procedis deauratus tam multâ circundatus varietate, oves quid capiunt? Si auderem dicere, dæmonum magis, quàm ovium pascua hæc. Sic faciebat Petrus, sic Paulus suadebat? Item Petrus nescitur aliquando processisse vel gemmis ornatus, vel sericis, nec tectus auro, vel vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumseptus ministris, absque hoc tamen credidit satis posse implere salutare Mandatum: *Pasce oves meas.*„ Joan. XXI. 17.

Rursùs si viri Ecclesiastici talibus utuntur pro solo honore Ecclesiastici status; quâ ratione dimittunt ipsi tam magnam partem Sacerdotum Curatorum in statu tam inculto, tam infimo, & plebeio; immò, qua temeritate ipsos spoliant, & denudant? Ampliùs dictum est, quòd apud seculares Principes, & alios, plùs irridetur ista pompa, quàm in honore vero teneatur, immò & pauperes minùs audent ad tales accedere pro petendo consilio, aut Confessione facienda, & sic de similibus, qui & videntes eos in otio splendidè conversari, seipsos autem egenos, & pannosos, laboribus jugibus atteri, remurmurant, invident, & detrahunt: quos si viderent in humilitate se gerentes, amarent, & eorum aspectu animæquiores fierent tolerare paupepriem sortis suæ.

Præterea sustentatio pomparum fieri nequit absque multis expensis quæ trahunt sæpè ad quæstus mercenarios, & rapinas injustas, ad fraudes, & curas graves, ad querelas insuper mordacissimas subditorum, propter infamem vitam servitorum turpissimorum, quos otium multa mala docuit, & nefanda scelera perpetrare compellit. Scitis verò quòd in Dominos redundant excessus, & improbitates servitorum.

Ceterùm sicut *qui tangit picem, inquinabitur ab ea* Eccli. XIII. 1. (Sapientis, immò experientiæ testimonio) & qui fovet in sinu suo ignem & colubrum, ardet & mordetur; sic difficile est apud multos & penè impossibile, ut inter superbos tales cultus & honores forinsecos conversentur, & non indè superbiant: nam *qui communicaverit superbo, induet superbiam.* ibid. Sed esto, quòd ipsi sint tanta stabiliti humilitatis radice, quales profectò rari sunt; cur de ipsa humilitate Christi erubescunt in publico? Cur superbiam ostendunt in opere, quam non habent in corde? Cur suis exemplis irritant, & scandalizant corda Principum, & sæcularium ad imitandum tales pompas, & prodigalitates quas ab eis totis viribus effugare deberent. Nullum prorsùs Regnum est tam opulentum, quod non per luxuriosam prodigalitatem, & nutricem ejus rapacem avaritiam, celeri labefactione dissolvatur, quemadmodùm tradunt Valerius, & Tullius; & si silerent, tamen maximorum Regnorum perditio in exemplum hujus est veritatis. *Abyssus* itaque expensarum *abyssum invocat* Ps. XLI. 8. divitiarum, quo fit, ut eveniat illud pueris decantatum:

Qui sua consumunt, cùm deest, aliena sequuntur.

Hinc fraudes, hinc doli, hinc injustitiæ variæ, propter quas *regnum de gente in gentem transfertur*, ut ait Sapiens. *Eccli.* X. 8. Quanta deinceps mala proveniant ex commessationibus Ecclesiasticorum crebris, atque superfluis, quis enarret? Unum prandium pro replendo ad gravedinem & nauseam tres, vel quatuor ventres, sæpè centum pauperes reficere sufficeret; celeriùs tamen consumimus, & perdimus unum francum in tali crapula, quàm damus unum denarium pro eleemosynis. Ibi detractiones, ibi ebrietates, ibi temporis damnosissima perditio, ibi contrà bonorum vitam, & omnem honestatem, immò sæpè contrà Catholicam veritatem, sub jocundi typo, infames sententiæ frequentantur.

Tur-

Digitized by Google

Turpiter ista fierent apud sæculares, turpiùs apud Ecclesiasticos omnes, sed turpissimè apud Prælatos, & Theologos nonnunquàm inveniuntur; adeò, ut jam de se proverbia quædam apud vulgus generaverunt suæ ebrietatis, vel crapulæ: Nam & cibi aliqui, & vina præcellentia, tanquam ab inventoribus, aut cultoribus denominantur, sicut dicitur: *Tortæ Jacobitarum, & vinum Theologorum*, &c. Adde quod plerumque invitantes alios ad convivia, gravibus expensis, & sollicitudinibus; invitati verò magnis dispendiis, A & vigiliis fatigantur. Ità refert Seneca docens ad Serenum *De tranquillitate animi*, cùm dicebat, *non ad cenam se iterum, sed ad eum qui pro hoc sibi nihil debiturus esset*. Postremò quid sunt viri Ecclesiastici, nisi quidam Eleemosynarii bonorum Ecclesiasticorum, & ipsorum quidem non domini, sed dispensatores; in quibus bonis hoc solùm pro se, & suis habent, quo contentari eos mandat Apostolus, alimenta scilicet & quibus tegantur. Definit ultrà Bernardus, quòd quicquid ultrà retinetur, rapina est, immò sacrilegium. Dura verò sententia contrà Ecclesiasticos, & eos qui thesaurizant, & qui in luxuriis variis, & impudicitiis conversantur, nihil dantes pauperibus.

Quocircà incidit hîc non mediocris quæstio, si Ecclesiasticus dispensans, immò dissipans in usus prodigos & injustos bona Ecclesiæ suæ, teneatur ad restitutionem; præsertim cùm dictum sit autoritate Bernardi, cui Hieronymus consentit, quòd *Quicquid Ecclesiastici ultrà parcum vestitum, & victum retinent, sacrilegium est*. B Si sacrilegium est, utique judicatur pejus furto: furtum verò restituendum nullus est qui ambigat. Similem quæstionem formant alii de Ecclesiasticis non deservientibus suis Beneficiis in Horarum persolutione, & aliorum obsequiorum impletione, propter quod datum est Beneficium. Nonne ea, inquiunt, restituere debent quæ tunc perceperint? Et fortè ad primum non potest dari simplex, & absoluta responsio. Sunt itaque aliqua bona commissa fidelitati Ecclesiasticorum, ordinata tamen, & limitata, vel à Jure, vel à Fundatoribus ad certos usus pios, ut quòd Episcopus uni debet Hospitali tales redditus, vel numerum aliquem egenorum sustentare: quo casu non est dubium quin omissio culpabilis istorum ad restitutionem obliget quoad Deum, & sæpè quoad Forum extrinsecum. Et in hoc est simile de Eleemosynario, qui ultrà stipendia recipit centum libras pro distribuendo pauperibus; si prodigè aliter exponat, peccat, & restituere tenetur. Si autem bona talia sint data generaliter, & indistinctè alicui Ecclesiastico, tam pro sustentatione sua, quàm pro exercitio pietatis; tunc potest hujusmodi Ecclesia- C sticus mediocriter uti illis bonis, secundùm decentiam sui status, etiam ubi nihil residui superesset. Qualiter verò æstimabitur hujusmodi decentia status, non potest sub universali regula definiri, sed æstimabitur in certa latitudine, prout sapiens judicabit. Et quoniam nimis afficimur ad nosipsos, & ad extollentiam oculorum nostrorum; tutius est, atque salubrius cuilibet Ecclesiastico declinare ad frugalitatem, & parcitatem status sui, ut aliquid relinquatur pauperibus. Tutius insuper est pauca sibi quærere, quæ videlicet satis sibi esse debeant, quàm in multis Beneficiorum administrationibus velle abundare; quoniam proculdubiò apud benè æstimantes illa non sunt nisi onera, & animæ pericula, ubi locum habet illa regula: *Cui plus committitur, ab eodem plus exigitur*. Undè si quis habeat D Beneficium, quo rationabiliter debeat contentari secundùm utilitatem quam affert, aut afferre potest Ecclesiæ, & ultrà hoc Beneficium aliud assumit, ipse cum hoc quod peccat, quòd per ambitionem accumulat sibi novum onus ministrationis quæ nunquàm, aut vix fit sine periculo infidelitatis alicujus. Nam *nunc quæritur inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*. I. Cor. IV. 2. Quòd si prodigè dispergat bona hujusmodi in alios usus, aut avarè retineat, ipse ultra scandalum quod aliis dat, profectò peccat graviter, & non minùs sæpè quàm sacrilegus. Sed quòd ad restitutionem teneatur, non auderem definire, & hoc propter illam obligationem vagam, & incertam, tàm in bonis, quàm in personis.

Similiter non æstimo certum esse quod ad secundam quæstionem, quòd Ecclesiastici non facientes servitium propter quod datur Beneficium, etsi graviter peccent, ad restitutionem sint astricti. Scio tamen, quòd tutius esset apud tales, ut de cetero vel renunciarent pluralitati Beneficiorum suorum, vel parciùs viverent solito; quatenùs in aliquo priores infidelis dispensationis offensas delere valerent. Ita locum hîc habet illud Augustini consilium: *Tene certum, dimitte incertum*. Ita denique concludamus, tùm ex prioribus causis, tùm nominatim ex hac radice, illam quam ab initio posuimus conclusionem, expedientius scilicet esse Prælatum declinare ad parcitatem, & austeritatem vitæ, in cibis, & in potibus, &c. & non erubescere paupertatem Christi, quàm laxare in his frena, & hominibus secularibus conformari, tantummodò benè vivat: In aliis affirmo, quòd paupertas & vilitas magis exornabit eum, & honorabit, quàm alios sua prodigalitas, atque superbia.

Hæc accedunt in MSS. Victorinis 180. fol. 116. col. 1. & 694. fol. 121. verso, ultimâ lineâ.

MUlta, & multùm moralia contrà pompas talium Ecclesiasticorum, & eorumdem excusationes, poterunt quilibet vestrûm invenire studiosius in compilatione illâ communi *De vitiis, & virtutibus*, in Tractatu *De Superbiâ*. Similiter de hâc materia tractat Gandavensis *quodlibeto secundo*, *quæstione ultima* & aliis quibusdam locis. Ista dicta sint pro eo quòd ponit textus noster ad commendationem Joannis Baptistæ Præcursoris Domini, qui erat vestitus pilis camelorum; *Matth.* III. 4. & notetur quòd non dicitur pellibus camelorum, sed pilis: propter quod meritò arguendus est error pictorum & sculptorum, qui Beati Joannis imaginem sic effigiant, quasi pellem crudam camelorum induerit, cùm picturæ sint litteræ vulgarium; dant ex hoc occasionem falsæ æstimationis apud eos, & emendatione opus habent.

Ceterùm de tribus aliis virtutibus Cardinalibus, de fortitudine Beati Joannis Baptistæ notata, de præcinctione lumborum, similiter de ejus prudentia, quam designare dicta est mellis comestio, longus haberi tractatus posset, ostendendo constantiam ejus erga colluctationes adversùs aëreas potestates dùm maneret in deserto, & adversùs Herodem dùm carcere clauderetur, enumerando posteà distinctum modum variandi doctrinam suam pro moribus singulorum: nam aliter doctis, aliter indoctis; aliter popularibus, aliter Legisperitis; & aliter stipendiariis militibus vitæ regulas impendebat, & in hoc ejus non solùm Prudentia, ut dictum est, sed Justitia collaudatur. Has verò tres virtutes, Fortitudinem, Prudentiam, & Justitiam, si ad Ecclesiasticorum instructionem traducere colliberet; videtis quàm uberrima prorsùs esset materia, & quantam super his defectuum congeriem liceret inducere, si damnare vellemus ea quæ nostris oculis in Ecclesiastico regimine quotidiè conspicimus inhabilia, fatua, & injusta.

Sed hæc lugubria nunquàm sufficientibus verbis, aut lachrymis deploranda transeuntes; frustrà enim surdis canitur, transferamus verbum nostrum ad id quod sequitur in littera: quidam Joannes prædicabat, *Marc.* I. 4. quid prædicabat? *Veniet*, inquit, *fortior post me*. Luc. III. 16.

Ad-

Digitized by Google

Dicit Chrysostomus quòd *noluit Christus simul prædicare cum Joanne, quoniam sufficiebat tantùm prædicatio Joannis ad instructionem populorum, & ne sua ejusmodi prædicationi derogare videretur.* Ubi moraliter edocemur, quòd non semper multiplicatio prædicantium Verbum Dei in eodem populo, aut Lectorum, aut Prædicatorum collaudanda est: tum propter schismata, & invidiam quæ de facili suboriuntur, dùm alius sic prædicat, alius sic, & fit de mutua comparatione multorum gravis grandisque nonnunquàm inter Auditores concertatio, & direptio curiosa; tùm prætereà Verbum Dei pro sui crebra nimiùm repetitione gignit fastidium, & apud Auditores vertitur in nauseam. Deberet ergo apud politiam Ecclesiasticam benè ordinatam cohiberi nimia mulplicatio Sermonum, aut sermocinantium, vel etiam lectionum, sicubi pullularet; benè enim jubent, qui dicunt, *ne quid nimis.* Neque sequitur, *hoc Bonum est, ergo quantò sæpius fit melius fit.* Verumtamen, scio, proh dolor, quòd apud majorem Ecclesiæ partem, immò ferè apud totam Ecclesiam, inopia prædicationis & doctrinæ magis extimescenda est, quàm repetitionis excessus; usque adeo, ut ipsi Prælati, qui Jure Officii suscepti hoc opus evangelizandi præ ceteris omnibus actibus frequentare deberent, non solùm omittunt illud, sed suo statu, suâque magnificentiâ indignum arbitrantur, quasi negotium sit aliàs sordidum, vile, abjectum, & solis inopibus, & miserabilibus personis conveniens; quod Officium tamen ipse Christus præcipuum exercuit, nec erubuit post Joannem assumere. *Veniet*, inquit Joannes, *fortior post me*, Luc. III. 16. Magna certè virtus humilitatis in Joanne, qui cum talis esset qui Christus credi posset, spontè se submisit, & latentem adhuc inter populorum turbam Christum extulit dicens: *Venit fortior post me*, sed quantùm fortior est? sic fortior, præcellentior, & dignior, quòd *non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*; Marc. I. 7. Modus est hic locutionis satis usitatæ, dum quis suam ergà alterum subjectionem profitetur, non sum dignus ait discalceare eum. Ex hoc textu volunt aliqui litteraliter inferre, quòd Christus ibat calceatus, sicut & in Actibus Apostolorum de Petro ejus successore legimus quòd caligas habuerit, & communiter intrant materiam de Mendicantibus, & controversiam magnam.

Sed planè sive Christus habuerit calceamenta pro intemperie temporis, sive aliter, sive mendicaverit pro humana necessitate, sive mendicando jugiter abstinuerit, parum refert ad stabiliendum, vel destituendum aliquem vivendi modum circà ista temporalia, quæ non sunt nisi quædam instrumenta benè agendi, & quibus fas est ad utrumlibet benè aut malè uti; nunc benè paupertate, nunc meliùs divitiis: puto tamen, imò scio, Christum in se habuisse illud quod sibi usurpabat Apostolus; *scio abundare, & scio penuriam pati*; Philip. IV. 12. & in hoc locum habere judico regulam illam Apostolicam; *qui manducat, non manducantem non spernat*, Rom. XIV. 3. & è contrà. Potest nempe quis secundùm regulam, & professionem Evangelicam, uti divitiis; potest & illas abjicere: tantummodò sit interiùs affectio pauper, & humilis. Contendere verò super his, & sibi blandiri de alterutro, seque aliis extollendo præferre, contentio est Pharisaïca, & pugna verborum, ad subversionem proficiens. Porrò Sancti Doctores verbum Joannis prædictum: *non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamenti ejus*, Marc. I. 7. aliter accipiunt in ministerio, ut non de calceamentis materialibus, sed de ipsa Verbi Incarnatione, quæ quodam modo calceamentum est ipsius Divinitatis, intenderit, ad quam comparationem non impertinenter ait de Christo Apostolus, quòd *habitu inventus est ut homo*, Phil. II. 7. secundùm hoc solvere corrigiam calceamentorum Christi, est unionis Verbi ad humanitatem vinculum, nexum, & modum reserare, seu manifestare, & elucidare: ad hoc autem plenè agendum se imparem, & inferiorem fatetur Joannis humilitas, dùm ait *non sum dignus*, &c. Marc. I. 7. Venerabilis Richardus de Sancto Victore in suo Libro *De Contemplatione, Parte quarta* ponit quæstionem hanc *Quare est unio humanitatis ad Verbum*, humanitùs indissolubilem, & usque ad tempora sua penitùs intactam; noli igitur mirari si dicit Joannes: *non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.* Luc. III. 16. Denique Beatus Joannes ex verbis suis, aliud in Christo quàm humanitatem puram agnovisse videtur; alioquin quomodò se non dignum diceret, etiam ad Christi pedes procumbere, *cujus*, inquit, *non sum dignus*: Luc. III. 16. quæ reverentia prostrationis adorationem Divinitatis facit intelligi, quoniam absque Divinitatis recognitione non est humanitas tali Latriæ cultu beanda.

Sed hìc oritur difficultas, quæ nuper in Aula disputabatur, & acriter diù inter Magistros nostros ventilata est, nec piget repetere; quoniam apud multos homines puros, ut sunt sancti Prælati, & Principes, fiunt ejusmodi prostrationes, & adorationes super terram; Igitur vel in eis Idololatria committitur, vel ex adoratione tali non concluditur aliquis esse Deus. Hic respondetur sub aliquibus propositionibus, & corollariis.

Prima: Eodem signo exteriori possunt honorari licitè Creator, & creatura; patet de genuflexione, de oratione vocali, & multis quæ Sanctis, & aliis impenduntur: ex quo mox concedo, non esse efficax argumentum ad divinitatem Christi demonstrandam id præcisè quòd dicit Joannes in textu *non sum dignus*, &c. Marc. I. 7. sed ex his cum aliis id sufficienter concluditur.

Secunda: Rationabile est, quædam signa propria relinqui, quibus solus adoretur Deus ut est sacrificatio exterior, ex qua non absque ratione conqueritur Augustinus, quòd nimiâ adulatione, vel imperitiâ, multa de cultu divino ad humanos honores usurpata sint, sicut dùm appellat se aliquis creaturam alterius, cùm thurificamus, & ambo genua flectimus coram hominibus, & multa similia; quanquàm possit ibi non esse peccatum, dum pia manet intentio quam usus excusat, quia scandalum non inducit.

Tertia: Idem actus elicitus exterioris cultûs, & reverentiæ, esse potest honor Dei, & creaturæ. Non absurdè putabunt hoc dici, qui quotidie audiunt eumdem esse actum quo diligitur & proximus, & Deus; usus scilicet, & fruitio. Ex quo manifestum est cultus istos, Latriam, Duliam, & Hyperduliam, non intrinsecâ realitate, sed variâ ratione distingui.

Quarta: Soli Deo propriè, & verè debetur honor, & cultus omnis regulatus; sicut ipse solus propriè, & verè potens est, Dominus est, Altissimus est, Sanctus est, bonus est; ex quo non improbabiliter elicio honorem, & cultum dici analogicè, respectu Dei, & creaturæ; quoniam principaliter, & primò convenit Deo, attributivè verò, & participativè, rebus creatis: & ita cultus, vel honor non dicitur purè de Latriâ, qui solius Dei est, & de Duliâ, vel Hyperduliâ, quæ respicit creaturam; puto nihilominùs oppositum esse probabile, quemadmodùm de amore dicimus.

Quinta: Sicut cultus licitus variè dicitur de Deo, & creatura; sic suo modo cultus illicitus, qui Idololatria dicitur varias habet rationes; ita quòd reverentia talis quæ soli Deo debetur, si attribuatur creaturæ tamquàm sit verus Deus, Idololatria est propriè dicta; dùm verò adoratur, aut colitur aliquod ens alio cultu cujus non est particeps, sicut verbi gratiâ, dum exhibetur honor Dæmonibus, vel Idolis, qualis datur Sanctis, est hic Idololatria per analogiam, &

Digitized by Google

& attributionem dicta, quando scilicet non intenditur, quòd Dæmon, aut Idola, vel lapides, sint omnipotentes, & supremum Dominium habentes, tamquam verus Deus; sed quòd participant aliquid numinis, & suæ Divinitatis ac virtutis, aut quoad potentiam, aut quoad sapientiam, aut quoad bonitatem: quod quia falsum est, & impium, judicantur Idololatrare sic agentes. Dicamus ergò quòd propter inopiam A vocabulorum Idololatriæ nomen est commune ad Idololatriam propriè dictam, quæ Latriæ contrariatur, & ad Idololatriam analogicè sumptam, quæ Duliæ; vel Hyperduliæ dicitur adversari.

Sexta Propositio Corollaria, describens Idololatriam: *Idololatria est* ex depravatione intellectûs, vel affectûs, *exhibitio cultûs alicui rei*, *non ut signum est alterius*, *cujus cultûs illa res*, *nec verè*, *nec attributivè est particeps*. Aliàs dixi aliqua similia, nec piget repetere. Si fiat hæc Idololatria ex depravatione intellectûs, tunc est infidelitas, & in omni gerente se pro baptisato est apostasia à Fide, quia etsi non esset in tali Idololatria exteriori depravatio intellectûs, scilicet malitia sola affectûs, dabitur Judicium exterius tamquàm sic agens: sic non solùm Idololatra, sed infidelis, & apostata, nisi palàm oppositum profiteri se monstraverit, per hoc, quod dicitur, *non ut signum est alterius* sed auditur omnis cultus qui tribuitur Imaginibus; B non enim adorantur ut res sunt, nec propriè adorantur ut signa, sed res signatæ in earum rememoratione coluntur, atque venerantur: Venerantur, inquit, tali prorsùs cultu, qualem rei præsenti donaremus. Creaturæ verò rationales quamvis sint quædam imagines, non tamen sunt ad placitum institutæ, nec se ingerunt ut signa, sed ut res Divinæ; negare tamen non possumus, licenter assurgere ad honorem Divinitatis; evitetur tantummodò scandalum exterius, ne credamur favere Idololatriis Gentilium, aut, ne homines honoratos in timendam elationem deducamus. Additur prætereà in descriptione præfata, *cujus cultûs illa res nec verè*, *nec attributivè est particeps*, ad justificandum cultum Duliæ, & Hyperduliæ, quem non solùm possumus, immò jubemur creaturis præcellentibus, præsertim in dignitate aliqua constitutis impendere; tales equidem participatione quadam Divinitatis appellantur *Dii*, quemadmodùm Principes, & Prælati propter potentiam: C Doctores propter sapientiam, & Sancti propter bonitatem participatas (Deo largiente) Dii sunt. Quòd si quis objiciat, quàm plerumque Principes aliqui peccatis sordescunt, & alii plures non habentes gradus in politia, quibus tamen datur honor, abundant in flagitiis. Respondeo, quòd tales, etsi mali, nondum sunt obstinati, & præcisi, & adjudicati definitivè proditores Dei, sed sunt capaces adhuc Beatitudinis; secùs est de Dæmonibus & damnatis. Ex his omnibus elicio eorum quibus honor exhibitus creaturis in superstitiosis observationibus, Magorum, Ariolorum, Haruspicum, Necromanticorum, & Geomanticorum, & similium, quorum effectus qui promittuntur, non debent per miraculum, nec per naturam rationabiliter expectari; talis, inquam, cultus & honor, & observatio, semper est Idololatria. Et hoc præcipuè intellexit Guillielmus Parisiensis in suo Libro *De Fide & Lege*, ubi tot Idololatriæ species, divinationes improbat, & evincit. D Corollarii hujus elucidationem non sine magno studio, & perscrutatione, primò nuper attigi, dùm prioribus dictis effectum est perspicuum. Potest similiter esse, & est nonnunquam Idololatria, honorando nimiâ adulatione quosdam potentes, aut seipsos, aut suas opes, aut suam industriam, & potentiam, ponendo nimis Spem adjutorii in eis, Deo postposito; quandoque equidem cum mortali peccato, & quandoque cum veniali: neque enim improbo, quamdam Idololatriam solùm esse venialem, sicut & superbiam, & blasphemiam, aut aliquid ex talibus. Propterea non errabat Apostolus, nec impropriè loquebatur, dum appellavit, avaritiam quamdam esse Idololatriam. Similiter hæc inducta sunt occasione sumpta ex hoc verbo, *cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*, Marc. 1. 7. ubi de cultu divino sermo patens.

At verò rursùm suboritur difficultas tempori nostro multùm pertinens: Utrùm permittendus esset aliquis inter Christianos, qui in suis observationibus cognosceretur idololatrare. Videtur, quòd non; tùm ex uno de Articulis nuper condemnatis; tum ratione tali; neque enim videtur minùs esse peccatum Idololatria, quàm infidelitas. Sed infidelis Christianus morte plectitur nisi resipiscat, sic igitur erit morte puniendus Idololatra, nolens desistere; & ex consequenti nequaquam tolerandus, seu permittendus.

Distinctio una quadrimembris elucidat hanc difficultatem, & reserat. Dicitur nempe permitti, vel tolerari quadrupliciter aliquod opus.

Uno modo: Ut licitum fieri, quod sine tali permissione non esset licitum; sicut in veteri Lege fuit uxorum plurium permissio, & rapina bonorum ab Ægyptiis, & similia quædam.

Secundò: Aliquid permittitur, non quia licet, sed quia nullo modo punitur, nec capitaliter, nec civiliter. Isto modo Leges Civiles usuras permittunt, illo modo mali Principes, & Rectores permittunt quædam mala fieri, quia talia ipsi nullo modo puniunt, neque verbis, neque scriptis, neque facto.

Tertiò: Aliquid permittitur & toleratur, quia non punitur Lege, aut facto, pœnâ capitali, & exterminativa; sed benè Civili, & Canonica, quomodò meretrices permittit Ecclesia.

Quartò: Aliquid permittitur, non quòd non judicetur illicitum, & puniendum, etiam pœna Capitali, & supremi supplicii, secundùm Leges datas, & publicatas, seu prædicatas; Veruntamen omittitur ad tempus executio Legis institutæ, quoniam tum non esse creditur medicinalis, sed inductiva grandioris mali, & scandali; aut quia non potest hæc executio fieri. Hoc solo modo ultimo tolerandi, & permittendi essent in causa ipsi Idololatræ, immò hæretici, & schismatici, & nullatenùs tribus aliis modis prioribus, & ita in hoc participio permittendi, secum includat hoc verbum *debet*, simul hoc verbum *licet*, aut *potest*. Patet, quid sit dicendum, ponderatis hinc indè rerum circumstantiis.

Finis hujus Tractatus de excessu Clericorum, & Prælatorum.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

TRACTATUS DE SIMONIA.

Ad MSS. Codd. Vict. 699. Navarricum unum; M. Targny & nuperam Editionem rerum pertinentium ad Constantiense Concilium in qua Tractatus iste ad MS. Noribergense exactus est.

SUPER materia simoniacæ labis in collatione Beneficiorum per Papam, resolvendo materiam ad radicem Scripturæ Sacræ, quâ dimissâ, percurrere ramos opinionum particularium, fine caret; ponitur hîc unica Conclusio:

„Simoniaca labes contrà Jus divinum, vel de simo-„niaca specie suspectum, est in conferente Beneficium „Ecclesiasticum (etiam si sit Papa) exigere, vel ex-„torquere à beneficiando promptam pecuniam sub ti-„tulo primorum fructuum, ac impedire possessionem, „& officiationem suam, quousque solverit illam pe-„cuniam.„ Deducemus conclusionem hanc primò ex septem suppositionibus fundatis in Jure divino: dehinc respondebimus septem objectionibus: subindè septem considerationes, vel doctrinas, adjiciemus.

Suppositio Prima.

Supponitur primò pro probatione, quòd in Beneficio, præsertim habente curam animarum, sunt hæc duo, scilicet Officium, & Beneficium. Beneficium autem (sicut dici solet, & verum est) datur propter Officium. Undè ad jus, & obligationem officiandi, competit jus Beneficium recipiendi, sicut infrà docebitur ex omni Jure. Proptereà non debet obligari quis ad officiandum per traditionem Ordinis sacri, vel aliàs, nisi Beneficium, id est, jus recipiendi sustentationem vitæ simul annectatur.

Suppositio Secunda.

Supponitur præthereà, quòd Officium Ecclesiasticum quandoque sumitur pro jure officiandi, quandoque pro obligatione ad officiandum, quandoque verò pro ipso actu officiandi. Est autem hujusmodi actus officiandi sic descriptibilis, quod est *exercitium aliquod impensum ad utilitatem alterius, vel aliorum, pro consecutione felicitatis æternæ & damnationis evitatione.* Undè per hanc ultimam clausulam differt Officium Ecclesiasticum ab Officio temporali, vel civili, videlicet ratione finis proximi, seu principaliter intenti; quoniam finis proximus Officii civilis est *felicitas seu tranquillitas politica vitæ præsentis*; Officium autem Ecclesiasticum habet finem altiorem, videlicet salutem æternam animarum.

Suppositio Tertia.

Supponitur insuper, quòd hæc tria purè sunt spiritualia, scilicet jus ad officiandum, quod datur à Superiore vocante, vel eligente, quia nemo *sumit sibi honorem*, secundùm Apostolum, *sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hebr. v. 4. Similiter obligatio ad officiandum consurgit ex consensu suscipientis hoc jus, vel honorem. Similiter actus officiandi spiritualis est ratione finis, vel objecti, &, ut frequenter, ratione ipsiusmet obsequii, sicut sunt, baptizare, prædicare, ordinare, celebrare Missam, absolvere, & ita de reliquis.

Suppositio Quarta.

A Supponitur ampliùs tanquàm sufficienter, & expressè determinatum de Jure divino per Christum, & per Apostolum, quòd ad Officium Ecclesiasticum, sic trifariè sumptum pro jure, pro obligatione, & pro ipso opere, correspondet Beneficium trifariè proportionabiliter sumptum, scilicet pro jure, & pro obligatione, & pro ipso opere. Undè Beneficium pro ipso jure sic potest describi, quòd est *jus recipiendi sustentationem vitæ temporalis concedentem, ratione sui spiritualis officii.* Obligatio autem ad Beneficium præstandum consurgit ex obligatione quæ est officiandum. Undè illi qui purè spontè ministrant spiritualia, non semper obligantur illis quibus fit hæc ministratio, quin habeant Curatos, vel Prælatos ad hoc ipsum eis ministrandum obligatos; alioquin duplici contritione, vel onere premerentur. Ceterùm actus Beneficii, actui Officii, vel exercitio correspondet, & hoc utique de Jure divino, & inseparabili, sicut deducit Apostolus ex multiplici radice sumpta, nunc à Lege
B Scripturæ, nunc à Lege naturæ. Unde sic ait, ubi priùs: *Quis militat suis stipendiis unquàm? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? Nunquid secundùm hominem hoc dico, an & Lex hoc non dicit? Scriptum est enim in Lege Moysi*; Deut. xxv. 4. *Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos hoc dicit. Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminamus, non magnum est si nos carnalia vestra metamus. Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos? Sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi. Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt, & qui altario deserviunt, cum altari participant? Ita Dominus ordinavit his qui Evangelium enunciant, de Evangelio vivere.* Hæc Apostolus, I. *Cor.* IX. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. immò per Apostolum Dominus.

Suppositio Quinta.

C Supponitur rursùs, quòd in his quæ sunt simoniaca de Jure divino, & non solùm quia prohibita Lege humana (ut ita loquamur more Juristarum) Papa potest committere simoniam; quoniam divinæ Legi subjicitur sicut alius, & dùm transgreditur illam graviùs peccat, quanto major habetur. Constat autem, prohibitum esse Jure divino, ut illud quod est verè spirituale quæratur emi, vel vendi, sicut de Giezi, de Simone Mago Scriptura sacra palàm tradit. Et sicut Christus ad Discipulos loquens determinat: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. x. 8. Ubi in eodem capitulo determinaverat, quæ dicta sunt de jure Beneficii respectu Officii, dùm ait: *Dignus est operarius cibo suo.* ℣. 10. Et *Luc.* x. 7. dicitur: *mercede sua.*

D *Suppositio Sexta.*

Supponitur ulteriùs, quod licet Officio Papali, ratione juris, & obligationis, & operis spiritualis, competat Beneficium trifariè proportionaliter acceptum; nihilominùs ipse Papa non potest, quibuscumque modis voluerit, Beneficium illud exigere, vel extorquere, sed juxtà Legem divinam *quod justum est, justè exequatur,* & *Ab omni specie mala* (sicut jubet Apostolus I. Thess. v. 22.) semet abstineat.

Suppositio Septima.

Supponitur consequenter, illud injustum esse, & tale quale nemo sibi fieri vellet, quòd de Beneficio jure debito ipsi Petro, ipse det pecuniam, prius quàm Beneficio utatur, ne fortè usurarius sit. Sic autem est in casu conclusionis, cujus veritas ex his suppositionibus simul combinatis videtur esse sufficienter ostensa. A Cujus deductionis applicationem omittimus, quæ virtualiter, & resolutivè stat in hoc, quòd jus suscipiendi temporalia, quantumcùmque temporalia videantur, est purè spirituale ratione finis & objecti; propptereà Beneficium Ecclesiasticum non magis potest vendi, quàm Officium cui necessariò connexum est; quale tamen Officium non esse vendibile, nemo nescit.

OBJECTIONES.

Objectio Prima.

SED opponitur ex radice multiplici. Primò, quia sicut ex antiqua Lege Decimæ Decimarum debebantur Summo Sacerdoti à Levitis. *Num.* XVIII. & *Deut.* XVI. sic non minùs in Lege nova debetur hæc Decimatio, vel sufficiens recompensatio facienda per inferiores ipsi Papæ. Hæc autem recompensatio videtur rationabilis, quòd fructus primi Anni à quolibet noviter beneficiato persolvantur; quoniam in hoc Papa servit Ecclesiæ, & ita propter hoc Officium in promovendo homines sibi debetur pro sustentatione condecenti status sui, & ad hoc tàm personæ, quàm Beneficia possunt onerari.

Objectio Secunda.

Ampliùs: Non minùs potest Papa recipere, vel petere pecuniam à beneficiato, etiam prius quàm sit in possessione, quàm Canonici Ecclesiæ Cathedralis, qui tamen Canonici de consuetudine recipiunt tàm pecunias numeratas, quàm obligationem antè possessionis adeptionem.

Objectio Tertia.

Ampliùs: Non minùs rationabiliter, immò rationabiliùs potest Papa recipere primas Annatas Beneficiorum, quàm recipiunt vel Prælati inferiores, vel Ecclesiæ Cathedrales, vel aliquæ Religiones; quod tamen ita fieri frequentiùs invenitur.

Objectio Quarta.

Ampliùs: Beneficia multa traduntur ad firmam, seu pensionem annuam, vel in titulo, & recipitur quandoque pars pensionis, vel tota pensio, prius quàm sit de redditibus aliquid acceptum.

Objectiò Quinta.

Ampliùs: Quia non est probabile, quòd per tot tempora tolerasset Ecclesia in promoventibus, & promotis talem exactionem pecuniarum, si fuisset simoniaca de Jure divino, quia non *solùm qui faciunt mala, sed qui consentiunt facientibus* (secundùm Apostolum, Rom. I. 32.) *digni sunt morte.*

Objectio Sexta.

Ampliùs: Videretur ex his, quòd horribilis confusio fuisset hactenùs in Ecclesia propter defectum tituli, seu juris in Beneficiis, & consequenter in defectu administrationis Sacramentorum ad populos, propter defectum, vel suspensionem Ecclesiasticæ potestatis in Ministris.

Objectio Septima.

Ampliùs: qualiter provideretur sic promotis à Papa, vel altero promovente simoniam committente.

RESPONSIONES AD PRÆDICTAS OBJECTIONES.

RESPONDENDO talibus objectis dicimus primò, quòd inferunt, & includunt aliquas veritates. Ut quòd Officio Papæ debeatur Beneficium sufficiens, & condecens. Et quòd ab inferioribus sibi debetur subsidium. Et quod illud subsidium potest, vel potuit, debitis circumstantiis observatis, accipi super fructibus inferiorum Beneficiorum, ubi non est aliter facta Papæ sufficiens provisio: sicut prima ratio satis hoc concludit, tàm ex Jure divino, quàm naturali, præsupposito divino. Sed quòd fiat exactio, vel extor-B sio, sicut conclusio loquitur, ratio non concludit.

Ad Rationem Secundam.

Deinde cum videtur oppositum concludi per secundam Rationem de Canonicis. Respondetur, quòd lata est differentia, quoniam tales pecuniæ non exiguntur à Canonicis pro Beneficio, vel Officio, sed pro communibus oneribus supportandis, in quibus Canonicus ille particeps erit quoad emolumentum commune, sicut pro fabrica, pro pane, pro pueris de Choro, pro clientibus, pro cappa, & similibus. Non negamus tamen, quin apud aliquos modus exigendi non sit usquequaque purus, & decens, licet non propriè simoniacus.

Ad Rationem Tertiam.

Deindè tertia ratio concludit conformiter ad primam. C Deberet ergo similis esse conformitas de non exigendo fructus antè perceptionem eorum; sicut nec exiguntur ab illis de quibus est argumentum.

Ad Rationem Quartam.

Deindè possumus de quarta ratione, sicut de secunda dicere, & similiter de sequentibus quoad hoc, quòd valdè multa (proh dolor) fiunt, & facta sunt habentia malam speciem turpis quæstus, & in multis simoniacam pravitatem, sicut & alia vitia regnare videmus passim apud homines; virtutes autem raro: propptereà dicit Lex Antiqua: *Non sequeris multitudinem ad faciendum malum*; Exod. XXIII. 2. hæc enim est argumentatio pessima: Multitudo facit hoc, igitur est licitum; quoniam oppositum consequentis frequenter, & quasi semper, stat cum antecedente.

Ad Rationem Quintam.

D Deindè respondetur per hoc ad quintam. Addendo, quòd apud bonos, conscientiosos, & eruditos, quos non excavit malitia, vel superbiæ, vel adulationis, vel avaritiæ, talis simoniaca pestis reprobata est per prædicationes, & doctrinas, verbis & scriptis; & novissimè per hoc sacrum Concilium, scilicet Constantiense, judiciali severitate damnata fuit in Capite.

Ad

Digitized by Google

Ad Rationem Sextam.

Denique per præmissa patet ad sextam aliqualis responsio: addendo quòd aliqui, etsi non omnes, potuerunt habere verum titulum in suis Beneficiis, & verum Ordinem sicut constat; & hoc propter excusationes aliquas probabiles apud aliquos, tàm Prælatos, quàm subditos. Subditos enim excusare potuit ignorantia Juris & facti, in quibus supremus Papa Christus supplevit, & supplet in talibus defectum Prælatorum, stante bona fide subditorum. Rursùs promotos per simoniacam hanc exactionem potuit fortassis excusare respectus redemptionis propriæ vexationis; quemadmodùm dicunt etiam in simili Theologi quòd ubi Presbyter nollet baptizare puerum positum in articulo mortis, nisi pecunia præaccepta, nec apparet alius potens, vel sciens baptizare propter defectum aquæ vel instructionis, parentes pueri dare possunt pecuniam; non quidem intentione emendi Baptisma, sed redimendi vexationem suam & puero providendi. Neque per hoc dicendi sunt consentire peccato simoniæ hujus Curati; sicut in materia de usuris potest aliquis accipere ad usuram licitè in casibus certis, quàmvis alteri nullo modo liceat dare. Undè redemptio vexationis videtur habere locum, non quidem in acquirendo Jus novum ad Officium vel Beneficium hujusmodi spirituale, præsertim apud conferentem; sed invenitur habere locum dùm tolli quæritur impedimentum quod apponitur, ne quis jure suo vel re sua pacificè potiatur vel utatur. Sic fortassis excusabiles essent subditi respectu Curatorum vel Prælatorum: dùm compelluntur pecuniam antè tradere, quàm res spirituales eis debitè conferantur; sicut in exemplo priori de Baptismo parvulorum, de Sepulturis, de ministratione Corporis Christi, de Absolutione Sacramentali, de collatione Ordinum, Matrimoniorum, & similium. Denique pro responsione ad septimam rationem; Consideratio sextuplex notabitur satis conformiter ad præmissa.

AD SEPTIMAM RATIONEM.

Consideratio Prima.

SIMONIACA labes sicut de per se non est hæresis, sic non aufert à Papa necessariò suam potestatem vel Ecclesiasticæ potestatis plenitudinem, immò nec executionem. Prima pars ideò manifesta est, quia stat aliquem esse simoniacum ex sola depravatione affectus per avaritiam, remanente judicio recto intellectûs quòd sic agere peccatum est. Non est autem hæresis sine depravatione intellectûs per errorem de his quæ recta Fides tradit. Potest nihilominùs præsumptione Juris, vel operis, simoniacus omnis haberi in Fide suspectus. Patet altera pars, quoniam positivis Legibus suis non est Papa subjectus, ut tales sunt. Quòd autem simoniacus suspendatur ab omni exercitio tanquàm excommunicatus ipso facto, positivum est quod non ligat Papam, cùm par in parem non habeat imperium: cùm præterea sit hoc modo solutus Legibus, intellige purè positivis pœnalibus, ut suprà jus hoc modo sumptum. Sic intelligenda est (prout arbitror) distinctio Dominorum Juristarum; dùm dicunt aliquid esse simoniacum, quia prohibitum; & in illo tali non posse Papam committere simoniam, planè nulla est propriè simonia; nisi quia prohibita Jure divino, vbi scilicet convenit contractus iste rerum spiritualium pro re commensurabili numismate; *Do si des*; vel *Do ut des*. Nihilominùs apponitur in aliquibus contractibus non de se simoniacis pœna simoniæ, ubi verum est quòd hoc ideò dicitur simoniacum, quia Lege humana prohibitum, sicut aliquis punitur tanquàm hæreticus præsumptione Juris positivi vel operis, qui veraciter est Catholicus.

Consideratio Secunda.

Simoniaca labes in Papa conferente Prælaturam, vel Beneficium, non tollit necessariò jus ad Beneficium neque potestatis Ecclesiasticæ suspendit executionem. Hæc consideratio sequitur ex antecedenti, quoniam potest Papa velle taliter promotum non incurrere Sententiam Juris positivi, etiam ubi veram simoniam committeret consentiendo simoniacæ promotioni suæ, quàmvis apud Deum non evaderet omnem pœnam. Patet aliundè consideratio juxta ea quæ dicta sunt circà sextam objectionem de redemptione vexationis; vel etiam, ubi bona fides & simplex in promoto esset, ipsumque salvaret.

Consideratio Tertia.

Simoniaca labes periculosior est, etsi non quoad Deum, tamen quoad Forum Ecclesiasticum, in promotis per Prælatos inferiores, quàm per Papam. Hoc perspicuum est ex præcedenti consideratione: attento quòd omnis simoniacus ipso Jure excommunicatus est, cum reliquis pœnis, à quibus non liberatur per Ordinarium, quemadmodùm de Papa tactum est.

Consideratio Quarta.

Simoniaca labes quàmvis posset excusari, vel non inveniri circà receptionem pecuniarum, vel eorum quæ sunt numismate mensurabilia (quemadmodùm sunt obsequia vel favores & obligatoriæ promissiones circà spiritualium administrationem, in literis testimonialibus conferendis & similibus) Nihilominùs expedit in his omnibus, ut observetur Apostolica regula: *Quantùm fieri potest, ab omni specie mala abstinete vos.* 1. Thess. v. 22. Posset de prima parte deductio fieri per plurima circà diversos Ordines & status, circà Religiosos Conventus, & seculares Ecclesias: circa Prælatos & Officiarios suos, circà Curatos & eorum Vicarios vel subditos. Fiunt itaque plurima per tales hujusmodi, quæ rectam habere possunt intentionem, licèt modus faciendi scandalizet, ut quia videtur fieri pactio de temporalibus, vel negatio spiritualium, seu dilatio propter temporalia; vel ex adverso fieri videtur propter temporalia spiritualium collatio, exercitium vel frequentatio, ut in Missis dicendis, ut in Horis lucrosis, non aliis frequentandis. Caveatur igitur hæc multiplex mali species per boni speciem appositam quantùm fieri dabitur, quia non est nostrûm, posse scandalis omnibus acceptis occurrere.

Consideratio Quinta.

Simoniaca labes commodiùs evitari potest per rectificationem intentionis, desiderando scilicet, vel accipiendo temporalia, non ut sunt pretium spiritualium vel cupiditatis nutrimentum; sed necessariæ sustentationis corporalis adjumentum. Sic itaque salvabitur illic non esse commutationem simoniacam, ubi tamen concurrit hoc, *Do si des* vel *Do ut des*; quoniam hæ dictiones conditionales & causales, *si*, *ut*, *propter*, & similes, non notabunt causam principalem, sed consecutivam, & minus principalem, seu motivam, vel adminiculativam, seu meritoriam, ut ibi: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Ps. CVIII. 112. Quæ utique retributio referebatur ad Deum per Prophetam, sicut finis sub fine. *Ubi autem unum propter aliud* (ut dicit Philosophus) *utrobique unum.*

Digitized by Google

Consideratio Sexta.

Simoniaca labes potest quoad præterita suscipere provisionem & medelam, per hoc sacrum Concilium, propter serenationem conscientiarum & animarum salutem, taliter quòd aboleantur Edicto generali quælibet pœnæ vel Sententiæ Juris positivi, contrà simoniacos editæ, cum habilitatibus ad Beneficia jam obtenta, dando licentiam insuper pro præterito, ut quilibet possit eligere Confessorem idoneum, qui eum super omnibus dubiis vel scrupulis, in Foro conscientiæ absolvat. Videtur fortassis hæc provisio nimis lata, vel laxa, juxta severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ; sed habeatur respectus ad immensitatem misericordiæ Dei, & humanam fragilitatem, quæ mallet sæpè saluti propriæ, quàm Beneficio vel statui renuntiare, & tolerabilis apparebit ista provisio: aut si de necessitate puniendi sunt aliqui nimis notoriè scandalosi; nihilominùs de salute communitatis atque plurimorum, cogitetur.

Consideratio Septima.

Simoniaca labes poterit pro futuro præservationem habere. Cogitetur per hoc sacrum Concilium, ne passim & licenter, ut hactenùs introeat consuetudo, Leges debitas vel jam institutas renovando, mutando, vel interpretando circà collationem omnium spiritualium, tàm à capite quàm à membris, cum tali moderamine, quòd neque fiat strictior prohibitio temporalium quàm oportet, in capite vel in membris, sicut factum esse plures existimant in quibusdam. Neque rursùs permittatur talis laxatio, quæ vel veram simoniam vel scandalosam simoniæ speciem introducat; hæc autem particulariter aperire, sit eorum qui ad hoc particulariter commissi sunt. Ceterùm generale Concilium in qua potestate possit Leges hujusmodi præscribere; præsertim Summo Pontifici, sine læsione plenitudinis suæ potestatis, utilis est practicatio, de qua si annuerit Deus, aliàs & alibi videbitur, concordando plenitudinem potestatis Papalis, cum ipsa plenitudine potestatis Concilii generalis.

AD RATIONABILEM CONTRA SIMONIAM, ET SIMONIACOS REFORMATIONEM,

Offeruntur Propositiones quæ sequuntur, quarum declaratio tam scriptis jam editis, quàm viva voce poterit apparere.

Propositio Prima.

Finis principaliter intentus recipiendi temporalia pro ministratione spiritualium, reddit hominem propriè simoniacum in Foro conscientiæ, & ad Deum: & si hanc intentionem apertis ad extrà monstret indiciis, censendus est in Ecclesiastico Foro simoniacus, vel de simonia vehementer suspectus.

Propositio Secunda. Finis principaliter intentus accipiendi temporalia pro administratione spiritualium, tanquàm ibi sit adæquatio vera pretii ad pretium, sicut est in commutatione temporalium ad invicem, reddit hominem propriè simoniacum.

Propositio Tertia. Finis principaliter intentus, ut priùs, reddit hominem propriè hereticum, si faciat hoc ex depravato intellectûs judicio, quasi tale aliquid possit de facto, aut debeat de jure fieri, & hoc si pertinacia concomitetur.

A *Propositio Quarta.* Obligatus ministrare spiritualia, sicut sunt Sacramenta & Beneficia Ecclesiastica, potest rationabiliter & licitè habere respectum ad temporale commodum, mercedem & præmium; quamvis minùs principale & secundarium.

Propositio Quinta. Obligatus ministrare spiritualia, & ministrans ea, habet verum jus & potestatem recipiendi temporalia absque hoc, quòd mendicet ea. Et sub hac intentione (licèt minùs principali) potest, vel potuit obligare se ad ministrandum spiritualia, & pro mercede, vel stipendio, vel cibo, & sua sustentatione recipere temporalia; sicut exemplificari posset in omni statu Ecclesiasticorum, tàm sæcularium, quàm Religiosorum, à majoribus ad infimos.

Propositio Sexta. Obligatus ministrare spiritualia, & ministrans ea sub spe vel expectatione vel intentione quòd recipiat temporalia pro sustentatione Ministri, B & mercede, vel cibo operarii, non ideò convincitur simoniacus, sicut nec ille, qui dat temporalia sub spe recipiendi spiritualia; immò staret quòd peccaret non tradendo ea, sicut in casu ministrans peccare posset, abjiciendo vel reprobando talia dona; seu potiùs mercedem & stipendia.

Propositio Septima. Ecclesiasticus ministrans ex debito suæ Prælationis vel Officii, Baptisma, Confirmationem, Eucharistiam, Confessionem, Ordines, Extremam Unctionem, Sepulturam, & ita de reliquis spiritualibus, non ideò convincitur simoniacus; si antè, vel pòst ministrationem recipiat temporalia ab illis quibus ministrat spiritualia.

Propositio Octava. Ecclesiasticus officians ex debito Beneficio suo, sicut frequentando Horas Canonicas vel Exequias mortuorum, non ideò convincitur simoniacus, si recipiat aut recipere intendat distributiones temporales assignatas illis qui talibus assistunt Officiis, etiam dùm aliquando sub hac intentione mercedis vadit ad aliquod Officium Ecclesiasticum, aliàs pro tunc C non iturus. Exempli gratia, si cuilibet etiam Religioso qui interesset magnæ Missæ in Ecclesia Constantiensi, quotidiè distribueretur unus florenus; constat, quòd multi interessent nec aliàs interessent, nec ideò simoniaci essent judicandi.

Propositio Nona. Ecclesiasticus Prælatus aut alius conferens Beneficia Ecclesiastica, non ideò convincitur simoniacus, si recipiat à beneficiatis aliqua temporalia.

Propositio Decima. Extirpatio simoniæ non ita debet procurari, quòd ducantur homines in majora pericula & scandala, per nimiam simoniæ restrictionem, ubi non est, vel potest non esse simonia si habeatur intentionis vera directio. Nec ita quòd Ecclesiæ vel Ecclesiasticorum dotatio debita Jure divino evacuetur vel defraudetur sub hoc reformationis prætextu, velut à dæmonio meridiano.

Propositio Undecima. Extirpatio simoniæ primò facienda est cordibus hominum, ostendendo qualiter in D corde vel intentione simoniaca pravitas committitur, & qualis debeat haberi cordis intentio, dùm in ministratione spiritualium fit vel expectatur temporalium receptio.

Propositio Duodecima. Extirpatio simoniæ ab Ecclesia sancta Dei in capite & in membris, salubriùs facienda est, inducendo homines ad timorem Dei, & ad custodiam Mandatorum suorum, secundùm Legem Evangelicam, quàm per solam Jurium pœnalium Constitutionem, quorum multiplicatio forsitan magis esset restringen-

Digitized by Google

genda quàm augenda; multa enim reputant, vel puniunt tanquàm ſimoniaca, quæ ſimoniæ rationem propriè non includunt, & ita faciunt viam Domini arctam magis, quàm oportet.

POnitur ad declarationem præmiſſorum pro nunc aliàs poſita hæc unica diſtinctio. Reſolvendo materiam de ſimonia, poſſumus invenire diſtinctionem quadruplicem de intuitu vel reſpectu commodi temporali pro ſpirituali: poteſt enim intuitus ferri ad temporale commodum. Primò, tanquàm ad pretium rei ſpiritualis, quaſi ſit adæquatio voloris unius rei ad alteram, ſicut eſt in emptione & venditione civilibus. Poteſt ſecundò ferri intuitus ad commodum temporale, tanquàm ad motivum principale dandi ſpiritualia; vel ad finem ultimum, in quo conſiſtit intuitus ſpirituale conferentis. Poteſt tertiò ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad motivum minùs principale, vel ad finem ſubordinatum ſub ultimo fine. Poteſt quartò ferri intuitus commodi temporalis, tanquàm ad rem debitam Jure divino pro ſuſtentatione illius qui ſpiritualia ſubminiſtrat, juxtà doctrinam Chriſti & Apoſtoli, quòd *Dignus eſt operarius mercede ſua*. Luc. x. 7. Tunc ad propoſitum dicimus pro reſponſione ſuccincta & ſolida, quòd primus intuitus & ſecundus ſunt verè ſimoniaci de Jure divino & humano; etſi concurrat error intellectûs, quòd ſcilicet talia poſſint fieri, ſicut in primo dicitur, vel quòd licitè fiant, ſicut ponitur in utroque modo; tunc incurritur hæreſis propriè dicta, & habendi ſunt ſimoniaci tales hæretici propriè dicti, ſi ſunt pertinaces. Dicimus conſequenter, quòd ſi feratur intuitus tertio & quarto modis, ille poteſt eſſe licitus; immò laudabilis & meritorius ac debitus. Hoc tamen attento, quòd obſervetur illud Apoſtoli: I. Theſſ. v. 22. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*, hoc eſt, quòd adminiſtratio ſpiritualium facta ſub altero tali intuitu, non appareat fieri ex modo ſuo, intuitu primo vel ſecundo, ut ſi non exercentur ſpiritualia, ſi non primò dentur temporalia, aut ſi turpiter exigantur, & cum ſcandalo & avaritiæ nota; in quibus caſibus poſſent haberi ſuſpecti de ſimoniaca pravitate ſic agentes, & hoc præſumptione Juris vel facti, & poſſent in hoc caſu ipſi tanquàm tales judicialiter evocari. *Finis.*

FUNDAMENTALIS RESPONSIO PER XII.

CONSIDERATIONES

Ad quæſita Reverendiſſimi Patris ac Domini Guillielmi de Chanlançon Epiſcopi Avicienſis, ſeu Podienſis apud Vellavois, cui Sedi præfuit, Guillielmus de Chalançon ab Anno* 1418. *ad Annum* 1443. *Contrà Fratricellum quemdam, præferentem Orationes particularium fœminarum & laïcorum devotorum, actibus Hierarchicis Eccleſiaſticorum, Sacerdotum, & Doctorum, peccatorum.

Conſideratio Prima.

ECCLESIA fundata eſt à Chriſto nedum ſtabiliſſimè ſuprà firmam petram, ſed etiam ſapientiſſimè & ordinatiſſimè; quoniam ſi omnia, *quæ ſunt à Deo ordinata ſunt*, ſecundùm Apoſtolum *Rom.* XIII. I. hoc maximè reperitur in Eccleſia, quæ dicitur ideo *terribilis, ut caſtrorum acies ordinata*. Cant. VI. 3.

Conſideratio Secunda.

Eccleſia fundata eſt in ſuis Ordinibus ad exemplar cœleſtis Hierarchiæ. Propterea dicit Joannes in *Apoc.* XXI. 10. quòd vidit eam *deſcendentem de cœlo*. Moyſi quoque præceptum eſt ut *ſecundùm exemplar* quod ſibi *oſten-*
A *ſum* fuerat *in monte* faceret *omnia*. Exod. XXV. 40.

Conſideratio Tertia.

Eccleſia ſecundùm tres actus Hierarchicos, qui ſunt purgare & illuminare & perficere, continet tres ordines principales, ſcilicet ſupremum, infimum & medium. Supremus purgat, illuminat & perficit, & non è contrà. Infimus purgatur, illuminatur & perficitur, & non è contrà. Medius participat in utroque.

Conſideratio Quarta.

Eccleſia conſiſtit principaliùs in ordine primo & ſecundo, quàm in tertio, qui eſt ordo laïcorum, & maximè feminarum, quibus actus Hierarchici nullo modo conveniunt, nec Ordines ſacri, nec prædicatio publica vel ſolemnis, juxtà prohibitionem Apoſtoli.

B

Conſideratio Quinta.

Valor & dignitas actuum Hierarchicorum in Eccleſia principaliter attenditur per reductionem corporis myſtici ſeu politici ad Corpus Chriſti verum quod in Euchariſtia ſacramentaliter continetur, & quod uſque in finem ſeculi permanebit nobiſcum; & ita neceſſe eſt quòd uſque in finem ſeculi Sacerdotium permaneat, ſicut & Lex ipſa; quia ceſſante Sacerdotio, ceſſaret Lex per argumentum Apoſtoli. Undè ſtatim reprobatur error aſſerentium, quia tempore Antichriſti Lex Chriſtiana à devotis mulieribus & laïcis ſolùm defendetur.

Conſideratio Sexta.

Valor actuum Hierarchicorum præferendus eſt actibus non Hierarchicis, ſicut & ordo primus & ſecundus infimo præferuntur per rationem & autoritatem,
C ſecundùm deductionem Doctorum, præſertim Dionyſii; inde Eccleſiaſtica & Angelica Hierarchia. Undè protinùs eliditur error & temeraria præſumptio aſſerentium, quòd vita & orationes devotarum mulierum, plùs valent quàm multæ Orationes & Miſſæ Sacerdotum peccatorum. Primò, quia præferunt perſonas ſtatibus. Secundò, quia temerariè & ſcandaloſè judicant de perſonis Sacerdotum. Denique nutriunt, quantùm in eis eſt, arrogantiam & præſumptionem in mulieribus & laïcis quos laudant & præferunt.

Conſideratio Septima.

Valor Eccleſiaſticorum Sacramentorum non perditur ex peccatis miniſtrantium, ſi miniſtrant in Fide & intentione Eccleſiæ, ſicut eſt de eis rationabiliter præſumendum. Cui valori Sacramentorum non eſt præferenda quovis modo ſanctitas vel devotio ſimplicium
D (maximè mulierum & laïcorum) de infimo gradu Eccleſiæ, quibus non competit hujuſmodi Sacramentorum miniſtratio regularis. Unde convincitur temeraria & ſcandaloſa aſſertio, præferentium actus ſingularium perſonarum actibus Hierarchicis Sacerdotum, etiam ſi aliundè fuerint peccatores; quia non inde Sacramentorum ſanctitas violatur. Et oppoſitum dicere, eſt hæreſis pluries, & expreſsè damnata.

Con-

Digitized by Google

Consideratio Octava.

Valor prædicationis authenticæ, pastoralis scilicet, & doctrinalis, attenditur secundùm tres actus Hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare & perficere; quoniam solis Hierarchicis competit ex officio publica, & pastoralis prædicatio vel commissis, seu missis ab eisdem; & nullo modo mulieribus, nec aliis etiam devotis, si non mittantur à Deo immediatè vel ab homine. Sed nec credendum est dicenti se missum à Deo, nisi manifestè docuerit.

Consideratio Nona.

Assumptio status perfectionis quantò plus habet difficultatis & arduitatis, tantò debet status hujusmodi cum majori cautela & circumspectione sapienter declinari, vel humiliter cum magno timore & tremore suscipi. Facit ad hoc parabola Christi de volente turrim ædificare, aut adversariis occurrere. Illud insuper Sapientis: *Altiora te ne quæsieris; quia etiam displicet Deo stulta & infidelis promissio.* Eccli. III. 22. Denique non omnis armatura quæ fortium est, convenit debilibus. Exemplum de David, qui cum armis Saül incedere non potuit.

Consideratio Decima.

Assumptio status perfectionis exercendæ spectat ad Prælatos tàm majores quàm minores, quorum statui connectitur jus & debitum tres actus Hierarchicos exercendi circà subditos, purgando illos & perficiendo per Sacramentorum dispensationem, cum annexis. Hunc verò statum quomodò liceat aut non liceat appetere vel renuere vel retinere, non est hîc differendum. Satis hîc sit dicere, quòd status iste præferendus est & honorandus, etiam si personas culpabiles habuerit. Inducendi quoque sunt subditi de tertio ordine, quòd istos colant, neque dijudicent, neque diffament: facientes oppositum in suis prædicationibus, vel alibi seditiosi sunt & scandalosi & compescendi; quia nutriunt vitia rebellionum in subditos. Denique tolerabilius est in Ecclesia Sacerdotes de Ordine Hierarchico (quamvis sint peccatores) habere, quàm nullos & honorare pro statu & Hierarchico actu, quàm contemnere pro suspecto reatu. Attendant hoc diffamatores Prælatorum, maximè Curatorum. Sed neque sunt exemptiones in hujusmodi status Hierarchici præjudicium faciendæ.

Consideratio Undecima.

Assumptio status perfectionis acquirendæ, qui vocatur communiter status Religionis cujuslibet habentis tria vota assentialia annexa Religioni tali ultrà generalem regulam Christianam, sub uno Abbate Christo, & Vicario suo Summo Pontifice, continet in observantiis specialibus & sacrificiis, seu positivis arbitrariis multam latitudinem & varietatem, sub qua stare potest salus & observatio regularis; de quibus esset utilis valdè declaratio, sed non est præsentis brevitatis. Sufficiat hîc tangere, quòd nulla est observatio, seu constitutio regularis, superaddita Legi Christi, super qua non habeat Summus Pontifex autoritatem interpretandi, variandi, vel tollendi, vel dissipandi, pro circumstantiarum varietate, sicut & factum est nominatim in Regula Fratrum Minorum, cui interpretationi qui resistit pertinaciter & arroganter, *Dei ordinationi resistit.* Rom. XIII. 2. Et per consequens ordinationi sancti Francisci, cujus non potuit esse alia ordinatio valida, quàm à Deo vel sub Deo.

Consideratio Duodecima.

Assumptio perfectionis acquirendæ si fieri debeat à quolibet suscipiente cum magno labore, timore & tremore (prout notum est consideratione nona.) Hoc tamen potissimè considerandum est & observandum in sexu muliebri, qui fragilis, qui seductibilis, qui varius semper & mutabilis, qui pronus ad superstitiones suscipiendas, & pertinax ad errores susceptos, prædicatur à Sanctis & à Philosophis, quibus experientia consonat universa. Sed augetur periculum, si regularis observatio fuerit in quadam solitudine, quæ à sancto Benedicto & ceteris periculosissima, non exercitatis, judicatur; si in fame, siti & nuditate suprà communem modum; si in vigiliis suprà modum cerebrum turbantibus; si in summa ponatur in proprio & communi egestate; maximè, si petere nequeunt pro se, quia inclusæ & quæstores vix fideles & providi reperiuntur. Dùm prætereà refrigescit *charitas multorum*, Matt. XXIV. 12. & dandi facultas crebrò minuitur, propter quotidianos casus adversos domesticos & publicos. Rursùs si feminæ illæ in exercitiis quasi solis spiritualibus, ad quæ vix attingunt viri perfectissimi dedicantur; si careant ipsæ solidis doctrinis; si Doctores probatissimos non habuerint. Si voluerint accipere *in velamen malitiæ libertatem* spiritus. 1. Pet. II. 16. Si curiosæ voluerint esse; *semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes*; 2. Tim. III. 7. aut si doceri totaliter refugerint. Si non antè benè probatæ fuerint in exercitiis Præceptorum. Si criminatrices fuerint, ut loquitur Apostolus; si se, suamque Religionem aliis sint præferentes, quod non sine arrogantia damnabili fit. Si gaudent laudibus propriis, quasi sint dignæ habere visiones & revelationes à Spiritu sancto; tanquàm Sacerdotes, & Doctores (præsertim sæculares) indigni sint quibus credant, à quibus consilia recipiant, quos revereantur & honorent; quæ subindè suas orationes præferant vel præferri gaudeant, actibus Hierarchicis sæcularium, qui sunt Missas celebrare, Sacramenta ministrare, prædicationibus insistere. Et quia sæpissimè visum est, ut in multis, quòd talia reperiuntur, ne multò deteriora & abominabiliora loquamur, quæ etiam cogitare pudor est; judicet prudentia Dominorum Prælatorum, maximè Summi Pontificis circà tales & talia quid agendum, quia si in viris Religiones inveniuntur ita collapsæ, quid expectandum erit de feminis. Devotus est (fatemur) & honorandus femineus sexus, sed cum summa discretione regendus. Planè non sufficiunt ad hoc Fratres girovagi sine litteris, sine Superioribus legitimis, *quæstum æstimantes pietatem*, 1. Tim. VI. 5. quales notant sancti Patres, esse deterrimum genus Monachorum.

ARTICULI,

Qui dicuntur fuisse publicè asserti in civitate Aviciensi. An. M. cccc. xxviij.

PRIMUS *Articulus.* Quòd *prævalet oratio devota mulieris, vel laici, quàm multæ Missæ peccatoris Presbyteri.* Hæc assertio temeraria est, scandalosa & repudianda, tanquàm derogans statui Ecclesiæ Hierarchico, ac proindè favens hæreticæ pravitati. Superbiam insuper, & rebellionem in subditis feminis & laicis generans; non obstante si in aliquo casu particulari & damnabili possit habere veritatem.

Secundus. Quòd *vita unius devotæ personæ utilior est Ecclesiæ Dei, quàm Prædicatorum inflatorum, vel prædicantium verbi divini prædicatio.* Hæc assertio sic generaliter prolata falsa est, erronea, temeraria, injuriosa & scandalosa, seditionis insuper, rebellionis & inobedientiæ nutritiva in subditis, & Ecclesiastici Ordinis turbativa, & ideò talis retractanda.

Ter-

Digitized by Google

Tertius. Quòd *Fratribus Minoribus non licet habere aliquam rem aliquo modo præter caboissum super collum.* Hæc Assertio reducitur ad temerariam, & præsumptuosam dijudicationem autoritatis Summi Pontificis, qui Regulam Fratrum Minorum (sicut de jure potuit, & expediens judicavit) exposuit.

Quartus. Quòd *Magni Clerici, & Doctores tempore Antichristi erunt primò perversi, & seducti, & sui erroris & secta defensores & fautores. Ista Repentitæ seu Moniales, & simplices personæ, solùm erunt Legis Christianæ defensatrices.* Hæc Assertio ad primam partem temerariè asserta est, & scandalosè, & ex consequenti redundat in hæresim manifestam, juncta secunda parte, quæ dat intelligi quòd Sacerdotium, & Lex Christi, deficient in Sacerdotibus, Prædicatoribus, & Prælatis.

Quintus. Quòd *Quidam Frater Franciscus assertor* (ut dicitur) *illorum articulorum, asseruit se loqui, & locuturum* (cùm talia proponeret) *à Spiritu sancto, adducens illud: Non enim vos estis qui loquimini.* Matt. x. 20. Hæc Assertio censenda est temerariè asserta, & præsumptuosè, immò & scandalosè, dum particulares circumstantiæ se taliter extollentis attenduntur.

Postremò. Secundùm conditiones & signa prædicti assertoris cum applicatione sacrorum Canonum particularium super talibus casibus editorum, formandus erit processus juridicus, si persona possit apprehendi; aut si non, prædicatio, seu publica denunciatio pastoralis, & doctoralis apud eos qui probabiliter scandalizati fuerunt poterit intimari. Verum est, quòd mitior modus potest observari, per publicationem videlicet, & Assertionem veritatum, sub Considerationibus duodecim consideratarum contentarum quæ mittuntur ei, quæ fulciri poterunt atque dilatari per allegationes Dominorum Juristarum.

EPISTOLA EJUSDEM AD EUMDEM EPISCOPUM.

Reverendo in Christo Patri, ac Domino, Domino Guillielmo Aviciensi, Domino sincera charitate colendo.

Poscenti Reverendissimæ Paternitati vestræ rationem de ea quæ in me est Fide super quibusdam articulis, volui monitus ab Apostolorum Principe Petro, simul & vinculo charitatis, ad Epistolam Reverendæ Paternitatis vestræ astrictus respondere per schedulam hîc insertam, conformem (ut æstimo) deliberationibus illorum, quos me præsente, Reverendissimus Pater Dominus, & Benefactor meus benevolentissimus, Dominus Archiepiscopus Lugdunensis interrogavit, & audivit. Suscipiatur obsequium istud servitutis meæ, & placeat in Domino, cujus res agitur, qui purget, illuminet, & perficiat actiones omnium Christianorum Fidelium suorum in vitam veritatis & pacis, qui & Reverendam Paternitatem vestram conservet feliciter, & longævè. Scriptum Lugduni die 27. Februari 1428. Vester humilis Joannes Cancellarius Parisiensis.

A

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis

EPISTOLA MISSA MAGISTRO VINCENTIO*
ORDINIS PRÆDICATORUM
Dei Seminiverbio ferventissimo
CONTRA
SE FLAGELLANTES,

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 699. & Navar. unum.

Nominatissimo Doctori, & Prædicatori zelanti salutem animarum, Magistro Vincentio de Ordine Fratrum Prædicatorum,
B Patri meo in Christi charitate dilectissimo, Joannes de Gerson.

Tanta de virtutibus tuis, Doctor egregie, fama referente crebriùs accepi; tanta specialiter in collocutione familiari cum Reverendo Patre Domino Generali tui Ordinis Prædicatorum agnovi, ut mihi videaris rectè figuratus secundùm nomen tuum per illud Apocalipsis quo speculator totius Ecclesiastici decursus Joannes ait: *Vidi, & ecce equus albus & qui sedebat super illum habebat arcum, & data est ei corona, & exiit vincens, ut vinceret.* Apoc. VI. 2. Existi quidem, ut vinceres, ô Vincenti gloriose, sed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali arcu tu tandem ipse coronatus triumphares? Respondet ille, cujus es imitator Paulus, dicens: *Arma militiæ nostræ non esse carnalia.* 2. Cor. x. 4. cum reliquis similibus, qualia meliùs ipse nosti.

Suppetunt hoc loco plurima cordi meo, quæ libentiùs, & forsan utiliùs verbo, ore ad os, quàm
C calamo muto reserarem tuæ sapientiæ, nisi quòd aliorsùm me trahunt occupationes aliæ. Et quia te gravibus assiduè laboribus intentum protrahere longa scriptorum serie non visum est satis æquum, vel modestum; hoc unum quod in votis nedum meis, sed quàm plurimorum versatur, aperiam.

Reddunt tuæ charitati; tuoque zelo pacis Ecclesiasticæ testimonium hoc insigne, hoc celeberrimum præconium, tum multi, tum nominati præfatus Magister, ac Dominus Generalis quòd inclyto Arragonum Regno nunquàm fuissent concordata pacis capitula, nunquàm substractio quæ tam viriliter, & legitimè facta est ab illo, nimis proh dolor! ergà Matrem Ecclesiam obdurato, Petro de Luna, fuisset attenta; si non autoritatis tuæ pondus, & consilii robur addidisses, cujus favoris tam egregii nosipsi sacro generali Concilio præsentes, desideratissimæ pa-
D cis, Annis jam ferè quadraginta miserabiliter exulantis fructum, & reditum proximum expectamus.

Et, ô te felicem, ô te, ter, quaterque beatum, si præsentialiter adesses, si non auditu solo, sed propriis oculis coram cernere volueris propinquam, vel ut in januis Summi Pontificis electionem, si videlicet efficaci celeritate, si positis interim turbis, jocundam tuæ præsentiæ faciem huic eidem sacro Concilio conspiciendam, attuleris; fructum (nisi fallor) ampliorem, & te, tuisque moribus digniorem afferres, quàm si hoc

* *Is est Vincentius Ferrerius.*

Digitized by Google

hoc neglecto permanseris in incoeptis. Memineris Beati Pauli ad Galatas scribentis: *Deindè*, ait, *post Annos quatuordecim ascendi Jerosolymam cum Barnaba & Tito; & contuli cum illis Evangelium quod prædico in Gentibus; seorsùm autem iis qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vanum currerem aut cucurrissem.* Gal. II. 12. Hoc satis pro tua re tibi dictum puto: est siquidem apud nos altera velut Jerosolyma; sunt Apostolorum Successores Reverendissimi, & Deo amabiles Prælati; sunt Legis Doctores, cum quibus A tuam ipsam prædicationem conferre tàm salubriter, quàm humiliter poteris, ut interim sileam de alio profectu multiplici sperato, si veneris. Crede mihi, Doctor emerite, multi multa loquuntur super prædicationibus tuis, & maximè super illa Secta se verberantium, qualem constat præteritis temporibus fuisse pluries, & in variis locis reprobatam, quam nec approbas, ut testantur noti tui, sed nec efficaciter reprobas. Jactantur indè varii rumores per populos, & apud nos, quorum multa, etsi neque vera, neque credenda censeantur ab illis, qui te (sicut Persius loquitur) *intùs & in cute norunt*; nihilominùs exemplo Pauli, qui per revelationem certissimus erat prædicationem suam esse secundùm Deum, voluit propter condescentionem ad infirmos, propter autorizationem insuper pleniorem per Apostolos descendere in Jerusalem, & collationem habere cum Apostolis. Sic agere placeat, nominatissimè Magister, ac Domine, ac interim benè vale, benevolus susceptor hujus litterulæ quam in procinctu scripsi, die qua so- B lemnitatem ipsius quem prænominavi Barnabæ, beatissimi Pauli consortis, præveniendo recensebam 9. Junii, in Vigilia Sacro sancti Sacramenti. Porrò quia nescio si fortè non exaudiat hanc exhortationem zeli mei tua prudens discretio, nolens hùc accedere de præsenti, judicavi tecum agere sicut mihi in veritate conscius sum, quòd in simili vellem ergà parvitatem meam similiter, & sinceriter agi. Mittimus, Reverendus Pater prænominatus, & ego, quærelas aliquorum quæ in manus nostras nedum verbis, sed scriptis devenerunt, & id agimus non ad damnationem tuam, non ad inculpationem, non ad irritationem, novit Deus, sed cautelam super his omnibus ampliorem. Scio millies expertus quàm varia sæpè, quàm falsa de Prædicantibus referuntur, partim ex auditorum imperitiâ, partim ex arroganti quorumdam maliliâ, contemptu, vel invidiâ. Scio denique qui ait: *Da sapienti occasionem, & festinabit accipere.* Prov. IX. C 9. Interim benè vale in Domino, qui tuam in bono viam dirigat, custodiat, & confirmet. Amen.

EPISTOLA CARDINALIS CAMERACENSIS

Ad eumdem, de eadem re.

REVERENDE Magister, & Pater charissime, familiaria colloquia quæ tecum in Janua, & Padua, & quandoque alibi me habuisse recolo, sermonesque tui salutares quos audivi, de te omne bonum, præcipuèque humilitatem, quæ virtutum omnium fundamentum, præsumere cogunt. Ideò cum dilecto D Fratre & Socio meo, Cancellario Parisiensi, ad præmissa te charitativè exhortari persuasus sum. Tuus per omnia Petrus Cardinalis Cameracensis.

Post Scripturam, & datam Literarum istarum, fuerunt die Veneris ultimò præterita uniti sacro Concilio Domini Castellani, qui similiter ad alios fecerunt, & publicaverunt subtractionem à Petro de Luna. Digneris ad pacem Regni, immò & Regnorum laborare, & benè vale. Scriptum 21. Junii. Constantiæ. Vale in Domino, qui tuam in bono viam dirigat, custodiat, & confirmet. Amen. Tuus ad te devotus Joannes Cancellarius Parisiensis.

Finit Epistola Magistri Joannis de Gerson ad sanctum Vincentium Ordinis Prædicatorum missa, in qua hortatur ut Concilium Constantiense sua personali præsentia accedere dignetur, Sectamque se flagellantium, ut ad tempus deserat, modestissimè persuadet.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

TRACTATUS CONTRA SECTAM FLAGELLANTIUM SE, &c.

Sub aliquibus Considerationibus.

Anno 1417. in Concilio Constantiensi.

Collat. ad eosd. Codd. MSS.

LEX Christi dicitur Lex amoris, *quam Dominus*, sicut dicit Augustinus: *voluit paucissimis Sacramentis esse contentam.* Et indè culpat eos qui servilibus eam premunt oneribus, conformiter ad illud primi Pastoris Petri: *Quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodùm & illi.* Act. XV. 10. Optimum verbum, certè verbum omni acceptione dignissimum.

Lex Christi non minùs debet in cultu suo vitare superstitiones Gentilium, & Idololatrarum, præsertim crudeles & horrendas, quam Antiqua Lex, in qua tamen prohibitio fit per expressum *Deut.* XIV. 1. ubi dicitur: *Filii estote Domini Dei vestri, non vos incidetis.* Glossa. Non debetis in aliquo Idololatris assimilari. Et in Hebræo habetur: *Non vos lacerabitis*; hoc autem faciebant Idololatræ, sicut habetur 3. *Reg.* XVIII. 28. ubi dicitur, quòd *incidebant se juxtà ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Compertum siquidem est & traditum homicidas illos, & apostatas dæmones, esse cupidos effusionis sanguinis, præsertim humani.

Lex aliqua quantò est iniquior, & dæmoniis obsequentior, tantò semper invenitur crudelior, & amarior: patet in illis, qui filios suos, & filias immolabant dæmoniis. Hinc Dominus ait per Prophetam: *Servietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem*; Jer. XVI. 13. Christus autem ex gratia sua (sicut notatur in dicto Petri priùs allegato) voluit nos misericorditer salvare per sanguinem suum semel effusum, per quem *factus est nobis à Deo sapientia, justitia, sanctificatio, & redemptio.* 1 Cor. 1. 30.

Lex Christi maximam sortitur virtutem ex misericordia, & gratia sua, cujus gratiæ vasa sunt Sacramenta Novæ Legis ex virtute operis operati, & ideò quicquid avertit à Sacramentis suscipiendis, præsertim à Sacramento Confessionis, debet rejici fideliter. Constat autem per experientiam in multis, quòd taliter se flagellantes non curant de Sacramento Confessionis, vel Pœnitentiæ Sacramentalis, dicentes, quòd hæc flagellatio potior est ad delendum peccata, quàm quæcunque Confessio; immò eam æquiparant nonnulli, vel præponunt martyrio, quoniam facimus, inquiunt, ultrò fundendo sanguinem proprium, quod ab aliis Martyres pati cogebantur. Formidandum tamen

istic,

Digitized by Google

istic est, neapud personas Clericales, & in locis sacris, causet hæc pollutio sanguinis, vel Excommunicationem, vel irregularitatem, vel contaminationem, & profanationem in eisdem locis sacris.

Lex Christi prohibet sollicitè, pœnitentias publicas dandas esse Clericis, Sacerdotibus, & Prælatis, propter reverentiam status Clericalis, quantò minùs debent tales personæ suscipere pœnitentias hujusmodi publicas, sicut sunt (ut fertur) multi de numero se flagellantium, qui licet videantur celare se, tamen cognoscuntur. Similiter diceretur de personis insignibus in utroque sexu, de servanda insuper verecundia juvenum, illic se denudantium, & de non infringenda gravitate virorum, vel autoritate minuenda parentum.

Lex Christi si videatur flagella indulgere, juxtà illud: *Ecce ego in flagella paratus sum.* Ps. XXXVII. 18. Nihilominùs circunstantiæ debent apponi, quibus rationabile fiat obsequium nostrum. Una, quòd hujusmodi flagellatio fiat judicio Superioris imponentis talem pœnitentiam, & quòd ab altero fiat, & moderatè, & sine scandalo & ostentatione, ac fine sanguine, juxtà traditionem Guillielmi Parisiensis, quemadmodùm fit hujusmodi flagellatio in Religionibus approbatis, & ab aliquibus devotis personis. Sed aliter longè videmus in illis quæ reprobamus flagellis observari.

Lex Christi declarata per Ecclesiam (cujus autoritas major est in sua consuetudine, dicente sancto Thoma, quàm sit autoritas unius Doctoris, sicut Hieronymi, vel Augustini) semper sectam flagellantium se reprobavit, postquàm insurgere videbatur in diversis mundi partibus, & hoc de memoria plurium hominum viventium, tam in Lotharingia, quàm in Alemania, & in Francia pluribus in locis, juxtà narrationes hominum, & Chronicas Franciæ, ac scripturas fide dignas.

Lex Christi frequenter prohibuit multas observationes sicut Begardorum, & Begardarum, quæ in prima sui introductione prætendebant speciem magnæ Religionis, ac multi fructus spiritualis in animabus, & exempla salutis, atque austeritatis. Prohibuit, inquam, propter sequelas malas & multas quæ sub hoc prætextu fieri sunt inventæ. Non enim est malum quod subsistere posset, si non aliquam speciem haberet in se boni: propterea fallit hæc argumentatio: *Proveniunt ex hac secta flagellatorum multa bona, non igitur tollenda, vel reprobanda.*

Lex Christi nedum ordinat hominem ad Deum, sed etiam ad proximum, & ad Principem, seu Prælatum suum; propterea non debet qualiscunque ritus introduci per populos, qui possit causare seditionem, vel partialitatem, vel superstitionem, sed debent omnia regulatè fieri, & ordinatè; de mandato, & ordinatione Superioris, ut nullatenùs Ordo Hierarchicus confundatur; quod fieret, si quilibet ad arbitrium suum posset instituere, vel fovere novum ritum, sine duce, sine Lege stabili, sine ordine, ubi sunt juvenes, & virgines, senes cum junioribus, simul in unum dives & pauper, & illorum turba magna, de quibus ait Ecclesiastes: *Stultorum infinitus est numerus.* Eccle. I. 15.

Lex Christi sufficienter data est in Præceptis Decalogi, quorum observatio facta cum bona simplicitate, & ut ita dicatur, grossa Fide, satis est ad salutem, præsertim laïcorum & popularium, absque nova gravissimorum onerum impositione, juxtà illud Christi: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Matth. XIX. 17. Nec valet si dicatur quòd populares suscipiunt voluntariè tales flagellationes sine præcepto alio; dum invenitur quòd ipsi divina Præcepta liberiùs in multis indè contemnunt. Est enim contumax humana natura, quæ postquàm destituta est ab originalis justitiæ statu, cupidiùs fertur in illa quæ sunt adinventionis suæ, quàm quæ sunt divinæ jussionis, & hic est unus superbiæ gradus, quem apud Religiosos loquitur Bernardus inveniri: *dùm plùs gaudent in abstinentia, vel oratione particulari spontaneè sumpta, quàm in tota regulari disciplina.*

Lex Christi sufficienter ab Apostolis, & sacris Doctoribus explicata, non invenitur. tales novitates flagellantium se constituisse prædicando, vel aliter; sed potiùs reprobasse tanquàm suspectissimas, & periculosissimas, & quæ vergere possunt in scandalum Christianorum apud Judæos, Saracenos & Paganos, tanquàm Lex Christi sit austera, crudelis, & in sanguinibus, non in miserationibus enutria.

Lex Christi docet ex præmissis, & similibus multis, Prælatos Ecclesiæ, Pastores & Doctores, immò & Principes, quòd sectam hujusmodi cruentam, & sanguinolentam (Gallicè *sanglante*) studeant, & laborent destruere, seu compescere, tam bonis prædicationibus, & bonis suasionibus, quàm Censuris, nedum Ecclesiasticis, sed etiam temporalibus, more Prædecessorum; attento quòd sub hoc velamine, ac pretextu pœnitentiæ fiunt innumera mala, sicut experti testantur. Insurgunt hæreses, vilipenduntur proprii Sacerdotes, contemnuntur Confessiones & pœnitentiæ Sacramentales, extorquentur dolosis modis pecuniæ, otia quæ pigros occidunt, nutriuntur. Silemus de furtis, de stupris, & adulteriis, de periculis quæ sunt in falsis fratribus, & fraudulentis sollicitationibus ad omne facinus, atque flagitium; ita ut bonis & malis, hinc indè stratera justa, vel æqua lance pensatis, mala multò plura quàm bona parturire cognoscatur hæc secta se flagellantium, pridem, & pluries jam damnata. Propterea dum repullulat, vel excrescit, toto studio funditùs evellenda, proterendaque censetur.

Verùm quoniam oportet in hoc malo jam radicato, & quod latissimè serpit, procedere pedetentim, & cautè; ne dùm quæruntur eradicari zizania flagellatorum hujusmodi, simul evellatur & triticum priùs seminatum boni, salubrisque verbi Dei. Notetur igitur cautela quadruplex infrà scripta.

Fiat imprimis exhortatio vehemens, & crebra, de & super autoritate sacri Concilii, dum illud est. Similiter de autoritate Papæ, & Ecclesiæ Romanæ, quatenùs quilibet habeat promptitudinem animi parere, vel obedire mandatis, vel institutionibus, seu consiliis prædictorum; quemadmodùm facit egregius & fervidus Prædicator Magister Vincentius, sicut patet ex literis propria manu subscriptis, novissimè missis Constantiam. „ In quotidianis, inquit, recommen„dationibus sacri, & universalis Concilii Constantien„sis quas facio post Sermonem, docui, & doceo om„nes fideles submittere omnia facta & verba, ac etiam „scripta, determinationi, ac etiam correctioni ejus„dem sacri Concilii. Subdendo. Et sic facio ego „in omnibus factis, & dictis, ac etiam scriptis meis.„ Hæc ibidem: quæ manifestant discretam humilitatem & humilem discretionem tanti viri; quæ discretio posita est à sanctis Patribus ductrix aurigaque virtutum, dùm instar devoti Bernardi plùs alieno, quàm proprio credit judicio. Porrò non est formidandum retractationis (quæ forsan opponetur) opprobrium. Sit in exemplo beatus Augustinus cujus retractatio nec inhonoravit eum, nec autoritatis dictorum suorum robur evertit. „ Nihil enim (ut quidam ait) efficacius ad docendum, „quàm verbum verax, simplex, & humile, nihil ha„bens fictionis, vel superbiæ, præsumptionis admix„tam; quoniam Deus est, qui cum simplicibus graditur, „dans eis gratiam & virtutem verbis suis, sine qua labo„rat in vanum lingua loquentis.„ Fiat ostensio quemadmodùm fuerunt quandoque inchoata pia devotione, quæ processu temporis inveniuntur deteriores exitus accipere, vel propter scandalum pusillorum, vel propter scientiæ defectum, sicut loquitur de qui-

Digitized by Google

quibusdam Apostolus: *Testimonium*, inquit, *perhibeo eis*, *quia æmulationem Dei habent*, *sed non secundùm scientiam*. Rom. x. 2. Fiat itaque sic docendo, sic prædicando, quòd non ita reprobabuntur personæ singulæ, quæ præsentibus temporibus flagellaverunt se, quòd videantur nunc damnandæ, vel penitùs execrandæ, dummodò deindè obediant monitioni salutari: inculcando, quemadmodùm *melior est obedientia*, *quàm victimæ*. 1. Reg. xv. 22. Et quòd jussione divina: *In omni oblatione tua sal offeres*. Lev. II. 13. Fiat exhortatio diligens, & vehemens, super laudibus patientiæ, quæ perfectum opus habet, præferendo eam talibus ultrò acceptis flagellationibus, juxtà quod loquitur Augustinus conformiter ad Senecam, quòd *Adversitates sæculi hujus non tam infligendæ sunt*, *quàm dum evenerint patienter tolerandæ*, *faciendo per patientiam de necessitate virtutem*. *Non sum tam demens* (inquit Seneca) *ut ægrotare velim*, *sed si ægrotandum est*, *patienter tolerabo*. Debebunt proindè numerari diligenter atque singillatim tribulationes variæ, nunc temporales, nunc spirituales, quæ assiduè nobis dant & ingerunt, velimus nolimus, patientiæ materiam, cujusmodi sunt infirmitates, paupertates, vexationes, angariæ, mortes parentum, atque filiorum, bella, rapinæ, incendia, detractiones, contumeliæ, labores manuum in agricolis & mechanicis, tentationes rursùm variorum peccatorum, quando *intùs pugnæ*, *& foris timores*. 2. Tim. VII. 5. Et quis cunctas hujusmodi tribulationes dinumeret? quæ tot & tales sunt quòd non oporteat novas superinducere, quoniam satis esset tolerantia fortis tribulationum hujusmodi quotidianarum pro purgatione magna peccatorum, præsertim adjuncta contritione & humili Confessione in re, vel proposito, tempore & loco. Juxtà quod rogabat quidam: fiat pars purgationis meæ, purgatorium meum, labor quo hîc per singulos dies exerceor. Et profectò sic est; plus aliquando valet pia flagellorum Dei sub ejus manu tolerantia sine murmure, sine reprehensione divinorum Judiciorum, sine rancore vel odio contrà Superiores suos, vel alios affligentes se justè vel injustè, quàm si manens iracundus & impatiens nedum flagellaret seipsum ad sanguinem; sed laceraret & decerperet membratim ad mortem.

Immò sicut non licet hominem seipsum propria autoritate mutilare vel castrare, nisi pro sanitate totius corporis consequenda; sic nec licet (ut videtur) quòd à seipso quis sanguinem violenter ejiciat, nisi causâ medicinæ corporalis. Alioquin simili ratione posset se homo cauterizare per ferrum ignitum, quod adhuc nemo posuit vel concessit, nisi fortè Idololatræ, vel falsi Christiani, quales reperiuntur in India; qui se putant baptizari debere per ignem.

Fiat in speciali velut in quadam radice provisio solers & exacta circà societatem illam multùm numerosam, à qua videtur inchoata vel saltem multùm continuata & obfirmata flagellatio talis. Undè cùm dicant se sub obedientia esse, primitùs imperandum est quòd desistant & desistere suadeant alios, sub moderatione quæ dicta est, videlicet nisi vel quousque sacrum Concilium, vel Ecclesia Romana mandaverit vel toleraverit hæc fieri, allegando regulam moralem, quòd ubi dubitatio surgit de aliquo actu, an possit licitè fieri vel omitti, tutius est omittere quàm facere: præsertim ubi factio generare cernitur scandalum aliorum. Undè est illud Apostoli: *Si esca scandalizet fratrem meum*, *non manducabo carnes in æternum*. 1. Cor. VIII. 13. Videretur proindè numerus talis coarctandus & sollicitè purgandus, ne sub eorum multitudine etiam bonorum, mali & reprobi delitescant. Denique populus quando erigitur ad novitates, illæ sunt illis ingerendæ, in quibus est tuta salubrisque devotio, sicut de misericordia Sanctorum & recursu ad eos, vel ad Angelum proprium custodem, ad Sanctum cujus nomen persona gerit, ad illam Matrem Dei & virginalem sponsum suum Joseph, numerando prærogativas eorum.

Proindè si prædicandum fuerit de finali Judicio vel Antichristo, fiat hoc in generali, concludendo quòd in morte quilibet habet suum Judicium proximum & incertum. Quod si quis inducere voluerit miracula nova super Antichristi adventu proximo, notet quòd mundus senescens patitur phantasias falsorum miraculorum; sicut homo senex phantasiatur in somno: propterea sunt nunc habenda miracula valdè suspecta, nisi facta priùs examinatione diligenti. Observandum præterea summoperè videtur apud tales de societate, quòd nullo modo vivant otiosè, si laborare possint, ut sint in admonitionem & exemplar laborantium, ut prætereà nihil agant contentiosè & velut ex vituperio & contemptu Prælatorum majorum & minorum, vel aliquorum generaliter Clericorum, neque in Prædicationibus faciendis, neque in Confessionibus audiendis. Propterea debent in omni loco quò primò veniunt, primitùs habere collocutionem & beneplacitum cum Ecclesiasticis vel eorum Capitibus, ne schisma forsan fiat laicorum ad Clericos, vel è contrà.

Tandem si fortè senserit Doctor insignis Magister Vincentius non posse convenienter super præmissis salubriter & efficaciter providere, videtur consultiùs ut ad tempus segregaret præsentiam suam, effugiens tantam societatem, quod fieri posset visitando sacrum Concilium; vel altera occasione sibi sumpta. Hæc interim notata sunt velut in quodam transcursu, magis ad rememorandum quàm docendum. 18. Julii. Anno Domini 1417. Constantiensis tempore Concilii.



JOAN-

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPERUM

TOMI SECUNDI

PARS QUINTA.

CONTINENS

Ea quæ pertinent

AD

DISCIPLINAM MONASTICAM.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

QUÆSTIO. THEOLOGICA

CUJUS TITULUS EST:

Utrum aurora manè rutilans solem ediderit.

In qua tractatur

DE

CONSILIIS EVANGELICIS, ET STATU PERFECTIONIS.

Collat. ad MS. Cod. Vict. 699.



UÆSTIO determinanda, *Utrùm aurora manè rubens solem ediderit?* Quia juxta Aristotelem *in Elenchis. Omnes transferentes secundùm aliquam similitudinem transferunt.* Animadvertendum est quòd, ut longa, & certa experientia comperit Medicus auroræ, imitans naturam Veris temperati in diebus Anni vires animales confortat & perficit, pro eo scilicet, quòd in eò, ut ipsi tradunt, humor sanguinis, in quo secundùm eos vita consistit, dominatur. Et sol iste, quem nobis aurora parit, vita est viventium & animantium istorum.

Idcircò altiùs transferendo investigare libet, in quo stat, manet & consistit vita animæ nostræ spiritualis, & perfectio vitæ Christianæ, quod propriè est Theologicæ investigationis, & non inutilis considerationis. Novimus itaque, vitam istius corporis stare, & consistere in unione, vel conjunctione ipsius ad animam, quæ est Principium vitæ, & actus substantialis corporis organici physici. Quantò igitur conjunctio ista ad corpus ipsum quod actuat, informat, & vivificat major est, & indissolubilior; tantò utique vita ista corporalis perfectior est. Si igitur conformiter ad ista scire & investigare voluerimus, in quo stat & perficitur vita Christiana, sciemus istud, habito & cognito illo quod spiritum nostrum rationalem suo vitali & perfectivo principio, quod Deus est, perfectiùs & intimiùs unit, & intimat, & jungit in ipso. Etenim sicut à Poëtis dictum allegat Apostolus: *In quo vivimus, movemur, & sumus.* Act. XVII. 28. Hinc & ipse dicebat: *Mihi vivere Christus est.* Philipp. I. 21. Et iterum: *Vita nostra abscondita est cum Christo in Deo.* Coloss. III. 3.

Est igitur conclusio ista fundamentalis hujusmodi: Vitale, essentiale, intrinsecum, & perfectivum formaliter principium vitæ Christianæ est Charitas, & ejus Mandata. Conclusionem istam ponit in sententia sanctus Doctor 2, 2. q. 84. art. 3.

Quæ quidem sic probatur. Primò de ipsa Charitate, quoniam in illa stat & consistit vita Christiana, & perfectio ipsius, quòd spiritum nostrum rationalem suo vitali, & perfectivo principio, ipsi scilicet Deo, unit perfectiùs, viciniùs intimat, & conjungit; hoc supponit: illud autem est Charitas, quoniam *qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo*, ut ait Joannes in Canonica. Cap. IV. 16. Juxtà quod Colossenses monet Apostolus: Coloss. III. 14. *Super omnia*, inquit, *charitatem habentes, quæ est vinculum perfectionis.* Et I. Cor. XIII. ℣. I. 2. scribit: *Si habuero omnem Prophetiam, & noverim mysteria omnia & omnem scientiam, & si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.* Secundò arguitur ad istam partem, quoniam vita Christiana

stiana consistit in virtutibus Theologicis, & moralibus; inter eas autem omnibus supereminet charitas, velut perfectissima, & aliarum perfectiva. Confirmatur: quoniam vita beata quæ est consummata, & completiva, stat in dilectione & amore inter Beatos. Etenim ille perfectiùs vivit vita beata, qui Deo plùs adhæret, & intimatur per dilectionem, & transformativum amorem. Tertiò ad idem: quoniam illud est vita animæ nostræ spiritualis, quod est summa, terminus, finis & complementum totius Legis, & Evangelii, hoc autem est charitas, ait Apostolus: *Plenitudo enim legis est dilectio.* Rom. XIII. 10.

Quocircà volens Salvator Petrum sicut perfectissimum pro se ducem, & Pastorem instituere perfecti corporis Ecclesiastici, de solo amore interrogavit: *Petre*, inquit, *amas me? diligis me plus his?* Joan. XXI. 15. 16. apertè volens innuere illum in omni sexu, statu, & gradu perfectissimum, qui Deum maximè diligit. Secundò, principaliter probatur conclusio de ipsis Mandatis autoritate Joannis in Canonicis: *Scimus*, inquit, *quoniam translati sumus à morte ad vitam.* Cur ita? Causam subintulit; *quoniam diligimus fratres.* I. Joan. III. 14. Undè Christus *Matth.* V. 48. postquàm Præcepta dedit de dilectione proximi, & inimicorum, concludit: *Estote ergo & vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Sic & *Luc.* X. 28. ad Legisperitos ait de amore Christi, & proximi: *Hoc fac & vives.* Loquitur sæpiùs & de ipsis Mandatis in Lege, & Prophetis, quòd ea faciens *vivet in eis.* Lev. XVIII. 5. Deut. V. & aliis pluribus in locis. Sic & glossa super illo jam allegato: *Super omnia autem charitatem habete* &c. Coloss. III. 14.

Ceterà, inquit, Præcepta perfectum faciunt pro quanto ad charitatem ordinantur. Quamobrem & Beatus Athanasius hominum perfectissimus unus in Libro, quem fecit *De satisfactione fugæ*: *Hic est*, dicebat ipse, *hominum terminus ad perfectionem ducens: si quod jubet Dominus, ipse faciat.* Stat igitur in hoc puncto radix dicendorum, quòd charitas, & ejus Mandata, per se, & essentialiter integrant, constituunt, & perficiunt vitam Christianam. Ex conclusione infero primò: sicut Præcepta Dei dantur de charitate, & omnibus virtutibus, & actibus eorum, sic etiam data sunt de perfectione charitatis, & omnium virtutum. Prima pars patet: quoniam secundùm Theologicam doctrinam omnes virtutes pro loco, & tempore, sunt in Præcepto: cùm enim virtutes necessariò connexæ sint, oportet si una sit in Præcepto, quòd & omnes. In secunda parte volo dicere, quòd Præceptum charitatis claudit omnem, & totam beatitudinem, tàm intensivam, quàm extensivam dilectionis, & amoris, quantùmcunque perfecta, & intensa fuerit ista latitudo. Et ita de ceteris Præceptis imaginandum est, quæ sunt de virtutibus, undè loquitur Psalmista: *Omnis consummationis*, Ps. CXVIII. 96. hoc est, omnis & totius perfectionis, *vidi finem.* Quid? *Latum mandatum tuum nimis*, latitudinem videlicet nimiam, vel multam, extensivè usque ad dilectionem inimicorum, & persequentium nos intensivè; ut quæ totam perfectionem gradualem claudat dilectionis, & amoris. Corollarium istud ponit expressè Beatus Augustinus in Libello *De perfectione justitiæ*, ubi ex introductione Justitiæ determinat, quòd perfectio justitiæ, quæ est virtus generalis includens omnes virtutes, est in Præcepto: *Cur enim*, inquit, *non præciperetur homini ista perfectio, quamvis eam nemo in hac vita habeat.*

Neque enim, ait Christus, rectè curritur, si quò currendum est, nesciatur. Quomodò autem sciretur, si nullis Præceptis ostenderetur? Manifestè colligitur istud ex forma Præcepti charitatis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua*; Deut. VI. 5. totum autem & perfectum idem sunt III. *Physicorum.* Et de proximo Mandatum habemus: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Matth. XXII. 39. Majorem autem & perfectiorem dilectionem mandare non potuit Dominus, quàm quòd eum sicut nos diligamus, qui nosmetipsos maximè amamus. Quapropter & Propheta Regius loquitur Domino: *Tu mandasti Mandata tua custodiri nimis.* Ps. CXVIII. 4. Et iterùm: *Mandasti justitiam testimonia tua, & veritatem tuam nimis.* ℣. 138. Ubi Glossa Augustini & aliorum. *Nimis*, hoc est, multùm valdè, & intensè. Immò juxtà aliquas glossas, plus quàm etiam natura carnis patitur. Undè & in hoc concordant Doctores Theologici, quòd soli Beati implent Præceptum charitatis in sua consummatione, vel completione. Nullus autem inventus est, qui diceret quòd ipsi sic agentes faciant opus Consilii, sed Præcepti; non quidem noviter dati sed à creatione sua signati super eos. Infero secundò, quòd minùs sufficiens est imaginatio illorum qui imaginati sunt quòd Præcepta Dei ordinantur ad charitatem, & alias virtutes sub aliqua certa mensura minimo gradu, quòd autem est suprà illam mensuram vel gradum illum, est sub Consilio. Apparet istud minùs sufficere. Primò ex statim dictis. Secundò ex ipsa forma Præcepti quæ totalitatem mandat, & perfectionem, & nullum gradum relinquit sub Consilio, *diliges* præcepit ex totis viribus, qui autem totum dicit, nihil excludit. Corollarium autem istud est de intentione Doctoris sancti 2. 2. q. 184 a. 3. Et *in* Libello suo *De perfectione vitæ spiritualis. Præceptum*, inquit, *dilectionis nullis terminis coarctatur, ita ut rectè dici possit, quòd tanta dilectio sit in Præcepto quòd nulla excedit limites Præcepti, imò unicuique mandatur ut Deum quantum possit diligat.* Potest & istud deduci, quoniam Præcepta, & Consilia ut infrà meliùs videbitur, habent aliam & aliam materiam, sive aliud & aliud objectum: si enim caderent super eamdem materiam, vel idem objectum, esset ea confundere. Dilectio autem Dei, & proximi est materia circà quam cadit Præceptum charitatis: igitur circà ista non est Consilium. Undè nusquàm in tota serie Scripturæ sacræ reperitur, quòd aliquis gradus, vel mensura aliqua dilectionis Dei & proximi sit in Consilio. Sequitur tertiò. Non modò dilectio quæ haberi potest in via est sub Præcepto, verùmetiam dilectio ipsa beatifica. Istud ex intentione ponit Beatus Augustinus in libro *De perfectione Justitiæ*, sicut jam allegatum est. Et arguitur istud, quoniam Mandatum Dei æternum est ex tota materia sua; dilectio autem beatifica est de ipsa materia: ergò non exit limites Præcepti. Præterea ad dilectionem beatificam omnes obligamur tendere, niti & conari; ergò illo modo saltem est in Præcepto. Etiam quia ut dictum est: Beati qui perfectè & totaliter Deum diligunt non faciunt opus Consilii sed magis Præcepti, quoniam maximè obligantur perfectè Deum diligere. Ex quo apparet ultrà, quòd illud quod cadit sub Præcepto, potest diversimodè impleri absque culpa vel transgressione. Aliter enim diligunt Deum viatores aliter comprehensores, aliter perfecti viri, aliter incipientes, & aliter proficientes. Et tamen minùs peccant imperfecti si non æquè Deum diligant velut perfecti jam in charitate firmati & radicati; nec imputatur viatoribus ad culpam, si non eo amore unitivo Deo hæreant quo & ipsi beati, quamquàm secundùm Augustinum dilectio beatifica sit sub Præcepto. Licèt enim sit sub Præcepto; non tamen est de necessitate Præcepti. Neque enim necesse est ut optimo modo diligatur Deus, quinimò ad evitandum culpam sufficit appretiativè plus eum diligere, hoc est, quòd amor Dei omnibus præponatur, sic quòd paratus esset homo, antè omnem alium amorem dimittere, quàm Dei amorem: & hic est unus modus perfectæ dilectionis nobis possibilis & de necessitate Præcepti. Ulteriùs ex conclusione sequitur, quòd si Consilia ad perfectionem vitæ Christianæ facere dignoscuntur, non tamen essentialiter hominem perficiunt in vita Christiana.

Pri-

Digitized by Google

Prima pars claret ex decursu Evangelii.

Pro secunda arguitur, quoniam plures perfecti fuerunt in vita spirituali absque observantia Consiliorum Evangelicorum, ut de Abraham constat, cui Dominus ait: *Ambula coram me & esto perfectus.* Gen. XVII. 1. De Job etiam, cui *nullus similis erat in terra*; Job. I. 8. & II. 3. De ceteris quoque Patriarchis, Patribus, & Prophetis Veteris Testamenti, quos fuisse perfectos nullus negat; neque tamen servaverunt, aut impleverunt Consilia Evangelica. Item in statu innocentiæ fuissent homines perfectissimi in vita spirituali, nec tamen observassent Consilia Evangelica, Paupertatis, Obedientiæ & Castitatis; sed eorum perfectio fuisset in adimpletione divinorum Præceptorum. Ex quo patet, quòd pro tanto Consilia Evangelica pertinere, & facere dicuntur ad perfectionem vitæ spiritualis, quia sunt instrumenta quædam expedientia, & promoventia admodùm ad perfectionem ipsam vitæ spiritualis conquirendam, vel jam acquisitam conservandam.

Sequitur ex dictis, quòd ex quo non intrant essentialem constitutionem vitæ Christianæ, oportet dicere, quòd solùm instrumentaliter ad illam faciunt, & concurrunt, quemadmodùm in vita corporali qualitativæ dispositiones, instrumenta, organa, & hujusmodi perficiunt quidem vitam corporis, sed instrumentaliter tantummodò & accidentaliter, secundùm quid, & nullo modo essentialiter. Hoc expressè tenet sanctus Thomas 2. 2. *Quæst.* 185. *art.* 8. hoc in solutione primæ rationis, atque sequentis *art.* 6. ubi quærit: „ An liceat Episcopis aliquid possidere „ in solutione primæ rationis. „ Idem & *Quæst. subsequenti art.* 2. *In Corp.* ubi dicit, „ quòd ad perfe„ ctionem vitæ Christianæ essentialiter pertinet perfe„ cta observantia Præceptorum., Hoc idem ponit *Quæst.* 198. *art.* 1. *In Corp.* ubi quærit: An habere aliquid in communi diminuat de ratione perfectionis. Hæc eadem determinat in Libello suo *De perfectione vitæ spiritualis.* Sic & post eum Godefridus *De Fontibus*, *& alii.* Ulteriùs infero, quòd paupertas voluntaria quantùmcumque arcta, non perficit hominem essentialiter in vita Christiana. Illud expressè determinat Cassianus *In Collationibus Patrum* Coll. 1. & allegat sanctus Doctor in Libro sæpè memorato: *Jejunia*, inquit, *vigiliæ*, *nuditas*, *privatio omnium facultatum*; *non perfectio*, *sed perfectionis sunt instrumenta*, *quia non in ipsis consistit disciplina finis*, *sed per illa pervenitur ad finem.* *Ob hoc enim*, ait sanctus Doctor, ubi suprà, *hæc in Religionibus instituta sunt*, *non quia in ipsis principaliter consistat perfectio*, *sed quia his quasi quibusdam instrumentis ad perfectionem venitur.* Hoc idem ponit 2. 2. Quæst. 185. art. 4. *In solutione primæ rationis.* Undè & quærens in Libro *De Perfectione vitæ spiritalis*, quomodò fuit Abraham perfectus, qui divitias habuit, & dives mortuus est. *Hæc*, inquit, *quæstio solvi non potest si perfectio vitæ Christianæ consisteret in ipsa dimissione divitiarum. Sequeretur etenim Abraham divitem, non esse perfectum, aut fuisse. Verum si verba Domini diligenter considerentur, non in ipsa abdicatione divitiarum perfectionem posuit, sed hoc esse quamdam viam & dispositionem ad perfectionem, sicut & ipse modus loquendi clarè ostendit.* Si vis, *inquit*, perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni & sequere me. *Matth.* XIX. 21. *Ultimò ponit*, *&* sequere me, *quia in sequela Christi consistit perfectio ad quam instrumentaliter disponit abdicatio divitiarum. Undè & illam abdicationem ordinat ad dilectionem proximi.* Da, *inquit*, pauperibus: *Quocirca & Beatus Hieronymus super illo.* ℣. 27. Ecce nos relinquimus omnia & secuti sumus te. „ *Parùm enim*, inquit, *omnia relin„ quere*, *quod & Socrates fecit*, *& multi Philosophorum.* „ *Ideò & jungit*, *quod perfectum est*, *& secuti sumus* „ *te. Non quidem passibus corporis*, *sed amoris. Sic & Origenes super illo*: Si vis perfectus esse, &c. Matth. XIX. 21. *Non sic inquit*, *intelligitur istud ut in* „ *ipso tempore quo tradiderit quis bona sua pauperibus*, „ *perfectus fiat*, *sed quia ex illa die incipit speculatio* „ *Dei*, *deposito scilicet onere divitiarum*, *quia sic libe„ riùs Deo vacans potest eum adducere ad omnes virtu„ tes.* „ Videtis quod in actibus virtutum ponit essentialem & finalem perfectionem. Sic igitur potest quis possidens amplissimas divitias perfecta charitate Deo inhærere, & ipsis affluentibus cor non apponere, quemadmodùm constat fuisse de Abraham, cujus perfectio non ponitur in abdicatione divitiarum; sed in hoc quòd coram Deo ambulaverit: *Ambula coram me* (ait ad eum Dominus) *& esto perfectus.* Gen. XVII. 1. Ambulavit autem perfectè Deum diligendo, & amando. *Nec ex hoc arguere poterit quis*, *inutile esse Consilium paupertatis*, sicut ait sanctus Doctor ubi suprà. *Non enim*, ut ipse ait, *propter hoc dedit Consilium istud quasi divites perfecti esse non possint*, *sed quia faciliter non perficitur homo cum possessione divitiarum.* Hoc idem sentit Dominus Guillelmus Antisiodorensis, respondendo ad quoddam argumentum, cùm arguitur. *Relinquere omnia est opus perfectæ charitatis.* *Hoc*, inquit, *sic intelligendum est*, *quòd est signum perfectæ charitatis*, *& non essentialiter perfectio.* Præterea si paupertas esset essentialis perfectio, sequeretur quòd nulli divites possent perfici in vita Christiana, ex quo non haberent paupertatem quæ secundùm adversarium pertinet ad essentialem perfectionem. Falsitas consequentis ex illo arguitur *Eccli.* XXXI. 8. ubi *Beatus dives* ille dicitur, *qui inventus est sine macula*; *nec speravit in thesauris pecuniæ.* Super quo glossa magna: *Siquidem virtus est divitem esse*, *& perfecta charitate Deo figi*, *& adhærere*, *qui ex affectu divitiarum maculam non contraxit*, *qui post aurum concupiscendo non vadit*, *nec de divitiis superbiendo super alios se extollit.* Sequitur: *Quis est hic*, *& laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua.* Verè enim mirabilia facit, qui in divitiis affluentibus cor non apponit. Post quæ omnia concludit: ℣. 10. *Qui probatus est in illo & perfectus inventus est.* Item si Paupertas voluntaria essentialiter faceret ad perfectionem vitæ Christianæ, sequeretur, quòd possessio opum, & divitiarum essentialiter imperficerent hominem; & ita Prælati, Papa Dominus omnium, viri Ecclesiastici possidentes divitias; isti deficerent à perfectione Christiana, immò ipsi Religiosi qui de arctissima paupertate gloriantur transeuntes ad Prælaturas, in quibus recipiunt amplas divitias; illi, inquam, caderent à perfectione essentiali vitæ Christianæ, & ita nunquàm deberent ad Prælaturas illas transire. Porrò quòd in ipsa dimissione pecuniarum, seu divitiarum, non consistat essentialis perfectio, declarat Sanctus Doctor in Libello sæpè dicto, arguens per exemplum quod ipse Salvator, tradens. *Matth.* V. 39. 40. 41. documenta perfectionis dicebat: *Si quis percusserit te in maxillam*, *præbe ei & alteram. Et qui vult tecum in judicio contendere*, *& tunicam tollere*, *dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus*, *vade cum eo & alia duo millia.* Manifestum est, quòd viri perfecti non semper ista actu implent. Alioquin ipse Dominus à perfectione defecisset, qui percussus à servo Pontificis, non præbuit aliam maxillam, sed dicit: *Si malè locutus sum*, *testimonium perhibe de malo*; *si autem benè*, *cur me cædis?* Joan. XVIII. 23. Similiter Paulus, qui alapam à Sacerdote receperat non obtulit aliam maxillam, sed constanter dixit: *Percutiet te Dominus*, *paries dealbate:* Act. XXIII. 3. Sic ergò non est de necessitate essentialis perfectionis hæc opere implere, sed sufficit ut *In preparatione animi* habeantur, ut ait, Augustinus Libro *De Sermone Domini in monte*, quod & divites habere possunt. Undè viri perfectissimi Athanasius, Syl-

Digitized by Google

Sylvester, Hilarius, & alii plures sancti viri perfecti, opes, & divitias possederunt. Denique in statu innocentiæ fuissent homines perfecti, & tamen fuissent maximè, & verè Domini temporalium, quibus dicebatur à Domino: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli*, &c. Gen. I. 28. Sequitur ultrà quòd jejunium, abstinentia, inediæ, vigiliæ non pertinent essentialiter ad perfectionem vitæ Christianæ. A Hoc ex intentione tenet Cassianus ubi suprà, & allegatur in priori Corollario. Nam & de Domino legimus, quòd *venit manducans & bibens*. Matt. XI. 19. Quamobrem Augustinus Lib. X. Confessionum, *Non ego*, inquit, *timeo immunditiam obsonii*, *sed immunditiam cupiditatis. Hæc est enim quæ imperfectum facit*, *non ipsum obsonium*. Et in Libro *De Doctrina Christiana. Usus*, inquit, *talium non est in culpa*, *sed libido*. Fieri enim potest, ut sine vitio aliquo voracitatis, pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens ardentissima gulæ flamma in vilissimum inardescat. Simile dicitur in Libro *De Quæstionibus Evangelii*, & recitatur in Decretis: *Oportet*, inquit, *sapientes filios intelligere*, *non in abstinendo*, *vel manducando esse justitiam*, *sed in æquanimitate tolerandi inopiam. Nam Paulus*, *qui sciebat abundare*, *& cum manducantibus manducabat*, *non imperficiebatur ex hoc*, *aliàs nunquàm egisset*. Qua in re Richardus de Sancto Victore in Libro *De exterminatione mali & promotione boni*. B *Hinc est*, ait, *quòd multos videmus mira abstinentia corpus afflixisse*, *morbos graves incurrisse*, *& incurabiles*, *eosdem ipsos post edomitam concupiscentiam*, *post acceptam divinitùs gratiam rigoris pristini frena laxasse*, *& corpori suo in cibo*, *potu*, *somno vestitu*, *multò ampliùs*, *quàm custodia sanitatis postulasset indulgere*. Constat autem quòd loquitur de perfectis, utpote de illis qui concupiscentiam edomuerant, & divinam gratiam receperant. Undè & Beatus Macharius summus ille Anachoretarum hominum perfectissimus unus, de solitudine veniens ad Congregationem Fratrum, & vinum bibens cum eis, non ex hoc imperficiebatur. Quod si abstinentia à vino esset essentialis perfectio, nunquàm illam relaxasset.

Ceterùm si jejunium, abstinentia, & cetera essent de essentiali perfectione, sequeretur quòd utentes cibis delicatis, carnibus, & volatilibus non possent perfici in vita Christiana; immò sequeretur quòd infirmi, debiles qui fortè tota vita sua jejunare non possunt, senes ipsi in Religionibus, & alibi; isti, C inquam, deficerent, qui inedias, vigilias, abstinentias ferre non possunt, à perfectione Christiana. Quod quis diceret? Corollarium istud tenet Sanctus Doctor 2. 2. *Quæst*. 184.

Ex prædictis infero, quòd paupertas, vigiliæ, abstinentia, jejunium, inediæ, nuditas, privatio omnium facultatum, non sunt virtutes. Apparet ex prædictis, quoniàm omnes virtutes sunt de essentiali perfectione vitæ Christianæ. Hæc autem omnia sunt extrà essentialem perfectionem vitæ Christianæ, ut deductum est. Item si ita essent virtutes, sequeretur quòd debiles, infirmi, senes, divites non possent habere omnes virtutes, cùm ipsi senes, & valitudinarii jejunare non possint, & abstinentiam facere, & divites non habent paupertatem, sic nullam virtutem habere possent: cùm enim virtutes sint connexæ, & divites non habeant paupertatem quæ se- D cundùm adversarium est virtus, & infirmi non habent abstinentiam; sequitur illatum. Ex quo statim apparet, quòd ista omnia prædicta, jejunium, vigiliæ, paupertas, & hujusmodi magis sunt quædam voluntariæ pœnalitates, quàm virtutes dicendæ. Patet ex dictis, quoniàm si paupertas vel jejunium essent virtus, vel gradus virtutis, tunc essent per se laudabiles; quoniam virtutes sunt per se bonæ, & de genere per se laudabiles. Certum est autem, quòd paupertas non est laudabilis, nisi ex hoc adjuncto, quòd est voluntaria. Sic est de jejuniis, & vigiliis. Undè quemadmodùm mors ipsa voluntariè perpessa pro Christo, licèt sit meritoria; non tamen est virtus animæ, aut potentiæ perfectio, sicut actus, vel habitus existens in anima, sed magis est quædam voluntaria, & meritoria pœnalitas: sic de prædictis imaginandum est.

Ulteriùs infero, quòd habens familiam, uxorem, & liberos, potest essentialiter perfici in vita spirituali, & Christiana. Patet de Abraham, ut argutum est, de Job & aliis quàm plurimis viris perfectis tam Veteris, quàm Novi Testamenti, qui uxores habuerunt. Secundò, quia tales possunt habere omnes virtutes: si enim daretur instantia, maxime esset de ipsa incontinentia: hanc autem habere possunt ipsi conjugati, ut expressè determinat Augustinus in Libro *De bono conjugali. Continentia etenim*, sicut ipse ait, *non est virtus corporis*, *sed animi*. Nam virtutes aliquando latent in habitu, aliquando manifestanter in opere, omnem autem actum, vel habitum animi quem habent non conjugati, possunt & ipsi conjuges habere. Sicut enim exemplum est beati Augustini, ubi suprà; non impar est meritum essentiale fortitudinis, vel patientiæ in Joanne qui passus non est, & in Petro, qui passus est: habuit enim Joannes virtutes fortitudinis & patientiæ æquè perfectas sicut & Petrus. Sic & consimiliter non est impar meritum essentiale castitatis vel continentiæ in Joanne, qui nuptias expertus non est, & Abraham qui filios genuit. Abraham enim castitatem cælibatûs Joannis habuit in voto & habitu, & castitatem nuptiarum in usu, qui libenter abstinuisset ab omni actu coujugali, si Dominus præcepisset, sicut Joannem legitur à nuptiis revocasse, qui quidem Joannes continentiam ostendit in actu exteriori. Ex quo sequitur quòd virginitas secundùm illud quod addit ultrà continentiam, etsi sit quidam decor virtutis, non tamen est virtus, nec gradus virtutis; aliàs conjugati non possent omnes virtutes habere: immò quia virtutes necessariò connexæ sunt, nullam omninò virtutem haberent, quibus deesset virginitas. Secundò nulla virtus tollitur, nisi per peccatum; virginitas autem absque peccato perdi potest, ut in actu conjugali. Tertiò omnes virtutes & actus earum pro loco, & tempore sunt in Præcepto; virginitas autem nulli servanda præcipitur. Quartò omnis virtus perdita vel amissa per pœnitentiam potest reparari; sola virginitas perdita vel amissa nunquàm reparatur.

Ex præmissis igitur apparet, quomodo Consilia Evangelica faciunt ad perfectionem vitæ spiritualis; faciunt enim ut dictum est, sicut instrumenta promoventia, vel expedientia, vel manuducentia ad illam, aut sicut removentia prohibens. Quia enim concupiscentia oculorum plurimùm impedit, & retardat à perfectione habenda; ideò ad tollendum istud dedit Dominus Consilium paupertatis, per quam tolluntur & abdicantur ea quæ extrà nos sunt, videlicet temporalia. Quia proinde concupiscentia carnis viam præpedit ad perfectionem habendam: eapropter adhibuit Dominus Consilium castitatis quæ tolleret illud quod est juxtà nos, videlicet, ut est concupiscentia carnis. Quia denique superbia vitæ maximo impedimento est ad ipsam perfectionem, datum est idcircò Consilium obedientiæ, qua nosmetipsos abnegemus, ponentes propriam voluntatem in arbitrio alterius. Concordat cum istis Doctor solemnis in *Quæstionibus Quodlibeticis*, dicens, quòd *Consilia Evangelica plùs faciunt ad vitam spiritualem negativè*, *removendo prohibentia*, *quàm positivè*.

Hoc idem ponit Doctor sanctus in pluribus locis, dicens, quòd *Consilia ordinantur ad vitam spiritalem*; *sicut ad vitam corporis tuendam ordinatur medicina præservativa*, *quæ non intrat essentialem constitutionem viventis*, *& sine ea potest haberi perfecta & integra*

Digitized by Google

tegra sanitas. Cetera autem Praecepta alia à charitate faciunt ad vitam spiritualem, sicut cibus, vel alimentum ad vitam corporis: sine autem cibo, vel alimento non est vita; immò & alimentum per actionem caloris naturalis convertitur in alitum, vel cibatum. Sic ergò apparet, quòd quantùmcunque removeantur impedimenta perfectionis per instrumenta Consiliorum, vel quantùmcunque perfecta instrumenta habeantur ad perfectionem habendam, nunquam tamen dicendus est homo perfectus, nisi habeat illa quae veniunt, & concurrunt ad essentialem constitutionem & perfectionem vitae spiritalis, quae sunt observantia Praeceptorum divinorum, & exercitium virtutum, de quibus omnibus dantur Praecepta, & de perfectione earum. Itaque etsi Consilia Evangelica plurimùm expediant, & valeant ad perfectionem vitae spiritalis conquirendam; non tamen necessariò requiruntur ad eam; quoniam in omni statu, sexu, ordine, gradu, perfecti viri inventi sunt. Ex quibus colligi potest brevis, & necessaria differentia Praeceptorum, & Consiliorum quoad materiam, vel objectum super quo feruntur, quoniam Consilia propriè, & maximè respiciunt materiam instrumentalem disponentem ad faciliùs & breviùs acquirendam essentialem vitae Christianae perfectionem; & ideo sunt perfectio secundùm quid, & accidentaliter: Praecepta verò divina magis de directo, & immediatè respiciunt illa quae essentialiter pertinent ad vitam Christianam, & spiritalem, sicut virtutes, & actus earum.

Ex istis infero, quòd obligatio Praeceptorum major est, & efficacior quàm obligatio votorum. Probatur istud primò, comparando votum & Praeceptum ad materiam circà quam cadunt. Secundò, comparando ad modum & vim obligandi. Et tertiò, comparando ad illa, à quibus trahunt rationem suae obligationis. Ex prima radice arguitur, quoniam Praecepta divina sunt, & dantur de illis quae per se bona sunt, utpotè de actibus virtutum, de dilectione Dei & proximi, quibus homo simpliciter bonus dicitur in vita spitali & Christiana, & in quibus stat & essentialiter consistit vita spiritalis, & perfectio ipsius. Vota autem non sunt de operibus Praeceptorum, sed magis de instrumentis ad vitam Christianam, ut de paupertate, abstinentia, vigiliis & hujusmodi, quae non sunt per se bona virtutum, sed magis dispositio ad virtutes. Ex secunda radice arguitur idem; quoniam naturalis obligatio, vel vinculum immutabile, & indissolubile majus est quàm voluntarium, & dispensabile: Ad Praecepta autem obligatur homo naturaliter, & indispensabiliter. Ex tertio modo probatur corollarium, quoniam Praecepta trahunt & sortiuntur vim à Deo dictante & naturaliter inferente in tabulis cordis. Vota autem suam immediatam obligationem accipiunt à voluntate hominis voventis, qui quantùm vult se ligat & obligat, & pro libito suo votum suum qualificat. Item Praecepta sunt de necessariis ad salutem, non sic autem vota: magis autem obligamur ad illa quae sunt de necessitate salutis, quàm ad ea quae sic non necessariò requiruntur. Proindè vota non habent vim obligandi, nisi ab ipsis Praeceptis. Undè tenetur quis vota sua implere virtute Praecepti illius Juris naturalis, quo jubetur promissa reddere: Igitur. Ulteriùs infero quòd Consilia, & observantia Consiliorum, ordinantur finaliter ad Praecepta & Mandata, hoc est, ad perfectam observantiam Praeceptorum, & Mandatorum: sequitur ex dictis; quoniam perfectio secundùm quid, & accidentalis ordinatur ad perfectionem simpliciter; Consilia autem, & vota pertinent ad perfectionem simpliciter, ut dictum est: etiam quia instrumentum est propter principale agens, vota autem & Consilia sunt de materia instrumentali. Ex quo potest, sumi ratio ad praecedens corollarium: ad vota, & consilia obligatur homo finaliter propter ipsa Praecepta; igitur Praecepta magis obligant per regulam Aristotelis *primo posteriorum: Propter quod unumquodque tale & illud magis.* Ex quo apparet, quòd dum Consilia dicuntur esse de meliori bono, non fit comparatio eorum ad Praecepta, sed ad sua contraria. Verbi gratia, cùm paupertas dicitur melius bonum, non comparatur paupertas ad opus Praecepti, sed ad divitias; sic quòd paupertas melior
A est ad perfectionem acquirendam vitae spiritalis, quàm possessio opum, & divitiarum. Vel pro tanto dicuntur Consilia de meliori bono, quia ordinantur ad meliorem & perfectiorem observantiam Praeceptorum, quàm sit communis observantia eorum qui non accipiunt instrumenta Consiliorum, & votorum.

Sequitur ultrà. Etsi plus mereatur quis per opus aliquod factum ex voto, quàm per illud idem sine voto; votum tamen non mutat genus, aut substantiam operis.

Pars prima arguitur, quoniam per votum homo dat plus Deo, scilicet opus ipsum, & potentiam, dùm facit se non posse quin faciat quod priùs poterat non facere. Sive juxtà communem metaphoram, vovens dat fructum, & arborem; alius autem qui non vovit, solùm dat actum, vel fructum, sine potentia, vel arbore. Majus autem est, dare actum, & potentiam, fructum, & arborem, quàm solum fructum, vel so-
B lam arborem, vel actum. Item quia per votum magis firmatur homo in bono.

Pars secunda arguitur, quoniam votum non addit nisi rationem voluntariae obligationis; istud autem non mutat genus, vel substantiam operis. Ex quo ulterius hoc patet, quod multa opera sine voto perfectiora sunt, & meliora quàm aliqua alia ex voto. Probatur, quoniam diligere Deum ex toto corde melius est, quàm aliqua tepida castitas; & opus martyrii sine voto longè melius est, quàm paupertas, vel jejunium ex voto.

Ex praedictis infero, quod Papa in omni voto Religionis dispensare potest. Hoc patet, quoniàm in omni emissione voti subintelligi debet voluntas Principis, vel Summi Pontificis. Item si non potest dispensare Papa in omni voto; vel hoc esset quia votum ut sic, de Jure divino & naturali reddendum est; vel quia solemnizatum. Non primum, aliàs in nullo voto Papa posset dispensare, quod est absurdum: & patet
C consequentia, quoniam redditio unius voti non plus est de Jure divino, quàm redditio alterius. Nec secundum dici potest, quia solemnizatio voti est de institutione Ecclesiae, & ita de Jure humano, suprà quod est Papa: & ita patet quòd Papa potest facere de Monacho, non Monachum, *Quoniam*, sicut arguit de Palude, *esse Monachum non est nisi esse obligatum ad observantiam trium principalium votorum.* Hujusmodi autem obligationem, vel vinculum solvere potest Papa, sicut & legitur fecisse de Rege quodam Arragonum, quem exire coëgit de Claustro ad prolem procreandam, & uxorem ducendam.

Ex praemissis omnibus sequitur quòd multi sunt perfecti, & fuerunt in vita spirituali, qui non sunt in statu perfectionis. Patet de multis conjugatis qui sunt & fuerunt perfecti in vita Christiana; nec tamen habent statum perfectionis; quoniàm status conjugalis non dicitus status perfectionis. Consimiliter multi (ut proh dolor, & clarè nimiùm videre est) sunt in sta-
D tu perfectionis, Praelationis, vel Religionis omnium imperfectissimi, dissoluti in vita, & moribus, ut indè dixerit Gregorius *In Pastorali: Plerumque ordinem personarum permutavit qualitas morum.* Undè pro declaratione ampliori describitur status perfectionis, quod est *modus vivendi, in quo quis obligatur ad perfectionem acquirendam vel exercendam, sive obligetur per votum, aut Praelationem, vel dignitatem.* Dixit, *acquirendam*, propter statum Religiosorum. *Exercendam*, propter statum Praelatorum, Episcoporum, & Curatorum. Infero ultrà, quod status perfectionis

Digitized by Google

nis exercendæ generaliter perfectior est statu illo qui ordinatur ad perfectionem acquirendam: hoc de se notum est, quoniam exercere opera perfectionis dignius est, & perfectius, quàm ad illa niti, tendere, & festinare. Similiter & status ille perfectior est, qui obligat assumentem illum ad opera perfectiora exercenda, vel acquirenda, quàm ille qui ad minùs perfecta obligat aut exercenda, aut conquirenda. A Ulteriùs sequitur, quòd status perfectissimus in Ecclesia Militante, est status Episcoporum. Patet, quia obligat ad opera Hierarchica perfectissima exercenda, quæ sunt purgare, illuminare, & perficere. Purgare arguendo, corripiendo, increpando. *Argue, obsecra, incepra*: monet Apostolus Timotheum. 2. *Tim.* IV. 2. quem Episcopum ordinaverat. Illuminare autem instruendo, docendo, monendo. *Oportet* (scribit Apostolus Tit. 1. 9.) *Episcopum amplectentem esse eum, qui secundùm sanam doctrinam est fidelem sermonem, ut sit potens exhortari in doctrina sana, & contradicentes arguere.* Quamobrem & in ordinatione Episcopi petitur ab eo: *Scis Novum & Vetus Testamentum? Et respondet: scio. Perficere denique Hostias, Preces, Orationes, Sacramenta quæ sunt vasa sanctificationis, & gratiæ offerendo. Omnis enim Pontifex* (ut instruit Hebræos Apostolus Hebr. V. 1.) *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & Sacrificia pro peccatis.* Item, quia Prælatus debet animam suam ponere pro subditis, quod B est opus perfectionis, maximè debet egentibus subsidia ministrare temporalium bonorum. *Si enim* (inquit Gregorius) *non dat substantiam suam; quando daturus est animam suam?* Item secundùm Apostolum, & divinum Dionysium Episcopi sunt cooperatores Dei. *Pontificum Ordo*, ait Dionysius, *primus & sublimissimus.* Et Hugo *in Commento*; *Episcopi sunt sublimes, & superiores, ac ipsi divinitati magis appropinquantes.* Sequitur ulteriùs, quòd status Prælationis non ideò dicitur perfectissimus, quia convenientior & aptior est ad perfectionem acquirendam, sed quia hominem jam perfectum requirit. Patet, quia status est perfectionis in alios exercendæ, non acquirendæ, quare hominem perfectissimum exigit, & requirit. Quocircà accipiamus differentiam inter statum perfectionis acquirendæ, & statum perfectionis exercendæ, quæ quidem differentia à fine sumenda est. Status nempe perfectionis exercendæ intendit bonum suum in alios effundere, & C multiplicare; status verò perfectionis acquirendæ bonum illud quod jam alius diffundit, intendit, nititur, & festinat in se acquirere.

Primus ex abundantia in alios redundat, secundus in se stat.

Secundùm enim Aristotelem V. *Ethi. Virtus tunc perfecta est, quando habens eam potest ad alterum uti, & modo ad seipsum.* Multi enim in propriis virtute uti possunt, qui ad alterum nequeunt. Ultrà sequitur: etsi status Prælationis sit status perfectionis exercendæ, non sic tamen exercendæ, quin etiam & sit acquirendæ. Patet, quia Prælati non sunt in summo perfectionis, sed in dies proficiunt in gratiis & virtutibus. *Non quòd jam acceperim* (dicit Apostolus Philip. III. 12.) *aut perfectus sim*, hoc est, sic quin ampliùs perfici possim: *Sequor autem, si quo modo comprehendam.* Quarè autem plùs dicatur perfectionis exercendæ, quàm acquirendæ, ideò est, quia principaliter datur, & instituitur ex Officio & Ordine, ut bonum quod in D eo est extendat, derivet in alios & effundat, & quasi se neglecto, aliis non sibi vivat, qui nec sic perfectus est, quin ulteriùs perfici queat: sed quia maxima ex parte jam perfectionis est, sicut perfectus Doctor, & Clericus dicitur, quia excellenter profecit in doctrina, quamquàm omni die proficiat in ea. Ex istis infero, quia status Curatorum in Ordine proximus est statui Episcoporum. Patet, quia eadem opera Hierarchica eis incumbunt quæ & Episcopis, etsi non in tam excellenti gradu. Debent enim subditos purgare arguendo & increpando; illuminare docendo, & prædicando; perficere, Sacramenta ministrando. Tenentur & in casu sicut Episcopi animas pro ovibus ponere. Undè & in missione septuagintaduorum Discipulorum quibus Curati succedunt, secundùm Theologos, & Juristas, quasi eadem opera mandavit eis Christus, quæ & Apostolis. *Luc.* X. 8.

Sequitur statim ex hoc, quòd status Curatorum perfectior est statu Religiosorum. Patet: quia proximior est summo statui Episcoporum, ergò, &c. Quod autem est propinquius summo, est perfectius. Secundò quia status Curatorum est status perfectionis exercendæ; Religionis verò status magis est acquirendæ: secundùm prædicta autem status perfectionis exercendæ perfectior est statu perfectionis acquirendæ.

Quod status Religiosorum sit perfectionis acquirendæ, hoc expressè ponit sanctus Doctor 2. 2. Quæst. 184. art. 5. Et Libello suo *De perfectione vitæ spiritualis. Status*, inquit, *Religionis ad perfectionem pertinere dicitur pro quanto est via tendendi ad perfectionem per quadam exercitia regularis observantiæ.* Undè & 2. 2. in pluribus locis Quæstionis ejusdem. *Religiosus*, inquit, *non profitetur se esse perfectum, sed magis adhibere curam, operam, & studium ad acquirendam perfectionem per regulares observantias suæ Religionis quam assumit, sicut instrumenta ad perfectionem.* Et ita, sicut ipse dicit, dicitur status perfectionis solùm ex intentione finis perfectionis acquirendæ. Qui autem operatur ad finem, nondum assecutus est finem. Alioquin Religiosus professus unius diei, qui verissimè, & propriè est Religiosus, esset jam perfectus, & pueri quatuordecim Annorum professi dicerentur jam perfecti; quod quis diceret? Undè & in Religionibus licitè, & benè reperiuntur pueri, adolescentes, homines indocti, & imperfectissimi, ut scilicet perficiantur in Religione, tales autem nunquàm deberent admitti ad Curam regendam. Sic igitur status Curatorum requirit hominem perfectiorem, quàm status Religionis. Ea propter dicebat Augustinus, & habetur. *Quæst.* 21. *cap.* 1. *Probatiores non nisi & meliores in Clericos*, hoc est, *Curatos recipimus.* Non dicit in Monachos, vel Religiosos; ad quem statum, quia est status perfectionis acquirendæ, omnes recipi possunt. Prætereà secundùm Dionysium status Prælatorum præfertur statui Religiosorum, quia est adductivus, & alius in se status. Ipsorum autem Curatorum est, etiam alios ad Deum adducere, exhortando, instruendo, & monendo, quo sic ad Deum redeant. Unde *cap.* 6. *Cœlestis Hierarchiæ* ait ipse Dionysius: *Consummandus Monachus retrò Sacerdotem stat, non suprà caput habens tradita eloquia*: Sequitur in textu. *Quòd autem neque suprà caput tradita eloquia habere dicitur & astare Sacerdoti, declarat Monachicum Ordinem non esse aliis prælatum, sed in ipsa stantem singulari, & sacra statione.* Undè & ab initio institutionis Religiosorum, ut ex Legendis Patrum claret, & apparet, Religiosi erant subditi Parochialibus Curatis, à quibus recipiebant Ecclesiastica Sacramenta. Postmodùm verò, ut vagandi tolleretur occasio, Abbates eorum instituti sunt Curati eorum. Item arguitur ad Corollarium, quoniam Curati ordinati sunt ad bonum commune; Religiosi verò vacant bono privato, & singulari, & sacræ stationi; bonum verò commune divinius est, & melius bono privato. Infero ultrà, quòd status Curatorum, sicut & Episcoporum, est de primaria, & ordinaria Christi institutione. Patet, quia ipsi Discipuli, quibus succedunt Curati secundùm glossas, & Canones, fuerunt Ordinarii Hierarchiæ, & immediatè à Christo missi, & potestatem hierarchizandi acceperunt non à Petro, sed à Christo.

Sequitur ultrà, quòd Curati Parochiales non se habent ad Episcopos, sicut Balivi, vel Præpositi ad Regem,

Digitized by Google

gem vel Principem. Patet, quoniam ipsi Curati habent ordinariam Jurisdictionem sive potestatem exercendi ea quæ Juris sunt in subditos, sicut & Discipuli quibus succedunt. Præpositi autem & Balivi, non habent nisi subdelegatam Jurisdictionem, non ordinariam.

Secundò, si Curati non haberent ordinariam Jurisdictionem plùs quàm Præpositi vel Balivi Regum, & Principum; tunc Episcopi possent pro libitu & merè gratis eos deponere absque culpa, sicut Principes de A
suis Præpositis & Balivis facere possunt. Consequens autem falsum est, quia secundùm Canones; Ecclesiam quam quis justè adeptus est, non nisi pro gravi culpa coram Episcopo, canonica severitate, amittere debet. Item quia Curati de Jure divino & communi possunt opera Hierarchica exercere, arguere, docere, prædicare, perficere, Sacramenta ministrare; sequitur, quòd status Curatorum non est factitius, vel adventitius, vel voluntarius. Patet, ex quò secundùm prædicta est de primaria Christi institutione & ordinarius status. Ulteriùs sequitur, quòd sicut Papa non posset statum Episcoporum ab Ecclesia tollere, sic nec statum Curatorum. Patet, quia in suis antecessoribus immediatè à Christo missi sunt, sicut & Episcopi in Apostolorum missione. Ultimò infero, sicut Summus Pontifex non posset statum Curatorum abolere, vel tollere, sic nec à parochianis omnium Curatorum omnem debitam subjectionem tollere vel suspendere, B
ita ut in nullo eis subjicerentur. Probatur; quoniam secundùm dicta, Curati à Christo in suis successoribus acceperunt autoritatem & potestatem activam; immò Mandatum & Præceptum hierarchizandi subditos suos; ergò Christus eodem actu vel Mandato instituit, ordinavit, & præcepit quòd ipsi subditi à Curatis hierarchizarentur & ad eos venirent. Frustrà etenim daretur activa potestas hierarchizandi, nisi per passiva. Undè sicut arguunt Doctores Theologi, Christus dando Apostolis potestatem absolvendi: *Quorum remiseritis peccata* &c. Joan. xx. 23. illo eodem actu, & Mandato obligabat homines ad Confessionem peccatorum; quoniam sine Confessione nunquàm absolverent: & frustrà dedisset autoritatem absolvendi, nisi in subditis correspondenter instituisset obligationem præceptivam ad se submittendum eis pro beneficio Absolutionis. Ita in proposito imaginandum est. Item quia ipsi Curati Jure naturali & divino obligantur C
Curam & sollicitudinem gerere, ac rationem distinctam reddere de ovibus sibi commissis; igitur ipsi etiam parochiani eis obligantur & subjiciuntur. Tenet consequentia, quia obligatio debet esse mutua, nec claudicare debet. Itaque necessarium est, si Rex vel Princeps teneatur subditos tueri, regere, protegere ac defendere, quòd correspondenter subditi eis debeant subjectionem, tributum & vectigal; & è contrà, si plebs vel populus debet Principi reverentiam & tributa, Rex etiam debet eis protectionem & defensionem. Nam & ipse Summus Pontifex propter magnitudinem obligationis vocat *se Servum Servorum*, sic etiam oportet, quòd omnes ei maximè obligentur. Sic igitur inter Curatos & parochianos est mutua naturalis, & divina obligatio, quam generaliter Papa non potest ab omnibus tollere.

F I N I S.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPUSCULUM EPISTOLARE

DE

RELIGIONIS

PERFECTIONE

ET

MODERAMINE

Ad Guillielmum Minandi quondam Medicum Domini Cardinalis Saluciarum, tunc autem Monachum domûs majoris Carthusiæ.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 699. Navarr. unum & M. Targny.

GRATIA *vobis & pax in Christo Jesu*, &c. I. Cor. I. 3. *Utique dicetis mihi per similitudinem: Medice cura teipsum.* Luc. IV. 24. Itaque *qui alium doces* (ait Apostolus Rom. II. 21. *cur teipsum non instruis?* Sed respondebit pro me Sapientis jussio: *Honora*, inquit, *Medicum.* Eccli. XXXVIII. I. Et iterùm: *Da locum Medico.* ℣. 11. Ratio est, *quia disciplina Medici exaltabit caput ejus.* ℣. 3. Nam quæ potest in Medico disciplina inveniri melior, quàm ut relicta sæculi pompa, relicta arte sua, relicto demùm seipso, quod majus est, tradiderit se Medicus noster disciplinæ majoris Carthusiæ. Talis enim tu es cui nunc ipse rescribo, qui dignaris exquirere disciplinæ doctrinam ab illo qui tali nunquàm subjacuit disciplinæ. Nihilominùs in verbo summi Medici nostri Domini Jesu Christi, qui jussit *omni petenti se* tribuere. Luc. VI. 30. Et rursùs: Ps. LXXX. II. *Aperi os tuum & ego adimplebo illud*, qui est *magni consilii angelus*, vocatus *admirabilis*. Isaï. IX. 6. Audebo tuis, Medice charissime, quæstiunculis, quæ satis communes sunt apud ægros spirituales in Religionum grabato laborantes, remedia, non dicam invenire, sed inventa designata per Doctores, repetere. Communia quidem & vulgata neque comparanda subtilibus artis medicinæ spiritualis apicibus, sed tanquàm rudes aliquas receptas visum fuit, considerationes pauculas annotare. Sunt autem tria, quæ quæruntur in forma.

Primò, utrùm quis exercitium orationis continuans, vel alia exercitia spiritualia cum affectu, ut puta lachrymarum, &c. sentiens se in viribus debilitari propter hujusmodi exercitium & remitti in ceteris corporalibus, utpote in cantu forti & similibus vires corporeas exigentibus, sit reprehensibilis. Cùm tamen di-
D cit Apostolus: I. Cor. XIV. 15. *Psallam spiritu, psallam & mente.* Pensat enim Deus potiùs cor, quàm verba; immò propter laborem cantus non potest debitam devotionem habere, dùm cantat.

Secundò, si ratione debilitatis corporis, ut fortior sit ad portandum Ordinem suæ professionis, sine conscientiæ scrupulo lautiùs vivere possit, quàm Ordo servet, vel ad prohibendum lapsum in ægritudinem ad quam est dispositus, vel dubitat incidere in futurum?

Digitized by Google

Tertiò, si orans solitariè ex debito, utpote Horas canonicè institutas, teneatur verba adeò articulatè proferre & explicare, ut seipsum audiat; cùm frequentius aut ratione debilitatis, aut gravedinis corporalis, non sine gravi labore ad plenum id queat. Corde tamen dicet & formabit, aut aliàs elevatione mentis affectus cessabit officium linguæ, licèt non cordis. Det Dominus responsionem veram scribere, salubrem & A
efficacem. Et velut ab alto repetentes dicamus pro prima consideratione.

Consideratio Prima.

RELigio Christiana sub uno supremo Abbate Christo, sola est salutaris & perfecta. Siquidem extrà illam non stat salus neque perfectio. Docet autem sufficienter ad perfectionem pervenire salutarem sub ea & in ea omnes rectè viventes. Undè sequitur protinùs, neminem judicandum extrà statum salutis, aut perfectionis esse, qui vivit sub Christiana Religione. Valet autem hæc consideratio ad humilitatis conservationem inter membra corporis Christi mystici, & ut abjecta præsumptione pharisaïca & murmurativa contentione, membra se invicem honore præveniant, juxtà monitionem Apostoli. *Rom.* XII. 10. Nec aliquis in Ecclesia sibiipsi de statu perfectionis super alterum inaniter blandiatur, ut qui Monachus est, non Mona- B
chum non spernat, neque sæcularis solitarium dijudicet.

Consideratio Secunda.

Religio Christiana quamvis una sit, nihilominùs distincta est multiplici & pulchra varietate graduum, meritorum & ordinum; secundùm operationem Spiritus Sancti qui *distribuit unicuique prout vult*, 1. Cor. XII. 11. *Quæ enim à Deo sunt ordinata sunt*, Rom. XIII. 1. quid autem magis processit à Deo quàm Religio? sed quæ Religio? Religio utique Christiana, quæ est Ecclesia Christi sponsa. Est igitur in ea ordo, qui describitur esse *parium disparium que rerum sua unicuique tribuens dispositio, seu collatio.* Neque enim solitariorum Deus tantùm est, & in communi viventium, sed & sæcularium utriusque sexus & cujuscunque status. Sequitur proinde rationem fore inefficacem dicentium, illos semper cum reatu grandi removeri à Domino suo Christo Jesu, qui- C
bus datur aliquando consilium, ne votis aliquibus se subjiciant ultrà Legem communem Christi. Potest, fatemur, hoc malè, potest & nonnunquàm benè, piè & discretè suaderi. Neque enim *omnes capiunt verbum istud.* Matth. XIX. 11. Sed de hoc alibi. Nunc pergamus ultrà, quo cœpimus.

Consideratio Tertia.

Religio Christiana quàmvis extendat se ad omnem Christianum, attamen appropriato quodam usu loquentium, restringitur ad Religiones quas Anselmus appellat factitias; quæ licèt etiam multiplicibus modis variæ sint, uniuntur tamen triplici voto, scilicet Obedientiæ, Castitatis & Paupertatis. In quibus stat essentialis ratio talis factitiæ Religionis, prout alibi per Doctores latè, & scientificè deductum est. Undè sicut Ecclesia significat principaliter universalem Con- D
gregationem Fidelium, & indè dicitur Catholica, id est universalis; nomen tamen istud vulgaris usus restrinxit ad Clerum: sic in proposito de Religione etiam est, propter majorem circà Christi Consilia religationem.

Consideratio Quarta.

Religio factitia, sive dicatur status, sive ordo, sive gradus in Ecclesia; illa tamen non est de se status vel ordo, vel gradus perfectionis exercendæ, sed acquirendæ: alioquin malè nimis esset multis Religionem profitentibus, qui imperfectos se esse cognoscunt, aut valdè desipiunt. Ex quo fundant consequenter Doctores excellentiam Prælatorum super Religiosos, quia status Pælatorum est perfectionis exercendæ, alius acquirendæ qui vocatur aliundè status lugentium, seu pœnitentium. De Curatis verò qui sunt secundi Ordinis succcedentes Discipulis, sicut Apostolis Episcopi, volunt aliqui dicere quòd non habent statum, cùm non sint juramento, vel voto astricti. Sed quicquid sit de hoc, & de nomine statûs, constat Curatos esse in gradu & ordine perfectionis, nedum acquirendæ, sed exercendæ per actus hierarchicos, qui sunt purgare subditos, illuminare & perficere, magis quàm Religiosi, in quantùm Religiosi: quod additur, quoniam aliundè possunt Monachis tales hierarchici actus competere, dùm ipsis à Superiore legitimè committuntur. Grandis est hæc Prælatorum tàm majorum, quàm minorum præcellentia; magni quoque meriti, si statum compensant operibus: sin autem prægravat eos titulus iste dignitatis, non sublevat, nec honorat.

Consideratio Quinta.

Religio factitia tantò debet dici perfectior, quantò ad dilectionem Dei, & charitatis augmentum proximiùs appropinquat. Consistit enim in dilectione Dei & charitate Religio Christiana, & secundùm mensuram ejus est quantitas ejus in merito, & consequenter in præmio. Ac proindè Religiones quæ directè & mediis idoneis disponunt ad contemplativam vitam, sunt dicendæ perfectiores, aut fortè meliùs appellari possunt scholæ quædam & instrumenta perfectionis, prout loquitur Cassianus: non enim videtur consequens, si status aliquis sit perfectionis acquirendæ, quòd propterea sit status perfectionis simpliciter appellandus; neque dicentes hoc detrahunt Religiosis, sed in humilitatis veritate & securitate se tenent, dùm non arrogant sibi quod non sunt; addentes periculum periculo, dùm rursùs non negant posse aliquos extrà statum perfectionis inveniri valdè perfectos. Sicut è contrà proh dolor! perfectionis professio vel status multos patitur imperfectos. Notum siquidem est quod Augustinus se in hac re testatur invenisse.

Consideratio Sexta.

Religio constituta ad vitam contemplativam debet consequenter aptare omnes Constitutiones suas & observationes, ad eumdem finem commodiùs assequendum. Finis autem dat & imponit necessitatem mediis quæ sunt ad finem, & secundùm exigentiam finis deberent cetera moderari. Indè est quòd rerum exitus & fines prudentia metitur. Propterea finis est causa causarum. Est insuper finis principium in moralibus, sicut in speculabilibus principia demonstrationum. Est rursùs primus in intentione, quamvis in executione & assecutione sit ultimus. Est demùm forma moralium actuum; quoniam sicut forma materialis dat esse materiæ dispositæ; ita & finis Legis qui est dilectio, dat formalem existentiam actibus debitè circumstantionatis. Circumstantiæ nimirùm sunt tanquàm dispositiones qualitativæ, quibus deficientibus, aut inordinatis, nequit intentio finis informare actum ut bonus moraliter dici possit; propterea rectitudo intentionis ad finem, debet sibi conjungere rectitudinem mediorum ad ipsum finem. Ac proindè fiet totum corpus operationum lucidum & rectum, aliter non.

Digitized by Google

Consideratio Septima.

Religio, cujus finis principalior est contemplatio, seu vitæ contemplativæ exercitium vel acquisitio, habet pro præambulis lectionem, orationem, & meditationem. Cujusmodi videntur esse Religiones sub Regula sancti Benedicti constitutæ, celebris quoque A Carthusiæ Religio, cujus professionem respicit præsens verbum. Oportet hîc præsupponere multa quæ de vita contemplativa & activa determinata sunt per Doctores: quæ scilicet & quales sunt, in quibus consistunt, in quibus differunt & conveniunt, aut qualiter se supponunt, aut excedunt. Constat enim multas in dictis Religionibus exercitationes fieri corporales, in quibus non consistit contemplatio; sed aut fiunt ad mortificationem vitiorum, præsertim acediæ, quoniam pessima omnium malorum doctrix est otiositas iners. Aut fiunt ad conservationem virtutum moralium jam habitarum aut acquisitionem habendarum. Aut fiunt tanquàm fructus aliqui redundantes ex radice contemplationis, dum completur illud: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt*: Ps. CXLIV. 7. cum similibus innumeris, in quibus est gratiarum actio & vox laudis. Aut denique labor pœnitentialis afflictionis intenditur pro satisfactione voluntaria tàm propriorum, quàm alienorum pec- B catorum. Et hoc valdè crebrum est in ipsis Religionibus, quæ tamen sub vita contemplativa reponuntur, quamvis utique labor hujusmodi non sit contemplatio, sed actio verior quandoque & pœnalior, quàm aratio in campis, vel navigatio per maria, vel curatio ægrotorum. Sed quoniam habetur tempus reliquum satis ad recollectionem meditationis ut ipsa transeat in contemplationem, denominatio fit à digniori, & principaliori, ut talis vita claustralis contemplativa dicatur, potiùs quàm activa. Pro quo intelligendo clariùs sit sequens consideratio.

Consideratio Octava.

Religio Carthusiensis non attendit principaliter qualitatem unius personæ singularis, sed ad se introëuntium dispositiones, complexiones, cognitiones & affectiones, quemadmodùm ut in pluribus eveniunt. Cujus ratio est, quoniam reperiuntur aliqui penitùs in- C dispositi, nedum ad finem contemplationis consequendum in hac vita, sed etiam ad ipsius Ordinis Statuta capienda per intellectum, & exequenda per effectum. Sunt & alii, quibus jam non est opus præambulis exercitiis contentis in hac Religione, ad contemplationem provehantur; quoniam aliundè partim proprio studio & exercitio, & partim, immò & maximè divino auxilio provecti sunt ad arcem contemplationis faciliter ascendendum. Rara hæc avis in terra, fatemur; non tamen desperandum, quòd nulla. Sunt etiam alii qui disciplinati per observationes Ordinis mortificant vitia, & naturam custodiunt, qui absque eis, vivendo seculariter, dùm fovere putarent naturam, vitia nutrient; immò deinceps, ut evenit, naturam per excessum corrumperent. Et quoniam inveniuntur ut communiùs homines hujus Religionis perfectionem arripientes, qui se tales reputant; propterea Regulæ datæ sunt aliæ, quàm quæ solam contemplatio- D nem respiciunt. Quoniam multò plures sunt apti regulis hujusmodi, quàm contemplationis altitudini; præsertim ab initio & in fervore concupiscentiarum, quibus non edomitis, contemplari quæreret homo nedum inutiliter, nedum arroganter, sed in magnam sæpè sui & aliorum fortasse perniciem, prout ex vita Patrum claret.

Consideratio Nona.

Religio quælibet factitia, quamvis una sit in Constitutionibus & votis, debet nihilominùs esse in ea diversitas in executione, dùm accidit notabilis varietas in conditione personarum. Alioquin fieret contrà dictum Legis ad allegoriam tractum: *Non arabis in bove & asino.* Deut. XXII. 10. Fieretque contrà Legem charitatis fraternæ, *in qua tota lex pendet & Prophetæ*, Matt. XXII. 40. dùm non fieret alteri, quod rationabiliter quæreret sibi fieri casu tali. Potest verò varietas provenire circà dispositionem corporalem in deteriùs, nunc citiùs, nunc tardiùs absque culpa personali. Ceterùm profectus spiritualis in bonum arduum, neque ita frequenter evenit, aut proveniens latet, sive propter illius virtutem qui dicit ex sententia: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi*; Isaï. XXIV. 26. sive propter aliorum animalitatem qui non statim penetrant quis & qualis sit homo spiritualis, & quàm longè ab hominibus animalibus; & quia rarum donum est hæc humilitas, ut animalis homo se talem veraciter esse & sentiat corde & profiteatur ore. Nullus itaque mirabitur, si spiritualis homo non semper dimittitur inter eos liberis alis evolare, neque ad pedes Jesu sedendo audire cum silentio verba illius: fit potiùs, ut sollicitudo Marthæ de otio Mariæ conqueratur. Felicem jure dixerimus Religionem, quæ saltem paucos contemplationis gratiâ præditos sustinet & fovet, & tanquàm pretiosam margaritam, ut delicatum aliquod lilium, ut amantissimum Domini Benjamin adolescentulum in mentis excessu colit & honorat, obediens Christo sponso dicenti: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cant. VIII. 4. Non occupetur in practicis exteriorum negotiis, non conventum assiduè sequi compellatur: Tales olim extitêre Bernardus, Hugo, Richardus, & similes.

At verò quisquis es aptus ad gratiam hujusmodi, noli (si fortè compelleris esse unus ex aliorum grege) conqueri, noli per impatientiam murmurare, noli tanquàm singularis ferus depascens vineam malignari. *Expecta* potiùs *Dominum, viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* Psal. XXVI. 14. Scit Providentia sua quid expedit tibi; sine ejus voluntate, nec passer unus cadit in terram, *Matt.* X. 29. in cujus manu sunt hominum corda, convertere potens ea quocunque voluerit, ut impleat desiderium pauperum. Si vexat te vocalis oratio cum vigiliis, si non sapit ut cuperes divina dulcedo, illa tibi servatur in cœlis. Non velis præmii fructum percipere, dùm adhuc metis. Careas interim quotidianis (ut ita loquamur) distributionibus, quia integram servat Dominus tibi Præbendam in cælis. Non semper nutritur filius, dùm parvulus est, de mensa Patris; quando tamen nonnulli de servis hereditatem minimè habituri paternam, vescuntur ipso pane filiorum.

Consideratio Decima.

Religio curam habet præcipuam de infirmis. Sanxerunt hoc sancti Patres; & addiderunt quòd dicenti se infirmum credatur. Undè sequitur ultrà quòd sollicitè curandum est, ne quis in infirmitatem, præsertim incurabilem dilabatur. Inter omnes autem infirmitates fugibilior tàm pro persona, quàm pro Ordine, est capitis insania ex evacuatione & vitio cerebri, ex qua perdit homo judicium rationis, & per consequens quodammodò desinit esse homo, & fit miserabilior *jumentis insipientibus, opprobrium hominum & abjectio plebis* Ps. XXI. 7. & onerosissimum totius status sui ludibrium. Avertat hanc civilem mortem à servis suis Medicus Summus Dominus noster Jesus Christus, suggerendo media conservationi congrua, & prohibendo noxia quæ non semper eveniunt subitò vel repen-

Digitized by Google

pentè, sed lentè & per incrementa velut imperceptibiliter, ab ipso patiente: ab aliis quoque, hujusmodi tàm grandi periculo, si apud oculos non perspicaces in talibus prævidendum contingeret, per artem Medicinæ nedum corporalis, sed & spiritualis, obvietur. Agat itaque spiritualis homo, ut omnia dijudicet atque prævideat doctrinæ sapientia quæ cuncta novit, antequàm fiant. In qua quidem sapientia seu providentia vigere maximè Majores in Ordine necesse est. Pro A quo pleniùs enucleando sint adhuc decem considerationes quæ sequuntur, addendo denarium denario, ut sic prolati videantur duo denarii ad viaticum sauciati.

Consideratio Undecima.

Religionis securitas & soliditas fundamentalis, post divinam gratiam consistit in discretione, & charitate Præsidentium, quocunque nomine censeantur. Præsidentes namque sunt aut esse debent tanquàm Lex viva moderatrix Legum mortuarum, id est, Constitutionum. Sunt *dispensatores mysteriorum* I. Cor. IV. I. & ministeriorum *Dei*, fideles ad Deum & prudentes ad proximum. Sunt, prout Aristoteles loquitur, veri epikeies, hoc est interpretatores Legum generalium, secundùm applicationes ad casus singulares. Quam virtutem videtur Psalmista vocasse æquitatem, ubi dicit aliquando Deum: *Omnia mandata tua æquitas*. Ps. CXVIII. 172. Et ita Legi- B starum, immò vulgaris usus habet dicere aliquid fieri de bona æquitate. Severitas verò consistit in solis generalibus verbis Legis, propterea nominantur homines hujusmodi, nimis verbis Statutorum innitentes, literales, & quandoque inhumani, tyranni, duri & crudeles, utpote non attendentes illud etiam pueris inculcatum, quòd videlicet *ipsæ quoque Leges cupiunt ut Jure regantur*. Et præmittitur dogma nostro proposito satis accommodum, cùm dicitur:

Judicis auxilium sub iniqua Lege rogato.

Iniquam intellige Legem, si ad iniquitatis & injustitiæ traducatur abusum. Huic per Sapientem dicitur: *Noli esse justus multùm*. Eccle. VII. 17. Rursùs: *Qui nimis emungit, elicit sanguinem*. Prov. XXX. 33. Et apud Comicum: *Summum Jus, est summa injustitia*.

Consideratio Duodecima.

Religionis Major, quisquis ille fuerit, habet *diligenter inspicere vultum pecoris sui*, juxtà monita Sapientis, Prov. XXVII. 23. & prout utile viderit, suâ interest cuilibet providere. Est itaque sicut ceterorum hominum, sic & Religiosorum varia valdè conditio. Nam & ipsi Religiosi quid aliud, nisi homines. Aliquibus ex eis inest fervor novitius & zelus vehemens, sed *non secundùm scientiam*, Rom. X. 2. qui si dimittantur suo cursui, ruunt tandem in aliquod præcipitium. Quoniam *zelus sine discretione præcipitat, sicut discretio sine zelo jacet*, ut ait Beatus Bernardus. Talibus occurrendum est, nec expectandum quòd petant relaxationes in Ordine, sed inviti etiam colligendi sunt, illas recipere. Qui si id pertinaciter renuerint, peccant quidem grandi inobedientia, & vix spes de profectu futuro de eis haberi poterit. Quippè qui jam sapientes sunt in oculis suis, jamque super Seniores suos sibi videntur intelligentes, nec jam se putant esse tales, qui consilio indigeant Majorum. Porrò talium quis, si jam haberet unum pe- D dem in cœlo (ùt loquitur unus Patrum) retrahi deberet per alterum, quia cum tali uno superbiæ pede clarum est ipsum nunquam totum introire cœlum. Tendit ad hoc tota grandis illa consultatio magni Antonii nunquam nimis inculcanda, de discretione servanda, quam finaliter esse dixit subjectionem & obedientiam ad Superiores; apud quos valet plus autoritas, quam ratiocinatio. Alioquin potest de facili fingere sibiipsi quilibet phantasticus sine numero rationes; nihil est enim inargumentabile. Procedit nonnunquàm usque adeò corporis invaletudo cum perturbatione cerebri, quòd valdè læsum est rationis judicium, & si non penitùs ablatum in nonnullis, de quibus verè & piè pronunciat Hieronymus, quòd *magis indigent fomentis Hyppocratis quàm nostris monitis. Non enim suam miseriam cognoscunt, & hinc eò periculosiùs, quò insensibiliùs infirmantur*. Culpat nihilominùs idem alibi præferentes vigilias & jejunia, sensuum integritati; sicut allegat & approbat sanctus Thomas, ratioque non discordat. Caveat tamen in his Discipulus Christi, ne ex diffidentia quadam sui auxilii studeat fieri discipulus Galeni. Credat potiùs, & speret, quoniam bona dispositio corporis donum Dei est qui dat illam & conservat, quando, ubi, & quomodò voluerit. Cujus signum fuit in multis manifestum, qui cùm summa sobrietate in victu, & magna nuditate & austeritate in vestitu, cum vigiliis suprà modum, perspicacissimo mentis acumine viguerunt. Cùm & è diverso dicat Hieronymus antiquo innitens proverbio, *Crasso ventre mentem tenuem gigni non posse*, prout nonnullos aliquando inter ciborum abundantiam compertum est cerebri vertiginem phantasticam irreparabiliter incurrisse.

Consideratio Decima tertia.

Religionis Major potest aliquos, qui nimis habent verecundiæ (ne dicamus superbiæ) prævenire; verecundia enim, præsertim contumax, nascitur ex superbia. Potest, inquam, tales quandoque justè prævenire cum gratiis, antequàm petant eas. Potest nihilominùs quandoque ipse expectare; quòd eum interrogent priùs & consulant si rigor Ordinis ad tempus eis intolerabilis videatur. Judicet tunc Major, secundùm regulam fraternæ charitatis. Non dico, secundùm dispositionem proprii corporis, quæ fortassis robusta est, sed pro qualitate conquerentis; præcipuè si viderit quòd cum humilitate non ficta gratiam petat aut consilium. Eveniet aliquando quòd duobus similia petentibus diversa dabit responsa, diversaque dabit consilia; non quia vitiosè varia sit virtus sua in acceptione personarum, sed quia prudenter variat judicium, juxtà petentium varias conditiones, quas virtuosè discernit. Non itaque oportet murmurare contrà Majorem, si non semper exaudierit, nec invidere alteri qui exauditus est; verum magis expedit gaudere, quia nocivum, quod malè, id est, indiscretè petitum fuerat C non acceptum est, & congaudere fratri in humili charitate & charitativa humilitate, eò quòd commodum accepit, quo necessariò indiguit.

Consideratio Decima quarta.

Religionis Major in dispensando debet sibi duplicem oculum assumere. Unum, quo commune suæ Religionis bonum. Alium, quo particularem sui Religiosi profectum clarè consideret. Unus aperiatur particulari personæ necessitatem patienti; alius claudatur quoad laxationem observantiarum Ordinis prædicti, multitudini. Ratio est, quoniam Religio maximè conservatur in stabilitate Constitutionum suarum, sicut & omnis politia in Legum suarum firmitate, tanquàm corpus vivum in soliditate nervorum. Et nihil est plus contrarium & adversum Religioni, quàm variatio passim facta in Constitutionibus; prout, heu, exemplo sunt Religiones quas meritò de non observantia lapsas nuncupamus. Et ob quid aliud (rogo dicatur) quàm ex dispensationibus indiscretis, nunc & anteà sine lege, sine ordine, & sine causa, saltem rationabili tàm multipliciter & inaniter factis; undè meritò jam non dispensationes, sed dissipationes censendæ sunt. Rursùs ex opposito, si severitas ipsius Majoris nulli dispensationi condescenderit, fit apud ali-

Digitized by Google

aliquos subditos grande periculum mortis, aut morte corporali deterior deperditio irreparabilis judicii rationis. Quod permittere, ubi occurri potest, nihil aliud est planè, quàm homicidam esse, & pietatem religiosæ disciplinæ convertere in tyrannicam feritatem. Perpendi ex his potest, quanta sit necessitas apud omnem Religionem, quòd Major sit circunspectus, non cæcus, non luscus, non monoculus, non improvidus, ita ut utrique discrimini velit, noverit, & possit opem ferre, aut per se, aut cum aliorum (si non sibiipsi satis confidat) consilio, auxilio & assensu.

Consideratio Decima quinta.

Religionis Major si dubitet probabiliter de periculo personæ quærentis auxilium, agit securiùs condescendendo interim ipsius necessitati, & fragilitati, quàm timore relaxationis in Ordine cum severitate neget auxilium. Poterit itaque faciliùs fieri provisio circà rigorem Ordinis servandum in ea postmodùm, & circà alios quàm repararetur ad sanitatem, aut vitam talis ægrotus si lapsus est. Consonat cum his pium illud commune dictum: *Melius est de nimia pietate, quàm de nimia severitate redargui.* Quocircà duæ hîc advertendæ in Majoribus sunt conditiones, non parùm habentes è diverso periculi. Una est debilitas corporalis, vel innata, vel accidentalis. Altera est fortitudo virilis, quæ tolerare valet facilè graves labores. Prima reddit aliquando hominem nimis compassivum, quoniam didicit ex his quæ patitur compassionem. Altera verò judicans alios secundùm suas (ut aiunt) bases, seu vires, fit debito plùs rigida, & austera. Undè eveniet nonnunquam, justo Dei judicio, ut hi tales nimis aliis duri incurrant debilitatem, etsi non semper in florida juventute, saltem in marcida senectute, per quam discunt tunc aliis oculis intueri debilium necessitates, quàm ex antè consueverunt, & sic pii efficiuntur tandem, etiam inviti, dicentes cum Apostolo: *Non enim audeo quidquam loqui eorum quæ per me non operatur Christus.* Rom. xv. 18. Cui sententiæ inhærens quidam Pater senior renuebat juniores Fratres aliis Fratribus præsidere, quamquàm nonnunquàm tamen juniores utiliùs quàm nonnulli seniorum præesse inveniantur. Sed Pater iste oculum direxit in id quod contingit communiùs.

Consideratio Decima sexta.

Religionis Major non in sua tantumdem prudentia, verùm etiam & multò ampliùs de divina gratia per orationem sedulam postulata debet confidere, in dispensationibus exercendis. Ita enim Discipulus ille quem diligebat Jesus, loquitur: *Quoniam unctio ejus docet de omnibus.* 1. Joan. ii. 27. Nec de hoc siluit Aristoteles, sed consonè ait, quia *Virtus operatur certiùs quam ars.* Sic denique fiet, ut meritis & precibus humilis & pii Pastoris oviculàrum suarum necessitatibus per se provideat bonus & summus Pastor, & ipse verus cœlestis Medicus. Vide nunc, an non ita de Medicis corporis suaserit Sapiens: *Ipsi*, inquit, *Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum & sanitatem, propter conversationem eorum.* Eccli. xxxviii. 14. Tu verò, qui Religioni subjectus es, pete priùs à Domino instantissimè consilium, non quidem expectans illud ab eo immediatè, aut per medium Angeli quasi per miraculum tibi tradi; sed per Majorem tuum, cujus os observare convenit tanquàm Dei loquentis in eo, & per eum. Sicut & verè credendum est, quia Vicarius Dei est, & locutionis Dei in hoc organum, nisi fortè peccatum ipsius consulentis obstiterit, per diffidentiam cordis, fictionem, aut alia, prout nonnunquam contigisse, & contingere posse clarum est.

Quamvis nunc itaque posset ex prædictis elici dissolutio quæsitorum dubiorum; nihilominùs placet descendere adhuc parumper ad particularia; quoniam in moralibus particulares sermones magis erudiunt. Et fiet restrictio ad celebrem, sanctamque Carthusiensium Religionem sub omni reverentia & timore, non tàm docentis fastu, quàm rememorantis pio affectu ea quæ quasi in genere præmissa sunt.

A

Consideratio Decima septima.

Religionis Carthusiensis Major potest in casu dubii secundò propositi absque ullo dubitationis scrupulo concedere lautiorem victum sic periclitanti, & petenti; immò & non petenti debet ingerere, dum cognoscitur esse talis potissimè, cui possit in hac Religione competentiùs, seu faciliùs indulgere magis sine nota singularitatis, & absque murmurationis occasione, propter solitariam in cella refectionem. Addam verbum unum, quod fuit, ut accepi, responsum per Patres Definitores in Capitulo generali ejusdem Ordinis cuidam inquirenti, dùm fiebat gratia generalis, sive illa pietantia, sive aliter, nominetur: „Ego, inquit ille, sentio me „non indigere tali gratia. Nunquid ergò propter con„scientiam teneor abstinere ab hujusmodi gratia, & „eam non accipere? At Patres illi: etiamsi tu nec par„vum quidem bolum, seu morsum accipere indigeas, „nihilominùs accipe gratiam quæ præstatur, reve„renter, & utere cum gratiarum actione.„ Et certè meo judicio prudentissimè, ut sic in tali Fratre singularitas vitaretur, humilitas servaretur, murmurque & indignatio ab aliis secluderetur.

B

Consideratio Decima octava.

Religionis Carthusiensis Major in casu tertii dubii, consilium & licentiam concedere fas habet ut petitur, præsertim in orationibus non necessariis & peculiaribus. Tutiùs tamen est, ubi non fit dispensatio, officium linguæ non penitùs omittere; quoniam illud tenuissimum & faucibus orantis interclusum sufficit, nec potest notabiliter, aut periculosè gravare, *Abundat quilibet in sensu suo* juxtà Apostoli sententiam. *Rom.* xiv. 5. Sunt præterea qui tempore vocalis orationis præsertim, laboriosè non studiosè insistunt meditationi; sed expediunt orationem suam alacriter cum attentione communi, quatenùs postmodùm liberiores habeant animos ad meditandum, vel cum silentio orandum. Docuit nonnullos experientia sic agere consultè ex suæ conditionis necessitate, eò quòd cum vocis sono etiam satis tenui, nequeant suam stabilire meditationem, prout in casu primi nostri dubii querela fit.

C

Fortis profectò, fortis, & felix videtur is cui à Deo donatum est simul spiritu oris & devotione mentis, devotione, inquam, tali qualem sentiunt in silentio ipsi contemplantes, Domino suo servire. Sed rara est valdè hæc gratia, propter humanam infirmitatem partim, partimque propter nostrum torporem; nec etiam hujusmodi gratia est ab omnibus de necessitate & sub obligatione requirenda, aut exigenda.

Consideratio Decima nona.

Religionis Carthusiensis Major Fratres suos habet inducere, quatenùs non minùs ei respondeant veritatem de suis virtutibus, dùm interrogantur, quàm de suis vitiis & defectibus. Ratio hujus, quoniam periculosè sæpè sub tegumento & velamine virtutum, se vitia palliant. Exposuit hoc inter alios, immò suprà alios egregius ille morum indagator Beatissimus Papa Gregorius in diversis & penè singulis Moralium suorum locis. Verùm in proposito satis sit exemplum de lachrymis, de quibus primum nobis objectum dubium inquirebat. Itaque caveas tibi quisquis in Religione, præsertim sic austera, sicut est de qua loquimur, conversaris, à laqueo quem venantes abscondunt dæ-

D

Digitized by Google

mones in eo quod cogitamus, quod loquimur, quod agimus. Itaque laqueos ploramus, laqueos loquimur, laqueos comedimus & bibimus, laqueos nectimus in cunctis operibus nostris. Nec sufficit contra tot laqueos remedium aliud efficacius, quàm ex sententia dicere cum Psalmista: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*: Psal. XXIV. 15. Fuerunt locuti de lachrymarum conditione multi. Et fermè nihil mentem nostram sic purgat, illuminat, & serenat, ut profunda compunctio, & lachrymarum inundatio. Verùm id quidem, si observatur illud: *Ne quid nimis*. Fit autem nimis, dùm ex his incurritur evacuatio, & turbatio cerebri; dùm præterea flens redditur impotens ad opera sibi de necessitate faciendum incumbentia, vel ex voto, vel ex præcepto, vel ex Superioris instituto. Est fateor in lachrymis aliquid dulce & mulcebre, sed procul sit hæc dulcedo, quæ criminis amaritudinem per prævaricationem parturit, & quæ vulnerat, suffocatque naturam. Est igitur abjicienda nonnunquàm hæc lachrymarum profusio. Et nescio si lachrymæ indè fluent uberiùs, quia lachrymari vel non licet, vel non decet, vel non expedit: ita enim quandoque videtur. Nihilominùs tamen oportet ut prohibeantur sæpè, quia necessaria præceptorum regularium disciplina præponenda est lachrymis, tam extortis, & mendicatis, quàm infusis, & placitis. Eadem enim est causa de hujusmodi lachrymis, quæ de sentimentis spiritualis dulcedinis, & sensibili suavitate, cur hæc sæpè non expediat propter plures respectus, prout de hoc alibi traditum est. Propthereà prudens Religiose, fuge, quantum poteris interim tales lachrymas, quoniam haud dubium

Latet anguis in herba.

Dùm autem omninò tuus fueris, seu dispensatione Superioris, seu divina ordinatione, tunc illis utere, illis te inebria, illis te refice, suavissimum tibi balneum mentis in illis frequentiùs instrue. Secùs verò, ubi tuus non es; sed Ordinis, & Communitatis, ac carcerali quasi observatione, spontè quidem, & utiliter (nisi recalcitres) mancipatus, compendibus Charitatis ex Professione tua voluntariè facta pro Christo astrictus.

Consideratio Vigesima.

Religionis Carthusiensis Major in casu primi dubii propositi, quoad orationes publicas & Canonicas, habet cum magno pondere deliberationis attendere quòd tales orationes non sunt (ut ita dicamus) factitiæ, seu voluntariæ per Religionem Carthusiensem institutæ, sed per Sedem Apostolicam aut sedentem in ea Summum Pontificem generaliter per universam Christianam Religionem ordinatæ. Veruntamen quòd hæ orationes dicantur alta voce, vel submissa, publicè, vel ad partem, hoc spectat ad Jus positivum, & per consequens ad Majoris arbitrium. Undè in hoc in omni Religione dispensatio potest indulgeri, quantùm Religionis vigor pati potest. Quocircà vulpeculam in primis capi, opprimique convenit, dùm inducitur in vineam Domini sub hoc tegumento quòd Dominus pensat cor, non verba.

Pensat credite, pensat Dominus verba multiplici ratione, nominatim quadruplici: Ad sacrificium laudis, ad exercitationem corporis, ad meritum satisfactionis, & ad præstandum exemplar proximis & laicis. Nolo igitur, dicat mihi Religiosus aliquis, quòd Dominus pensat cor, non verba, cùm Apostolus dixerit: *Orabo spiritu*, I. Cor. XIV. 15. vocem intelligens, secundùm Glossam ordinariam; *orabo mente*. Et Ambrosius in hymno,

Os lingua, mens, sensus, vigor,
Confessionem personent.

A Nolo sic præsumat solitarius dum in commune venerit, ut se dignum reputet sola conventione: ut societatem, seu Conventum spernat impari exercitatione: ut voti sit immemor in sua professione; ut quærat hîc remunerationem transitoriam pro æterna beatitudine: ut Ecclesiam Dei denique superbè contemnat in sua jussione, & personali missione. Demùm si necessitas, prout quandoque fit, urgere videatur pro valetudine corporis, aut mentis; nolo prohibere, nolo contentiosus esse, nolo tyrannus, nolo crudelis tortor inveniri. Sed tamen nolo etiam te tibi soli committere. Fallit nos amor alienus in judicando, quantò magis igitur amor proprius. Lucifer indè corruit. Corruerunt indè omnes, qui operantur iniquitatem. Expectes igitur volo, expectes judicium Majoris tui. Crede, juxta formam sancti Bernardi, semper magis judicio alieno, & maximè tui Superioris, quàm proprio; quoniam ille vice Dei tibi dicet si petitio tua liceat, si expediat, si deceat, non tantùm pro salute tua, sed pro conscientia quoque sua; necnon si pro Fratrum tuorum pacifica communicatione, immò etiam pro generali ipsius Ordinis conservatione. Et ut non fallatur Superior tuus in consulendo, tuum sit humili pietate Deum jugiter exorare, ut tuas per eum in cujus te manibus commisisti vias dirigat. Vetus proverbium est à Seneca B positum: *Campus docet pugilem*. Ad quod spectat illud, quòd visio, contrectatio, & allocutio ægrotantis docet Medicum quid agere debeat. Non aliter est de Medico spirituali: fiunt enim curationes non hominis, sicut loquitur Aristoteles, sed hujus hominis; quo fit, ut singularia quæ non cadunt sub Arte, referri debent ad judicium prudentis in Arte sua.

Possent ista latiori deductione produci per membra singula, sed epistolaris angustia tantundem scripsisse contenta fit. Benè vale, Pater, Domine, Frater, Medice charissime, & oremus pro invicem ut salvemur.

Scriptum Lugdini penultima Octobris. Anno Domini nostri Jesu Christi. 1422.

CONCLUSIO EPILOGANS.

RESPONDERE uberiùs, quàm necesse erat, conatus sum quæstiunculis per te missis, Guillielme, Pater & Frater in Christo charissime, sub duplici considerationum denario super Religionis perfectione, ac moderamine; suadens ut lachrymis ponatur modus, ut in congregatione vocalibus intendatur exercitiis, C conservando vires ad hoc ipsum; ut insuper nulla lautioris victus concessio desuper facta repudietur, sive illa fuerit propria, sive singularis, sive fuerit communis, seu universalis; ut denique orationes in cella quæ sub Præcepto præsertim Ecclesiæ cadunt, ore offerri, & proferri non omittantur, nisi fortè id fieret de consilio, & licentia Superioris, cùm prolatio ore tenùs fieri possit utique tenuiter, & absque periculoso, ut apparet, gravamine. Attento potissimùm etiam, quòd quia fit ab institutione & nomine Ecclesiæ, aut ex regulari ordinatione; orans ipse sic ore, ex hoc multùm meretur. Primùm, quia obedit; secundò, quia oris sacrificium reddit; tertiò, satisfactorium pro peccatis ex labore agit; quartò, otium excutit, quod facilè surrepere solet in sola mentali oratione, seu meditatione. Facit ad hæc illud Apostoli: *Psallam spiritu, psallam & mente*, I. Cor. XIV. 15. cum Glossa ordinaria, D quæ, si placeat, videatur. *Finis.*

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

PROOEMIUM OPERIS CUJUSDAM DE STUDIO MONACHORUM.

De Novo edit. ex MS. Cod. Vict. 463.

FUERAT intentionis meæ circà materiam de vera Religione quædam accuratiùs scribere latiorique forma, tùm ad eruditionem minùs exercitatorum in sacris Litteris, tùm ad confutationem aliquorum minùs sobriè, ne dicam, temerè præsumentium de suo statu, vel professione, variis traditionibus humanis propter quas faciunt nonnunquàm irritum Mandatum Dei, gloriantes. Incidunt propterea quæstiones quotidianæ & variæ pro varietate humanarum traditionum, quas dissolvere sicut difficile ita & utile esset, pro serenatione conscientiarum, & perfectionis adeptione pleniori. Moverunt animum ut hoc crebriùs meditarer, multa quidem, sed unum inter cetera præcipuum, dùm videmus plures ex Religiosis nostri temporis senes cum junioribus servire Deo in ariditate spiritus velut in horrore deserti inaquosi. Et primùm quòd si quæstio fiat, an gustaverint & viderint quàm suavis est Dominus, & quia oportet adorare Deum *in spiritu & veritate*. Joan. IV. 23. respondere nequeunt ex scientia; sed neque si perstem & interrogare cùm Pilato, *Quid est veritas*, Joan. XVIII. 38. ita omnia agunt sine spiritu, animales ferè per omnia, & in nullo penè spirituales, immò nec vix ad vitam capescendam rationales. Nihilominùs sibi ipsis longè aliter blandiuntur tantò incurabiliùs, quantò insolentiæ plurimùm, & sapientiæ parùm habent: sed de his forsan aliàs, si Deus annuerit.

Placet verùm nunc id unum perquirere, si Litterarum studium, præsertim sacrarum sit expediens Religiosis, & omisso interim sermone de Fratribus Mendicantibus qui se ad doctrinam, & prædicationem constitutos dicunt, coarctare verbum nostrum ad Fratres Cœlestinos & Carthusienses.

Posset autem videri quæstio protinùs dissoluta ex verbis Hieronymi, & aliorum Patrum, quia Officium Monachi est flere, & plangere, non docere: cùm ergò finis studii, & lectionis sit doctrina, quid utilitatis afferret lectio Monachis eâ non usuris. Omnes præterea de uno Monasterio, vel darentur studio litterarum, vel tantummodò pauci ex eis: primum nequit fieri propter assiduitatem servitii, & quia jam transierunt in alterum modum vivendi à patribus suis institutum: secundum verò tollit eam quæ optima custos Charitatis est, communionem, & singularitatem nutrit. Cùm etenim in Monasterio sint omnia communia, vita, lectio, cibus, disciplina; denique Fides, Spes, Charitas sufficiunt ad piè, religiosèque vivendum sine multa lectione: alioquin mulierculis, & idiotis qualis esset salus? Sed ut oppositum sentiam, compellunt me considerationes aliquæ.

Desunt hæ considerationes in Manuscripto.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

DE LAUDE SCRIPTORUM, AD FRATRES COELESTINOS ET CARTHUSIENSES.

Utrum liceat diebus Festis scribere Libros devotionis gratis.

In MSS. duobus Bibliotheca Victorina 1083. *&* 694. *& duobus Navarricis titulus est.* Tractatus De Laude Scriptorum doctrinæ salubris ad Cœlestinos, & Carthusienses, imò totam Ecclesiam Lugdunensem M. CCCCXXIII. Mense Aprili.

ARGUMENTUM.

Occasione hujus quæstionis; De multiplici utilitate scriptionis Librorum fusè tractat.

SCRUTAMINI *Scripturas*, exhortabatur olim Judæos Christus. Joan. V. 39. Scripturas, videlicet, in quibus putabant se vitam æternam habere, de qualibus loquitur Apostolus: quòd *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: 2. Tim. III. 16. & *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeamus*. Rom. XV. 4. Verùm quomodò scrutabuntur Scripturæ, si non habeantur? Qualiter habebuntur, si non scribantur? Qua ratione scribentur, sine Scriptoribus? Sunt igitur necessarii Scriptores. Et hoc est quod hîc & nunc intendimus suadere, compellente nos ad hoc multiplici circà Scriptores Librorum utilium defectu, quem patitur ætas nostras.

Et in primis conclusionem certam statuamus dicentes: Scriptor idoneus & frequens Librorum doctrinæ salubris, agit opus bonum de genere. Et opus hoc, si proveniat ex charitate, est meritorium vitæ æternæ, nec servile dicendum est. Undè protinùs habetur decisio dubii, cujus occasione cuditur præsens Opusculum, quòd quæsivit quidam de Monachis domus Carthusiæ: *Si liceat diebus Festivis scribere devotionis Libros gratis.* Sed advertendum in primis, quòd nomen *Scriptoris*, notat peritiam scribendi cum usu assiduo, vel frequenti: *Scriba* verò dicit Magistrum in eis quæ sunt divinæ Legis eruditum, qui & scrutator, vel conquisitor dici potest, aut etiam dictator, quales erant Scribæ Judæorum, qualis Esdras Scriba velox & ingeniosus in Lege, quales apud Christianos Theologi Doctores, seu Theologiæ Professores, de quibus non erit principaliter sermo præsens, sed de Scriptoribus quasi mechanicis & manualibus Librorum. Et hi sunt in mul-

multiplici differentia penès eruditionem majorem, vel minorem circà scripturam quam transferunt ex inspecto exemplari Libro, vel quam de pronunciantis ore suscipiunt, sicut Baruch de ore Jeremiæ *Jer.* XXXVI. 27. scripsit omnes sermones ejus. Sunt qui simul sunt dictatores, & Scribæ, & Scriptores; talis laudatur fuisse divus Ambrosius, Libros scribens, quos dictabat. Sunt alii gradus infimi nullum penitùs habentes intellectum eorum quæ transcribunt, quos quasi pictores appellamus. Sunt nonnulli tanquàm medii gradus, quibus apertus est satis sensus eorum quæ scribunt, saltem grammaticaliter, seu literaliter, quales olim fuerunt, & adhuc esse feruntur in Religionibus approbatis, atque in Universitatibus, & Studiis, rationabiliter institutis. Et de talibus loqui præcipua nunc est intentio, nequaquàm alios secludendo, qui vel sunt magis aliquid quàm Scriptores, ut primi, vel ut secundi, qui parùm sunt ad fructum spiritualem suæ scripturæ capescendum idonei.

Quibus prænotatis, ut lucidior & brevior esset ordo dicendorum; patet statim hæc nostra conclusio scientibus quid est opus bonum de genere, quid opus meritorium vitæ æternæ, quid opus servile. Veruntamen placet eam per comparationes aliquas in subsequentibus duodecim considerationibus ampliando monstrare, quas metrum triplex comprehendit.

Prædicat, atque studet Scriptor, largitur & orat,
Affligitur, sal dat, fontem, lucemque fitauris,
Ecclesiam ditat, armat, custodit, honorat.

CONSIDERATIO I.

Quòd Scriptor prædicat.

SCRIPTOR idoneus & frequens Librorum doctrinæ salubris (sic enim semper infrà loqui volumus & intelligi) prædicare dici potest. Certè si lingua silet, manus prædicat, & fructuosiùs aliquando, quantò scriptura venit ad plures uberior, quàm transiens sermo. Nec obviamus dicto Hieronymi; quod *Habet nescio quid latentis energiæ vivæ vocis actus, & in aurem discipuli ex Doctoris ore transfusa, fortiùs sonat.* Sed invenies aliquos eruditissimos, fatentes se plura didicisse, scripta studendo, ruminandoque secùm, quàm per Doctoris auditum (qualem se fuisse, videtur Bernardus gloriari, dicens, *Magistros suos fuisse quercus & fagos*) proculdubio non sine prævia, vel comite lectura Librorum. Adde, quòd inter Prædicatores sunt multi tanquàm nudi pronunciatores eorum quæ sumunt formaliter in scriptis: qui si mereri possint aureolam Prædicatoribus debitam, cur non similiter Scriptor noster cui potest adesse, & adest, ut supponitur, non impar animarum salvificans zelus scribendo, sicut alteri loquendo?

CONSIDERATIO II.

Quòd Scriptor studet, legenti, & dictanti, similis.

SCRIPTOR hujusmodi, scrutanti studiosè, vel legenti doctrinaliter, vel etiam dictanti, non est usquequaque dissimilis: colligitur ex præcedenti deductio præsentis considerationis, quoad legere, vel dictare; quia nedum pro morula temporis exigua, sed in Annos decem, centum, mille scripturam durare continget in se, vel per multiplicationem exemplarium ab eo scriptorum: legentibus autem atque dictantibus si defuerint auxilia Scriptorum, cùm memoria sit labilis obrepet protinùs obliteratio dictatis, aut de lectis oblivio. Adde quòd salubriora sunt plerumque scripta veterum, qualia Scriptor noster eligit, quàm dictamina novellorum. Non quòd improbemus novos dictatores, quales assiduè coguntur assurgere, tum propter alterationem variam gustus spiritualis cupientis nunc hanc, nunc illam escam verbi cœlestis, nunc omnem penitùs abominantis; tùm verò propter dubitationes noviter emergentes, juxtà qualitates personarum, temporum, aliarumque circumstantiarum, quæ nunquàm plenè totas se præbebunt, cùm sint absque numero variabiles. Exemplum de Medicis & morbis; non enim sufficiunt eis Libri quantumlibèt ex arte compositi, sed oportet variare receptas, quales velle simul omnes tradere, esset (prout Avicenna notat) inexplebile. Prodest nihilominùs apud Rempublicam non mediocriter reservatio talium particulariter dictatorum, sicut contrà morbos corporum, sic adversùs pestes animorum, quod utique facit Scriptor. Porrò scrutationem studiosam non omni scribenti tradere possumus, sed scientifico, cujus memoria firmiùs retinet ea quæ scribit, quàm alia, si vult intendere, tum propter immorationem, tum quia

Segniùs irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subjecta fidelibus,

ait Flaccus. Accipit ex hac radice suæ traditionis originem ars memoriæ, cujus meminit Cicero. Redditur insuper ratio cur expediat studiosis abbreviationes sibi conscribere, certisque notulis insignire puncta memoratu digniora.

CONSIDERATIO III.

Quòd Scriptor noster largitur, miseretur, & commodat.

SCRIPTOR noster largitur, miseretur & commodat. Tres esse partes Satisfactionis Theologi tradunt: una est eleemosyna, de qua præsens est consideratio, altera est oratio, tertia jejunium, de quibus erit consideratio sequens. Quis oro dubitaverit, quin Scriptor de quo loquimur, sit largitor eleemosynæ multiplicis, nedum temporalis ad sustentationem sui, suorumque fratrum seu domesticorum. Est enim lucrosa non parùm ista ars. Tenebit insuper locum eleemosynæ spiritualis ad opitulationem animarum, nunc adversùs errores & scrupulos per eruditionem doctrinalem atque consilii, nunc ad consolationem salutarem. Fallor si non ita misericordiam receperunt Jonathas cum ceteris Judæis, 1. *Machab.* XII. 9. dicentes, *se habere solatio sanctos Libros, ideò nullo indigere*: consonat Apostolus, ubi suprà *Rom.* XV. 4. Sunt adhuc, ut accepi, nonnulli Professores Regulæ beatissimi Augustini (quos Canonicos Regulares appellamus) apud Hollandiam, quorum labor scribendi pascit eos temporalibus subsidiis de pretio Librorum, remanentibus apud se plurimis ad spirituale solatium. Tales jure diximus beatificatos à Propheta. *Labores* (inquit *Psal.* CXXVII. 2. 3.) *manuum tuarum quia manducabis, beatus es*, hîc in spe, *& benè tibi* tandem *erit* in re. *Uxor tua* mysticè divina sapientia, vel Religio tua, vel cœlestis gratia, *sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ*, quæ est Ecclesia, vel conscientia. *Filii tui* literaliter Professores & Scriptura, moraliter opera tua, *sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ* Domini: quæ paratur *adversùs eos*, dæmones & homines, *qui tribulant* nos. Psal. XXII. 5. Compara nunc, si potes, aliorum quorumdam Ecclesiasticorum multiplicata super numerum Instituta, sint in orationibus vo-

Digitized by Google

vocalibus, sint in eleemosynis corporalibus, istorum pauperi, nec jam pauperi, sed diviti simplicitati. Fuerint, an adhuc sint, nescio, Sanctimoniales in hoc opus dedicatæ, sicut olim Origeni pro transcribendis operibus suis, nedum Notarios perdivites sæculares, sed puellas sex in scribendo peritas, datas esse. Undè quæso tot genera Bibliorum, tot Doctorum volumina, quæ modò supersunt in Ecclesia, si non ex Scriptoribus in Religione degentibus, quorum ad præsens vix ullum superest vestigium?

CONSIDERATIO IV.

Quòd Scriptor orat.

SCRIPTOR noster orat: habet oculus nuncius cordis orandi materiam sibi ministrare. Quàmvis nihil obsit quin vocalis quandoque possit inseri oratio, vel canticum suave, dum scribitur. At verò satis est implere Scriptorem nostrum monitionem Apostolicam, quòd psallamus, & cantemus in cordibus nostris Domino: *Ephes.* v. 19. & *Col.* III. 16. quòd frequenter eò liberiùs implere valet, quò solitudine quadam uberiùs fruitur. Puto palàm mihi fieri, quòd scriptio vel scriptura est opus Dei, opus religiosum, non minùs sæpè quam vocis exaltatio in canticis Ecclesiæ. Potest subindè unum compensari per alterum, quandoque salubriùs quàm temporalis administratio ab Ecclesiasticorum officiorum frequentatione salvat & absolvit. Crediderit proindè Scriptor noster, & pietate jugi recogitaverit totiens Deum, Sanctosque Angelos secum esse, totiens Scriptores sacros ipsum alloqui, totiens Christum sibi blanda quædam oscula consolationis dare, quotiens eorum dicta salubria conscribit, quæ mediatè, vel immediatè dispensarunt. Cui dignitati, quæ potest merces alia temporalis æquari? Quis prohibet talem aliquem contemplativum & esse simul & dici? Contemplationem itaque lectio quæ scribendo fit non impedit, sed pascit.

CONSIDERATIO V.

Quòd Scriptor affligitur.

SCRIPTOR noster affligitur, in quo jejunii vicem tenet: Jejunium, prout est tertia pars Satisfactionis, extenso nomine, dicitur à Doctoribus *Omnis afflictio corporalis assumpta voluntariè pro domatione carnis, vel vice Satisfactionis quæ fit per dolorem.* Quemadmodùm pars altera, quæ dicitur oratio, concludit *omnem mentis elevationem in Deum, cum humili subjectione & obedientia.* Eleemosynam verò protendunt, ad *omne subsidium proximo misericorditer impensum.* Consonat votum paupertatis, eleemosynæ; votum obedientiæ, orationi; votum castitatis, jejunio seu corporis edomationi: Quæ taliter elucidata, mox perspicuam faciunt hanc considerationem cum duplici præcedente. Nullus itaque negaverit laboriosum esse scribentis exercitium; acceptet igitur illud in pœnitentiam seu satisfactionem pro suis alienisque delictis: sic enim directio spiritualis oculi reddit laborem suum, nedum uno hoc modo D laudabilem & meritorium, sed tot modis quot intentiones bonas adducet ad decorationem actus sui, nominatim juxtà considerationes duodecim, quas sub scripturæ præconiis aperimus. Junge quòd in Foro Pœnitentiæ potest iste labor ad Satisfactionem Sacramentalem imponi: quem laborem, si nullum imponit hominum, imposuit sanè Deus ab initio cùm dixit Adæ & posteris, *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. III. 19. Porrò qui in labore hominum non sunt, nec cum hominibus flagellantur, non intumescant, sed timeant ne cum dæmonibus affligantur. Scripsit egregium volumen Augustinus *De opere Monachorum*, quod totum potuerat ad rem quæ nunc agitur traduci: quoniam si Monachos oportet operari, quale dabitur opus aliud suæ professioni, nedum minùs adversum, sed ampliùs promotivum; attento quòd non omnes idonei sunt ad difficiliora, qualia sunt prædicatio vel lectio Doctrinalis? Sed A neque Missarum obstat celebratio, quam finit hora brevis. Neque prætereà valet excusatio desidiæ nonnullorum, dicentium, imò quasi gloriantium, nescio scribere. Discant, discant, neque verecundentur vel desperent, quoniam

Labor omnia vincit,
Improbus, & duris urgens in rebus egestas,

ait Virgilius. Gallicè, *Besoin faict vielles trotter.* idest Latinè, necessitas facit vetulas currere. Qui se dicit egere, cùm sibi possit faciendo quod in se est providere, si mendax, si fictus est, lector dijudicet.

CONSIDERATIO VI.

Quòd Scriptor sal sapientiæ tribuit.

B SCRIPTOR noster posteris sal sapientiæ administrat. Jubet Apostolus *esse nostrum rationabile obsequium*, Rom. XII. 1. conformiter ad figuram Legis, præcipientis *in omni Sacrificio sal apponi.* Lev. II. 13. Videat autem Scriptor ne suum sal infatuet, vel sibi, si ei non sapuerit; vel aliis, si corruptum per ineptias scribendi reddiderit. Quales verè protulit ætas nostra plurimos, quorum mendosa fuerunt adeò volumina, ut consultiùs fuisset nulla, quàm talia ministrari cum literis inconditis, sine lege, sine sensu vel ordine: adeo quidem, ut Auctori proprio seu dictatori non intelligibilia redderentur quantumlibet introspecta. Hanc existimant aliqui non minimam tribuisse jacturam Studiis ac Universitatibus nostræ tempestatis, dùm quilibet admittebatur ad scribendum, non probatus, non cognitus. Exemplaria quoque dabantur incorrecta: quidni multiplicior corruptio sequeretur, juncta transscribentium vel inertia vel ignorantia?

Si dantur visitatores in artibus mechanicis, ne fraus committatur in operationibus, ut in pannis, vel in pane, vel cutellis, & ceteris. Quis dignè tulerit C opus pretiosissimum expers esse visitationis, ne corruptio sua serpat jugiter in deterius? Sic olim apud sanctos Patres habebatur electio super Scriptoribus, nec passim admittebatur indoctus ut doctus, sed usque ad punctorum formationem, qui lucem dant magnam legentibus, examen habebatur. Prisci Doctores, nominatim Irenæus * (si non fallit memoria) subjungebant in Opusculorum suorum fine terribilem divini nominis obtestationem, ut scripta sua correctè transscriberentur, & per posteros ita fieri suaderent: alioquin juxtà Hieronymum, *quis vel scripsisse, vel emendasse fructus esset?*

CONSIDERATIO VII.

Quòd Scriptor fontem ministrat.

SCRIPTOR noster posteris *aperit fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam.* Joan. IV. 14. Intelligatur hoc, non ut Auctor principalis, qui solus Deus est, sed ut ministrator. Nam *fons vitæ verbum Dei in excelsis.* Eccli. I. 5. Nonne Libri salubres, quales intendimus sunt,

* *Extat istæc adjuratio Irenæi aqud Eusebium Lib.* 5. *Hist. Eccl. c.* 20.

Digitized by Google

sunt, non cisternæ quidem viteres & dissipatæ, sed *Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano*. Cant. IV. 15. qui candidatio nuncupatur? Cui sapientiæ fonti, quantò proximiores sunt rivuli scientiarum, tantò potiores salubrioresque credideris illos. Quò contrà, dum per terras in longinquum rivi scientiarum dilabuntur, non retinentes virtutem & gustum fontis originalis, scito quòd de facili limum viscumque contrahunt, undè vermes pestilentes, ut ranæ, buffones, colubri geniti repunt, & potantes inficiunt aut perimunt. Bibe igitur, ô Scriptor, de aquis tuis viventibus, venientibus de Libano prior, & ne dixeris cum hæreticis; *aquæ furtivæ dulciores sunt*. Prov. IX. 17. sed omnia palàm & in luce clarescant, pro quo sit sequens consideratio.

CONSIDERATIO VIII.

Quòd Scriptor lucem dat.

SCRIPTOR noster lucem sequitur, & eam posteris administrat. Lex Dei *lux est & lucerna. Lucerna pedibus meis verbum tuum* (ait Psalmista Domino) *& lumen semitis meis*. Psal. CXVIII. 105. Sed oportet ipsi gaudium sit, qui delectabile lumen oculis inspicit quotidiè. Neque habet ut Tobias conqueri: *Quale mihi gaudium erit qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video*? Tob. V. 12. Videt planè lumen cœli Scriptor noster quod est verbum Dei descendens à Patre luminum, dùm alii accumulant super se terram, instar talparum, defossi tenebris secularium vel literarum vel operationum. Gaudeant pueri tales habuisse Parentes vel Magistros, qui talibus eos artibus salubria scribendi voluerunt instruere. Gaudeant qui talentum artis hujusmodi susceptum non ignaviter infodere, sed ut lucernam & lucem, strenuitate diligenti conantur præsentibus & futuris ostendere. Vide homo homini, & ars arti quantùm præstat & præfertur: deditus scilicet ad salutaria spiritualiaque, præ delictis aut impulsis ad noxia, (quæ vel avaritiam nutriant, vel ad flagitia pertrahant) non distrahunt à peccatis. Demùm collige tecum Scriptor noster, quale sit tibi donum Dei, posse frequenter emergere de tenebris mundanorum hominum cum actibus suis teterrimis, in seditionibus, in bellis, in contradictionibus: emergere dixerim per obligationem animi, dum lucidis & tranquillis actionibus, mens occupat se. Nam ubi locus esset in corde tuo tenebris, quod lux scripturarum attentione sua complet? Qua in re non parvum accipit fructum Scriptor, quamvis illiteratus, non minùs crebrò quàm homo non intelligens, Ecclesiæ canticis occupatus. Sensit hanc lucem Augustinus, dùm obediens cælesti oraculo, *Tolle lege. Tolle lege*. Conjectis in Scripta Apostoli oculis, mox depulsæ sunt ab eo dubitationis tenebræ, luce securitatis infusa. Itaque dici non potest, quàm multiplex olim & quotidiè lucis splendidæ fulgor irradiet legentes in Scripturis quas haberi non posse sine Scriptoribus quis nesciat? Præsto sunt ubilibet Scripta tibi, si volueris; verba non æquè. Vides in illis defectus tuos, tanquàm in speculo, sine verecundia vel pudore cujusquam inspicientis vel culpantis. Potes pro variatione palati spiritualis, nunc istis nunc illis Scriptorum refici saporibus. Propterea supervacuam ipsorum multiplicationem quis esse culpaverit? Nonne lautissimam esse convenit sapientiæ mensam, multaque ferculorum varietate refertam? Sumat unusquisque quid & quantùm satis erit, vel usque ad sobriam ebrietatem spiritus, ad quam sponsus invitat charissimos: *Comedite*, inquit, *amici & bibite, & inebriamini charissimi*. Cant. V. 1. Qualis ebrietas non tenebrositatem, obtusitatemque, sed luminositatem affert insolitam, & verè divinam.

CONSIDERATIO IX.

Quòd Scriptor Ecclesiam ditat.

SCRIPTOR noster Ecclesiam ditat. Refertur Augustinus moriens Fratribus inculcasse, quòd Ecclesiasticam Bibliothecam magno studio, quia magnum sciebat esse thesaurum, custodirent. Quò contrà non habent tyranni depopulatores Regionum seu Religionum efficacius machinamentum, quàm si Libris ipsas in primis spoliaverint atque privaverint. Patuit in Regibus Assyriorum respectu Jerusalem & Judæorum. Hoc pridem animadversum est incommodum cœpisse circà Regnum Franciæ Christianissimum, à quo Libri distracti sunt assiduè, & si non aperta, tamen occulta & palliata deprædatione, propter lucrum ad exteras nationes colligendum, quamquam neque defuerint apertissimi violentissimique direptores. Dicitur in proverbio vulgari: *Les bons Livres font les bons Clercs*, id est, boni Libri faciunt bonos Clericos. Hoc & aliud proverbium verum est, *Mutatis quoque Libris, ut politia mutetur uno modo, vel altero necesse est*. Hæc ad laudem Scriptorum spectant, quorum studium est ad oppositam Librorum depaupertationem contrarium, ditare scilicet, & populare Libris sanctis. Admirabilis fuit ardor habendi Libros sanctos apud Ptolomæum Regem, qui pretio ingenti comparavit sibi per septuaginta Interpretes translationem eorum. Quo utinam provocarentur infidelis Regis exemplo, fideles Pontifices, & Principes Christiani. Fertur hujus Regis Libraria, quinquaginta mille Libros habuisse. Ceterum divitias hìc non accipimus solùm in decore Librorum, qui tamen additus si fuerit valori spirituali, pretium duplex accrescit, sicut in ornamentis Ecclesiasticis ista laudamus. Sit scriptura laudabilis pro thesauro, qualis non est in papyris illico exeuntibus, ubi dicuntur simul labor rectè papyreus deperire cum opera & impensa. Pergamentum durabilius est, quæ conditio caritatem ejus super papyrum compensat abundanter. Sed neque quispiam excusaverit suam in scribendo segnitiem: si nesciverit literas artificiosè multùm formare: litera sit legibilis, sit punctuata, purgata, qualis est Lombardorum, non involvens se tractibus superfluis: sit demum sine mendis falsitatis cum orthographia vera: illam sufficit in Ecclesiæ thesauro reponi, quamvis parum fucati decoris obtineat, nec tantùm pretii temporalis. Non autem oportet ad extremum unumquemque similes ad scribendum Libros assumere, quemadmodùm non est par in legentibus studium. Captat hìc ampliùs devotionem vel gignere, vel nutrire, cui parva satisfaciunt opuscula: vult alius in altum eruditionis intellectualis ascendere, tali grandia Doctorum habenda sunt volumina, quorum traditiones ordine doctrinali scrutetur; alioquin rectùm in addiscendo deserens ordinem, lætos juxtà Boëtium exitus non haberet. Primum simplicitati claustralium Religiosorum: alterum magis appropriatum est studiositati sapientiam cum prædicationis officio profiteri quærenti. Tu denique si non potueris amplos Librorum manipulos ad aream Ecclesiæ reportare, vel parvulos & paucos, imò si Gregorio credis, vel unum afferre stude, ut in Tabernaculo Domini non vacuus appareas, si solus etiam caprarum pilos habueris, vel minuta duo.

CON-

Digitized by Google

CONSIDERATIO X.

Quòd Scriptor Ecclesiam armat.

SCRIPTOR noster Ecclesiam armat. Comparat Salomon in Canticis, Ecclesiam *turri David*, *quæ ædificata est cum propugnaculis*, *& mille clypei pendent ex ea*, *omnis armatura fortium.* Cant. IV. 4. Et Apostolus nominat verbum Dei nunc clypeum ignitum, nunc gladium ancipitem & penetrantem, nunc gladium spiritus. *Ephes.* VI. Et Psalmista Sagittas potentis acutas. *Ps.* CXIX. 4. Quisquis igitur habet zelum Legis & habere debet summus Pontifex, præcipuè cum Prælatis, & Clero) vigilet oportet, hanc armaturam libris ministratam augere adversùs omnem scientiam extollentem sese contrà Christianam Religionem. Sed heu! quid dicit Apostolus. *Omnes quæ sua sunt quærunt*, *non quæ Jesu Christi.* Philip. II. 21. qui nec opponunt se murum, nec armis spiritualibus induuntur, nec scriptis (quibus alii se, Fidemque dilatent) abundare procurant. Vide si non charior est hodiè conscriptor citationum, quàm Evangeliorum: mentior, si non pluris emuntur, si non sedulius apud quosdam Christianos comparentur scripturæ fabulosæ, quàm religiosæ; & profanæ, quàm sacræ; & lubricæ, quàm castæ. I nunc & Ecclesiam inter has manus prosperari confide. Si non erat animus ad scrutandum, juxtà Christi jussionem scripturas illas; tamen multiplicare reservareque pro necessitatibus, & oportunitatibus, æquum erat. Non quòd ipsi etiam Theologi memoriter omnes incorporent; hoc enim nequaquàm factibile est, vel tentandum, cùm sit consultius paucis ritè digerendis immorari. Verùm expedit reponere, repositasque cogitare scripturas velut in summa quadam, quatenùs pro loco, & tempore, possint haberi confestim, ut ita loquamur, ad manum, pro infidelibus vel convertendis, vel revincendis, ad erudiendum etiam nunc hoc modo, nunc illo Fideles. Talis sit oportet *omnis scriba doctus in regno cœlorum*, *similis homini patri familias*, *qui profert de thesauro suo nova & vetera.* Matth. XIII. 52. Cui parabolicæ similitudini, nonne videtur alludere sponsa blandiens sponso: *Omnia poma nova & vetera*, *dilecte mi*, *servavi tibi.* Cant. VII. 13.

Offert hoc loco se consilium, quid per comparationem ad armaturam Dei, quam esse dicimus Libros Legis, sit de armis diaboli, libris reprobris faciendum. Legat qui nescit illud de Actibus. XIX. 19. *Multi ex eis qui fuerant curiosa sectati*, *contulerunt libros & combusserunt coram omnibus. Et computatis pretiis eorum*, *invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*, *ita fortiter crescebat verbum Dei & confirmabatur.* Simile factum nuper accepimus de Libro magico æstimationis mille aureorum, qui ut palmes inutilis aruit & arsit: sic olim Parisiis in Gravia, & nuper in Atrio majoris Ecclesiæ. Utrùm verò sit expediens apud Prælatos & Inquisitores, tales aliquos reservari propter exemplar condemnationis similium, ipsi considerent. De bonis quidem, nulla sit dubitatio, quando videmus præcepto Domini Tabulas Legis in arca custoditas fuisse & repositas, quæ custodia cum honore signata est in exemplari vita Christi qui Librum Legis postquam acceperat & legerat, arma pro se contrà perfidos ex Isaïa proferens, plicuit Librum, reverentèr Ministro reddens illum, ut habetur, *Luc.* IV. Morem rursùs esse Judæis scribit Nicolaus de Lyra, non ita sedere altè, quàm altè positi sunt Libri Legis. Scitur insuper de Christianis aliquibus, quòd ipsis par est devotio ad aliquem Librum sanctum, sicut ad Sanctorum Reliquias, quem ut signaculum suprà cor, vel pectus suum ponunt, osculantur, & stringunt: nec parum credunt opitulari, dum in se versant quòd de Evangelio Matthæi super ægros imposito, tradunt historiæ cum ceteris.

CONSIDERATIO XI.

Quòd Scriptor custodit Ecclesiam.

SCRIPTOR noster Ecclesiam custodit. Opitulatio scripturarum duplex est adversùs hæreticos. Una ut vincantur, & sic armat; altera, ne vincant, & sic custodit. Sed nobis talia disserentibus, mox occurrere videtur animalis homo, & opponere primò illud Ecclesiastis in fine, *quòd scribendi plures libros nullus est finis.* Eccle. XII. 12. Deindè, quòd desunt scrutatores scripturarum, præsertim devotarum. Ampliùs, quòd ex lectura Librorum multi susceperunt occasionem errandi, imo & insaniendi: sicut opposuit Paulo Festus: *Multæ litteræ faciunt te insanire*, *Paule.* Act. XXVI. 24. Rursùs, oporteret Libros ipsos etiam laïcis & mulierculis propinare, ut docerentur per se, legendo eos, facta translatione ad vulgare suum si non aliter conciperent. At verò primum non impedit, vel obliterat laudem Scriptoris nostri: non enim progreditur immensum sine fine, sed finem constituit cum Ecclesiaste. ℣ 13. timorem Dei, cum suorum observatione Mandatorum: quo fine retento nihil nimis. Nec jam erit pluralitas Librorum, sed unitas. Fatemur & plangimus caritatem esse nimiam in scrutatoribus Scripturarum devotarum: sed major adhuc inveniretur, occasione sublata Librorum quos ingerere per scriptores expedit. Potens est Deus affectibus flammam inurere, cum intellectus allectione, ut perfectionem suam in veri cognitione positam aliquando scrutetur. Ceterum nihil est tam sanctum & salubre, vel pium, quo non contingat abuti; sic de Libris evenit, quorum non est culpa, neque scribentium, sed scelus est in abusu. Postremum magis urgere videtur, si non habeat zelus instructionis sanctam scientiam; si contempserit observare non violandam Ecclesiæ Hierarchiam, quæ habet ut inferiores laïci per superiores Clericos in Lege Dei peritos, instructionem accipiant: nec docere habet publicè, nisi missus.

Non enim esse dicimus omnium vel habere vel scrutari Libros sanctos, illos maximè qui suam difficultatem petunt explanari per alios passus & Glossas Doctorum. Qualiter agere nec facultas est ingenii, nec eruditionis commoditas apud vulgus, quos ab ore Sacerdotum oportet Legem exquirere: neque tamen arcendi videntur ab opusculis moralibus & devotis, nullam in se difficultatem, nec ambiguitatem, nec absurditatem in translatione gerentibus, cujusmodi sunt historiæ, vel vitæ, vel Legendæ Sanctorum, necnon meditationes sanctæ. Translationes in reliquis jure culpantur, plus erroris arrogantis, quàm devotionis humilis, aut eruditionis salubris materiam propinantes.

CONSIDERATIO XII.

Scriptor honorat Ecclesiam.

SCRIPTOR noster honorat Ecclesiam. Deducunt hanc honorificentiam præmissæ considerationes, quæ simul ostendunt non mediocrem latriæ venerationem scribendo Libros constitui. Undè consurgit ratio meriti ad Deum, qui honorificat honorantes se: qui Legem quoque Matris Ecclesiæ sponsæ suæ non dimittunt, sed augere, sed dilatare, sed elucidare contendunt: quòd si fortè dixerit æmulus adversùs laudem Scriptoris nostri; cur laudetur ille qui mercenarius est, cujus ad lucrum respicit oculus? Accipiat lucrum quod suum est & vadat. Respondebimus per Evangelicam & Apostolicam sententiam, quòd *Dignus* est

est operarius cibo suo, & mercede sua. Matth. x. 10. & Luc. x. 7. Tantummodò principalis & finalis ejus intentio in honore Dei, & Ecclesiæ, *in charitate non ficta*, 2. Cor. vi. 6. in sua demum, aliorumque perpetua salute figatur, ut sit finis lucri, sub fine cælesti, quatenùs non jam duo fines adversi, sed unus utrobique censeatur. Nonne scriptor noster prætereà venit honorandus ab omnibus qui diligunt Ecclesiam, præcipuè qui regimini suo præsunt? Sed honor ipse sit in Beneficiis, sit honor in aliquo insigni Titulo, sit in largitione Indulgentiarum, non minùs quàm pro peregrinatione, vel Ecclesiæ materialis constructione, sit in privilegiis aliquibus. Quoniam si duplici honore dignos dicit Apostolus, *qui laborant in verbo*, 1. Tim. v. 17. nunquid de scripto silebimus? Nunquid Evangelistæ, nunquid Prophetæ, nunquid Paulus ipse profuerunt nihil scripto? Nonne plurimi quotidiè scriptis ædificantur, qui verba non audiunt? Hoc unum injungendum præmisimus, ut Scriptor omnis idoneum se præbeat, quatenùs ab institutis vel instituendis principalibus scribis exemplaria, quæ & qualia sint irreprehensibilia suscipiat. Sic enim jubet Dominus (Deut. xvii. ỳ. 18.) *ut Rex sibi descripturus Deuteronomium legis, exemplar à Sacerdotibus accipiat.* Et Moysi dicitur: *Fac omnia secundùm exemplar, quod in monte vidisti*, Exod. xxv. 40. quod & Angeli ministrantes observant.

Ecce quanta sterilitas per Ecclesiasticos, præsertim Plebanos, Rectores Ecclesiarum, & alios otiosos de Ecclesia, proh dolor invenitur! Apud quos nec brevissimus tenor unus habetur divinorum Præceptorum, nec Sacramentorum nominatio, nec numerus Articulorum! Compelluntur habere Synodalia quædam instituta; benè quidem, sed illud oportuit facere, non tamen aliud omittere.

Denique nihil impedit (ut ad principium finis se referat) Libros seu Tractatulos vel codicillos devotionis scribere Festivis diebus, habito moderamine quale sapiens judicabit in hoc opere, quod utique non serville censendum est, sed in honorem Ecclesiæ plùs aliquando vergens, quàm multiplicatio vocalis orationis, imò quàm insolens in aliquibus Missarum inculcatio.

Si quid ad extremum vobis est vel Fidei vel consilii, provideant Superiores in Universitatibus Studiorum, in Cœnobiis seu Monasteriis Religionum, in Collegiis Ecclesiarum, maximè Cathedralium, nedum Librarias habere, sed Scriptores de suppositis suis instituere, cum relaxationibus onerum ceterorum congruis, aut cum stipendiis oportunis, quæ ubi deessent, agat nihilominùs Scriptor noster pro causa non infima; quatenùs otium vitet quod omnia vitia docet, quod eorum sentina est abominabilis & horrenda. Speret præmium, speret quoniam merces sua magna nimis erit Deus, jubens scrutari Scripturas, ac proinde scribi, quibus habetur æterna vita, cujus esse participes (tanquàm in Libro suo scriptos) largiatur ipse nobis Dominus noster Jesus Christus, Liber vitæ speciosissimus Deus benedictus in sæcula. Amen.

Finis Tractatus de laude Scriptorum, editus à Cristianissimo Doctore Joanne de Gerson Cancellario Parisiensi. Lugduni. Anno Domini, M. CCCCXXIII. *Aprili.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

APOLOGETICA SIVE RESPONSIVA:

Ad quemdam Monachum domûs Carthusiæ Majoris, quærentem:

Utrùm licitum foret pro studio lectionis & exercitii spiritualis conventum & prolixitatem Divini Officii dimittere, & qui Libri essent fructuosiùs frequentandi.

In qua quidem responsiva primò epistolaris præmittitur prologus, post subnectuntur octodecim Considerationes. In quarum primis duodecim suadetur cœnobitica stabilitas, & arguitur suspecta loci seu Conventus mutatio prætextu, seu celore majoris quietis & profectus. In reliquis verò sex Considerationibus agitur de Libris à Monacho in Divino Officio, & regularibus observantiis continuè occupato frequentandis.

Collat. ad MSS. Codd. Victorin. 137. Colbert. 99. & M. Targny.

GRATIA tibi Frater & *Pax*. 1. Cor. 1. 3. Si inimicos jubemur diligere? Quantò magis eos qui diligunt nos in veritate & sinceritate salutis? Nihil quippe ita debitum, nihil plùs naturæ consentaneum, nihil efficacius ad diligi, quàm ut redames si amaris, & ames ut ameris, hoc est enim amatorium poculum (Seneca teste) sine veneficiis, sine carmine, scilicet: *Si vis amari, ama:* Durum idcircò videri potuit verbum illud vestræ charitatis de me & ad me, quis prohibet etiam non amantem diligere? sed fuerit hoc dictum licentiâ sermonis amorosi qui Legem nescit, nec se capit sæpè. Veniam ad alia super quibus illicò rapuit animus me stilo concurrente Considerationes videlicet aliquas annotare præsentibus annexas. Suppetebant aliæ Considerationes plures, sed lassitudo corporis & formido tædii compescuerunt scribentem. Sanè suadeo primùm totum Religionis studium transire in affectum cordis; non tamen accipio per hoc affectum qualemcunque sed sanctum & castum. Nam transibant illi de quibus Psalmista loquitur in affectum pravum, dum *prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum.* Ps. LXXII. 7. Habet Auctor *De spiritu & anima* brevem inter ceteras magnas, multas & laudabiles Considerationem istam: „Affectus, inquit, qui est spontanea inclinatio ad aliud „tripliciter in nobis attenditur, scilicet in superiori parte rationis, & in inferiori, & in imaginatione. Si „spiritus noster sequitur affectum primum, dicitur „homo spiritualis; si secundum, dicitur homo rationalis; si tertium, dicitur homo animalis.„ Poteritis in originali si placet videre latiùs. Item in Epistola Beati Bernardi *Ad* vestros *Fratres de monte Dei*; fuit opinio celebris quòd tota Theologia nostra deberet magis censeri affectiva quàm speculativa. Rationem assignat unus validam; quia jubemur redigere omnem intellectum in captivitatem, in obsequium Christi. Plus est igitur omnis intellectus Theologiæ ad cultum Christi per charitatis obsequium quam ad speculandum, maximè cùm *finis legis* sit *charitas*. 1. Tim. 1. 5. Rursùm circà monitionem infrà de lectura doctrinarum placet hîc addere quòd sermones magistrales qui fiunt succinctè per

Digitized by Google

per distinctiones, valdè illuminant intellectum, & fine labore gravi demulcent etiam affectum, cùm inspicitur *sermo Dei vivus & efficax*, Hebr. IV. 12. dum ad modum loquentis & continentis eidem se infundit suaviter per particulas ordinatim. Habetur quoque ubertim materia circà penè singula Psalmorum, & aliorum divinorum verba pro exercitio meditationis. Exempli gratia: *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; Psal. I. 1. hîc potest assumi distinctio de beatitudine. Item de viro, item de abire, item de consilio, & ita de reliquis. Demùm non est consilium meum, ut difficiles quæstiones & profundas speculationes occupatus in assiduo divino Servitio sibi assumat intelligendas, ubi requiritur otium maximum, ac ingenii vivacitas cum dispositione vegeta cerebri, quieta & serena, ne fortè phrenesis, aut alia incurrantur incommoda: sufficiunt igitur Tractatuli faciles, & ad pietatem idonei. Scriptum Lugduni Anno Domini 1426. 9. Julii: per Joannem Cancellarium Parisiensem.

XII. CONSIDERATIONES AD PROPOSITUM,

Quas benè considerare debet Religiosus in divinis multùm occupatus, pro serenatione conscientiæ.

Consideratio Prima.

Religiosus ille consideret imprimìs, quòd Dei providentia, quæ in sua dispositione non fallitur, deduxerit ipsum ad Ordinem celebrem, & approbatum, in quo jam ita professus est post probationem solitam, ut resilire falsum sit. Faciat ergò de pia necessitate virtutem gratuitam & meritoriam, quia durum est, si contrà stimulum calcitret: sacrilegium quoque, si voluntatem suam rursùs usurpet, quam in Superioris sui, vice Dei, resignavit manus.

Consideratio Secunda.

Consideret secundò, quòd jam sibi vivendum est non propria, sed aliena Lege; non propria, sed aliena voluntate, quæ tamen originaliter à sua voluntate processit; non enim quispiam ad profitendum cogebat: sequenda est igitur deinceps aliena voluntas, non præoccupanda, non docenda.

Consideratio Tertia.

Consideret tertiò, dictus Religiosus, quoniam Deus bonorum nostrorum non eget. Ac proinde *melior est obedientia, quàm victima*. I. Reg. XV. 23. Propterea censeri debeat pro regula generali, illud esse melius, illud pulchrius, illud nobilius, illud utilius, delectabilius, & honestius quod est obedientiæ proximius; sit illa res in qua obeditur vilis, abjecta, turpis, inutilis, laboriosa, vana, stulta, quantùmlibet inhonesta, solo peccato excluso. Exemplum habemus in Domino nostro Jesu Christo, qui Sacerdotali, & Regio genere, ac spiritu Prophetico insignis, nudis ambulabat pedibus, aliisque maximæ humilitatis gestis se dejecit, hanc existimans, ut beatus Hieronymus finaliter innuit, *summam nobilitatem*, videlicet Deo Patri obedire. Undè & beata Agatha per Judicem suum inculpata, eò quòd servilem personam propter Christi servitium gereret, respondit prudentissimè theologizando dicens: *Summa ingenuitas hæc est, qua servitus Christi comprobatur.*

Consideratio Quarta.

Consideret quartò, quòd sicut *in domo Patris mei mansiones multæ sint*, Joan. XIV. 2. & viæ multæ perveniendi ad eam, & in via Dei, secundùm quod loquitur beatus Augustinus *alius sic, alius sic ibat*. Ideoque conformiter juxtà Apostolum. *In qua vocatione vocatus est*, ambulet. I. *Cor*. VII. 20. De quo idem Apostolus exemplum posuit alio in loco de variis veri corporis officiis. Quo exemplo ad propositum nullum accommodatius esse potest, si profunda cogitatione ruminetur.

Consideratio Quinta.

Consideret quintò, quòd *adversarius noster diabolus* juxtà Beati Petri verbum [illo manè lectum in Epistola ad Missam, quo hæc post meridiem scribuntur,] *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*; I. Pet. V. 8. non habet autem efficacius malignandi machinamentum, quàm si possit hujusmodi suadere displicentiam status sui jam assumpti, jamque professi. Et hoc facere conatur nunc sub velamine majoris utilitatis in alia vocatione; ut in prædicando, nunc sub figmento quietudinis contemplativæ; nunc sub arrogantia scientiæ amplioris; nunc sub umbraculo, quasi omnia sint inutilia quæ agit in vocatione sua, prosequendo singula, & annihilando; ut sunt jejunia, vigiliæ, prolixitas cantûs, & Horarum, solitudo gravis, & juge silentium, cum similibus. Subjungens, quòd Deus solum inspicit cor, & *corporalis exercitatio ad modicum utilis est*. I. Tim. IV. 8. Addendo, *ut quid denique perditio hæc? Poterat enim unguentum* suum, ut sibi videtur, *venumdari multo*, Marc. XIV. 4. & non sic deperiret. Dicit hoc quandoque spiritus seductor instabilibus cellicis, qui se præsumunt idoneos ad docendum alios ut seducat, & eos ita finaliter de cella salutis in mundum perditionis reducat.

Consideratio Sexta.

Consideret etiam sextò, quòd omnia suspecta sunt tanquàm à dæmonio meridiano (quòd *se transfigurat in Angelum lucis*) 2. Cor. XI. 14. immissa, & suggesta; quæ loci, vel propositi semel arrepti & suscepti mutationem ingerunt & suadent directè vel indirectè; præcipuè nisi manifestus sit in via quam ambulat positus obex æternæ salutis, qui poni tunc solùm creditur, dùm cum hac via, & in ipsa non stat salus.

Consideratio Septima.

Consideret septimò, quòd schola Religionis valdè distat à schola secularis inquisitionis. Dicebat hoc unus fratrum meorum alteri fratri suo, & meo, dùm simul in Ordine Cœlestinorum morarentur. Frater, hæc Religio non est schola Theologiæ, vel Philosophiæ, sed Christianæ felicitatis: & disciplinæ. non venisti ad doctrinam & sæcularis scientiæ vanitatem, sed ad disciplinam & humilis vitæ bonitatem. Linque quæstiones Scholasticis viris, quæ erudiunt intellectum; tibi satis sint regulares nostræ observantiæ, quæ inflammare sufficiunt tuum affectum. Et verè ita est, & verissimum est quod dixit.

Consideratio Octava.

Consideret octavò, quòd viatores hîc sumus, non comprehensores. Sit igitur viator, ut viator, nec quærat hîc ea in via quæ pro præmio quæsita debentur in Patria; comprehensio scilicet divinitatis sine phantasmatibus & sine labore, ubi nec languor nec senium, &c. Et dicamus cum Apostolo aliquid: *Non judicavi me scire inter vos; nisi Jesum Christum, &* hunc

Digitized by Google

hunc crucifixum. 1. Cor. II. 2. Sufficiat hîc nobis corporaliter ambulantibus per corporalia transire per Fidem, perque Spem & Charitatem in æterna. Et videamus tamdiù in speculo & ænigmate, quousque veniat dies illa, qua sponsus pascit, & cubat in meridie claritatis, æternæ quando videbimus eum facie ad faciem sicuti est, & similes ei erimus.

Consideratio Nona.

Consideret nonò, quòd in illa die primi specialis examinis nostri, & in die etiam examinis secundi seu novissimi & generalis, non interrogabimur quantùm fuerit intellectus noster acutus & eruditus; sed qualis fuerit affectus noster ad Dominum Deum nostrum, hoc est, quam simplex, quàm rectus, quàm pius, humilis & devotus, quàmque spontaneus & fidelis in Dei servitio, secundùm eam vocationem, quâ vocatus fuerit divinitùs. Hoc diligenter pensabat, qui dicebat: *Omnis consummationis vidi finem, latum Mandatum tuum nimis*. Ps. CXVIII. 96. Quod quidem Mandatum certissimè est Charitas, non cognoscendi vanitas.

Consideratio Decima.

Consideret decimò ipse Religiosus ex præmissis, ex quo omne studium suum resolvi debet in affectum, ut nihil studeat, nihil legat, nihil cantet, nihil meditetur quod non immediatè, aut mediatè ordinetur ad inflammationem affectûs, quoniam in hac inflammatione consistit supremus apex Theologiæ mysticæ, traditæ per Dionysium, ac revelatæ sibi, & aliis per Spiritum sanctum; sed neque fugabuntur phantasmata per studium, sed per desiderium: per affectum scilicet, non intellectum: quoniam *necesse est intelligentem phantasmata speculari*.

Consideratio Undecima.

Consideret etiam undecimò, quòd hæc inflammatio affectûs non expectanda est ab homine. Propterea non suspiret ad hunc, vel illum Doctorem, præsertim viatorem, ut dicat: Felix essem ex convictu talis viri. Nam suggestiones hujusmodi sæpè sunt diabolicæ immissiones, inducentes mentis, & nonnunquàm etiam corporis inquietudinem. Scio per experientiam de quodam Professo, qui priùs ardentis studii in sæculo, de progenie nedum illustri, sed & Regali, conquerebatur qualiter tempore suo non esset alter Hieronymus quem posset adire, ut sic perveniret ex sua eruditione ad scientiæ perfectionem, quasi scilicet non esset tempore suo Doctor, etiam in januis, qui sufficeret docere eum; quasi etiam Religionem intrasset, non ad lamentum, sed ad documentum. Rocolo tristis, quòd dum ego pia sollicitudine dicerem, me timere, talem sciendi ardorem non fore ab instinctu bono, sed malo. Respondit ille indignabundus mihi, quæ voluit, & recessit. Et ô piissime, & terribilissime in consiliis super filios hominum. Domine, Deus meus, quò recessit, quò abiit! Utique heu, paulò post factus est apostata sub specie quasi arctioris Religionis, immò tandem absque omni verecundiæ velo totum Religionis omnis habitum abjecit. Misereatur sui, immò & mei, ac omnium nostrum Deus. Hujusmodi etenim par, vel etiam majus periculum, seclusa Dei pietate, imminere potest cervibus nostris, nisi à curiositate, & vanitate sciendi plura quàm oporteat caveamus. Sit hoc inductum non ad cujusquam contumeliam, seu improperium; propitius sit mihi Deus, sed omnibus nobis ad cautelam, & in exemplum, ut non quæramus *plus sapere, quàm oporteat, sed sapere cum sobrietate*. Rom. XII. 3. Et ut meminerimus illud: *Domine, non est exaltatum cor meum*, &c. Psal. CXXX. 1. Nota quomodò paucis tangit execrabile factum Fratris Jacobi de Borbonio, qui sub prætextu perfectionis Ordinem Cœlestinorum reliquit, & ad Fratres Minores de Observantia transiit, & paulò post miserabiliter apostatavit, ad sæculum rediens, & uxorem accipiens propter quod crudeliter à parentibus uxoris quam deceperat, cùm Roma rediret, interfectus est tempore Martini Papæ.

Consideratio Duodecima.

Consideret duodecimò, & postremò, juxtà præmissa, qualis exercitatio sibi antè omnia tenenda sit prima. Et inveniet proculdubiò, quòd nihil sic primùm, nihil sic principaliter incumbit, sicut hoc unicum, ut scilicet Servitium Dei adimpleat. Servitium Dei quippe persæpè in Regulis Monachorum nominatur Ecclesiasticum Officium. Deindè si quid temporis in residuo fuerit, ordinetur hoc ad vacandum, quantùm obedientia admiserit, sibiipsi post necessitates corporis, quæ multæ sunt. Hoc documentum brevi versiculo quidam complexus est dicens:

Fac opus injunctum, deindè vacato tibi.

Consulo tamen ut ista vacatio sit taliter practicata in devotionis otio, ut non reddatur inepta per lachrymas, aut alia læsiva corporis, vel mentis exercitia, ad ea quæ in cantando, legendo, & ceteris hujusmodi principaliùs, & principalissimè ex sancta obedientia incumbunt. Dictum sufficiat tantùm de prima parte.

Veniamus nunc ad sex alias Considerationes, scilicet Libris legendis, seu frequentandis per Religiosum sedulò in Servitio, seu divino Officio occupatum.

Consideratio Prima.

PORRÒ si pergat sedula curiositas, aut, ut mitiùs loquamur, studiosa sedulitas inquirere, qui, vel quales Libri sunt frequentandi tali Religioso sic instituto, sicque astricto, ad qualem sermo nunc currit pro admonendo & hortando, censeo respondendum. Primò, sub doctrina generali, quia non omnes moventur similiter ex similibus. Liber omnis, sit historicus, sit moralis, sit allegoricus, sit anagogicus, in quo plus reperiet ad devotionem se moveri, legatur; interim memoretur & ruminetur, ita tamen si probatæ sit autoritatis. Super qua re editum est Opusculum *De examine doctrinarum*, cui consonat Libellus *De laude Scriptorum*.

Consideratio Secunda.

Ceterùm non est hæc regula fixè data, nisi pro hîc & nunc. Quoniam sæpè variatis affectionibus varietate tàm humorum in corpore, quàm morum in mente, necesse est studia variari; prona nimirùm fastidio est nostra natura tempore hujus mutabilitatis nostræ. Observandum est nihilominùs, ut hæc mutatio studiorum non sit solummodò nauseantis quasi stomachi, cujus est multa degustare & parùm digerere; sed veniant ex mentis delectu.

Consideratio Tertia.

Proindè quantùm occurrit pro hîc, & nunc, & quantùm ad exhortationem præsentem attinere videtur, sunt narrationes Patrum, prout *in libro Vitas Patrum* digestæ continentur benè salubres, quia potest in qualibet narratione pausa fieri, dùm vacat hora ex obedientia ad Servitium divinum, sive ad alia. Insuper (quamquàm mirer quo pacto id fiat) monent præ ceteris scripturis

Digitized by Google

ris plus ea documenta, quæ veluti alterius personæ sub typo ingeruntur intellectui, & facilè demulcent affectum, cùm quasi personam ipsam in mortuis literis loquentem vivaciter præsentem cum sua autoritate imaginamur. Consilium consimile sit de paribus piarum historiarum narrationibus.

Consideratio Quarta.

Ampliùs, si quæstio fiat de doctrinalibus, & non de historicis traditionibus; veniunt ad animum protinùs aliqua quæ meminit idem animus anteà composuisse tanquàm sibi familiariùs cognita, utinam non vaniùs occurrentia; quæ quia pro hîc & nunc habeo ipse suspecta, non quidem de non veritate, sed de vanæ gloriæ vera vanitate, eadem prætereo. Sunt Libri plures beati Bernardi viri devotissimi, & præsertim Epistola ejus ad Fratres Carthusienses *De Monte Dei*. Item Sermones ejus *Super Cantica Canticorum*, ubi loquitur tanquàm Religionem professus, & sicut experientia multa edoctus. Sunt insuper *Moralia* beati Gregorii Papæ omni admiratione & veneratione atque utilitate præclara, quæ etiam pro magnis, & quantumcunque magnis ingeniis, sine seclusione tamen tardiorum, quia singulis lac & mel ministrant, sufficere possunt sua ubertate. Sunt denique ad majorem abundantiam, immò superabundantiam Libri illius Venerabilis Richardi de sancto Victore *De duodecim Patriarchis. De Arca mystica*. Et quid laborarem per singula: nihil etenim composuit nisi divinum & mysticum, edoctus à Præceptore suo Doctore celeberrimo, Hugone de sancto Victore, cujus Opusculum *De Oratione* quod incipit; *Quo affectu quove studio*, &c. superat omnem laudem.

Consideratio Quinta.

Subindè nescio, si præcipuus inter omnes numerandus sit Eustachius, ita enim nomen istud suum vulgatum, Bonaventura, videor posse tradere. Ille enim singulariter inter omnes Doctores Catholicos, pace omnium salva, videtur idoneus, & securissimus ad illuminandum intellectum, & ad inflammandum affectum. Cujus Opuscula duo ut Lecturam, & alios Tractatus ejus interim prætercam, tanta sunt arte compendii divinitùs composita, ut suprà ipsa nihil *Breviloquium* noto & *Itinerarium*; in quibus processum est duabus viis cognoscendi Deum. Primus namque horum duorum Tractatuum procedit à primo principio, quod Deus est, usque ad alias veritates sub Deo creditas & habitas. Alius è contrà progreditur à creaturis ad Creatorem, per sex gradus scalares usque ad anagogicos excessus. Qui licèt sint difficiliores, & rariores; debet tamen omnis Christianus ad illos aspirare, quoniam Theologia talis mystica propriè est Christianorum. Quæ &, propitiante & revelante Spiritu Christi Jesu, facillima est super omnia, & utilissima; sed abscondita à sapientibus, & in oculis suis prudentibus, & ipsis penè inaccessibilis & impossibilis, juxtà ejusdem Domini & Salvatoris divinam sententiam, quâ ait: *Confiteor tibi Pater*, &c. Matth. 11. 25.

Consideratio Sexta.

Confiteor itaque & ego in insipientia mea pro conclusione responsivæ Epistolæ, ne ultrà in longum vergat; quòd à triginta Annis, & ampliùs citrà, volui habere familiares mihi prædictos Tractatulos, sæpe legendo, sæpe ruminando, etiam usque ad verba, nedum sententias. Et ecce hac ætate, hoc otio, velut ad votum vix perveni ad initium gustûs eorumdem, qui & repetiti semper mihi novi fiunt, & placent, juxtà illud Flacci de Poëmate, vel imagine compositis eleganter,

Deciès repetita placebit.

Allegaverim commodiùs, graviùs, digniùs & veriùs illud de Sapientia quàm ille describit, qui ait *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus ejus*, Sap. VIII. 16. sed lætitiam & gaudium, sicut quoque ipsa eadem sapientia se collaudans dicit. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me; adhuc sitient*, Eccli. XXIV. 29. quia scilicet in eodem saturitas est, ne quid desit, & in desiderio aviditas manet continua, ne
A fastidium sit; undè etiam *fruuntur* (inquit prosa) *nec fastidiunt quo frui magis sitiunt*. Hæc ad satisfaciendum scriptis charitatis vestræ dicta, licèt satis cursoriè sufficiant.

FRATER FRATRI.

Gratia & Pax.

Ex *verbis tuis justificaberis*, notat Christus, Matt. XII. 37. Et *Qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir*. Jac. III. 2. Sed cùm *linguam hominum nemo domare potest*, ℣. 8. quid consultiùs quàm tenere silentium; mihi quid necessitas vel pia cogit utilitas rumpere? Est super hac re fructuosum de silentio capitulum in Summa *De vitiis*, *Parte ultima*: relegatur. Hoc ideò, Frater præmiserim; quia vix evenit mihi inire cum aliquo colloquium, quin pœniteat me aliquorum. Et quid profecerim alteri sum ignorans; quid autem obfuerim mihi recognosco;
B propterea conor in dies, Domino propitio, mecum morari. Et si dandum est consilium, malo per schedulam, quàm per linguam respondere; videor enim mihi responsionem securiorem per hoc dare. Ceterùm super modum studendi multi multa scripsere. *Summa de virtutibus* tractivè de prudentia colligit utiles doctrinas. Notantur insuper aliqua pro Theologiæ mysticæ quæ stat in affectibus acquisitione particulares industriæ duodecim *Parte secunda principali*, *De Theologia mystica*, quæ nunc penes vos habetur. Tanguntur subinde nonnulla in Tractatu *De laude Scriptorum*, ubi fit mentio de dicto B. Bernardi *quòd quercus & fagus docuerunt eum*. Habetur à Seneca specialis super modo studendi Epistola. Dicit inter cetera, quòd fastidientis stomachi est multa degustare, & quod peregrini habent hospitia multa, sed paucas amicitias; sic semper ingerentes animum gravant non nutriunt; quia nec ruminando conterunt, nec digerunt meditando. Scripsit denique venerabilis Hugo *Didascalicon*, id est, Magistrum do-
C centem discipulum. Nunc aliqua quæ Religiosum respiciunt cursim, & punctatim, ut occurrunt, annotabo juxtà circumstantias à Philosophis & Theologis positas.

Recogitetur primò, quis sit ille qui studet, in professione & statu, in ingenio & ætate. Recogitet ipse, cur studet, id est, quo fine; nam finis est in moralibus primum quasi principium, primitùs & principaliter intendendum, secundùm cujus exigentiam debent aliæ circumstantiæ moderari; ut tertiò sciat quid sit illud quod studet; quartò tempus; quintò locum; sextò cum quibus & ad quos suum applicare studium licet, decet & expedit. Alioquin si desit moderatrix discretio ponderans istas circumstantias; non institutio sed destitutio; non instructio, sed destructio subsequuntur. Et quia paucorum valdè est perfecta discretio propria, datur in Religionibus aliena per obedientiæ votum, quod qui deserit, nec observat, satagens propria voluntate quæ sibi nulla debet esse, regere se: nihil mirabile si currens incurrit & offendit. Scitum est quid Bernardus
D dicit de talibus, quòd *Nullum machinamentum efficacius habet dæmon ad seducendum, quàm si modum in fervore bono faciat prætergredi.* Denique de tali dicit Clymacus: *Qui sibi dux esse vult, spreto duce proprio, quòd non jam indiget dæmone tentante, quia factus est sibi dæmon.* Regulet igitur obedientia studium ejus qui obedientiam professus est. Postremò Frater rogo te, rogo & illos quibus hoc pauculum communicare decreveris, ut apertis interioribus oculis retorqueant illos ad priores collocutiones, & acriter dijudicent, si frequenter plùs invenerint ea quæ mihi contingere fateri non erubesco.

Digitized by Google

besco. Et ut interim sileamus detractiones, iras, zelum, murmurationes amaras, qualia nemo nescit esse criminalia; perpendant fabulationes ineptas, faciliter immisceri cahinnos, scurriles nugas, rumorum volatilium sensim effluere, quid? quod surrepunt mendacia; celanda panduntur, temeraria fiunt in absentes judicia cum similibus incommodis, inter quæ volat interim tempus irreparabile: & animus qui se talibus A nisus est oblectare, remanet inanis, sterilis, vanus, tristis & ad seriosa necessariaque languidior & ineptior, sibique displicens, gravis & pœnitens. Magnum est, crede mihi, magnum & pretiosum otii talentum, quo qui utitur, multiplicato fenore manipulos justitiæ cum exultatione reportabit: qui verò malè & inerter illud dissipaverit, disperdet illum Deus etiam in hoc seculo. *Summa enim malitia est otium iners*, ait Bernardus. Et *desideria occidunt pigrum*; Prov. XXI. 25. desideria intellige, non ea sola quæ palàm improba sunt, & scelerata; sed quæ specie boni se velant & palliant, ut sunt desideria ædificationis & correctionis aliorum, sciendi quoque plurima ad expulsionem tenebrarum intellectûs; sed evenit profectò deterior obscuritas ex curiositate, quam si sequitur, ponitur in numero talium, quales loquitur Apostolus, verbosas, curiosas, *semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis venientes*. 2. Tim. III. 7. Sunt cribro in aquam merso simillimæ, sunt vas plenum rimarum quod hàc, illàc effluit, B nec sapientiam continebit, maximè dùm non observant illud vulgati Auctoris,

Tabulis suprema notato.

Benè vale, Frater charissime. Scriptum hoc manè Mercurii Lugduni, breviori prorsùs spatio temporum, quàm itio fit ad vos, & reditio, utinam fructuosiori; scio quòd mihi minùs est molestum. Tu quoque fac simile, si tempus postulat, aut res &c. Joannes Cancellarius Parisiensis.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

OPUSCULUM

Contrà impugnantes

ORDINEM CARTHUSIENSIUM

Quoniam pauca in eis reperiantur miracula, quasi exindè viliores censendi sint.

Ad Cod. MS. M. Targny.

Miracula communiter fiunt ad probandam sanctitatem illius qui ea facit, de qua aliàs dubitatur. Vel fiunt ad confirmandam, & convincendam infidelitatem alicujus, vel aliquorum. Ubi autem per Scripturam sacram, vel evidentiam aliam constat de sanctitate talis personæ, rarò fiunt per illum miracula, quia jam habet aliquod genus probationis suæ sanctitatis. Sic & Juristæ dicunt, quòd ubi uno modo legitimè constat de intentione partis, non requiritur vel exigitur, immò esset superfluum aliud genus probationis. *c. 1. extrà de proba.* Et ideò Martyres de quorum sanctitate nullus dubitat, rarò fecerunt miracula respectu aliorum, præsertim in vita sua: Confessores verò plura, in vita & post mortem. Ex quo dubio antiquitùs Confessores usque ad Sylvestrum Papam publicè non colebantur ut Sancti, nec aliquis eorum in Canone Missæ est positus; cùm tamen virgines, immò & mulieres, sed tamen Martyres ibi sint positæ, sicut Perpetua & Felicitas. Inter ipsos Confessores Sanctos hæc fuit differentia: nam qui scripserunt multa ad Fidei illuminationem, & magna sententia, & doctrina pollebant, pauciora, aut quasi nulla fecerunt miracula, præcipuè in vita, quia habebant probationem sanctitatis in eminentia doctrinæ. Sic Augustinus, Gregorius, Hieronymus, & similes. Undè cum in canonizatione sancti Thomæ de Aquino opponeretur à quibusdam quòd non fecerat miracula in vita, vel non multa, dictum fuit per Papam, non esse curandum & adjecit, *Quoniam tot miracula fecit, quot quæstiones determinavit.* Alia quoque inter Confessores differentia fuit. Nam aliqui vixerunt in eremo in asperitate vitæ, perseverantes in pugna contrà vitia & tentationes, elongati à conversatione hominum, usque ad mortem. Hi quia oderunt Patrem, & Matrem, possessiones, &c. & secuti sunt Christum portantes crucem per abnegationem sui, & suorum, juxtà Evangelium; sufficit eis pro sanctitatis testimonio verbum Christi. Sic & Paulus primus Eremita (respectu cujus Antonius clamavit, se solùm Monachi gerere nomen) nullum legitur fecisse miraculum. Corvus autem portabat sibi quotidiè panem per divinam dispensationem, sicut & Eliæ. Et ne in tam lata materia diù immorer, tàm Martyres, quàm Confessores, viri, & mulieres fecerunt, & faciunt miracula multas ob causas; ut scilicet prædicatio eorum, & nomen Jesu Christi in quo tantùm est salus, efficax probaretur. Sic Petrus claudum, & per illum octo millia Judæorum sanavit, illos in anima, istos in corpore & anima, sic & ceteri Apostoli, non ad ostensionem suæ sanctitatis, sed ad exaltationem nominis Christi. Aliquando, ne prædicatio propter Ministros contemnatur, eò quòd inter homines communiter vivunt, sanctitatisque alia testimonia non habent ex doctrinarum excellentia, sicut Nicolaus, Martinus, ceterique Pastores sancti in populo conversantes. Aliquando ad confirmationem Christianorum, nondum plenè in Fide fixorum, quia forsitan de facili aliàs abscederent, vel saltem in Fide errarent. Aliquando in certis mundi partibus majora, & plura fiebant miracula; tùm propter loci, vel hominum qualitatem, quia ceteris Paganis, & Infidelibus erant propinqui, & sic per consequens difficiliùs inducendi ad Fidem, & procliviores ad recessum, aut quia ex Paganis propagati, & sic paternas consuetudines difficillimè reliquissent, nisi cre- C bris signis roborati essent: vel propter eorum stoliditatem & ruditatem, tam in moribus, quàm ingeniis, ac sensibus, vel alias innumeras conditiones Deo notas. Alii fecerunt signa in vita, & faciunt; nec tamen ob hoc sanctiores; immò pejores, & damnabiliores, etiam Evangelio teste, sunt & fuerunt. (Nam illic scriptum est: Matth. VII. 22. 23.) *Multi dicent mihi: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus? Tunc respondebo illis: Amen dico vobis, nescio vos undè sitis. Discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Luc. XIII. 27. Sic Judas traditor fecit signa, quia cum ceteris potestatem accepit ejiciendi dæmonia, &c. *Qui & revertebantur gaudentes; Ecce*, inquiunt Christo, *etiam dæmonia in nomine tuo subjiciuntur nobis.* Luc. X. 17. Sed veritas æterna, non esse in miraculis gloriandum, ait: *Nolite in hoc gaudere.* In quo ergò, Magister bone, tuis electis est gaudendum? *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlis.* ℣. 20. Unde Judas proditor, & filii Judæo- D rum, & usque hodiè multi ejiciunt dæmones, cùm tamen sint dæmoniacis fortè deteriores. Sed ut Christus ostendat nominis sui virtutem, & factorum verborum quæ illi proferunt efficaciam, vel ut devotarum precum in humilitate oblatarum exauditorem se monstret, hæc fieri sic; vel ut Sanctorum suorum magnificet nomen & gloriam, in quorum Ecclesiis, vel coram quorum Reliquiis ista fiunt, vel aliis de causis sibi notis. Non ergò appetenda sunt miracula, quæ cum malis habentur communia. Miracula sanctum osten-

Digitized by Google

ostendunt, non autem faciunt. Ubi ergo non est necesse ad confirmationem Fidei, vel ubi homines essent ingrati, vel ubi emendatio vitæ & Dei gloria non subsequitur, aut ubi Sanctitas testimonio sacræ Scripturæ, austeritate vitæ, cum sancta conversatione, temporalium abrenunciatione, Christi imitatione, sive aliâ causâ secundùm Deum eorum sanctitas nota est, ibi (ut præmisi) miracula per homines expetere superfluum videtur. A Si verò Deus faciat miracula absolutè, ipse novit quare; cùm etiam quotidiè ejus mirabilibus plena sit terra. Probatio autem sanctitatis per miracula tamen plurimùm est suspecta, quia (ut supra dictum est) cum malis sunt communia, & multa non Christianæ Religionis, sed magicæ artis ostentamenta sunt, quæ à simplicibus quasi sanctitatis miracula acceptantur. Deindè notandum, quòd Legis tempore per Moysen fiebant signa ingentia, quibus Magi quidam per incantationes fecerunt similia. Decem plagis terra Ægypti fuit attrita. Virga Moysis divisit maria, eduxit aquas de petra. Dominus de cœlo populo suo pluit manna. Transivit populus sub Josue Jordanis fluenta. Sonitu tubarum & clamore populi corruerunt muri Jericho. Sol non occubuit duorum dierum spatio. Superque hostes lapides per grandes ceciderunt è cœlo. In mandibula asini percussit Samson mille viros. Sitienti eidem de molari dente ejusdem mandibulæ egressæ sunt aquæ largissimæ. Tempore B Prophetarum Elias mortuum suscitavit; pallio Jordanem divisit, curru & equis igneis raptus est. Eliseus eodem pallio Eliæ præfatum flumen pro suo transitu siccavit. Sale aquas dulcoravit, atque fæcundas fecit. Mittente lignum in aquas, ferrum securis natavit. Naaman Syrum verbo Domini in Jordane à lepra mundavit, ejusque lepra Giezi, Propheta jubente, adhæsit. Mortuum puerum suscitavit, eoque mortuo, cùm per hostium fugam cadaver exanime à quibusdam in ejus sepulchrum projectum esset, sacrorum ossium contactu revixit. Innumerabilia sunt alia miracula post creationem cœli & terræ, Angelorumque ex nihilo, & hominis ex limo, tàm tempore Legis, quàm Prophetarum facta; sed illis temporibus erant apta; plurimaque eorum, non solùm corporaliter exhibita, sed & magnis sacramentis obumbrata; sicut etiam miracula Christi, quæ fecit in terris in persona propria. Hæc autem antiqua miracula quotidiè in mysterio renovantur in Ecclesia, quæ etiam tantò majora sunt, quantò non cor- C poralia, sed spiritualia. Primò *Majus est justificare impium, quam creare cœlum & terram*, ut dicit Augustinus. Item quotidiè per Dei gratiam ex nihilo, scilicet peccatoribus, fiunt Angeli, & ex terrestribus fiunt cœlestes. Mare rubrum, per quod submersis Ægyptiis transimus, Baptisma est Christi sanguine rubricatum, quo, evasis vitiis, cœlum introimus. Manna non figurale, sed reale edimus. Agnum Paschalem Christum tollentem peccata mundi in veritate manducamus. Visum, auditum, gustum, ceterosque sensus & membra invicem sanamus, cum ad verbum Dei audiendum, ad Deum diligendum, ad ejus Præcepta servandum, ad eleemosynas dandum, peccata fugiendum, cœlestia appetendum, atque ad cetera Deo placita alternatim provocamus, ac per hoc mortuos suscitamus. Hæc sub brevitate contrà eos qui impugnant Ordinem Carthusiensium, quia non fiunt in eis miracula; immò nec vellent; potiùs verò facientes oc- D cultarent, sicut sæpiùs repertum est. Quod autem similiter dicitur, quòd nec habeant canonizatum, nisi unum, scilicet sanctum Hugonem Lincolniensem Episcopum. Respondeo, quòd nec idem ex eorum voluntate, sed Regis Angliæ & suorum instantia est canonizatus, quamquàm sanctissimæ fuit vitæ, magnis miraculis claruerit, & Procurator Carthusiæ magnæ, professusque extiterit. Credendum quoque est in infinitum plures mortuos Sanctos, & quotidiè mori quàm hi sint qui canonizati sunt. Neque enim antiquitùs canonizabantur, sed ex certissima vitæ sanctitate colebantur ut beata Maria Magdalena, Joannes Baptista, Apostoli, ceterique plurimi. Sed ne passim populus in errorem iret, Ecclesiæ censura canonizationis moderamen adhibuit. Nam populus falso rumore, vel simulato signo, vel naturalium impressionum, quo circà corpora occisorum, vel patibula de nocte ardent quasi candelæ, ignarus facillimè seduci posset, ut latronem pro Sancto honoraret; sicut in aliquorum Sanctorum Legendis factum reperitur. Virgo Maria nullum legitur in hac vita fecisse miraculum, nec Apostoli in Evangeliis & Epistolis de ejus sanctitate & vitæ excellentia mentionem fecerunt, nisi sicut Prophetæ cecinerunt, Virginem parituram Christum, ita illi etiam peperisse testati sunt Christum Filium Dei. Undè ex consequenti in hoc solo verbo quòd esset Mater Dei, omnem expresserunt excellentiam & supereminentiam totius puritatis & sanctitatis, super omnem creaturam corporalem & spiritualem. Quærere ergò ejus sanctitatem per miracula, non esset sanæ Fidei. Nec miracula quæ per eam quotidiè fiunt ad probationem suæ sanctitatis exhibentur, nec sanctitati ejus aliquid addunt; sed ad manifestandam ejus ergà nos immensam charitatem & pietatem quam habet ad devotè eam implorantes & venerantes.

CONTRA IMPUGNANTES CARTHUSIENSES,

Quomodò non sit Ordo confirmatus.

ADHUC plerique eosdem impugnant, quomodò primò non fuerit confirmatus eorum Ordo à Sede Apostolica? Est planè confirmatus & sæpè, ut patet in pluribus Privilegiis, & ipsis Statutis. Tamen demus locum huic objectioni, & sub paucis verbis dicamus sufficere ad confirmationem cujuscumque Religionis, Collegii seu Congregationis, spiritualis vitæ sanctitatem, hoc est, in servitio Dei virtuosam perseverantiam, absque etiam approbatione Sedis Apostolicæ. Et hæc est approbatio seu confirmatio invisibilis Spiritus sancti, & ipsius *unctio, quæ docet de omnibus.* 1. Joan. II. 27. Et hoc est, quod dicitur Act. v. 38. *Si opus non est ex Deo, dissolvetur.* Neque Ecclesia primitiva; immò jam per multos Annos adulta, his confirmationibus & approbationibus utebatur. Tandem Ecclesia videns confusionem in Religionum multiplicatione, & hæresum pullulatione, strictiùs admovens manum tanquàm Mater sollicita, reprobavit omnes Religiones, Mendicantium quatuor exceptis: neque ampliùs aliqua Religio instituetur, nisi approbatione Sedis Apostolicæ. De Religionibus autem antiquis, non legimus aliquam approbationem expressam Sedis Apostolicæ; sed eorum vita sancta, Ecclesia sciente, & eis ut viris sanctis & approbatis communicante, & multa & varia Privilegia concedente, erat eorum plena confirmatio. Est autem Carthusiensis Ordo ceteris omnibus antiquior, exceptis Benedicti & Augustini Ordinibus. Fuit enim circà Annos viginti antè Ordinem Cisterciensem, & per centum triginta Annos antè Prædicatores & Minores, ceterosque Mendicantes.

FINIS.

JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis
TRACTATUS
DE NON ESU
CARNIUM
CARTHUSIENSIUM:
CONTRA EOS

Qui eosdem ex hoc Statuto tanquàm indiscretos, & inhumanos judicant, rationibus approbans indispensabilem apud eos servari solitam carnium abstinentiam.

Collat. ad Codd. MSS. Vict. 180. 698. Colbert. 99. Navarr. unum. & M. Targny.

EPISTOLA.

E*GREGIO Viro Joanni de Gonnant*, * *qui olim in seculo miles insignis, nunc in Christi servitute cum præclara Carthusiensium familia militans illustriùs, suus Joannes Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis: Triumphum beatitudinis adipisci.*

Tua, sicut opinor, meminit prudentia, quemadmodùm ab inclyto Preceptore meo, nunc Episcopo Cameracensi, pridem postulasti, ut per Tractatum aliquem ex Jure divino & valida disputatione compesceret, ac refelleret carnales, qui cæcis oculis, ac spumanti ore latrant in Religionem Carthusiensem, tanquàm irrationabilis sit & impia, ob perpetuam eorum de non esu Carnium observantiam. Attentavit hoc agere idem Præceptor meus, cui in Cancellariatûs officio & in Cathedra successi immeritus; non tamen ad fundum difficultatis usquequaque pervenit, quod agnoverim; plura enim sibi jugiter superirruebant impedimenta. Quamobrem tui, tuæque petitionis non immemor, tandem aliquando sumpta occasione in una ex lectionibus meis conatus sum (licet viribus imparibus) satisfacere pio & fervido Religionis tuæ zelo. Quod si perfecerim id quod optavi, gratias illi à quo omne donum optimum & perfectum; si minùs attigerim, suppleant, aut corrigant imperfectum meum tui Fratres, Patres mei, & alii profundiùs sapientes. Benè vale, memor mei in Orationibus tuis. Et si Latini forsan eloquii non satis es idoneus auditor, nolito conqueri, quoniam habes copiam interpretum abundantem, prædictos Patres loquor, quorum genibus provolutus, Orationum suarum suffragia egens, & mendicus expostulo.

I N-

* *MS. Cod. Vict. Gomment. Colbert.* 99. *Gonnehans.* & ita etiam in MS. Carthusiæ Divionensis nominatur, ac in Necrologio Carthusiæ Luviniaci nominatur *Gounant.* Sic enim ad diem 10. Decembris de isto Joanne. *Anno Domini* 1401. *Obiit Frater Joannes de Gounant Clericus redditus hujus domus, & quondam in seculo miles strenuus, ac Dominus de Gounant in Comitatu Burgundiæ sub dominio Comitis Montis Pelligardi, qui sepultus est in Capitulo: qui tanta bona tàm ex parte sua quàm aliorum Dominorum, & amicorum suorum contuiit nobis, & per viginti quatuor Annos & ultrà tam religiosè & humiliter conversatus est nobiscum ut meritò à nobis, & successoribus nostris, in memoria perpetua sit habendus.* Verumtamen legendum est *Gonnehans*, sic enim nomen habet prædium situm in Burgundia, propè Montem Pelligardi, *Montbelliard* & ita in Epitaphio nostri Joannis, quod jacet in Capitulo Carthusiæ Luviniaci, *Lugny.*

Cy gist Frere Jehan de Gonnehans
Noble Chevalier en son temps,
Qui vingt-quatre ans à porté
Cet habit en humilité.
En Decembre dernier jour
Rendit l'ame à son Creatour,
Mil quatre cent, & un aussi
Dieu lui fasse vraïe merci

Non desperetis vos qui peccare soletis
Exemploque meo vos reparate Deo,
Et salvi eritis.

A Ex his discere est, quis sit ille ad quem hæc Epistola Gersonii scripta est. Sed obscurum nunc est, quid sit *Clericus redditus* Domûs Carthusiensis: nam à duobus fermè seculis *Clericorum redditorum* apud Carthusienses nomen obsolevit. Erant ii Clerici iisdem votis obstricti & eodem habitu induti ac Carthusienses Presbyteri; sed Presbyteri non erant, & Libris scribendis potissimùm incumbebant. Horum mentio fit in 2. Libro Statutorum Antiquorum Ordinis Carthusiensis Cap 19. & 26. & Parte 2. cap. 6. ubi de eis dicitur, quòd *Beneficia spiritualia habebunt, ut Monachi, corporalia, ut conversi; servient & ministrabunt ut Monachi in divinis, &*
B *ad eadem spiritualia pro aliis reddenda, ut Monachi astringentur: Et tamen vocem non habebunt in Capitulo, nec poterunt ad Sacerdotium promoveri, absque licentia Prioris Carthusiæ, vel Capituli Generalis.*

Digitized by Google

INCIPIT TRACTATUS.

GRANDIS & mira est nobis Joannis Baptistæ abstinentia, & sobrietas recitata, cùm dictum est, *locustas & mel silvestre edebat*, Marc. I. 6. Sed horrere de facili solent abstinentiam, qui voluptatibus defluunt, *quorum Deus venter est* Philip. III. 19. & sobrietas, ab eis austeritas inculpatur, ex sua infirmitate vitiosa, in malaque radicata consuetudine alienam vitam mentientes, judicant mirabile esse aut superstitiosum, aut indiscretum attenuare corpus duris jejuniis. Concessis insuper cibis quos Deus, inquiunt, A creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, irrident non utentes. Non advertunt aut capiunt, quàm læta sit, quàm salubris & expedita, & ex bona consuetudine quàm facilis & jocunda reddatur devotorum sobrietas, qui cum Apostolo castigant corpus suum, & in servitutem redigunt. I. *Cor.* IX. 27. Qui demùm corporali jejunio vitia comprimunt, mentem elevant, virtutes acquirunt & præmia. Subindè ista est infamis palma vitiorum & extrema quorundam criminosorum impudentissimaque perversitas, sancta polluere, calumniari benè acta, & quæ imitari non possunt, aut volunt, ea saltem detestari. Hinc blanditur iniquitas sibi, si de sanctitate confixerit probrum aliquod; si contrà benè viventes infames sententias protulerit, & alienæ vitæ reprobationem, suam laudem & solamen esse arbitratur. B Experimur hanc carnalium hominum insaniam, tum in multis, tum nominatim ergà Venerabiles Patres & Fratres de Ordine Carthusiensium, apud quos reperitur, sicubi in Ecclesia quicquam vestigii reliquerit prædicanda illa priscorum Patrum devotio, admirabilis fervor, & sua propèmodùm incredibilis continentia. Hos namque Carthusienses exagitant nonnunquàm aliqui imbuti sapientia terrena, animali & diabolica, dicentes contrà charitatem denegare sibiipsis, præsertim in infirmitate positis, esum carnium. Vox ista vox planè illorum est qui suspirabant ad ollas carnium Ægypti, fastiditi manna. Subiit itaque pluries animum, aliquid de hoc scribere, ut tentarem funditùs eruere, & cortice sublato medulitùs perscrutari id quod difficultatem affert in præsenti materia. Et prohibitus usque ad hæc; nunc tan- C dem occasione sumpta ex contextu præsentis lectionis, quæ de abstinentia loquitur Joannis Baptistæ, conabitur idipsum peragere tenuitas ingenii mei; absolutè quidem & breviter, quoniam veritas lux est, & videtur nunquàm meliùs, quàm dùm nuda brevitate monstratur: foliis aut phaleris verborum non magnoperè eget, obumbrant ipsam quandoque, & obfuscant veritatem potiùs quàm illustrent & expediant.

ERIT igitur triplex Conclusio. Una directè responsalis. Duæ sequentes difficultatum nodos tangent & evolvent. Hæ difficultates præcipuè & summatim duæ sunt. Una de casu necessitatis extremæ. Alia de infirmitatibus & abbreviatione vitæ.

Prima Conclusio. Potest rationabiliter in Ordine Carthusiensium esse Lex, vel generale Statutum, ut nullus Frater illius Ordinis comedat unquàm carnes; immò si petat, quòd sibi non ministrentur. Et ad hujusmodi observationem fas est disciplinam gravem contrà transgressores institui.

Secunda Conclusio. Non obstat rationabilitati præfatæ Legis vel Statuti, quòd dabilis est casus, in quo Frater Carthusiensis, etiam professus, obligaretur vesci carnibus, & alius sibi ministrare teneretur.

Tertia Conclusio. Abbreviatio vitæ corporalis, aut sanitatis debilitatio, non auferunt rationabilitatem præfatæ Legis aut Statuti.

Conclusio Prima.

SUADETUR per indirectum prima Conclusio, quoniam nisi sic liceret generaliter ordinasse, nullo modo sentiendum est, quòd per tanti temporis cursum, scilicet per trecentos Annos & ampliùs, talis fuisset Lex inter ipsos Carthusienses promulgata & servata, inter quos tot hactenùs floruerunt summæ Religionis, & eximiæ discretionis viri in Jure civili, canonico & divino, non mediocriter instructi. Nequaquàm insuper tolerasset illud Ecclesia; alioquin dedisset laqueum suis fidelibus filiis; quoniam eos damnabiliter errasse scivisset, neque tamen eos ab errore revocasset. Alioquin prætereà non laudassent vitam talium sanctissimi viri, quemadmodùm devotus & circunspectissimus Bernardus ad Fratres de Monte Dei, ejusdem Ordinis scribens, eos per multùm collaudasse reperitur; immò & ad abstinentiam multam invitasse abjectos Fratres illos, in horrendis frigoribus magnæ Carthusiæ manentes. Rursùm per directum sic arguitur. Licitum est uni vel pluribus per totam vitam à carnium esu prorsùs abstinere, quoniam ita fecerunt plurimi laudabiliter, & quotidiè faciunt. Et Apostolus satis innuit dicens: *Quod si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum*. I. Cor. VIII. 13. Quod non posuisset, si non potuisset licitè compleri. Potuit ergò irreprehensibiliter fieri Lex, sive Statutum, quatenùs illud licitè jugiter servaretur; quoniam infrà docebitur nil obstare quo minùs illud fieri fas existat. Ceterùm Lex illa rationabilis censenda est, quæ Religioni convenit, quæ disciplinæ congruit, & quæ saluti proficit, quemadmodùm trahitur ex dictis Isidori. Sed Lex talis de nunquàm comedendo carnes est hujusmodi, prout experientia longa doctrix est. Etenim sub hac Lege & secundùm eam Religiosi viri, & disciplinati & de salute sua solliciti, vixerunt usque ad senectam bonam & plenam dierum incolumes in anima & corpore, plus quàm in locis aliis plurimis, ubi conceditur esus carnium ad saturitatem. Denique constat eos imitatores esse antiquorum Prophetarum, & Eremitarum Eliæ & Elizæi, ac Joannis Baptistæ, aliorum quoque Sanctorum Patrum, per Ægyptum olim degentium. *Inter quos* (prout refert Hieronymus in *Epistola una ad Eustochium*) *non solùm carnes, sed & coctum aliquid comedisse, luxuria erat*. Pro conclusionis hujus corroboratione faciunt ea omnia quæ scripserunt de sobrietate & abstinentia Doctores Catholici, quæ plurima sunt valdè, nec egent hìc inseri. Legatur Hieronymus *in Lib. contrà Jovinianum*: ubi D ex vetustissimis Gentilium historiis sobrietatem stabilit. Videatur idem *in Vitis Patrum*, & Cassianus *In suis Collationibus & Institutis*. Et perspicuum erit qualiter sanctorum Patrum, immò virginum & mulierum abstinentia fuit, & in sanitate & infirmitate constans, ac invariata duravit. Habemus exemplum de venerabili Paula, cui in ultima qua obiit ægritudine sibi persuaderi non potuit ut vino modico, ne in hydropem caderet uteretur. Proindè districtores ciborum refellit Bernardus *in homil.* XXX. *super Cantica*. Et multa in hunc modum relicta sunt à Sanctis actitata & celeberrimè disputata. Deni-

Digitized by Google

Denique veritas hujus Conclusionis ex deductione sequentium, velut ex nubium objectarum depulsione, magis elucescet.

Conclusio Secunda.

IN secunda Conclusione unum supponitur, quòd scilicet dabilis sit casus, in quo Frater Carthusiensis, etiam professus obligetur vesci carnibus, & alius sibi ministrare teneatur. Superadditur ad hoc, quòd istud non obviat rationabilitati Legis antè dictæ. Probatur suppositum in casu necessitatis extremæ, quoniam dabilis est casus infirmitatis, ubi Medicorum expertorum judicium, & conscientia Fratris infirmantis, & aliorum sibi ministrantium dictabunt quòd ipse ægrotus absque dubio morietur, si non adjuvetur per esum carnium, & edendo carnes convalescat. Nec satis esse videtur ad negandum possibilitatem necessitatis hujus extremæ illud quod scripsit quidam Medicorum Magister Arnoldus de Villanova pro dissolutione dubietatis propositæ. Ait enim, quòd in ægitudine qualibet curabili humidum radicale sufficienter restaurari potest per vitella ovorum absque esu carnium requisito. Hæc evasio non usquequaque sufficit, nec difficultatis hujus radicem evellit. Stabit itaque quòd languens, de quo est sermo, omnem abominabitur utilem cibum præter carnes aut jus earum, & præsertim vitella ovorum fastidiet, ita ut comedere illa salubriter, aut absque vomitu non valeat. Sed tamen ne controversia aut calumniæ materia in longiùs procedat, dabo casum possibilem valdè, ubi aliquis Carthusiensis, etiam sanus morietur absque remedio, nisi carnibus uti consentiat, ut puta, si deductus sit in manus tyrannorum, ubi vel ex nequitia vel aliundè, nihil permittetur sibi offerri ad vescendum præter carnes. Quærendum est ergò in hoc vel consimili casu necessitatis extremæ, an hujusmodi Carthusiensis tenebitur carnes comedere? & si sic, habetur intentum. Si diceret aliquis quòd potiùs eligere habebit mori fame; dicere eumdem oportebit ex consequenti, quòd in seipsum manus injiciet, & suimet erit occisor; juxtà illud vulgatum Augustini. *Pasce fame morientem; si non pavisti, occidisti.* Nec ad se minus quàm ad alios Præceptum hoc extenditur. Præthereà consuetudo aut Constitutio generalis Ecclesiæ de non comedendo carnes in die Veneris, non obligaret ad sui observationem in casibus prioribus extremæ necessitatis; immò nec excusaret aliquem ab homicidio, qui cùm posset salvare vitam per esum carnium, se, vel alium mori spontaneè permitteret abstinendo: secludendo tamen semper casum grandis scandali in Fide, de quo dicetur posteà. Porrò de votis idem est argumentum. Est autem fundamentum radicale præfatæ rationis in hoc; quoniam à Lege divina nulla Lex aut obligatio purè humana potest absolvere, aut excipere, vel instituere quòd non observetur. Sed hæc est Lex divina. *Non occides.* Deut. XX. 13. A qua Lege non legitur per aliquod aliud divinum Jus facta exceptio, ita ut pro observatione Constitutionis aut obligationis purè humanæ supervenientis, eam transgredi liceret, & se mori sinere fas esset. Undè reclusus aliquis, qui vovit non egredi, videns aliquem in extrema necessitate famis aut periculi mortis, si non exeat & succurrat cùm possit, pro occisore criminabitur; quantò magis si sibimet in articulo mortis vel talis necessitatis subvenire contempserit. Proindè confirmatio eorum quæ dicta sunt, sumitur ex hoc quòd nulla constitutio contrà Charitatem potest robur obtinere; quoniam Lex pro Charitate semper fertur, dùm benè fertur, quia est Præcepti finis & plenitudo Legis, secundùm Apostolum. I. *Tim.* I. 5. & *Rom.* XIII. 10. Est autem contrà Charitatem, cùm & in deteriorem vergit exitum se, vel alium dimittere mori, modis tactis, quando ex concessione divina licitus ad vitam patet exitus. Denique Præceptum inferioris seu Constitutio præjudicare posset Præcepto Superioris, Dei videlicet jubentis, ne quis se perimat, quod quam falsum sit nemo non videt. Objicit fortè aliquis de Machabæis, qui priùs elegerunt horrendam mortem perpeti, quàm carnibus suillis vesci. Similiter de quibusdam aliis in Veteri Testamento & Novo, qui vel ad exemplum virtutis, vel ad evitandam Dei injuriam, vel pro castitate servanda, aut in ultionem inimicorum, ut Samson, semetipsos peremerunt. Sed ad multa istorum respondet Augustinus diffusè *Lib. de Civ. Dei.* Cujus sententia finalis est, quòd nisi ex revelatione divina, aut ex speciali instinctu Dei dispensante, habet enim Deus potestatem vitæ & mortis, non potest quisquam manus licenter sibi injicere, quàmvis de castitate servanda specialior sit difficultas, quæ tangetur inferiùs. De Machabæis insuper alia est ratio, quoniam Lex divina ipsos tunc obligabat non comedere carnes porcinas. Ideò fatendum est, quòd citiùs mortem quàm esum talem eligere tenebantur. Non enim transgredienda est Lex Dei pro corporalis vitæ salvatione. Secùs est nunc, ubi talis legalis observatio cessat. Secùs prætereà, ubi non consurgit obligatio, nisi ex Constitutione purè humana. Intellige vigilanter quod dico de Constitutione purè humana. Fiunt enim quotidiè Leges de malefactoribus occidendis; sed non sunt solùm humanæ; immò fundamentum principale & auctoritatis robur sortiuntur à Lege divina jubente ut populus suus tollat malum de medio sui, & membrum quod scandalizat abscindatur. Nolo tamen dicere, quòd Judices possint pro quolibet peccato ad arbitrium suum licenter mortem statuere, aut statutam infligere, sicut de furto merè simplici deducit quidam Doctor. Ceterùm Lex divina habet, *Non fornicaberis*, Exod. XX. 14. *Non perjurabis*, Levit. XIX. 12. & similia Præcepta. Idcircò quantumcunque posset aliquis prolongare vitam suam per fornicationem aut perjurium, nullus tamen ad talia consentire deberet. Sed instabit aliquis rursùs & dicet, quòd omnia vota & Leges omnes de quibus loquimur, fundantur in Lege divina, in hac scilicet; *Redde Altissimo vota tua*; Ps. XLIX. 14. & humanæ institutiones in illa autoritate Prælatis data; *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Luc. X. 16. Et iterùm: *Quæ dicunt facite* &c. Matt. XXIII. 3. Respondetur, quòd in talibus votis aut Legibus positivis, ista semper exceptio subintelligitur, nisi ubi contrà Dei Præceptum, cujus finis est Charitas, militarent. Indè emersit consilium istud: *In turpi voto muta decretum, & in malis promissis rescinde fidem.*

Quòd si aliquod votum fieret, aut aliqua Lex juberetur ab hominibus, absque omni exceptione tali expressa, vel implicita; irrationabilitatem manifestam, & non tolerandam Lex & votum continerent. Quo pacto sic? quoniam evenire possunt casus qui Legem Dei in sui observatione violarent, prout supponitur declaratum esse satis. Et arbitror illud quod in hac secunda Conclusione supponi dicebatur, dabilem esse scilicet casum, in quo Frater Carthusiensis, etiam professus, obligaretur vesci carnibus, & alius sibi ministrare teneretur. Et iste casus est necessitatis extremæ, seu per infirmitatem, seu per temporis, aut loci, aut tyrannidis importunitatem contigerit. Ista tamen necessitas quo pacto posset forsan non semper obligare ad vescendum carnibus, præsertim in casu grandis scandali, sequens Conclusio declarabit. Nunc accedamus quod reliquum est in hac Conclusione argumentis stabilire, ut declaremus ea quæ dicta sunt super isto casu necessitatis extremæ non obviare rationabilitati Legis, vel Statuti Carthusiensium de non comedendo carnes. Pro quo rememorandum est quòd ad hoc nullum votum expressum habent, sed est duntaxat quædam Ordinatio sive Institutio positiva, ne hoc quisquam eorum præsumat attentare; quod si fecerit, subjacebit disciplinæ Ordinis, & certas pœnas illic expressas sustinebit. Et ita fuisse olim institutum apud quosdam alios Ordines, ut apud Fratres Prædicatores,

Digitized by Google

res, sub pœna carceris, referente quodam accepi. Adde unum circà quod præsens difficultas versatur, & quod præcipuè causat apud nonnullos scrupulum. Fateor itaque, quòd nullus casus in ordinatione prædicta excipitur, neque casus infirmitatis, neque alteriùs necessitatis extremæ; quæ exceptio si facta fuisset, apponerent plures digitum ori suo, qui nunc in ordinationem talem oblatrant. Sed respondeo, quòd exceptionem hanc addere nequaquàm oportuit, immò nec congruum fuit. Quòd non oportuit; ostenditur primò, quia Lex naturalis & divina sufficienter excipiunt. Nunquid Leges omnes tam Ecclesiasticæ quàm divinæ, quamvis ferantur universaliter, suscipiunt tamen exceptionem, prout à Philosopho traditur, & ex earumdem inspectione cognoscitur; illam verò exceptionem continuò ad Legem subjungi nulla est necessitas, sed nec ejusdem expressio requiritur. Quæ est ratio? Quia plerumque hoc esset impossibile, nimirùm & plerùmque superfluum propter numerosam & infinitam particularium circumstantiarum emergentium varietatem. Rursùs exceptio quæ sufficienter datur intelligi, aut aliundè satis trahitur, non eget exprimi. Sic est de casu extremæ necessitatis respectu Legis, aut Constitutionis de qua loquimur. Trahitur quippe talis exceptio à Lege divina & naturali, quantùm sufficere debet. Quoniam per similitudinem ad alias Leges conditas, ubi similes subintelliguntur exceptiones, instruitur quilibet etiam parùm doctus ita posse, & debere fieri circà institutionem præsentem, quantumcunque generaliter lata sit, dummodò illam quæ subintelligenda est exceptionem per expressa verba nequaquàm excludat. Si enim diceret Constitutio illa, quòd in nullo casu etiam cujuscunque necessitatis extremæ, liceret comedere carnes sub mortali peccato, nescirem fateor Constitutionem istam ab iniquitate vel imperitia defendere. Sed ita non esse docet textus institutionis quem inspexi, ubi nec obligatio fertur sub pœna peccati mortalis, sed solummodò sub pœna disciplinæ Ordinis: nec etiam casus talis necessitatis extræmæ secluditur. Interrogati siquidem eorum aliqui excellentes viri per meipsum, quid agerent ubi in deserto aliquo, vel carcere, nihil haberent præter carnes ad vescendum. Responderunt se comesturos fore absque omni scrupulo, priusquàm se mori permitterent. Audite narrationem.

Contigit unum ex Carthusiensibus dùm equitaret, in tantam semel famem & sitim incidere, quòd de sanguine equi sui bibebat ne periret; aliud quippè quo tunc sustentaretur, non habebat. Delatum fuit hoc ad reliquos Fratres, qui necessitatem circunspectè attendentes, quæ Legem non habet, eundem absque disciplina, vel quavis pœna, velut innoxium susceperunt, maximè quia sufficienter constare poterat omnibus de necessitate sua; alioquin fortassis subjacuisset disciplinæ Ordinis, non quidem ex culpa propria, sed ad evitandum scandalum aliorum, ne deinceps in luxuriam & exemplum alii traxissent ad comedendum carnes pro libito. Meruisset autem Frater ille, illam disciplinam Ordinis humiliter & innocenter tolerando: quemadmodùm sentiunt Doctores de illo qui per Ecclesiasticam censuram cogeretur habitare cum illa quæ ad veritatem non est uxor sua legitima, quamvis ita decerneret Ecclesia quæ non de occultis, sed de manifestis determinat. Casus alibi est expressus. Sic dico quòd non esset quandoque inconveniens innocentem Carthusiensem pro esu carnium, aut eorumdem ministratione disciplinæ Ordinis ad aliorum terrorem & regulæ inviolabilitatem subjacere. At verò dicit aliquis: cur non expressus est & exceptus casus iste necessitatis extremæ? Dixi jam & repeto, quòd illud fieri non oportuit, ut probavi, immò nec congruum apud eos fuit, ut deduco. *Sensus* quippe *hominis*, quia *proni sunt ad malum ab adolescentia*, Gen. VIII. 21. quantumcunque in freno & chamo constringantur, vix edomari possunt, quin effluant & effrenes fiant. Dum ergò parvula eis aperitur rimula licentiæ, aut frenum eis tantisper laxatur, fiunt confestim occasione assumpta ex ipsa licentia deteriores. *Omnes enim deteriores simus licentia*, ut Comicus dicit.

Quamobrem si casus aliquis fuisset in institutione præfata concessus expresè de comedendo carnes, formidandum erat ne paulatim, succedentibus temporibus, magis, ac magis dilatata fuisset, & extensa hujusmodi licentia, & tandem plùs ad voluptatem quàm necessitatem deservisset. Totum hoc declarabunt ampliùs sequentia, & experientia teste defenditur.

Conclusio Tertia.

TERTIAM postremò conclusionem posui, quod abbreviatio vitæ corporalis, aut sanitatis debilitatio, non tollunt rationabilitatem præfatæ Legis, aut Statuti Non penitùs inutiliter tractandum hic esse arbitror & declarandum, quemadmodùm licitum est agere multa, sive temporalia, sive spiritualia sint, per quæ & in quibus abbreviat homo vitam suam, aut infirmitatis debilitatem incurrit. Secludo tamen in primis, quòd intentio talis hominis citiùs naturæ consumentis cursum, id est, periodum ætatis suæ, non feratur directè, & immediatè super eo quod est abbreviare vitam suam, vel corpus in ægritudinem trahere, tanquàm super fine principali, aut quòd non fiat pro fine prohibito & nequam, quemadmodùm multi desperatorum, & fortunas suas ferre non valentium fecisse leguntur, & ut Stoïcorum error facere consulebat. In hoc siquidem casu tales graviter peccant, & per Leges meritò dehonestantur etiam post mortem. Hic habet quoque veritatis locum illa Hieronymi sententia, quòd *Non refert si quis per immoderatam abstinentiam se paulatim interficiat, aut subitò.*

His præmissis probo quod assumptum est: licere scilicet plerumque abbreviare vitam suam in variis occupationibus, studiis & artibus. Ad oppositam enim Assertionem sequuntur absurditates innumeræ, inter quas illa non mediocris est, quòd quilibet teneretur vacare studio Medicinæ, aut Medicorum consiliis, atque regiminibus continuè uti deberet. Quarè sic? Constat nempe, quòd ex ignorantia medicinarum præservativarum ab infirmitate & conservativarum sanitatis, ex omissione insuper medicinalis regiminis, irruimus in crebras ægritudines, & vitæ abbreviationem incurrimus. Rursùs quilibet obligaretur desistere ab operibus & actibus ex quibus proveniunt communiter debilitationes in corpore, & ejusdem corruptio velocior subsequitur, præsertim dùm tempora sunt intemperata, & ex nimio gelu, vel æstu fervido distrahatur harmonia debitæ sanitatis. Quid proindè? Sic certè agricolæ colere terram, opilio pascere gregem, vindemiator uvas colligere, ruralis falcare fenum, vel segetes; cursor legationem explere desisteret. Et ita passim in omnibus hujusmodi pœnalibus operibus, & debitæ valetudini non parùm adversis, valebit argumentum. Ceterùm posito isto, condemnarentur omnes divites, qui delicatis ac pretiosis alimentis non occurrunt morbis pauperum, si semper modis omnibus licitis & possibilibus sit sanitas in se, vel aliis de necessitate servanda, vel ægritudo pellenda. Porrò cui dubium esse potest, quin militaris exercitatio secùm plurima accumulet corporis incommoda, nunc in ipso belli apparatu, nunc in tentoriis, aut castris, aut sub dio; demùm in ipso hostili conflictu, quis neget in his abbreviari vitam multipliciter corporalem? Quid enumerem labores, æstus, frigora, famem, sitim, curas, vigilias & vulnera, quibus ipsa plerumque vita funditùs extinguitur? Quis tamen dixerit, propter hæc repelli à militando Reges & alios Reipublicæ Rectores tanquàm injustè agant, & in seipsos manus injiciant? Denique de ipsis mercatoribus quid dicturi sunt nostræ positioni adversantes? de quibus ait Flaccus.

Digitized by Google

Impiger extremos currit mercator ad Indos:
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Quis non videat, quòd tam ipsi quàm innumerabiles hujusmodi, hæc & similia agendo, patiendoque vitam abbreviant? Quis nesciat, quòd ægritudinibus variis atteruntur? Veruntamen temporalia solummodò numeramus, pro quibus adipiscendis, conservandis, aut recuperandis, non dico infirmitati, sed vitæ periculo & morti licenter nos exponimus. Concludamus igitur arguentes à minore ad majus, quòd pro bonis spiritualibus acquirendis, conservandis, aut recuperandis, seu restaurandis, vel pro malis depellendis, non est quomodolibet illicitum, vel irrationabile similia perpeti. Quamobrem ipsi Carthusienses possunt subjici Regulæ, vel Statuto, ad cujus nihilominùs observationem sequitur quandoque abbreviatio vitæ corporalis, vel debilitatio sanitatis incurritur. Sed opponet fortè scrupulosior aliquis & quæret, si liceat omninò Medicinam spernere? Si præterea in enumeratis temporalibus exercitiis fas sit, qualitercumque & quomodocumque vitam consumere? Et si sic dicatur, sicut dictum fuisse videri potest, licebit cuilibet absque vitio tentandi Deum, omnibus se periculis morborum & mortis improvidum objectare: istud verò nondum quisquam dixit. Respondeamus, dicentes quòd in præsenti materia sicut & in reliquis omnibus observare convenit proverbium illud Philosophicum à Terentio commemoratum: *Ne quid nimis.* Quod Horatius plùs expressit dicens:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines.
Quos ultrà citràque nequit consistere rectum.

Hoc dicit Philosophus describens virtutem esse in medio non quidem indivisibili, sed in certa latitudine, prout est signum ad sagittam. At verò qualiter accipiendum sit medium hujusmodi si quisquam ulteriùs pergat inquirere. Respondeat pro me idem Philosophus, quòd medium illud est quoad nos, prout sapiens judicabit: neque enim potest aliter sub generali regula, vel arte notificari tale medium. Idcircò virtus quam multa gignit experientia, certiùs quàm ars sola tale medium conjecturat. Et quia attendit particulares circumstantias omnes, clariùs & solidiùs operatur; quamquàm ars & doctrina multam afferant commoditatem virtutis exercitium quærentibus. Sufficit ergò nobis pro nunc verificasse id quod assumptum est, & ostendisse, quòd medium sobrietatis & abstinentiæ in proposito nostro non sic judicabitur à sapiente, quòd omnis debilitatio corporis & omne discrimen mortis, seu malæ valetudinis evitetur. Sed veniamus ad bona spiritualia, bona virtutum, postquàm locuti fuimus de bonis temporalibus, ubi longè minùs videretur excusabilis pro acquisitione earundem abbreviatio quantalibet vitæ corporalis. Enumeremus ergò aliquas radices, causas vel rationes spirituales, propter quas licitum est vitæ hujus moribundæ detrimentum subire vel pati. Et primò quidem ad obediendum Deo. Deindè ad satisfaciendum pro peccato. Rursùs pro juvamine charitativo proximi. Ceterùm pro evitatione gravis scandali. Porrò ad acquirendum virtutes in se, vel in alio. Et ad extremum pro extirpatione vitiorum, & carnis ad spiritum subjectione.

Constat enim quoad primum, quòd obedientia potest licitè imperare, ut homo subeat mortem corporalem pro Fide sustinenda, exemplo Martyrum, vel ubi Deus hoc revelaret, quemadmodùm de Samsone & aliis multis sentit Augustinus *in Lib. de Civ. Dei.* Habet enim Deus vitæ & mortis imperium. Addo adhuc, quòd etiam ubi non obligaretur quis semetipsum prodere qui quæritur ad necem quoniam Christianus est, potest tamen in casu publicis tyrannorum aspectibus præsentare se & spontaneæ morti tradere se in attestationem & laudem Fidei. Sic enim plures ex Martyribus fecisse narrantur, qui vel non cesserunt persequentibus, vel eos cùm potuissent, nulla vi à se repulerunt, ut sancta Legio Thæbeorum, aut denique veritatem, eis invitis & furentibus, ultrò publicaverunt. Attamen necessaria est in hoc loco consideratio particularium circumstantiarum, & unctio spiritus docens quando & ubi hoc fas existit. Si enim hoc fieri semper liceret, nec fugisset Christus, nec dixisset Apostolis: *Cùm vos persequentur in una civitate, fugite in aliam.* Matth. x. 23. Secunda ratio sicut & sequens, rei accommodabilior est quam agimus. Satisfactiò itaque & justitia sæpè jubet multa fieri, per quæ abbreviationem sequi vitæ perspicuum est. Videmus hoc in Justitia forensi, & Pœnitentia publica, tàm in carceribus quàm in aliis vindictarum & punitionum modis innumeris, per famem, per sitim, per nuditatem, cilicium, verbera, exilium, reclusionem in aëre pestilenti & feculento, & similia: horum plurima pro peccatis enormibus, in Foro etiam pœnitentiali crebro injunguntur, quod in Foro publico quotidianum est. Et quis in dubium revocet, quin liceat istas punitionum afflictiones devota voluntate suscipere, & susceptas pro satisfaciendo Justitæ & Deo pro peccatis laudabiliter tolerare? Est quorundam opinio de condemnato justè ad mortem per suspendium, per carcerem, aut famem, quòd potest absque delicto subterfugere, si nihil obstet evasioni suæ; cujus oppositum non improbabiliter tradunt alii, dicentes quod manere tenetur, ne violet Justitiam & Sententiam publicam in se latam. Nihilominùs quocunque modo se habeat veritas de obligatione ad unum istorum vel ad alterum, neminem dubitare arbitror, quin condemnatus aliquis talis ad extremum supplicium meritoriè posset non fugere, etiam cùm pateret liber exitus per negligentiam custodum, & potest ultrò subire & expectare Sententiam, quam scit à se meritam, & à justo Judice fulminatam. Sed & videri posset non esse penitùs improbabile hominem criminosum posse adjudicari ut seipsum per se puniret, quemadmodùm per alios justissimè fit, sive per mortem, sive per famis inediam, aut aliter. Ex hac consideratione Forensis & puplicæ Justitiæ rationabiliter colligitur justificatio Religionis Carthusiensis, immò & alterius austerioris. Cur enim non poterit aliquis peccatorum suorum, & flagitiorum conscius, quæ demeruerunt mortem æternam, immò & temporalem si publicarentur; cur, inquam, non poterit talem rigorem vitæ à suo Judice secreto, cui confessus est, impositum tolerare, aut consultum suscipere, quamquàm multò minùs prævideat se victurum & infirmitatibus variis fatigandum? Legatur Joannes Eremita montis Synaï, qui Climacus dicitur, in illo gradu scalæ mysticæ, in quo de pœnitentia loquitur. Refert profectò stupenda & fortè magis admiranda quàm imitanda super voluntario carcere quorundam Deum placare sibi volentium. Ex horum perspectione sedula liquet, quàm rationabilis sit pro peccatoribus Carthusiensibus in vivendo severitas, immò & pro justis, quatenùs Deo satisfaciant pro peccatis propriis, vel alienis tempore misericordiæ, ne severiùs puniat incomparabiliter ille purgatorius ignis, aut gehenna.

Tertiam rationem assignavimus, charitatem ergà proximum. Potest nimirùm charitas fraternalis imitatrix esse Christi, *qui peccata nostra ipse tulit, & languores nostros ipse portavit.* Isaïæ. LIII. 4. Sic venerabilis, & sanctus Paulinus Nolanæ Urbis Episcopus pro filio viduæ duram servitutem Barbarorum sponte subiit. Sic venerabilis Sanctulus, pro Diacono morituro semet præbuit mortis discrimini. Sanctus quoque Enumeranus in Ratisbona crimen stupri à quodam commissum sibi causâ Dei imponi jussit, pro alteriùs liberatione, pro quo & mortem suscepit. Sic denique olim fieri & nunc in Ecclesia prospicimus. Nam & ob hanc præcipuè rationem fuerunt Religiones institutæ ad satisfaciendum pro peccatis Fundatorum, & generaliter omnium. Sunt nempe aliqui in statu plangentium, sicut alii in statu acti-

Digitized by Google

activorum juxtà varietatem Donorum & Officiorum, Corporis Christi mystici, quæ distribuit Spiritus sanctus prout vult. Si fas est (sicut fas est, immò merces magna, pro aliorum delictis satisfactionem in corpore proprio sustinere) licebit utique consequenter vitam in hoc exercitio breviare. Laudatur Imperatoris illius justitia & charitas, qui pro filio viduæ ad excæcationem amborum oculorum adjudicato, oculi unius salvationem in filio proprio, alterius oculorum suorum jactura redemit.

Collaudatur postremò illius amoris par & vinculum insigne apud Philosophos, ubi uterque amicorum vicissim pro altero concertabat occumbere. Simile de virgine quadam Antiochena & milite tractat Ambrosius declamatoriè. Cur ergò careant præconio ipsi Carthusienses? Cur non magis attollantur laudibus super eorum charitate, qui quandoque à propriis peccatis immunes & expurgati, nihilominùs ferunt super se crimina aliorum in abstinentiis & laboribus plurimis, & quodammodò animam suam pro aliis ponunt? Collaudandi profectò, sicut obtrectatores eorum opprobrio digni, præsertim si Ecclesiastici sunt. Nam quæ impietas est, eos illud in aliis inculpare quod suum deberet esse officium? exercere scilicet semetipsos in talibus abstinentiis, etsi non omninò taliter, pro salute Fidelium & divina placatione promerenda & adversis potestatibus debellandis. Nam arma Clericorum sunt jejunia, planctus & lachrymæ.

Ceterùm in quarta ratione posuimus evitationem scandali. Pro qua non dico mala valetudo, sed ipsa etiam mors subeunda nonnunquàm est. Audiamus Apostolum: *Si esca*, inquit, *scandalizat fratrem meum non manducabo carnes in æternum*. 1. Cor. VIII. 13. Sit secundùm hoc aliquis positus in ultima necessitate famis coram Idololatris, non aliis cibis vesci permittunt eum quàm idolothytis; nunquid non subibit talis priùs mortem famelicus quàm comedat in scandalum suæ Fidei apud Idololatras, aut apud Fratres Christianos simplices, si ex hoc esu pati scandalum probaliter formidetur? Puto insuper Apostolum magis ad evitationem scandali pusillorum, quàm ad propriam corporis refrenationem aspexisse, cùm dixit: *Castigo corpus meum & in servitutem redigo*. Cur hoc agis Paule? *Ne*, inquit, *cùm aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar*. 1. Cor IX. 27. Nolo dicant Auditores mei; iste plenus ventre de jejuniis prædicat. Iste repleta bursa, aut arca argento, auro & vestibus plurimis frugalitatem nobis, liberalitatemque & indumentorum parcitatem suadere conatur. Medicus est, curet primò seipsum. Videtis hîc Magistri & Fratres, quàm necessaria est amplior vitæ austeritas in Prædicatoribus, in Prælatis & Curatis quàm in aliis; etsi non ob aliud, ob hoc tamen, quia alioquin inefficax reddunt verbum suum, aut oblocutiones à subditis suis patiuntur. Nec excusantur penitùs, quamvis edomitam sentiant carnem suam, aut si obindè pati vitæ carnalis dispendium pertimescant.

Traducamus nunc ad rem quæ tractatur rationem hujusmodi: sit aliquis Carthusiensis vir probatus in ultima ægritudine constitutus, à qua liberabitur & non aliter si carnibus utatur, & sciat hoc ipse, seu per revelationem, seu per Medicorum fidelem attestationem, seu quia tale est suum dictamen conscientiæ. Animadvertat nihilominùs quemadmodùm verisimile est quòd comestione sua Fratres alii, vel præsentes, vel absentes ad quos fama volaverit scandalizabuntur, tum quia insolitum est, tum quia fortassè non sufficienter erunt informati de casu necessitatis suæ extremæ: denique quia tentabuntur vehementer ad exemplum illius assumere sibi carnes in cibos, etiam præter & extrà necessitatem extremam. Formidabit proindè vir hujusmodi non absque ratione, ne rigor Ordinis paulatim laxatus, tandem funditùs evanescat neque remedii locus habeatur. Quæ ratio? Quia nimirùm semel lapsa Religio (ut experti scripserunt) nunquàm aut vix reparari potest; nova faciliùs à fundamentis conderetur. Possunt quemlibet super hoc cautum reddere aliena facta multarum Religionum, quæ ab initio summæ disciplinæ fuerunt, sed per licentias & laxationes primitùs modicas, deinceps majores in hanc tandem effrenationem corruerunt ut nihil plùs abstineant à secularibus, nulla in silentio, in jejuniis, esu carnium & aliis disciplinis diversitas inve-

A nitur; in tantùm quidem ut apud multos stupor sit, si cùm Professionis suæ & voti integritate & statu salutis tales vivere arbitrentur. Sed relinquens alios sibiipsis, quæro: si Carthusiensis ille quem loquimur teneatur, aut saltem jure possit in casu nostro abstinere à carnibus, dùm talia piè recogitat, revolvit & formidat? Æstimo planè, neminem sanè intelligentium unquàm dubitaturum quin hoc possit, & plures sperò dicturos fore, quòd ad hoc pro scandali vitatione obligatur. Siquidem plùs est anima proximi, quàm corpus proprium aut esca; quantò plùs ergò æstimandæ sunt tot animæ præsentes & futuræ, immò tota Carthusiensis Religio, tota severitas, totaque disciplina. Ut quid probatus vir pro modicis vitæ diebus jam velit nolit perituris, tale Religioni suæ discrimen afferret? Ut quid prætereà pro restauratione membri pereuntis & paulò post necessariò desituri, totum corpus mysticum in ceteris sanioribus membris detrimentum patietur?

B Quomodò dabit totum vitæ florem pro Fratribus, iste qui tanta cupiditate particulam ægram & marcidam, cum eorum nocumento retinere conatur? Non est ad extremum fidus miles & strenuus ille, qui plagas suas statim refoveri, aut sanari quærit, cum totius sui exercitus deordinatione periculo, vel strage. Putò certè gloriosus ille Confessor Martinus non fecisset in hac re scrupulum, qui suadentes corpus in ultimo agone constitutum stramentis mollioribus confoveri, magna gravitate compescuit. *Sinite*, inquiens, *Fratres sinite; ego si aliud exemplum vobis reliquero, ipse peccavi*.

Esto quòd homo singulari voto perpetuæ alicujus abstinentiæ constrictus, solvere illud pro ultima necessitate deberet. Esto similiter, quòd Carthusiensis aliquis ad hoc teneretur, ubi sufficienter sibi constaret de nullo subsecuturo Fratrum, vel Ordinis scandalo. Nihilominùs quia rarissimè & quasi nunquàm circumstantiæ tales pariter concurrunt apud Carthu-

C sienses, potuit cum omni rationabilitate ferri suum generaliter de non comedendo carnes Statutum.

Novissimè sermonem abbreviantes, tractemus simul postremas duas rationes, acquisitionem scilicet virtutum & extremum vitiorum, propter quas debilitare corpus & abbreviare vitam plerumque fas est & aliquando necessitas.

Proposuit Salomon *à vino abstrahere carnem suam, ut animam suam transferret ad sapientiam*. Eccle. II. 3. Daniel & ceteri Prophetarum, ut divinis revelationibus essent idonei, penè suprà vires corpus sub abstinentia macerabant. Ampliùs tradunt in contemplationibus experti, non posse animam ab Ægypto tenebrosæ carnalitatis ad terram promissionis, hoc est, ad soliditatem claræ contemplationis ascendere, nisi per desertum fortis contritionis corporalis quæ abstractionem faciat non solùm à superfluis, sed à multis etiam necessariis. Ad hoc traduci potest etiam

D illud Gregorii: *Nemo potest apprehendere quod suprà ipsum est, nisi priùs mactare studuerit quod est*. Benè ergo. Hoc in seipso & proprio corpore expleverat qui propter hoc in ægritudines perpetuas inciderat. Hanc esse causam, opinor, præcipuam, cur tanta est raritas tempore nostro eorum qui contemplationis arcem ascendant & illic stent. Exigitur quippe ad hoc sobrietas, non illa tantummodò quæ servat Mandatum & peccatum eximit, sed multò asperior ab initio atque rigidior. Tribulationes itaque corporis dilatant ani-

Digitized by Google

animam ad superiora, & ad inferiora ne dilabatur, stringunt. Sic non inveniens anima ubi suæ affectionis pes dilatetur aut quiescat, quoniam inundaverunt aquæ tribulationis super terram sensualitatis, regredi compellitur cum columba ad interioris Arcam quietis. Qui verò jejunii talis, atque tribulationum ceterarum asperitatem à se jugiter repulerit, mirabor, si non expers erit elevatæ contemplationis, & si non assiduè per ima serpet ejus animus, contentus communi modo cognitionis aliorum, sicut à communi ritu vivendi, vel ad tempus, non semet abducit. Videtis ergò quantùm servit contemplationis virtuti, in qua felicitatem Philosophi posuerunt, ipsa victûs asperitas. Porrò quid aget fortitudinis virtus, quid zelus animarum, quid Spes, quid Fides & Charitas, vel ut ipsæ in hominibus generentur, vel genitæ conserventur, augeantur, roborentur? Æstimo non magnipendent corporis jacturam, dummodò per eam finis suus habeatur. Ceterùm attende tibi quid debeas animæ sanitati, & curationi à vitiis, quando

Ut corpus redimas, ferrum patieris & ignem,

inquit Naso.

Dicerent aliqui sed non determino, quod pro evitatione doloris nimii, aut deformitatis fas esset alicujus morbum membri incuratum relinquere, ex quo tamen membro incurato dimisso breviaretur vita. Hæc abbreviatio quantò rationabiliùs tolerabitur ad evitandos dolores non momentaneos, sed pro vitiis puniendis sempiternos? Addamus, quòd consuetudo naturam immutat usque adeò ut venenum cibus esse possit. Multos jam audivi alterius Religionis Fratres, quibus in ægritudine esus carnium conceditur, dicentes abominationem eis fieri & nauseam, si carnes gustent; maluntque jugiter abstinere, tantùm valet in eis consuetudo, quam Philosophus alteram dicit esse naturam. Esto denique, quòd ex esu carnium proveniret in casibus prædictæ necessitatis prolongatio qualiscumque vivendi: quis novit si non deterior ex hac novitate postmodùm ægritudo & lassitudo sequetur? Audi simile. Essent aliquando potiones quædam medicinales, ut puta laxativæ, satis idoneæ pro præsenti statu patientis; dissuadent tamen illas fidi Medici, ne ex usu talium pigra & segnis in futurum reddatur natura. Subindè credamus expertis. Asserentem itaque audivi unum de Carthusiensibus virum planè doctissimum, quòd plures numero morerentur aut ægrotarent in eorum Religione si carnibus uterentur. Causam addebat, quòd vigiliæ, & solitudo, & quies, ceteraque devotionis hujusmodi exercitia digestionem impediunt, & ita cruditatem quandam in stomacho relinquerent. Addo aliam, quia vix aut rarò temperarentur, & sobriè inter hæc gulæ incitamenta versarentur. Nam cur ob aliud sapiens unus Medicorum dixit plures occisos gulâ quàm gladio? Quòd si etiam nullus diceret, tamen experientia loquente cognosceretur. Cur aliundè prætereà Religiosi & rurales à carnibus, immò & à vino & à ceteris gulæ blandientibus cibis abstinentes longè satis senectam maturam sæpiùs attingunt quàm alii, voluptuosè & opulentè talibus enutriti? Præponderant scio illæ quæ animam respiciunt causæ quas diximus, ut defendatur sobrietas; tamen ita loquendum fuit carnalibus qui carnalia præferunt. Ita eorum iniquitatem mentiri sibi docere debuimus, qui abbreviationem vivendi aliis objiciunt pro crimine, suam vitam frequentiùs ô Deus, quantò indecentiùs, nequiùs & sordidiùs sua voracitate & ingluvie mactant, suffocant & enecant! Quoniam *in multis escis* (juxtà Sapientis verbum Eccle. XXXVII. 33.) *multa est infirmitas.* Et secundùm proprietatem Virgiliani verbi multos etiam vivos vinum, somnusque sepelivit. Postremò, quid eradicatio vitiorum libidinum in seipso ferventium fieri suadet, quando nonnulli (quia occasionem præstabat aliis luxuriæ sua pulchritudo) seipsos lacerabant in facie, aut cum suis periculis ingentibus exules aufugerunt? Immò multæ feminæ & virgines non tantum Christianæ, sed & gentiles ob amorem castitatis sese miro modo castigaverunt. Vulgata est Joseph historia, necnon Benedicti, Bernardi & similium. Repertus est mihi insuper unus sanctorum Patrum, qui ut elationem ex suis
A viribus consurgentem compesceret in anima, magnis à Deo precibus obtinuit ut dæmoniacæ passioni corpus subjaceret.

Non evagemur ulteriùs in materia latissima de acquisitione virtutum & extirpatione vitiorum; stringatur sermo ad virtutem unicam castitatis, & quæstionem quæstione, veluti clavum clavo retundamus. Quæro ab adversariis, si vovere liceat perpetuam castitatem. Non ita impudenter desipiunt, ut hoc negent. Non negabunt insuper quin dabilis sit casus necessitatis extremæ, quo vel à tyranno aliquo, vel propter abundantiam obscœni illius humoris putrescentis (ut fieri potest) periclitabitur vita ejus qui vovit castitatem, si non sumat ab opere carnali remedium. Peto ergò si talis, non dico fornicari vel adulterari, sed matrimonialiter uxorem assumere & eam carnaliter cognoscere possit &
B debeat, quoniam hoc agendo diuturniùs viveret, ut supponitur? Si respondeant, quod votum castitatis impedit Matrimonium contrahendum, etiam in illo casu necessitatis extremæ. Quæro primò, undè hoc habeant, cùm votum illud humana tantummodò voluntate emissum fuerit, ac proindè Præcepto illi divino: *Non occides*, Exod. XX. 13. quo pacto potest obviare? Ita enim priùs argutum est in secunda conclusione. Rursùs potest sibi à Papa concedi dispensatio contrahendi, qua dispensatione facta, nunquid uxorari tenebitur pro licito usu carnali salvativo vitæ suæ, aut si poterit subire mortem ne castitas sua virginalis, aut vidualis depereat? Si primum nobis donent, cur non ita dicere possumus, quòd non obstante causa necessitatis extremæ aut Superioris autoritate, potest perpetuò voveri certa sobrietas sicut & castitas? Si verò dicant juxtà communiorem opinionem, quòd talis etiam non vovens possit licitè pati mortem pro conservatione castitatis perpetuæ, quamvis hoc pati nequaquàm obligetur. Vellem ut nobis darent diversitatis rationem in castitate & sobrietate, quare non utrobique erit similis hujus divini Præcepti transgressio, *Non occides*? Exod. XX. 13. Nunquid
C talis perseveranter castus in casu nostro ita seipsum perimere dicendus est interpretativè, quia ad vitam servandam patet eidem licitus exitus per Matrimonium, sicut de perseveranter abjiciente carnes nobis opponunt? Dicent fortassis, quòd *Nulla est ponderatio digna continentis animæ* secundùm Sapientem. *Eccli.* VI. 15. Vinculum insuper Matrimonii non temporale est, sed perpetuum, & multa secùm fert incommoda. *Tribulationem enim carnis* (inquit Apostolus 1 Cor. VII. 28.) *habebunt hujusmodi.* Nolo hîc pertinaciter contendere, nec in alterutram partem fixam ferre sententiam, nolo, quoniam quicquid dicatur, pro nobis est. Nam si mors pro castitatis virtute toleratur, ubi etiam sine delicto pateret evadendi libertas; fas est pro virtutis adeptione, vel conservatione vitam non solùm abbreviare, sed etiam ultrò perdere, quòd hîc probandum assumebamus. Si verò mors usquequaque declinanda esset in casu necessi-
D tatis talis, & tamen votum castitatis non indiscretè factum fuit, quamquàm talem casum non exemerit, convincit similitudo quòd Statutum de abstinentia à carnibus rationabiliter factum, vel latum est, etiamsi nulla sit exceptione per expressa verba vallatum, prout in secunda conclusione dicebatur.

Obmutescant ergò obtrectatores quilibet contrà sanctam Carthusiæ sobrietatem; quin potiùs venerentur ipsam tanquàm imitatricem Joannis Baptistæ abstinentiam, secundùm præsentem lectionis nostræ textum;

Digitized by Google

tum; tanquàm insuper sanctorum Patrum repræsentantem exempla atque vestigia. Acceptetur præterea tànquàm satisfactoria pro suis alienisque delictis, ex magno justitiæ atque charitatis zelo. Collaudetur etiam velut proficiens aliis exemplo & merito. Denique suscipiatur quasi generativa virtutum tàm moralium, quàm intellectualium, & vitiosarum cupidinum potenter repressiva.

A Nunc ad Medicos conversus, obsecro & obtestor eos per salutem animæ suæ, quatenùs Artem suam, quæ est de medendis corporibus, Arti Artium quæ est regimen animarum, nequaquam opere vel consilio damnabili anteponant; sciant, & observent, quoniam sicut animæ corpus ita Medicinam Theologiæ & morali scientiæ, sicut architectonicæ subjici æquum est, servire & ancillare. Ad nullam idcircò sanitatem corporis Medicus aspirare debet modis aut remediis animæ saluti contrariis; alioquin abutitur Arte propria, & Deum in se & in proximo graviter offendit. Cautum ergò & virtuti consonum dent suis ægrotantibus, præsertim Religiosis consilium. Caveant ne dum sanare corpus alienum student, saucient animam suam & alienam; aut nè, Deo irato, utrumque corpus & anima pereat. Si Altissimus è terra Medicinam creavit, sicut affirmat Sapiens, non impugnent quæso Deum per donum suum. Audiant Medici ejusdem Sapientis Consilium, ut orent Deum, ut prosperentur in manibus opera eorum. Sic enim secundùm ejusdem pollicitationem, *Disciplina Medici* per quam se suamque Artem Deo subjicit, *exaltabit caput ejus*. Eccli. XXXVIII. 3. 4. B

Ad novissimum nolo putet me aliquis per dicta quæcunque præcedentia secludere velle discretionis virtutem in abstinentia, vel servanda, vel assumenda; scio itaque & sic Patres determinant, quòd ad deteriorem exitum, & cui minùs est remedii, trahit abstinentia indiscreta quàm edacitas immoderata. Hæc autem discretionis virtus nunquàm meliùs quàm in humilitate & obedientia servatur; dùm videlicet proprius sensus deseritur & alieno prudentium & expertorum consilio promptè paret atque subjicitur. Hæc autem obedientia discretionis mater, ubi meliùs quàm in Religionum Professoribus locum habet. Illic invigilat Superiorum exercitata discretio, ut suam unicuique pro qualitate conditionis, loci aut temporis abstinentiam limitet & mensuret, ne quod pro divino officio sancitum est, tollat illud aut notabiliter impediat. Sciunt quòd *corporalis exercitatio ad modicum utilis est*, nisi pro quanto juvat *pietatem quæ ad omnia valet*. 1. Tim. IV. 8. C

Sed postulabit à me forsan aliquis minùs instructus, quid potissimùm in abstinentia, ne immoderata sit, prudens Rector intendat? Respondeo, quòd non labores, non vexationes, non proinde abbreviationem istam vitæ corporalis in tantùm considerat, quantùm ne sensus efficiantur hebetes ac stolidi per excessivam in jejunio aut fletu abundantiam, & ut non ex consequenti rationis judicium evertatur; sensibus etenim vehementer læsis, læditur exindè rationis usus propter connexionem mutuam pro statu præsenti sensus ad intellectum. Et sic concedo quòd quilibet abstinentiæ rigor, dummodò sana & integra sensuum vivacitas & judicium rationis imperturbatum maneat, salus est, & per ipsum omnia salva erunt. At verò si contrà hanc sensuum & rationis integritatem aliquis Superior à subditis extorqueat abstinentiam, etiam in die Veneris Sancta, & si non pro impari potentia tolerandi (quoniam *non omnia possumus omnes*) ille dissimiliter onera abstinendi dividat singulis prout opus habent: affirmo quòd jam non discretor, sed destructor; non tutor, sed tortor habendus est, & tanquàm perniciosa pestis declinandus. Nam quid fit in subdito, læsa semel ratione ex sensuum perturbatione? Redditur siquidem hebes, asper, attonitus & intractabilis, velut animal brutum, nec jam rationis usu ducitur, sed furoris & insipientiæ cujusdam bestialis impetu circumagitatur & raptatur. Ruit D postremò in hanc desperatæ perditionis foveam, ut sibi sapiens videatur qui stolidus est, se ducem esse vult qui cæcus est, & qui proprii inops est & salubris consilii, alieno prorsùs obedire recusat. Cur ita? quia jam ambulat in magnis, & mirabilibus super se. Jamque revelationibus insolitis & miraculis faciendis se cogitat idoneum. Jam somnia, jam phantasias omnes portentuosas pro visionibus authenticis acceptat. Jam denique, nisi misereatur ex alto Deus, proximus est corruere è monte illo ad quem Angelus ascendit, & descendit diabolus. Videtis quàm necessaria sit in Rectoribus pia discretio & discreta pietas, quæ subditos velut citharæ chordas, nec mollescere nimis sinat, nec lentescere per desidiam, nec suprà modum tendat ne rumpantur per stoliditatem & insipientiam. Opus profectò plenum difficultatis, plenum periculi & multæ vigiliæ, sed meriti grandis & laudis excelsæ; nec deerit piè postulantibus unctio Spiritus quæ docet de omnibus. Ex his ad extremum perpendere fas est, quàm periculosa sit indiscretis solitudo, quia cùm ceciderint non habent sublevantem. Secùs in Religionibus benè institutis reperitur.

Hæc habui quæ dicerem super quæstione proposita de non esu carnium, quamquàm brevitatis amor quædam intacta, & quædam impertractata transire compulerit. Hæc est laudabilis & ab indiscretione libera sanctorum Patrum abstinentia, quam etsi peccator & sæcularis imitari non valeo, aut non satis volo; veneror tamen in aliis, admiror & colo, venerandam insuper colendamque libens denuncio, & libera voce defendo. Spero equidem ex hac pia sedulitate fructum Orationum suarum mihi profuturum apud illum qui jussit ne gravarentur corda nostra in crapula & ebrietate, *Luc.* XXI. 34. Dominum nostrum Jesum Christum qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen. *Finis.*

RESOLUTIO CASUS ISTIUS
AN LICEAT GRAVATO DEBITIS INTRARE RELIGIONEM.

Quædam Propositiones exceptæ de Lectione Cancellarii Parisiensis. Anno Domini 1410. apud Sanctum Victorem, occasione cujusdam dubitationis in facto unius militis Carthusiensis.

Collat. ad MSS. Codd. Vict. 463. & Navarr. unum.

CONVERTAMUS nunc sermonem ad decisionem prædictæ dubitationis literalis de vellicatione spicarum alienarum per Discipulos Christi, an scilicet illic furti vera ratio, & ex consequenti ad restitutionem fuerit obligatio. Introducitur hæc dubitatio quia literalis est. Et ut inquisitionibus aliquibus noviter factis fiat aliqua satisfactio de obligatis ex furto vel mutuo, si per Religionis ingressum sint immunes à solvendo. Supponamus in primo descriptionem furti. Furtum est contrectatio rei alienæ, invito Domino: hæc est succincta & generalis furti descriptio; cujus declaratio patere poterit ex corollariis sequentibus, supponendo quòd dominium rerum est duplex, unum divinum, aliud humanum. Humanum est duplex, naturale & civile seu politicum. De primo scriptum est de Deo; *Dominus universorum tu es.* Mach. XIV. 35. De altero dicit Apostolus quòd *omnia nostra sunt.* Et Christus: *Primùm quærite regnum Dei & justitiam ejus,* &

Digitized by Google

& hæc omnia adjicientur vobis. Matth. VI. 3. De tertio scribunt ipsæ Leges civiles & canonicæ, sicut etiam Scriptura sacra sæpè commemorat. Primum fundatur in titulo creationis & gubernationis rerum. Secundum in titulo charitatis & justitiæ. Tertium in Regulis Legis civilis & canonicæ, post peccatum.

Dicamus ergò veluti corollaria declaratione & declarativa consecutione, quòd Deo approbante vel jubente detentionem vel contrectationem cujuscunque rei, nullum committitur furtum ab eò qui talem se habere scit approbationem. Sic excusantur filii Israël à furto dùm spoliaverunt Ægyptios. Et intelligitur dùm talis utitur & movetur in hac spoliatione autoritate Legis divinæ, non propria libidine rapiendi. A

Dicamus ultrà quòd in abusu cujuscunque rei contrà Legem Dei, committitur aliquo modo furtum, quia fit quædam contrectatio rei alienæ, quæ scilicet est ipsius Dei, invito eo, id est, contradicente & vetante.

Sequitur, quòd quilibet justus potest uti re qualibet sine furto, & hoc utendo secundùm Leges ipsius charitatis, quia secundùm eam est Dominus omnium omnia possidens, &c. Da oppositum: jam fieret extrà charitatem, in cujus titulo fundatur hoc dominium.

Sequitur, quòd omnis peccator qui abutitur creatura, dici potest fur contrà quemlibet justum, quia abutitur re justorum, ipsis nolentibus hunc abusum.

Sequitur, quòd utens re quæ à nullo pro tunc possessa est, civiliter non est ex eò fur censendus, quia quod nullius est, occupanti conceditur. B

Sequitur, quòd utens re quàm quilibet habet pro derelicta vel tanquam pro derelicta, secundùm interpretationem Juris non est dicendus fur. Et hìc fundatur rationabilitas præscriptionis & justa detentio rei quæ priùs fuit aliena. Justa, inquam, nedum in Foro contentioso, sed conscientiæ.

Sequitur, quòd utens re aliqua in casu necessitatis extremæ, non est censendus fur, quia non fit hæc contrectatio, invito Domino, secundùm Juris divini & naturalis, immò & civilis interpretationem. Concedunt enim in casu necessitatis omnia esse communia, prout in textu præsenti sufficienter fundatum est.

Sequitur, quòd utens re modici pretii, quæ quasi pro nihilo reputatur, non debet censeri fur, quia non judicatur quòd Dominus hoc non velit, aut non vellet si hoc sciret. Attenditur autem modicitas pretii secundùm personarum & rerum, temporum & aliarum circumstantiarum qualitatem, aut secundùm Juris aut dictaminis rectæ rationis interpretationem; quia quod uni parum esset, alteri multùm reputatur. C

Sequitur, quòd Apostoli non committebant furtum in vellicatione spicarum, quia res modici pretii erat; eos insuper excusabat necessitas; denique Domino sciente & volente hoc fiebat, nam Dominus omnium ipse est Christus.

Sequitur, quòd detentor rei alienæ, dum non habet rem in sua potestate ut illam restituat, sed vel vi alterius, vel aliundè factus est impotens, ille non dicitur tunc detinere, invito Domino. Jus enim interpretatur quòd Dominus non debet velle obligare tunc istum ad impossibile pro tempore quo est sic impossibilitas, quia nec Deus sic obligat ad impossibile, Legi autem divinæ debent ceteræ conformari. Et hìc fundatur, quomodò potest absolvi in Foro conscientiæ quis obligatus ex furto, absque hoc quòd statim restituat, dùm tamen habeat propositum de restituendo tempore, & loco, juxta quod aderit facultas, in toto vel in parte. D

Sequitur, quòd detentor rei alienæ si non restituat illam dum restitutio cederet in præjudicium, & damnum manifestum creditoris, non est fur appellandus, ut si non reddat gladium furioso. Nam restitutio quæ pro charitate instituta est, contrà charitatem militare non debet.

Sequitur, quòd detinens rem alienam, detinet eam, invito Domino, secundùm Juris naturalis & civilis interpretationem, dùm habet sufficienter undè statim reddat; differt nihilominùs restitutionem in præjudicium vel in damnum ejus cujus debitor est. Patet, quia alteri facit quod non vellet rationabiliter sibi fieri. Item quia aliter periret illa quæ maximè servanda præferendaque est civilis communicatio, si pateret via defraudandi creditores, & si non redderetur in casu tali unicuique quod suum est, & hoc in toto vel in parte. Hæc autem est fundamentalis ratio quare Doctores, & Leges ponunt, quòd servus & obligatus ratiociniis publicis non possunt liberè profiteri, & hæc eadem in casu nostro se ostendit. Nec valet allegatio de diminutione status sui, quia jam non esset status conservatio, sed destitutio & destructio, si ex bonis alienis fulciri quæreretur.

Sequitur, quòd sicut fama quæ est vita quædam civilis, non potest sufficienter pecunia mensurari, quia sunt diversorum generum. Et sapiens bonum nomen plùs amat quàm thesaurum; sic injusta ablatio famæ non propriè continetur sub furto, sed excedit ipsum. Hoc contrà *detractores Deo odibiles*, Rom. I. 30. & contrà sparsores Libellorum diffamatoriorum. Sic inferri posset de auferente vitam liberi hominis vel uxorem alterius, & ita de reliquis, propter quod furtum propriè non dicitur de illis, sed de re quæ in possessionem cedere solita est.

Sequitur, quòd obligatus alteri ratione furti vel ratione pecuniæ mutuatæ non potest rationabiliter se reddere scienter & spontè impotentem ad satisfaciendum, vel solvendum. Patet, quia aliter peccaret contrà Legem tam naturalem, quàm divinam & humanam, de restitutione ablatorum vel debitorum solutione, & de reddendo unicuique quod suum est, & de non faciendo alteri quod sibi nollet fieri. Nec valet hìc allegatio, quòd ad frugem melioris, & altioris vitæ vult progredi, quoniam non sunt facienda mala, ut bona eveniant; *Rom.* III. 8. nec aliquis ditandus est cum jactura aliena.

Sequitur, quòd obligatus prædicto modo non vovet licitè aliquid absolutè undè reddatur perpetuò impotens satisfacere, non habita licentia vel consensu illius cui manet obligatus, vel nisi aliundè pateat probabiliter modus ad satisfaciendum; potest tamen vovere sub conditione ut quantùm in se fuerit, aut alio tali modo. Patet, quia reputaretur hoc sibi vel in fraudem vel in dolum, quemadmodùm de servis expressæ Leges conditæ sunt. Secùs ubi nescienter & quadam bona fide cognosceretur votum emittere, quod tunc apparebit dùm ad insinuationem mali protinùs respiceret.

Sequitur, quòd obligatus, ut dictum est, non est admittendus ad Professionem faciendam in aliqua Religione, nisi Religio per se vel alios se obliget ad satisfaciendum pro sic profitente. Et ita rationabilis est, & stabili Jure tàm divino, quàm naturali & humano fundata consuetudo, quæ petit à profiteri volentibus si liberi sint & à debitis absoluti. Contrà quam institutionem, si Professio quæratur fieri per fraudem vel donum profitentis, Religio manet libera, ut posteriùs eumdem abjiciat. Si autem Religio sic ipsum obligatum prece, vel pretio scienter admiserit, videtur ad solutionem obligata, Juris interpretatione, &, si facultas suppetat, ad hoc compellenda, præsertim si quicquam à profitente susceperit.

Sequitur, quòd taliter obligatus si voveat absolutè, vel profiteatur Religionem, ipse non ducitur Lege Spiritus Sancti, sicut videtur dicere Raymundus, & sui sequaces. Nec est in hoc minor ratio, immò fortè major de obligato ad personam singularem, quàm de eo qui Reipublicæ ligatus est. Patet, quia Spiritus Sanctus non instigat ad peccatum & ad furtum, & ad agendum contrà Præcepta Decalogi, vel Legis naturalis, undè & talis Professio esset oblatio Deo de furto vel rapina,

Digitized by Google

pina, & de substantia pauperis, *quasi qui victimat filium ante Patrem.* Eccli. XXXI v. 24. Et alibi. *Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus.* Mich. III. 10. Verùm est quòd obligatus Reipublicæ, vel ratione usurarum, vel aliundè, potest in casu, à gerente officium Reipublicæ absolvi, vel licentiari, sicut potest fieri de obligato sub incerto, ubi restitutio vaga quæ in pios usus habet fieri, sola requiritur. Et hic fortassis fuit intellectus aliquorum qui oppositum ad ea quæ dicimus visi sunt posuisse.

Sequitur quòd obligatus modo dicto vovens intrare Religionem debet differre voti executionem, quousque creditoribus satisfecerit. Patet, quia aliàs impletio voti vergeret tunc in deteriorem exitum, sicut dicunt Doctores de habente Patrem in necessitate constitutum, cui priùs tenetur providere de necessariis quàm votum Religionis vel emittat vel emissum adimpleat.

Sequitur quòd obligatus modo dicto plùs impeditur, stante tali obligatione, Religionem intrare, quàm obligatus alteri voto vel juramento. Patet, quia si quis jurasset spontè dare alteri centum florenos & vellet intrare Religionem, posset hoc facere non solvendo centum florenos, quia mutaret juramentum vel votum in melius. Secùs est ubi consurgeret obligatio aliundè ex furto vel pecunia mutuata. Et secundùm hoc fortè possunt concordari Doctores aliqui qui videntur contrariari in hac materia, specialiter Sanctus Thomas 2, 2. *Quæst.* ult.

Sequitur quòd obligatus ratione furti vel commodati, si non habeat undè redderet de bonis suis, tenetur per industriam, aut laborem suum, si potest acquirere unde satisfactionem possit implere, etiam ubi vivendum esset in statu longè inferiori, quàm status Religionis existat. Non enim omnium est volare ad alta montana Consiliorum, impeditis hac vel illa occasione alis ad hoc requisitis: alioquin cur non similiter poterit servus ratiociniis publicis obligatus Religionem liberè profiteri, vel ad sacros Ordines promoveri; quod tamen omnes negant, ego non satis intelligo dissimilitudinis rationem.

Sequitur quòd si neque de bonis suis, neque de industria sua poterit iste sic obligatus unquam satisfacere, vel in toto vel in parte, & hoc probabiliter appareat, ipse potest autoritate vel de licentia Judicis publici Religionem intrare. Patet, quia potest cedere bonis suis eadem autoritate, quoniam inanis esset actio quam inopia debitorum excludit. Et hoc intelligendum adhuc videtur ubi persona est libera, & ubi non currit Lex vel consuetudo quòd non habentes undè solvant, luant in corpore; quemadmodùm habemus in illa muliere cujus duos filios creditor rapuerat ad vendendum pro satisfaciendo sibi. Et sic fortè accipitur illud Sapientis. *Qui fœneratur mutuum, servus est fœnerantis.* Prov. XXII. 7. Obligatur enim talis ad laborandum etiam personaliter, ut pateat sibi facultas ad solvendum. Nec debet sibi fingere leviter quòd in laborando patiatur detrimentum salutis animæ suæ: nam in Religione forsitan ex obedientia magis habebit circà publica & malè allicienda laborem exercere. Similiter nec valet allegatio quòd liber est, & quòd persona liberi hominis non potest pecuniâ compensari, quoniam talis in casu sic se servum fecit quod non solùm potest in carcerem trudi, sed vita privari, sicut suspendia docent furtum. Rursùm notetur historia viduæ quæ venit ad Elizæum dicens: *Ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad serviendum sibi.* 4. Reg. IV. 1.

Sequitur quod si obligatus (ut dictum est) si faciat aliquid undè renuntiet bonis suæ successionis, aut si distribuat bona undè pauper & inhabilis perpetuò ad solvendum remaneat, facit quidem stultè & injustè apud Deum & secundùm conscientiam; nihilominùs apud Forum publicum poterit hæc renuntiatio seu distributio quandoque valida reputari, quia nec fertur Judicium tale nisi de manifestis, nec improbantur illic ea quæ non possunt de fraude seu dolo convinci. Et hic est laqueus valdè magnus, si talis non invenerit homines esse bonæ fidei illos quibus bona sua credendo vel donando dereliquit. Postulat tamen æquitas communis & bona fides publica, ut talis apud Judices revelationem aliquam super hac querela, si ad eos deducta fuerit, inveniat. Prima, quia talis non erat usquequàque liber, ut faceret de re sua quod volebat, cùm maneret obligatus ratione furti vel mutui. Deindè talis si Professionem attentaverit facere, non eo ipso perdidit Jus succedendi ad hereditatem Jure propinquitatis evenientem, cùm Professio nulla fuerit ipso Jure, præsertim reclamante & contradicente rationabili consuetudine Religionis sibi notificata & expressa, & ex consequenti deficiente consensu mutuo Religiosorum, quem ad hoc requiri nemo dubitaverit.

Sequitur quod si obligatus hoc modo Religionem vovet ut fraudet creditores suos; facit quidem stultè & injustè. Videtur nihilominùs eidem consulendum quod vota Religionis quantùm poterit, etiam foris manens impleat, laborando apud creditores & alios quod liber fiat mundo, ac deindè subjiciat collum suum Christi jugo. Prima pars nunc deducta est, & patet aliundè perspicua ratione, quoniam tota una Religio non debet minori gaudere Privilegio, quàm aliquis ad Religionem illam admittendus; sed Religio illa manet semper obligata ad solutionem debitorum quæ contraxit; nec excusat eum perfectio vitæ jam Professæ: ergo nec alium excusabit perfectio vitæ profitendæ. Adde quòd olim fuit error condemnatus Parisiis unius dicentis: quòd pro sustentatione unius pueri habilis ad Literas sacras, licebat spoliare divites abutentes divitiis, & dari tali pro spe proficiendi in Republica.

Vide autem si non proximus sit error dicentium quòd licitum est non solvere creditoribus debita ratione furti vel mutui, quatenùs homo transferat se ad vitam altiorem. Hoc enim quid aliud est, quàm creditores rebus suis spoliare?

Si autem dixerit aliquis; nonne talis intrando Religionem cedit bonis suis omnibus & ita satisfacit? Advertat qui hoc dicit quid est cedere bonis, & sub qua recipitur qualificatione apud Judices. Jurat enim cedens bonis suis quod si venerit aut venire poterit ad pinguiorem fortunam, solvet in toto, vel in parte, ita quod quicquid lucrari vel habere deinceps potuerit, sit acquisitum suo creditori: quod si spontè se reddat impotentem, videre facile est quod pejerat.

Talis sic obligatus si professus est Religionem quantùm in se fuit, & hoc de consensu uxoris, si fuerit uxoratus, remanet obligatus ad votum castitatis; remanet etiam obligatus modo dicto ut votum studeat ad effectum rationabiliter deducere, & interim vivat sub Regulis illius quam profiteri crediderit Religionis, quantùm circumstantiæ rerum permittere videbuntur. Æquum est prætereà ut creditores, præsertim non egentes, reddant se benevolos exorabiles ad impletionem voti sui debitoris, & rependet Deus vicem.

Finit anno 1410. crastino Annunciationis Mariæ.

Adhuc ejusdem super eodem.

PRÆSUPPOSITIS veritatibus XII. Propositionum, præcedentium, scilicet X. & XII. & aliarum decem sequentium. Præsupposito insuper casu, prout ponitur per Fratres Carthusienses cujus initium est: *Quidam Joannes olim miles sæcularis.* Et finitur; *licet de ingressu quidam dissentiant.* Dico ego Joannes Cancellarius Parisiensis indignus ea quæ sentio de hoc casu & de septem dubiis super ipso formatis.

Scan-

Digitized by Google

Scandalosè, infideliter & perversè agunt, qui circà hanc materiam scienter variant & corrumpunt, malè narrando, casûs veritatem, dum à Doctoribus responsiones vel opiniones inquirunt. Patet, quia imponunt maculam in gloria Doctorum, quantùm in eis est, & tam seipsos quàm alios in errorem ducunt. Hoc præmisi, quia vidi quædam scripta nomini meo ascripta, quæ truncatè recitata erant, ponendo partem unam, dimittendo alteram. Vidi insuper dicta quorundam Magistrorum mihi notorum, quæ nunquam fuissent ab eis posita, si casus fuisset eis taliter qualiter mihi præsentatus; præsertim in hoc quòd dicunt illum militem A posse repetere conjugem suam, nec in aliquo teneri ad Religionis observationem in toto vel in parte. Legi denique scripta quorundam quæ videntur ideò prætermissa, quia sonabant aliter quàm inquirens affectabat. Joannes miles non videtur sufficienter satisfecisse Deo & Justitiæ, dùm resignando hereditatem suam in manu fratris, non fecit hoc, petito priùs assensu suorum creditorum, vel saltem de autoritate illorum Superiorum, ut Papæ vel alterius, qui translationem poterant validare. Hoc dictum satis innuitur esse verum ex verbis ipsius dubii, dum dicitur: quòd *minùs cautè & minùs consultè*, &c. Et videtur esse contrarietas quæ mox additur: modo tamen meliori quo novit. Poterat enim modum invenire, immò modos meliores, ut vendendo totam hereditatem & statim solvendo, vel quòd de consensu creditorum fecisset dictam translationem, vel quòd de autoritate Papæ aut Principis qui ergà creditores habuissent fortè autoritatem compellendi eos consentire bonæ æquitati, ubi protervè agere voluissent; aut aliquo tali modo. Et notetur vicesima secunda propositio.

Notentur etiam Jura positiva de translationibus. Fratres Carthusienses (cum reverentia loquendo) non videntur se habuisse satis cautè & diligenter, dùm antè Professionem vel receptionem Joannis militis non interrogaverunt creditores suos, & de translatione prædicta an esset valida, non informati sunt.

Notetur decima sexta propositio. Attento eo quòd dicunt Jura ignorantiam, scilicet latam aut crassam reputari in dolum vel fraudem, videtur quòd Judex in Foro exteriori reputabit prædictos Fratres & Joannem militem cum fraude & dolo processisse, nisi sufficienter fuerit informatus ex circumstantiis certis de simplicitate & bona fide prædictorum, ut quòd poterant rationabiliter & debeant nescire modum alterum se habendi circà prædicta.

Notetur eadem propositio decima sexta. Addito illo, quòd statuunt Leges & consuetudines laudabiles Religionum, de modis examinandi aliquos si servi sunt, &c. Et quomodò post Annum vel terminum Dominus potest repetere servum, etiam ubi visus est Professionem emisisse fortè bona fide quoad Deum, ignorans Jura; nihilominùs mala fide quoad Fori exterioris Judicium. Et per hæc tria dicta videtur esse sufficienter responsum ad primum dubium secundùm duplex judicium, scilicet Fori: patet enim quòd ex circumstantiis responsio trahenda est, tam apud Deum quàm apud homines.

Attendatur præcipuè si creditores qui modò conqueruntur, fuerunt negligentes ab initio de contradicendo dictæ cessioni vel Professioni, vel si diligentes inventi sunt. Staret in casu quòd ingressus fuisset licitus, & Professio sequens nulla esset, immò invalida & cassanda. Exemplum satis trahitur ex præcedentibus, ubi quis probabiliter crederet quòd Dominus suus cujus est servus, vel creditores omnes essent mortui, aut crederet probabiliter quòd placeret eis suus ingressus, licèt falleretur; vel ubi aliqua tali ignorantia probabili laboraret per testificationem aliorum aut aliundè, qua ignorantia sic stante, Religionem ingrederetur: patet istud in casu hoc. Examinetur ergò Joannes miles cum Fratribus Carthusiensibus super ignorantia sua, modo dicto.

Si Fratres Carthusienses poterant & volebant in omnem eventum satisfacere pro Joanne milite, tunc manent obligati, nec est facta fraus creditoribus, & ita Professio valet. Si autem nec poterant nec volebant satisfacere, nec consentiebant receptioni Joannis militis, nisi sub conditione implicita, vel explicita quòd esset liber à debitis; tunc Professio non ligat Fratres, quin militem possint & potuerint expellere. Sed miles manet obligatus ad vota Religionis quandocunque, & quomodocunque potuerit illa complere, quia fecit quod in se est de vovendo. Exemplum de servo qui post reductionem ejus à Professione emissa ad Dominum suum tenetur si fiat liber, votum complere; immò etiam stante servitute ejus, tenetur ad ea quæ potest servare de votis Religionis, ut castè vivere & alia facere per quæ non læditur vel tollitur debitum Domino servitium.

Notetur vigesima quarta Propositio. Notetur hîc distinctio quòd votorum aliquod est, quod observatum nunquàm vergit in deteriorem exitum, & illud semper est tenendum. Aliud quod observatum quandoque vergeret in deteriorem exitum, & pro tunc non observandum est, sed pro alio tempore non vergeret in deteriorem exitum sua observatio, & tunc ligat. Et secundùm hoc patet quomodò votum servi obligat, & quomodò non. Et ita de milite hæc dubitatio ablata est à dictis meis aliàs, circà materiam hanc, quantùm vidi per copiam. B

Si reperiatur per sufficientem examinationem quòd Fratres Carthusienses receperunt, & detinuerunt dictum Joannem militem in fraudem creditorum, ipsi & eorum Monasterium censendi sunt obligati ad satisfaciendum creditoribus quantum possunt.

Notetur propositio decima sexta. Et secundùm hoc facile est videre quomodò dictus Joannes non potest edere carnes, nec uxorem repetere, &c. Notetur modus dispensationis quam adversarii prætendunt habuisse, qualiter in fine vult quòd redeat obligatus, &c. Stante casu nostro videtur quòd nulla spes sit in Joanne milite ad satisfaciendum creditoribus, nisi in prætendendo Jus successionis ad causam uxoris. Et cùm successionem illam possit æquè petere conversando in Monasterio Carthusiensium, per Procuratores idoneos & implorationem auxilii Superioris sicut extrà; consulendum sibi videtur quòd maneat & vivat C conversando monasticè in claustro suo pro salute animæ suæ, scandala Religionis suæ & aliorum necnon occasiones peccatorum contrà vota sua cautè declinando: alioquin videat ne amans periculum pereat in illo. Utrum verò ipse Joannes miles sit nunc habilis ad succedendum vel uxor sua, quia nihil hîc inquiritur, nihil hîc respondeo.

Notetur vigesima secunda Propositio super hac re.

Sequitur Schedula super eadem materia.

UNIVERSIS præsentes Literas inspecturis: Joannes de Bello Monte, Rector Universitatis Magistrorum & scholarium Parisiis studentium: Salutem in Domino sempiternam.

D Notum facimus quòd Anno Domini 1410. 28. die Maii, præsentata est nobis ex parte Domini Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis schedula quædam papyrea continens casum quemdam, cum responsionibus & declarationibus super dicto casu per eundem Cancellarium & alios infra scriptos sacræ Theologiæ dictæ Universitatis Professores cum subscriptionibus eorumdem per eorum manus proprias. Cujus quidem schedulæ & subscriptionum teneor sequitur in hæc verba.

„Quidam olim miles sæcularis multis obligatus de-„bitis, post cessionem omnium bonorum suorum, „quam

Digitized by Google

„quam fecit in præsentia Domini sui, ac Principis terræ, ea resignando in manus fratris sui germani ad opus & usus creditorum suorum, ipsis licet ignorantibus; sic quòd accepta à præfato fratre suo cautione promissi sub Sigillo præfati Principis & sui, quòd de præfatis bonis solvere deberet & satisfacere creditoribus ejus, videlicet militis quondam præfati: ipse & conjunx ejus abstractioris (ut asseruit) vitæ desiderio, pari se voto licentiantes, Religionem petierunt. Hæc in Monasterio Sanctimonialium, ubi A recepta, & solemniter professa, per novem ferè Annos hactenùs mansit. Ipse quoque in Monasterio Carthusiensium, ubi secundùm formam Statutorum Ordinis Carthusiensis, & in hæc verba interrogatus. Si liber es, si absolutus, si absque incurabili morbo, si denique de querelis satisfecisti? Respondit ad singula sigillatim, quòd sic. Sed adjuncto ad ultimam interrogationem modo satisfactionis, ut præmissum est suprà, videlicet via cessionis præfatæ. Ad quod Prior Monasterii respondit in hæc verba: Scias, quòd si aliquid horum de quibus interrogatus es celaveris, poteris etiam post Professionem expelli. Post hæc, secundùm formam Ordinis & Statutorum præfatorum tanquàm nudus & pauper susceptus, & solemniter professus est, minimè reclamantibus creditoribus suis, quibus pro tunc vel interim non fuerat satisfactum, & hinc per septem ferè Annos in Monasterio perseveravit. Intereà contigit fratrem præfati quondam militis infortunium quoddam incidere, ut videlicet ab hostibus suis caperetur, undè impotens videbatur factus ad exequendum quod promiserat, de satisfactione pro fratre suo milite præfato. Post hæc autem mortuus est socer ipsius quondam militis, Pater videlicet olim uxoris suæ. Undè persuadentibus quibusdam consanguineis ejus, ac propinquis, occasione, ut eis videbatur, aliquali jam habita, tanquam jure propinquitatis ac legitimæ successionis, ex parte uxoris suæ quondam præfati, Monasterium suum contrà prohibitionem Prioris sui ad petendum bona quondam soceri sui defuncti, ut indè solveret debita sua, exivit, & ad sæculum reversus habitum suum dimisit, carnes comedit, & vota Professionis suæ multipliciter violavit. Et notandum quòd in Patria illa, scilicet in terra Hollandiæ, Gelriæ, & Brabantiæ, Religiosi tales succedunt Parentibus, vel Monasteria pro eis.„

Sequitur in schedula memorata. „Præsupposita veritate casus, sicut præmissum est, quem casum sub aliis terminis quidam aliàs apud multos de Universitate Parisiensi variaverunt, dum eorum opiniones inquirerent; propter quod non est mirandum, si tunc uno modo quidam responderunt, & nunc aliam dant responsionem, quia, ejectis interim allegationibus, dicuntur ea quæ sequuntur, & quæ vera reputamus Doctores infra scripti.

„Primò: quòd miles olim de quo fit sermo, inconsultè satis Religionem ingressus, & incautè receptus est. Ex hoc præsertim, quia cessio bonorum suorum fuit incauta, neque sufficiens pro liberatione sua à manu creditorum suorum, licèt debuissent citiùs reclamasse.

„Secundò: quòd Professio quam solemniter fecit, non obstante quòd inconsultè ingressus, & incautè susceptus sit, ligat eum de Jure tam positivo, quàm divino ad vota Religionis.

„Tertiò: quòd neuter conjugum præfatorum potest alterum post divortium ex mutuo consensu, & approbatione Ordinarii celebratum, ac post Professionem desuper solemniter factam repetere.

„Quartò: quòd sicut neuter potest alterum repetere post divortium ac Professionem; sic nec bona quæ alteri eorum, sive Monasterio, ex parte personæ interim acquisita sunt seu acquiri contigerit in futurum, debent alteri, seu Monasterio ejus, tanquàm alterius conjugis coheredi deservire.

„Quintò: quòd præfatus olim miles nimis inconsultè, & inordinatè, & illicitè sic à Monasterio suo recessit, pejusque ac periculosiùs, rejecto habitu suo, foris remanet, & quòd de necessitate salutis, omni tergiversatione postposita, quantociùs reverti tenetur ad Monasterium, & sumpto habitu, sub disciplina quam professus est degere regulari. Attento præcipuè, quod manendo extrà Monasterium non est idem miles habilior ad solvendum, immo minùs, quàm intrà manendo.

„Sextò & ultimò: quòd attentis præmissis, Professio olim militis præfati quam fecit in Religione, non obviat directè & de per se obligationi priori, qua antè creditoribus extitit obligatus; & per consequens manet eis obligatus ut antè. Sic quòd si ipse, tempore receptionis suæ ad Ordinem, aliquid secum apportaverit, aut interim, aut in futurum Monasterium præfatum de bonis ejus perceperit, pro tanto saltem semper tenebitur satisfacere creditoribus Monachi sui, donec plenariè eis fuerit satisfactum.„

Sequitur in schedula:

„Sic sentio ego *Joannes de Gersono* Cancellarius Parisiensis indignus, in cujus testimonium me subscripsi in præsenti schedula propria manu. Attentis etiam additionibus circà prædicta, quas eadem manu mea scripsi. Anno Domini 1410. 21. Maii.

B „Ego *Petrus de Dyerreio* Magister in Theologia, conformiter ad Dominum Cancellarium in hac materia sentio: in cujus rei testimonium me hìc subscripsi.

„*Ego Jordanus Morini* Magister in Theologia, conformiter ad Dominum Cancellarium in hac materia sentio: in cujus rei testimonium me hìc subscripsi.

„*Ego Joannes Dachori* Magister in Theologia, conformiter ad Dominum Cancellarium in hac materia sentio: in cujus rei testimonium me hìc subscripsi.

„Mihi Fratri *Gilberto de Bunulla* sacræ Theologiæ immerito Professori, videtur quod dictus miles verè sit professus, nec potest uxorem repetere, quinimmò cogendus redire ad Monasterium, & ibidem vivere sub disciplina Regulari: in cujus signum hìc me manu propria scripsi.

„Ego Magister *Guillielmus de Xanthis* sacræ Paginæ Professor, fateor per præsentes, quòd dictus miles de quo casus suprà ponitur, verè & realiter est professus, & obligatur ad observantiam Regularem sui C Ordinis, & censendus est Religiosus, nec potest ampliùs repetere uxorem licitè; si quæ tamen debita antè ingressum Religionis dictus miles, vel ejus uxor contraxerit, dico quòd, si sit possibilitas solvendi, ipse vel ipsa tenentur, vel manualiter laborando in Monasterio, vel ex hereditate paterna quæ alicui eorum possit succedere per mortem alicujus Parentum, solvere prædictorum. Super hac materia plura possent allegari, sed dimitto causâ brevitatis: in cujus rei testimonium hanc determinationem propria manu scripsi.

„Ego *Petrus Baardi* Doctor in Theologia, conformiter ad Dominum Cancellarium, & ad alios Magistros in Theologia, qui in hac materia deliberaverunt, idem omninò ego sentio.

„Ego Frater *Stephanus* sacræ Theologiæ Professor, ac Minister sancti Maturini Parisiensis, Ordinis D sanctæ Trinitatis & Redemptionis captivorum, conformiter cum opinione Magistri *Joannis de Gersono* Cancellarii Ecclesiæ Parisiensis delibero: in cujus rei testimonium signum meum manuale hìc apposui. Anno 1410.

„Ego *Petrus de Nogento* Magister in Theologia, sentio debitum & salubrè, ut miles olim Professus recedeat ad Religionem sub observantia Regulari, manens nihilominùs creditoribus, ut præmittitur, vel Conventus pro eo, hæc propria manu.

Digitized by Google

„Ego *Petrus de Arreth* Magiſter in Theologia, „conformiter ad Dominum Cancellarium præfatum in „hac materia ſentio, ſtante veritate caſus eo modo quo „poſitus eſt in folio præcedenti, unà cum quibuſdam „circumſtantiis mihi per fide dignos oretenus expreſ- „ſis, utpote quòd ceſſio bonorum, ingreſſus Religio- „nis amborum conjugum, & diuturna eorum manſio „in præfatis Religionibus non latebant creditores, ſed „eis nota erant hæc omnia, neque pro tunc reclama- „bant, quòdque etiam bona dictorum conjugum, ſi „fuiſſent debitè collecta, conſervata & diſtributa, vi- „debantur ſufficere ad ſatisfaciendum creditoribus infrà „ſatis competentes terminos.

„Mihi *Dominico Parvi* ſacræ Theologiæ indigno „Profeſſori videtur, ſalva omni correctione, ac dicti „olim militis reverentia, quòd ipſi militi nunc aſſeren- „ti ſe fictè intraſſe Religionem ad finem talem vel ta- „lem, non eſt credendum, nec ipſe licitè illam Reli- „gionem ſic egredi potuit, ſicut de facto egreſſus eſt, „& ultrà quòd nec etiam uxorem, & bona ſucceſſionis „ſuperiùs tactæ poteſt licitè repetere, ſeu retinere, no- „minè proprio: ſcriptum manu propria.

„Ego *Matthaeus Roedor* ſacræ Theologiæ Profeſſor „indignus, ſuppoſita veritate caſus præmiſſi, & cir- „cumſtantiarum ejuſdem in forma qua ponuntur, ſen- „tio conformiter ad deliberationem Domini Cancella- „rii ſuprà poſitam: in cujus rei teſtimonium hanc de- „liberationem meam propria manu ſcripſi, & nomine „meo ſignavi. „

In quorum teſtimonium nos Joannes Rector Uni- verſitatis præfatæ præſentes Literas Sigilli Rectoriæ di- ctæ Univerſitatis appenſione duximus muniendas. Anno & die quibus ſuprà. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Pariſienſis

PROPOSITIONES SUPER ESU CARNIUM APUD RELIGIOSOS SANCTI BENEDICTI.

Super Eſu Carnium apud Religioſos Sancti Benedicti tres breviter propoſitiones offeruntur: vigeſima Auguſti Menſis. 1428.

Collat. ad MS. Cod. Victorin. 137. *in quo habetur præſens epigraphe cum nota temporis.*

ESUS Carnium in multis Religionibus Ordinis ſancti Auguſtini, & Benedicti, poteſt eſſe licitus & expediens, & hoc vel ex periculi deterioris evitatione, ſecundùm parabolam Chriſti de utribus veteribus & vino novo, de commiſſura panni rudis. *Matth.* IX. 16. cum veteri; aut ex diſpenſatione, vel interpretatione Papæ, cui Religionum Statuta ſubduntur; aut ex tolerata per eum, vel aliundè approbata conſuetudine; aut ex ingredientium & noviter profitentium primaria in obligando ſe intentione, quia videbant ſcilicet ita fieri, neque reprehendi: alioqui non voviſſent ſcientes, quòd *diſplicet Deo ſtulta, & infidelis*, quæ ſcilicet non impletur, *promiſſio*. Eccle. v. 3.

A Eſus carnium in multis Religionibus Sancti Benedicti tolerabilior in nonnullis eſt apud utentes, quàm ſit apud quoſdam de non eſu gloriatio contrà non utentes tali abſtinentia; maximè dum hoc faciunt, vel utentes dijudicando, temerèque damnando, aut ex Phariſaïca ſingularitate, aut ex conſcientiæ contrà conſcientiam nimia ſcrupuloſitate, aut fortaſſis in dubium de Papæ, vel Superiorum poteſtate, vel imprudentia, & indevotione. Convenit aliquando talibus illa maledictio: *Væ vobis, qui decimatis mentham, & cyminum & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis*, Matth. XXIII. 23. ut graviùs apud tales puniretur cucullæ dimiſſio, quàm fraternum & patens odium, detractio, vel improprium, fraus, & perjurium.

Eſus Carnium, ſicut & tranſgreſſio, vel non obſervatio Conſtitutionum omnium regularium ſi aſſeratur ab aliquibus Religioſis eſſe generaliter, & paſſim peccatum mortale; ſic aſſerentes temerarii ſunt, crudeles & impii contrà ſanctos Fundatores Religionum, & Succeſſores eorum: ſunt inſuper inciviles, neſcientes

B cum prudentia diſtinguere tempora, ætates, mores, & loca, cum ceteris circumſtantiis. Porrò ſi tales inducunt, recipiunt, aut recipi conſentiunt & dant conſilium ad ingreſſum Religionum in quibus eſt communis uſus carnium, abolitio præstereà, vel obſervatio non magnæ partis Conſtitutionum Regularium, tales, inquam, incidunt in illam maledictionem Chriſti, *Væ vobis qui circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum*, &c. Matth. XXIII. 15.

Aſſerere poſtremò, quòd Abbates & Superiores Religionum poſſint de quocumque licito, vel ordinato in Religione facere Præceptum obligans ad mortale peccatum pro omnibus ſubditis ſuis, paſſim, & univerſaliter; hoc eſt temerarium, ſtultum, & impium, neque in omnibus Regula tradi, neque ſub arte conſtitui: ſunt enim particulares caſus infiniti, undè nec medium virtutis ab Ariſtotele traditum eſt taliter, quàm prout, inquit, ſapiens judicabit. Eſſet autem in materiâ præſenti ſapiens Judex, immò potens Deciſor

C Dominus noſter Papa, ſi de communi aſſenſu Monaſteriorum Ordinis ſancti Benedicti foret examinata priùs per eoſdem poſtulatio per concordi, ſtabilique Conſtitutione ſervandorum, ſchiſmate propulſato.

Sunt hæc dicta ſub Papæ judicio, non in approbationemguloſæ voracitatis, non in condemnationem abſtinentis devotionis, ſed pro teſtimonio veritatis. Sunt pridem poſitæ tres Propoſitiones de non eſu carnium pro Carthuſienſibus, ſunt & pro tertia Propoſitione hic poſita multò latiùs pertractata à Joanne Cancellario Pariſienſi.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

EXHORTATIO AD CONSTANTIAM SUSCEPTI PROPOSITI,

cuidam Novitio Carthusiensi directa.

De novo edita ex MS. Cod. Victorino 285.

CAPITULUM I.

Increpatur Novitius, qui cùm fervidus Religionem intrasset, tepidus cupit ad priora reverti.



ILECTISSIMO in Christi visceribus Fratri. Frater, &c. Gaudere in Domino semper. Exiit sermo inter Fratres, quòd tuam velis deserere collectionem & per aliam viam reverti in regionem tuam. Atque utinam, mi Frater, peregrè non proficiscaris in Religionem longinquam, in qua cupias de siliquis porcorum ventrem implere; quippe qui repletus priùs pro panibus te locaveris. Si enim descenderis de Jerusalem in Jericho, ut illa quæ præterit figura hujus mundi, tuæ inopiæ sit supplementum, etiam cum dederis pretiosa quæque pro cibo ad refocillandam animam: væ, væ, quia semper eris egestate & fame sterilis, & appendes argentum tuum non in panibus, & laborem tuum non in saturitate. Quàm subitò mutatus es in virum alterum, non planè mutatione dextræ Excelsi, sed velut stultus qui ut luna mutatur, & nunquàm in eodem statu permanet. Quâ enim re apud nos indiges, ut quæras ire ad terram tuam, ut rursùm fodias tibi cisternas dissipatas non valentes continere aquas, quasi scilicet nequeas haurire aquas in gaudio de fontibus Salvatoris; cùm è contra ad manum habeas fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam. Si recordaris piscium quos in Ægypto comedebas gratis, dum sederes super ollas carnium, comedens pinguia & bibens mulsum: non ignoras Frater, scienti enim Legem loquor, quòd *Regnum Dei non est esca & potus.* Rom. XIV. 17. Quòd si satanas ostenderit tibi omnia Regna mundi, & gloriam eorum, certè hæc omnia arbitrari debueras ut stercora, ut Christum lucri faceres; dicens ei: *Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram?* Ps. LXXII. 25. Forsitan gravaris portare pondus diei & æstus, præsertim cùm difficile sit carnem suam crucifigere cum vitiis & concupiscentiis, ac per multas tribulationes intrare in Regnum Dei. Scrutare ergò Scripturas, & require diligenter in Libro Domini, qui continet sermones rectissimos, ac veritate plenos, ut noveris, quia *si compatimur, & conregnabimus.* 2. Tim. II. 12. Quàmvis enim *malum est, malum est,* dicat *omnis emptor, tamen cùm recesserit, gloriabitur,* Prov. XX. 14. cùm id momentaneum & leve tribulationis nostræ reddet mensuram coagitatam & superefluentem. Quia reverà *non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Rom. VIII. 18. Non solùm autem, sed in præsenti sæculo nequam *juxtà est Dominus his qui tribulato sunt corde,* Ps. XXXIII. 19. ut sicut abundant passiones Christi in ipsis, ita & per Christum eorum abundet consolatio. 2 *Cor.* I. 5. Rememorare autem pristinos dies, in quibus illuminatus magnum certamen sustinuisti passionum, *Hebr.* X. 32. quando scilicet in manu potenti & brachio excelso eduxit te Dominus de Ægypto, conterens catenam cervicis tuæ, ut erectus incederes. Recole, inquam, quot adversis, cùm zelus domus Dei te comederet, plagatus fueris in domo eorum qui diligebant te, qui utique æmulantur te non benè: Quoniam *Inimici hominis domestici ejus.* Matth. X. 36. Cùmque decrevisses in proposito cordis permanere in Domino, *magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati jocunditatem habere:* Heb. XI. 25. Bonus Dominus & confortans in die tribulationis, effudit frameam adversùs eos qui te persequebantur, dixitque tibi: Nihil horum timeas quæ passurus es, quia *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Gen. XV. 1. Tunc immissum est in os tuum Canticum novum carmen Deo nostro; & dicebas: Lau-

Laudate Dominum, cantate Domino, quia liberavit animam pauperis de manu malorum. Currebas benè: quis te fascinavit, ut pro nihilo haberes terram desiderabilem, & cum uxore Loth post tergum respiceres, dicens, *Vanus est qui servit Deo*; Malach. III. 14. Fateor, inhorruerunt pili carnis meæ, ut auditum est, & celebri sermone vulgatum, quod homo fervens spiritu, & potens in Scripturis, caput haberet languidum & cor mærens; adeò ut tepidus inciperet evomi ex ore Dei.

Capitulum II.

Qualiter spiritus erroris ei ad memoriam reducit dona quæ accepisse in priori Ordine videbatur.

Verùm is qui sagittat in obscuro rectos corde, & de industria dissolvit cor virorum bellantium qui remanserunt in civitate, ne possint manus eorum implere quòd cœperant; attendens quòd pigrum dejiceret timor, irretivit eum multis sermonibus, ut magis ac magis illic trepidaret timore ubi non erat timor. Cùm enim paulatim tædere cœpisset cor tuum itineris, & laboris, stetit quidam coram oculis tuis, cujus vultum non agnoscebas; habens quidem speciem pietatis, sed virtutem ejus abnegans, cùm sit inimicus omnis justitiæ, non desinens subvertere vias Domini rectas: qui fictis verbis de te negotiari quærens, intendit rapere pauperem dùm attrahit eum, & jam jamque exultans sicut victor captâ prædâ quùm dividit spolia dicit: *Deus dereliquit eum*, Ps. LXX. 11. persequar & comprehendam illum; nam invenitur apud eum, est & non; quia *vult & non vult piger*, Prov. XIII. 4. nec est perfectus in eodem sensu & in eadem sententia. Quia enim ignorat quàm *optimum* sit, *gratiâ stabilire cor.* Hebr. XIII. 9. similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur, ita ut terreat eum sonitus folii volantis. Denique si credit innocens omni verbo, nonne doctrinis variis & peregrinis protinùs abducetur. 3. *Reg.* XXII. 22. Igitur egrediar, & ero spiritus mendax in aure ejus, & terrebo eum per somnia; vel certè loquar ei verba pacifica in dolo, si fortè vana persuasione delusus, iterùm convertatur ad infirma & egena elementa mundi, & spontè consentiat habitare mecum. O plene omni dolo & fallacia! frustrà iniquitatem meditatus es in cubili tuo, quoniam ponet Dominus frenum in maxillis tuis, & reducet te per viam quâ venisti, nec implebis ventrem tuum teneritudine fructus quem expetisti, ut eum cribrares sicut triticum. Ecce vir bone, quonammodò ille qui *circuit quærens quem devoret*, 1. Pet. v. 8. qui *insidiatur quasi leo in spelunca sua.* Ps. Hebr. x. 9. ecce quomodò posuit velamen super faciem suam, & abscondit vultum suum ne quis contempletur eum. Transfiguravit enim se in Angelum lucis, depingens oculos suos stibio, & ostendit tibi viam quæ *videtur homini* bona, *sed novissima ejus ducunt ad mortem.* Prov. XIV. 12. Nam ut tua testatur Epistola quæ scitur, & legitur ab omnibus, tua defensio apud eos qui te interrogant, hæc est:

„Ecce in priori Monasterio meo, in quo segregaverat me Dominus ex utero servum sibi, olim consistens garrulus eram, & vagus, ac quietis impatiens, „curamque carnis faciens in desideriis vivebam sine „Lege, aliquando transgrediens terminos antiquos „quos posuerant Patres mei, & erat sicut populus sic „Sacerdos. Deus autem qui dives est in mesericordia, vinctum suum non despexit, sed operi manuum „suarum porrexit dexteram, & sæpiùs etiam tunc visitavit me oriens ex alto. Dum enim medium silentium tenerent omnia, quando solet sopor occupare „homines, & dormiunt in lectulo, tunc ut minùs sapiens dico. Media nocte surgebam ad confitendum „Deo, & clauso cubiculo orabam Patrem in abscondito: recogitabam tunc omnes Annos meos in amaritudine animæ meæ. Sed & tunc *Annos æternos in* „*mente habui*, Ps. LXXVI. 6. qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita: Tuncque lavabam per singulas noctes lectum meum, fugiens à gemitu cordis mei super omnes abominationes quas operari solet impius, in quibus sequutus fueram cogitationes „meas, & oculos per res varias fornicantes. O quotiens illo in tempore Deus mollivit cor meum, ut „fieret tamquam cera liquescens in medio ventris mei, „& erumpebant lachrimæ, nec poteram me continere. Et hinc quidem vermem qui non moritur, & „ignem qui non extinguitur pertimescens, hinc verò „ad delectationes quæ sunt in dextera Dei usque in „finem anhelans, eratque *nox* illa *illuminatio mea in* „*deliciis meis.* Ps. CXXXVIII. 11. Et quamvis propter „hoc non desererem adinventiones meas, & viam durissimam per quam ambulare consueveram; nihilominùs misericors & miserator Dominus; *dissimulans* „*peccata hominum propter pœnitentiam*, Sap. XI. 24. illâ „horâ cibabat me pane lachrimarum & secundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes ejus lætificabant animam meam. Tandem considerans quàm vilis factus essem nimis iterans vias meas, „proposui ambulare de virtute in virtutem, ut charitas „mea magis ac magis abundaret, & probarem potiora. „Sed & vota quæ distinxerant labia mea eo tempore „Domino reddere disposui, sciens quod ei multùm „displiceat *infidelis & stulta promissio.* Eccle. v. 3.

Capitulum III.

De duritia mentis quam patitur, & propter hoc ad Religionem pristinam remeare deliberat.

„Hujus rei gratia exivi de terra & cognatione „mea, priore scilicet Ordine meo, qui me per „Evangelium in Christo genuerat, & veni in hoc loco horroris & vastæ solitudinis. Nam & arbitratus „sum frustrà, errore deceptus, quod in loco pascuæ „me Dominus collocasset, ubi confestim sicut adipe & „pinguetudine devotionis repleretur anima mea, & in „via testimoniorum Dei delectarer, sicut in omnibus „divitiis. Si enim devotio quamquàm non invenitur in terra suaviter viventium, quantò magis apud „eos, qui propter verba labiorum Dei custodiunt vias „duras; dicentes ei: *quia propter te mortificamur tota die.* „Rom. VIII. 36. Cùm ergò consilio scientium Leges & „Jura majorum cœpissem in hac Religione mortificare „membra mea quæ sunt super terram; in laboribus plurimis, in jejuniis multis, in fame & siti, in frigore & „nuditate; protinùs *versa est in luctum cithara mea*, „Job. XXX. 31. & clamavi vexatus à tribulatione malorum & dolore; *Seduxisti me, Domine; & seductus* „*sum*, Jerem. XX. 7. nam confusus sum ab expectatione mea. Quùm *expectabam bona & venerunt mihi* „*mala.* Job. XXX. 26. Induratum est enim cor meum „sicut lapis, & cœlum quod super me est fit æneum; „adeò ut nec ros nec pluvia veniant super me, eo „quòd Dominus declinaverit in ira à servo suo. Vereor ne callidè eduxerit me Dominus de Ægypto ut „in terra desertâ & inviâ & inaquosâ non sit qui refrigeret linguam meam; dùm crucior in hac tentationum flamma. Usque quò, Domine, clamabo & „non exaudies, & avertes aurem tuam à singultu meo „& clamoribus: *Ut quid, Domine, repellis Orationem* „*meam, avertis faciem tuam à me*, Psal. LXXXVII. 15. „cùm idcircò verba mea dolore sint plena. Quare, „qui semper pluis super justos & injustos, nunc continges in ira tua misericordias tuas, undè & ego sicut „fenum arui. Rorate Cœli desuper & nubes pluant „imbrem, & qui terram arentem & australem dedit „mihi,

Digitized by Google

„ mihi jungat & irriguam aquis; ut seminans in lachry-„ mis, in exultatione metam. *Væ misero mihi, quia* „ *addidit Dominus dolorem dolori meo*: Jerem. XLV. 3. „ & *conscidit me vulnere super vulnus*. Job. XVI. 15. „ Quandoquidem expectavi pacem & non venit, & „ tempus devotionis, & ecce tentatio. Nonne me-„ lius est reverti in Ægyptum quàm mori in hac va-„ sta solitudine, in qua homines errantes proficiunt in „ pejus, & secundùm duritiam suam & cor impœni-„ tens thesaurisant sibi iram. An putatis quòd inani-„ ter Scriptura dicat: *Non est bonum esse hominem so-*„ *lum*; Gen. II. 18. & rursùm: *Væ soli! quia cùm ce-*„ *ciderit, non habet sublevantem se*. Eccle. IV. 10. *Quis* „ ergò *mihi tribuat, ut sim juxta menses pristinos. Quan-*„ *do secretò Deus erat* mecum *in tabernaculo meo*? Job. „ XXIX. 2. 4. Quando plorans plorabam in nocte, & „ dirigebatur Oratio mea sicut incensum in conspectu „ Dei; itaque de cetero nemo mihi molestus sit si re-„ vertar in domum meam undè exivi, quia melius „ mihi erat tunc magis, quàm nunc. An solitariorum „ Deus tantùm? nonne & omnium? prorsùs *dives* „ est *in omnes qui invocant illum*, Rom. X. 12. & nihil „ odit eorum quæ fecit; *Sap*. XI. 25. *cùm æqualiter sit* „ *ei cura de omnibus*: Ibid. VI. 8. *Domini est terra, &* „ *plenitudo ejus*. Ps. XXIII. 1. ita ut neque Jerosolymis „ neque in monte hoc tantummodò adoretur Pater: „ scilicet in omni loco dominationis ejus. *Qui adhæ-*„ *ret Domino unus spiritus est cum eo*: 1. Cor. VI. 17. „ Ceterùm hæc *corporalis exercitatio ad modicum utilis* „ *est*; 1. Tim. IV. 8. licèt per eam nonnulli frustrà ar-„ bitrentur *obsequium se præstare Deo*: Joan. VI. 2. *Pie-*„ *tas autem*, vel devotio, *ad omnia valet, promissionem* „ *habens vitæ quæ nunc est & futuræ*. 1. Tim. IV. 8. Nam „ *in dextera ejus longitudo vitæ, & in sinistra illius divi-*„ *tiæ & gloria*, Prov. III. 16. Porrò si ego jejunave-„ ro bis in Sabbatho & non comedam carnem in æter-„ num; si voluero *quasi circulum contorquere caput* „ meum, *& saccum & cinerem sternere*. Isaiæ LIX. 5. „ Si postremò *tradidero corpus meum ita ut ardeam*: „ *charitatem autem* & devotionem *non habuero, nihil* „ *mihi prodest*. 1. Cor. XIII. 3. quia reverà *cor durum ma-*„ *lè habebit in die novissimo*. Eccli. III. 27.

Capitulum IV.

Reprehenditur Novitius, qui peccatum suum excusat, & qui vult facere mala, ut veniant bona: & quàm inanis sit gratia lachrymarum.

Hucusque, mi Frater, illa tua explicaverim perisomata quæ ex foliis ficûs tibi inaniter consuisti in similitudinem prævaricatoris Adæ. Utique ad *excusandas excusationes in peccatis*, Ps. CXL. 4. *ut non appareat confusio nuditatis tuæ*. Apoc. III. 18. *Adam ubi es*? Gen. III. 9. Noli abscondere ut homo peccatum tuum, magis autem da gloriam Deo, & confitere atque indica ei quid feceris; ut confessionem & decorem indutus amiciaris lumine sicut vestimento. O si scires donum Dei! cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum qui sponte confitentur adversùm se injustitiam suam Domino. Cur itaque involvens sententias sermonibus imperitis, occasionem quæris volens recedere ab amicis, qui tàm humaniter vulneribus tuis infuderunt oleum & vinum; & si potuisset fieri, oculos suos eruissent & dedissent tibi. Utinam potiùs aperires iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocares, dicens: *Domine, miserere mei, sana animam meam quia peccavi tibi*. Ps. XL. 5. *si enim laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith*, Jerem. II. 21. & narrare volueris *si quid habes ut justificeris*. Isaiæ XLIII. 26. *frustrà componeris*: Jerem. IV. 30. *non secundùm visionem oculorum judicabit* Dominus: Isai. XI. 3. *Ipse enim novit abscondita cordis*. Psal. XLIII. 22. & idcirco non opus est ut ei testimonium perhibeat quis de homine. Nunquid *existimas quod tu effugies Judicium Dei*: Rom. II. 3. *aut decipietur, ut homo* tuis *fraudulentiis*, Job. XIII. 9. cùm *omnia nuda & aperta sint oculis ejus*. Hebr. IV. 13. non solùm autem; sed & conscientia tua super hoc dijudicatur ab omnibus, convincitur ab omnibus, & si perseveraveris confirmare sermonem, erit subsannatio & illusio his qui in circuitu tuo sunt omnibus clamantibus, quod *frons meretricis facta est tibi*, Jerem. III. 3. quæ nec Deum timet nec hominem reveretur. Quid ergò niteris ostendere bonam viam tuam, atque in superbia & in abusione ad tuum sensum inflectis *eloquia Domini, eloquia casta*. Ps. XI. 7. cum non intelligas, de quibus loqueris, & de quibus affirmas. At cùm esses parvulus non mirum, si sapiebas aut loquebaris ut parvulus; siquidem *parvuli* diligunt *infantiam & ea quæ sibi noxia sunt cupiunt*. Prov. I. 22. Nunc verò cùm exercitatos habeas sensus ad discretionem boni & mali; & insuper sacras Litteras ab infantia didiceris: mirum, immò opus risu dignum est, quòd malum manuum tuarum dicis bonum, & existimasti iniquè quòd Deus erit tui similis, qui omnem viam iniquam odio habuit. Quàm meliùs non cognovisses litteraturam, & esses homo idiota & sine litteris, quia non acciperes Testamentum Dei per os tuum, neque adulterares verbum Dei: vide, ne fortè multæ litteræ ad insaniam te convertant, & te seduxerit qui *consiliarios adducit in stultum finem*, Job. XII. 17. Redi ergò, ô prævaricator, redi ad cor & audi vas electionis Paulum; puto enim, quòd & ipse spiritum Dei habeat, viam Dei in veritate docens; & *non (sicut blasphemamur*, inquit Rom. III. 8. *& sicut aiunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio justa est*. Heu! heu! mi Frater, *& tu de illis es, nam loquela manifestum te facit*. Matt. XXVI. 73. Qui cupis reverti in Ægyptum ut benè sit tibi, malumque non videas. Si enim ea quæ destruxisti iterùm reædificas, hac videlicet ratione, ut ubi abundavit delictum superabundet & gratia, & qui nunc in croceis versaris, rursùm amplecti vis stercora; ut sint tibi lachrymæ tuæ panes die ac nocte; nomine clamas, non verbo, neque lingua, sed opere & affectione: *Faciamus mala ut veniant bona*. Rom. III. 8. Ex quo ergò beatos dicimus arrogantes, & *benè est omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt*. Jerem. XII. 1. permaneamus *in peccato ut gratia abundet*. Rom. VI. 1. Ducamus in bonis dies nostros, & *non prætereat nos flos temporis*, Sap. II. 7. Quandoquidem juxtà sensum tuum, omnis qui malum facit bonus est in conspectu Dei, & tales ei placent; dummodò studeant lachrymis rigare pedes ejus. *Surge qui dormis*, surge, Frater, *& illuminabit te Christus*. Ephes. V. 14. inungens *collyrio oculos tuos ut videas*; Apoc. III. 18. quia *persuasio hæc non est ex eo qui te* vocavit; *Galat*. V. 8. sed caro & sanguis revelavit tibi, illo mediante, cujus *invidiâ mors introivit in Orbem terrarum*. Sap. II. 24.

Esto: ad tuos ire cupis & desiderio tibi est domus prioris Ordinis tui, ut flens largiter coram Domino dulciùs sapias, *quæ sursùm sunt non quæ super terram*. Coloss. III. 2. Si ergò ut confidis, deduxerint oculi tui lachrymas per diem & noctem, ita ut facies tua intumescat à fletu & gustaveris bonum Dei verbum particeps effectus Spiritûs sancti. *Certus esto, quòd pro his omnibus adducet te Deus in Judicium*, Eccle. XI. 9. quia *cui multum datum est, multum quæretur ab eo*. Luc. XII. 48. Etenim si post acceptam notitiam veritatis prolapsus fueris, rursùm Filium Dei crucifigens, & *spiritui gratiæ contumeliam* faciens *Heb*. X. 26. 29. tamquàm *canis reversus ad suum vomitum*. 2. Petr. II. 22. Jam scito prænoscens, quòd prodiet ex adipe iniquitas tua, ponesque adversùs Deum mala pro bonis, & odium pro dilectione sua: Porrò *unus ædificans & unus destruens, quid prodest illis nisi labor*? Eccli. XXXIV. 28.

Digitized by Google

Vis autem scire, ô homo inanis, quòd fides sine operibus etiam multùm lachrymans otiosa est? Jac. II. 20. 28. Audi quid super hoc expressum est in Scriptura veritatis quæ sicut non veretur magnitudinem cujusquam; ita nec pauperis miseretur in Judicio: puto illic reperies chirographum decreti, quod est contrarium tibi; ut sit ibi contrà te in testimonium, & ultrà excusationem non habeas de peccato tuo. *Qui baptizatur à mortuo*, inquit, & *iterùm tangit mortuum, quid proficit lavatio ejus? sic homo qui jejunat*, & deflet pro peccatis suis, *& iterùm eadem faciens, quid proficit humiliando se? Orationem illius quis exaudiet?* Eccli. XXXIV. 30. 31. Puto, mi Frater, hujusmodi hominem frustrà operire Altare Domini lachrymis, fletu & mugitu: quia *qui avertit aurem suam, ne audiat Legem, oratio ejus erit execrabilis.* Prov. XXVIII. 9. Ceterùm *qui cultor Dei est & voluntatem ejus facit hunc exaudit*; Joan. IX. 31. quamvis nondum cœperit flare spiritus ejus ut fluant aquæ.

Capitulum V.

Quomodò Dei dona propter eorum abusum & ingratitudinem in perniciem hominis convertuntur.

AD hoc fortasse tumens cum jurgio dicis. Ecce *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursùm est descendens à Patre luminum.* Jac. I. 17. Et hoc quoque promisit qui non mentitur Deus, quia auferet cor lapideum de carne nostra, & dabit nobis cor carneum *Ezech.* XI. 19. ut convertatur duritia captivitatis nostræ; sicut torrens in Austro. Quare ergò divitias bonitatis Dei contemnis, dicens, quòd homo cujus capiti dedit Deus aquam & oculis suis fontem lachrymarum modicam habet virtutem? Scio, fili mi, scio. Intellige priùs, & sic loquamur; *Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum*, 2. Tim. II. 7. *Non abjicio gratiam Dei*; Gal. II. 21. nec dico: *mensa Domini despecta est*; Malach. I. 7. cùm viscera ejus plena sint adipe, & adeò ejus panis confirmet cor hominis, ut omnia quæ desiderantur huic non valeant comparari. Quid ergò ampliùs est devoto, quàm duro? Aut quæ utilitas compunctionis? Multùm per omnem modum; si tamen audierit vocem de cœlo dicentem sibi. *In mente habe qualiter acceperis, & audieris, & serva.* Apoc. III. 3. non enim inveniet indulgentiæ locum, quamquàm cum lachrymis inquirat eum; si vultus ejus fuerint ampliùs in diversa mutati. Quid autem proficit lachrymis lavisse pedes suos, si iterùm inquinaverit illos, ut rursùm exultet in rebus pessimis, cùm omnis talis exultatio maligna sit? Timeo, ne dederit ei Deus spiritum compunctionis, oculos, ut non videat; dicaturque de eo: *Curavimus Babylonem & non est sanata*; Jerem. LI. 9. quia scilicet ad tempus credidit & in tempore tentationis recessit. Sanè *nemo se seducat*, dicens, *se esse aliquem magnum*, Act. VIII. 9. cùm accepit à Deo, *qui dat omnibus affluenter, & non improperat* Jac. I. 5. ut sit *initium aliquod creaturæ ejus.* ℣. 18. Cùm enim Deus Pater *Solem suum oriri* faciat *super bonos & malos*; Matth. V. 45. ita ut non sit qui se abscondat à calore ejus, non in hoc cuiquam reposita est corona Justitiæ, quòd aliquid boni cœpit ædificare nisi potuerit consummare. Itaque non potest homo quicquam accipere, nisi datum fuerit ei de cœlo; sed oportet ut sit de sollicitudine non piger, ne acceptum talentum abscondat in terra. Atque utinam, sicut veraciter in voce exultationis & confessionis dicimus Deo: *Omnia opera nostra operatus es nobis*, Isaiæ. XXVI. 12. Ita obediamus *ex corde in eam formam doctrinæ*, quâ dicitur; *hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. VI. 1. Utinam non inveniatur nobis donum quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Si, quod absit, postquàm sensimus de Domino in bonitate & cibaverit nos ex adipe frumenti, non sicut Deum glorificaverimus, aut gratias egerimus; sed qui nobis blandientes, quoniam *misericordiâ Domini plena est terra.* Ps. XXXII. 5. rursùm ambulaverimus vias non bonas & post peccata nostra. Panem quidem Angelorum manducat homo, sed væ ei, si *panis illius in utero ejus vertatur in fel aspidum intrinsecùs*, Job. XX. 14. sicut contigit illis qui reversi sunt cordibus suis in Ægyptum, qui semper revertebantur, dùm ambularent, *quorum cadavera prostrata sunt in deserto*, Hebr. III. 17. *in exemplum justi Judicii Dei*; 2. Thess. I. 5. Non enim illis profuit manducasse *panem de cœlo omne delectamentum in se habentem*, Sap. XVI. 20. pro eo quod *obliti sunt benefactorum* Dei, *& mirabilium ejus, quæ ostendit eis.* Ps. LXXVII. 11. & noluerunt recipere disciplinam. Hinc est, quòd post buccellam à Domino Judæ traditam *introivit in eum Sathanas.* Luc. XXII. 3. ut noverimus, quod carnes sanctæ auferunt à nemine malitias suas. Verum cùm diù sustinuerit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ille qui benignus est super ingratos & malos, tandem usque ad novissimum quadrantem repetet ab eis quod suum est cum usura; nec relinquet in eis lapidem, super lapidem, eo quod non cognoverunt tempus visitationis suæ. *Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam oportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas & tribulos, reproba est & maledictioni proxima, cujus consummatio in combustionem.* Hebr. VI. 7. 8. Quid enim debuit illis facere & non fecit, quos tamquam filios enutrivit & exaltavit; ipsi autem spreverunt eum, & quasi de industria recesserunt ab eo, ut inveniatur iniquitas eorum ad odium? Vide ergò bonitatem & severitatem Dei; in eos quidem qui cum spiritu cœperint carne consummantur, severitatem: in te autem bonitatem, si prout velle cœpisti ab Anno priore ita & nunc facto perfeceris; ut oblitus quæ retrò sunt ad anteriora fideliter te extendas: alioquin & tu excideris, omnesque justitiæ tuæ non recordabuntur, eo quod neglexeris in sacrificio tuo cum capite caudam offerre, perseverando scilicet usque in finem, ut salvus fieres. Nam *divitias*, quas devorasti evomes, *& de ventre tuo extrahet eas Deus.* Job. XX. 15. *& derelinquetur filia Sion sicut umbraculum in vinea & sicut tugurium in cucumerario*, Isaiæ. I. 8. Quare reverà meliùs est viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitam retroire.

Capitulum VI.

Ad suos optat redire Novitius, ut sit aliis in exemplum; sed in hoc magno se committit periculo.

QUID ergò dicemus ad hæc? Accedens ad servitutem Dei stabis ne in justitia & timore, præparans animam tuam ad tentationem. *Eccli.* II. 1. An permanebis in peccato ut gratia abundet? Absit, inquis, absit hoc à me, non cogitavi hoc, nec ascendit super cor meum, ut qui mortuus sum peccato, adhuc vivam in illo: absit, inquam, ut configuratus prioribus ignorantiæ desideriis, serviam denuò operibus duris luti, & lateris, sicut gentes quæ ignorant Deum. Magis autem ambulans in via immaculata, æmulabor charismata meliora, & continens me ab omni re mala, non declinabo ad dextram, vel ad sinistram; incedendo in omnibus Mandatis & Justificationibus Domini sine querela. Cùm enim reversus fuero prosperè in domum Patris mei, super custodiam meam stabo, & diligenter observabo me ab iniquitate mea, abjiciens opera tenebrarum, & induens arma lucis; sed & plura faciam

Digitized by Google

ciam secundùm exemplar quod mihi in monte hoc monstratum est, ita ut opera mea novissima plura sint prioribus, & omnis plebs ut videbit, dabit laudem Deo: undè & fratres nostri, à quibus desolatus fui ad tempus, ore, aspectu, non corde, cùm viderint, quòd is nunc evangelisat, & observat Regulam, quam aliquando expugnabat, in me clarificabunt Deum qui dedit potestatem talem hominibus; & quoniam *Regnum Dei non est in sermone, sed in virtute*, 1. Cor. A
IV. 20. dabo voci meæ vocem virtutis, provocando eos ad meliora & vicinora saluti. Non sicut illi, qui *alligant onera gravia & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere*, Matth. XXXIII. 4. sed sicut *cæpit Jesus facere & docere*. Act. I. I. ita in omnibus præbebo meipsum exemplum bonorum operum. Eia Frater, nunquid excidit tibi quòd *omnis homo primum bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint id, quod deterius est*, Joan. XI. 10. *Draco ille qui seducit orbem universum*, Apoc. XII. 9. & XVII. 2. qui *de vino prostitutionis Babylonis meretricis magnæ* inebriat omnes gentes, nunc quidem ad te *blandè ingreditur, sed novissimè mordebit ut coluber*. Prov. XXIII. 31. An ignoras, quod non sit similis ei in augurianidi scientia, quippe qui *callidior est* ceteris *animantibus*, Gen. III. 1. Vel credis quòd verba ejus fidelissima & vera sunt cùm *ab initio sit mendax & pater ejus*. Joan. VIII. 44. proponit tibi *quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bona*B *fama*. Philip. IV. 8. ut scilicet, cùm fueris hujus boni *concupiscentiâ abstractus & illectus*, Jacob. I. 14. propinet tibi *fel draconum & venenum aspidum insanabile*. Deut. XXXII. 33. Molitur quippe reverti princeps hujus mundi unde ejectus est foras, secum adjunctis septem aliis spiritibus nequioribus se, ut, cùm impleti fuerint alieni viribus tuis, abeas absque ulla fortitudine antè faciem subsequentis & tandem fiant novissima tua pejora prioribus. O si reduceret te Dominus classibus in Ægyptum, permittens te tentari suprà id quod potes ut diceret *inimicus* tuus; *prævalui adversus eum*; Ps. XII. 5. Quonammodò dimicare posses *per arma Justitiæ à dextris & à sinistris*? 2. Cor. VI. 7. Et quidem non est potestas super terram, quæ tuo comparetur adversario, qui factus est ut nullum timeret, qui *multos vulneratos dejecit, & fortissimi quique interfecti sunt ab eo*, Prov. VII. 26. ut meritò quicumque audierit, tinniant ambæ aures ejus. Tu autem non didicisti certare cum hostibus, nec habes consuetudinem præliandi, & insuper infirmata est in paupertate virtus tua; adeò vt non solùm à sagitta vo-C lante in die facilè transfigaris, sed & tenuis habitus *illius*, qui *prunas ardere facit*, Job. XLI. 12. leviter possit evertere sensum tuum, ut non videas cœlum, nec recorderis Judiciorum justorum. Ecce enim repetis scientiam tuam à principio pergens ad tuos, utpote æmulator existens paternarum tuarum traditionum: observaturus de hujusmodi *modicùm, ibi, modicùm ibi*, Isaiæ XXVIII. 13. mundando, ut multum, *quod de foris est calicis, & paropsidis*. Luc. XI. 39. Quàm ergò verendum, ut de ceteris scandalis, quæ juxtà iter posuerunt tibi interim sileam, ne rudis & corde pavido; inter infamiam & bonam famam, excidas à propria firmitate. Prorsùs timeo, ne dicentibus aliis de te, *quia bonus est*; aliis autem: *non; sed seducit turbas*. Joan. VII. 12. quippe qui omnia opera sua facit, ut videatur ab hominibus; paveo, inquam, ne inve-D niaris & tu arundo vento agitata, tamquàm *vir duplex animo* Jacob. I. 8. & *inconstans in omnibus viis* tuis. Etenim si ab homine claritatem acceperis, & caput tuum impinguaverit oleum peccatoris, protinùs velut diem hominis desiderans, repleberis consolatione, & superabundabis gaudio in omni tribulatione tua. Quod si fortè ab hominibus blasphemetur bonum tuum, & loquuti fuerint adversùm te linguâ dolosâ, ac subsannaverint te subsannatione, confestim turbabitur in ira oculus tuus; nam operiet confusio faciem tuam, & erubesces valdè velociter: & si parva sunt ista, addere tibi possem multò majora, quia reverà sunt, & alii *funes*, quos *extenderunt in laqueum*. Ps. CXXXIX. 6. qui quærunt animam tuam ut auferant eam; sed ut non loquatur os meum opera hominum, nolo parietem fodere, sciens quòd defecerint scrutantes scrutinia. Ceterùm qualia introrsùs depicta sint in pariete per circuitum domus undique, tu videris; nam & Fratres illi inter quos disponis initiare tibi viam novam & viventem, quales in præsentiarum sint, vel quales aliquando fuerint, nihil meâ interest; servum alienum judicare non debeo; *sub domino stat aut cadit*; Rom. XIV. 4. hoc scio à principio ex quo positus est homo suprà terram, quòd, *qui cum sapientibus graditur sapiens erit, amicus autem stultorum efficitur similis*. Prov. XIII. 20. & iterùm alia Scriptura dicit: *Cum sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*. Ps. XVII. 27.

CAPITULUM VII.

Postulat edoceri, quare devotior fuerit in priori Ordine, quàm nunc sit, & de occulto super hoc Dei Judicio.

SED hîc quoque Justificationem tuam, quam cœpisti tenere non deseris, dicens mihi; *Justus quidem tu es, si disputem tecum*. Jerem. XII. I. Verùmtamen *sustine me*, adhuc enim paululum loquar, & respirabo, cùm sim pulvis & cinis; si fortè intelligat Dominus super egenum, & pauperem, & perveniat ad victoriam Judicium meum: Quid itaque causæ est, quòd priora tempora meliora fuère quàm nunc sunt, cùm olim quidem dormiens silerem, & somno meo requiescerem, sub umbra illius quem desideraveram sedens; nunc vero solùm mihi superest sepulchrum; quia *tribulatio & angustia invenerunt me*. Ps. CXVIII. 143. labor & dolor, & afflictio spiritûs? Certè dudum cum sederem in tenebrosis & in umbra mortis, ubi abundante iniquitate refrigescit charitas multorum; frequenter, prout super scripsi in brevi concaluit cor meum intra me, & in illo igne quem Dominus venit mittere in terram, ardebam. At ex quo cœpi ambulare in medio lapidum ignitorum ut esset charitas mea sicut lampades ignis atque flammarum. Væ! væ! *percussit me Dominus egestate, febre, & frigore*. Deut. XXVIII. 22. sed *à facie frigoris* hujus *quis sustinebit*? Psal. CXLVII. 17. flante enim Deo concrevit gelu; quo coagulatum est sicut lac cor meum, ut in odorem unguentorum suorum currere non valeat. Si ergo verum est quod Patres nostri narraverunt nobis, quòd inventus est Dominus à non quærentibus eum, palàm apparuit his qui eum non interrogabant. *Rom.* X. 20. Quid est, quòd avertit faciem suam à puero suo, qui sto ad ostium ejus, & pulso; adeo ut à clamore raucæ factæ sint fauces meæ? Super hoc expavit cor meum, quia videtur diligere odientes se & odio habere diligentes se. Heu putabam, quod cogitaret *cogitationes pacis, & non afflictionis*. Jer. XXIX. II. & ecce scribit contra me amaritudines, & ingressus est ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ. Et olim quidem in diebus vanitatis meæ, quibus frustrà laboravi sub sole, nullum habens fructum in illis in quibus nunc erubesco, antequàm invocarem eum dicebat; *ecce adsum*: Isaiæ. LVIII. 7. in tantùm ut cùm verterem ei tergum & non faciem, sæpiùs aures meæ audirent verbum post tergum monentis. Nunc autem in memetipso marcessit anima mea, quia non apponit Dominus, ut complacitior sit adhuc; sed *aggravata est auris ejus, ut non exaudiat*. Isaiæ LIX. I. & utinam non ad insipientiam mihi! Igitur ne diutiùs te protraham, si adhuc habes quod pro Deo loquaris,

&

Digitized by Google

& operatorem tuum vis probare justum; *Indica mihi, si habes intelligentiam*. Job. XXXVIII. 4. quanam ratione de pœnis innocentium rideat. Contrà folium, quod vento rapitur, ostendens potentiam suam, *Ibid*. 13. 25. cùm *nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea* sit. Ibid. VI. 12. Si essem, ô vir bone, si essem Propheta, aut filius Prophetæ, certè non subterfugerem quo minus omne consilium Dei annuntiarem tibi, non enim faciet Dominus verbum super terram, *nisi revelaverit secretum* suum *ad servos suos Prophetas*. Amos. III. 7. sermo autem quem quæris gravis est, nec sufficio solvere problema, quia Dominus celavit à me, & non indicavit mihi, qui incerta & occulta sapientiæ suæ nusquàm talibus menifestat; *puteus* quippe *altus est*. Joan. IV. 11. *& in quo hauriam non habeo*, eo quòd non sim auricularius à secreto, qui potest in labiis suis pronuntiare omnia judicia oris Dei. Etenim sine parabolis non loquitur mihi, seorsùm autem amicis disseruntur omnia. Verumtamen in omnem terram exivit sonus iste: *Justus Dominus in omnibus viis suis*; Ps. CXLIV. 17. cui nefas est à figmento dici: quid me fecisti? Cæterùm ubi clausi signatique sunt sermones, *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*. 1. Cor. VII. 25. & si quidem benè & saluti tuæ competit, hoc & ipse velim; si minùs dignè concedendum est mihi, quia etsi factus sum insipiens, tu me coëgisti. Novimus quòd non solùm qui inebriat ipse quoque inebriatur, sed etiam qui *dederit calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam*. Matt. X. 42. Et ego, mi Frater, si multùm haberem, abundanter tribuerem; *quod autem habeo; hoc tibi do*, Act. III. 6. *duo* scilicet *minuta* more pauperis viduæ in tuo mittens Gazophylacio; *Marc*. XII. 42.

CAPITULUM VIII.

Profectus spiritualis corporali comparatur luci, quæ ab aurora fulgere inchoat, & quòd veritatem agnitam debet homo humiliter confiteri.

DICO ergò; olim dum tenebræ essent super faciem abyssi & jam, jamque urgeret super te puteus os suum; *nisi quia Dominus adjuvit* te *paulò minùs habitasset in inferno anima* tua. Ps. XCIII. 17. *Deus autem qui dixit de tenebris lumen splendescere*, 2. Cor. IV. 6. ostendit tibi lucem miserationum suarum, & de abyssis terræ iterùm te reduxit, eruens animam tuam ex inferno inferiori. Hinc est, quòd cùm in tenebris sederes, & lumen cœli non videres, Dominus emisit lucem suam & veritatem suam, quasdam scilicet primitias spiritûs, quæ te deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum suum & in tabernacula sua; ut interim haberes *fructum* tuum in *sanctificationem: finem verò vitam æternam*. Rom. VI. 22. Quòd si imperfectum tuum non vidissent oculi ejus, nec complevisset Deus opus suum quod cœperat; profectò palpasses sicut cæcus in meridie in tenebris ambulans usque adhuc; cùm utique hi qui quærunt extinguere scintillam tuam parati essent producere ventos de thesauris suis: sed quia Dei perfecta sunt opera, imperavit ventis & mari, ut fieret tranquillitas magna, ut, cùm esses in securitatem & absconsionem à turbine & pluvia, semita tua quasi lux splendens procederet & cresceret usque ad perfectum diem. Verùm quoniam omnia in pondere, & mensura, & numero à Domino disponuntur nec est in homine via ejus ut dirigat gressus suos, adhuc modicum lumen in te est; nam cùm sis vir pauper & tenuis, nondum apprehendisti omnes divitias plenitudinis intellectûs, ut, doctus fulgeas quasi splendor firmamenti, Deo pro te aliquid melius providente; ne fortè, si semper prosperum iter faceret tibi Deus salutarium nostrorum; tu velut adhuc neophytus *in superbiam elatus in judicium &* laqueum incideres *diaboli*. 1. Tim. III. 6. Non itaque ad plenum tibi fulget illuminatio Evangelii gloriæ Christi, sicut lucet sol in virtute sua, sed quia caligant oculi tui, & clarè videre non potes, ipsum tantummodò vides ut ortum surgentis auroræ: paulatim verò aspirabit dies, & inclinabuntur umbræ, ut qui nunc vides homines velut arbores ambulantes, postea clarè videas omnia: tunc apparebit tibi Dominus in ipso fervore diei, eritque tibi salus cùm incaluerit sol; quoniam implebit splendoribus animam tuam, adeò ut plenus sis oculis antè A & retrò in circuitu, & intus, ac si quisquam in manibus absconderit lucem posueritque tenebras latibulum suum. Non turbetur cor tuum, neque formidet quasi projectus in terram tenebrosam & opertam mortis caligine. Dominus quippe *creans tenebras, & faciens malum*. Isai. XLV. 7. præcipiet luci, ut rursùs adveniat annuntians de ea tibi, quæ possessio tua sit, & ad eam possis ascendere: tantùm cave, ne cùm adulteris portionem tuam ponas; qui idcircò fuerunt rebelles lumini, quia discooperuerunt juxtà Dominum suum suscipientes adulterium: diligendo scilicet gloriam hominum magis quàm gloriam Dei, quamvis pallium breve utrumque operire non possit; dicente Domino: *gloriam meam alteri non dabo*: Isai. XLII. 8. Cùm ergò diligentiùs intuens clara luce deprehenderis, quòd sis Lazarus ulceribus plenus; veni ad lucem ut manifestentur opera tua: nam *qui abscondit scelera sua non dirigetur*. Prov. XXVIII. 13. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri Jesu B Christi, qui ad hoc venit in mundum ut testimonium perhibeat *veritati*; Joan. XVIII. 37. quem idcircò mundus odit quia testimonium perhibet de illo; quia *opera ejus mala sunt*. Ibid. VII. 7. Tu si videris furem, non curras cum eo, & *noli æmulari in malignantibus*; Ps. XXXVI. 1. ut apprehendat te confusio adducens peccatum; quin immò ut oris confessio fiat ad salutem. Esto accusator tui ipsius in principio sermonis, hæc est portio substantiæ quæ te contingit: liga eam in corde tuo jugiter; quia proculdubiò illic iter est quo ostendetur tibi salutare Dei. Si videlicet reddideris omnibus debita, *cui honorem, honorem*; Rom. XIII. 7. aut pudorem, pudorem; etenim soli Deo honor & gloria; *nobis autem confusio*; Dan. IX. 7. nam qui hominibus placent, *confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos*. Ps. LII. 6. Redde ergò quæ sunt hominis, homini; & *quæ sunt Dei Deo*; Matt. XXII. 21. sciens quia *perditio tua ex te, tantum in Deo auxilium tuum*; Ozee. XIII. 9. & sic quæ placita sunt ei facies semper. *Tunc intelliges timorem Do-* C *mini & scientiam Dei invenies*. Prov. II. 5. proficiens *à claritate in claritatem tamquàm à Domini spiritu*. 2. Cor. III. 18. ita ut non occidat sol tuus, & luna tua ampliùs non minuatur. *Isaia* LX. 20.

CAPITULUM IX.

Comparatur profectus animæ mulieri prægnanti, quæ licèt cum delectatione concipiat, cum gemitu parturit & dolore.

ALIAM quoque animadverte parabolam, & interpretationem, ut per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeas, & protegaris à pusillanimitate spiritus & tempestate. *Mulier cùm parit tristitiam habet*. Joan. XVI. 21. quamvis ex semine hominis cum delectamento somni convenientis conce- D perit. *Semen est Verbum Dei*, Luc. VIII. 11. per quod à timore Dei concipimus, ut pariamus spiritum salutis. Cùm ergò Verbum Dei ad hominem à Regalibus sedibus venerit, auditui suo dabit gaudium & lætitiam, scilicet in ore ejus erit tamquàm mel dulce. At si devoratum fuerit & comestum, protinùs *amaricari* faciet *ventrem* suum, *Apoc*. X. 9. quippe investigans omnia secreta ventris, ut non sit ibi ulla cogitatio invisibilis in conspectu ejus, & præcavens in futurum, ne fortè veniat diabolus & ipsum tollat de

Digitized by Google

de corde hominis, & non referat fructum. Arguit, obsecrat, increpat ut non revertatur ad Deum, vacuum, sed faciat quæcumque voluit, & prosperetur in his ad quæ misit illud. Sciens autem, quòd *maledictus* sit, *qui gladium suum prohibet à sanguine*, Jerem. XLVIII. 10. tamquàm durus debellator omnia replet morte, interficiendo carnalia desideria *quæ militant adversùs animam*, 1. Petr. II. 11. ita ut dicat animalis homo non percipiens ea quæ sunt Spiritus Dei. *Durus est hic sermo*. Joan. VI. 61. Dudùm loquebatur etiam, sicut solet homo loqui ad amicum suum; erantque dulcia faucibus meis eloquia ejus super mel ori meo. Nunc verò mutatus est in crudelem & in duritia manus suæ adversatur mihi, dicens: *Post concupiscentias tuas non eas*, Eccli. XVIII. 30. Quin potiùs abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me. *Matth*. XVI. 24. Inter hæc, angustiæ homini sunt undique, cum ipse noverit, quod *non auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur*. Rom. II. 13. Quàm *beati*, qui *audiunt Verbum Dei*, Luc. XI. 28. si custodiant illud. Quàmvis itaque sermo Dei posuerit hominem contrarium sibi, & missus sit ad se durus nuntius; oportet tamen ipsum, si vult ad vitam ingredi, servare mandata. *Matth*. XIX. 17. & concordare cum tali adversario citò, dùm est cum eo in via, cùm *ad eum venient & confundentur omnes, qui repugnant ei*. Isa. XLV. 23. Hæc autem parabola temporis [illegible] instantis; si tamen audias, *quid Spiritus dicat Ecclesiis*, Apoc. II. 7. Cernens ergò Dominus, qui generationem ceteris tribuit, quòd haberes ventrem sine liberis, & ubera arentia, respexit auferre opprobrium tuum inter homines ne appareres in conspectu suo vacuus. Exiit enim seminare semen suum, ut sterilis pareret plurimos, & fructum suum daret in tempore suo: undè & in priori Monasterio tuo, *quasi furtivè suscepit auris tua venas susurri* Dei. Job. IV. 12. & anima tua liquefacta est ut dilectus loquutus est. *Gratias Deo super inenarrabili dono ejus*. 2. Cor. IX. 15. quia semen cecidit in terram bonam & suscepisti verbum cum omni aviditate, *non ut verbum hominum sed sicut est verè, verbum Dei*. 1. Thess. II. 13. Nam sicut *imber descendit de cœlo & inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit*. Isaiæ. LV. 10. Sic & flumen Dei, quod repletum est aquis, pluviam voluntariam segregavit ariditati tuæ, ut produceret terra tua *herbam virentem, lignumque pomiferum faciens fructum juxta genus suum*. Gen. I. 11. Confestim autem in stillicidiis ejus lætatus est germinans, adeò ut inebriatus ab ubertate Domus Dei, diceres: *Juravi & statui custodire Judicia Justitiæ tuæ*. Ps. CXVIII. 106. Ob hoc surrexisti & abiisti amarus in indignatione spiritus tui, & elongasti fugiens, & manens in solitudine, eo quòd solitudo facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Nunc igitur laboras in gemitu tuo, facere dignos fructus pœnitentiæ ut probes *quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*; Rom. XII. 2. & semen quod misit radicem deorsùm, faciat fructum sursùm. Quid ergò mirum si anima tua in utero habens clamat parturiens, & cruciatur ut pariat: quandoquidem venerunt filii usque ad partum, & vires non habet parturiens: nam etsi velle adjacet sibi, perficere tamen bonum non invenit, cum triplici funiculo, qui difficilè rumpitur, sit ligata: *Concupiscentiâ carnis, concupiscentiâ oculorum, & superbiâ vitæ*. 1. Joan. II. 16. Non enim bonum quod vult, hoc facit, sed quod odit malum, illud agit; & in tantùm *vanitati subjecta est etiam non volens*, Rom. VIII. 20. ut cum mente servierit Legi Dei; carne tamen serviet legi peccati. Eva quippe iram Domini portavit, quoniam peccavit ei, & idcircò multiplicantur ærumnæ ejus ut in dolore pariat, & noverit, quia *malum & amarum est dereliquisse Dominum*. Jerem. II. 19. Deum suum, ut esset similis Altissimo quasi una de filiabus Belial sine jugo, & nos omnes de plenitudine maledictionis ejus accepimus. Quoniam sicut Mater sic filia ejus dicens: *in sempiternum ero Domina*; Isa. XLVII. 7. *& sub nullius redigar potestate*. 1. Cor. VI. 12. Quamobrem torsiones & dolores tenebunt eam, & quasi parturiens dolebit: si fortè vexatio eidem conferat intellectum, ut, cùm cognoverit plagam cordis sui, deponat magnitudinem suam absque tribulatione dicens: *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. 2. Machab. IX. 12.

CAPITULUM X.

In spe futuræ suavitatis debet patienter præsentem tolerare duritiam: & qualiter gratia devotionis interdùm pro occulto peccato subtrahitur.

OBSECRO igitur te, Frater, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut sufficiat *diei malitiâ suâ*, Matth. VI. 34. nec affligas cor tuum pro hac re, ut non tristitiam super tristitiam habeas. Intellexi enim quod tristitia tibi magna est, & continuus dolor cordi tuo; nec omninò te delectat cantare Domino canticum novum aut sumere psalterium jocundum cum cithara, dicens: *quòd musica in luctu sit importuna narratio*. Eccli. XXII. 6. Verùm forti animo esto, in proximo est ut à Deo cureris, & tristitia tua vertetur in gaudium. *Paries enim filium, & vocabis nomen ejus Jesum*, Luc. I. 31. Nam qui fecerit voluntatem Patris ejus ipse sibi frater, & soror, & Mater est. Tunc videns quòd ditaverit te Dominus dote bona, & feceris fructum nativitatis, implebitur *os tuum risu, & labia tua jubilo*. Job. VIII. 21. ita ut jam non memineris pressuræ propter gaudium. Sed & multi in nativitate ejus gaudebunt, qui videntes opera tua bona glorificabunt Patrem qui in cœlis est, & ex multarum personis facierum, ejus quæ in te futura est generationis, per multos gratiæ agentur Deo. Interim sanè *omne quod tibi applicitum fuerit accipe: & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe*. Eccli. II. 4. Nam *qui corde bono & optimo audientes verbum retinent, fructum non afferunt nisi in patientia*. Luc. VIII. 15. Undè si etiam ob partùs difficultatem periclitari cœperis, & videris dolorem esse vehementem: nunquàm tamen *in infirmitate tua despicias te ipsum*, Eccli. XXXVIII. 9. Sed magis *viriliter age, & confortetur cor tuum*, dicens: *Etiam si me occiderit, in ipso sperabo*. Job. XIII. 15. Quis enim speravit in eo & confusus est? *Cùmque te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer*, Job. XI. 17. & lætaberis pro diebus quibus te humiliavit, Annis quibus vidisti mala. Fortassis quippe idcircò Dominus finxit se longiùs ire, obturans aurem suam ad clamorem pauperis, ut probet utrùm diligas eum in toto corde tuo, an non; si videlicet postules gemitibus inenarrabilibus reddi tibi lætitiam salutaris sui. Sanè quoniam *spes quæ differtur affligit animam*, Prov. XIII. 12. adhuc contristatus incedis, dùm affligit te inimicus, & nos, cùm te tristem blanditiis delinire satagimus, renuit consolari anima tua, & dicis: *Nolite incumbere ut consolemini me*. Isaiæ. XXII. 4. quoniam *consolatores onerosi omnes vos estis*. Job. XVI. 2. Ecce tamdiù expectans expectavi Dominum, nec intendit mihi; sed usque hodiè terrores sui conturbaverunt me, *quarum indignatio ebibit spiritum meum*, Job. VI. 4. & adhuc dicitis mihi: *expecta reexpecta*, Isai. XXVIII. 10. quia *veniens veniet, & non tardabit*. Habac. II. 3. *O homo tu quis es! qui respondeas Deo*? Rom. IX. 20. Dixi tibi jam & audisti; quid iterùm vis audire? Omnia quæcunque fecit tibi Dominus, in vero Judicio fecit, quia *non est iniquus Deus qui infert iram*. Rom. III. 5. Verè enim non condemnat Deus aliquem frustrà, sed castigat te in Judi-

Digitized by Google

dicio, ne tibi videaris innoxius. Contemplare ergò, ne quid *desit gratiæ Dei*, Hebr. XII. XV. quia *nihil fit in terra sine causa*, Job. v. 6. nec in vanum mandavit nubibus suis, ut pluerent super te imbrem: non enim grande est Deo ut consoletur te, si forsitan merita tua hoc prohibent. *Vide ergo vias tuas in convalle, scito quid feceris*, Jerem. II. 23. & non solùm in convalle; sed etiam ex quo ascendisti in montem Domini, ut stares in loco Sancto ejus. *A die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut affligeres te in conspectu Dei tui.* Dan. x. 12. *De propitiato peccato noli esse sine metu*, Eccli. v. 5. quin potiùs verearis omnia opera tua, ne fortè qui scrutatur Jerusalem in lucernis & visitat *super viros defixos in fecibus suis*, Soph. I. 12. videat cor tuum non esse rectum cum eo. *Delicta enim quis intelligit*? Psal. XVIII. 13. aut *quis potest dicere, mundum est cor meum*? Prov. XX. 9. cùm *pravum sit cor hominis, & inscrutabile*, Jerem. XVII. 9. adeò ut etiam si simplex fuerit, hoc ipsum ignorabit anima sua. Timeamus ergo *ne fortè sit in aliquo nostrûm cor incredulitatis malum discedendi à Deo vivo*, Hebr. III. 12. ne fortè peccata nostra absconderint faciem ejus à nobis. Sunt qui frustrà confidunt in virtute sua; dicentes: *gloria nostra hæc est testimonium Conscientiæ nostræ*, 2. Cor. I. 12. Qui etsi nihil sibi conscii sunt, non tamen in hoc justificati sunt, quia revera est *generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis.* Prov. XXX. 12.

Capitulum XI.

Anima suam vilitatem ignorans petit sibi grandia: sed super hac temeritate durè à Sanctis arguitur.

Est & aliud malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines; *sapere* videlicet *plus quàm oportet*, & non *ad sobrietatem*, Rom. XII. 3. & secundùm à Deo datam Fidei mensuram. *Tu autem, ô homo Dei, hæc fuge*; 1. Tim. VI. 11. quia *quòd altum est hominibus, abominabile est apud Deum.* Luc. XVI. 15. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Eccli. III. 12. *neque erigas oculos tuos ad opes quas habere non potes*, Prov. XXIII. 5. quia nec si te ruperis apprehendes. Quid enim? heri quatriduanus & jam fetens eductus es de lacu miseriæ & de luto fecis, & hodiè *oblivionem accipiens purgationis tuorum veterum delictorum*; 2. Pet. I. 9. petis à Deo, ut osculetur te osculo oris sui. Adhuc conculcaris in sanguine tuo ac vadunt, & veniunt super te horribiles. *Job.* XX. 25. *Et tu quæris tibi grandia*? Jer. XLV. 5. Nunquid tàm repentè separasti pretiosum à vili, ut sis quasi os suum, & meritò diffundatur gratia in labiis tuis? Vereor, ne in consilio eorum veniat anima tua, qui idcircò posuerunt in cœlum os suum, omne sublime videntes, quia cùm viri polluti labii ipsi sint, putant se aliquid esse, cùm nihil sint. Quam tutiùs poneres in pulvere os tuum, si fortè sit spes, & conversus in ærumna tua dùm configitur spina percuteres pectus tuum, non audens oculos in cœlum levare. Anima illa, cui dicitur, *tota pulchra es amica mea, & macula* originalis *non est in te*, Cant. IV. 7. ait de illo dilecto suo, cujus amore languet. *Quæsivi illum, & non inveni; vocavi, & non respondit mihi.* Cant. v. 6. Et nec sic quidem hæsistat diffidentiâ, sed confortatâ Fide dat gloriam Deo, & quærit faciem ejus semper; sciens quòd non tardat Dominus promissum suum. Quoniam *inquirentes Dominum non minuentur omni bono.* Ps. XXXIII. 11. Anima verò tua, cui non est species, neque decor, quippe quæ abominabilem fecerit *decorem* suum, ita ut sit *facies* ejus *sicut nigredo ollæ.* Nahum. II. 10. quomodò sustinet sustentationes Dei? nisi cùm pulsaverit, confestim aperiat ei replens in bonis desiderium: in amaritudinibus moratur oculus ejus, & protinùs dentibus suis fremit, & tabescit, adversùs Deum contendens, quod non ad omnia respondit ei. Hùc accedit, quòd licèt oblita sit ornamenta sui & fasciæ pectoralis suæ, nihilominùs quasi anima *quæ justitiam fecerit, & Judicium Dei sui non dereliquerit* Isaï. LVIII. 2. ad fores palatii velut præco clamat valenter. *Aperite mihi portas Justitiæ*,
A Ps. CXVII. 19. ingressa in eas confitebor Domino: & ignorat, quòd illicitum sit indutam *sacco aulam Regis intrare.* Esth. IV. 2. Porrò super muros Jerusalem constituti erant custodes, ne intraret in ea aliquid coinquinatum & immundum, qui æmulantes eam Dei æmulatione, cùm vidissent illam non vestitam veste nuptiali loquebantur mutuò dicentes, bonum est respondere *stulto juxtà stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur*, Prov. XXVI. 5. & eum arguere, & statuere, contrà faciem suam; ut divinâ admonitus plagâ studeat ad cognitionem sui venire: quapropter claudite ostium, & non sinatis hanc intrare, eò quòd sit nuda & confusione plena, & tamen ambulat in magnis & mirabilibus super se. Unus ergò ex eis quasi tuba exaltavit vocem suam, & clamavit quemadmodùm cùm leo rugit, ut territa purgaretur. *O præsumptio nequissima, undè creata es*? Eccli. XXXVII. 3. *Sordida nobilis, grandis interitu.* Ezech. XXII. 5. Adhuc fornicationes tuæ, & desideria mala vigent, omnesque
B justitiæ tuæ sunt ut *pannus menstruatæ*, Isaïæ LXIV. 6. & vis salutare eum *osculo sancto, qui respicit terram & facit eam tremere.* Ps. CIII. 32. Quæ est ista fiducia, quâ viceris ut *paupercula tempestate convulsa*, Isaïæ. LIV. 11. adeas cum fiducia ad thronum gloriæ ejus, *in quem desiderant Angeli prospicere.* 1. Petr. I. 12. *Noli altem sapere, sed time*, Rom. XI. 20. & nunc acquiesce consiliis meis, & *indicabo tibi, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te.* Mich. VI. 8. Et si susceperit cor tuum sermones meos, recto itinere te perducam in domum Domini tui, ut epuleris ab introitu gloriæ ejus, deliciis affluens, & *innixa super dilectum* Cant. VIII. 5. tuum. *Lavare igitur corpus & ungere, & induere cultioribus vestimentis*, Ruth. III. 3. ut sis sancta corpore & spiritu. Præcipuè considera vultum nativitatis tuæ in speculo, ut scias quid desit tibi, quia *visitans speciem tuam non peccabis.* Job. v. 24. Tunc concupiscet Rex decorem tuum, & portæ aperientur coram te jugiter, ita ut liberè ingrediaris, & pascua invenias. Regem enim in decore suo
C videbunt oculi tui, & omne quod ab ipso petieris, impetrabis; cùm voluntatem timentium se faciet, & potens sit facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus: alioquin *speciosus formâ præ filiis hominum*, Ps. XLIV. 3. cùm sit *candor lucis æternæ, & speculum sine macula.* Sap. VII. 16. ad cubiculum suum non admittet habentem *maculam vel rugam, aut aliud hujusmodi.* Ephes. v. 27. Itaque noli nobis molesta esse, quia ostium clausum est, non possumus surgere & aperire tibi, donec abstuleris rubiginem de argento, ut egrediatur vas purissimum, in quo detur tibi poculum ex vino condito inebrians animam lassam. Eia, frater, *non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam* obtinuit *abscedat à te*, Judith. VI. 5. pro eo quod *visio dura nunciata est* tibi. Isaï. XXI. 2. Nam *qui acquiescit increpationibus possessor est cordis* Prov. XV. 32. *Quis enim*
D *filius, quem non corripit Pater*, Heb. XII. 7. Et qui non curvet cervicem ejus à juventute, tundens *latera ejus, dum infans est*: Eccli. XXX. 12. ut apprehendat disciplinam, nequandò irascatur Dominus, & pereat de via justa? Si viri illi qui claudunt, & nemo aperit; aperiunt, & nemo claudit, per quos putabas introduci in domum Matris tuæ, & in cubiculum genitricis tuæ, si loquerentur tibi placentia, & viderent tibi errores, diceres fortassis quòd eructavit cor tuum verbum bonum & esset in sermonibus eorum ulla reprehensio. Ergò inimici facti sunt, verum dicentes tibi? cùm tamen *meliora sunt vulnera diligentis, quam*

Digitized by Google

quàm fraudulenta odientis oscula? Prov. xxvii. 6. Acquiesce ergò eis & habeto pacem, & per hanc habebis fructus optimos, licèt in præsentiarum nudus sis, & indigeas victu quotidiano usque ad præfinitum tempus à Patre nempe *omnia tempus habent* Eccle. iii. 1. & ideò vanum est tibi antè lucem surgere, quoniam quæ à Deo sunt ordinata sunt; an putas quòd in utres veteres vinum novum infundat Deus; aut tam facilè expoliasse te credis veterem hominem cum actibus suis, ut jam sit renovata sicut aquilæ juventus tua? At qui norunt quàm difficile possit *Æthiops mutare pellem suam*, Jer. xiii. 23. contendens intrare per angustam portam quæ ducit ad vitam; aiunt quòd si ferrum retusum vel hebetatum fuerit, multo labore exacuetur; cùm sensus & cogitationes cordis humani prona sint ad malum, & perversi difficilè corrigantur. *Interroga generationem pristinam & diligenter investiga Patrum memoriam*; Job. viii. 8. quomodò scilicet filii Israël Anno uno non potuerunt suos delere adversarios, sed paulatim atque per partes expulit eos Dominus à facie illorum, & non indignaberis si nec dum potes gustare, & videre quàm suavis est Dominus; præsertim cùm diutissimè oblitus fueris comedere panem tuum: uvam acerbam comedens quâ nunc obstupescunt dentes tui.

Capitulum XII.

Non debet indignari anima si repellitur, quamvis alii æquè vel magis indigni admittantur: & ponitur exemplum de muliere Chananæa.

Quamobrem, Charissime, si quando petieris à sponso indicari tibi ubi pascat, ubi cubet in meridie, & ille pro eo quod in immensum gloriaris, superexcedens te ultrà mensuram quam mensus est tibi Deus, egredi te jusserit, & abire post vestigia gregum comparans te jumentis insipientibus, ut ad quod pervenisti sentias & in eadem permaneas Regula. Si, inquam, taliter corripuerit te Dominus in misericordia, & increpaverit te, noli abundantiori tristitia absorberi; quia cùm iratus fuerit, misericordiæ recordabitur, nec te derelinquet usquequaque: magis autem humiliare sub potenti manu Dei, & esto *vir videns paupertatem* tuam *in virga indignationis ejus*. Thren. iii. 1. si fortè convertatur, & ignoscat Deus; nec æstimes, quòd personarum acceptio sit apud Deum, quia murmuras adversùs Patremfamiliâs dicens: quantos novi, qui erant naturâ filii iræ plusquàm ceteri, qui percusserant fœdus cùm morte, & cum inferno fecerant pactum; qui cum subitò à Patre cœlesti cum osculo, annulo, stolâ primâ, symphoniâ, & choro suscepti sunt, & qui justorum facta haberent repentè, *creavit illis scientiam spiritus*, Eccli. xvii. 6. *non reputans illis delicta* 2. Cor. v. 19. temporum, ita ut consummati in brevi explerent tempora multa. *Ego autem mendicus & pauper, & in laboribus à juventute mea*, Ps. lxxxvii. 16. de mane usque ad vesperam sicut pullus hirundinis sic clamans, hîc fame pereo, & usque in præsens projectus sum à facie oculorum suorum. O amice, non facit tibi Deus injuriam cui licet quod vult facere; qui denique *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Rom. ix. 18. *Quid tumet spiritus tuus contrà Deum*, Job. xv. 13. si ubi delictum abundavit superabundet & gratia, *Rom.* v. 20. quamvis non faciat taliter omni nationi? Quis potest dicere Deo, cur ita facis? *Aut quis prior dedit ei & retribuetur illi*? Rom. xi. 35. Non ergò sit oculus tuus nequam, quia bonus est dimittendo peccata multa his qui dilexerunt multùm; qui complacent sibi in infirmitatibus, in contumeliis, in persequutionibus, in angustiis pro Christo; Quibus postremò omnes labores parvi videntur præ amoris magnitudine. Itaque non præsumas te miscere aut comparare quibusdam, qui licèt venerint de populo terribili, divulso, & dilacerato; repentè tamen à Deo conformes facti sunt imaginis filii Dei, *ut sicut ille est, ita & ipsi sint in hoc mundo*, 1. Joan. iv. 17. dicentes: *nostra conversatio in cœlis est*. Philip. iii. 20. Prorsùs inter te & ipsos magnum chaos firmatum est, grandisque tibi restat via; confortati sunt, & non poteris ad eos. *Invitatus igitur ad cenam recumbe in novissimo loco*, Luc. xiv. 10. immò nec recumbas, sed potiùs strans retrò secùs pedes eorum dicas, quòd res benè acta est, si dignus fueris sub mensa eorum colligere ciborum reliquias. Mulier illa Chananæa, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, exemplum dedit nobis, ut quemadmodùm fecit, ita & nos faciamus; clamat ad Dominum à facie tribulantis, instat oportunè, importunè, adorans & petens aliquid ab eo, *qui non respondit ei verbum*; Matth. xv. 23. sed recessit longè quasi despiciens in oportunitatibus in tribulatione. Cùm nosset *quomodò abominatum sit viro Judæo conjungi aut accedere ad alienigenam*; Act. x. 28. illa autem perseverabat pulsans, precesque, & supplicationes cum clamore valido & lachrymis offerens, aiebat, *vivit anima* tua, Domine, quia *non dimittam te, nisi benedixeris mihi*. Gen. xxxii. 26. Licèt enim hoc celes in corde tuo, scio tamen quod universorum memineris: ita ut etiam memor sis Rahab & Babylonis scientium te. *Usquequò, Domine, sanctus & verus*, Apoc. vi. 10. *qui omnes homines* vis *salvos fieri*, 1. Tim. ii. 4. ita ut voces non dilectam, dilectam; usque quò erit tantùmmodò *notus in Judæa Deus, & in* solo *Israël magnum nomen ejus*? Ps. lxxv. 2. *Dilata locum tentorii tui*, Isaïæ. liv. 2. ut & Gentes super misericordia honorent Deum: sitque admirabile nomen tuum in universa terra. *Petitionem unam parvulam deprecor à te, ne confundas faciem meam*, 3. Reg. ii. 20. *& Psalmum dicam tibi in Gentibus*. Ps. lvi. 10. Dixitque Dominus. *Quid mihi & tibi est mulier*? Joan. ii. 4. Quid clamas ad me super contritione tua, quia nunc venisti ad me necessitate compulsa, quæ olim ad simulachra muta prout ducebaris ibas, quasi non esset Deus in Israël? *Ubi sunt Dii tui in quibus habebas fiduciam*? Deut. xxxii. 37. ipsi te *liberent in tempore angustiæ*. Judic. x. 14. *Pater tuus Amorrhæus, & Mater tua Hethæa* Ezech. xvi. 3. *non est tibi pars neque sors in sermone isto*. Act. viii. 21. Recede illuc, & noli me tangere, quoniam insanabilis est dolor tuus. *Nos quippe natura Judæi, & non ex Gentibus peccatores*, Galat. ii. 15. non debemus sumere panem filiorum, & mittere canibus: cernens autem mulier quòd Dominus parvulam eam dedisset in Gentibus, & contemptibilis esset valdè, non desperans semetipsam, sed spem multam habens effugiendi infirmitatem, ait intrà se dicens: Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me miserationem? Judæa esse non valeo; canis vocari erubesco: scio quid faciam: *si voluero contendere cum eo, non potero respondere unum pro mille*. Job. ix. 3. Quando quidem *foris canes, & impudici, & Idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium*. Apoc. xxii. 15. Cognoscam ergò veritatem, & veritas liberabit me, & cùm humiliata fuero, usquequaque, dicam ei: *complacui in veritate tua*. Ps. xxv. 3. Quantùmcumque enim multiplicavero ad Deum preces loquens ei mollia, nisi vilior fiam plusquam facta sum, & sim humilis in oculis meis, dicetur mihi, stulto labore consumeris & perdis pulchros sermones tuos. Cui ego comparabo me, vel cui assimilabo me, nisi catellis qui edunt de micis quæ cadunt de mensa Dominorum suorum: ut quia nihilum & inane reputata sum ei, dignetur vocare ea quæ non sunt tamquàm ea quæ sunt? hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si tacuero, & si dedero silentium ei, donec misericordiam consequar, & gratiam inveniam in auxilio oportuno. Et quoniam *melior canis vivus leone mortuo*.

Digitized by Google

Eccle. IX. 4. *à mortuo enim*, velut qui non sit, *perit confessio*, Eccli. XVII. 26. *Confitebor Domino nimis in ore meo*. Pſ. CVIII. 30. ut vel propter improbitatem meam ſurgat, & tribuat victui meo neceſſaria, præſertim cùm *non in juſtificationibus* meis, Dan. IX. 18. *ſed in miſerationibus ejus multis*, proſternam *preces coram* eo. Cum que vidiſſet Dominus quòd eam ſuperare non poſſet, benedixit ei in eodem loco; & ſalus domus ejus facta eſt, eo quòd ipſa filia eſſet Abrahæ: nam longanimiter ferens, exaudita eſt pro ſua patientia; & quæ erat longè, facta eſt propè in ſanguine Chriſti, quia Dominus non invenit tantam Fidem in Iſraël. Hinc eſt, quòd *Fides* ejus *annuntiatur in univerſo mundo* Rom. I. 8. Et humilitas ſua in omnem locum divulgata eſt, ut certiſſimè ſciat omnis domus Iſraël quoniam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*; Jacob. IV. 6. qui norunt, quòd *oportet ſemper orare, & non deficere*, Luc. XVIII. I. Nunc itaque, frater, cùm hæc ſcripta ſint ad correctionem noſtram, vade, & tu fac ſimiliter, *& noli vinci à malo, ſed vince in bono malum*. Rom. XII. 21. *Omni tempore benedic Deo*, Tob. IV. 20. *nec fatigeris, dùm ab eo argueris*, Hebr. XII. 5. quia *quos amo*, inquit, *arguo & caſtigo*: Apoc. III. 19. tantùm patientiam habe in Chriſto, & omnia reddet tibi, & inſuper *augebit incrementa frugum juſtitiæ* 2. Cor. IX. 10. tuæ, *in tantum ut ſi priora tua parva fuerint, & noviſſima tua multiplicentur nimis*. Job. VIII. 7.

Capitulum XIII.

Quando ſuavitas devotionis homini ſubtrahitur, non debet animo concidere; ſed eſſe in exercitio robuſtior; cùm ignoret quid ſibi ſit expediens.

Sane ſi tunc tantummodò viam Mandatorum Dei cucurreris cùm dilataverit cor tuum; & eructent labia tua hymnum, cùm docuerit te Juſtificationes ſuas, confitearisque illi, cùm benefecerit tibi: è contrà verò, ſi in momento indignationis averterit faciem ſuam parumper à te, confeſtim dormitet anima tua præ tædio, & in mœrore animi dejiciatur ſpiritus, manus habens diſſolutas, & genua debilia: ſi, inquam, apud te fœda hæc reperiatur transmutatio & viciſſitudinis obumbratio; quis dubitet quæ tua ſunt te quærere, non quæ Jeſu Chriſti? Mercator es, non amator, cùm ille prior dilexerit nos. Ita & *cum adhuc inimici eſſemus, reconciliati fuerimus Deo per mortem ipſius*. Rom. V. 10. Debueras certè gratis accepta gratis dare; ut diceres, amator factus ſum formæ illius, pollicente Propheta, quòd *non erit ultrà mercator in domo Domini*, Zach. XIV. 21. Qui niſi conventione facta ex denario diurno in vinea ejus renuit operari. Si cognoviſſes & tu quàm bonum eſt Domino offerre holocauſta gratuita, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate; ſed mente promptiſſima atque devota, & dicere: *voluntariè ſacrificabo tibi*. Pſ. LIII. 8. *Quis eſt in vobis*, inquit, Dominus ad Judæos, *qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò*? Malach. I. 10. *Omnibus quidem meretricibus dantur mercedes*, Ezech. XVI. 33. Quia cùm inquinatæ ſint earum *mens & conſcientia*, Tit. I. 15. ſola *diligunt munera, & ſequuntur retributiones*. Iſaiæ. I. 23. Sicut & illi, qui Chriſtum quærebant, non quia ſigna viderant, ſed quia ex panibus ejus fuerant ſaturati. *Haccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens*. Deut. XXXII. 6. ut in opere illius *ſit porrecta ad accipiendum manus tua, & ad dandum collecta*, Eccli. IV. 36. & ſint ſicut dies mercenarii dies tui, cùm gratis juſtificatus ſis per gratiam ipſius, à quo & accipis aquam vitæ gratis, *& abſque argento & ulla commutatione vinum & lac*? Iſaiæ. LV. I. Si ſemper cupis proſperè ingredi & valere, ut non ſit virga Dei ſuper te. Vereor, ne mittas *mercedes in ſaccum pertuſum*, Agg. I. 6. & audias in fine; *Recepiſti bona in vita tua*. Luc. XVI. 25. O homo! ſi bona ſuſcepiſti de manu Domini, mala quare non ſuſtineas, maximè cùm omnis diſciplina fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddat juſtitiæ? Quamobrem in die malorum, ne memor ſis bonorum; ſed & tunc quàm maximè labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu, deprecans Deum ſemper, cùm multitudo viſcerum & miſerationum ſuarum ſuper te continuerint ſe, & ſiluerit qui loquebatur in te verba bona verba conſolatoria: cùmque fuerit anima tua *deplorata* [aliter *depoſita*] *vehementer non habens conſolatorem*. Thren. I. 9. & oſſa tua ſicut cremium aruerint; noveris quòd ariditas hæc non eſt ad mortem, ſed pro gloria Dei, ut ſcilicet cùm converſa fuerit arida in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum, confiteantur Domino miſericordiæ ejus, qui eſt mœrentium conſolator: & quoniam *non contriſtabit juſtum quicquid ei acciderit*, Prov. XII. 21. expedit, ut ſis in flagella paratus, & hæc ſit tibi conſolatio, ut *affligens te Dominus dolore non parcat*, Job. II. 10. & dicas ei: non mea voluntas, ſed tua fiat quoniam *qui parcit virgæ odit filium*. Prov. XIII. 24. O quàm beatum te dicerent omnes generationes, ſi quodammodò ſine ſumptu poneres Evangelium, ut videlicet cùm oculi tui languerunt præ inopia devotionis, & in via Dei ſuprà modum gravatus fueris, ſuprà virtutem, ita ut tædeat te etiam vivere; nihilominùs confortatus in Domino & in potentia virtutis ejus dicas ei: hæc omnia venerunt ſuper me, nec oblitus ſum tui, & non receſſit retrò cor meum; quia *neque mors, neque vita, neque altitudo, neque profundum à tua me charitate poterunt ſeparare*. Rom. VIII. 39. Porrò ſi incraſſatus, impinguatus, dilatatus cantaveris in viis Domini, quàm magna eſt Gloria Domini; quam mercedem habebis? Nonne & publicani hoc faciunt? Si autem is qui dedit carmina in nocte, in tribulatione dilataverit tibi, ut & libenter glorieris in infirmitatibus tuis, & velut eſuriens amarum pro dulci ſumas, puto quòd accuſator fuerim, qui calumniatur dicens: *Numquid fruſtrà timet Job Deum*, Job. I. 9. videns, quòd ceciderit in foveam quam fecit, non tam facilè ſtabit à dextris tuis ut adverſetur tibi. Tres viri illi qui in medio ignis non ſunt æſtuati, qui non dilexerunt animas ſuas uſque ad mortem, ut glorificarent & portarent Deum in Corpore ſuo; quid fatentur antè Reges & Præſides ducti propter nomen ſuum? Ecce *Deus noſter quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, O Rex, liberare*. Dan. III. 17. *Quòd ſi noluerit, notum tibi ſit, Rex, quòd Deos tuos non colimus*. ℣. 18. Planè viri iſti ſibi ipſis adeò facti erant tamquàm vas perditum, ut cùm Dominus, vel iratus tradidiſſet eos in manu Dominorum crudelium; nihilominùs, quòd oderant animam ſuam in hoc mundo, majores divitias æſtimarunt theſauro Babyloniorum Imperium Chriſti. Eia Frater, ſi egreſſus ſatan à facie Domini percuteret te ulcere peſſimo, à planta pedis uſque ad verticem; vel acceptâ Sententiâ ſecaret te medium. Quomodò permaneres in ſimplicitate tua, & audiretur in te gratiarum actio & vox laudis: qui ſi videris faciem Prioris tui non eſſe ergà te ſicut heri & nudiuſtertiùs, & eum pauliſper auſteriùs tecum agere, & conſuetum occurſum ferociùs exhibentem, protinùs repletus amaritudine, & inebriatus abſynthio aïs: dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei, & idcircò *tædet animam meam vitæ meæ*. Job. X. I. Itaque, mi Chariſſime, ſtabilis eſto, & immobilis abundans in opere Domini ſemper ſciens quòd labor tuus etſi minùs ſuavis, non tamen eſt inanis in Domino: unuſquiſque enim non ſecundùm ſuum ſaporem, ſed ſecundùm ſuum laborem mercedem accipiet. Sed eſto: aderit Dominus Deus noſter univerſis obſecrationibus tuis, & jugiter dabit tibi petitiones cordis tui, ità ut ſpiritus ejus ſicut

Digitized by Google

cut mel dulcis continuè lætificet juventutem tuam. *Quis cognovit sensum Domini?* Rom. XI. 34. affirmans, quòd proveniat tibi in salutem hæc subministratio spiritus Jesu Christi, cùm nullus hominum possit intelligere viam suam, adeò ut quid oremus sicut oportet nesciamus, præsertim cùm prosperitas stultorum perdat illos: fortassis enim si mel invenires, comederes ex eò plusquàm sufficit tibi & satiatus evomeres illud. Undè si volumus, ut rationabile sit obsequium nostrum, oportet ut in omni Sacrificio offeramus sal, *Lev.* II. 13. quia *non potest comedi insulsum quod non est sale conditum.* Job. VI. 6. Nam *& hereditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit*, Prov. XX. 21. *Quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.* Prov. XIII. 11. Ceterùm *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Rom. VIII. 28. & in hoc quoque *virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. XII. 9. si carne concupiscentiæ adversùs spiritum non quæ nos volumus illa faciamus, sed in sudore vultûs nostri vescimur pane nostro, & violenti rapimus Regnum Dei.

CAPITULUM XIV.

Utilius est acquirere arma bellica contrà tentationes diaboli, quàm solam dulcedinem devotionis appetere.

EXISTIMO autem hoc bonum *esse propter instantem necessitatem*, 1. Cor. VII. 26. ut quòd bellum instat ex adverso, & post tergum, solliciti simus induere nos armaturam Dei *ut possimus stare adversùs insidias diaboli*, Ephes. VI. 11. magis quam petere reclinatorium aureum, ut demus palpebris nostris dormitationem. Si enim quasi modò geniti infantes lac tantùm concupiscimus, devitabimus in agone contendere, dicentes quòd *melior est pugillus cum requie; quàm utraque manus cum dolore & afflictione animi*, Eccle. IV. 6. cumque abjecerimus clypeum fortium & arma bellica, quasi velimus vacare, & videre quoniam ipse est Deus, profectò videntes nos hostes deridebunt Sabbatha nostra, & tamquam pigros de stercoribus boum nos lapidabunt, & quidem satis justè. Qui enim misit manum suam ad fortia, non habet dormire jam, & requiescere; sed nec solo lacte illi opus est, sed & solido cibo ut cibatus pane vitæ & intellectûs ambulet *in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei*, 3. Reg. XIX. 8. cadentibus à latere suo mille, & decem millibus à dextris ejus.

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem Hebr. VI. 1. & si non ad perfectionem, ad aliqualem utcumque perfectum feramur, non rursùm petentes ut ad ubera portemur, & super genua blandiatur nobis. In hoc potiùs *petitiones* nostræ *innotescant apud Deum*, Philip. IV. 6. ut doceat manus nostras ad prælium, ponens ut arcum æreum brachia nostra, detque nobis victoriam per Jesum Christum Dominum nostrum, qui est *fortis & potens in prælio.* Ps. XXIII. 8. Habent quidem adolescentulæ filiæ Sion *ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & gemmas in fronte pendentes, & palliola, & lintamina, & acus & specula*, Isaiæ. III. 18. 19. 20. &c. de quibus non est modò dicendum per singula.. Verùm cùm hæc ad cultum & mundum muliebrem pertineant, ridiculum est videre hominem mollibus vestitum descendere ad singulare certamen contrà fortem armatum custodientem atrium suum; qui quasi stipulam reputat malleum & deridet vibrantem hastam. Etenim *fallax gratia & vana* hæc *pulchritudo* Prov. XXXI. 30. & si conferatur ad justificationes: *Ad oculum* scilicet *servientes quasi hominibus placentes*, Coloss. III. 22. non tamen sunt arma potentia ad destructionem munitionum, quæ possint *omnia tela nequissimi ignea extinguere*; Ephes. VI. 16. At fortis mulier illa, quæ *accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit bracchium suum*, Prov. XXXI. 17. advertens, quòd *non est ei colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, sed adversùs principes tenebrarum*, Ephes. VI. 12. vigilat & orat ne intret in tentationem. Et quoniam certamen forte dedit illi Dominus, ut vincat, induit se lorica justitiæ, in omnibus sumens scutum Fidei, & gladium spiritus quod est verbum Dei ỳ. 17. propter timores nocturnos, armata est enim, *non clypei & hastæ munitione, sed sermonibus optimis*, Mach. XV. 11. cùm *sermo Dei* sit *vivus, & efficax*, Hebr. IV. 12. *& penetrabilior omni gladio ancipiti*, cui nemo potest ex adverso resistere. Novit quippe, quòd non coronabitur nisi legitimè certaverit, 2. *Tim.* II. 5. & propter hoc *femineæ cogitationi masculinum animum inserens*, 2. Mach. VII. 21. non facit animam suam pretiosiorem quàm se, dummodò magnificetur Christus in corpore suo sive per vitam, sive per mortem.

CAPITULUM XV.

Tàm Sanctorum constantia, quàm mundanorum pertinacia in exemplum fortitudinis proponuntur: & de justa remuneratione victoris & victi.

TU itaque, Frater, attende ad petram, unde excisus es, & *noli negligere gratiam Dei, quæ est in te*; 1. Tim. IV. 14. quoniam *ut probatio Fidei* tuæ *multò pretiosior sit auro*; 1. Pet. 1. 7. tibi *donatum est pro Christo, non solùm ut in eum* credas, *verum etiam ut pro illo* patiaris. *Philip.* 1. 29. Curre igitur ad propositum tibi certamen in quo spectaculum factus es Mundo, & Angelis & hominibus, ut cùm probatus fueris, accipias coronam vitæ, quam *daturus est Deus his qui fidem suam nunquàm mutant ab eo.* Tob. II. 18. Quod si in hoc conflictu fueris vulneratus à sagittariis, ita ut plagis tibi impositis abierint te semivivo relicto, non te frangat hæc res Quinimmò *donec superest halitus in te, & spiritus Dei in naribus tuis*, Job. XXVII. 3. *Cave, ne aliquando peccato consentias.* Tob. IV. 6. Sed magis resiste diabolo, & fugiet à te. Etenim Dominus erit tecum *tamquam bellator fortis*, Jerem. XX. 11. nec dimittet te cùm peccaveris, sanans omnes infirmitates tuas, & insuper *conteret satanam sub pedibus tuis velociter.* Rom. XVI. 20. Ita ut indutus virtute ex alto dicas: *Cùm etiam infirmor tunc potens sum.* 2. Cor. XII. 10. Confortare ergò & esto robustus valdè, & stude, auxiliante eo, *qui dat lasso virtutem*, Isaiæ 40. 29. & præbet fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum, cursum consummare, & Fidem servare, & ut sumat cor tuum fiduciam propter vias Domini. Exemplum accipe exitus mali & longanimitatis, & laboris, & patientiæ Prophetas qui loquuti sunt in nomine Domini. Oculi tui semper ad Dominum *aspicientes in autorem Fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta.* Hebr. XII. 2. Intuere eos qui ibant gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti fuerant *pro nomine Jesu contumeliam pati.* Act. V. 41. dantes percutientibus se maxillam, ut saturarentur opprobriis. *Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt*, Jac. V. 11. qui *per Fidem vicerunt regna*, Hebr. XI. 33. & nunc sedent in throno Christi, sicut & ipse vicit, & sedet in throno Patris sui. Quòd si tacita cogitatione responderis, quomodò possum cum equis contendere, qui cum peditibus currens laboravi? justitia enim istorum sicut montes Dei, non possum eos sequi quòcumque ierint, quia illi ut nubes volant, ego autem *claudus sum & debilis pedibus.* 2. Reg. XIX. 26. *Sed & fortitudo mea ut favilla stupæ.* Isai. I. 31. Hi autem repleti fortitudine spiritus Domini, & judicio, & virtute,

pro-

Digitized by Google

procul odorantur bellum, nec reputant tubæ sonare clangorem, utraque manu utentes pro dextera. Ut ergò noveris, quòd Dominus instaurat testes suos contrà te, *& non sit tibi ultrà aperire os præ confusione.* Ezech. XVI. 63. Intuere, & respice opprobrium tuum: contemplare diligenter multo intuitu, quomodò filii hujus sæculi, qui *lætantur cum male fecerint.* Prov. II. 14. fortiores filiis lucis in generatione sua sint. Prorsùs tam fortes facti sunt in bello, ut non alligari, sed & mori parati sint pro Mundo, qui transit & concupiscentia ejus, *omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi:* Cant. III. 8. Contemnunt pavorem, nec cedunt gladio: quinimmò adeò suprà virtutem voluntarii sunt, ut cùm audierint buccinam, exultent audacter, scientes quòd formidolosus, & corde pavido, cum ignominia remittendus est in domum suam. Quàmvis autem Dominus spinis & maceriâ vias eorum sepiat, ostendens eis tribulationes multas & malas, ut convertantur à via sua mala, & vivant: nihilominus *sub sentibus esse delicias computant*, Job. XXXVII. *in carceribus abundantius, in plagis suprà modum, in mortibus frequenter*, 2. Cor. XI. 23. Ut vel ad horam fruantur bonis quæ sunt, & utantur creaturâ tamquàm in juventute celeriter. Etiamsi subverterit eos Dominus sicut Sodomam & Gomorrham, & contuderit *in pila quasi ptisanas feriente pilo desuper*, Prov. XXVII. 22. donec rapiantur à rugientibus præparatis ad escam, non deserent latam & spatiosam viam quæ ducit ad perditionem, *ubi sempiternus horror inhabitat.* Job. X. 22. Et *illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant*, 1. Cor. IX. 25. ambulantes certè vias difficiles, tu autem illam *quam repromisit Deus diligentibus se.* Jacob. I. 12. si tamen ut illi pro iniquitate, sic & tu pro justitia usque ad mortem certaveris. Ceterùm si posueris maculam in gloria tua, ut *quasi columba seducta non habens cor.* Ozee. VII. 11. terga verteris hostibus tuis, prædico tibi hodiè, quòd omninò dispereas, cùm utique meliùs fuisset tibi mori in bello quàm videre mala quæ occurrent tibi in extremo tempore. Si enim audieris vocem alienorum dicentium animæ tuæ: *Incurvare, ut transeamus*, Isaiæ. LI. 23. & in præsenti quidem constuprabunt ilia usque ad verticem, & velut *fornicaria quasi stercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur.* Eccli. IX. 10. Porrò in futuro comburent eam igni inextinguibili, cùm ad terram ultimam & in profundum laci cum armis suis descenderit, ubi subtùs se sternetur *tinea, & operimentum ejus vermes erunt.* Isaiæ. XIV. 11. Ibi, ibi, O homo, ibi, à quo superatus fueris, hujus & servus eris, 2. Petr. II. 19. usque ad satietatem visionis omnium carnium, ut portes opprobrium sempiternum, quòd numquàm delebitur, *& fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum.* Apoc. XIV. 11.

CAPITULUM XVI.

Cùm tranquillitas devotionis arridet, nulla homini esse debet securitas: & admonetur, ut stabilis in loco suo permaneat.

ECCE proposui hodiè coram te vitam & mortem, bonum, & malum, ne circumveniaris à satana, cùm fortassis ignores cogitationes ejus: est quippe vir bellator ab adolescentia sua, & gentes interficere non cessat, & *cùm sit pax, semper insidias suspicatur.* Job. XV. 21. Et tu ergò si *quando ille submiserit vocem suam, ne credideris ei: quoniam septem nequitiæ sunt in corde ejus.* Prov. XXVI. 25. quia naturalis malitia ejus non potest mutari in perpetuum, cùm prorsùs transierit in affectum cordis. Igitur cùm transieris per ignem & aquam, & eduxerit te Dominus in refrigerium, post tempestatem tranquillum faciens, cave ne dicas in abundantia tua: *non movebor in æternum*, Ps. XXIX. 7. nec glorieris accinctus æquè ut discinctus, *cùm ignores quid superventura pariat dies.* Prov. XXVII. 1. Interdùm quippe vox Domini intercidet flammam ignis, ut sentias medium fornacis tanquàm ventum roris flantem, ponetque aspera in vias planas, ut sit jugum suum suave, & onus ejus leve. Tunc Cantabiles tibi erunt justificationes divinæ in loco peregrinationis tuæ, & ita lætificabis lætitia inenarrabili & glorificata, ut penè oblivioni traditæ sint angustiæ priores. Verùntamen *in die bonorum, ne immemor sis malorum.* Eccli. 11. 27. ut cùm fecerit cum tentatione proventum ut possis sustinere, exulta ei cum tremore, sciens quòd tentatio est vita hominis super terram: nam meminisse debes tenebrosi temporis, & diem malam præcavere, ne fortè risus dolore misceatur, & extrema gaudii luctus occupet, ut de te dicat Dominus si quando ridebam ad eum, non credebat mihi. Quis enim scire potest *utrùm amore, an odio dignus sit!* Eccle. IX. 1. Quandoquidem Deus hominem visitat diluculò, & subitò probat illum, ut ad seipsum turbetur anima sua, & nesciat undè veniat aut quo vadat. Porrò hostes tui fugam arte simulantes, si audierint te dicentem: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Ps. IV. 9. confidens scilicet, quòd Dominus dederit tibi requiem per circuitum, & non sit satan, neque occursus malus; tunc maximè calcaneum tuum observabunt, & sicut fur in nocte ita venient. Cùmque dixeris pax & securitas, repentè irruet ventus vehemens à regione deserti, *& nisi instanter tenueris te in timore Domini, citò subvertetur domus tua.* Eccli. XXVII. 4. & fiet ruina illius magna. *Totus mundus in maligno positus est*, 1. Joan. V. 19. *& sub ipso sunt radii solis*; Job. XLI. 21. illoque trahente in terram caudâ suâ tertiam partem stellarum, non restant nisi foris pugnæ, & intùs timores; & ignoras quàm *beatus sit homo qui semper est pavidus?* Prov. XXVIII. 14. Enimverò quamdiù una manus facit opus, & altera tenet gladium, cùm timore scilicet & tremore suam salutem operando, in mundo pressuram habebis, non pacem; ut cùm hinc indè concluserit mundus vias tuas lapidibus quadris, compellaris intrare ad cenam magnam hominis Regis, qui fecit nuptias filio suo, & suspirare ad pacem Dei quæ exsuperat omnem sensum. At cùm perveneris in domum non manufactam, æternam in cœlis, sedebis *in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & requie opulenta.* Isaiæ XXXII. 18. Ibique abundantiâ perfrueris, timore malorum sublato. Interim tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam, confidens quòd *qui cœpit in te opus bonum, ipse perficiet usque in diem Jesu Christi.* Philipp. 1. 6. Si autem spiritus potestatem habentis super te cursim accesserit, locum tuum ne dimittas, ut non sis *subtractionis filius in perditionem, sed Fidei in acquisitionem animæ.* Hebr. X. 39. Reverâ enim qui tribulant te exultabunt si motus fueris dicentes: turbatus est, & motus est sicut ebrius, & omnis constantia ejus devorata est; undè & expulsus est, nec potuit stare. Et quoniam populus, *qui dilexit movere pedes suos, & non quievit, Domino non placuit.* Jerem. XIV. 10. obsecro te frater, ut non des in commotionem pedem tuum; quia *non in commotione Dominus*, 3. Reg. XIX. 1. cujus Spiritus requiescit super humilem, & quietum.

CAPITULUM XVII.

Arguitur in Sæculari studens scientia: & de bonis quæ per studium sanctæ Scripturæ homini conferuntur.

DE quibus scripsisti mihi in Epistola, *bonum est homini* sursùm nitenti hanc *mulierem non tangere*, 1. Cor. VII. 1. scilicet sapientiam sæcularem, cujus *sermones molliti sunt super oleum*, Ps. LIV. 22. & per quam de-

deridetur justi simplicitas. Job. XII. 4. Nonne qui videbantur esse sapientes in hoc sæculo *Stulti facti sunt*, Rom I. 22. ut fierent sapientes, ac novis supervenientibus, vetera projecerunt, ita ut qui fuerant curiosa sectati, comburerent Libros coram omnibus, nec ultrà docuerunt linguam suam loqui mendacium. Eià, frater, utinam sustineres modicum quid insipientiæ meæ, sed si cœpero tibi loqui forsitan molestè accipies. Timeo enim ne fortè sine causa laboraverint in te, qui suadebant tibi ut permaneres in gratia Dei, ut non de cetero tamquàm filius Agar exquireres prudentiam quæ de terra est. Sufficiebat enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium fuisse consumptum, nec ulteriùs omninò scrutari debueras ea quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei, quæ est in Fide. Quod si *fecit Deus hominem rectum*, Eccle. VII. 30. Quid necesse est ut se immisceat quæstionibus infinitis, quæ sunt inutiles, & vanæ, & generant lites, in quibus quantò plus quæsierit homo, tantò minùs inveniet? Puto nemo militans Deo implicat se libenter hujusmodi frivolis, præcipuè qui decrevit à facie manus Dei solus sedere. Cùm *sapientia hujus mundi stultitia* sit *apud Deum*, I. Cor. III. 19. nisi fortè velit sibi facere nomen grande juxtà nomen magnorum qui sunt in terra, ut non deficiat laus sua de ore hominum. Ceterùm tu, frater, qui elegisti abjectus esse in domo Dei tui, ut oblivioni datus tamquàm mortuus à corde hominum, omnium fieres peripsema usque adhuc. Quid adhuc tanquàm vivens de mundo decernis? An rursùm quæris magnificare fimbrias tuas, & vocari ab hominibus Rabbi. Quare descendere vis in hanc occupationem pessimam ut investiges sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. *Quia*, ut tibi videtur, *ignorans ignorabitur*. I. Cor. XIV. 38. Planè non mirum, si omnem escam abominata est anima tua fastidiens manna absconditum, quippe qui adhuc in solitudine rodis herbas & arborum cortices, & radix juniperorum est cibus tuus. Quid dicam tibi? Laudo te? In hoc non laudo. Cur audis Leviathan serpentem veterem & tortuosum, sicut & mulier, quæ in prævaricatione seducta fuit, ut spreto ligno vitæ comederet de ligno scientiæ boni & mali? O miserabilis prorsùs infirmitas! Nam macula hujus sceleris permanet in nobis usque in præsentem diem: ita ut etiam, postquàm à Domino plagâ inimici percussi sumus, castigatione crudeli, dulciùs audiamus fabulatores, & exquisitores prudentiæ, & intelligentiæ quàm sapientiam quæ ex ore Altissimi prodiit; quæ vitam tribuit possessori. Interroga quemlibet de viatoribus, qui peregrinus & advena sit, sicut & Patres sui; si non prohibeat, ne in pluribus quæstionibus sis curiosis, sed quæ præcepit tibi Dominus illa cogites semper ut sit lucerna pedibus tuis verbum suum, ad dirigendos eos in viam pacis. Hæc autem scientia non inflat sed ædificat, & qui apponit eam, apponit dolorem; cùm ostendat homini quòd sit miserabilis, & pauper, & cæcus & nudus. *Apoc.* III. 17. Unde si etiam *fulserint velut mundissimæ manus tuæ*, *tamen sordibus* intinget te, *Iob.* IX. 30. 31. ut scilicet te videas infixum in limo profundi, & intùs plenum omni spurcitia & iniquitate. Et cùm omnia quæ præcepta sunt tibi feceris, dices te servum inutilem: ita ut quantò major fueris, tantò humilies te in omnibus. Cumque reformatus in novitate sensus tui intellexeris quòd verba quæ loquutus est Dominus, spiritus & vita sunt; lætaberis *super eloquia* ejus, *sicut qui invenit spolia multa*; Ps. CXVIII. 166. & dices: *Sapientia hominum non est mecum*, sed novi *Sanctorum scientiam* Prov. XXX. 2. 3. & idcircò *existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi*: Philipp. III. 8. cùm *vani* sint *omnes homines*, *in quibus non subest scientia Dei*. Sap. XIII. 1. Verùm si quis profunda fluviorum scrutatus fuerit, ut abscondita perducat in lucem, in quibus *cùm consummaverit homo tunc incipit*, Eccli. XVIII. 6. cautus sit, ut, cùm venit ad aquas profundi torrentis, qui transvadari non potest, ne fortè abundans in sensu suo velit sapientior esse Daniele, à quo omne secretum non est absconditum, & *scrutator Majestatis* opprimatur *à gloria*. Prov. XXV. 27. Si ergò amplexatus fueris eum qui secundùm doctrinam est fidelem sermonem, ac mirabilia testimonia Dei scrutata fuit anima tua, cibabit te Dominus volumine scripto intus & foris, & sic mortem non gustabis in A æternum, sed deinceps vives *in omni verbo*, *quod procedit de ore Dei*. Matth. IV. 4. Dabit autem Dominus illuminatos oculos cordis tui, ut illic reperias thesauros absconditos & arcana secretorum, ut quæcumque sunt abscondita & improvisa discas, omnium enim artifex docebit te sapientiam. Illuminatus quippe mirabiliter à montibus æternis super omnes docentes te intelliges; ita ut non sit nobis necesse quicquam loqui; quoniam *tenebræ tuæ erant sicut meridies*. Isaiæ. LVIII. 10. non solùm enim *omnis sermo Dei ignitus est clypeus sperantibus in se*. Prov. XXX. 5. sed etiam in potestate docet non sicut Scribæ & Pharisæi, utpote *malleus conterens* petram. Jerem. XXIII. 29. Certè *inimici nostri sunt judices*, Deut. XXXII. 31. qui olim missi fuerant, ut caperent Jesum in sermone quem putabant in ventum verba proferre, sicut illos, qui dicunt & non faciunt; qui cùm audissent ignitum eloquium suum vehementer repleti sunt stupore & extasi in verbis gratiæ quæ procedebant de ore ejus, B & tamquam madidi à vino, à facie sanctorum verborum ejus reversi sunt glorificantes & laudantes Dominum in omnibus quæ audierant, dicentes: nunquam *sic loquutus est homo*, Joan. VII. 46. ut *hic homo* loquitur.

CAPITULUM XVIII.

De exellentia & dignitate Sacræ Scripturæ: & quantùm aliis scientiis collata præmineat.

OMNIS quidem *sapientia à Domino Deo est*, Eccli. I. 1. quia *Deus scientiarum Dominus est*, I. Reg. II. 3. *Sed sicut alia est claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum*. I. Cor. XV. 41. sic est differentia Scripturarum. Quid enim paleis ad triticum ait Dominus, aut quæ comparatio Scripturæ continentis præcepta & doctrinas hominum secundùm elementa mundi, ad illam, quam nobis C enarravit unigenitus, qui est in sinu Patris, qui lucet sicut lucerna in caliginoso loco, & verba vitæ æternæ habet? Illam enim constituerunt homines infirmitatem habentes, quia *omnis homo mendax*, Psal. CXV. 11. hæc autem, quæ de cœlo venit, super omnes est: quia nunquàm *humana voluntate allata est, sed Spiritu sancto inspirati loquuti sunt eam Sancti Dei homines*. 2. Petr. I. 21. Illa tantummodò videt in facie, nec intuetur cor, cùm solus Deus novit cor omnium filiorum hominum; hæc verò pertingit *usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum & medullarum*, Hebr. IV. 12. discernens cogitationes & intentiones cordis: Illa judicat *secundùm faciem, & difficile æstimat quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt invenit cum labore*, Sap. IX. 16. hæc autem signa sciens & monstra antequàm fiant, & eventus temporum & sæculorum, liberè judicat omnia, etiam profunda Dei: illa in sublimitate sermonis & in doctis humanæ sa- D pientiæ verbis totum spiritum suum profert; hæc verò etsi imperita sit sermone sed non scientia, undè & contemnit uti verbis potentibus & ad deprecandum compositis, sciens quòd *regnum Dei non est in sermone, sed in virtute*, I. Cor. IV. 20. *Nam qui tantum verba sectatur, nihil habebit*: Prov. XIX. 7. Illa nihil habet in domo sua nisi parum olei quo ungatur, undè in facie glorietur, & non in corde, cùm interiùs sit inanis & vacua. Hujus autem & deforis est facies decora & eloquium dulce quoniam *non est talis*

super

Digitized by Google

super terram *in aspectu*, *in pulchritudine*, *& in sensu verborum*. Judith. XI. 19. Ceterùm omnis gloria ejus ab intùs, ubi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, ut ditet diligentes se & thesauros eorum repleat. Illa coacervat sibi discipulos prurientes auribus ad nihil aliud vacantes nisi aut dicere, aut audire aliquid novi, quorum oculus non satiatur visu, nec auris auditu. Hujus autem sectatores devitant prophanas vocum novitates, contenti scire Mandatum vetus quod audierunt ab initio; ut se invicem diligant, scientes proculdubiò, quòd *plenitudo Legis* & scientiæ est *dilectio*; Rom. XIII. 10. cujus luminosa *unctio docet de omnibus*: 1. Joan. II. 27. *Illa de terra est*, *& de terra loquitur*. Joan. III. 31. Nam etsi quandoque quasi magna cogitans attonitos habet oculos, illicò iterùm inclinans se digito scribit in terra: hæc verò de rebus magnis loquutura est, nec omninò lux vultus sui cadit in terram, cùm in altissimis habitet, & *thronus ejus in columna nubis*. Eccli. XXIV. 7. Illa dum antiquatur & senescit propè interitum est, & idcircò necessariò renovatur de die in diem, frequenter dicens Isaï. XXVIII. 10. *manda remanda* quia uno condente, altero revocante quasi hodie est, & cras in clibanum mittitur. Hæc autem Lex Domini immaculata permanens in sæculum sæculi, Præceptum posuit, & non præteribit; quoniam faciliùs est cœlum & terram transire, quàm de ea unum apicem cadere. Quæ *cum sit una*, *omnia potest*: *& in se permanens omnia innovat*. Sap. VII. 27. Illa auditores suos convertit in vaniloquium volentes esse Legis Doctores qui sæpiùs irritum faciunt Mandatum Dei per traditiones suas, ex quibus oriuntur *iræ*, *rixæ*, *sectæ*, *dissensiones invidiæ*. Galat. V. 20. *quæ ad nihil utiles sunt*, *nisi ad subversionem audientium*. 2. Tim. II. 14. Hæc verò *omnibus obtemperantibus sibi est causa salutis æternæ*. Hebr. V. 9. præcipiens sectari *pacem sine qua nemo videbit Deum*. Hebr. XII. 14. Quæ cùm desursùm descenderit pacifica & pudica docet *servum Domini*, *non litigare*, *sed mansuetum esse ad omnes*. 2. Tim. II. 22. Si igitur Lex illa quæ scripta est spiritu Dei vivi, quæ verè trahitur de occultis, in qua propter suam munditiam nihil inquinatum incurrit, ad illam comparetur quam condidit homo similis illis passibilis, qui ignorant, & errant, utpotè circumdati infirmitate; nonne dicturus es quòd tantùm præcedit sapientia stultitiam, quàm differt lux à tenebris, cùm *Leges Populorum vanæ sunt*, Jerem. X. 3. & *stultus factus sit omnis homo à scientia sua*. LI. 17. Advertis-ne frater, quemadmodùm omnis Scriptura divinitùs inspirata superborum & sublimium colla propriâ calcat virtute, eorum scilicet, qui sapientes sunt in oculis suis, & dicunt, numquid & nos cæci sumus? O quàm potenter in captivitatem redigit omnem intellectum in obsequium Christi, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, quoniam *nullus ei similis in Legislatoribus*. Job. XXXVI. 22. Si quis in ea *non manserit*, *mittetur foras & arescet*, Joan. XV. 6. expulsusque in terra salsuginis, & inhabitabili; mercedem erroris sui quam oportuit, in semetipso protinùs recipiet, ut à veritate quidem auditum avertat, ad fabulas autem convertatur. Quæ nunquàm alent eum in fame.

CAPITULUM XIX.

Licèt sacra Scriptura à cæcis seculi amatoribus contemnatur, admonetur tamen, ut omissis aliarum scientiarum studiis amori illius totus incumbat.

A DE Divina autem Scriptura noli mirari, frater, si odit eam mundus, quia cæcus à nativitate ponit *amarum in dulce*, *& dulce in amarum*. Isaiæ V. 20. quippe qui *spiritum veritatis non potest accipere*, *quia non videt eum neque scit eum*. Joan. XIV. 17. Etenim Sermo Dei est pretiosus, & diligenda sunt Mandata sua super aurum & topasion; cùm nihil dulcius sit, quàm permanere in Mandatis illius, & insuper *in custodiendis illis retributio multa*, Ps. XVIII. 12. veruntamen *anima satiata calcabit favum*; Prov. XXVII. 7. *sed nec recipit stultus verba prudentiæ*: *nisi ea dixeris quæ versantur in corde ejus*: ibid. XVIII. 2. *Nam & de secta hac notum est nobis*, *quòd ubique ei contradicitur*. Act. XXVIII. 22. Ubi enim monet declinare à malo, & facere bonum, palam scilicet loquens & proverbium nullum dicens, non prophetat eis bonum, sed malum omni tempore. Ita ut incircumcisi cordibus & auribus dicant ei; *Recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus*. Job. XXII. 17. Ceterùm ubi fuit tenebrosa aqua B in nubibus aëris, *Ps.* XVII. 12. *& visio omnium sicut verba libri signati*, Isaïæ. XXIX. 11. in quibus sunt quædam difficilia intellectu; illic maximè contemnitur *hæc lampas apud cogitationes divitum*, Job. XII. 5. fit denique *opprobrium abundantibus*, *& despectio superbis*. Ps. CXXII. 4. Nisi enim adsit ille qui amicis aperuit sensum ut intelligerent scripturas, cùm is cujus excelsi sunt oculi & palpebræ in altum porrectæ, spiritualiter examinatur non possit intelligere, facilè addit super peccata sua blasphemias, ut dicat de verbo Dei: *dæmonium habet & insanit*, *quid eum auditis*? Joan. X. 20. *O stulti & tardi corde ad credendum*! Luc. XXIV. 25. *Adhuc & vos sine intellectu estis* Matth. XV. 16. ut inflati sensu carnis vestræ extollatis vos adversùs scientiam Dei, quod vobis non cedet in prosperum. *In dextera* quidem illius *ignea Lex est* Deut. XXXIII. 2. ad dandam scientiam salutis plebi ejus, ut eis notum faciat Sacramentum voluntatis suæ: sed quia tenebræ operiunt terram, & caligo populos; opertum quippe est Evangelium his qui pereunt: non potestis revelata facie speculari de Scriptura Dei, quæ valdè adC mirabilis est & facies ejus plena gratiarum, absque eo quod intrinsecùs latet: at soli illi qui edunt eam, adhuc esurient; quia *esurientes* semper *implevit bonis*: Luc. I. 53. alens eos cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, ut gustent, & videant quàm bona est negotiatio eorum. Porrò autem qui *dilexerunt tenebras magis*, *quàm lucem*, Joan. III. 19. & contemnentes edere de ligno vitæ quod est in Paradiso Dei; dicunt: *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo*, Num. XXI. 5. non mirum, si in mentem eorum veniunt cucumeres, & pepones, porri, cepe, & allia sæcularis scientiæ, quâ *dicentes se esse sapientes*, *stulti facti sunt*. Rom. I. 22. Obsecro ergò te, Frater, per viscera misericordiæ Dei nostri, *si qua consolatio in Christo*, *si quæ societas spiritûs*, *si quod vinculum cha*D*ritis*, Philipp. II. 1. ut *non recedat volumen* Dei de *ore tuo*, Josue. I. 8. & meditare in eo diebus, & noctibus; ancillam verò ejice, & filium ejus. Est quippe *ferus homo*, & *manus ejus contrà omnes*, Gen. XVI. 12. & sapiens apud semetipsum, qui formam scientiæ & veritatis habens in Lege *omni tempore jurgia seminat*. Prov. VI. 14. Heres autem in domo Patris nostri esse non potest, tum quia de adultera Matre natus est, tum quia multos turbavit pacem habentes; cùm in pace vocaverit nos Deus, qui dissipat gentes quæ bel-

Digitized by Google

bella volunt. Memento dierum antiquorum, qualiter scilicet Mater ejus, *videns se concepisse, despexit Dominam suam*, Gen. xvi. 4. & cave, ne tribuas insipienti honorem, quia etsi utcumque tolerabiliter *per tria* moveatur; *quartum* tamen *sustinere non potest*, Prov. xxx. 21. ut sit ancilla heres Dominæ suæ. *Quare ergò seduceris, fili mi; ab aliena, & foveris in sinu alterius*; Prov. v. 20. A ut velis semper discere, & nunquàm ad scientiam veritatis pervenire. Quòd si claudicare vis in duas partes, & ingredi terram duabus viis, timens quidem Dominum, & nihilominùs tuis Idolis serviens, scito quòd decepisti animam tuam. Non enim potes manum tuam mittere in ambobus, cùm omninò non sit *societas luci ad tenebras*, 2. Cor. vi. 14. quia *prudentia Carnis mors est; prudentia autem spiritus vita & pax*. Rom. viii. 6. *Dic* ergò *sapientiæ: Soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam ut custodiat te à muliere extranea, quæ verba sua dulcia facit*. Prov. vii. 4. *Ubera illius inebrient te omni tempore*, & *in amore ejus delectare jugiter*; Ibid. v. 19. quia *meliora sunt ubera* ejus *vino fragrantia unguentis optimis*. Cant. i. 2. *Quæ sunt per Allegoriam dicta*; *hæc* etiam *sunt duo testamenta*, Galat. iv. 24. quæ quamdiu parvulus es & expers sermonis justitiæ, stillabunt tibi dulcedinem, & fluent lac & mel: sed cùm avulsus fueris à lacte, & factus vir evacuaveris quæ parvuli erant, sustollent te super altitudines terræ, & cibabunt te hereditate Jacob Patris tui, ubi comedunt amici & inebriantur charissimi, adeò ut cupias dissolvi, & esse cum Christo. His ampliùs, Frater mi, ne requiras, nam faciendi plures Libros nullus est finis. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens; sed languens circà quæstiones & pugnas verborum*. 1. Tim. iii. 4. Tunc sepi aures tuas spinis, & repletus spiritu judicii, & spiritu ardoris exclama: *Nunquid finem habebunt verba ventosa*? Job. xvi. 3. quia narrant mihi iniqui fabulationes, ut renuens torrente voluptatis divinæ potari; iterùm pergam in via Ægypti, ut bibam aquam turbidam. *Declinate à me maligni, & scrutabor Mandata Domini mei*, Ps. cxviii. 115. Nam stultas & sine disciplina quæstiones devitare prorsùs intendo. Voluntas autem cordis tui & obsecratio ad Dominum pro illis fiat in salutem, ut aperiat eis Librum signatum sigillis septem, & revelatis oculis considerent mirabilia de Lege sua, ut jam non ambulent in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum; sic enim appropinquantes pedibus ejus accipient de doctrina illius, & scient quòd venit hora, ut jam non in proverbiis loquatur eis, sed distinctè & apertè ad intelligendum. Cùmque aperti fuerint oculi eorum & cognoverint Dominum in fractione panis, apparebit eis, quàm stultè egerint, & ignoraverint multa nimis: & idcircò ardentiùs festinabunt ingredi in illam requiem, ubi est sapientia, ubi virtus, ubi lumen oculorum & pax. Salutat te multùm in Domino G. charissimus conservus, & frater noster, qui licet Marthæ fungens officio turbetur ergà plurima, semper tamen memoriam tui facit in Orationibus suis, ut fiduciam & gloriam Spei usque in finem firmam retineas. Salutant te P. & E. & omnes, qui mecum sunt, Fratres. Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo. Amen. Deo gratias.

Explicit exhortatio ad constantiam suscepti propositi cuidam Novitio Carthusiensi directa.

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

CONTRA PROFESSUM INOBEDIENTEM.

Ad MSS. Codd. Victorin. 699. & Navarr. unum.

De ore tuo te judico, serve nequam. Luc. xix. 22. Si hoc dixit in parabola Dominus de servo non multiplicante, licet reddente talentum, quid dicturus est de servo dissipante, simul & negante talentum? Talis est ille inobediens professus, sit Clericus, sit laïcus, qui propriam spiritus sui voluntatem acceptam à Deo causâ lucrandi vitæ thesaurum æternæ, dedit illam in manu Superioris sui dicens: *Suscipe me, & vivam*, Ps. cxviii. 116. *Abba, Pater. In manus tuas, Domine,*
B *commendo spiritum meum*; Ps. xxx. 6. quoniam fidens in te & de me diffidens do illum tibi. *Adjuva me & salvus ero*. Ps. cxviii. 117. Nunc tu quisquis es professus hoc modò vel simili; qui Patri, cujus est voluntas tua dono tuo, immò voto spontaneo priùs, nunc in necessitatem verso parere recusas, qui contrà stimulum calcitare præsumis; interrogabo te paucula, quatenùs ex ore tuo te judicet conscientia tua. Interrogo te, non dico, *serve nequam*, sed fratrem & conservum in Christo charissimum, agens *in spiritu lenitatis*, Gal. vi. 1. & instruens juxtà monitionem Apostoli & Christi, cupiens te salvum esse ab errore viæ divinæ, quoniam omnis inobedientia deviat à via vitæ, ad quam qui reduxerit & converterit peccatorem, *operit multitudinem peccatorum*: 1. Pet. iv. 8. Interrogo te, si memineris Professionis tuæ, & si pœnitet te fecisse? procul absit hæc ingratitudo à spiritu tuo, procul & talis oblivio. Porrò si memineris & approbas, interrogo, quis sapientior & potior interpres erit Professionis hujus, qualiter observanda est, aut Superior Pater tuus, maximè cum consilio Conventus, aut tu subditus, & unicus, & ut fertur laïcus? Si tu tuum dixeris præfe-
C rendum, præponendumque judicium, quàm erras intolerabiliter; neque est, qui talem te non aspernatur, tuam protinùs arrogantiam subsannans & dicens: Quis potest hunc audire? certè puto, quòd pudet te etiam hæc interrogatio auditu suo primo. Interrogo deinceps: putas-ne Patrem, immò & Patres tuos, ita malignantis esse nequitiæ, quâ in malè consulendo saluti tuæ vellent se simul & te perire? Exclamabis arbitror ad hanc interrogationem cachinnans, & indignans rugata fronte. Longè sit hæc insania à me pauperculo idiota, subdito, & peccatore; ut de sanctissima Superiorum meorum, probatissimaque sapientia tàm sacrilegè desipiam. Evigila nunc & perspice, si non brevi ratiuncula protinùs *ex ore tuo te judico*, qui jussus hoc & illud facere non obedire perseveras. Si enim Superior tuus sapientior est in cognoscendo præcepta Regulæ quam professus es; si prætereà credis, quòd nollet se damnare,
D dum tibi præcipit obedire; quid obniti potest, quid excusationis afferre super inobedientia tua, ne dicam, pertinacia. Sed dices fortè, dimissis oculis & facie humi dejecta, si non omnis à te pudor abscesserit, si non attrita jam fronte meretricem imitaris dicens: Volo virtuosus esse, & Domino per afflictiones, abstinentiamque placere, exemplo priorum Sanctorum, nominatim Joannis Baptistæ. Sentio fortitudinem corporis mei, scio quòd jejunium à vino non erit in gravamen mihi. Ecce, Frater, recedis jam à concessis priori-bus.

Digitized by Google

bus. Tu judicium tuum præfers omni alteri, quasi si dicat infirmus, & insanus Medico suo: Cognosco meliùs dispositionem meam, quàm tu ipse. Scio qualiter obtemperandum mihi non est regulis artis tuæ.

Aggrediar nunc te altera via duriore, ut ex ore tuo te judicem, si pertinax esse decreveris, non tantummodò servum nequam, sed vel hæreticum, apostatam A vel de hæresi & apostasia vehementer suspectum; ita tamen, si deperditio judicii rationis per cerebri læsionem tibi non fuerit excusationis subsidium, quo casu non ita argumentis Theologiæ, sed fomentis Medicinæ opus erit. Dixit Dominus noster Jesus Christus ad omnes in Ecclesia Prælatos loquens ad personas Apostolorum & Discipulorum: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Luc. x. 16. Credis hoc? Credis, si Catholicus es. Scio prætereà, quòd Superiores sunt & Prælati tui Patres Ordinis sancti, in quo & sub quo professum te negare non potes; aut si negas, erras in facto, & convinci testibus potes; immò verberibus & carceribus coërceri; alioquin fas esset, exemplo simili & perniciosо, cuilibet professo Religionem, se negare Professum & impunè. Ceterùm si fateris te Professum, fatearis oportet te ad obedientiam, contrà proprium etiam voluntatis arbitrium teneri ligatum. Alioquin contradicis Evangelico nunc indu- B cto Præcepto: *Qui vos spernit, me spernit.* Qui autem spernit Christum, utique blasphemat & apostatizat: & si addit quòd hæc licitè faciat, se palàm in hæresim præcipitat, ex qua si non velit extrahi, pertinax est judicandus, & ut talis brachio sæculari relinquendus, nedum à Monasterio pellendus. Provideat salubriora Deus; tamen, etsi ita loquimur & verè loquimur, tentabo viam rursùs alteram, quæ sanioris est ad morbum fomenti. Dicis (ut accepi & jam prætactum est) quòd non ex inobedientia desistere vis à potu vini, ceterisque cibis lautioribus Ordini concessis, sed ad virtutes acquirendas ex pœnitentia. Vide, quæso, Frater, ne mentiatur iniquitas sibi, ne sit iste laqueus satanæ sub Angelo lucis, non virtus abstinenentiæ in spiritu humiliatis. Itaque si vis ut credam tibi, ostende vel paulisper obedientiam in quantulo potu vini, nec non in alio Fratrum edulio saltem pauculo, undè non possit corpus ad lasciviam excitari, neque rigor abstinentiæ perdi. Nunc verò quale istud est, quòd abhor- C res à vino taliter, ut nec consuetudini Ecclesiæ velis esse conformis, quæ post sacram Communionem dat laïcis poculum vini tantillum. Qualis est ista, obsecro, singularitas? Nunquid de radice procedit abstinentiæ, & non potiùs ex intimis hypocritalis dementiæ? ut, dùm facis quod nemo, mirentur omnes & tibi laudem singularitatis impunè præsumas. Legimus de multis ita seductis, pessimo fine terminantibus vitam. Fuit sancto Francisco collaudatus Frater unus, qui jussus confiteri per verba, noluit nisi per nutus. *Tollite* (inquit sanctus Franciscus) *figmentum hoc diabolicum*, docuit exitus ita esse. Dicit Climacus: *Si videris aliquem, qui sibi sit in Communitate singularis, ipse non indiget dæmone tentante, quia factus est sibi dæmon.* Et apud Sapientem scribitur: *Vidisti hominem sibi sapientem videri? plus illo spem habebit insipiens.* Prov. xxvi. 12. Quis verò plus sibi videtur sapiens, quàm sit ille qui judicium suum præfert judicio quorumcumque? At vero dicit Frater iste, sicut accepi: Nullum audiam in abstinentia D mea, nisi solam Ecclesiam; quasi videlicet pro quolibet tali sit convocandum generale Concilium, aut sit Papa specialiter adeundus, & non sufficienter dicat Ecclesia, quando Superior, præsertim in re tali, discernit & jubet. Existimo proindè, quòd si mitteretur ad Papam Frater iste, nec sic obedire jussioni suæ vellet. Est apud narrationes Patrum de quodam gloriante in abstinentiæ singularitate, quòd remedium invenerunt Patres: ligaverunt ipsum tanquàm fatuum, & certè jam ipse talis erat; compulerunt uti lautissimis cibis, & vino ad saturitatem & nauseam. Quid tandem? Sanatus est à præsumptione vel arrogantia singularis abstinentiæ, & consequenter à vanitate & periculo insaniæ liberatus. Tradidit beatus Bernardus, quòd diabolus non habet machinamentum majus ad perditionem quærentium placere Deo, quàm si suadeat currere indiscretè, quatenùs qui currit incurrat, & præceps ruat. Vocatur hoc dæmonium meridianum, quando sub specie magni boni & singularis profectus, incidit quis in magnum malum. Et quod majus malum, quàm inobedientia, quæ *peccatum ariolandi*, 1. Reg. xv. 23. id est, idolatrandi à Domino nominatur? Prætereà dicit Apostolus: *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum*, 1. Cor. viii. 13. quantò magis si abstinentia tua, ô Frater, scandalizat fratrem, nedum *unum ex pusillis*, sed Patrem & Majorem: væ tibi timendum est. Itaque non expedit tibi contristare Patrem tuum, non contumacem esse ad illum, id est, non tollere te sibi, cui te voto tradidisti; hoc rapina est, hoc sacrilegium. Dicam tibi in veritate, nec mentiar, si de duobus malis alterum esset faciendum; vel comedere carnes in die Veneris sancta cum renisu conscientiæ timoratæ: aut abstinere à vino contrà præceptum obedientiæ rationabiliter impositæ; præferrem primum, quia secundum non ideò malum, sed ut bonum deberet impleri, bibendo vinum. Alioquin cum pertinaci renisu non staret salus; ubi aliud perpetrando cum subsequenti humili pœnitentia, comedens carnes salvaretur. Denique si fortè dicturus es: Moveor lege Spiritus sancti; vide si Spiritus sanctus est *dissensionis Deus*. 1. Cor. iv. 33. Vide si cuilibet professus regulam ita diceret, quanta confusio sequeretur? Vide si sufficientem doces exceptionem à Regula generali, quam & secundùm quam professus es. Sed formido ne faciam verba mea surdo, nisi quòd non jam tibi, sed Patribus pro te loquor; & fortè pro ceteris inposterùm, si (quod avertat Deus) occurreret casus talis. Benè vale, cor boni consilii statuens tecum, *non plus* aut aliter sapiens, *quàm oportet*. Rom. xii. 3. Joannes Cancellarius Parisiensis. Lugduni. Anno 1426. In Januario, &c. *Finis.*

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

DE

ZELO ET FERVORE

NOVITIATUS, &c.

Ad eumdem MS. Cod. Victorinum.

SOLET zelus domus Dei, præsertim dùm est novitius, homines bonæ voluntatis comedere, hoc est urgere, ut omnia quæ conspiciunt vitiorum scandala satagant vel tollere, vel culpare, vel ceteros ad ablationem acriter animare. Non dissimulandum asserit, non parcendum, non scandalum formidandum, sed incedendum viriliter *per arma justitiæ à dextris & à sinistris; per infamiam & bonam famam*, 2. Cor. vi. 8. per verbera, si opus est, per sanguinem & per mortem. Verùm evenit, quòd post experientias varias, post irritos conatus, post agnitam humanæ fragilitatis, & iniquitatis abyssum inexhaustibilem, temperatur, & mollescit fervor iste bullienti musto similis, & quò maturior, eò sanior efficitur, mitigatque tribulationis aquâ vinum nimis fervidæ charitatis. Porrò non negaverim, me prioribus Annis zelum hujusmodi qualemcumque sensisse: sed quàm frequenter fuerit non secundùm scientiam, me docuerunt exitus. *Finis.*

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

SCHEDULA DIRECTA CUIDAM INCLUSO IN MONTE VALERIANI.

Ad MS. Cod. Vict. 463.

JOANNES Cancellarius indignus Ecclesiæ Parisiensis Antonio recluso in monte vallis. Fructum eremicolæ solitudinis adipisci. Zeli mei ferventis ergà salutem tuam testimonia plurima suscepisti, tum collocutione mutua, tum litteris, quibus sollicitudinem meam trepidam animadvertere potuisti, ne forsan ambulares in via quæ tibi videretur recta, & novissima ejus ducerent ad mortem. Hoc autem erat, si ambulares in magnis & mirabilibus suprà te, propria duce opinione, duce pessima, innitendo baculo arundineo propriæ prudentiæ, clausis quoque oculis, & auribus, ad alienum cujusquam consilium. Non enim dubitabam, si taliter ambulares, quin veniret tibi *pes superbiæ, manus peccatoris* moveret te, & caderes, ubi *ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem.* Ps. xxxv. 13. O malum superbiæ pedem esse sapientem in oculis suis, & coram se ipso prudentem. Recedit quippe Deus ab omni arrogante, & *humilibus dat gratiam.* Jacob. IV. 6. Sed quæ arrogantia major, quæ superbia periculosior? quàm reputare se solùm benè sapere in causa sua, ubi totiens fallitur humana fragilitas, vel amore cæco, vel latenti ambitione, vel alia hujusmodi diabolica illusione, quæ mille modis insidians, & laqueos innumerabiles antè gradientis pedes jaciens, non aliter quàm humilitate superatur. Est autem humilitas in anima duplex; alia in voluntate, alia in intellectu seu ratione, utraque difficilis obtineri. Sed, meo judicio, plus est difficultatis in secunda, quia nihil insidiatur dolosiùs, neque blanditur fallaciùs, neque subintrat imperceptibiliùs, neque fugatur operosiùs, quàm reputatio proprii judicii in causa sua. Æstimat enim nullos alios ea singula perspicere, quæ circunspicere se etiam experimentaliter arbitratur, & dicit sibiipsi: *Nemo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est*; I. Cor. II. 11. & similia multa, in quæ invenienda solers est humana præsumptio diabolicis machinationibus agitata. Olim de te talia non mediocriter extimescebam; scis ipse. Nunc, Deo propitio (cui gratias age in veritate) in spem meliorum respirare audeo, pluries nimirùm & à pluribus, & sub littera tua propria testimonium nuper habui te humiliatum usque adeò, ut omnem sensum proprium, & omne judicium tuum longè projeceris, & supposuisti illud judicio Prælati tui, seu illorum quibus committere, aut commisisse placuerit; benè est. In hoc sta, fecisti de necessitate virtutem. In hoc humilitatis fundamento te jugiter consolida. Fige pedem, indè ne movearis, ne subitò corruas. Sit ista mens, assidua tibi sit ista animi præparatio, ut nunquàm vel minimò dissentias (si cognoveris) à sententia, à judicio, ab arbitrio, à consilio ejus cui te dedisti & dare debuisti; Prælatum tuum loquor. Esto sub eo velut lutum molle in manibus rotantis figuli, aut ferrum candens flexibile sub malleo fabri, dicens cum Propheta: *Paratum cor meum, paratum cor meum.* Ps. LVI. 8. Etiam si te penitùs ejicere de loco tuo decreverit, nihil dijudices aut tibi reserves, neque per adversa, & varia consilia vagabundus oberres. Hoc tantummodò pete à Domino, ut per ejus medium vias tuas dirigat, nec eundem aut alios sibi commissos falli permittat in tuo regimine. Ita enim humiliatus incedes sub alterius jugo; & nihilominùs implebis illud Propheticum: *Jacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Ps. LIV. 23. Et quamvis introitus tuus ad locum illum nunquàm mihi satis discretè susceptus apparuerit, causas legisti; multa tamen tolerantur jam facta, quæ displicuissent facienda. Vertat omnia in bonum Deus, & ita vertet, si non in superbia in altero pede animæ, in voluntate scilicet aut in intellectu, tibimet obstiteris. Benè vale, mei memor in Orationibus tuis, & schedulam regiminis tui, quam præsentibus inclusi susceptam adimplere satage. Et quod interpretandum fuerit, aut elucidandum, per litteras interrogare fas habebis.

SCHEDULA REGIMINIS INCLUSA.

SIT antè omnia singulare studium tuum circà observationem Mandatorum Dei quæ omnes obligant, & quorum transgressio mortem operatur. Item nullum votum, & nulla observatio teneatur in præjudicium, aut impedimentum observationis hujusmodi Legis Christi. Item sit abstinentia tua sic moderata, quod nec sit onerosa puræ mentis elevationi, per nimiam ingurgitationem & repletionem, nec sit destructiva corporis, & impeditiva debiti usus rationis per excessivam abstinentiam debilitantem, & evacuantem cerebrum, & quandoque melancholicas insanias operantem; quia hæc abstinentia indiscreta tantò periculosior esset, quantò ad sanationem minùs reduci posset, si semel rationem everterit. Idem dicimus de somno, de vestimento, de cubili, & aliis recreationibus ad carnem spectantibus, immò & de scribendo, & de ipsis lachrymis, pro quanto redundat in fatigationem corporis. Item de præteritis votis nullum habeas scrupulum, quòd te obligent ad abstinentiam duriorem quàm ferre possis cum debito usu rationis: nam cum divina autoritate accedit autoritas expressa Prælati tui, Domini Parisiensis, quæ talia omnia vel relaxat, vel de eis dispensat, si, ubi, & quando in tuæ salutis cederent detrimentum, modis dictis. Propterea mox ut perceperis jejunia tua in pane & aqua vel alia te notabiliter gravare, in turbationem rationis tuæ, illa statim vel relaxa, vel tempera. Et in hoc poteris insequi non solùm tuum, sed tibi servientium judicium. Item non multùm refert, si quodcunque appositum tibi fuerit comederis, servata institutione generali Ecclesiæ, & temperantia moderata, qualiter expressa est.

Item stude, quantùm poteris, solitudini mentis ab omni cura temporalium, & hominum terrenorum. Nec ingeras menti tuæ curas superfluas sub prætentu salvationis aliorum; quoniam ista cogitatio tolleret omnem solitudinem tuam, & faciliter præcipitaret in abyssum superbiæ, & consequenter apostasiæ. Omnem idcircò talem cogitationem confestim ut insidiatricem pessimam expellito, quacunque tunicâ boni apparentis fuerit investita. Constitue te ipsum quasi solus esses in mundo ad salvandum te, quousque forsan ex aliâ vocatione incubuerit tibi onus istud. Dic interim tibi & cogitationibus tuis: qui judicat alios & gubernat, Dominus est, potens est & bonus ad salvandum eos sine me. Mihi hoc unum pro eis agere relictum est, pro eisdem exorare, flere & compati. Item nulli, aut paucissimis, & rarissimè scribas, nisi pro necessitate tuæ instructionis habendæ. Similiter paucis loquere, neque omni hora. Et plus ab aliis quære instructionem, quàm eos velis edocere, semper in spiritu humilitatis, nihil de altis quæstionibus, aut casibus difficilibus, neque de Prædicationibus, & Confessionibus te quomodolibet intermittens, sed indigentes cum

Digitized by Google

cum benevolentia ad prudentiores remitte. Eis quoque securiùs aliquid scriptum legere poteris, quàm aliquid de tuo in medium adducere. Item pro tollendo acediam, & evagationem mentis, & sublevando fastidium, compara tibi mutuò, vel aliundè Libros Sanctorum morales, in quibus crebrò studeas: hoc modo non eris solus, dùm cum mortuis, aut absentibus sine periculo confabulaberis, relegens sua scripta, ut sunt Moralia Gregorii, Codices Regularium Institutionum beati Benedicti, Augustini, Cassiani, & aliorum: Sermones insuper Bernardi *super Cantica*, & similia Sanctorum Opuscula. Item, habeas omni tempore suspectas quascumque visiones insolitas, diurnas, vel nocturnas, & illas imputa vel læsioni capitis, vel certè demeritis, & peccatis tuis. Similiter dicimus de spiritualibus sentimentis, & dulcedinibus, nisi clarè sentiantur ad humiliationem, & contemptum tuæ vilitatis inducere. Nam impossibile est hominem sibi placentem in talibus Deo placere perfectè. Tunc quippe dimisso Deo sponso animæ, ipse cum suis delectationibus fornicatur. Item nunquàm deinceps astrinxeris te voto aliquo novo sine Superioris tui licentia speciali, neque etiam absque eadem licentia per quorumcumque aliorum consilium, modum tuum vivendi in hac reclusione tibi præstitum, transgressus fueris, maximè aperiendo cellam tuam cuiquam, nisi casus necessitatis, qui Legem non habet, emergeret. Memento, te esse bestiam, feram, & indomitam, quæ tali reclusione indigeas, quem carcerem si spontè cuiquam aperueris, tibi facis viam ad tui, & aliorum perniciem. Erit tamen clavis taliter collocata, quòd satis in promptu possit haberi propter casus tuæ necessitatis possibiles evenire.

TRACTATUS CONTRA PROPRIETARIOS REGULÆ S. AUGUSTINI:

Qui ascribitur Cancellario Parisiensi, quamvis suus non esse verisimiliùs sit, quia neque in stilo neque in doctrina scriptis suis prorsùs concordat.

PARS PRIMA.

Zelus domus tuæ Augustine Pater amicorum, salus, obsequium, debitum sinceraque dilectio, adversùs proprietarios Regulæ tuæ professores & proprietatis defensores amicitiâ junctos, suadet fraternus amor tricuspide ferrum jacere, non ut lædat, sed suadeat tutiorem viam veritatis. Impugnabitur ergò proprietas primò loco, per ipsam Regulam Augustini solito voto promissam. Secundò, per autoritatem Scripturæ sacræ & Canonum. Tertiò, dissolvendo pro viribus illorum rationes, quatenùs vepribus proprietatis excussis radicitùs; vos amici, quorum occasione hæc tracto, juxtà vocationem vestram, & Regulam, sicut *in unum estis congregati*, *unanimes habitetis in domo Dei*, *& sit vobis cor unum & anima una*, *& omnia communia*, *nec sint schismata* inter vos, quæ propter meum, & tuum oriuntur. *Charitas* enim (dicit Regula vestra) *non quærit quæ sua sunt*, *sed communia propriis anteponit*, *non propria communibus*. Et quantò ampliùs rem communem, quàm propriam curaveritis, tantò vos ampliùs proficere noscatis, ut in omnibus quibus utitur transitoria necessitas, superemineat, & permaneat Charitas. Quoniam *innocentes* (dicit Pater Augustinus) *non estis*, *si tacendo fratrem perire sinitis*; *fraternum enim vulnus crudeliter dissimulatur*, *nec sine anima periculo misericorditer indicatur*. Proprium siquidem habere prohibet Augustinus alumnis suis in Regulæ exordio, quò magis charitatem, & pacem ostenderet finem esse Religionis inter Fratres, cùm dicit: *In unum estis congregati*, *ut unanimes habitetis in domo & sit vobis cor unum & anima una in Domino.*

Sequitur: *Et non dicatis aliquid proprium*: gravius autem peccatum est facere, quàm dicere, cùm exterius opus malitiam superaddat interiori, ut furari; occidere & mœchari, gravius quàm dicere, aut proponere in mente: ergò si prohibet expresse verbum proprietatis, à fortiori & factum. Nam dictum nequitiam non habet aut bonitatem, nisi sit signum rei cujus est dictum; ergò si prohibet dicere quicquam proprium, magis prohibet habere illud.

Secundò: mox sequitur in textu Regulæ, quàm vovistis. *Et sint vobis omnia communia.* Omne autem, secundùm Logicos est universale signum quod distribuit pro universis rebus generaliter quæ sub possessione cadunt, cujuscunque naturæ sint, sive sint localia, sive pecunia, vel aliud. Ergò falsificatur universalis ista Regula in voti vestri periculum per quodcunque particulare proprium; quia proprium & commune opponuntur.

Tertiò: consequenter in textu Regulæ subjungitur. *Et distribuatur unicuique vestrûm à proposito vestro victus & tegumentum*, *non æqualiter omnibus*, *quia non æqualiter valetis omnes*, *sed sicut cuique opus fuerit.* Non dicit, viginti libras aut scuta, sed tegumentum paratum, quod longè paucioris est occupamenti quàm pretium ejus; nec conformius vitæ Apostolorum, à qua Regularis vita originem cepit. Nam sequitur in Regulæ textu. *Sic enim legitur in Actibus Apostolorum*, quòd *erant illis omnia communia*, *& distribuebatur unicuique prout cuique opus erat.* Act. IV. 32. 35. Non autem distribuebatur Apostolis, & eorum sequacibus pecunia, sed victus & vestitus, ergò propositum confirmatur: nam pecuniale vestiarium æqualitatem quam intendit Augustinus corrumpit. Patet, si contingat senem fratrem & debilem, cui opus est ampliùs vestimenti quàm sano, prodigum fore sui vestiarii, & liberaliter suprà modum in comessationibus exponere, quod in tegumento convertendum est; talis senex infirmus malè vestietur, & juvenis fortis non prodigus meliùs ipso induetur contrà intentionem Augustini.

Quartò: arguitur per topicam regulam: Si quod minus videtur inesse inest, & illud quod magis. Proprium ergò habere tolerabilius esset in novitiis Ordinis, quàm senioribus, propter imperfectionem eorum; sed illis prohibet Regula quicquam retinere de sæculo dicens: „ Qui aliquid habent in sæculo, quando „ ingressi sunt Monasterium, libenter illud velint esse „ commune; qui non habent, non quærent in Mona„sterio. „ Ergò si quod de sæculo affertur in Monasterio, esse commune oportet; à fortiori illud, quod de Monasterio est, similiter & redditibus communibus. Demùm si in commune reponere habent, & proprium vitare noviter ingressi, à fortiori etiam seniores illis, quorum dicitur esse status, & vita perfectior. Et in signum hujus eis reverentia exhibetur à minoribus Ordinis. Retinere ergò non licet proprium his qui habuerunt in sæculo; neque non habentibus in sæculo, in Monasterio quærere permittit Augustinus. Ergo omnibus jubet proprium non habere, quia omnes, qui ingressi sunt, aut habuerunt, aut non. Si primum, relinquendum est; si secundum, non est quærendum: ergo nullo modo retinendum, quatenùs hac arte

arte & modestia divites humilientur, & pauperes non inflentur.

Quinto: edocet Augustinus quantùm sibi cordi fuerit commune charitatis inter fratres, & abominabile proprium dissentionis & brigæ fomes; quia de hoc primo loco tractare incipit in Regula, usque ad locum de Oratione: non nescius, quomodò proprietas schismata facit, unanimitati adversatur & paci, quibus opus est orantibus, teste Hugone *in expositione Regulæ. Non prodest*, inquit, *una domus si separat diversa voluntas, quoniam longè major unitas animi quàm loci; habitus & convictus cordis quàm corporis.* Charitas autem est, quæ habitare facit unanimes in domo, & pacem veram tribuit. Orationem quoque exaudibilem facit, nec quæ sua sunt quærit, sed quæ Jesu Christi. Hinc etiam Fratres monet ibidem, ne sapientes sint in oculis suis, opinionis propriæ defensores, aut concordiæ turbatores. Si ergò concordiæ adversatur propria voluntas, ergò etiam propria cista, aut bursa non convenit communi charitati, quia illa communia propriis anteponit.

Sextò: ubi de Oratione, jejunio, & lectura prandii mentionem facit Augustinus in Regula, consequenter de cibo infirmorum specialiori loquens quàm sanorum, inquit, *Etsi eis qui ex moribus delicatioribus venerint ad Monasterium, aliquid vestimentorum, aut alimentorum datur quod non fortioribus*, &c. Frustrà nempe dari diceret, nisi hos nihil habere, undè hæc comparantur intenderet.

Septimò: idem facit sed implicitè, cùm prohibet, non figi oculos in visa muliere: *Nec dicatis*, inquit, *vos animos habere pudicos; si oculos habetis impudicos.* Ergò cùm pari voto promittitur paupertas, sicut castitas; abjicienda est à manu omnis proprietaria possessio, sicut ab oculo omnis feminæ dilectio carnalis; quia oculus & manus in istis se habent conformiter, & utrumque est reverti ad vomitum; hìc in visibilibus carnis, illìc in opibus sæculi coram justo Judice. Et sequitur in Regula. *Hoc*, inquit, *quod dixi de oculo non figendo, etiam in ceteris prohibendis observetur cum dilectione hominum, & odio vitiorum. Convictus autem si recusaverit ferre vindictam, privetur à consortio Fratrum.* Confirmatur, quia plus est rem illicitam tangere, quàm videre tantùm, & adhuc ampliùs possidere, & ad nutum habere voluntatis quàm tangere aut velle. Ergò si in voto castitatis prohibetur oculus figi in feminam; quare non in voto paupertatis prohibetur etiam propria possessio? Non enim minùs scandalizat apostasia seu tergiversatio secundi, quàm primi in conspectu hominum.

Octavò: non aliter sapit venerabilis Hugo in expositione. *Et non dicatis aliquid proprium. Non dicimus*, inquit, *quicquam meum aut tuum, sed nostrum, ut dicatur cappa nostra, vestis nostra, graphrium nostrum; sic domus, Ecclesia & claustrum, omnia in communi habenda sunt. Carnales sunt Fratres qui communia dividunt; spirituales qui divisum in communi reponunt. Ergò si volumus hereditate possidere Dominum, nihil habeamus, ait, prater ipsum.* Quoniam *si aurum, argentum, vel quid aliud, cum Christo quæritur* (dicit Hieronymus) *cum istis, & similibus propriis pars fieri dedignatur Deus.* Apostoli imitemur sententiam: *Habentes alimenta, & quibus tegamur*, &c. 1. Tim. vi. 8. Quippe tribus Levi non habuit partem in terra.

Nonò: in expositione Regulæ. *Et distribuatur unicuique prout opus fuerit.* Dominus ordinavit Ecclesiam, ut plerique spiritualibus, ceteri autem temporalibus vacarent. Præpositorum Officia sunt subditis corporalia ministrare. Subditorum vero, spiritualibus insistere, orationibus videlicet contemplationi, & lectioni. Ergo confunditur Religio, cum quisque provisor efficitur necessitatis, & communis Magister vestiarii tollitur.

Decimo: quia vestiarium æqualiter distributum contrariatur Regulæ dicenti; quod *non æqualiter est omnibus tribuendum, quia non æqualiter valent omnes. Pluribus enim indiget æger quàm sanus, & senex quàm juvenis.* Ita enim servanda est naturæ necessitas ut non intereat corpus, sed serviat, & non superbiat.

Undecimo: per eundem venerabilem Hugonem *in expositione hujus passus: Et qui aliquid habebant in sæculo, libenter illud velint esse commune. Duo enim sunt, quæ relinqui oportet propter Deum, facultas scilicet possidendi, & voluntas habendi, juxta Domini sententiam*, Luc. xiv. 33. Nisi quis non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse Discipulus. *Non enim sufficit exteriorem relinquere substantiam, nisi interiorem rescindamus concupiscentiam; aliàs esset renunciatio vocalis tantùm & hypocrisis; dissimulatio facta coram hominibus, non coram Deo, qui novit abscondita cordis.*

Duodecimò: Hugo exponendo hunc passum, *unanimiter vivite*, sic inquit: *Paupertas & humilitas generant charitatem inter Fratres. Charitas verò nutrit & fovet unanimitatem concordem & pacem.* Ergò per locum ab oppositis possessio & superbia discordiam & jurgium, ut cùm unus est altero ditior, consequenter superbior & infestior. Despectores enim sunt & injuriatores divites, ut dicit Aristoteles iv. *Ethicorum*, & se dignificantes super alios, quo deperit confestim fraternitatis unitas, & per consequens charitas, devotio & Religio.

Decimo-tertiò: inter occasiones alias proprietatem inducentes, potissimùm arbitror, fuisse humanum timorem deficiendi in necessariis tempore ægritudinis & senectutis, quoniam tunc opus est multò pluribus quàm cùm valemus. Nunquid autem tanta forsitan provisio foret in Regula circà infirmos & debiles, nisi hanc sollicitudinem à cordibus Fratrum intenderet Augustinus evellere? undè sanos, ne molestè ferant lautiùs ægros pasci, ostendit feliciores esse, dicens: *Melius est minus egere, quàm plus habere.*

Decimo-quartò: proprium Religiosorum Regularium impugnatur per illud Augustini in Regula: *Quicumque in tantum malum progressus fuerit, ut occultè ab aliquo litteras aut munus accipiat; si hoc ultrò offert, parcatur illi & oretur pro eo: si autem deprehenditur, aut convincitur, gravius emendetur.* Ubi Hugo, *Aliquid occultare*, inquit, *est ordinem infringere, & sanctum propositum paupertatis.* Qui abscondit, inquam, mortaliter peccat velut alter Giezi factus sacrilegus. *Nobis*, ait, *convenit benè vivere, & bonum exemplum dare, & malam tollere suspicionem.* Non est malum, quia munus, cùm ut sic ex amore procedit; neque quia cultellus aut hujusmodi: ergò quia proprium. Consequentia probatur; quia ei qui non fecisset votum paupertatis (ut puta sæculari) non esset peccatum accipere & servare, sicut Regulari. Nisi ergo perniciosum esset proprium saluti, non vocaret illud Augustinus grande malum, graviterque puniendum, etiam si ex dono vel munere procedat de propriis bonis sæculi: quantò magis ergo, si ex impia voluntate servetur de bonis communibus.

Dicimo-quintò: impugnatur proprietas per Regulam beati Augustini ubi dicit: *Vestes vestras sub uno custode habeatis, vel pluribus, ne à tinea lædantur. Custodiri jubet vestes*, dicit Hugo ibidem, *propter duo. Primò, ne per incuriam à tinea lædantur: Secundò, ne Frater quispiam illam quam habet vestem propriam credat, si in proprio loco servaretur, puta in camera vel in cista ejus.* Ad exterminandam enim omnem proprietatem consequenter dicit Augustinus in Regula: *Non ad vos pertineat, quòd vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrùm illud, quod deposuerat, an aliud recipiat, dum tamen unicuique, prout opus est, non negetur. Neque conqueratur, deterius se accepisse quàm posuerat; sed magis probate, inquit, quantùm vobis de-*

Digitized by Google

sit in sancto interiori habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

Decimo sextò: confirmatur exterminatio proprietatis, expositione Hugonis in Regulæ passu. *Discamus*, inquit, *Fratres superflua resecare, ut dum quod opus est non negatur, ultrà quam opus sit à nemine requiratur. Superflua quidem est secunda tunica, perfectioni Evangelicæ contraria*, Matth. x. 10. Luc. ix. 3. *Neque duas tunicas habeatis. Et intellige per tunicam unam, quantùm sufficit de vestitu pro tegumento necessario unius. Superfluum est etiam hujusmodi anhelare, ad quod non possunt pervenire cum salute. Nam voto paupertatis sibi velle abstulit & posse. Ad semel verò abjuratum velle anhelare, non minùs ridiculosum est, quàm si quis de Monacho studeret non esse Monachus, aut de sterili prolificus.*

Decimo-septimò: hoc idem vitium proprietatis condemnat Augustinus in Regula dicens: *Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Unum & multa opponuntur.* IV. *Metaph.* Cùm ergò jubeat unum & commune vestiarium, sequitur per locum ab oppositis, quòd prohibet proprium & singulare multùm. Videte ergò si votum servatis Regulæ, cùm totiens infringitis & tàm expressè, non semel, sed quotidiè. Judicate, si ex uno vestiario induimini eo modo quo pascimini ex uno cellario, & si quæ servatis in vestris cameris vel cistis, sub communi sint custodia, sicut vinum in penu, aut bladum in horreo. Quod si dixeritis, profectò diem negatis & experientiam oppositam, & contradictoria simul vera conceditis. Contrà quos n l ampliùs disputandum dicit Aristoteles nisi tales aut in ignem projicere aut excæcare: quia idem est projicere & non projicere illis, excæcare & non excæcare. Negare ergò non potestis, quin promissam paupertatis fidem violetis, & ad vomitum revertimini possessionis derelictæ.

Decimo octavò: Augustinus necdum contentus est commune esse vestiarium, aut dona seu munera parentum & amicorum; sed etiam vult esse communia opera singulorum, quod est majus, dicens; *Nullus aliquid sibi operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant, majori alacritate & studio, quàm si vobis ipsis faceretis. Charitas enim postponit propria communibus; immò propria nescit. Et quantò ampliùs rem communem, quam propriam curaveritis, tantò ampliùs vos noveritis in Religione proficere; quoniam communia curare charitatis est meritoria; sua autem propria, naturæ reciproca.*

Decimo-nonò: probatur hoc idem per illud quod sequitur in Regula. *Congruum est enim, ut, qui filiis suis in Monasterio constitutis aliquam contulerint vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, illud non accipiatur occultè, sed sit in Potestate Præpositi, ut in rem communem redactum, cui necessarium fuerit præbeatur.* Major autem ratio communitatis videtur esse de bonis Ecclesiæ communibus, quàm de ipsorum parentum donariis, quæ ex proprio processerunt eorum. Ergò si proprium prohibet in secundis, sequitur etiam quòd in primis.

Vigesimo: ostenditur hoc ipsum per Hugonem exponentem hunc passum. *In communi omnium vita* inquit, *cujusmodi est Religionis conversatio, nihil licet recipi, nihil occultè retineri. Aliàs jam non esset cor unum & anima una, si non essent omnia communia; ubi autem omnia communia, nulla sunt propria.* Dic mihi, quæso, nonne Regulam Augustini vovisti? Nonne vitam Regularem secundùm eam tenere promisisti? Nonne omnia prædicta dicit esse communia? Ergò necessariò aut illam promissam non tenes votifragus, aut nihil penes te proprium habes; aliàs Regularis non es, sed magis irregularis. *Cùm enim nihil retinetur*, dicit Hugo, *proprium, avaritia restringitur, invidia relegatur, & omne fomentum discordiæ superfluum resecatur, charitas unanimis connutritur, & paupertas devota custoditur. Et dùm non licet terrena retinere, cogitur ampliùs cœlestia cogitare, tractare, diligere; tantò minùs enim superna diligit quis, quantò magis in infimis delectatur.*

Vigesimo-primò: proprietas repellitur Hugonis autoritate. *Sunt*, inquit, *qui graviter turbantur inter Fratres, cùm non licet donaria retinere parentum, amantes servare munuscula suorum, & in proprio delectantur. Adeò enim sæpè inardescunt vilibus, & parvis istis oblectamentis, ut eorum occasionibus soleant turbare concordiam Fratrum, quod persuasione diabolica fieri dubium non est, qui in eo tentat in quo magis se prævalere recognoscit. Propterea diligenter omnia terrena calcanda sunt, quæ charitatem fraternam turbare possunt*, ut sit laqueus contritus, & nos liberati sumus.

Vigesimo-secundo: superaddit Hugo suprà dictus, quòd *Frater, qui munus acceptum celaverit, furti judicio condemnetur.* Parum dixi; immò certè sacrilegio, quod pejus est, quasi Judæ similis factus proditori. Prodit enim Conventum totum, cùm rem ejus communem Ecclesiæ de sinu charitatis subtrahit in proprium usum. Verius dixerim, prodit seipsum, cùm retrospicit ad abjectum sæculum, & Regulam violat & votum. Ergò si furtum committis secundùm Hugonem servando sæculare donarium; nunquid erit sacrilegus, qui de communi sacro proprium suum facit? In communi dederunt Fundatores, & nisi in communi retinere potes cum salute.

Vigesimo-tertiò, lavacrum corporis infirmi, & lotionem vestium curiosam prohibet Augustinus in Regula fieri, secundùm proprium arbitrium Fratrum, sed magis Præpositi; ut etiamsi nolit Frater, faciat jubente Præposito, quod illi expedit pro salute corporis. Et si velit, negante illo non faciat, ut non obediat suæ cupiditati. Cùm ergò beatus Pater Augustinus cum Regula votâ, promissâ maximus & primus sit Præpositus post Deum, Regularibus filiis suis Canonicis præcipiens in tot locis & passibus, omnia habere communia, & in proprio nihil; sequitur, quòd illi parendum est, & non propriæ lasciviæ: quoniam Hugone teste, *non ornat nitor corporis aut vestium; sed morum, & spiritualis magis quærenda est munditia, quàm corporalis.* Si ergò propria libido prohibetur in lotione vestis aut corporis, ratione obedientiæ promissæ, quæ propriam abjecit voluntatem; quare etiam non prohiberetur proprietas pecuniæ & jocalium, repugnans voto paupertatis, charitatisque fraternæ? Multò minùs rationabile videtur in forensibus & alienis proprium licere, cujusmodi sunt fortunæ bona in cista aut in camera servata, quàm in propria corporis sanitate, longè magis necessaria; sed in ista secunda propria voluntas prohibetur & aufertur, ut dictum est. Ergò similiter & in prima.

Vigesimo-quartò, arguitur per illud in Regula Augustini de ægrotantium cura, laborantium & debilium vel senum, quæ alicui est Fratrum injungenda, ut petat de Cellario quod cuique opus esse perspexerit. Quandoquidem ergò necessitates petendæ sunt de communi cellario: ergò si non sit opus proprio pro necessitate infirmitatis, multominùs tempore sanitatis.

Vigesimo quintò, arguitur per eundem Augustinum ibidem. *Sive*, inquit, *qui cellario, sive qui vestibus, sive qui codicibus scribendis præponuntur, sine murmure serviant Fratribus suis.* Proprium ergò vestiarium tolerare, aut perpeti, est Regulam interimere promissam, quæ communem statuit Magistrum vestiarii per expressum. Communis autem tollitur, cùm quisque pro se curam gerit, & per consequens Regula corrumpitur, & frangitur, videntibus, scientibus, & volentibus vobis singulis in grave discrimen salutis animarum vestrarum. Regula ponit unum communem: vos autem proprios omnes. Dicite ergò, si Regulam promissam servatis?

Vigesimo sextò, confirmatur hoc ipsum per illud quod mox sequitur in Regula. *Vestimenta* (inquit Augusti-

gustinus) *& calceamenta, quando fuerint indigentibus necessaria dare non differant sub quorum sunt custodia quæ poscuntur.* Ubi Hugo. *Ministrare debet Frater deputatus communi vestiario sine murmure.* Caveant ergò Fratres, ne nimis petant importunè aut superfluè, nam quicquid superfluum est, mortiferum est illis: nam undè pauperes erimus, si penuriam non habemus? Attendant, quòd oblationes Fidelium sunt quæ vestiunt, & comedunt, ut formident populi peccata portare. Usque ergò ad provisionem calceamentorum Augustinus non descenderet, si quicquam Fratribus proprium concessisset.

Vigesimo septimò: confirmatur per illud Augustini in Regula, *Lites autem nullas habeatis inter vos*, &c. Maximum autem fomentum litium, est proprium, quæ feruntur inter voluntates, teste Seneca: *Felicem*, inquit, *dixerim humanam vitam, si hæc duo pronomina possessiva meum & tuum, tollerentur de medio.* Et in Epistola 14. *Si vis vivere in pace, aut pauper sis, aut pauperi similis.* Rixa autem est inter competitores. Et *Ethic.* v. *Brigæ & dissensiones sunt institutæ.* Et *Boëtius in tertio. Undè forenses querimoniæ, nisi quòd vi vel fraude, à nolentibus pecuniæ repetuntur cupitæ?* Tolle proprium de Claustro, & lampades extinxisti invidiæ, luxuriæ, rixæ, avaritiæ, ceterorumque defectuum.

Vigesimo octavò: arguitur per illud de Regula propè finem. *Ut autem cuncta ista serventur*, dicit Augustinus, *& si quid minùs servatum fuerit, non negligenter prætereatur; sed emendandum corrigendumque curetur ab eo qui præest vobis. Ipse enim quantò loco superiore, tantò in periculo majore versatur, nisi corrigat usus manifestos & defectus patentes, quibus Regula corrumpitur & laceratur, in periculum salutis animarum: quoniam illius est reddere rationem pro ovibus.* Vovit Abbas vitam secundùm Regulam Augustini, & similiter Fratres. Illa totiens clamat, omnia esse communia, unum cor, & animam, nihil habere proprium, commune vestiarium; tamen contrarium agitur quotidiè. Et quod deterius est, usque adeò infecit hoc virus cunctos, ut neminem conscientia redormeat: nemo ex abusuum vetustate doleat, aut pœniteat, quod indicium est obstinationis, & irremissionis periculum: quoniam qui conscientiam remordentem non habet, minimè pœnitet; si non pœnitet, non dolet; si non dolet, non conteritur; quod non conteritur, non confitetur usque in finem vitæ.

Discrimen hoc commune est; sed tamen primò capitis, & consequenter membrorum capitis, quia Regulam promissam nec servat, nec servare cogit, juxtà vocationis Officium, cujus est, secundùm Augustinum, *Corripere inquietos, consolari pusillanimes, infirmos suscipere, & patientem ad omnes fore.* Membrorum autem, quia non tenuerunt promissam Regulam, pudet dicere; sed veritas urget: ne in fermentum Pharisæorum descendatur verendum est hodiè, de quo scribitur: *Væ vobis*, &c. *qui decimatis mentham, anetum, cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt Legis, judicium, misericordiam & Fidem.* Matt. XXIII. 23. Si brevis producitur, & longa corripiatur, si in notula cantus, si in lectura vocabulo titubatur, si rumpitur leviter silentium, si ceremoniæ reverentiales non servantur, si vestes indecenter comptæ, si ceterisque minimis defectus modicus committatur, corrigitur diligenter: quæ autem majora sunt in corpore Regulæ promissæ, expressa tam frequenter, votaque tria concernentia, cujusmodi sunt superbia, rancor, commessationes, luxuriæ, proprietas, avaritia, pretiosæ vestes, vasa argentea in camera, ceteræque curiositates, proh dolor negliguntur! Tales increpans Christus Prælatos, ubi suprà, cæcos cæcorumque duces appellat, *deglutientes camelum, & culicem excolantes.* Ibid. ℣. 24.

Vigesimo nonò: concluditur per Regulæ calcem, in quo dicit Augustinus: *Ut autem in hoc Libello tanquam in speculo possitis suspicere, ne per oblivionem aliquid negligatis, semel in septimana vobis legatur. Et ubi vos inveneritis, quæ scripta sunt facientes, agite gratias Deo bonorum omnium largitori. Ubi autem sibi quicumque vestrum videt aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro, orans ut ei debitum dimittatur, & in tentationem non inducatur. Amen. Ideò autem le-*
A *gitur*, dicit venerabilis Hugo, & *legi præcipitur ab Augustino septimanatim, ut memoriter teneatur, & observetur diligenter.* Ex quo igitur Regula beati Patris Augustini vobis speculum est, ô Regulares, tam frequenter vobis coram facie proposita, quomodò *trabem in oculo vestro non videtis*, qui *festucam* videtis *in alieno. Trabes enim*, ut dicit Chrysost. super Matth. VII. 3. *est peccatum Cleri; festuca autem sæcularium. Ut cuncta serventur*, dicit Augustinus, *quæ in Regula sunt, Regula legatur, & minùs observatum non prætereatur, sed corrigatur.* Quo animo ergò tanto tempore dissimulatis præterire commune vestiarium, ut induamini ex uno vestiario, sicut vescimini ex uno cellario. Negare non potestis, quin hoc voto promiseritis solemni, quod in Regula legitis quotidiè tot in passibus & locis. *Antè votum* (dicit Augustinus) *liberum erat reddere; sed necessarium saluti post votum. Voto namque Consilia vobis facta sunt Præcepta; & libera necessaria. Aliquando ergò dolendum est de præterito com-*
B *misso & futurum cavendum, ut sitis factores verbi, & non auditores tantùm.* Jac. I. 22. *Quoniam si quis auditor est, & non factor, comparabitur viro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo. Consideravit enim se abiit, & statim oblitus est suiipsius.* Ibid. XXIII. 24. Sic est audire quotidiè in Regula legi (si tamen legatur) quòd *Vocati estis, & congregati, ut unanimes habitetis in domo*; quòd *cor unum & anima una, & omnia sint generaliter, & universaliter communia, & non dicatur aliquid proprium.* Quòd *etiam donarium, aut paternum munus, vel litera non servetur sed prohibeatur in communi*; *quod vestes sub uno communi custode habeantur*, quòd *induamini ex uno vestiario, sicut vescimini ex uno cellario*, quòd *nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera in unum fiant, quia quantò plus commune quàm proprium curatur, tantò ampliùs in Religione proficitur.* Quòd *Charitas quæ sua sunt non quærit, sed postponit propria communibus.* Audire, inquam, hæc, sed non facere; audire parum est, aut scire Regulam, nisi facere
C sequatur. Servare denique obedientiam & castitatem non sufficit, si paupertatem & abjectionem paupertatis neglexeris; quoniam Apostolo Jacobo testante, *qui in uno offendit, factus est omnium reus.* Jac. II. 10. Quinimmò quantò crebriùs & sæpiùs auditis, & non impletis, tantò culpabiliores estis. Quoniam 2. *Pet.* II. 21. dicitur: *Melius erat viam justitiæ non agnoscere, quàm post agnitam retrorsùm converti.* Legitis ergò in ruinam vestram, nisi vos præparetis ad emendationem, neque Regulares vocari meremini, aut habitum eorum gerere, seu de eorum bonis necessaria vitæ sumere, juxtà intentionem Fundatorum, nisi Regulam observetis pro viribus amodò in futurum, de præteritis pœnitentiam agentes. *Donet autem Dominus*, ut verbis utar Augustini, ut *observetis hæc omnia, proprium abjicientes, ut vovistis, quicunque Regulares estis, tanquàm concordiæ & pacis adversarium. Vos quoque qui præestis, pro Dei misericordia, cogitate animo*
D *devia reducere, & obliqua in directum, neque dissimuletis ulteriùs. Non est enim grandis differentia, utrum letum inferas vel admittas*, ait Symachus Papa & Innocentius. *Error, cui non resistitur approbatur; & veritas si non defenditur, opprimitur. Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Ezech. III. 18. 20.

Hæc de Prima parte sufficiant, in qua Proprietas regulæ beati Augustini visa est repugnare.

In Secunda Parte videndum est qualiter proprietas impugnatur per sacram Scripturam, & Canones; tàm autoritatibus, quàm exemplis.

PARS

Digitized by Google

PARS SECUNDA HUJUS TRACTATUS.

Abhorret istud à doctrina Gersonii.

RELIGIOSORUM *status*, dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 93. *est perfectorum*, sicut & Episcoporum. Probatur autoritate Salvatoris Matt. xix. 21. *Si vis perfectus esse, vende omnia*, &c. Et Luc. x. 42. *Maria optimam partem elegit*. Ad vitam æternam ingredi volentibus, necessaria sunt Præcepta; ad perfectionem Consilia. Hoc idem dicit Dionysius in 5. & 6. c. *Cœlestis Hierarchiæ*: Monachos vel Therapeutas, id est, Deo famulantes, perfectos vocans. Conformiter etiam Paulus Col. iii. 14. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis*. Unumquodque enim perfectum est, cùm suo jungitur fini, quantùm possibile est; hoc autem est per charitatem 1. Joan. iv. 16. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Et Dionysius: *De divinis nominibus, Extasim est faciens divinus amor, transponens totaliter amantem in amatum*: sanè tamen intelligendum; totum enim & perfectum totalitate diligibile non diligitur nisi à seipso Deus totalitate diligentis animæ, nisi à beatis: hoc est toto affectu semper in Deum tendere, sed benè totalitate viatoris, qui in affectu nihil habet, non solùm repugnans charitati, quod est peccatum, quoniam hoc etiam incipientibus & proficientibus convenit; sed etiam impeditivum ejus; ut sunt sollicitudo, cura temporalium, possessiones, divitiæ, propria voluntas, conjugium & hujusmodi, quæ abjiciuntur Religionis voto. Nam teste Augustino *venenum charitatis est cupiditas*. Hinc in Collationibus Patrum, inquit Abbas Moyses: *Jejunia, vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, & privatio facultatum, non perfectio; sed perfectionis instrumenta sunt; nec in ipsis consistit disciplinæ finis, sed per illa devenitur ad finem, quia non omnis Religiosus perfectus est, sed tamen perfectum habet statum*.

Præcepta removent quæ charitati sunt contraria; Consilia autem impedimenta actus ejus. Dicit Augustinus *in Enchiridio, Quæcunque mandat Deus, quorum unum est, non mœchaberis, & quæcunque non jubet, sed admonet potiùs Consilio, quorum unum est, bonum homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt cùm ad charitatem ordinantur, quia mox unitur quis Deo*, 1. Tim. i. 5. *Finis Præcepti Charitas*. Præcepta (ut ait Hieronymus ad Demetriadem virginem) *& prohibitiones, de necessitate sunt salutis; ut, colere Deum & sabbatum, non occidere, non mœchari, &c. quia mala prohibentur, & præcipiuntur bona pro illa. Sed Consilia, de concessis sunt & licitis, ut est libertas voluntatis, usus carnis in conjugio, possessiones & divitiæ.* 1. Cor. vii. 25. *De virginibus Præceptum Domini non habeo, Consilium autem do.* Ad horum abstinentiam voto se astringit Religionis perfectio, quò perfectiùs vacetur Deo ad augmentum meritorum, victoriam tentationum, & majorem unionem cum Deo. Hinc Isidorus *de summo bono. Recedere*, inquit, *bonum est corpore, sed longè melius voluntate*. Et Anselmus *in Libro De similitudinibus*, ponit de homine ulceribus & arenulis pleno, qui se ligari facit ut secetur & sanetur. Et Gregorius super Ezechielem: *Sicut holocaustum est perfectius Legis sacrificium, quia totum incenditur; sic qui nihil reservant, sed sensum, linguam, atque substantiam Omnipotenti immolant solemni voto, ut Deo totaliter se mancipent, perfectiorem habent statum, cujusmodi est Religio. Finis siquidem Religionis perfectio charitatis, cujus sunt impedimenta tria, quæ abjiciuntur voto; libertas sui, possessiones & divitiæ, & carnis voluptates licita secularibus; & prohibita Religiosis: quatenus per abstinentiam horum promissam, operam dent charitati perfectæ.* Confirmatur idipsum à sancto Thoma, ubi suprà. *Status*, inquit, *Religionis, est quoddam exercitium, & disciplina, quâ ad perfectum itur charitatis.* Ad hoc autem necessarium est, amore mundalium affectum divertere, ut patet per Augustinum *Libro* x. *Confessionum. Minùs te amat*, inquit, *Domine Deus, quicunque præter te aliquid amat.* Et Matt. vi. 24. *Non potestis Deo servire, & Mammonæ.* Et Joannes in Canonica: *Fratres nolite diligere mundum*, &c. Quoniam *qui diligit mundum non est charitas Dei in eo.* Et Gregorius *in homilia*: *Tantò*, inquit, *quisque minùs superius diligit, quantò magis inferius delectatur.* Amor ergò, sive concupiscentia carnis & oculorum & superbia vitæ, præpediunt perfectionem Charitatis Dei & proximi, trahuntque hominem inferiùs. Sed per oppositum, paupertatis votum, castitatis quoque & obedientiæ, tendit sursùm in Deum, veluti nihil inferius habens quod delectet.

Paupertatem commendavit Christus caput Ecclesiæ nascendo. *Luc.* ii. quoniam à paupere Matre Virgine nascitur in stabulo, pannis involvitur, & reclinatur in præsepio: in omni denique vita sua relucet paupertas. Nihil possidere in proprio commendat Vetus Testamentum. *Num.* xviii. 20. dixit Dominus ad Aaron: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos. Ego pars & hereditas tua in medio filiorum Israël. Nimis avarus est* (dicit Augustinus) *cui non sufficit Deus.* Et Hieronymus. *Dominus cum istis infimis pars fieri dedignatur.* Et Ambrosius: *Hi apti sunt ad Regnum cœlorum, qui nullis cupiditatibus occupantur, sed ad futura festinant promissa vitæ cœlestis.* Et Gregorius: *Illic cupit animus assistere, ubi se sperat sine fine gaudere: & ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores.* Si propter te Dominus suæ renuntiat Matri, cum dicit: *Quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matt. xii. 48. Cur tu Domino tuo cupis anteferri? Undè juveni quærenti, quo pacto vitam haberet æternam, respondit veritas, *Si vis* (inquit Matth. xix. 17. *ad vitam ingredi, serva Mandata.* Rursùs, dicente juvene. *Hæc omnia feci à juventute*; ℣. 20. adjecit: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & sequere me.* ℣. 21. Hoc summoperè Claustralibus notandum. Non enim ait Dominus, manduca, quiesce, dormi, fruere delitiis, & honoribus mundi, thesauros habeto, vasa argentea, jocalia, &c. sed dicit, *vende omnia*; non partem, sicut Ananias & Saphira; sed *omnia* tua, supple quæ habes justo titulo: nec ait, da proximis; sed *pauperibus*. Nec attendendum dicit Augustinus, quibus Monasteriis aut indigentibus hoc feceris, quoniam omnium Christianorum res una publica est. Audiant pauperes & lætentur, quæ sit pars hereditatis eorum. *Beati* (inquit Christus, Matth. v. 3.) *pauperes, quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* E contrà Paulus 1. *Tim.* vi. 10. *Radix*, inquit, *omnium malorum est cupiditas.* Hac cupiditate plus habendi quàm opus est secundùm glossam Magistri, & diabolus cecidit de Cœlo in Infernum, & Parentes nostri primi de Paradiso in exilium. In Græco autem habetur; *radix omnium malorum philargyria*, id est, amor pecuniæ. Scribitur etiam: *Avaro nihil est scelestius.* Eccle. x. 9. Et Apostolus ubi suprà. *Quam quidam*, inquit, *appetentes erraverunt omninò à Fide*, Christum deserentes, quia in duobus locis non potest affectus noster partiri desiderium suum. Breviter, diversis in locis sacra Scriptura laudat & approbat voluntariam paupertatem. In Religione ergò, quæ est domus Dei, abjicienda est omnis negotiatio, & proprietatis possessio. *Non sit* (inquit Hieronymus) *in domo Orationis, negotiatio, non possessionum amor, non cupiditas, ne ingrediatur Jesus iratus speluncam latronum, & mensam.*

Digitized by Google

statu subvertat vendentium in hora novissima mortis. Multi (inquit Origenes) *sunt in domo Dei, quæ est Ecclesia, non spiritualiter, ut promiserunt, viventes; sed carnaliter; magis vendentes & ementes, qui rariùs Orationi debitæ vacant, sæcularibus intenti, & dediti in negotiis.*

HActenùs proprietas collisa lapidibus sacræ Scripturæ: superest eam per Canones sacros impugnare, extollendo voluntariam paupertatem.

A Clemens IV. 12. *q.* 1. *can. Dulcissimis*, &c. dicit: *Communis vita omnibus necessaria est, Fratres, maximè his qui Deo irreprehensibiliter cupiunt militare, & vitam Apostolorum imitari. Communis enim usus omnium quæ in mundo sunt omnibus esse debuit, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud, & sic inter mortales orta est dissensio. Denique Græcorum quidam sapientissimus*, omnia communia esse amicorum dixit: *Et sicut aër*, ait, *aut lux solis, dividi non potest aut mediari; ita nec cetera quæcunque communia quæ data sunt omnibus ex natura. Propter quod Dominus ait per Prophetam*; Ecce quàm bonum, & quàm jocundum habitare Fratres in unum. *Psal.* CXXXII. 1. *Et Apostoli, communem in unum duxerunt vitam: quoniam ut in eorum Actibus dicitur*; Multitudinis credentium erat cor unum & anima una; nec quisquam aliquid dicebat suum, nec erat egens inter eos. Omnes qui domos vel agros possidebant, venditis illis, offerebant pretium antè pedes Apostolorum, Act. IV. 32. *sicut quidam vestrûm cognoverunt & viderunt nobiscum. Ananias autem vir austerus & Saphira uxor ejus, quia mentiti sunt, nobis præsentibus corruerunt.* Sequitur. *Quapropter vobis cavenda mandamus, & vobis obedire præcipimus doctrinis Apostolorum & exemplis, ut ab Apostolicis Regulis non discedatis, sed communem vitam ducentes adimplere satagatis.* Ibidem statim allegatur post Hieronymus ad Nepotianum; *Clericus interpretetur vocabulum suum, & esse nitatur quod dicitur, cleros, Græcè, sors est, Latinè; quia Dominus pars ejus, & de sorte Domini sunt. Talis ergò esse debet, ut possideatur à Domino, & possideat ipse Dominum: quòd si quippiam præter Dominum possideat, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia; si aurum, si supellectilem, cum istis non dignatur Dominus fieri pars ejus. Hinc Levita non accepit partem in terra, sicut ceteræ Tribus.* Ambrosius consequenter *De fuga sæculi*, hoc in loco inducitur. *Cui*, ait, *portio est Deus, nihil curare debet nisi Deum, ne alterius necessitate & sollicitudine impediatur.* Augustinus *in eodem loco, Nolo.* &c. *Duæ res in vobis pollere debent, conscientia scilicet, & fama. Conscientia est necessaria tibi; fama proximo tuo.* Sequitur paulò post: *Nulli licet in societate nostra aliquid habere proprium, & si qui habuerint, faciunt quod non licet.* Sequitur; *Qui habent proprium vel habere volunt, aut de proprio vivere contrà præceptum, non mecum manebunt in socialem vitam: Malo habere claudos, quàm plangere mortuos.* Ex Concilio Lateranensi *extra. cap.* 2. *de Statu Monachali. Monachi non pretio recipiantur in Monasterio, nec permittantur habere peculium. Peculium habere*, ut dicit Magister Gerardus Magnus, *in Tractatu: De proprietate Monachorum. Non est habere principale dominium in re ipsa, sed ut servus sub Domino, sub Patre filius, sub Abbate Monachus, ex licentia ipsorum sub quibus sunt. Et tamen hoc nunquàm Monachis conceditur, secundùm glossam Innocentii, qui est lucerna Juris, nisi pro adjuncta administratione: ut si fuerit Vestiarius, Eleemosynarius vel Thesaurarius, vel hujusmodi commune habens Officium deserviens utilitati communi Ecclesiæ, ut fidelis sit & prudens dispensator, non quærens quæ sua sunt, sed quæ omnium. Qui autem peculium habuerit, nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, à Communione privetur Altaris. Et qui in extremis cum peculio fuerit inventus, & dignè non pœnituerit; nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres habeat sepulturam. Quod de universis Religiosis præcipimus observari. Abbas autem qui diligenter ista non caverit, Officii sui jacturam noverit se incursurum.* Consequenter Clemens III. paulò post; super quodam Canonico Regulari, qui in articulo mortis agens, licèt à Priore suo monitus, proprium quod contrà Regulam latenter habuerat noluit resignare, & sic diem clausit, & fuit inter Fratres traditus sepulturæ. Et infra. *Inquisitioni tuæ respondemus, quod ille Canonicus non tantùm fuerat Christiana sepultura privandus; verumetiam, si sine maximo scandalo fieri potuit, de ipsa projici dignus est Ecclesia.* Item ibidem Innocentius III. Abbati & Conventui Sublatensi, *Cùm ad Monasterium* &c. *Firmiter inhibemus, ne quis de cetero Monachorum lineis camisiis utatur: Prohibemus districtè sub attestatione divini Judicii, ne quis Monachorum proprium aliquid possideat; sed si quis aliquid proprium habet, totum incontinenti resignet.* Et infrà. *Si Proprietas* &c. *apud quenquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra Monasterium in sterquilinio subterretur, secundùm quod Beatus Gregorius in Dialogis se narrat fecisse. Undè si quicquam alicui fuerit destinatum, non præsumat illud accipere; sed Abbati, aut Priori, aut Cellario assignetur.* Sequitur in fine: *Nec æstimet Abbas, quòd super proprietate posset cum aliquo Monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò sunt annexa Regulæ Monachali, ut circà eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* B *Quod autem votum solemne Religionis indispensabile sit, patet Levitici ultimo*, ubi dicitur: *Quod semel sanctificatum est Domino, non potest in alios usus commutari. Nec facere potest Prælatus, quin Deo consecratus per votum Religionis obligetur ad hoc quod vovit.* Idem sentit Bernardus in Libro *De Præcepto & Dispensatione. Quicquid*, ait, *in spiritualibus in Regula est traditum, in manu non relinquitur Abbatis.* Et paulò post: *Neque enim Abbas super Regulam est, cui semel etiam ipse spontanea professione se subjecit, & devovit.* Votum etiam paupertatis, indispensabile ostendit sanctus Thomas 2. 2. q. 89. *gravius enim* (ait) *est quàm perjurium, votum fractum, ex eo quòd Deo soli votum fit & promittitur. Juramentum autem Deo & hominibus: Secundò: quia votum obligat ex fidelitate reddendi Deo promissum; Juramentum verò ex reverentia veritatis, quæ est ipse. Gravior est autem infidelitas, quàm irreverentia. Ergò* &c. Et confirmatur per eundem *in eodem Libro in materia de voto*, ubi dicitur C *quòd si votum fiat solemne etiam de impossibilibus, verbi gratia, peregrinatio ægrotis, eleemosyna pauperibus & hujusmodi; nihilominùs debet semper haberi promptitudo voluntatis, quotiens occurrit memoria, & facere quod in se est. In his etiam quæ per se mala sunt, & benè fieri nequeunt, dispensatio non cadit*, secundùm Bernardum in Epistola *Ad Adam Monachum* & in Libro *De Præcepto & dispensatione*, cujusmodi est habere proprium Monacho, qui ad non habendum se astrinxit per votum Religionis. *Proprium*, inquit, *possidere homini sæculari licitum est, Monacho autem purum malum. Nam ubi proprietas, ibi singularitas*, ut dicit Bernardus ad Carthusienses; *ubi singularitas, ibi angulus; ubi angulus, ibi sordes; ubi sordes, ibi rubigo & divisio.* Benedictus XII. *Illis*, inquit, *quibus incumbit onus de vestiariis, calciamentis & aliis corporis necessariis providendi; statuimus ut hoc decenter faciant tempore congruo; juxtà suppetentiam facultatum, & conditionem Religionis:* Et sequitur modus; *Et illud quod erit dandum singulis Canonicis pro vestiario, taxetur in annuali.* D *Non est intelligenda hujusmodi taxa in pecuniis dandis cuilibet singillatim; sed magis secundùm literam Regulæ Magistro vestiarii, qui debet ista providere in communi, pro omnibus illis, inquam, quibus incumbit onus de vestiariis, & calciamentis &c. Nam distributa cuilibet portione pecuniæ, ut isti falsò opinantur; sequitur, quòd nulli incumbit onus ista providendi in communi pro singulis. Et hoc de anathemate Jericho aliquid*

Digitized by Google

quid cum Achan reservare; Achan, id est, pervertens promissum votum, tria de anathemate prohibito (contrà Deum) *furatur; regulam auream, pallium coccineum, & trecentos argenteos*, id est, *propriam voluntatem, carnis voluptatem, & divitias sæculi. Tot enim modis Religionis frangitur sacramentum; sed non est tacenda punitio huic sceleri inflicta. Mox enim derelicti sunt filii Israël à Domino, & prostrati ab hostibus urbis Hai*, id A est, *à vitiis cunctis deducti in præcipitium morum. Cùm autem fleret Josue stragem istam, ait Dominus illi*: Josue VII. 11. 12. Peccavit populus Israël, & prævaricatus est pactum meum, tuleruntque de anathemate & furati sunt, & mentiti, & absconderunt inter vasa sua: nec poterit stare antè hostes suos; quia pollutus est anathemate; & non ero ultrà vobiscum, donec conteratis eum, qui hujus sceleris reus est. *In quo innuitur, quòd Dominus in totam Ecclesiam irascitur propter unum proprietarium, ut dicit Auctor Summæ vitiorum, propterea persequendus est talis, ne propter unum ceteri patiantur omnes. Quoniam, ut ait Apostolus* Rom. I. 32. Qui talia agunt *scelera, supple, priùs enumerata*, digni sunt morte; non solùm qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus. Dist. LXXXIII. dicit Simmachus Papa in Decretis. *Non est grandis differentia an letum inferas vel admittas.* Et Innocentius ibidem. *Error, cui non resistitur, approbatur.* Pius etiam Papa: *Quid prodest suo errore non pollui, qui consen-* B *sum præstat erranti.* Et Ambrosius *in lib. de Patientia* inquit. *Qui à socio, si potest, injuriam non repellit, tantus in vitio est, quantus ille qui facit: formidanda sententia Religiosis quæ sequitur* Jos. VII. 13. Anathema, id est proprietas, in medio Israël: id est, *contemplativorum.* Non poteris stare coram hostibus tuis, donec conteratur qui contaminatus est hoc scelere &c. *Sequitur in fine Capituli. Et lapidavit Achan omnis multitudo* filiorum *Israël*: & cuncta quæ contulerat de anathemate, igne consumpta sunt. *Potiùs proprietarius in sæculo conteratur lapidibus correctionis, & crematur facibus charitatis & zeli Dei, quàm post mortem suppliciis dissimulando deputetur æternis. Scribitur ad propositum* 2. Machab. XII. *quod cum corpora, quæ ceciderant in bello contrà Gorgiam Idumæum, post diem septimum Judas pararet sepelire, invenit* sub tunicis occisorum de donariis idolorum quæ apud Jamniam ceperant *contrà Legem, & eos comperit corruisse ob hanc causam. Si ergò Judæis viris popularibus tàm gravis ultio contigit pro acceptis semel & retentis contrà Legem eorum* C *donariis, quid perfectis viris fiet pro transgressione votorum solemnium; nec semel, sed per totam vitam? Apostasia quædam est* (dicit Auctor Summæ vitiorum) *proprietas Monachorum, major quàm relinquere habitum, aut exire metas Ecclesiæ præter Prælati licentiam: quia paupertas voluntaria magis est de substantia Religionis, quàm habitus: Religio enim ordinatur ad perfectionem charitatis, quæ est amor Dei usque ad contemptum sui: habere ergò proprium*, ut dicit Sanctus Thomas 2. 2. q. 186. art. 7. *repugnat perfectioni Religionis. Voluntaria paupertas pacis est fundamentum*, ut dicit Aug. *in Lib. 9. de Civ. Dei. Inter fratres* inquit, *concors, & amica consonantia charitatis fraternæ, cùm nihil habet unus, quod non omnes.* E contrariò inter proprietarios, rixæ quotidianæ, invidiæ, susurratio, detractio, nulla pax, nulla charitas, nulla salus, opiniones & brigæ; adeò ut quicquid placet uni, displicet alteri. Hinc scissuræ & D discordiæ, inæqualitates in habitu & victu; hic abjectè, hic curiosè induitur; hic ut Dominus, ille ut servus; hic ut pauper, ille ut dives incedit; hic esurit, ille ebrius est; hic aurum contrà votum possidet, ille debitis multis obligatur; & omnia dilapidat & expendit: Et sic fraudatur intentio Fundatorum, contemnitur Ecclesiæ institutio, vilipenditur Evangelica instructio, negligitur propria salus, & lumen perfectæ Religionis (quondam in Ecclesia radians) pro majori parte modernis temporibus, proh dolor, obscuratur, ne dicam extinguitur. Et hæc de secundo membro dicta sunt.

TERTIA PARS HUJUS TRACTATUS.

Excussis utcunque telis duobus ex pharetra, incultiùs quàm exposceret Ordo & dignitas materiæ; superest accedere ad tertiam, in qua pro viribus refellendæ sunt proprietariorum objectiones.

Primo siquidem loco, quodam palliamento fallere videntur, dicentes, vestiarium non esse proprium, sed magis procuratio; quod abusio est nominis: nam procurare est curare pro aliis, proprietarius autem pro se solo curat. Item Procurator vestiarii per Regulam dicitur esse communis pro omnibus; isti autem pro se tantùm: in quo contrariantur Regulæ, necnon & voto paupertatis. Deut. XXIII. 21. scribitur. *Cùm votum voveris Domino Deo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus: Si moratus fueris reddere imputabitur tibi in peccatum.* Et paulo post ℣. 23. *Quod semel egressum est de labiis tuis observabis & facies, sicut promisisti Domino* &c. Et Malach. I. 6. *Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis* &c. Et infra: ℣. 7. *Et offertis super Altare meum panem pollutum.* Et paulo post ℣. 10. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra.* Sequitur in fine ℣. 14. *Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolabit debile Domino.* Masculum vovit Domino Regularis, cùm paupertatem desponsavit; sed debile reddit, qui adhuc servat proprium.

Irridere-ne est Augustinum Patrem dicentem in exordio Regulæ: *Hæc sunt, quæ ut observetis præcipimus &c.* Et sequitur: *Et non dicatis aliquid proprium.*

Secundo: objiciunt consuetudinem tanto tempore, & à personis tam discretis & eruditis, & in tot Monasteriis observatam. Quibus respondet Regula Juris dicens, quod *Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit.* Et Augustinus in Enchirid. 86. *Nostris*, ait, *temporibus multa mala ita in apertam consuetudinem devenerunt, ut aut parva aut nulla esse credantur, quæ magna atque horrenda sunt: usque adeò ut non solùm non occultanda; verùm etiam prædicanda & diffamanda videantur.* Item idem super illud ad Galat. IV. 11. Timeo, ne fortè sine causa laboraverim in vobis. *Exclamare*, inquit, *compulsus sum: Væ peccatis hominum, quia sola injusta exhorrescimus. Usitata verò (pro quibus abluendis filii Dei sanguis effusus est) quàmvis tàm magna sint, ut omninò claudi contrà se regnum Dei faciant, sæpè videndo omninò tolerare, & sæpè tolerando etiam facere cogimur.* Item in Sermone quartæ Dominicæ Adventus: *Nolite* inquit, *peccata contemnere, in quibus fortè jam consuetudinem fecistis. Omne enim peccatum consuetudine vilescit; & fit homini quasi nullum. Illicò ut obduruit, jam dolorem perdidit & putre est; nec ampliùs dolet; quod autem non dolet, non pro sano habendum est, sed magis pro mortuo computandum. Cùm ulcus pungitur & dolet aut sanum est, aut adhuc spem habet sanitatis. Cùm autem pungitur & non dolet, pro mortuo habendum est, & de corpore præscindendum.* Dicant igitur proprietatis defensores, qui voverunt paupertatem, an consuetudo ista eos excuset.

Sed dicent fortè, quòd Papa vel Ecclesia cum eis super hoc dispensavit. Audiant Papam Innocentium expressè dicentem; *Abdicatio*, inquit, *proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, ut nec Summus Pontifex possit circà eam dispensare.* Ergò à fortiori nec Generale Capitulum Ordinis,

Digitized by Google

nis, nec Abbas potest indulgere licentiam, cùm Papalis potestas excedat omnem potestatem inferiorum post Christum, ut habetur Dist. XCIII. Can. *Cyprianus.* & XII. Can. *Non decet.*

Quia autem votum hoc non servatur multis in locis à pluribus Annis, etiam magnis viris; non excusat, sed magis aggravat. Inolevit autem hoc ex negligentia Prælatorum in salutis eorum periculum. Nihil magis dissonum rationi, quàm habitum Ordinis gerere exteriùs in oculis hominum, & statum perfectionis simulare; interiùs autem vota saluti necessaria infringere. *Rationabilis est communis consuetudo, quæ à Jure probatur*, dicit Jo. in Sum. confes. l. 2. ti. 6. Et *quam Romana Ecclesia servat aut præcipit servandam : irrationabilis autem vel iniqua, non præscribit.* Innocentius dicit, quòd *rationabilis illa dicitur, quæ non obviat Canonicis institutis, aut quam Jus sustinet : Irrationabilis autem, quæ contrà Canonum instituta & à Jure improbatur, cujusmodi est proprietas inter Religiosos.* Ait enim Gregorius cuidam Episcopo: *Si consuetudinem opponis, tibi est advertendum quòd Dominus in Evangelio* Joan. XIV. 6. *Ego sum veritas, non ait, ego sum consuetudo* : Quoniam Cypriani Martyris sententia est, quòd *qualibet consuetudo, quantavis vetustate vulgata, semper est veritati postponenda, & usus omnis veritati contrarius abolendus est. Consuetudo quoque sine veritate vetustas est detestabilis errorum.* Frustrà ergò cùm hic abusus proprietatis, Evangeliorum, Canonum & sanctorum Patrum autoritatibus reprobatur, consuetudo dicitur; sed magis usitata culpa debet vocari, quæ *obligat mentem pondere suo*, ut ait Gregorius *in lib.* IV. *Moral. ut nequaquàm etiam surgere possit cum velit ; & quot vicibus frequentationis pravæ astringitur, quasi tot vinculis in mente sua colligatur.*

Scribit quoque Hieronymus ad Celantiam; *Asperam*, inquit, *& insuavem fecit nobis virtutum viam longa consuetudo peccandi.* Isidorus etiam *in Libro Soliloquiorum* I. *Pravus*, inquit, *vitæ usus aboleri difficulter potest, & assidua consuetudine vitium in naturam convertit. Animus sceleribus irretitus vix divelli potest*, dicit Beda *in lib. De Templo Salomonis. Non est parvus labor à consuetudine sese pestifera revocare.* Inanis est ergò hæc excusatio in peccatis & frivola, quæ prætenditur propter consuetudinem malam, quasi diceretur quòd abolita sunt Præcepta Legis, quia jam à Majoribus, & majori parte hominum non servantur, quia non servare ea à longè est consuetum.

Tertiò objiciunt proprietatis defensores, quòd in Capitulis eorum de hujusmodi proprietatis usu dispensatum est usque adeò, quòd ampliùs non sit timendum: (pace salva dicentium) ut dictum est suprà, & allegatum per Decretalem Innocentii III. *extra. De statu Monachorum. Cùm ad Monasterium*, quòd votum paupertatis adeò annexum est Regulæ Monachali, ut non æstimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare; immò nec Summus Pontifex. Idem dicit sanctus Thomas 2. 2. q. 99. de voto solemni, quod est indispensabile; conformiter ad Decretalem: quoniam minùs est commutare votum, quàm absolvere vel dispensare. Sed animal Deo votum commutari non potest. *Lev.* XXVII. 33. *Sanctum erit* (inquit littera) *& commutari non poterit propter melius aut pejus.* Causam assignat Doctor sanctus, *quoniam mox ubi vovebatur Deo, sanctum reputabatur, quasi divino cultui mancipatum*: Sicut nec modò calix aut alia res consecrata Deo, posset commutari in melius aut pejus. Si ergò non potest Summus Pontifex sanctificationem rei inanimatæ tollere, ut lapidis Altaris, calicis aut vestimentorum; ergo multò minùs ab homine Deo sanctificato per votum solemne Religionis. Ideò facere non potest Papa, quòd qui Religionis professione sanctificatus est Deo, non teneatur tribus essentialibus votis, quamdiù stat in Religione. Rursùs quia *Votum, est promissio Deo facta*, dicit sanctus Thomas, *& non reddere Deo votum, species quædam infidelitatis est, quæ sub dispensatione non cadit. Et sicut non potest Abbas præcipere malum suo Monacho, ut dicit idem sanctus Thomas* 2. 2. *in materia de voto, ita bonum Deo debitum non potest prohibere : Et in manifestis malis dispensatio non excusat à culpa.* Hinc sanctus Bernardus *in Lib. de Præcepto & Dispensatione*, dicit; *In per se malis non cadit dispensatio, & quæ benè fieri non possunt, cujusmodi est habere proprium, ei qui omnia abjecit in voto paupertatis*: *hoc*, inquit Bernardus ad Adam Monachum, *sæculari proprium possidere licitum est, Monacho verò purum malum.* Denique si dispensatum est Jure aut facto, non deberet hoc votum exigi à profitentibus, nec permitti in Regula. Dicit quoque Bernardus *in Lib. De Præc. & Dispensatione*, quòd *Quicquid in Regula traditur, in manu non relinquitur Abbatis. Neque Abbas suprà Regulam est, cui semel ipse sese spontanea professione subjecit.*

Quartò: objiciunt & dicunt quod traditio illa clavium excusat, quæ fieri solet quolibet Anno in manu Superioris. Istud repugnat objectioni præcedenti. Nam si dispensatum est de hoc proprietatis voto, ut objectio præcedens prætendit, frustrà est clavis tradenda Abbati in signum consensus. Est etiam contrà Decretalem sæpiùs allegatam, quæ votum indispensabile ponit paupertatis, sicut & castitatis: ergo sicut Abbas non posset dispensare de fornicatione; ita neque de possessione in proprio, nisi duntaxat in communi, ratione alicujus administrationis vel Officii, & non pro vestiario vel necessitate singulari, teste Decretali ex Concilio Lateranensi *Extra. De Statu Monach.* quæ ait: *Monachi pretio non recipiantur, nec peculium habere permittantur.* Peculium longè minus est quàm proprium: quia secundùm Jura: *qui res habent in peculio, non habent plenum aut principale dominium sibi, sed suo Superiori, ut servus sub Domino, filius sub parentibus, & Monachus sub Abbate, sed ex eorum, sub quibus sunt licentia, pro tempore commutandi, vendendi &c.* Et hæc potentia non est libera, sed limitata & subjecta; & tamen Concilium Lateranense hoc prohibet Monachis; à fortiori ergo proprium. Objectio ergo prædicta abusus est, & irridere Deum, *qui* tamen *non irridetur*, ut ait Apostolus ad *Gal.* VI. 7. Solum ergo licitum est illi, & permissum claves Abbati vel Superiori referre, qui habet administrationem, ut Magister Vestiarii, Thesaurarius, Cellerarius aut Eleemosynarius, in signum subjectionis & administrationis. Mendosa quoque est & delusoria veritatis prætensio, clavem Abbati referre; quia clavem referunt, sed retinent opere & affectu quæ sunt sub clave reclusa. *Duo sunt* (inquit Hugo de sancto Victore) *quæ relinquere oportet propter Deum; facultas retinendi quicquam proprium, & voluntas habendi.* Et tamen tradendo clavem neutrum relinquitur horum. Dic, quæso, defensor proprietatis, quod servas in cista, tuum est, an non? tuum dicere vetat Regula in principio: *Nemo*, inquiens, *dicat aliquid proprium.* Ergò tuum non est, sed omnium; nec tibi servare debes, aut in usum accipere, quod tuum non est. Quid ergò custodis non tuum? Repone, repone in communi quod tuum non est; sed omnium in communi neque clavem deferas, qui clavem habere non debes.

Quintò objiciunt defensores proprietatis dicentes, non esse proprium pro hoc quod ad nutum manet Abbatis, quotiens volet revocare. Contrà hos jam in parte responsum est suprà. Primò, quia neque Religiosus retinere potest peculium aut servare, nisi pro administratione Officii, nec Abbas potest dispensare. Secundò, quia nec Abbas est suprà Regulam, quæ hoc prohibet; sed Regulæ obligatus & subditus, ut dicit Bernardus in *Lib. de Præc. & Disp.* Fallit ergò, & qui retinet peculium, & Prælatus qui consentit, nisi pro administratione. Fera sævior est leone proprietas, maximè si hypocrisi commisceatur: *Simulata enim æquitas duplex est iniquitas*, dicit Augustinus *super Ps.* LXVI. *Duplici graditur via*, dicit Gregorius; *quia corpus exterius, sed per amorem gloriæ, mundo vivit: & con-*

Digitized by Google

& contrà prohibitionem Moysi, *induitur* veste contexta ex lino & lana. *Deut.* XXIII. 11. Per lanam *simplicitas*, per linum *subtilitas subdolosa* intelligitur. Linum celat interiùs, lanam exteriùs ostentat. *Nulla res* (inquit Chrysostomus super Matth.) *sic exterminat sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum non cavetur, dùm non cognoscitur.* Hujusmodi est proprietarius, qui proprium excusat & palliat per Abbatis licentiam. A *Non habeo*, inquit, *non possideo*, *sed Abbas meus*; & tamen contrà Abbatis voluntatem: si forsan pro communi necessitate Fratrum sciret Abbatem recepturum quæ possidet, absconderet; aut si bono modo non posset, inutiliter exponeret.

Sextò: objiciunt dicentes; proprium non esse aliquid custodire pro necessitatibus secretis, potissimè infirmitatis: quos Beatus Augustinus confundit in eo, quòd talibus providere non neglexerit in Regula cùm dicit; *Ægrotantium cura*, *sive post ægritudinem reficiendorum*, *sive imbecillitate laborantium aliqua*, *aut febribus*; *uni alicui debet injungi*, *ut de cellario petat quod cuique opus esse perspexerit. Sive autem qui cellario*, *sive qui vestibus*, *aut codicibus præponuntur*, *sine murmure serviant Fratribus suis.* Incidis ergò in alterum laqueorum, quia vel Patrem Augustinum corrigis, quasi non sufficienter providerit necessitatibus singulorum, aut de fidelitate diffidis Fratrum, dubitans ne circà B ægrotantes faciant debitum suum: vel, quòd verisimilius, de te solùm cogitas, cui parùm aut nihil curæ est de ceteris, dummodò tuipse provisus es. Audeo dicere quòd objectio prædicta, officit ea parte undè sanare putat. Quoniam si paupertatis observaretur votum inter Fratres, longè fervidior arderet charitas fraterna, & cura atque sollicitudo major esset infirmorum, pietas intimior, & visitatio cordialior: quoniam tunc uno infirmante, omnes infirmarentur, juxtà illud: *Si patitur unum membrum*, *compatiuntur*, &c. I. Cor. XII. 26. Si propria nulla essent, nemo alium expectaret ad juvandum & succurrendum Fratri infirmanti. Nemo diceret; hic qui infirmatur satis habet undè Medicos habeat & custodes: Tunc quisque succurrendo Fratri exemplum daret, quomodò vellet sibi in simili casu succurri.

Septimò: objiciunt antedicti defensores proprietatis, dicentes necessarium proprium pro festinandis & suscipiendis amicis. Respondetur eis, quòd ad hoc est C in Ordine Augustini Hospitalitas instituta, & providus Frater eloquens, & discretus est eligendus, qui sciat amicos & benefactores Ecclesiæ benignè suscipere, secundùm facultatum possibilitatem, juxtà doctrinam Pauli: *Charitas fraternitatis* (inquit) *maneat in vobis*, *& hospitalitatem nolite oblivisci*, *quia per hanc quidam latuerunt*, &c. Hebr. XIII. 1. 2. Nec multùm utilis Religiosis conversatio frequens amicorum carnalium, qui reliquerunt mundum. Propter quod ait Augustinus filiis suis in Regula circà finem: *Non carnalis*, *sed spiritualis sit inter vos dilectio.* Quapropter vero Religioso, cui mundus crucifixus est, non multùm affectanda est carnalium propinquorum visitatio: Nam *qui de terra est de terra loquitur.* Joan. III. 31.

Tractantque fabrilia fabri.

Quæ omnia veris Religiosis sunt fugienda, immò D veriùs abominanda. *Qui non relinquit* (inquit Christus) *Patrem & Matrem*, &c. Luc. XIV. 26. *non potest meus esse Discipulus.*

Octavò: objiciunt quòd paucioribus expensis Ecclesiæ providetur de vestiario, dando cuilibet portionem pecuniæ, quàm in communi. Hoc non est verum; esto tamen quòd ita sit; tamen propter hoc temporale commodum parvum, non est frangendum votum, quia non sunt *facienda mala*, *ut veniant bona.* Rom. III. 8. Præposterus ordo, vota postponere parvo lucro; solem, vermibus nocte lucentibus; aurum & gemmas, carbonibus. Anteponere divitias & temporalia bona bonis animæ, absurdum est, & ordinem pervertere: Ergo, &c.

Nonò: objiciunt dicentes, minorem occupationem Fratrum esse, dare unicuique summam pecuniæ pro vestiario. Cum reverentia dicentium non est ita; immò paucior est occupatio unius aut duorum, quàm omnium in Officio vestiarii. Hoc etiam consonat dicto Philosophi; *Frustrà fieri per plura*, *quod potest per pauciora*: In unitate siquidem æqualitas est, charitas, pax, concordia, & quod super omne bonum est Deus. In pluralitate autem, singularitas, divisio, invidia, rixa, superbia, & omnis mali fomentum. Et concesso adhuc (quamquàm ita non est) quòd occupatio major adesset in communi vestiario proviso per unum aut duos, quàm per omnes singillatim in proprio; nihilominùs tamen minus malum est occupatio, quàm voti transgressio & Regulæ, cujusmodi est proprietas. Item non minùs abjurata est proprietas in vestiario, quàm in cellario per Regulam; ergò si pro cellario unus solus impeditur, quarè etiam unus aut duo pro vestiario non sufficiunt, ut observetur Regula quæ hoc totiens jubet fieri: nam negari non potest quin occupatio unius aut duorum minor sit, quàm omnium Fratrum. Et sic retorquetur objectio in confusionem objicientium.

Decimò & ultimò: subduntur objectiones contrà voluntariam paupertatem quas ponit sanctus Thomas *in* 3. *contrà Gentiles.* Hanc siquidem invadit primò Vigilantius hæreticus, & quidam sequaces sui, non intelligentes, de quibus loquuntur, neque quæ affirmant. Naturale est, inquiunt, cuilibet animali ut sibi necessaria vitæ provideat; undè non quælibet pars Anni apta est frugibus, & provisioni ipsorum: Faciunt hoc Æstate formicæ & apes, ut congregent undè Hieme vivant: sed homo multis indiget, quæ non semper inveniri possunt; ergò opus est illi provisione. Secundò, quia per substantiam divitiarum esse hominis confirmatur; ergò paupertas est contrà Legem naturæ: naturaliter enim diligit unumquodque permanere, & id quod necessarium est ad illud. Tertiò, est homo naturaliter animal sociale civile, ut *in* 1. *Politic.* Aristotelis dicit, *Societas animæ est in mutuo juvamine*, *& subsidio amicitiæ*, *quæ paupertas implere non potest*: ergò, &c. Nam per divitias & facultates liberamus amicos à malis; ergò bonæ sunt. Quartò, paupertas est mala per se: ergo, &c. Antecedens probatur, quia est occasio furti, adulationis, perjurii, & malorum multorum. Quintò, nam liberalitas est virtus, quæ danda tribuit, & retinet retinenda. Vitium illi oppositum in majus est prodigalitas, quæ omnia largitur: Vitium autem in minus est liberalitas, quæ retinet quæ danda sunt, & dat quæ retinenda. Est ergo paupertas voluntaria vitium in majus, quia omnia sua largitur & nihil retinet pro se.


Pro solutione dictorum dicit idem sanctus Thomas quòd meliora & maxima bona hominis sunt scientiæ, & virtutes; minima sunt bona fortunæ extrinseca; media sunt bona corporis. In tantùm ergò sunt divitiæ bonæ, in quantùm proficiunt ad virtutis usum; quia quæ ad finem sunt, modum accipiunt, secundùm exigentiam finis. Si verò per usum divitiarum impeditur virtutis usus, non ampliùs bona dicenda sunt sed mala. Propter quod dicitur, quòd bonum est habere divitias ei qui utitur ad virtutes, & malum qui per eas retrahitur à virtute, nimia sollicitudine, vel amore, aut elatione. Hinc dicitur quòd contemplativa vita perfectior est quàm activa, quia paucioribus indiget divitiis; activa verò pluribus. Occupatur autem humana sollicitudo circà tria. Primò circà se; secundò circà personas sibi conjunctas & familiam domumque; tertiò circà res procurandas quibus homo indiget ad vitæ sustentationem. Paupertatis ergò voto abjicitur sollicitudo rei exterioris, consilio divinæ Legis.

Digitized by Google

Legis. *Si vis perfectus esse*, &c. Matth. XIX. 21. Voto autem continentiæ abjicitur sollicitudo rei familiaris, consilio Scripturæ sanctæ : *Qui sine uxore est, cogitat quæ Domini sunt.* 1. Cor. VII. 32. Voto autem obedientiæ, abjicitur sollicitudo sui, curam ejus committendo Superiori. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Hebr. XIII. 17. *Est ergò*, inquit sanctus Thomas ibidem : *paupertas laudabilis, quia liberat à vitiis, quibus homines per divitias implicantur, ut mente Deo liberiùs vacent, & quantò magis homo per paupertatem liberatur ab impedimentis vacandi spiritualibus, tantò est laudabilior.* Non dicit tantò melior quantò major, sed quantò liberior est ab impedimentis sæculi præpedientibus vacare Deo. Ad primam objectionem Vigilantii hæretici, & suorum sequacium dicendum est, quod naturale sit congregare necessaria ad vitam; non tamen oportet, omnes circà hoc opus intendere; quia sicut apes non omnes eidem operi vacant, sed quædam mella conficiunt, quædam construunt ædes; Reges autem non vacant istis: ita hominibus multa sunt necessaria, quæ ab uno fieri non possunt, sed à multis & diversis, secundùm distributionem divinæ sapientiæ. Vita nostra indiget viris spiritualibus à temporalibus curis alienis, qui pro activis intendant divinis sacrificiis, & contemplationibus, ad supplendum defectum sæcularium contemplativorum sustentationi insistentium. Sic oculus videt pro ceteris membris, manus defendit oculum, & laborat pro sustentatione aliorum membrorum, & sic de aliis; *quoniam multi unum corpus*, dicit Apostolus 1. *Cor.* X. 17. Ad secundum dicendum, quòd Monachi relinquendo temporalia non subtrahunt sibi necessaria vitæ, sed remanent eis in communi vita. Ad tertium dicendum, quòd nec relinquentes omnia faciunt contrà charitatem humanæ societatis, ut satis experientia docet. Ad quartum dicendum, quòd divitiæ non sunt per se bonum, sed ut ordinantur ad bonum rationis: Undè nihil prohibet paupertatem meliorem fore, si ad id bonum rationis ordinat perfectiùs quàm divitiæ; quia exteriora bona non sunt, nisi ut ad interiora ordinantur: & sicut vitium ex paupertate oritur malè ordinata ad rationem, sic ex divitiis similiter. Ad quintum dicendum, quòd paupertas non contrariatur virtuti, nec est prodigalitas abjicere omnia propter Christum; cùm hoc facit Religiosus debito sententiæ rationis & charitatis. Nam plus est se morti exponere per virtutem fortitudinis, quàm vovere paupertatem propter liberiùs vacandum Deo. Et cùm arguitur de paupertate, quod suadet & cogit furari, &c. verum est de coacta; non autem de voluntaria.

Sileat ergo Vigilantius hæreticus, cum suis complicibus, & fautoribus : sileant quoque amodò proprietarii, eorumque defensores, & fautores, convertanturque ab errore viæ suæ, & solvant vota quæ distinxerunt labia sua, ut tandem audire mereantur. *Vos, qui reliquistis omnia*, &c. *centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Matth. XIX. 29. quam nobis concedat qui promisit. Amen.

FINIS.



 A D

Digitized by Google

Digitized by Google

AD

SECUNDUM TOMUM

OPERUM

JOANNIS GERSONII

Doctoris & Cancellarii Parisiensis

APPENDIX TRIPLEX.

PRIMA, continens Petri de Alliaco, Joannis Brevicoxæ, Henrici de Hassia, aliorumque Scriptorum coætaneorum, *De Ecclesiæ, & Concilii Universalis auctoritate* Tractatus partim editos, partim ineditos.

SECUNDA, continens Monumenta omnia ad Historiam Schismatis pertinentia.

TERTIA, quæ spectant ad damnationem doctrinæ Joannis Parvi, *De Regum parricidis*, pleraque nunc primùm edita.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX
AD
TOMUM II.
OPERUM
JOANNIS GERSONII
Doctoris & Cancellarii Parisiensis.

Digitized by Google

Digitized by Google

APPENDIX

AD

TOMUM SECUNDUM

OPERUM

JOANNIS GERSONII,

Doctoris & Cancellarii Parisiensis,

Continens

HENRICI DE HASSIA, JOANNIS DE VARENIS, PETRI DE ALLIACO, Cardinalis Cameracensis, aliorumque Tractatus, *De Schismate, Ecclesiæ Reformatione, & Concilii Generalis Authoritate.*

SERIES

Eorum quæ in hac Appendice continentur.

Digitized by Google

HEN-

Digitized by Google

HENRICI DE LANGENSTEIN DE HASSIA,

Vice-Cancellarii Academiæ Parisiensis,

CONSILIUM PACIS:

DE UNIONE,

AC REFORMATIONE ECCLESIÆ,

IN CONCILIO UNIVERSALI Quærenda.

Scriptum Parisiis A. 1381.

Ex antiquissimo Codice MSto Academiæ Helmstadiensis.

CAPUT. I.

Schismatis causa: Publica peccata.

CAPUT. II.

De infanda corruptione Ecclesiastici status, tempore illius schismatis.



PATRES Synodi Ephesinæ primæ, contra Nestorium Episcopum, & hæreticum, synodalia Decreta eidem transmittentes, talibus blasphemiis ipsum non exasperaverunt: sed illi scribentes, ita exorsi sunt: *Religioso & Deo amabili consacerdoti Nestorio, Cyrillus* vel, *Quæ apud Ephesum Synodus: his scriptis synodicis te, jam tertiò, convenimus, consilium dantes, ut à tam pravis abstineas, distortisque dogmatibus, recipias verò Fidem rectam* &c. A

Ceterum, futuris sæpè pullulatura temporibus, jam per hoc schisma discordiæ & invidiæ semina jaciuntur in Regiones & Religiones, in plebes, in Principes, in Prælatos, in Sacerdotes.

Inde Sacerdotales status viles erunt & abjecti, devotio Christianorum arescet, Fidei fervor tepescet. Extolluntur mendaces, proscribuntur veraces, Religio exulat, apostasia regnat, Sol justitiæ Eclipsatur, Luna terrenæ feculentiæ adamatur. Quoniam non ea quæ Dei, non quæ justitiæ, sed quæ placita sunt, aguntur.

Et quoniam quilibet de Summo Pontificatu contendentium, ut multos sibi fautores alliciat, nulli potenti & petenti præsumet quicquam denegare: & timens adhærentes sibi offendere: negligit justitiam facere, & Ecclesiasticas dignitates rationabiliter dispensare. B

Quid plus? Cum omnibus dispensat, de omnibus indifferenter absolvit, & quem unus excommunicat, alter non ligatum affirmat; quem unus justè condemnat, alter malè appellantem justificat.

Sic injuria fit justitiæ, vilescunt claves Ecclesiæ, gladius Petri non timetur. Et cùm, perversorum pœnis, non compescatur effrenitas, pravis continuò invalescentibus, tandem victor sedebit in solio Majestatis, Princeps tenebrarum, artifex iniquitatis, firmaturus circumquaque propugnacula Potestatis suæ tyrannicæ: *Cui resistite fortes in Fide.* 1. Pet. v. 9.

CAP. III.

Dissidia illa Papalia fore Ecclesiasticæ emendationis ansam.

ECce furens pestis, hostilis crudelitas, rabida contrarietas, ferè omnes exuperans Ecclesiæ molestias! Quæ quàm populo Dei sit damnosa, quantumque decrementum animabus & corporibus inferat, & perseverans illatura sit, nullus ambigere potest fidelis, præmissorum pensator dispendiorum.

Assurgendum est igitur utique, & omninò singulis laborandum, ut tanta clades, tantaque pernicies, pro salute populi, in Dei gloriam eradicetur, & penitùs evellatur. In hoc opere nemo pigritetur, nullus sit excusatus. Nemo sic ingemiscat, quasi finis seculi instet. Oportet enim hæc fieri, & nondùm statim finis.

Non miremur, non murmuremus, quasi tribulationis nostræ causa in nobis non fuerit. Sed flagelli hujus percussionem, merente iniquitate, de qua supra, subortam æstimemus.

Consolati tamen divinæ sapientiæ subtilitate, ex malis bona sciente, & volente deducere, in salutem fidelium rectè sub hoc flagello se habentium; speremus, hanc tribulationem à Deo non gratis permissam, sed in necessariam, oportunamque Ecclesiæ reformationem finaliter convertendam.

Pro quo, mente revolvamus, quomodò ad ingentem sæpe utilitatem, divino judicio, fideles diverso flagellationis verbere agitantur, & plerumque percussi leguntur. Qui, si Deo, ut debent, gratias egerint, suæque culpæ, quòd talibus digni fuerint, reputaverint: hoc, quod in tribulationibus tolerant, eis

Digitized by Google

pro virtutibus reputabitur: quia & divinam agnoscunt justitiam, & suam culpam intelligunt.

Cùm igitur, verso blandientis fortunæ vultu, adversitatibus premamur, & perplexis præsentis schismatis anfractibus, sathana moliente, involvamur: non idcircò credamus, alienari à Christo talia passos, sed magis nos ad se, hac occasione emendatos, bellè reduci speremus, dicente Amos Propheta: *Tantummodò vos congregavi ex omnibus nationibus Terræ. Ideò visitabo super vos omnes iniquitates vestas.* Amos. III. 2. *Quem enim diligit Dominus, corripit*: Prov. III. 12. *Flagellat omnem filium, quem recipit.* Heb. XII. 6. Et iterum: *Ego, quos amo, corrigo & castigo.* Apoc. III. 19.

Quosdam enim videns Deus nolle proprio voto corrigi, adversitatum tangit stimulis. Quod trimoda ratione facere consuevit: cùm percutit ad damnationem, reprobos, ad probationem quos errare videt, electos, ad propagandam verò meritorum gloriam, justos.

Flagellum autem tunc diluit culpam, cùm mutaverit vitam. Et cujus mores non mutat, iniquitates non expiat.

Discat igitur non murmurare, qui tribulationes patitur, etiamsi ignoret cur malis quatitur, per hoc justè se pati arbitrans. Quia ab illo judicatur, cujus nunquam injusta Judicia sunt. Et ut leviùs portet quod patitur, sua discutiat mala, pro quibus sibi infertur retributio justa. Et tunc justificatur, quòd se ipsum accusat, & Dei justitiam laudat.

CAP. IV.

Concilio Generali illa dissidia esse tollenda.

EIa igitur Principes, & Prælati Christianorum, simul in unum magni & parvi, Seculares & Regulares, summoperè cavete, ne hodie sitis, quos Dominus per Prophetam arguens dixit: *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt.* Jerem. II. 30. Humiliamini sub potenti manu Dei; erudimini qui judicatis Terram, convertimini ad Dominum, pœnitentiam agentes super iniquitate, quæ causa existit schismatis hujus: & miserebitur nostri Deus noster, inceptam à populo suo citiùs indignationem aversurus.

Cujus quidem schismaticæ iniquitatis, divinæ gratiæ impeditivæ, cum suo viperino germine dissolutionem, triplici humana via, in idem respiciente, fieri posse arbitror.

Quarum prima, ut quilibet præmissorum scelerum sibi conscius perpetrator, ad cor redeat, &, reconciliante pœnitentiâ, Dominum placet.

Secunda est, ut, per gyrum Universalis Ecclesiæ, miserationis divinæ jugis imploratio, in jejuniis, in fletu, in orationibus publicè fieri disponatur.

Tertia est, ut his, ad largiendam Spiritus sancti gratiam, dispositionibus præmissis, in nomine Jesu Christi Concilium Generale convocetur, Ecclesiam suam ab iniquitatibus & variis exorbitationibus, hoc tempore nimio insuetis purgaturum, atque ita, submotis causis, præsentem exstirpaturum radicitùs contradictionem in civitate, quæ schisma peperit tetrificum & monstrosum.

Ecce via pacis, via trita præcedentium Patrum, via salutis. Ad quam summo studio assumendam Deo placentem viam, & indilatæ executioni mandandam, valdè movere debet Reges & Principes Christianos modernorum doctrix, veterum memoria historiarum: insinuans, Regum devotione, patrocinio & hortatu, olim in retroactis Ecclesiæ necessitatibus, Episcoporum Synodos Provinciales & Generales, sic providente Domino, plerumque convocatas fuisse, atque se suarumque litium causas, & Leges corrigendas & emendandas sacro Conciliorum suorum Judicio devotè submisisse: ut conscriptis Conciliorum gestis clarum, patulo intuitu.

E quibus, pauca de multis in medium proponendo, accedat primus venerandæ memoriæ, Carolus Francorum Rex; qui in Libello proclamationis contra Guemlonem Archi-Episcopum Senonensem, loquens Generali Concilio in Suburbano Tullensi, 41. Episcoporum, ita dixit: *A Regni sublimitate supplantari, vel projici a nullo debueram, sine Judicio Episcoporum, qui Throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit Judicia, quorum paternis correctionibus & castigatoriis Judiciis me subjicere fui paratus, & in præsenti sum subditus*, &c.

Sit hoc exemplum Regibus, & Principibus molesti nostri temporis, Conciliali determinationi se submittendi, præcipuè in illis quæ tangunt, aut Fidei mysteria, aut Ecclesiastici status gubernacula, de quibus est quod nunc deflemus schisma miserabile.

CAP. V.

De Regum studio in convocandis ac dirigendis olim Conciliis, pro Ecclesiæ emendatione ac salute.

RUrsùs in Præfatione Bracarensis Concilii primi sic legitur: „ Lucretius Metropolitanus dixit: „ Diù est, Sanctissimi Patres, quòd secundùm statuta „ venerabilium Canonum, & Decreta Catholicæ & „ Apostolicæ disciplinæ, desiderabamus Sacerdotalem inter nos fieri debere Conventum, non solùm „ Ecclesiasticis Regulis & Ordinibus oportunum; sed „ etiam, qui stabilem semper efficit charitatis fraternæ „ concordiam. Dùm congregati simul in nomine Domini Sacerdotes, ea inter se, salutifera collatione, requirunt, quæ secundùm doctrinam Apostolicam unitatem spiritûs, in vinculo pacis, obtineant. Nunc „ igitur, quùm optatum nobis hujus Congregationis „ diem, gloriosissimus, atque Potentissimus filius noster Ariamirus Rex, aspirante sibi Domino, utiliter „ commodavit, priùs de statu Fidei conferamus, &c. „

Et in gestis Concilii Toletani XII. legitur. „ Cùm „ ex glorioso Eringii Regis jussu, in unum fuissemus aggregati Conventum, & in Basilica Sanctorum Apostolorum debitis in sedibus locaremur, affuit coram „ nobis idem Clementissimus Princeps, humilitatis „ gratiâ plenus, & claro pietatis cultu perspicuus. Qui „ nostro se cœtui reclivem exhibens, ac devotum, imprimis omnium se committit precibus adjuvandum. „ Dein, grates Omnipotenti Deo agit de conventu „ totius Concilii, quia jussionis suæ, ut in unum adessent, implevissent desiderium. „ *Et post aliqua subjunxit*: „ Hoc generaliter obsecro, ut, quidquid in nostræ „ gloriæ Legibus absurdum, quicquid justitiæ videtur esse contrarium, humanitatis vestræ Judicio „ corrigatur. „ *Hæc ille.*

Item in gestis Concilii Toletani IV. de Sysenando Rege Hispaniæ, cujus studio illud congregatum fuit, sic legitur: „ Hic quippè, cùm in Basilica sanctæ Martyris Leochadiæ, omnium nostrûm pariter cœtus „ adesset, pro merito Fidei suæ, cum nobilissimis viris ingressus, primùm coram Sacerdotibus Dei humi prostratus, cum lachrymis & gemitu, pro se interveniendum Domino postulavit. Dein, religiosa prosecutione, Synodum exhortatus est, ut paternorum „ Deretorum memores, ad confirmanda in nobis Jura „ Ecclesiastica studium præberemus, & illa corrigeremus, quæ, dùm per negligentiam in usum venerint, contra Ecclesiasticos mores, licentiam sibi jam „ de usurpatione feceruut &c. „

Gloriosus quoque Recensanichus Rex, ignito devotionis spiritu accensus, magni Concilii Toletani Octavi Patrum universalem Cœtum sic allocutus est: „ Contestamur universitatem vestram, per Summæ divinitatis coæqualem & inseparabilem Trinitatem, atque „ per Adventum Jesu Christi Domini nostri, quo perimendi sunt impii, glorificandi sunt Sancti, ut quæcunque negotia, de quorumlibet querela vestris „ au-

Digitized by Google

„ auditibus extiterint patefacta, cum justitiæ rigore, „ misericorditer, & cum temperamento miserationis „ justissimè concorditer tractetis; in Legum sententiis, quæ aut depravata consistunt, aut ex superfluo, „ vel indebito conjecta videntur, nostræ serenitatis „ accommodante consensu, sola quæ ad sinceram justitiam & negotiorum convenientiam conveniant, „ ordinetis. Canonum obscura quædam, & in dubium versa, in meridiem lucidæ intelligentiæ reducatis: omniumque negotiorum conventus, Ordinumque status, qui in vestram extiterint devoluti A „ Potentiam; ita Majorum regulis concordantes justissimè, pièque ac temperanter constituere studeatis, ut & mihi, qui ad studiorum fructus anhelo, „ pars adveniat beatorum; & vos, qui adimplentes voluntatem Dei, me non spernitis imperantem, regio „ beatitudinis æternæ suscipiat, & visio delectationis Dei sibi perenniter adhærere concedat. „

CAP. VI.

Adhortatio ad Reges ac Principes, qui imitentur Majores, in convocando Concilio Generali, pro morum emendatione, ac dissidiis componendis.

LIquet ergo, ex his & similibus Regum gestis, non solùm Seculares Potestates, pro viribus opitulari, pro congregando Generali Concilio debere; B quinimò Regum memoratorum devotionis exemplo salutari, etiam nostri Reges & Principes, variis guerris & dissensionibus laborantes, congregatum Concilium devotè, & acclivi humilitate pro generali fœdere pacis debere accedere, omnium se Prælatorum flagitantes consiliis & precibus adjuvandos, & Judiciis dirigendos, atque ut dignissimæ memoriæ Eringius Rex, ut supra, Patrum sic alloqui cœtum: „ Non „ dubium, *inquit*, Sanctissimi Patres, ac honorabiles cœlestium mysteriorum dispensatores, quòd optima Conciliorum adjutoria ruenti mundo subveniant, si officiosis, quæ corrigenda sunt, studiis „ peragantur. Et ideò, quibus plagis pro eventu dierum succedentium feriamur, Paternitati vestræ non „ reor esse incognitum. Obindè, quia certum apud „ nos gerimus, quod per contemptum divinorum Præceptorum terra perniciem sustineat pressurarum, C „ dicente per Prophetam Domino: „ *Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea:* Ozee. VI. 3. „ Quare oportet, qui Salvatoris nostri & „ Domini verbo, sal terræ comprobamini: ut & per „ vos salvationis obtineat lucrum, per quos regnationis accepit Sacramentum; & ut diligentiâ dignationis vestræ, ab omni mundata contagione, & „ ab infirmitatis peste sit libera, & bonorum omnium „ sit proventibus gratiosa. Et ideò, quia secundùm „ Evangelicam promissionem, *Si duo ex vobis consenserint super terra, de omni re, quodcunque petierint fiet illis à Patre vestro, qui est in cœlis*: Matth. XVIII. 19. „ Ob hoc venerabilem Paternitatis Cœtum cùm lacrymarum effusione convenio, ut zelo vestri regiminis purgetur Terra contagione pravitatis. Exsurgite quæso, exsurgite, culpatorum solvite nodos, „ transgressorum mores corrigite inhonestos, excitate D zeli disciplinam in perfidos, servorum mordacitates obtundite, oppressoribus resistite, oppressis „ subvenite. Et quod plus omnibus est, præsentis „ vertiginosi schismatis pestem, quæ in novam semper recrudescit insaniam, exstirpate.

CAP. VII.

Majestatis Regiæ Jus esse, publicam, ope Concilii, emendationem procurare.

ET si fortè, quod absit, fervens ad Christi Religionem devotio Regum præcedentium, à qua posteros utique verecundum est degenerare, & laudabile salutis studium nostros non satis moveat: saltem institutionis, & ministerii Regalis dignitatis consideratio compellat.

Audiant illi, de hac dignitate, jam non Philosophum, non Prophetam, sed Regalis status feliciter memorem, Recensanichum Regem præfatum. „ In nomine Domini, *inquit*, Flavius Recensanichus Rex. Eminentiæ celsitudo terrenæ; tunc salubriùs sublimia „ probatur appetere, cùm saluti proximorum pia cernitur compassione prodesse. Unde solet contingere, „ ut plus commodi de aliena salute Rex conquirat, „ quàm de propria utilitate quisquam proficiat. In „ multis enim, quia multorum salus attenditur, majoris lucri summa perficitur. Hinc & illa Potestas, regendarum tantummodò salus sit plebium; quæ non „ suos fines privatâ voluntate concludit, sed illa, quæ universitatis limites, communi pietatis Lege, defendit.

„ Cùm igitur præcedentium serie temporum, immoderatior aviditas Principum sese prona diffunderet in spolia populorum, & augeret proprietatis „ censum ærumna flebilis subjectorum: tandem, serenæ respirationis afflatu, nobis est divinitùs inspiratum, ut, qui subjectis Leges reverentiæ dederamus, „ Principum quoque excessibus retinaculum temperantiæ poneremus. Quosdam namque conspeximus „ Reges, postquam fuerunt Regni gloriam consecuti, „ extenuatis viribus populorum, rei propriæ congerere lucrum; inspeximus subditorum statum, non „ ex ordine vegetari Rectoris, sed dejici ex gravedine Potestatis. Nec mœstos animos spes fovebat ex „ munere, sed tolerantia vexabat in funere. Et obliti, „ quòd regere sunt vocati, defensionem in vastationem convertunt, & vastationem defensione pellere „ refugiunt; colligentes in Juris proprii antro, quod „ utilitatis, populi obtentu, acquisitum esse constat, atque in proprietatis illa conantur redigere sinum, „ quæ pro solo constat illos Imperii percepisse fastigio. Et quia omnia totius plebis membra subjecta „ ad principale caput relevant attentum debitæ visionis obtuitum, ab illo negotiorum prospectant remedium, cui modò gratum, modò debitum irrogant „ censum. „

„ Regalis proinde orthodoxia hæc cuncta sibi deberi convincit, ex quo se regere cuncta cognoscit. „ Quæ igitur honori debentur, honori deserviant. Et „ quæ Reges accumulant, Regno relinquant: ut, quia „ eos Regni gloria decorat, ipsi quoque gloriam Regni non exterminent, sed exornent. „

„ Habeant deinceps, Jure conditi Reges, in regendo „ Judicia justa, in parcendo pectora promta, in conquirendo studia parca, in conservando vota sincera. „ Ut tantò gloriam Regni cum felicitate retentent, „ quantò Jura regiminis, & mansuetudine conservarint, „ & æquitate direxerint, & communi omnium saluti „ providerint. Tunc verum fit, quòd regendorum „ membrorum causa valetudinis salus est capitis: & felicitas populorum, non nisi mansuetudo est Principum. „

Porrò, idem ad Patres Toletani Concilii VIII. „ Nosse vos non ambigo, me Orthodoxæ Fidei veram scientiam, atque sinceram regulam, de corde puro & conscientia bona plenissimè habere, veraciter scire & firmissimè retinere &c. Hanc cum fidelibus servans, ad hanc salvandos fideles invitans, in hac subjectos populos regens, hanc propriis gentibus tenendam insinuans, hanc populis alienis annuncians, ut in „ illa glorificans Dominum, & inter mortales à me summæ divinitatis felicitas assequatur, & in terra viventium hereditas à me gloriæ capiatur. Jam nunc magnoperè arbitror mihi esse oportunum, ad id, quo „ tendimus, societati ejusdem veræ Fidei studia sanctæ „ operationis innectere, ne hanc, aut sine operibus „ mortuam habeamus, aut ne à plenitudinis suæ dignitate perspicua decidat, per inhonesta; dùm, Scrip-

„ tura

Digitized by Google

„tura non silente, de quibusdam infertur, qui dicunt: *nosse Dominum, factis autem negant.* „ Tit. 1. 16.

Hic prætermittendus non est, divæ memoriæ, Justiniani Imperatoris ad pacem & salutem Gentium ferventissimus zelus, & studium infatigabile, in pluribus Autenticorum locis expressum. „ Magnum, *inquit*, Dominum, & Salvatorem nostrum Jesum „ Christum, & ejus auxilium invocantes, studemus „ omnes nostros subjectos, quorum regimen credidit „ nobis Deus, illæsos, & sine calumnia custodire; & „ inhibere bella &c. „

Et alibi: „ Nostræ serenitatis celsitudo remediis „ invigilat subditorum, nec cessamus inquirere, si „ quid sit in nostra Republica corrigendum. Ideò namque voluntarios labores appetimus, ut quitem aliis „ præparemus. Nostrasque emendare Leges non piget, ubique utilitatem subjectis invenire volentes.

„ Et ex quo nos Deus Romanorum præsupposuit „ Imperio, omne habemus studium, universa agere „ ad utilitatem commissæ nobis à Deo Reipublicæ, & „ illa facere omni difficultate, quæ & læsionem & contentionem privent. Quicquid quoque ad utilitatem, „ & ornatum respicit à Deo creditæ nobis Reipublicæ, semper cogitantes ad effectum deducere festinamus. Omnibus etiam hominibus, qui rectè sapiunt, „ manifestum esse putamus, quòd omne nobis & studium & oratio, ut crediti nobis à Domino Deo, benè vivant, & ejus inveniant placationem; quum & „ Dei misericordia non perditionem, sed conversionem & salutem vult, & delinquentes, qui corriguntur, suscipit &c.

„ Omnes igitur nobis dies & noctes contingit cum „ omni lucubratione & cogitatione degere, semper „ volentibus, ut aliquid utile & placens Deo à nobis „ collatoribus præbeatur. Et non in vano vigilias ducimus, sed in hujusmodi eas expendimus, consilia „ provocantes, noctes sub æqualitate dierum utentes, „ ut nostri subjecti sub omni quiete consistant, solicitudine liberati, nobis in nosmet pro omnibus cogitationem suscipientibus &c.

Teneantur itaque seculi Principes, omni via, ad Dei gloriam, & populi salutem, germen concordiæ & veritatis in omnes seminare, & crimen discordiæ & iniquitatis à civitate Dei longè fugare, venerabilium prædecessorum exemplis commoniti, qui ad hoc summis anhelabant desideriis.

Unde etiam Valentinianus & Martianus, Augusti, de pace & tranquillitate Ecclesiæ per Chalcedonense Concilium facta, exultantes, ita dicebant: „ Tandem aliquando, quod summis votis atque studiis optabamus, evenit. Remota est Orthodoxa „ Christianorum Lege contentio. Tandem remedia „ culpabilis erroris inventa sunt, & discors populorum sententia, in unum consensum concordiamque convenit; A diversis enim Provinciis religiosissimi Sacerdotes Chalcedona venerunt. Discessit „ igitur jam profana contentio, jam verè impius & „ sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum Sententiam, „ opinioni suæ aliud tractandum relinquitur. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo „ die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim „ post veritatem illam repertam adhuc ulteriùs discutit, mendacium quærit &c.

Et hæc de exhortatione Regum & Principum, pro auferendo præsenti schismate sufficiant.

CAP. VIII.

Prælatos Ecclesiasticos obligatos esse, ad emendationem ac concordiam restaurandam.

DEinde, stylo specialiùs ad exhortationem Prælatorum deflexo, primùm velint attendere, quòd si in civitate ponderi collidentis ruinæ æqualiter proximorum curam convenit obviare, quantò grandioris erit culpæ, Prælatos incuriæ discrimen incurrere, si, convalescente commotionis onere, sibi commissos non procurent populos, omni rationabili via sublevare.

Properandum est ergo eis, inter ruinas collisionum, catervas eripere collisorum, ne ex hoc jugiter, & ultra, vigorem nocendi habeat execranda pressura; & omnis compressus noverit, sanctæ satisfactionis esse sibi collata remedia: & ille, à quo conferuntur, non ignoret, soliditatem reddidisse fracturæ, atque fecisse consurgere quod constiterat cecidisse, incrementum grande usitatæ esse mercedis, & plenitudinem consummatæ perfectionis.

Rursùs eos moveat venerabilium Patrum, primitivæ Ecclesiæ gubernacula tenentium, ingens mentis tripudium, sæpe exteriorem erumpere cogens exultationis plausum, quando concilialiter eis conveniendi præstabatur occasio; & facultas suppetebat.

Unde, ut legitur in gestis Toletani Concilii XI. collectis in unum Carthaginis Provinciæ Sacerdotibus, in urbe Toletana, in beatæ Matris Domini Mariæ Sede*, de instauratione pacis, totiusque status Ecclesiastici reintegratione tractaturis, atque maculas Clericalis Ordinis abstersuris, proruperunt in hæc verba: „

„ Res votivi gaudii, & dies nimium optatæ gratulationis occurrit, in quo nobis datum est conspicere pariter & deflere, quantùm lacrymarum de „ præteritis Domino debemus. Eramus enim usque „ huc prolabentis seculi colluvione instabiles. Quia „ annosa series temporum, subtracta luce Conciliorum, non tàm vitia auxerat, quàm matrem omnium errorum ignorantiam, otiosis mentibus ingerebat. Cernimus enim, quomodò Babylonicæ confusionis olla succensa nunc tempora Conciliorum „ averteret, nunc Sacerdotes Domini, resolutis moribus, irretiret. Purpuratæ enim meretricis sequebantur invitamenta, quia Ecclesiastici conventus „ non aderat disciplina, nec erat qui corrigeret partes, cùm sermo divinus haberetur extorris. Et quia „ non erat adunandorum Pontificum ulla præceptio, „ crescebat in majus vita deterior „

„ Sed cùm tandem divina nos clementia ex alto respiciens, tempori ætatis nostræ se occursuram præbuit & saluti, præparans nostris seculis religiosi Principis Wanibaldi mentem devotam, pariter & instructam, cujus provido solicitudinis voto, & lux Conciliorum renovata resplenduit, & alterna charitas „ se mutuò, in corrigendis & instruendis moribus, excitavit, dùm & aggrediendi nobis, hortatu Principis religiosi, facultas est data, oportuna corrigendis præparata disciplina. Ut, qui decursis longeante temporibus, post 18. labentium annorum excursum, in unum meruimus aggregari Conventum, ut „ mederi possemus spirituali gratia sanitatum. Nec numerus iste alienus est à salute. Sicut enim mulier illa, „ in Evangelio, ter senis annorum cursibus curva, figuram totius generis humani gestans, sub hujus numeri sacramento saluti pristinæ est redonata. Nos igitur per tot annos, curvo nostri Ordinis persistente statu, in eo quod nulla nos Conciliorum definitio jungeret, nullus etiam Conventus Ecclesiastici Ordinis adunaret, tandem divinæ voluntatis imperio, & „ religiosi Principis jussu evocati, in Tolasa urbe convenimus. Ubi assumere poteramus canoram in cantu fraternæ lætitiæ tibiam, quòd divina pietas Conventum nostrum ad concordiæ devocaverat studia, „ & convenerat mœstitiam mutare; quoniam visitatione, disciplinæ videbamur pristinas regulas innovasse. &c. „

CAP. IX.

* *Fortè Æde,*

Digitized by Google

Cap. IX.

Ardor Prælatorum Primitivæ Ecclesiæ in congregatis Conciliis, pro integritate Ecclesiæ.

CÆterùm Concilium Toletanum octavum, sic incipit: „ Anno quinto orthodoxi atque gloriosi, & „ vera clementiæ dignitate præcipui, *RECENSANICHI REGIS*. Cùm nos omnes divina „ ordinatio voluntatis, ejusdem Principis Serenissimo „ jussu, in Basilica sanctorum Apostolorum, ad sacrum „ Synodi coegisset aggregari Conventum, dies tandem „ lætitiæ appetitu diutissimo præoptatus & gratus adfuit & jucundus, tanto nostri pectoris avidiori voto susceptus, quanto ad remedium salutis exstiterat „ anhelantium præcordiis exquisitus, &c.

Rursùs in gestis Bracarensis Concilii II. sic legitur: „ Martinus, Bracarensis Ecclesiæ Episcopus, dixit: „ Inspiratione hoc Dei credimus provenisse, sanctissimi fratres, ut per ordinationem Domini gloriosissimi filii nostri MIRI REGIS ex utroque „ Concilio conveniremus in unum, ut non solùm de „ visione alterutris congratulemur; sed etiam ea quæ „ ad ordinationem & disciplinam Ecclesiasticam pertinent, colloquamur. Scriptum est enim in Evangeliis dicente Domino: *Ubicunque fuerint duo vel „ tres in nomine meo congregati, ibi ero in medio eorum.* Matth. XVIII. 20. Nec aliud potest credi, „ nisi ea, quæ ad utilitatem nostrarum pertinent animarum, divina inspiratione, & inchoari & perfici „ oportere. Et ideò unanimes omnes, atque idipsum in Domino sentientes, quæcunque ad instructionem nostram pertinent, in medium prolata „ desideramus, ut spirituali ventilata examine squalida purgentur. Sancti enim Patres & prædecessores nostri, aut generales Synodos undique colligi „ pro unitate rectæ Fidei fecerunt: sicut in Nicea, „ contra Arium, 318. Episcoporum, & in Constantinopoli, contra Macedonium, 140. & in Epheso, „ contra Nestorium, 200. & in Chalcedonia, contra „ Eutychen, 630. Aut certè speciales Synodos per „ suas unusquisque Provincias, pro retundendis contentionibus vel emendandis aliquorum negligentiis collegerunt. Et prout eventus culparum, aut qualiscunque excessus exegit, per singula quæque definitas Canonum Sententias, mediante inter eos Dei spiritu, conscripserunt; quas oportet relegere & intelligere, & tenere. Et quia, opitulante Christi gratia, de unitate & rectitudine Fidei in hac Provincia „ nihil est dubitandum: illud nobis modò specialiùs „ est agendum, ut, si quid fortassè extra Apostolicam doctrinam, per ignorantiam, aut per negligentiam reprehensibile invenitur in nobis, recurrentes „ ad testimonia sacrarum Scripturarum, vel ad antiquorum Canonum Instituta, adhibito communi consensu, omnia quæ displicuerint, rationabili Judicio „ corrigamus, & quicquid non eodem tenore, sicut „ Princeps Apostolorum edocuit, agi videtur à nobis, sine ulla cunctatione ad emendationem deducere festinemus. Ne fortè, dum aliis prædicamus, „ ipsi reprobi effecti, divino illo condemnemur eloquio, dicente: *Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos post te.* Ps. XLIX. 17. *Seniores,* „ inquit beatus Apostolorum Princeps, *obsecro consenior, pascite qui est in vobis, gregem Dei, providenter, non coactè, sed spontaneè, secundùm Dominum, non turpis lucri gratiâ, sed voluntariè, nec ut „ dominantes in Cleris, sed forma facti gregis, & ex animo; ut cùm appropinquaverit Princeps Pastorum, percipiatis immarcescibilem gloriæ coronam.* 1. Pet. V. 1. „ 2. 3. 4.

Cap. X.

Zelus priscorum Paparum, pro Conciliari emendatione disciplinæ Ecclesiasticæ; & concordiæ restauratione.

ERgo, nostri infausti temporis Ecclesiæ Præsides, Venerabilium Pastorum Patrum zelum & vestigia subsequentes, divinis obedite præceptis, Apostolicæ Epistolæ, quæ vobis recitata est, in omnibus formulam imitantes. Ne fortè, si in aliquibus è diverso ambulaveritis, divino Judicio condemnemini, qui in prædecessorum requie participium mereri debuistis, & inmarcescibilem illam gloriæ, quæ vigilantibus repromissa est, coronam in perpetuum hæreditare speravistis.

Quam igitur consequi volentes & debentes, sanctorum Patrum veteribus recensitis Canonibus, ea quæ ad instructionem Clericalis disciplinæ, & pacis instaurationem pertinent, secundùm quod uniuscujusque rei exposcit ratio, concilialiter discernentes, statuere non pigritemini, salubriter hortati verbis Leonis Papæ, in Epistola *ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum. cap.* 1. dicentis: *Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum curamque dirigimus, ut, quod ad unitatem concordiæ & custodiam pertinet disciplinæ, nulla dissensione violetur, nulla desidia negligatur.*

Item, verbis Innocentii Papæ II. cap. XI. generalis Concilii Romæ celebrati, Anno Incarnationis 1139. dicentis: „ Quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur: præcipimus ut Episcopi ad solum Dominum, & salutem populi habentes respectum, omni „ tepiditate seposita, ad pacem firmiter tenendam mutuum sibi consilium & auxilium præbeant, nec hoc „ alicujus amore, vel odio prætermittant. Quod si „ quis in hoc Dei opere tepidus inventus fuerit, damnum propriæ dignitatis incurrat, quinimò beatitudine pacis careat à Salvatore promissa. *Beati,* „ inquit, *pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur.* „ Matth. V. 9. Audiant hoc jurgiorum & dissensionum seminatores, & negligentes pacis restauratores, & è diverso colligant, quòd si filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio sathanæ „ sunt filii, qui discordiam fovent, & pacem impediunt. Revera ratione: quoniam tales in uno malo innumera propagant vitia, cum seminando, vel „ sustinendo discordiam; charitatem, quæ omnium „ virtutum mater est, extinguunt; in quo diabolo „ gratissimè obsequuntur. Quia sicut nihil est Deo „ pretiosius charitativo vinculo pacis; ita nihil diabolo desiderabilius confractione vinculi charitatis.

„ Noverint etiam dissentientes, alio Salvatoris testimonio, quòd tamdiù nullum boni operis gratum „ Deo sacrificium immolatur, quamdiù à Christianorum charitate discordant: *Si offers,* inquit, *munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quòd „ frater tuus habeat aliquid adversùm te, relinque ibi „ munus tuum, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & „ veniens offer munus tuum.* Matth. V. 23. Pensent illi, quorum hostia sic repelli innuitur, quàm intolerabilis culpa demonstretur. Et cùm cuncta mala bonis sequentibus diluantur, ponderemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi extincta funditùs „ fuerint, nullum bonum subsequi permittunt.

„ Si etiam solerter aspicimus, concordando sibi irrationalis natura indicat, quantum malum per discordiam rationalis natura committat, quando hæc „ rationis devio perdidit, quod illa modo naturali „ custodit. Hinc est, quod ait Apostolus; *Cum sit „ inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* „ 1. Cor. III. 3. Et iterum. *Pacem sequimini & sanctimoniam, sine qua nemo vidit Dominum.* Heb. XII. 14.

„ Et alibi: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo* „ *pacis*. Ephes. IV. 3. Qui enim servare pacem non cu- „ rat, ferre fructum Spiritus recusat; *Quia fructus* „ *spiritus est gaudium*, *pax*, &c. Galat. V. 22.

Item, cap. 13. magni Concilii Toletani IX. „ Scien- „ tes, quòd multiplicanda semper Deus oppositione „ Judiciorum, ærumnas relevat oppressorum. Et sicut, „ malis exigentibus hominum, permittit exerceri pe- „ nurias ultionum, ita cùm voluerit, gravedines re- „ levat pressurarum. Hinc & Decreta Patrum præ- „ cedentium ad contentionis jurgium radicitùs evel- „ lendum, ritè synodalem fieri censuere Conventum, „ ut illic de diversitate Judiciorum præteritæ lites ha- „ beant terminum, ubi Spiritus sanctus universalem „ ordinaverit cœtum, & ex omni animorum delibe- „ ratione concordi illa maneat Sententia dicti, quæ & „ finem ausibus ritè ponat illicitis, & pacis remedium „ reducat Christianis.

Cap. XI.

Seria exhortatio ad novam in novo Concilio Ordinis sacri emendationem, ac concordiam.

QUibus prælibatis, jam silentium verbis indicturus, in communi omnes convenio, & per divini nominis attestationem, terribilemque cunctis futuri Judicis diem adjurans, exhortor & vos Patriarchas, Cardinales, Archiepiscopos, Doctores & Prælatos, vosque illustres Reges & Principes, atque quoslibet strenuos Aulæ Regiæ viros, quos vel interesse sancto Concilio, pro suborti scismatis ablatione congregando, aut in illud juvamen præstare deleget divina benignitas: ut sine personarum acceptione, favore, vel quoquam odio, aut malignæ contentionis scrupulo, seu iniquo subvertendæ veritatis studio, quæ vestris se sensibus audienda ingesserint, oculatissimo negotiorum examine discutiatis.

Saniorique judicio, collatarum priùs habita deliberatione causarum, comprobate, agnoscenda perlegite, perlecta discutite, discussa, eliminatis atque discretis titulorum Sententiis, definite: ut pura & placens Deo vestrarum devotionum valitura discretio, ex toto pacem reformet Ecclesiæ, & Ecclesiasticum Ordinem decoret claritudine justitiæ, atque pressuras plebium digna cohibeat pœnarum securitate. Scriptum est enim: *Justitia elevat gentem*, *miseros fecit populos peccatum*.

Proinde, *Venerabilissimi Patres*, cum vos amor æquitatis in negotiorum accelerationem reddiderit fervidos, efficientia quoque justorum operum connectat Deo perenniter sociandos: ut bonorum vestrorum actibus lætabundi, & præsentis vitæ capiamus lucrum, & æternarum perfruamur vobiscum gaudiis mansionum. Amen.

Cap. XII.

Dubia XII. contra Concilii vim, in componendo schismate Papali.

SAtis hucusque arbitror verbis exhortationis qualiscunque processum.

Jam ergo, hoc stilo prætermisso, veniamus ad rem, & veritatem, quasi phalerati sermonis dispendio monitoriè persuasam, iterum nudi & aperti sermonis compendio disputationis acumine ventilandam, sic proponamus in medium: *Utrum pro auferendo præsenti schismate expediat & fieri debeat Concilium generale?*

Quale sit præsens schisma collige inferiùs, in solutione ad rationem primam, & similiter in ratione nona post oppositum.

Arguitur igitur primò: Quòd non.

Quia multipliciter in Jure definitum est & cautum, quòd dictis & literis Cardinalium, in his quæ ad ipsorum pertinent officium, ut de factis in Conclavi, & aliis, quæ per alios nec sciri possunt, nec probari, A credendum est intrepidè, propter eorum gravitatem, dignitatem & autoritatem. Igitur non est opus Concilio. Cùm ipsi concorditer asserant, unum duorum electorum esse Papam, & alium solùm simulatè, causâ metûs electum.

Item arguitur sic: Expeditum est in Jure, quod electio Papæ impressiva, est nulla. Igitur, cum notorium sit, quòd in electione Urbani V. fuit incussio metûs, per popularem tumultum, non oportet dispendiosum generale Concilium fieri.

Item ratiocinatum sic: quòd in tali Synodo duntaxat singuli Episcopi & Prælati, super singulos subditos haberent potestatem & autoritatem, & nullus eorum super omnes fideles, nec omnes simul. Quia sola Romana Ecclesia habet potestatem de cunctis fidelibus judicandi, secundùm Jura. Et hoc esset in præjudicium & læsionem Juris Romanæ Ecclesiæ, de cujus Juribus nullus determinare potest nisi Papa, secun- B dùm Decretales.

Unde Pelagius Papa II. Epistola 2. ita dicit: *Relatum est nuper ad Apostolicam Sedem*, *Johannem Constantinopolitanum Episcopum*, *Universalem se scribere*, *nosque*, *ex hac præsumptione*, *ad Synodum convocasse generalem*: *Cum generales Synodos convocandi autoritas Apostolicæ beati Petri Sedi singulari privilegio sit tradita*: *Et non unquam Synodus rata legatur*, *quæ Apostolica autoritate non fuerit fulta*.

Et subdit, aliquibus interpositis: *Multis denuò Apostolicis & Ecclesiasticis instruimur regulis*, *non debere absque Sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*. *Quam propter rationem*, *non Concilium*, *sed vestrum conventiculum vel conciliabulum cassatur*, *& quicquid in eo actum est*, *irritum habetur & vacuum*. Hæc ibi.

Item Marcellus Papa, in Epistola II. quæ incipit; *Marcellus Episcopus Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Urbis Romæ*, *Maxentio*, &c. dicit, quòd *terreni Principes damnare nec Episcopos*, *nec regulariter Synodum pos-* C *sunt congregare*, *absque autoritate Sedis Apostolicæ*, ut habetur cap. 2. ejusdem Epistolæ.

Item Julius Papa, in Epistola grandi ad Orientales Episcopos, loquens de quodam Concilio Arianorum Antiochiæ habito, in quo contra Anastasium consubstantialitatem ponentem, quandam regulam constituerunt, dixit: *Odio Athanasii hanc regulam protulistis*, *quæ nullas habet vires*, *nec habere poterit*. *Quoniam nec ab orthodoxis Episcopis hoc Concilium actum est*, *nec Ecclesiæ Legatio interfuit*: *Canonibus præcipientibus*, *sine ejus autoritate Concilium fieri non debere*. *Nec ullum ratum est*, *aut erit unquam Concilium*, *quod ejus non fuerit fultum autoritate*.

Idem dicit Damasus Papa, in Epistola ad Stephanum, Archiepiscopum Concilii Mauritaniæ, &c. cap. 2. *Quòd definire Ecclesiarum summas causas*, *& querelas*, *vel damnare Episcopos*, *absque Sedis Apostolicæ autoritate minimè licet*. *Nec est Catholicum*, *Synodum congre-* D *gare*, &c.

Igitur, si omnes Prælati sine autoritate Papæ, vel Sedis Apostolicæ convenirent, non est eorum conventus Concilium authenticum, sed conventiculum & conciliabulum, cujus ordinatio non faceret Jus.

Item convocare Concilium, esset, utriusque electorum ordinationes, & provisiones, imò utriusque statum in dubium revocare. Et ita inciperent plurimi promoti, qui ante se certos reputabant, vacillare, & tumultuare. Et fieret novissimus error pejor priore.

Item

Digitized by Google

Item cùm hoc tempore, sive anno Domini 1381. nulli electorum, utpotè nec Clementi V. nec Urbano VI. universaliter à Christianis tanquam Papæ obediatur, nec per tres præcedentes annos obediebatur: neuter poterit utiliter & validè Concilium generale congregare: nec ambo simul. Cum notorium sit, quòd non possunt esse duo Papæ. Nec videtur, cujus alterius, vel quorum autoritate, Concilium congregari possit. Igitur non potest.

Item fortassè, hoc fieri, est contra profectum electorum, secundùm quorum exigentiam Deus mundi cursum prosperitate & adversitate alternat. Dixit enim Salvator: *Nolite arbitrari, quòd pacem veni mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium.* Matth. x. 34. Quasi dicat: Non veni in terram mittere statum prosperum & tranquillum, & sine incommoditate optatum temporis cursum. Quoniam electis hoc minimè expediret, quos per multas incommoditates, tribulationes, & persecutiones, probari oportet, & intrare regnum cœlorum; sed gladium, id est, adversitates, & oppugnationes, ad incrementum scientiæ & virtutis, vexatione dante intellectum. Igitur &c.

Item fortassis divina voluntas est, quòd uterque electorum regnet, & Papatus sit divisus pro tempore, vel perpetuò.

Quia, ut apparet III. Reg. XII. Deus propter peccata præsidentium immutat quandoque irrevocabiliter statum populi, & regiminis modum. Quia, ut ait ibi, scissionem regni David, quod semper ante fuit unum, in duo regna, tempore Roboam factam, Deus voluit perseverare. Et ideò prohibuit per Prophetam, ne Roboam laboraret pro regni David readunatione, dicentem: ℣. 24. *Non ascendetis, nec bellabitis contra fratres vestros filios Israël. Revertatur vir in domum suam. A me enim factum est verbum hoc*, id est, divisio regni. Quod apparet expressiùs ex capite præcedenti, ubi dixit Propheta ad Jeroboam: ℣. 31. *Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce, ego scindam regnum David de manu Salomonis & dabo tibi decem Tribus.*

Confirmatur, de immutatione regiminis humani generis, pro statu innocentiæ, in statum præsentis miseriæ, servitutis & duræ subjectionis dominio humano, propter peccatum primorum Parentum. Igitur, cùm non constat clarè de divina voluntate, & in casu istius Papalis divisionis, repugnare possent Deo, laborantes ita citò pro reunione Ecclesiæ, quacunque via. Igitur.

Item pro statu Ecclesiæ primitivæ, in quo Ecclesia, Judæorum perfidiâ vexabatur, Principum tyrannide premebatur, hæreticorum insurrectione undique impugnabatur. In quo statu adhuc Prælati zelo Dei & salutis proximorum ardebant; & luce salutaris scientiæ, & spiritualis intelligentiæ desuper irradiati erant, quando Episcoporum & Doctorum non erat, ut hodie, innumera multitudo. Quando Ecclesia adhuc novella, ab opportunis Ecclesiasticis Decretis & regulis erat nuda. Quando autoritas Papæ non erat, ut hodie, manifestata, & exaltata.

Unde necessitas erat diversorum Conciliorum, Provincialium, & Generalium, in quibus super prædictis salubriter & authenticè provideretur.

Nunc autem, quia Spiritu sancto docente, in prioribus Conciliis, & papalibus Constitutionibus sufficienter secundùm æquivalentiam, vel formam provisum est de omnibus, non convenit iterari Concilia. Scriptum est enim: Job. XXXIII. 14. *Semel locutus est Deus, & idipsum non repetit*; eò, quòd volentibus intelligere, satis dictum est.

Conferatur, quòd nunc quasi alter mundus est, quàm tempore Ecclesiæ primitivæ, alii fidelium mores, alia præsidentium studia & affectiones &c. Igitur alia via providendi super emergentibus periculis magis videtur convenire hodie, quàm via Conciliorum, olim expediens, jam verò dudùm, Spiritu sancto, à quo regitur Ecclesia, disponente, dissueta & derelicta, provisione super emergentibus casibus Papæ & Collegio Cardinalium specialiter reservata.

Et præcipuè expedire non videtur in casu præsentis schismatis. Eò, quòd jam Principes & Prælati diù fuerint contra se divisi, & sint quasi in suis opinionibus immobilitati, nolentes quasi ampliorem informatio-
A nem recipere. Et ideò pars major, quæ adhæret uni electorum affinitate, sine perfecta discussione statim concluderet pro suo.

Tum etiam, quia, ut experientia docet, negotia melius expediuntur per deputationem paucorum, valentium & expertorum, quàm per deliberationem confusæ multitudinis, quæ nihil habet honesti.

Item esset manifestæ fatuitatis, partem justam, vel quæ omnibus factis, quod in se fuit, pro scienda veritate, credit firmiter se justitiam habere, justitiam suam ponere in Concilio, in quo in decuplo plures essent de parte contraria. Quare si Clemens esset ita verus Papa, sicut fuit beatus Petrus, ille fatuè se periculo exponendo, & sic temerariè de directione Spiritus sancti præsumendo, & perderet & Dominum tentaret. Quamvis enim Spiritus sanctus Concilium errare non permitteret in Articulo Fidei principali: tamen, factum istud non est hujuscemodi, sed judiciale, & de jure præsidendi in Papatu, in quibus benè contingit error. Quia quandoque mulier tenuit summum Pontificatum.

His igitur attentis, formidandum est non modicum, ne error novissimus viâ generalis Concilii suscitaretur pejor priore. Igitur non est ratum, nec consultum pro via Concilii multùm laborare, & instare in hoc casu.

Plura enim schismata & divisiones circa Papatum commemorant historiæ, & non leguntur unquam per generale Concilium terminatæ; sed aliis viis expeditioribus. Ergo nec in proposito videtur opportunè Concilium fieri.

CAP. XIII.

Argumenta XIV. *quibus Concilii Jus adstruitur.*

C IN oppositum arguitur: quòd sæpe pro minoribus casibus & causis, facta fuerint Concilia fidelium, sub utroque Testamento. Igitur & in isto casu fieri debet. Consequentiam licet per locum à minori afferre.

Antecedens patet: De congregatione Synagogæ, Num. XXVII. &c.

In Novo verò Testamento patet, discurrendo per quatuor Concilia per Apostolos celebrata. Act. I. Act. VII. Act. XV. & Act. XXI. Et cùm Apostoli potuissent sine convocatione Concilii per Epistolas, vel aliis modis, faciliter causas & negotia terminasse, videtur quòd hoc in exemplum suis successoribus fecerint. Est enim Apostolorum actio, nostra instructio, sicut & Christi; juxta illud: *Imitatores esto mei, sicut & ego Christi.* I. Cor. IV. 16. Igitur in casibus magnis & arduis Concilium congregandum est.

Idem apparet etiam, discurrendo per causas Conciliorum Ecclesiæ modernæ, videlicet, quòd sæpe
D propter minores casus Concilia fiebant. Igitur.

Item, secundùm Isidorum, VII. Etymolog. cap. 17. Quia ante tempora Constantini non erat facultas, vel licentia fidelibus conveniendi in unum: suppone, concilialiter, quia loquitur ibi de Conciliis: ideò Christianitas in diversas hæreses scissa est.

Item, si tempore devotæ primitivæ Ecclesiæ, quando sancti præsidebant Papæ & Prælati, ut Sylvester, & alii, fiebant Concilia generalia, fortassis sæpè in casibus minoris periculi, vel præjudicii, quàm est casus præsens: cur modò, jam multiplicatis hominibus,

& malitiis, & variis erroribus, & Ecclesiasticorum exorbitationibus, Concilia aggregari non deberent, pro corrigendis & abstergendis hujusmodi maculis à facie Universalis Ecclesiæ?

Si dicatur: opus erat magis Conciliis tunc contra hæreses & hæreticos, qui primis temporibus magis insurgebant & pullulabant. Respondetur: quòd verosimiliter diuturnitas hujus schismatis, hæreses & hæreticos insurgere faciet.

Rursùm Clementi adhærentes dicunt: Urbanum A errores hæreticales publicè dogmatizasse.

Item mota fuit nuper quæstio in Universitate Parisiensi, 15. die Junii: Utrum stante controversia, quæ nunc est in Ecclesia Dei, de Papatu, hæreticum sit, seu schismaticum, aliquem electorum negare esse Papam? Et fuit super hoc magna Doctorum altercatio & congregatio. Et ita non deest etiam materia hæresis in hoc casu; cujus sola dispendia, scandala, & pericula innumera, præterita & futura, pro causa congregationis Concilii sufficere deberent. Igitur.

Item Imperator Constantinus, volens exaltare Ecclesiam temporaria Privilegiorum concessione &c. fecit congregationem universalem Curiæ Imperialis, ut apparet 69. *Dist.* Decreti. Ideò, à fortiori, universalis convocatio fieri debet fidelium pro bono Ecclesiæ spirituali.

Item casus hujus schismatis novus est, non visus aliàs nec cogitatus, tanquam unum insolubile, perplexus, B scandalosus, & plenus periculis. Igitur ejus discussio generale Concilium requirit.

Quò tendit, quòd non sufficit cujuscunque alterius Collegii, vel personæ autoritas, ad hoc schisma plenariè sedandum. Quoniam, licèt Cardinales sint missi hinc inde per regiones, ad informandum de veritate, modicum proficiunt. Nec cessavit, nec diminutum est ob hoc schisma, sed crescit de malo in pejus, & Principes magis ac magis contra se inflammantur.

Sed amplius patet, quòd ex hac moderna schismatica divisione, experientia docente, insurgunt & insurgent pericula infinita; de quibus visum est in exhortatione præmissâ *Cap. II.* Quis ergo est homo tàm insipiens, qui, ut his citò succurratur, generale Concilium dicet non expedire, nec fieri oportere? Utique in nullo casu amplius generale Concilium fieri debet, si in hoc casu ipsum fieri non oportet. Quod certè qui sapit, nimis desipit.

Item, quàm periculosæ sint bono communi, & C quàm studiosè sedandæ sint, potentium & præsidentium dissensiones, tanquam civitatis & totius civilis amicitiæ corruptivæ, nos docet etiam ille gentilis Aristoteles, ita dicens, *IV.* Topicorum: *Insignium dissensiones consumere faciunt totam civitatem. Propter quod subditos vereri oportet talia, & dissolvere præsidum & potestatum dissensiones. In principio enim fit peccatum, principium autem dicitur esse dimidium totius.* Hæc ibi.

Item casus novi & periculosi emergentes in Diœcesi aliqua, per Concilium particulare, sive Provinciale emendantur. Igitur casus novi & ardui, totum mundum concernentes, per generale Concilium discuti debent. Quod enim omnes tangit, ab omnibus, vel vice omnium tractari debet & convenit.

Item, quòd in dubiis, arduis, finaliter ad Concilium perveniri oportet, apparet, dicente Augustino, in principio Libri, de gratia & libero arbitrio. *Contra* D *quam*, inquit, *hæresin*, scilicet Pelagianam, *cum fuisset diutiùs disputatum, etiam ad Concilia Episcopalia novissima necessitate est perventum.* Igitur.

Item, in hoc tam periculoso casu, ut visum est, utique est Ecclesiæ succurrendum. Et per nullam viam potiùs & efficaciùs hoc fieri potest, quàm per Concilium generale. Igitur, &c.

Consequentia est necessaria. Secunda pars antecedentis declaratur:

Primò, inductione. Quia non per viam facti, quæ non facit Jus, nec sedaret corda.

Nec per viam informationis fidelium per Legatos Cardinalium antiquorum: qui omnes, præter duos, stant cum secundo electo. Quare illa via non proficit secundo electo. Eò, quòd Cardinales cum primo electo, scilicet Urbano VI. per tres menses pacificè steterunt, & factis, verbis, ipsum Papam declaraverunt, & literis Principibus significaverunt, se virum sanctum & optimum in Papam elegisse. Propter quod, & alia plura longè præterita Cardinalium facta, laïcis & Clericis, & toti mundo displicentia, eis non creditur modò, nec proficiunt illâ viâ. Igitur.

Item probatur eadem pars Antecedentis. Scilicet Universalis Ecclesia, cujus Concilium generale est repræsentativum, est superior Collegio Cardinalium, & omni alia particulari Congregatione fidelium, & omni, cujuscunque dignitatis, & præsidentiæ personâ, etiam Domino Papa, in casibus inferiùs exprimendis. Itaque potissimùm ad tale Concilium, tanquam ad supremam autoritatem, in præsenti casu, tangente totam Ecclesiam, recurrendum est.

Consequentia est notoria. Antecedens declaratur.

Quia Ecclesia Universalis non potest errare, nec mortali peccato esse obnoxia: itaque est superior Collegio Cardinalium cum Papa, quia hanc prærogativam non habet; quia de eo non est dictum: *Et porta inferorum non prævalebunt adversus eam*, Matth. XVI. 18. sed de Ecclesia Universali. Unde Anastasius Papa *II.* incidit in hæresin, & Marcellinus Papa in idololatriam, &c. ut legitur in Decretis & gestis Summorum Pontificum.

Conferatur hoc: quia Collegium Papæ cum Cardinalibus non videtur magis confirmatum, quàm Collegium beati Petri & cæterorum Apostolorum, ante Passionem Domini, quorum Christus commendavit constantiam dicens: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus*: Luc. XXII. 28. Et tamen Petrus ter negavit Christum, & omnes Apostoli fugerunt ab ipso, & in Fide vacillaverunt. Quis igitur dicere audebit, Collegium Papæ & Cardinalium impeccabile esse, cum etiam à Christo institutum non inveniatur.

Item, non desunt dicentes, Papam cum Cardinalibus, sæpè indignissimos, ætate, scientia & moribus, ad præcipuas Ecclesiasticas dignitates promovisse. In quo utique hoc Collegium erravit. Igitur.

Item, quòd etiam in Judiciis errare possit, & quòd Concilio generali subsit, probat Augustinus in Epistola ad Eleusium, Felicem Grammaticum, & reliquos Donatistas: ubi loquens de Collegio Papæ & Cardinalium dicit, quibus verbis eis adhuc dici possit, & justissimè dici: *Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ judicaverunt, non bonos Judices fuisse? Restabat adhuc plenarium Ecclesiæ universale Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa potest agitari, ut, si malè judicasse convicti essent, eorum Sententiæ resolverentur.* Hæc ibi.

Est igitur autoritas generalis Concilii major autoritate Papæ & Collegii Cardinalium. Quod etiam insinuat beatus Hieronymus ad Evandrum. *Si autoritas*, inquit, *quæritur: Orbis major est urbe.*

Item beatus Gregorius, ut habetur in Decretis, *Sicut*, inquit, *sancta Evangelia quatuor, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor*, &c. scilicet, Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense. Igitur Papa & Cardinales subsunt determinationi & autoritati Scripturæ Evangelicæ.

Item, Episcopi, in Concilio præsidentes, Symmachum Papam ab objectis sibi criminibus pronunciaverunt absolutum & immunem, ut habetur in *distinct.* 17. decreti. Igitur.

Item, *distinct.* 40. *Decreti* dicit glossa: *Certè credo, quòd si notorium est crimen Papæ quodcunque, & inde*

Digitized by Google

inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quòd possit accusari, & per consequens judicari. Et non videtur a quo Judice, nisi per Concilium generale. Igitur.

Item, *Romana Ecclesia Principatum habet à Domino, & secundariò à Concilio*, ut dicit glossa. *distinct.* 17. *Decreti*, super Capitulum quod incipit: *Concilia.* Igitur, &c.

Item 19. *distinct.* super Capitulum: *Anastasius*, glossa dicit: *Videtur ergò quòd Papa tenetur requirere Concilium, aliàs Concilium Episcoporum: quod verum est, ubi de Fide agitur. Et tunc Synodus major est Papa.* Hæc ibi.

Item 15. *distinct.* in Capitulo *Sicut sancti*, in fine, Archidiaconus jam dictam glossam approbans addit, quòd *Nimis periculosum est Fidem nostram committere arbitrio unius hominis.*

Et idcircò Papa in casibus novis & arduis ad deliberationem Concilii recurrere consuevit, ut apparet, *De summa Trinitate* per totum. Igitur.

Item, Sixtus Papa, & Leo Papa leguntur de objectis sibi criminibus se coram Concilio generali expurgasse, ut patet in Decreto.

Item, quòd Judicio Concilii generalis Papa stare habeat, apparet verbis beati Gregorii, quæ habentur in *Decretis* 2. *q.* 7. *in Cap. Si quis nos.* Vide. Igitur.

Item, Innocentius IV. paratum se obtulit Friderico Imperatori, satisfacturus, de consilio Concilii generalis congregandi, si in aliquo eum læsisset, imò Sententiam, si quam contra eum injustè tulisset, revocare, ut patet in *Decretalibus. lib.* 6.

Si dicatur quòd præfati Pontifices Summi fecerunt sic ex humilitate. Respondetur quòd cum sancti Patres ita fecerint, meritò moderni Pontifices in hoc eos imitari debent, & Magistrum humilitatis, qui dixit: *Discite à me, quòd mitis sum & humilis corde.* Matth. XI. 29. Non ergo per humanam superbiam contra invicem tumeant, sed se invicem humilitate prævenientes ad pacem Ecclesiæ, generale Concilium adeant, & fieri procurent.

Item Archi. & Joh. Andr. in Novella, tenent quòd *in causa Fidei Judex competens Papæ, est Concilium.* Et quòd *in causa Fidei Concilium potest Papam viventem damnare, in casu. Cap. Si Papa*, 40. *distinctione Decreti.*

Item Ostiensis, & cæteri moderni Doctores Juris Canonici, tenent, quòd *in casu, quo ex causa depositio Cardinalis immineret facienda, generale Concilium foret congregandum.* Et utique magis in casu schismatis præsentis. Vel cur tam variè?

Item, esto, quòd hoc schisma non evenisset, adhuc ad reformationem Universalis Ecclesiæ in plurimis aliis exorbitationibus & deviationibus inferiùs enumerandis opus fuisset diù Concilio generali.

Et fortassis, quia Prælati ante ad hoc indispositi erant, Deus hoc schisma ad virorum Ecclesiasticorum quasi expergefactionem oriri permisit, ut in Concilio, ejus occasione, congregando, Ecclesia in hoc & in aliis reformaretur.

Item, ratio dictitat, consuetudo frequentat, natura jubet, quòd in omni Collegio, Communitate & Politia, sic sit, quòd emergente aliquo casu arduo & speciali, tangente Rempublicam, recurratur ad Concilium magnum illius Collegii vel communitatis.

Ratio. Quia in collatione plurium, ubi diversi diversa tangunt, aliqua inveniuntur, quæ solus homo nunquam inveniret.

Etiam illa, quæ magno consilio fiunt, securè recipiuntur, & authentica à populo habebuntur.

Igitur per consequens, via terminandi negotia per Concilium est tutissima, consultissima & consuetissima. Ideò etiam dictum est: *Ubi multa consilia, ibi salus.* Prov. XI. 14.

Item, attento, ex supra dictis luce clariùs esse, quòd alia via humana non reperitur, quàm Concilium, quo plenariè schisma sedari possit, & quòd oportet finaliter ad hoc deveniri: utique pars quæ hanc viam renuit, non modicum causam suam suspectam reddit, quasi, ut falsa, quærat angulos, & timeat exire in lucem.

Aut, sicut pars Concilium refugiens per hoc causam suam infirmat: ita pars quæ primò ad Concilium se humiliaret, multùm se justificaret, quòd zelum Dei se habere per hoc demonstraret.

Item, eodem attento, graviter & damnabiliter peccant & errant omnes Principes, & Prælati, & alii quicunque qui huic viæ rationabilissimæ & convenientissimæ, apud sanctos Patres tritæ, & consuetæ obsistunt & se opponunt.

Etiam tales damnabilibus affectionibus se ligatos, & excœcatos esse clarè demonstrant.

Igitur rupto omni velamine, & ligamine iniquitatis, ambitionis, cupiditatis, timoris, &c. cunctis fidelibus summo studio, sub pœna divinæ offensæ, per hanc viam ad pacem Ecclesiæ conandum est.

Et ideò pars affirmativa quæstionis est tenenda, propter rationes prædictas.

Ad quam partem etiam non modicum movere debet, quòd Anno Domini *M CCC LXXXI.* die *XX.* mensis Maji, Universitas Parisiensis, solennissimè in Monasterio S. Bernardi Parisiis congregata, concorditer determinavit, per quatuor Facultates, scilicet Theologiæ, Decretorum, Medicinæ & Artium, eandem esse tenendam, & se, pro toto posse suo, hanc partem suis Literis & Epistolis persuasoriis & exhortatoriis apud Principes, Communitates, & Prælatos, si permitteretur, executuram.

CAP. XIV.

De Jure Ecclesiæ eligendi Summum Episcopum, & de electo judicandi.

Notandum ergo, pro declaratione hujus materiæ, primò: quòd licèt habeatur ex Scripturis, quòd Christus constituit unum Apostolorum generalem Vicarium Ecclesiæ suæ in terris, scilicet beatum Petrum, & voluerit sibi succedere in eadem regitiva potestate alios, usque ad consummationem sæculi: tamen, quia Christus non tradidit determinatum modum constituendi successores Petri, sed commisit hoc ordinationi & dispositioni Ecclesiasticæ; ideò non uno modo semper Papa est, & fuit constitutus.

Quia primò, per Christum.

Secundò, aliquo tempore, præcedens Papa constituit sibi successorem.

Tertiò, quandoque omnes Episcopi & Sacerdotes elegerunt in generalem Episcopum, qui super se erat Papa.

Deinde, Ecclesia Cathedrali constructa, qui fuit à Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Romanæ electus, fuit Papa.

Deinde per aliquod tempus Imperator, quacunque occasione potestate accepta, constituit Papam.

Sextò, devoluta fuit in quodam Concilio potestas electiva Papæ in Cardinales. Unde Nicolaus Papa, in Epistola, in qua universis Episcopis Catholicis intimavit, quæ in Romana Synodo centum tredecim Episcoporum, ipso præsidente constituta fuerunt, dicit: *Primò namque inspectore Deo est statutum, ut electio Romani Pontificis in potestate Cardinalium Episcoporum sit. Ita ut, si quis Apostolicæ Sedi sine præmissa concordi & canonica electione eorum, ac deinde sequentium Ordinum Religiosorum, Clericorum, & laicorum consensu, intronizatur, non Papa vel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.* Hæc ibi.

 Ex

Digitized by Google

Ex his, & similibus, quæ in Ecclesiasticis historiis, & gestis Summorum Pontificum & Imperatorum inveniuntur, sine allegationibus, videntur patere quatuor.

Primum est: Quod, esto, quòd Christus nullum Discipulorum constituisset sibi generalem Vicarium in terris, adhuc Ecclesia habuit potestatem talem sibi constituendi. Et Spiritu sancto docente constituisset.

Tum, quia optima & decentissima Politiarum, dictamine rationis naturalis, est, cui unus Monarcha præsidet. Igitur.

Tum etiam, quia Christus non fecit mentionem de constitutione generalis Vicarii in temporalibus, scilicet Imperatoris, nec Vicariorum ejus particularium in spiritualibus, qui sunt Episcopi; qui tamen nihilominùs veri Vicarii ejus fiunt per ritam electionem ipsorum. Igitur.

Et ita, si Christus Petrum non instituisset Papam, adhuc per electionem ab Ecclesia, vel ex parte Ecclesiæ fiendam, fieret electus generalis Vicarius Christi in terris.

Secundum est, quòd potestas constituendi Papam primariè residet apud universitatem Episcoporum fidelium. Ita, quòd ad illam reverteretur, quotiescunque Cardinales vel non possent eligere, vel nollent, vel omnes mortui essent, vel potestate eis tradita manifestè abuterentur, vel abusi essent, &c.

Sed, si cum hoc omnes Episcopi mortui essent, utrum apud residuum fidelium maneret potestas constituendi Papam? Dicitur, quòd sic. Quia Sacerdotes eligerent Episcopos, sicut à principio Ecclesiæ factum est, & Episcopi Papam. Vel fortè universitas Sacerdotum, consentiente populo, eligere posset primò unum de Sacerdotibus super omnes Christi fideles; & illi committere, ut per loca constitueret alios Episcopos.

Tertium est, quòd, quia communiter ad universitatem Episcoporum fidelium sic pertinet originaliter disponere de Papatu: ideò ipsius solius est judicare, utrum constitutio vel electio Papæ, à Commissariis Ecclesiæ, sive Cardinalibus facta, sit valida & legitima, an non?

Quare in dubio, arduo & involuto, quale hodie est, circa electionem Papæ, imò Paparum, ut ita loquar, summè opus est Concilio generali.

Quartum est, quòd Ecclesia, nullo Papa existente, Cardinales manifestè abusos sua potestate, seu inemendabiliter errantes, eligendi potestate privare potest, & vel ipsamet eligere, vel eligendi potestatem tali vel talibus Archiepiscopis, vel aliis committere.

Secundò notandum est, quòd variis viis præsens schisma finem habere poterit.

Quia, vel per potentiam armorum, unam partem annullantem. Huic viæ sanguinis, in Foro Ecclesiæ, viris Ecclesiasticis innitendum non est, quamdiù alia via rationabili procedere possunt.

Quemadmodùm David, quia vir sanguinis erat, templum Domino ædificare prohibitus est.

Vel secundò, per paulativam detectionem partis fictæ & falsæ. Quia nullum violentum perpetuum. Et quia veritas stabilis est, & perennis, falsitas verò diù latere non potest, sed successivè erumpendo se ipsam manifestabit. *Mendacium*, inquit Seneca, *tenue est, perlucet, si diligenter inspexeris: Omnia ficta tanquam flosculi celeriter decidunt, nec simulatum quicquam poterit esse diuturnum.*

Vel tertiò, per continuam diligentiam, & perseverantem informationem fidelium. In qua una pars, quæ ferventiùs & efficaciùs laboravit, tandem obtinebit.

Vel quartò, per duorum contendentium concordiam, uno suo Juri propter bonum Ecclesiæ cedente.

Vel quintò, per generalis Concilii convocationem, seu aliquorum, ex parte totius Ecclesiæ, pro hoc facto, secundùm aliquem modum electionis, vel deputationis ordinatorum.

Vel sextò, quòd ab utroque deputentur aliqui famosi & experti viri, qui toties simul convenirent & Romæ & Avinionis, donec per legitimam informationem haberent concordiam in facto. Quâ habitâ, scriberetur illa universis Episcopis Christianitatis, ut statim appareret quis haberet Jus.

Vel septimò, quòd ab utroque eligerentur X. vel XII. de scientioribus & expertioribus viris, quos habere potest, qui convenirent in una civitate eis assignata, per annum, vel dimidium, disputaturi verbis & scriptis contra invicem, usque ad tres vel quatuor replicationes; & deinde eorum disputatio in scriptis mitteretur per universam Christianitatem: & appareret citò quis haberet Jus, vel ad quem plures, vel valentiores declinarent.

Vel octavò, per alicujus miraculi, vel divini oraculi eventum, divinæ voluntatis declarativum. Hanc viam expectare, nisi post omnem diligentiam, juxta vias humanas factam, esset tentare Deum.

Septem istarum viarum priores sunt humanæ. Inter quas rationabilior & expedientior ex prædictis videtur esse quinta.

Tertiò, notandum est, quòd generale Concilium Ecclesiæ fieri, evenit multipliciter.

Primò, per omnium fidelium congregationem. Sicut tempore Ascensionis Christi erat possibile: modò autem non.

Secundò, omnium Prælatorum & Doctorum.

Tertiò, solùm Episcoporum & Abbatum Provincialium.

Quartò, solummodò omnium Archiepiscoporum.

Quintò, solùm omnium Primatum & Patriarcharum.

Sextò, quòd Episcopi cujuslibet regni Christianitatis facerent inter se Concilium, in quo deputarent unum, duos vel tres, ex parte omnium, ad generale Concilium, providentes eis de expensis. Ille modus videtur expedientior.

Processus autem ad Concilium & in Concilio posset esse iste:

Primò, quòd antequam Ecclesia conveniret, significaretur partibus, scilicet Urbano & Cardinalibus, duntaxat illis qui interfuerunt electioni ejus, quòd coram Ecclesia comparerent, in tali die, & in tali civitate, cum omnibus suis testibus, rationibus, munimentis in promptu, absque alia dilatione.

Secundò, quod Prælatis convenientibus, Patriarchæ primò sederent, qui sciunt ordinem suum; deinde Abbates sedeant; deinde minores Prælati, & Doctores Theologiæ, & Doctores Utriusque Juris, secundùm numerum convenientem ad Concilium recepti & electi.

Tertiò, quòd secundùm morem Patrum, Spiritus sancti invocatione solenni facta, & orationibus pro declaratione justitiæ & veritatis ad Deum devotissimè fusis, coram omnibus Patribus utraque pars, aliâ præsente, sufficienter & in longum audiretur, usque ad duas, vel tres replicationes.

Quartò, quòd omnibus ex utraque parte conscriptis, & cuilibet Archiepiscoporum traditis, diuturna deliberatione apud quemlibet cum suis Clericis habita, totale Concilium, vel valentissimi deputati per eos, judicarent qui Articuli, & quot, & quomodò ab utraque parte legitimè essent probati, vel semiprobati.

Quintò, quòd omnibus ex utraque parte legitimè notis vel probatis, per Notarios breviter summatis; vel inductione, per omnes de Concilio Judicium definitum fieret, vel per certos ab omnibus ad hoc concorditer electos.

Et necesse est, quòd vel unum duorum contendentium judicarent esse Papam, vel neutrum eorum. Sic remedium non restaret aliud, nisi omnes Cardinales arti-

Digitized by Google

antiquos iterum convenire, & eligere aliquem, secundùm quod Spiritus sanctus daret eis. Et esset schisma expeditum. Ecce via possibilis, via plana & secura, & utique rationabilissima.

Igitur ad rationes ante oppositum contra hanc inductas respondendum est.

Cap. XV.

Solvuntur dubia Concilio generali congregando objecta, Cap. XII. recensita: & confirmatur Concilio opus esse.

AD primam, conceditur, quòd Cardinalibus credendum est, ut assumitur: nisi in casu aliquo novo & singulari obsit causa sufficiens, rationabiliter faciens dubitari de eorum assertionibus, ut est in proposito.

Nam primò unum elegerunt, & ipsum publicè coram populo toto coronaverunt, & per tres menses secum stantes, omnia quæ vero Papæ debentur ei exhibuerunt, & ab eo Sacramentum, Beneficia, dignitates receperunt, sibi & suis impetraverunt, & virum sanctum & optimum se in Papam elegisse, Imperatori, & aliis Principibus per mundum, ut moris est, literatoriè signaverunt &c. Postea verò omnes Cardinales, qui electioni interfuerunt, exceptis duobus, vel tribus, asserunt publicè, & concorditer jurant, & prædicant per mundum, priùs electum non esse Papam, sed ipsum solùm simulatè taliter causâ metûs electum esse, & illa de causa circa ipsum facta fuisse omnia prædicta.

Ecce causam dubitandi, propter assertiones contradictorias fortes & coloratas, successivè ab eis factas, & tam apparentes, quòd etiam plures doctissimorum judicare nesciant, quæ pars contradictionis in hoc casu præponderet, aut quæ præponderans debeat censeri.

Et ideò, ut hoc discutiatur, summè opus est Concilio generali, quod Spiritu sancto regitur; juxta illud Matth. XVIII. 20. *Si duo ex vobis, vel tres conveniant in nomine meo, super terra, de omni re quamcunque petierint, fiet illud, quia in medio eorum sum.*

Ergo non diffidat pars, quæ in hoc casu pauciores adhærentes habet numero, potiores fortè sapientiâ: nec alia præsumat in multitudine adhærentium. Quoniam in Concilio generali, ubi Spiritus sanctus Judex est, non vincitur multitudine, sed veritate. Et veritate non deficitur ex paucitate in tali causa Universalis Ecclesiæ, in qua ab universis fidelibus, in Concilio, & ante, pro declaratione justitiæ Spiritus sancti gratia jugiter imploranda est. Ergo, confidant pauci, imò confidat unus, in hoc Sanctissimo processu vincere decem millia. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Advertamus, ut Moses ait, quomodò persequebatur unus mille, & duo fugaverunt decem millia. Nonne ideò, quia Dominus conclusit illos? Sanctus quoque Hilarius vicit solus Papam cum Cardinalibus, ut ejus narrat Legenda. Hujus etiam rei in historiis multa exempla reperire poteris.

Apparet igitur, quare inutilis est ad discutiendum præsentem casum, via quæ tacta fuit in nono argumento, post oppositum quæstionis: imò casum faciliorem. Unde Johannes Teutonicus, glossator Decreti, 79 *Distinctione*, quærit: *Si duo contra fas eligantur, quis erit Judex? Non Cardinales ipsi. Quia sic erunt Judices in facto proprio. Nec alius superior poterit inveniri.* Et post pauca subdit: *Dic, quòd Concilium convocetur.*

Item, Johannes Andreæ, *in Clem. de elect.* quærit: *Quis de hujusmodi causa metus cognoscere haberet, si allegaretur circa electionem Papæ.* Et respondens dicit: *Quòd ista nondum decisa, nec provisa, egebunt provisione. Et certum est, quòd, nisi à generali Concilio.* Igitur propositum.

Item, mirum est de quibusdam, utinam non adulatoribus, qui volentes Cardinales quasi deificare, & impeccabiles reddere, asserunt, ipsorum verbis semper esse credendum, sine exceptione: cùm sancti Doctores, Augustinus, Hieronymus, & alii inveniantur nonnunquam sibi contradixisse, & à veritate deviasse, ut apparet in Libro Retractationum Augustini. Et cùm legatur, Paulum restitisse Petro in faciem, eò, quod non rectè ambularet secundùm veritatem Evangelii.

Nonne & in Consistoriis sæpe unus Cardinalis contradixit alteri, in diversis causis & negotiis? Et ita unus erravit: vel sunt sanctiores & confirmatiores Sanctis prædictis: vel fortè eorum autoritate, contradictoria verificari possunt.

Item, ex quo Cardinales jam experimentaliter sentiunt, quòd propter eorum missionem & prædicationem pro totis viribus, schisma non minuatur, imò crescat, & stabiliatur: desistere debent ab hac via, quantò citiùs, tantò meliùs, tanquam Deo non placita, propter peccata fortè eorum vel aliorum; declinantes ad viam Spiritus sancti, quæ est Concilium generale, ut fiat in Ecclesia pax. Et tunc apparebit, quòd non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, & quòd communis salutis omnium fidelium habent affectum.

Item, si duo Cardinales jam missi ad Teutonicos, in tribus annis, non unum comitatum converterunt, ad credendum secundò electum esse Papam; vix in centum annis, per talem modum, habebunt pro se novem vel decem regna, quæ primò electo adhærent.

Item, si Cardinalium informatio & prædicatio est valida & efficax, & à fidelibus in dicto casu recipienda, non est via ad hoc expedientior & convenientior, nisi quòd Prælatos omnium regnorum Christianitatis in generali Concilio congregandorum informent de veritate facti & Juris. Qui nomine Ecclesiæ congregati, si eis crediderint, expeditum erit negotium hujus schismatis per totam Ecclesiam. Igitur via Concilii expedientissima est, & maximè à Cardinalibus expetenda & requirenda.

Ad Secundam respondetur: quòd concesso, notorium esse, ibi fuisse tumultum popularem &c. non sequitur, igitur notorium esse, quòd Cardinales elegerint præcisè metu compulsi. Quia ex post factis contrarium apparet: videlicet, quòd verè & liberè consenserint in ipsum, ut patet ex dictis in prima solutione.

Et tunc non est notorium, sed est perplexum dubium, an, omnibus attentis, illa electio censenda sit invalida, ratione illius impressionis & tumultûs, qui erat in electione Urbani VI. Itaque opus est Concilio.

Item, esto, quòd esset communiter apud sapientes notum, quòd primus electus non haberet jus: nihilominus, quia schisma magnum invaluit, & jam diù stetit, ad satisfaciendum & quietandum generaliter simpliciores, & ad convincendum malitiam & proterviam multorum, expediret negotium discuti in Concilio generali. *Sæpe* enim, ut dicit beatus Gregorius, *expedit aliqua fieri ex superabundanti*, propter causas jam prætactas. Quare relinquitur, opus esse nunc Concilio generali.

Ad tertiam, conceditur quòd communiter & regulariter verum est, quòd sine autoritate Papæ Concilium convocari non debet. Veruntamen, ingruente necessitate singulari, quæ frangit Legem, & etiam in multiplici casu possibili, potest & debet fieri Concilium generale, sine autoritate Papæ.

Primò, si Papa lapsus in hæresin manifestam, pertinaciter occupet Sedem Apostolicam, nolens Concilium convocari.

Secundò, si post mortem unius Papæ contingeret statim

statim omnes Cardinales occidi, oporteret provideri de Papa per Concilium generale.

Tertiò, si Papa cum consilio Cardinalium proferret aliquam Sententiam dubiam in materia Fidei, & in hac pertinaces & incorrigibiles persisterent, nolentes Concilium.

Quartò, si Sede vacante, Cardinales propter eorum discordiam, vel aliquam tyrannidem convenire non possent. Seu, si ex malitia, vel aliàs ad electionem Papæ A convenire nollent, nec vellent Concilium generale.

In quolibet illorum casuum, generale Concilium sine autoritate Papæ convenire debet, ad tractandum de bono communi totius universitatis fidelium.

Et tunc patet, non esse de propria, vel essentiali ratione Concilii generalis, ut fiat per Papam, sed est per accidens. Igitur.

Item, notum est, quòd non solùm illud quod extra tempus necessitatis est licitum, imminente necessitate fit debitum: sed etiam, quod extra necessitatem fuit illicitum, in necessitate extrema fit debitum & necessarium. Ut contrectatio rei alienæ, invito Domino, vel ablatio panis ab existente in extrema necessitate, non est furtum. Ratio hujus est, quòd ea quæ sunt Juris humani, utpotè rerum divisio & appropriatio, & consimilia, non possunt derogare Juri naturali vel divino, quo res inferiores ordinatæ sunt ad hoc, ut per eas necessitati hominum subveniatur. B Quapropter res quas aliqui habent superabundanter, naturali Jure pauperibus debentur, secundùm beatum Ambrosium.

Malè igitur epikeisant, qui, in præsenti communi summa necessitate Universalis Ecclesiæ, volunt omnia Jura positiva, de Concilio congregando nonnisi autoritate Papæ, præcisè ad literam servari: impedientes, contra intentionem eorum qui Canones constituerunt, viam pacis & salutis; ac si in nullo casu liceret populo, vel alicui, sine autoritate Principis contra Statuta communia, pro defensione sui & paternarum Legum militare; seu Principi, volenti Rempublicam & civium universitatem destruere, ad cujus conservationem est ordinatus, tanquam hosti, non Regi resistere. Nonne etiam Maccabæi in dies Sabbathorum bellantes, divinæ Legis transgressores non fuerunt? &c.

Quis etiam nescit, quòd fuit impossibile regulariter Leges & Jura positiva institui, quæ in nullo casu deficerent, vel exceptionem paterentur, ut patet 1. *Rhetoric.* C Aristotelis. Hac ratione, quòd actus humani, ad quorum ordinationem & regulationem Leges constituuntur, sunt circa singularia & contingentia. Quæ, quia infinita sunt, & infinita uni accidunt, & infinitis modis variari possunt, sub nulla regula, vel arte comprehensibilia sunt. Igitur.

Et ergo vix est aliqua Lex positiva, quin casus possit emergere, quòd ille qui ante tenebatur eam implere, secundùm tenorem literæ, in illo casu non deberet. Sicut regulare est, quòd depositum reddi debet: tamen si quis depositum gladium in furia reposcat, ei reddi non debet.

Unde Nicolaus Papa præsidens Synodo Constantinianæ dixit: *Quòd ita usque adeò venenata simoniaca pernicies hactenus inolevit, ut vix quædam Ecclesia valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta. Et tanta talium multitudo est, ut, dum rigorem canonici Juris super eos servare non possumus, necesse est, ut dispensatoriè ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus,* D *à simoniacis consecratos, in acceptis Ordinibus manere permittentes. Hoc etenim temporis nimia necessitas permittendum à nobis extorsit,* &c.

Et ergo est quædam virtus, quam Aristoteles 5 *Ethic.* vocat ἐπιείκειαν, quæ est directiva justi legalis. Et eâ melior & nobilior, quia per eam, modo excellentiori & perfectiori, obeditur menti & intentioni Legislatoris.

Pater igitur, quòd, quia Legum latores Leges ponendo frequenter attendunt ad ea quæ, ut in pluribus, accidunt, & raro de raro contingentibus provident: ideò accidit, quòd quidam Juris imperiti, & indocti in Theologia, & in morali Philosophia, volentes Leges communes, & positivas Sanctiones, in omnibus casibus observari, juxta verborum corticem, seu superficiem, faciunt sæpè contra justitiam & bonum publicum, & contra intentionem Legislatorum: transgredientes dictamen rectè rationis, propter quasdam verbales traditiones hominum, quarum intentionem non attendunt, Legum justas interpretationes audire contemnentes. Cùm tamen licitum sit Theologis, qui sunt ἐπιεικεῖς divinæ Legis, mentem Christi interpretari & declarare: ut patet in interpretatione magni Mandati in Lege, quod ad literam à viatoribus impleri non potest, sed ad sensum Doctoris.

Nunc ad illud quod ulterius dicitur, quòd nullus haberet potestatem super omnes fideles: respondetur, quòd Ecclesia Romana habet talem potestatem. Ecclesia autem Romana intelligitur Ecclesia Universalis, vel Concilium generale. Igitur.

Ad quartam dicitur; quòd hoc non est timendum, nec est verosimile; cùm procedatur via Spiritus sancti ad pacem Ecclesiæ: cujus gratia, in Concilio & ante, per omnes Ecclesias Christianitatis devotè implorata, hujusmodi fieri non permittet.

Ad quintam respondetur: quòd per cœtum Cardinalium congregari potest. Etiam fortè, ad majorem securitatem, expediret quòd uterque electorum consentiret congregationi Concilii. Quia pauci dubitant, quin unus eorum sit Papa. Et ita satisfieret Canonibus, qui contrarii videntur.

Alii modi Concilium convocandi tacti sunt in quadam Epistola, quæ incipit: *Genius magni Jovis Vicarius.*

Et cùm dubitatur, cujus autoritate valerent in tali Concilio facta. Respondetur: quòd in casu tali necessitatis, autoritate capitis Christi indefectibilis. Cujus etiam autoritate David & sui, panes Propositionis manducabant, & Maccabæi in Sabbatho pugnabant, &c.

Si dicitur, objiciendo prædictis: Papa est major Concilio. Respondetur quòd in casu nostro Concilium nihil statuet, donec ante omnia congregatum, & clarificatum fuerit, sive autoritativè, sive magistraliter, quis sit verus Papa. Quo facto, ille accedet Concilio, si velit, & facta & fienda ampliùs in eo per ipsum robur habebunt.

Vel dicitur, quòd Ecclesia Catholica, modo superius declarato est, in hoc casu superior Papa, à qua, cum ipse sit Catholicus, non est exclusus, imò est ipsius caput secundarium. Cujus defectum, vel cùm illud non est, vel cùm est, & non constat quis est, sicut est in proposito, supplet Christus, caput Ecclesiæ suæ inseparabile & primarium: cujus gratiâ & meritis, Ecclesia corpus suum mysticum, suscipit incessanter sensum, motum, & spiritum vitalem. Quo fit, quòd errare non potest, lege stante, nec mortali peccato ex toto maculari vel mortificari.

Ad sextam respondetur: Quod, sicut bonus filius Matri suæ carnali ægrotanti, vel tribulationem patienti, licèt Deus eam velit mori, vel taliter ad salutem suam tribulari, omni via licita tenetur niti succurrere, & eam liberare. Et ita, à fortiori, Matri spirituali, quæ est Ecclesia, succurrere tenetur. Maximè, quando tribulationibus, communi saluti fidelium manifestè obviis, ut est in præsenti casu, quassatur. Si etiam, hac consideratione, quòd omnia cooperantur in bonum electis, ab elisione dissensionum & discordiarum & hujusmodi malorum, Christianis cessandum esset: eadem ratione ab hæreticorum exterminatione, & ab omni punitione perversorum desistendum esset. Quia, juxta beatum Augustinum, Omnipotens, bonum nullum

Digitized by Google

lum malum fieri sineret, nisi inde etiam majus bonum elicere sciret & vellet. Igitur.

Item illud: *Nolite arbitrari*, &c. *Matth*. x. 34. accipiendum est, quasi Christus dicat: *Sed gladium*, id est, correctionem & vindictam offensarum Dei in malos sibi adversantes, à Principibus & Prælatis intrepidè exercendam; exemplo David, qui testabatur, quòd cum malis concordiam non teneret, dicens: *Nonne, qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam, perfecto odio oderam illos?* Ps. cxxxviii. 21. 22. hoc est, quod verum in eis erat, dilexi; & quod malè fecerunt, increpavi; mores pravorum pressi, vitæ eorum prosui, nihilominùs inimici facti sunt mihi. Si igitur David illius temporis laïcos corrigendo malos, non curavit eorum inimicitias incurrere, quantò magis Christianæ Ecclesiæ Præsides & Prælati, in hoc nullos formidare debent, intrepidè exteriorem pacem cum malis solventes; interiorem nihilominùs circa illos, idest, fœdus Charitatis medullitùs custodientes. Quia, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Matth. viii. 31. Vel *gladium*, id est, pugnam virtutum contra vitia, malorum contra bonos, dæmonum contra fideles, spiritus contra mundi & carnis infestinationes.

Ad septimam rationem respondetur: quòd primò constat satis ex dictis Scripturæ, unum generalem Vicarium Christi esse debere in sua Ecclesia, usque ad consummationem sæculi. Et ideò, quia mala est pluralitas Principum non subordinatorum, & naturali ratione interdicta: utique omni diligentia per fideles obviandum est pluralitati summorum Pontificum, donec vel miraculo, vel revelatione speciali, circa hoc aliud videatur.

Pro hoc verò, quod ulterius dicitur, de variatione populi, de uno veniendi in alium, & de statu in statum, propter peccata, & quandoque aliis de causis: quemadmodùm status Christiani Cleri, tempore Constantini Imperatoris, mutatus fuit de paupertate ad divitias, de tristitiis ad delitias, de contemtu ad honores, de subjectione ad dominationes, de labore ad requiem, de tribulatione ad pacem, & de oppressione ad libertatem; fortè dices: certè talis mutatio videtur nisi permissivè propter aliquorum peccata à Deo facta. Quoniam, quæ causa tantæ exorbitationis & deviationis Ecclesiasticorum, quæ apparet hodie, & summabitur in solutione ultimæ rationis, nisi hoc venenum, effusum in Ecclesiam Dei, quando Imperator Constantinus Ecclesiam tot divitiis locupletavit, & tantis honoribus sublimavit? Ex hoc enim, quòd statibus Ecclesiasticæ Prælaturæ conspiciuntur tantæ divitiæ, deliciæ, honores, reverentiæ, potestates, & dominationes annexæ; jam fatuus & sapiens, puer & senex, bonus & malus à minimo usque ad maximum, omnes indifferenter ad pingues Ecclesiasticos status, per fas & nefas anhelant; simoniam committunt, discordiam seminant, cœlum & terram movent, ut ad illos perveniant, & in eis permaneant: Proh dolor, non considerantes, neque apud se semel discutientes, quanta & quàm ardua habentibus tales status agenda incumbant, in quibus si negligentes fuerint, æternæ damnationi suberunt.

Respondetur: quòd, quamvis hæc contigerint, & contingant ab aliquibus, per abusum temporalium, ad magnificentiam gloriæ Dei Ecclesiæ donatorum; nihilominùs Papa Sylvester sanctè fecit, temporalia recipiendo, & Constantinus ea dando: quia videbant, recto usu talium, divinæ honorificentiæ cultum gloriosè magnificandum & ampliandum. Etsi in parte contrarium eventurum cogitaverit, ex malitia abutentium, æternam receptura suo tempore pœnam: verumtamen tali mutationi Ecclesiastici status Sylvester resistere non debuit.

Quæri potest hîc: Si verosimile sit, quòd Ecclesia perdet quandoque, scilicet tempore Anti-Christi, vel ante, totum temporale, quod à Constantino & à Principibus aliis, successu temporis, accepit?

Secundò. Utrum expedientior esset simpliciter pro generali salute fidelium, humilis status Cleri, sine temporali, qualis erat ante Constantinum, vel status, qualis post fuit & hodie est?

Ista sunt alterius speculationis. Verumtamen pro diversitate temporum, alter & alter status Ecclesiæ magis convenire videtur; & non idem semper.

Ut in primativa Ecclesia, tempore prædicationis Evangelii expedivit, ut omnia essent communia. Post inceperunt fideles vivere de propriis, & Sacerdotes contentari in humilitate de solis oblatis, & piè datis, & de bonis hereditariis, quæ habebant. Post verò, templis Christo ædificatis, cœperunt vivere de decimis & oblatis. Deinceps, post Constantinum, de reditibus, prædiis, terris, ab Imperatore & aliis Principibus Ecclesiæ datis, Clerus incepit vivere magnificè in honore, reverentia, & dominatione, usque hodie.

Quem statum an Deus modò, vel aliàs diminuere vel variare voluerit, nescio. Ipse scit, qui mutat tempora & transfert regna, & qui fidelibus suis de expeditiori semper novit providere statu.

Ad rationem octavam & ultimam respondetur: quòd semper in Ecclesia, juxta Apostolicam assertionem, omnes qui volunt in Christo piè vivere, persecutionem patientur. Quæ persecutio, ut dicit Leo Papa, non in eo tantùm consistit, quòd contra Christianam pietatem aut ferro, aut ignibus agitur, aut quibuscumque suppliciis: cùm modò persecutionum sævitiam suppleant, & dissimilitudines morum, & contumaciæ inobedientium, & malarum tela linguarum: ut de Ecclesia verum sit: *In pace amaritudo mea amarissima*: Isaiæ xxxviii. 17. quando carnalis pax, & commoditas, dissensionem suscitavit, Superiores eclipsavit, zelum salutis populorum abstulit.

Igitur, quoniam virtus unita fortior est se ipsâ dispersâ, nunc maximè congregari convenit Concilium in arduis, ut saltem inter multos inveniantur aliqui, qui adhuc zelum Dei habeant & prosequantur.

Ad hoc verò, de quo dicitur, sufficienter de omnibus jam provisum esse, &c. Respondetur per hoc quod cap. i. Toletani Concilii VII. habetur: *Licèt*, inquit, *& ante constitutiones Canonum exstent, quæ ad omnem possent correctionem sufficere, si quis dignetur eas libenter attendere: tamen, quia tantò amplius lucernæ claritas emicat, quantò fuerit studiosiùs sæpissimè mundata vel contrectata: non parum proficit ad emendationem multorum, si, dum illa quæ constituta sunt, per fraternam collationem ad memoriam reducantur, illa etiam adjiciantur, quæ aut deesse videntur, aut omninò constituenda competenter existimantur.*

Quis enim nesciat, quanta sint hactenùs illicita perpetrata, & quàm nefanda multorum invaluerit superbia, avaritia & incuria, & quàm multiplex à legitimis exorbitatio; quæ novæ provisionis expostulant remedia, quemadmodùm novi morbi novas cogunt invenire medelas; vel antiquas, juxta eorum qualitatem & modos temperare.

Item, cum particularia sint infinita, & infiniti casus novi emergere possint: nullis finitis Constitutionibus vel Legibus particularibus sic sufficienter provideri potest, quin sit semper opus novam provisionem super pluribus evenire possibilibus.

Item, cum natura humana naturaliter nitatur in vetitum, & de cetero sit indomita & effrenis: ideò, ei habenis laxatis pro tempore, citò revertitur ad inordinationem suam, & repullulabunt vitia, redibunt superstitiones, reviviscent errores. Quare opus est incessanti visitatione domus Dei, factæ ex hominibus, & ejus reparatione, jam in hac parte, jam in illa, ad instar domus materialis; quæ, nisi sollicitè quolibet anno visitetur, reformetur, & renovetur, ubi in-

Digitized by Google

indiget; columnæ à rectitudine nutabunt, & incurvabuntur, & à fundamento recedent, à trabibus disjungentur; colores & picturæ parietum & columnarum inveteratione cadent; tunc imagines in eis pictæ truncabuntur; vitrea, (quæ sunt Doctores, per quos tanquam per fenestras illustratur Domus Dei, quæ est Ecclesia,) adhæsione pulveris squalescent, & obtenebrescent.

Et ita, nisi Ecclesia continua sollicitudine suorum architectorum, temporibus debitis, priusquam defectus nimis increverint, visitetur, reparetur & renovetur; picturæ ejus cadent, scilicet veritatis & scientiæ, & columnæ nutabunt, fenestræ, id est Doctores, non dabunt lucem, & tandem in suis partibus irreparabilem ruinam patietur.

Cap. XVI.

Saluberrimas Patrum primorum Constitutiones, de salutari Ecclesiastica disciplina prorsùs illo ævo exulasse.

FOrtè dicetur mihi: Ecclesia fundata est super firmam petram, flaverunt venti, inundaverunt flumina, non est passa ruinam. Quomodò tu dicis, reformatione indiget? Aut dic, in quibus.

Sed, si in nullis ejus partibus heterogeneis, id est, statibus, vel in nullis ejus partibus materialibus, sive fluentibus, id est, singularibus suppositis, hodie correctione & emendatione Ecclesia indiget: quæso, ubi sunt nunc præcedentium Patrum sanctæ & rationabiles Constitutiones innumeræ, in eorum Conciliis, vel in Epistolis Papalibus traditæ? Quarum observantia, nunc abolita, nedum expedivit olim; sed & magis modò fidelibus saluberrima esset, & oportuna.

Et ut de pluribus taceam, & grandioribus. Primò, ubi est hodie, quòd Episcopus bonus & probatus opere & doctrina eligatur, non homo carnalis, spiritualium ignarus?

Ubi est, quòd Clerici in duabus civitatibus vel Ecclesiis, Præbendas vel Prælationes non habeant?

Ubi, quòd pro Sepultura, Confessione, Ordinatione, promotione, nullo prætextu, ubicunque fuerit, aliquid exigatur, aut detur?

Quòd nullus Principum laïcorum Capellanum habeat, nisi ab Episcopo datum, in casu ab ipso deponendum vel corrigendum?

Quòd nullus Episcopus aut Sacerdos muneribus, precibus ac favoribus, personarum acceptionibus, promoveatur?

Ubi est, quòd Episcopi extra propriam Diœcesin non morentur?

Quòd Clerici non plures, quàm sufficiat, ordinentur?

Quòd Episcopi & Sacerdotes spectaculis & ludis non intersint, nec delectentur?

Quòd Sacerdotes nihil fœnoris aut rustici ministerii exerceant, nec mercatores, venatores, aut negotiatores fiant?

Quòd negotia causarum Festivis diebus in Ecclesia non tractentur?

Ubi est hodie: Ne rectores Ecclesiarum in suis strenui sint rebus, & in Ecclesiasticis remissi, aut plus propria, quàm Ecclesiastica jura procurent?

Quòd non liceat Dominis & Prælatis, observationibus superstitiosis gentilium attendere, nec divinatores consulere, aut stellarum cursum respicere in agendis?

Ubi sunt Synodi Provinciales, secundùm Patrum Constitutiones, semel vel bis in anno celebrandæ?

Ubi, quòd non liceat quemcunque Clericum vel Episcopum die Dominico absentem esse, sed Missarum solenniis interesse jejunum?

Quòd Clerici, ad Matutinum & Vespertinum Officia non venientes, deponantur, nisi Episcopo vel Decano satisfaciant?

Quòd non liceat Clericis ante tertiam horam prandere?

Quòd nullus Sacerdotum à Quinquagesima usque ad Pascha carnes comedat?

Quòd Sacerdotes Adventum jejunent?

Quòd Prælati à subjectorum instructione non cessent?

Ubi est hodie, ne quicquam præmii pro gradi-
A bus, pro dignitatibus, pro divinis Sacramentis accipiatur?

Ne Prælati Monasteriis vel Ecclesiis, consanguineos suos, vel eis faventes præficiant? Quòd non ordinentur, qui Psalmorum, Canticorum, seu Hymnorum ignari sunt?

Quòd Scripturis divinis studeant Episcopi & Sacerdotes, maximè Monachi & Religiosi, scientiis litigiosis & practicis omissis?

Ubi, quòd oppressores pauperum, potentes & tyrannos, Episcopi arguant & corripiant?

Ubi, quòd per annos singulos Episcopi Parochias suas circumeant cum effectu?

Ut ad mensam Episcopi Scripturæ divinæ legantur?

B Quòd Episcopus angarias & impositiones, vel hujusmodi gravamina subjectis non imponat?

Quòd Clericus scurrilis, & verbis turpibus jocularis, ab Officio retrahatur?

Ubi est nunc Clericorum singularis decor continentiæ, in gestu, in vestitu, victu & ritu?

Ubi, ne Clerici comam, barbamve nutriant, aut vestimenta, calceamenta, aliter quàm Religiosum decet, habeant?

Ubi, quod stipendia Clericorum juxta merita distribuantur personarum?

Quòd Clerici nuptialia vitent convivia?

Quòd Clerici tabernas non ingrediantur, nec in eis dominetur crapula & ebrietas?

Ubi est illud Carthaginensis Concilii IV. ut *Episcopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ autoritatem Fide & vitæ meritis quærat?*

Quòd Episcopus pro rebus transitoriis leviter non
C litiget?

Quòd Episcopus de loco ignobili ad nobilem, per ambitionem aut avaritiam non transeat?

Quòd studendum est Clericis, ut dissidentes fratres ad pacem magis, quàm ad Judicium cohortentur?

Quòd Clerici per plateas & fora discurrere non debeant?

Quòd Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, ne pauperes graventur, ut Paulus, artificio victum quærat?

Quòd Clericus artificio vel agricultura sibi victum, absque sui Officii detrimento præparet?

Ubi est quòd Clerici in aliena civitate, sine legitima causa, non morentur extra Præbendas vel Ecclesias suas?

Quòd ab his, qui Sacramentis divinis inserviunt, singularis castitas custodiatur?

D Quòd Clerici actus secularium, vel procurationes non suscipiant?

Quòd laïci Clericos actores, vel ratiocinatores sibi non constituant?

Ubi est hodie illud Chalcedonensis Concilii: *Monachi tantummodò intenti sint jejunio, & orationi; in locis, ubi renunciaverunt seculo, remanentes; nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis propria Monasteria deserendo, insistant?* Et maximè, quid opus est Monachos evocari? Cum infiniti seculares hodie studeant in Facultatibus litium, Juris scilicet & Legum.

Ubi est, non liceat Episcopo à sua Ecclesia plùs tribus hebdomadibus abesse?

Ubi,

Digitized by Google

Ubi, quòd Clerici aleatores, venatores, &c. Communione priventur:

Quòd Officia Ecclesiastica pecuniâ non obtineantur? Ut nihil pro Ordinatione, vel Pallio, vel chartis, vel postello detur, aut accipiatur. Capit. *V.* Epist. *III.* Gregorii Papæ.

Numquid lubet modò verum esse verbum illud beati Hieronymi, quod qui Clericorum audierit, ambæ aures ejus tinnient? *Veteres*, inquit, *scrutans Scripturas, invenire non possum, scidisse Ecclesiam, & de* A *Domo Dei populos seduxisse, præter eos, qui Sacerdotes à Deo positi fuerant, & Prophetæ.* Et Chrysostomus, super illud Matth. XXI. *& intravit Jesus in templum*, sic dicit: *sicut de templo omne malum egreditur, ita de templo omne malum procedit.* Si enim Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, omnium Fides & virtus marcida est. Sicut, cum videris arborem pallentibus foliis, intelligis quòd vitium habet in radice: sic, cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce, quòd Sacerdotium ejus non est sanum.

Ubi est, fortè propter hoc, hodie devotio & obedientia inferiorum, defensio militum, pax Principum Christianorum, ad finem, ut inter se concordes, impugnent schismaticos & infideles, recuperando Regiones quas jam à Christianis abstulerunt, & perverterunt?

Sed numquid hodie omnes Domini Sacerdotes & Prælati, in antedictis & post dicendis culpabiles sunt malis? Absit. Reliquit enim Dominus sibi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt cur- B vata ante Baal. *III. Reg. XIX. Cap.*

Cap. XVII.

De corruptissimo illius temporis Ecclesiæ regimine.

ITerum, ad quid expedit, aut quid utilitatis Ecclesiæ confert tam magnifica Principum gloria, & tam superflua Prælatorum & Cardinalium pompa, ut quasi se homines esse nescire faciat?

Et quæ utique abominatio, quòd unus tenet ducenta, alter trecenta Beneficia Ecclesiastica? Nonne inde divinus cultus diminuitur, Ecclesiæ depauperantur, valentibus viris & Doctoribus privantur, fidelibus mala exempla dantur?

Quid sibi voluit, quòd Cardinales solùm de una C Natione, vel quasi de una Patria fiebant? inter quos de singulis regnis, vel nobilibus linguis aliqui esse deberent. Numquid apud Christum est differentia Græci & Latini, Gallici & Alemanni, Hispani & Ungari &c?

Quid est etiam quòd hodie unus, utinam mediocriter doctus, tenet quatuor, quinque, sex vel octo Beneficia, quorum uno non est dignus, quibus octo sustentari possent, Doctrinis, orationibus, & divinis laudibus insistentes? Attendite, an potius hodie equi, canes, aves, & superflua Ecclesiasticorum familia, patrimonium Eclesiæ comedere debeant, quàm pauperes Christi? Vel quàm ad divini cultus ampliationem, & pro infidelium conversione, aut in hujusmodi pietatis operibus modis congruis expendendum D sit?

Quòd hodie loca Divini cultus, ut Monasteria, & venerabilium Martyrum Ecclesiæ, Romæ & alibi, ob prædicta, & ex Prælatorum incuria desertæ sunt & destructæ?

Judicate, si etiam justum sit, quandoque Librum Ecclesiarum & hujusmodi vendi, & castra & villas obligari, ut exactiones ab Episcopis Clero impositæ, collectoribus solvantur?

Quid est etiam, quòd hodie omnes medium Christianitatis, pinguibus abundans Beneficiis; tanquàm centrum quietis ambiunt, derelictis partibus Ecclesiæ in circuitu, ubi impii ambulant, invisitatis, & à Doctoribus illuc mittendis & promovendis vacuis & incultis, ubi Fides est debilis, virtus imperfecta, schismatici abundant, infideles impugnant? Utique ibi opus esset in Lege Christi expertioribus Prælatis, & doctioribus Magistris, atque probiori & abundantiori militari potestate.

Quid est, quòd gladius Ecclesiæ, sive excommunicatio, in sui contemtum modò tam leviter extrahitur, & pro modica re, ut, pro debitis vel hujusmodi, tam crudeliter in pauperes extenditur?

Quid est, quòd una causa super modica re durat jam multis annis? Quare litium prolixitas, pauperum spoliatrix, convenienti modo non rescinditur?

Quare conversis Judæis, de eorum bonis misericorditer non datur vitæ necessitas potiùs, quàm egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant?

Etiam quare non ordinatur, Judæos inter Christianos morari non debere, nisi vel Christianis serviendo, vel agros colendo, vel in mechanicis laborando acquirant victum suum, & non usurando, eis in peccatum, & Christianis in spolium?

Quid etiam sibi vult, quòd quarundam Ecclesiarum Cathedralium Canonici calceis rostrati, vestibus accurtati, abjecto habitu Clericali, & assumto militari, in armis & hastiludiis se exercent?

Episcopi quoque cappa, suppellicio, Libris depositis, arma sumunt, in campis armati pugnant, ut Principes seculares?

Quid est, quòd nonnulli Prælati Jurisdictiones, spiritualem & temporalem, quibusdam potentibus Tyrannis & avaris, pro certa summa locant, in gravamen Ecclesiæ, subversionem justitiæ, & oppressionem pauperum?

Quid est, quòd hodie Episcopi, Abbates, Monachi, plùs sunt Officiales fisci quàm Christi, totis nisibus militantes mundo in Curiis Principum, & secularium Judiciorum, seu Parlamentorum?

Ecce, quid sibi vult etiam, quòd modò potiùs omnes Episcopi, Prælati, & parochiales Sacerdotes per Papam constituuntur, quàm eligantur personæ notæ, & aptiores de Patria, ut non præferantur Ecclesiis homines extranei in moribus & linguis & consuetudinibus?

Quid est, quòd hodie Potentum & Nobilium pueri, Ecclesiasticis præficiuntur dignitatibus, & Cleri famosi in vita & Doctrina eis subjiciuntur?

Quid est, quòd nunc spiritualium penitùs ignaris, qui à puero mundanæ & litigiosæ scientiæ, ut Legum, quarum studium Sacerdotibus est prohibitum, vacaverunt, regimen Ecclesiæ potiùs committitur?

Numquid Ecclesia secundùm mundum gubernanda est, & non potiùs contra morem mundi, eò, quòd scriptum est: *Nolite conformari huic seculo.* Rom. XII. 2.

Et cetera multa.

Cap. XVIII.

De extrema Ecclesiasticorum illius temporis corruptione.

RUrsùs, oculos aperite, & inquirite, si quæ hodie Claustra Monialium, facta sint quasi prostibula meretricum?

Si quæ Deo consecrata Canonicorum Monasteria, fiant quasi fora & diversoria?

Si quæ Cathedrales Ecclesiæ, factæ sint quasi speluncæ raptorum & latronum?

Scrutemini, si alicubi Sacerdotes in consuetudinem duxe-

Digitized by Google

duxerunt, sub prætextu ancillarum, habere concubinas?

Judicate, si tanta Imaginum & picturarum in Ecclesiis varietas expediat, & an plures simplices nonnunquam ad aliquam idololatriam pervertat?

Videte, si tanta Religionum numerositas & varietas conveniat?

Examinate, si Religiones militares faciant debitum, A habeant in honore Sacerdotium, servent mores, Fidem, Regulas & Canones Patrum?

Discutite, si expediat quorundam tam larga exemtio, & privilegiatio, atque ab Ordinariorum coërcitione sic omnimoda subductio?

Si conveniat, Urbanum V. Brigidam de Suecia *, Ducem Britanniæ Carolum, non obstante nimia Sanctorum multitudine, canonizari?

Si deceat, quorundam novorum Sanctorum Festa solenniùs peragi, quàm præcipuorum Apostolorum?

Si justum sit, priores Sanctorum solennes Ecclesias deseri & destrui, reditibus à collectoribus vel Cardinalibus levatis? Et quandoque post ad eorum memoriam, vel quasi gloriam, capellulas novas ædificari?

Rursùm pensate, si æquum est fatuos præesse, & sapientes subesse, juvenes dominari, senes famulari, ignaros ardua discutere, scientes loqui non audere, equorum famulos in promotionibus præponi, eloquiorum Dei discipulos postponi? B

Perquirite, si quæ Scripturæ apocryphæ, aut hymni vel orationes, successu temporis, studio vel ignorantia, in detrimentum Fidei introductæ sint?

Et corrigite.

Opinionum discordias, utpote de Conceptione Virginis gloriosæ, & consimilium, sedate.

Iniquas Leges & consuetudines patrias emendate.

Nonne in Saxonia reperiuntur injustæ Leges, aliàs à Theologis impugnatæ?

Et quæ Christianorum damnabilior consuetudo esse potest eâ, quâ jam Clerici & laïci, Prælati & Principes, ubique insaniunt, sanctissimam Natalem Christi noctem celebrantes ludo taxillorum, non contemplatione cœlestium Mysteriorum?

Nonne in Livonia consuetudo inolevit, ut nulli rusticorum Sacramentum Eucharistiæ detur?

Nonne ibidem reperitur, quòd vir duas uxores C vivas habeat, & mulier plures maritos.

Quid plura. Ab Episcopis ad Concilium Generale venientibus, de qualibet Provincia, de omnibus inquirite abusivis consuetudinibus, & perniciosis ritibus, quacunque occasione in Ecclesiis, & hominum statibus, regionum diversarum introductis.

Ut super deviationibus præmissis & consimilibus, omnes Ecclesiæ status, vel in Generali Concilio reformetis, aut in Conciliis Provincialibus reformari mandetis. Ut sic Deo autore reparetur Ecclesia, & purgetur Domus Dei ab immunditiis, vitiis, & erroribus universis.

CAP. XIX.

De summa necessitate Synodorum Provincialium ac Generalium, pro emendatione Ecclesiastici status. D

HOc autem ut diligenter fieret, sancti prioris ævi Patres ordinaverunt, & ordinationem eorum posteriores semper in Conciliis confirmaverunt, ut scilicet bis in Anno, in qualibet Provincia celebranda esset Synodus.

* *Aut* Suevia.

Ut de in Canonibus Bracarensis Concilii cap. 18. ita dicitur: *Propter Ecclesiasticas curas & altercationum solutiones, benè placuit, per singulas Provincias bis in anno, convocare Metropolitanum Episcopum omnes Provinciales Episcopos, ita ut ad Concilium procedant omnes Presbyteri vel Diaconi, vel hi, qui se læsos existimant, ut in Concilio causâ examinatâ ad justum Judicium perducantur.* Hæc ibi.

Secundum quoque Capitulum Carthaginensis Concilii III. dicit: *Similiter placuit, ut propter causas Ecclesiasticas, quæ ad perniciem plebium sæpe inveterascunt, singulis annis Concilium Provinciale convocetur.*

Rursùs caput VII. Toletani Concilii VI. *Quamvis*, inquit, *priora nequicquam siluerunt de tanto facinore. Concilia: ratio tamen dictat, ut ea, quæ frequenti prævaricatione iterantur, frequenti Sententia condemnentur. Quoniam*, ut scribitur in eodem Concilio, *sæpe pullulantia pravitatis germina licèt sæpissimè Patrum justa novimus severitate damnata: tamen, quia crebris conspiciuntur denuò vigere radicibus, justitiæ acrioris vigore radicitùs ea amputari sancimus.*

Ceterùm caput III. quarti Concilii Toletani ita loquitur: *Nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis expellit, quàm negligentia Sacerdotum, qui contemtis Canonibus, ad corrigendos Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Ob hoc à nobis utiliter definitum est, ut, quia juxta antiqua Patrum Decreta, bis in anno, difficultas temporis fieri Concilium non sinit, saltem semel à nobis celebretur. Ita tamen, ut, si Fidei causa est, aut qualibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ & Galliæ Synodus convocetur; si verò nec de Ecclesiæ communi utilitate tractabitur, speciale erit Concilium, prout uniuscujusque Provinciæ Metropolitanus elegerit peragendum.* Hæc ibi.

Ex quibus omnibus arguitur à simili: quòd etiam propter defectum Conciliorum Generalium totius Ecclesiæ, quæ sola audet intrepidè corrigere omnes, ea mala, quæ universalem tangunt Ecclesiam, manentia diù incorrecta, crescunt & inveterascunt de malo in pejus: donec tandem iniqua sub fuco consuetudinis reputantur licita.

CAP. XX.

Votum Autoris, pro Universali Concilio maturando.

HIs itaque peractis, ut in illo sit nostrum explicuisse, à quo nobis fuit inchoasse: invisibilis omnium Creatoris, Principis pacis, imploro opem suffragii, ut meis verborum energiâ tenuibus hortamentis vim tribuat effectus peroptati, fragilitatemque humanam veritatis illustret fulgoribus, ut intentioni pietatis se nemo opponat pertinacem; ne divinæ severitatis ultio pavenda corripiat contradictores: & verò, ut recto rationis libramine amplectentes viam Concilii pacis, misericordia profluens, pax perpetua, & gloria suscipiat sempiterna.

Clemens Urbano litem quia moverat, ergo
Explicit errantem codex vasurus in Orbem.
Consilii placeat nominetur Epistola pacis.
Si facit aut terror, torpor, vel devius error,
Ut taceant linguæ: mundum transcurre libelle,
Schisma veta tale, pete Concilium Generale.
Clama, non metue montes transire per altos.
Per sylvas & aquas, valles, lacerasque myricas.
Non defers merces, sed veri portitor es tu.
Et, si displiceas, sed veri quia nuncius: ex quo
Assem vix valet esse tuum, quid si laceraris?

FINIS.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS DE VARENNIS

Doctoris Parisiensis, & Pastoris Sancti Leti in Diœcesi Remensi

EPISTOLÆ AD BENEDICTUM PAPAM XIII. DE TOLLENDO SCHISMATE.

Nunc primùm prodeunt ex Codd. MSS. Vict. 463. & 842.
Anno 1394.

Beatissimo Patri, DOMINO BENEDICTO, *Sanctæ Matris Ecclesiæ* SUMMO PONTIFICI.


ATER à Deo Benedicte: post pedum oscula beatorum, in Filio Virginis gloriosæ devotissima præmissa semper recommendatione. Hac autem die nona, de vestra audivi sanctissima in Apostolatum assumptione, de qua non modicum felici, interna jocunditate exultavit spiritus meus, in Christo Jesu Salutari meo: sed non minus voce altissona, corde & animo, si pacem ex eadem in Ecclesia sponsa vestra assequi inde mereamur; cum populo Israëlitico lætabundus in Domino exclamabo, inquiens & benedicens, *Qui venit in nomine Domini, Osanna in excelsis.*

NUPER ante intellexi, PATER, SANCTE, quòd Rex Illustrissimus Franciæ, per quem, ut estimo, lux pacis præcipuè è cœlo adveniet inclitæ sponsæ vestræ, Dominis meis ac Patribus Reverendis scripserat; ut aliquantulùm in electione supercederent Romani Pontificis, quousque Antipapa consuleretur, an vellet desistere &c.
Cujus litterâ receptâ, & non admissâ, ad electionem vestræ nihilominùs processerunt Sanctitatis, de qua, ut percipio, multi gaudent. Sed de modo aliquantulùm turbantur adeò celeri procedendi: quibus siquidem apparet, quòd per modùm hujusmodi ferè perpetuatur schisma, cùm eodem modo, experientia docente, secundò intruso vita functo, anticardinales non minùs perperàm agent, & ita nunquam erit finis; nisi piissimus Jesus, cujus causa in patulo agitur, propter scelera nostra adhuc dormitans, aliter sua pietate in brevi disponat. Proinde Parisius clamitant nunc fortistæ parvuli fari vix gestientes: Pax, pax, pax, & non erit pax. Cùm secundum eos, solo mutato nomine, reincidimus in idipsum.

Rex inde, causis ex piissimis, aliquantulùm motus, velut filius timoratus, pia viscerali compatiens affectione, immò in præcordiis suæ Majestatis, Clementiâ Regiâ ejus solitâ, pauperi vermiculo suo super montem gradienti, scribere non dedignatus est, quidnam sentiret in hac tam gravi materia, & eidem rescribere intentum suum, pro vivente non formidaret, aut si calamo committere pertimesceret, paratus eidem erat transmittere aliquem de domo sua quem eligeret. Cui incontinenti respondi de præsenti, cum benigna supportatione suæ Regiæ Majestatis, quòd nec scribere poteram, aut pro aliquo mitterem, nisi priùs vestra consulta Sanctitate, & ut velociùs, cum res ipsa accelerationem exigat, ab eadem vestra Sanctitate responsum obtinerem, eidem supplicavi quòd Litteras præsentes, vestræ per proprium nuntium dirigeret Beatitudini.

Heu me, Pater Sancte! quid tanto Regi excelsæ terræ, in præsenti tam altissima profectò non terrena, sed cœlesti potiùs materia, potero respondere, nisi tua mihi suffragante Sanctitate.

Responde mihi quid dicam, aut si fugere debeam à facie ejus. Si pro pace instes, velut & anteà instabas, Legationis tuæ tempore, securus sibi responde-

bo.

bo. Clama nunc apud eum, & bulbutire non cessabo: & si novo homine nunc induaris, tanquam sponsus, ut Pater Patrum magis laborare teneris. Pro Pace itaque almæ tuæ sponsæ insta nunc opportunè, & importunè: si verò, quod absit, mutatio novi hominis priscos mutaret mores, nedùm à facie Regis terreni, quin immò & Regis summi opportet me fugere; quia tantam Christi nescirem injuriam, & Petri opprobrium dissimulare. Cum jam propterea facultates omnes, famamque exposuerim ludibrio: deinde sic in me aliud nihil restat, nisi caput proprium, cùm res, Christo disponente, exegerit, gladiis hostilibus objectare, & utinam pro re adeò celebri, Orbi toti fructuosa, tanta jocunditate, in remissionem peccatorum meorum, apud Deum mererer insigniri. Arbitror enim vos oblivioni non dedisse vestræ me Parisius dixisse Sanctitati, qua ex causa inutilis & indignus hùc accessi, & si pro pace sanctissimæ sponsæ vestræ, attestetur Dominus ille qui servum suum Moysem in montem discalceatum transmisit Synay, ut Legem mereretur suscipere Domini, per quam pax Orbis repararetur universi.

Ceterùm, quia, ab experto, dudùm vestra Sanctitate novi circa præsentem materiam rectam intentionem vestræ * propterea eidem significo Sanctitati, quòd cum Patre vestræ Sanctitatis sancto juvamen per quemcumque modum imaginari queam, pacis, Sponsæ vestræ tranquillitatem, illam apud quoscumque, modis tamen juridicis, aut aliàs rationabilibus, ad sanguinis usque effusionem possetenùs, favente Domino, prosequi non desistam; & si contrarium peragerem, crederem proculdubiò ædificare ad gehennam.

Præmissis ita consideratis, vestræ supplico pietati, quòd omnia mihi mandare dignemini quæ volueritis circa materiam hujusmodi me facturum, &, dante Deo, pro pace non desistam in commissis. Vestram Sanctitatem diù & feliciter conservare dignetur piissimus Jesus, in Ecclesia sua sancta, ut pacem suo in tempore videat sponsæ suæ dignæ. Amen.

Pater Beatissime, Regi obnixiùs, Dominisque Ducibus regalibus, tenetur Sanctitas vestra regratiari, bonam affectionem quam erga pacem Sanctæ Matris Eclesiæ unanimiter gerunt omnes piæ sponsæ vestræ, quam etsi, ab experto, noveritis; tandem autem per litteras novi Regis, & Dominorum præcipuè Ducum, tantùm inde facientes, quòd Orbis totus, vestræ piæ mentis agnoscat erga pauperem Ecclesiam sinceritatem, & pacis affectum, antequam emergat scandalum; ne dicatur, væ illis per quos scandalum venit. Dubito tamen propter peccata mea, quòd vix Ecclesia absque illo reparabitur, quod flens scribo, ab illo siquidem præservet nos Dominus.

Indignissima vestræ Sanctitatis creatura, in monte Sancti Leti residens.

* *Locus corruptus.*

Sequitur Responsio Papæ, sub Bulla, ad præfatas Litteras.

Ex iisdem MSS. Codd. Anno 1394. 4. *Kal. Oct.*

Dilecto Filio Magistro

JOANNI DE VARENNIS,

Capellano nostro.

BEnedictus Episcopus, Servus servorum Dei. Dilecto Filio Magistro Joanni de Varennis, Salutem & Apostolicam benedictionem. Litteras Charissimi in Christo Filii nostri Caroli Regis Francorum Illustris, tuas nobis directas inclusas habentes recepimus: quæ tuæ, te cordialem de nostra ad Summi Pontificatûs apicem promotione, lætitiam, spemque de secutura proinde unione Ecclesiastica concepisse; sincerum etiam ad nos devotionis & dilectionis filialis affectum gerere, nobis luculentiùs indicaverunt: A de quibus gratiarum tibi persolvimus actiones, zelum quem ad unionem prætactam habere te perpendimus, in Domino commendantes. Ut autem, super contentis in litteris tuis, rei veritatem, & nostram intentionem agnoscas; noverit tua discretio, quòd tanti molem honoris, nobis Deo & conscientia, ac omnibus qui in facto electionis adfuerunt testibus, nobis injunctam invitis ad hoc solùm suscipere consensimus, ut unionis prædictæ negotium per nos in tot Regnis & populis, ac cum tot laboribus & sollicitudinibus anteà prosecutum, per ulterioris diligentiæ nostræ studium, optatum celeriùs sortiretur effectum: & à certo, tantò pacem & unionem Ecclesiæ appetimus nunc ardentiùs & viscerosiùs, quantò susceptum per nos, licèt invitos, & indignos ipsius Ecclesiæ regimen, ad ejusdem procuranda commoda, submovendaque, possetenùs, scandala perampliùs nos astringit; quam pacem & unionem, omnibus possibilibus nobis viis, & modis prosequi, ceteris omissis, intendimus, ac sine moræ dispendio, toto conanime B procurare. Pro quo negotio jam ad præfatum, ceterosque Reges & Principes Orthodoxos, Nuncios nostros misimus, viros utique litteratos, commendabiles, & solemnes, unionisque prædictæ fervidos, ni fallimur, zelatores, de mente nostra sufficienter instructos: ipsorum Regum & Principum, ad nostri præfati faciliorem & compendiosiorem executionem propositi juvamen, favorem, & consilium pro nobis, & Ecclesia petituros, præsertim Regis prædicti Franciæ, ceterorumque de gloriosa Domo sua Principum, quos, sicuti claræ memoriæ progenitores eorum hactenùs in similibus extiterunt, ad abstergendum à facie sponsæ Christi tam inhonestam maculam, esse scimus indubiè voluntarios, benivolos, & intentos, & per quorum directionem ac sollicitudinem oppositam principaliter, post Deum, confidimus, & speramus deinde negotium feliciter & celeriter consummari. Circa quæ, concedente Domino, tantùm & taliter faciemus, quòd totus mundus C nostram bonam, ac omni ambitione vacuam cognoscere poterit voluntatem, nec nobis quominùs dicta sequatur unio quidquam, per Dei gratiam, poterit imputari. Ad hoc autem quod scribis Electionis accelerationem minùs gratam fuisse Regi prædicto. Profectò, Fili, Venerabiles Fratres nostri, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, inter quos & de quorum numero tunc eramus, deductis in medium & discussis prolixiùs, ac maturiùs ponderatis rationibus, quæ pro parte utraque facere videbantur, in facto Electionis modos & ordinem tenuerunt, quos, secundùm Deum, ad bonum & utilitatem Ecclesiæ, facilioremque & tutiorem extirpationem schismatis crediderunt potiùs expedire: confidentes etiam, & ita fieri placitum Regi fore. Quæ discretioni tuæ sic scribenda ducimus, ut memorato Regi super petitis per ipsum, consultiùs valeas respondere. Discretionem eamdem caritativè rogantes, ac paternaliter exhor- D tantes quantominùs Regis etiam, piis & sedulis præcibus, implores clementiam, ut Ecclesiæ suæ tandem ignoscat, ipsamque regens pacificare & adjuvare dignetur. Statum autem & successus tuos, utinam semper secundùm utrumque hominem prosperos & felices, nobis per crebras litteras tuas gaudebimus intimari. Datum Avenioni IV. Kal. Novembris. Pontificatus nostri Anno primo.

G. Parmeti.

SANCTIS-

SANCTISSIMO

In Christo Patri Domino

BENEDICTO,

Sanctæ Sedis Romanæ

ALMO PONTIFICI.

Ex iisdem MSS. Codd.

PATER Beatissime, & Domine noster à Deo Benedicte. Devotissima post pedum oscula beatorum, in Christo Jesu præmissa semper recommendatione. Per Priorem Ignacii harum gestorem, quamdam modicam litterulam pacem Ecclesiæ continentem Vestræ dirigo Beatitudini: & quia magni dignoscitur esse ponderis, vestra pensata Ecclesiastica majestate, hac simpliciter de causa, ipsum veluti mihi fidelem nuntium earundem eligere decrevi: cum propterea, si liceat, vestra magnificentia credere, mei ex parte, dignetur in dicendis.

Verùm PATER SANCTE, quia per litterulam memoratam, aut penes nunc ad votum mentis non possum explicare conceptum; vestræ pro tanto, per viscera misericordiæ Jesu Christi, supplico clementiæ, quòd illum mihi transmittere benivolè curetis Deum timentem, in quo, cœlesti in hujusmodi materia, post Deum, cœtumque Dominorum magis confiditis, cum quo fari visceriosiùs gestiam, tanquam cum vestra in peramantissima sinceritate, & per illum viam talem quam sub cœlo viventi nusquam detegi, eidem vestræ dirigam excellentiæ, quòd ipsam veluti habitationis gloriæ suæ reor rationi consonam recusare quovis modo, ad decoremque domus suæ non valebit, & locum habitationis gloriæ suæ, cum reparatione dedecoris proh dolor! nuper jam elapsi, & interim apud Dominum Franciæ, posse tenùs, Domino concedente, laborare contendam, quòd omnis via cesset facti. Obsecro itaque, PATER SANCTE, quòd hunc non contemnatis pusillum; sed post harum infra quindecim dies, vel citiùs, si placet, receptionem litterarum, animæ suæ celeriter complere dignemini desiderium: cùm Spiritus sancti gratia tarda nescit molimina, & magnum, ut arbitror, orthodoxis cunctis exhibebitis suffragium, si viæ illi Deo, ut æstimo, gratæ, acquiescere velitis.

Securè enim, PATER SANCTE, in servulo vestro in præmissis, & in quibusvis aliis, Vestra confidere non formidet Beatitudo, cùm bifaciem novi nusquam, sed quidquid memoror non celandum, palam ad Dei laudem nuntiare mundo non erubesco. Verum autem nullus duplex, dolo malo, omni profectò evacuatur iniquitate.

Litterula verò præfata, quam ut prælibavi, Vestræ dirigo Beatitudini, viam prætendit sæpè fatam, per me tandem, Christo primo, adinventam; & idcircò animum vestrum, si eidem molesta sit, ipsa non exasperet: immò ante vobis * quod illam vivens nunquam legit, nisi quidam fidus hic mihi * mutatus qui hîc post manum meam eam scripsit, quam rescribere minùs glosatam fas mihi non fuit, quæso non attendatis corticem, sed mentem, teste Deo, sanctæ Sedis vobis necnon sinceram zelo, utinam Fide non semiplenam.

Pacem, vestro in tempore, cœlo tenùs vobis triumphante, Dei Genitrice suffragante, prout'die, noctuque suppliciter exoro, breviter in Ecclesia vos feliciter videre, piissimus Jesus concedere dignetur, ad laudem & gloriam nominis sui. Amen.

Sanctitas Vestra licentiam mihi dignetur impertiri, adversario vestro quæ mihi videbuntur scribendi: & cùm sibi litteras per aliquem Regum transmisero, si possim cursorem harum, Vestræ mox copiam dirigam Beatitudini. Jam autem dudùm post vestram, de qua sæpè, indulgentiam, effectum mancipassem; sed vix formam reperire gestio, cùm intra & extra, secundùm Deum, eidem injuriari nolens, intitulandi.

Vestræ Sanctitatis servulus humilis,
pauper peccator Sancti Leti.

Ave Pater / Omnipotens { JESU CHRISTE / MARIA } & Beatissime / Spiritus.

BEATISSIMO PATRI

DOMIMO

BENEDICTO,

Sanctæ Romanæ Ecclesiæ

ALMO PONTIFICI.

EJusdem Beatitudinis pauper catulus, non leonis, sed vermiculi potiùs, habitans nunc in abditis sancti Leti, omnem subjectionem, post pedum oscula beatorum, pacem & lætitiam sempiternam. Tuas dudùm, PATER SANCTE, Bullas recepi devotissimas, inutilis cujusdam litterulæ meæ responsivas, in quibus tua sincera canebatur affectio, quam ad pacem geris Ecclesiæ, terrestris Jerusalem, sponsæ tuæ: subjungens quòd in Apostolatu, hac solùm de causa, præbuisti consensum, ut ardentiùs per te pax eadem, celeriùsque sortiretur effectum; nonnulla alia gratiosa continentes, de quibus, omnium retributor, tuæ sit Majestati condigna merces.

Has autem, PATER SANCTE, circa primordium tuæ in Apostolatu assumptionis, mihi direxisti: sed multipharia tandem præmissis fere, proh dolor, plerisque asserentibus, contraria extiterunt innovata, quibus vix adhibere fidem valeo, sollicitudinibus attentis, quas in tot Regnis, sudoribusque variis viscerosiùs antea, pro eadem pace subegisti, de quibus, præfatis attentis, non sinerer, si vera forent, prænimiùm admirari.

Quis enim sanæ mentis arbitrari præsumeret Orbis lumen, & Christum Dominum velle dejerare: quæ etenim ab hiis impingitur, scilicet juramento te in introitu Conclavis spospondisse, quòd si eligereris, Papatui renuntiares, dùm opus foret, pro via pacis coleriori, si pars ad hoc Dominorum sanior assensum præberet Cardinalium.

Si hoc denique veritate falciatur, te, & Dominos reor memoratos, apud dictum Orbem quòd universim de tam celebri Ecclesiæ provisione, a cunctis Christicolis meritò extollendos, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret.

Si autem pars Dominorum illa major, assensum tandem præbuerit, Ducibus instantibus tribus, Bituriensis & Burgundiæ, avunculis, Aurelianique Francorum Germano Regis tam inclinatis. Ubi verò tunc fuit Summus Pontifex, verus Papa, sal terræ, veritatisque assertor, qui opus Deo tam amabile, nec non toti mundo, executioni demandare renuerit. *Si sal* namque tunc *evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum* va-

* * *Loci corrupti.*

Digitized by Google

valet ultra, Christo vociferante, *nisi ut mittatur foras*, & *conculcetur ab hominibus*. Matth. v. 13. Si enim quod absit, illa quæ processerunt ex labiis tuis facias irrita, cui in posterum credetur? Debet nempe obmutescere veritas, in tanta temporis egestate.

Ubi autem nunc dormitat Christianorum Dux, plebis Pastor, & gentium cunctarum Doctor; turpe numquid tanto foret Doctori, si culpa redargueret ipsum? At verò turpior numquid est pars, quæ suo non congruit universo?

Ceterùm, ubi nunc adest via Justitiæ, virga potentum, Fidei deffensor, malleumque tyrannorum, qui de cetero reprimere insidias audeat calumnantium, cujus tamen vultus debet esse super facientes mala. Si ergo Sacerdos qui est unctus peccaverit, numquid faciet delinquere populum? Quod verò à Superioribus agitur, faciliter hodie trahitur à subditis in exemplum: per hos siquidem, modernis in diebus, a via erramus veritatis, & lumen Justitiæ non illuxit nobis, sed ad viam laxati sumus iniquitatis.

Numquid enim tempus adesset quòd tutor pupillorum, refugium oppressorum, viduarum Judex, & pauperum Advocatus, suæ nunc desolatus indulget Ecclesiæ, tantarumque obviaret periculo animarum, super quo pauci, aut veriùs nulli ex Clero elaborare contendunt. O pietatis exemplar, & sanctimoniæ speculum! Quis enim super unionem gregis dominici, supposito quòd juramento non firmasses, in hoc tam pestifero schismatis devio vacare debet, nisi tu qui solus altissimus esse debes super omnem terram? Obsecro nulli credas in oppositum, cùm mali mala deaurando tegunt crebriùs simulando virtutes.

Rememoror enim tuæ dudùm scripsisse Beatitudini, quòd causa præsens sopiri vix posset absque scandalo gravi; & si illud in januis jam vidisti; crede aliàs Mariæ veraci, potius quàm peccatorum turbæ fallaci. Si autem in proximo majus tibi contingat, & Ecclesiæ Dei; nisi aliter Justitiam, de te ipso opereris, fidem per præsentes adhibe non Philosopho, sed pauperi peccatori, & recordare quid tuo, ante ejus obitum, ferè per sex septimanas, scripserim prædecessori, & si copiam habueris, & cursor Apostolicus testificetur, quem mihi ob hoc transmisisti.

Stude itaque, Pater Beatissime, per sancta Opera, pompa quavis à Petri Sede relegata, & humilitate non semota, placare Regem summum, & non pascere * verbis Regem sibi subditum, votisque Ecclesiam strangulatibus. Egredietur enim splendor justus è cœlo, per concessionem Principibus decimarum Ecclesiæ obnoxiam, aut per nominationem personarum ad certa Beneficia eisdem factam, pro beneficiandis eorum famulis famulabusque, ad pacis non modicam prorogationem; sive per concessionem Prælatis de certis eorum Beneficiis ad votum ipsorum conferendis imperfectum, ut canes impudici efficiantur os in ore habentes, pro pace non valentes Ecclesiæ latrare, ad schismatis totalem radicationem. Estimo profectò quòd non: quidquid enim tibi ab Ecclesiæ æmulis consulatur, legi nusquam, raudem & dolum cuiquam patrocinari: hii verò solam sensualitatis assequuntur imaginem, non autem rationis appetunt veritatem.

Arbitrentur etenim Matrem interimi nostram, talium pretextu munerum, & per promotiones ad Præsulatus, fama crebrescente, indignorum denuò Principum ad instantiam factas, in peccatis nostris prolixiùs permanere, velut adulteram continuò & repudiatam. Sed advertat piissimus ejus sponsus, nè per hoc diutiùs ab hiis pseudo cœcis sic flagelletur, quæ sua sunt quærentibus, non quæ Jesu Christi.

* *Locus corruptus.*

Opinionem quampiam nusquam in hac materia formaliter eligere decrevi, licèt autem à nonnullis requisitus plerumque exiterim, & ratio est, quia illam remitto summo Regi, cujus causa in patulo agitur. Exilem etiam fructum afferret electio mea in hac tam grandi materia cœlica. Verumtamen, si scirem quòd in aliquo posset prodesse, illam, pro vivente, non pertimescerem eligere, etiam usque ad necem inclusivè, quia arbitror congruentius mihi fore mori in bello eligere, quàm languens mala videre gentis nostræ & sanctorum.

A Rememorare itaque, Pater piissime, in scrinio pectoris tui, omni procul pulsa affectione carnali, si via illa cessionis per te jam dudùm electa, Regemque memoratum, & alios nonnullos, quos zelum habere estimo Religionis Orthodoxæ, tui fortè ad instantiam, amplexata, sit apud Deum brevior & efficacior, & sic tua, quæso, arbitretur charitas, an pro bono pacis per te absque mora, sanâ conscientiâ, debeat eligi: si enim animarum dispendium sit in mora, etiam unius horulæ, aut momenti, judicet Dominus, qui hîc quotidiè, & in partibus schismaticis, hîc propè populum suum, plaga crudeli, peccatis nostris exigentibus, flagellat mortalitatis, & totum perpetrare, * sceleribus nostris crebrescentibus, hoc Domino non verentur soli homines in universo Orbe qui, prout nec hæsito, horum rationem in districto reddent examine.

B O utinam tanta carnalis non foret dulcedo in hac gloriosa Petri Sede, quam pars sanior prædecessorum tuorum solùm optarunt, ut palmam felicem martyrii valerent obtinere! Illam siquidem hodie, prout longâ didicisti experientiâ, quilibet exoptat, ut præ ceteris pompâ eminentior censeatur, suos verò exaltet, & alienos deprimere non vereatur. O Deus unigenite, quamdiù hoc tolerabilis! Utinam pedes illius beatos nostro osculari mererer in tempore, qui velut in terra unicus Christi Vicarius pompam omnem in Petri Sede evellat, Christi humilitatem sectando, viros provectos exaltet, utroque homine factos indignos repellendo! O piissime Christe Jesu, cœlos nunc disrumpe, nec ultra moreris, & illum breviter nobis cœlitus transmitte, per quem Ecclesiam tuam ultra modum schismate in præsenti laceratam, reconciliare & pacificare digneris! Amen.

Et si ita velociter non fiat, prout die, noctùque, apud ipsum incessanter, piissimam ejus nec non Genitricem, balbutire non cesso; sceleribus meis gravissimis ascribere non verebor. Quidquid enim profectò patimur, peccata nostra hoc meruere. C

Præpares denique adversario tuo nunc ignominiam, cùm tempus adest, & improperium, ad omnem viam licitam te subjiciens, cum nulli, de præsenti, se subjicere velit, prout per copiam ejus novi Litterarum, quas Regi nuper direxit Romanorum.

O quam Benedictus a toto populo exclamari dignus fores, si per te pacem in Ecclesia Dei Sancta consequi mereremur, etiam adversario tuo resiliente præfato. Estimo proculdubiò quòd gloriosiùs tibi esset, etiamsi viam cessionis eligeres, quàm si in Papatu unicus, per discursum vitæ tuæ, triumphum residendo pacificè obtineres.

Jube ergo Domine quòd fiat lux, & facta utique mox erit lux. In te Domine pendent Leges & Prophetæ. Præpara te ad viam per te dudùm electam, D & omnis populus adversarium tuum contabescet, cujus via in cœlo & in terra, colubri ad instar tortuosi, proculdubiò sine mora, in ictu oculi, tuba novissima canente, nec reperietur. Esset ipse indignus vivere, si pacem Ecclesiæ, commune tantùm cunctis bonum, te instante, recusaret.

Cun-

* *Locus corruptus.*

Digitized by Google

Cunctis enim Christicolis talem, pro homine mortali, in monticulo meo, non expavescerem, pacem Ecclesiæ impedientem, Antichristum sathanæ altissonè dogmatizare, hominem perditum, & Fidei negatorem, & ab ejus meritò obedientia recedendum. Et si ambo in mora, quod à cordibus absit fidelium, concordes existeretis; quid enim nisi opus zabuli in Fide nostra foret existimandum? Quis verò in hoc casu adeò enormi provideret, nisi solus Altissimus? A Aut, ipso permittente, via facti. Per similem quoque casum, schisma radicatum est, Latinorum atque Græcorum; & Imperium scissum est Romanorum: patientiam enim, in hoc casu, Spiritu sancto stimulante, profectò nescirem habere, quin gladium verbi Dei in guttur cujuspiam præsumerem immergere, & usque ad sanguinis effusionem vocem meam extollere.

O quale foret scandalum, si Ecclesia sancta Romana rursùs in duo partiretur Regna! quid enim aliud esset, nisi utriusque dissipatio; Christo proclamante quòd *Regnum in seipsum divisum desolabitur*. Luc. XI. 17. Rediculosum, à cetero, nimis esset, si ambo, infelici hoc, quod absit, idiomate uteremini: Transeamus tempus nostrum, satis habemus quibus pro statu nostro; sapias tu in Obedientia tua, & ego in mea. O quàm tale linguagium à cunctis Orthodoxis foret extirpandum, etiam gladio materiali, ad illud siquidem prorsùs evellendum. Cunctis auderem benè Christicolis consulere, quòd qui non haberet gladium, tunicam suam venundaret, pro illo emendo, aut pallium.

Quis enim esset filius diaboli, qui tantum bonum præsumeret impedire, simpliciter verè imaginari? Profectò illum æstimare nescirem Christianum; sed hæretico deteriorem, Judæo, aut pagano, etiamsi toto tempore vitæ suæ panem ostitatim deberet mendicare.

Crudeliorem enim plagam schismate Deus in Orbem terrarum non potest transmittere. Testis sit ipse, si omni die experiar in pauperes, audiendo oves errabundas, in limitibus existens utriusque plagæ, quæ velut dispersæ, * quo non gestientes dimittere, juxta illud Propheticum: vulnerato nempe capite, curandis omnibus quis cohibebit medicinam? Et si languor in capite curatus non fuerit, totum corpus morbus invadet.

Ad hanc ergo pacis viam eligendam, Pater sanctissime, non te terreat honor mundanus, aut aliàs C momentaneum dedecus, si jam in primordio eam non quesisti, aut acceptare illam renuisti; verbum Christi humilis Magistri tui præ oculis rememorans, dicentis: quòd majus est in cælo gaudium, super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super Christicolis justis pœnitentiâ non egentibus.

O quale gaudium, Angele Dei Benedicte, in cœlo & in terra, Angelis pariter & hominibus nuntiares, si solum verbum illud cum effectu proferres angelicum. *In terra pax* sit *hominibus bona voluntatis*. Luc. II. 14. Quis enim in Ecclesiastica hyerarchia verus profitetur Angelus pacis supremus, nisi Pontifex Summus, propter bonam ejus pacis, mundo quam facere debet nuntiationem, in lætitia; propter Angelicam ejus puritatem, in exemplari vita; & propter ejus felicitatem, in dominici gregis unione atque custodia? Etsi quid horum in eo, aut alterum desit, Angelus num- D quid non meretur dici pacis, sed zizaniæ seminator, & Orbis totius conturbator. Talem denique videntes Angeli pacis flent in cœlo, & dissipatæ sunt viæ illius, cessat enim transiens per semitam rectam, & irritum factum est pactum ejus.

O Gloriose Papa Benedicte, nostro quomodò in tempore effici digneris Angelus pacis, & columba lætabunda, quæ ad Archam Domini ramum ferens olivæ, virentibus foliis, pacem nuntiant Patriarchæ summo Noé, caput Ecclesiæ Typicanti! Quis verò, si tam celebre opus compleas, nomen tuum in cœlo, & in terra gloriosum, merebitur extollere? Profectò illud recipere vix poterit totus Orbis; si de te ipso concinant Angeli pacis in terra bonæ voluntatis id, quod in laudem prorumpit de Christo sacra Scriptura, cujus Vicarius es: se ipsum dedit nobis tot modis, quòd non solùm Charitas, sed quodammodò transgressio, & prodigalitas nuncupatur.

O quàm beatissima fuit ipsius nostri Salvatoris, summa illa memorata prodigalitas, per quam suo inimicos proprios servos indignos, pretioso sanguine, morte ab æterna liberavit. Sed ô quàm benedicta tua ferè similis liberalitas esset, & apud te prodigalitas, si filios tuos à dæmonio in terra nunc errante eriperes meridiano.

Esto similis, obsecro nunc, leoni in operibus suis, ut de te illud alta voce concinam Propheticum. Psal. XLV. 9. *Venite & videte opera Domini* Benedicti *quæ posuit prodigia super terram*, aufferens bella usque ad finem terræ, arcum conterens & confringens arma, scutaque comburens igni, quæ omnia pacis laudabilia sunt signa.

Et numquid meritò illud quod sequitur gloriosè poteris dicere, *Vacate & videte cùm ego sum Deus*, scilicet in terra; quia pacem universo annuntiavi B mundo, propptereà exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Et si Pater à Deo Benedicte, in medium pacis æmuli deducere non erubescant quòd nunquam via illa cessionis à sæculo legitur electa, numquid pro tanto, si illam nunc primus adipisci merearis, major erit tibi gloria? Estimo proculdubiò quòd sic: quin immò præ ceteris cum jocunditate propptereà à populo Dei obnoxius exclamaberis: Ecce plusquam Othoniël, hic qui populum Israëliticum à Regis Syriæ captivitate, & Mesopotamiæ liberavit: & tu illum nunc liberabis à principe hujus mundi catenis non vinctum, qui per te ejicietur foras.

Judith quoque numquid laudatur, ex eo quòd pro salute populi periculis se exposuit; & gratiâ Dei periculis illis te non expones, cùm præ omnibus Benedictus dicaris? Illum quippe habens statum, quem eligere estimabis, quinimmò Domino posses reeligi suffragante, & tandem in pace, velut Angelus pacis, sæculum, dante Domino, reformare molieris.

Memorare, Pater Sanctissime, quomodò dilectissima sponsa, & Mater tua, vociferat nunc gemens apud te fili, inquiensque, dilecte sponse mi, modò non obliviscaris mei, sicuti nec sum diebus in tuis oblita tui, te enim in pace regali genui progenie, maternum tibi præbens gremium. In scientia te erudivi, & in honoribus, præ ceteris consortibus tuis, te exaltavi; Magister nempe cupio effici, ut alios filios legitimos valeam procreare; sed mihi fas non est, te obstante, quia mihi non auxiliaris in præsenti hec necessitate. Nunc siquidem in compedibus vinculata existo, manicisque ferreis per adversarium tuum, nec minùs meum, carceribus mancipata, qui me die, noctuque virginem deflorare molitur. Solebam quippe præ filiis hominum esse speciosa; nunc verò pallescit jejunio facies mea, victualibus interdictis, & sic vernans in facie decor meus, natura sucumbente, marcescit. Benè versa per vos ambos, est in luctum cythara mea, & organum meum in vocem fletuum, & non est qui commoveatur super contritione mea.

Ego quidem sum illustrissima olim Mater tua; quæ Magistra solebam esse Orationum, modò facta per vos spelunca latronum, & * imitato exteriorum, ca-

* Locus corruptus.

* Locus corruptus. *Forte*, invocatio.

Digitized by Google

cathenis carceralibus circumdata, in opprobriumque data cunctis Gentibus. Miserere igitur mei Fili mi, cùm ferrum pertransivit animam meam, dolore tabescam. Hodie effeminati mihi dominantur, & concupiscientia garrula in solio meo sedet; primipipilarii mei, fili mi, terga mihi verterunt: a quibus enim egressa est pollutio super omnem terram, unde navicula mea fluctibus ferè periclitatur, Archiflamines mei ægroti hodie Medicos se jactant, mortui alios resuscitant, claudi præduces sunt & præcursores, in Optimatibus meis sola remansit magistra, pro me non magientes, sed adversùs me sua erigentes cornua, via in Bethsannis nec minus gradientes regia; animarum quoque rectores, sensu pueri atque ætate, præ aliis imbecilles, Magistri sunt seniorum: unde in eis vitæ exempla deficiunt, & idcircò subditi mei miserabiliter corruunt, * & horum denique unum. Duo homines soli post peccata populi sunt in causa: Judicium nihilominùs durissimum fiet hiis qui sic præsumunt.

Si quid igitur in te solatium sit Charitatis, si quis respectus ad Christum, si quæ viscera miserationis, si quæ verò memoria Judiciorum Dei, formose sponse mi; tuus apud me sponsam tuam excitetur affectus, pariter & effectus; adjuva me, fili mi, & salva ero, ut diutiùs omnis populus Christianus doloribus & fletu intabescat: aspice in me & miserere mei, cùm non est dolor similis dolori meo, ne de manu tua sanguis innocens requiratur.

Per quemcumque autem modum, sponse mi amantissime, procura mihi pacem, & recordare quomodò in omni dignitate nihil censetur dignius, quàm pro pace mea, honoris abjectio & contemptus; alta nimirùm sapere, mors est; facilè quoque periclitatur, qui se in eminenti considerans obstupescit. Libido namque dominandi malis magnis probos agitat, & totum solita est conteri genus humanum.

Pater igitur Beatissime, in hac siquidem materia, laude omni extollenda, disciplinam audi Matris tuæ, velociter & exaudi, illorum pseudo non acquiesces consilio, qui Ecclesiam Dei palpant, eidem dicentes: euge, euge, cornua addentes peccatori. Isti verò sunt qui in hypocrisi eam salutant, in labiis habentes osculum, jaculum occulta in corde detractione simulatam zelantes sinceritatem, ut mundanam ambiant gloriam. Res enim magni discimus, est impietatem, sub pietatis obumbraculo, & Antichristum sub Christi vestibus occultare.

Illorum quippè sanè acquiescas crebriùs consilio, quibus in ore eorum non sit mendacium, ac verbum Domini non sit alligatum, nec in eis timor humanus Spiritum obruat libertatis; fideles quippè sunt servi illi, qui dissimulare injuriam Christi recusantes, & opprobrium Petri, incidere potiùs cupiunt in manus hominum, quàm delinquere in Legem Domini. Assume apud temetipsum hominem talem in Consiliarium, qui Spiritum Dei habeat in semetipso, & statum tuum felix Deo gratus pones super eum.

O quàm absurdum est, Pater Sanctissime, quòd pro duorum lite, tota Christianitas adeò ruat, & in tenebris sic ambulet, quæ nimio, proh dolor tempore, cæca a cæcis conducta sic peregrinavit. Totis ergo pro viribus vias exquirere non tepescas exuberes pacis & unitatis, unde si electa sit brevior, illam mente sincera amplectere facto, & non verbo; ut totus mundus agnoscat piæ mentis tuæ erga pacem sincerum affectum.

Perniciosum quoque est quòd scandalum ambo expectetis totius Christianitatis, quod non longè est à vobis, nisi aliter in vobis provideatis: debetis enim arbitrari quòd diù sic Ecclesiam suam propter duos homines Christus derelinquit, quam pretioso ita carè suo redemit cruore, cum totidem animarum quotidie pereuntium discrimine: reor etenim quòd sic eam diù pollui non patietur ab indignis.

Ex ore ejus una dierum procedet gladius bis acutus, cujus extreminium obsecro devitare ambo curetis, cujusque furorem pertimescere non immeritò etiam ambo debetis, ex eo quòd corpus & animam perdere potest in gehennam.

Sed rursùs Regum terræ furorem, unà cum præfato expavesce, & si non propter te, saltem propter Ecclesiam tibi commissam, ne manibus in tuis, culpâ tuâ, pereat, quorum iram in cordibus eorum, diebus à non paucis jam sentio accensam: & cùm scandalum Ecclesiæ toti peregerint; quis illud reparare sciet aut conabitur? Melius quippè foret ante tempus occurrere, quàm post tantum vulnus remedium explorare

Et si scandalum per te, quod absit, tantum oriatur; quis linguas illorum refrenabit, contra te susurrantium palam, & dicentium: utinam natus non fuisset homo ille. Audi quam pœnam Dominus illi infert pusillum suum scandalisanti, contra quem Lege sua sanxit, *Matth.* XVIII. 6. 7. 8. 9. quòd in illius collo mola suspendatur asinaria, & in profundum maris demergatur. Et si aliàs necesse sit quòd veniant scandala, verumtamen, *væ homini illi per quem. Si autem manus tua*, hoc est honoris & divitiarum appetitus; *aut pes tuus*, idest consiliarii tui nequam *scandalisant te*, obsecro *abscinde* illos *& projice abs te*: *melius* siquidem *est tibi ad vitam ingredi debilem*, *vel claudum*, absque illis, *quàm* cum hiis *mitti in ignem æternum.* Et si tanta inferatur à Domino pœna, unum duntaxat pusillum scandalisanti, quid ergo fiet de te, se per te mundus sic scandalisetur universus?

Causa nempè efficieris scandali, & peccati illorum adversùs te susurrantium. Scelus numquid grande est Patri maledictionem imprecari? qui enim *Patri maledicit*, *lumen extinguetur ejus in mediis tenebris.* Prov. XX. 20. Pater namque es Patrum, filios ergo tuos cessare facias, à sui tam enormi Patris maledictione, ne Pater cum filiis maledictionem, quod absit, consequatur æternam. Adimple igitur pii Patris officium, ut vulneribus nunc curandis peccatorum non adjungas dominandi libidinem; sed prorsùs adhibeas resignandi, si pro pace congruum sit, medicinam; ne tibi à Deo Pastori suo dicatur. *Væ qui dispergit*, *& sic dilacerat gregem pascuæ meæ.* Jerem. XXIII. 1.

Ut autem scandalum Ecclesiæ toti formidandum cessaret, Primus Clemens Sanctissimus Papatui numquid renuntiavit, ne ejus occasione Romani Pontifices posteri, alium sui loco substituerent. O quàm floridam ergo toti exhiberes Christianitati gratiam non modicam, si cùm aliàs pacem obtinere non valeamus, Præsulatui renuntiares, cùm via illa, secundùm te jam dudùm electa, efficacior censeatur, ut scandalum Ecclesiæ tantum cessaret, quod in mente mea, formido, à Deo, Regibusque ipsius ministris, super Ecclesiam Universalem breviter emergere, nisi aliter nostri sui misereatur pietate. Scandala quippe hic insererem; sed dubitans ne ad alias præsens litterula manus deveniat, illa omitto, etiam nolens instruere Minervam.

Esto igitur tui ipsius, Pater Sanctissime, Judex, & Medicus, qui solum Deum habes ultorem, impia facta tua, si quæ sint ulciscentem, ne contra Jura Apostolica tibi breviter in facie dicatur. *Cur ita facis?* & ne aliàs pro tam celebri bono pacis, invitus renuntiare cogaris: *Hilarem etenim datorem diligit Deus.* 2. Cor. IX. 7. Absurdum ergo est quòd filii Matrem, negligentiæ prætextu, ac iniquitatis cunctorum conspiant, quæ pro nullius olim reminiscitur persona fuisse correpta.

* Locus corruptus.

correpta. Absit autem quòd per tam genorosam personam, moribus & scientia flagrantem, temeritate crescente, Universalis Ecclesiæ confusio nascatur : & si ultra per te † quàm sit humilietur; ad cujus demùm confugiemus auxilium, & ubi relinquemus gloriam nostram?

Licèt autem, Pater Sanctissime, ut me luce clariùs nosti, Princeps Legibus sit solutus, nihilominùs tamen, secundùm Leges vivere debet. Quis ergo eum ab illo pro tanto sacro eximet| Canone Ecclesiæ unionem zelante, formaliter sic inquiente : facientes in Sancta Dei Ecclesia * sanctissimas non solùm exiliis, sed etiam proscriptione rerum, & dira A custodia, per publicas debent potestates coherceri. Non puto Majestati divinæ, nec Evangelicæ congruere disciplinæ, ut pudor & honor Ecclesiæ, tam turpe diù & infami contagione fœdetur.

Si autem tam diù, quod absit, Pater Sanctissime, in opinione hujusmodi adeò dura Universali Ecclesiæ Dei velles persistere, pro singulari tibi nunc consulerem suffragio, quòd ad fontem gratiæ recurreres, & ad misericordiam summi Regis, sine quo in ejus navicula diù non vales præsidere : & audivi nusquam quòd hoc peregeris. Ridiculum ergo grandè estimo, in navi quempiam velle dominari, ejus dissentiente patrono.

Ubi enim sunt Processiones quas pro pace almæ sponsæ tuæ per Orbem ad hoc fieri mandaveris? B Ubi namquè sunt Indulgentiæ quas populo ex Ecclesiæ thesauro, quem in hac præsenti necessitate abundanter aperire debes, ad hoc elargitus sis? Ubi verò sunt Orationes Ecclesiæ, fusæ lachrimæ, Missæ, cæteraque ad Deum placandum suffragia, quæ ad hoc fieri in universo Orbe ordinaveris? Legatos nempe tuos apud viros inclytos, Deum timentes, ipsum placare valentes, audivi nunquàm ad hoc quòd miseris; sed pro pecuniis illecebrosis, benè diversa subsidia postulando, decimas & medias decimas super Clerum, Principibus ferè invitis, concedendo. Utinam Pharao hodie revivisceret, sub cujus tyrannico, pro certo, licèt Dominio, Clerus majori potiebatur libertate, & si * * nullæ horum prætextu censuram vilipendentes Ecclesiasticam, in Regno Franciæ celebrent excommunicati : audiat clamorem eorum Dominus, C quos eximia novit egestate prægravari; eos verumtamen non excuso mulcta dignos corporali, sed eorum rectores accusare coram Judice summo non erubescerem, si dignus forem exaudiri. Cæci quoque sunt & principes cæcorum. Arbitraris enim quòd per aurum & argentum, in quorum defectu decoratus est Princeps Apostolorum, cujus vices geris, pacem consequi valeamus : si sic, non ambigo quòd ultra justi medium pretii, tempore certo, deceptum te exclamabis. Ubi autem Christus lapis angularis stabile non est fundamentum, nullum profectò diù permanere potest edificium.

Placandum denique primùm reor Regem Altissimum, si pacem ab eo qui solus eam dare potest consequi peroptemus, pro superbiis nostris, pompisque illecebrosis contra Ecclesiam suam non mediocriter furore accensum. Sed audi quid Propheta, Dei nomine, tempore pronuntiavit pro præsenti, & si a planta pedis usque ad verticem non sit in te sa- D nitas, Ecclesiæ suæ, proh dolor, inquientis, quomodò tui miserebor? Ubi enim sunt filii Ecclesiæ, qui à Deo pro ea misericordiam poposcant: pro certo illos ignoro, cùm ferè omnes conversi sunt retrorsùm, de ejus sanctitate non curantes, opera potiùs scelerata in ea committentes, venalia, carnalia que nimis planctu digna, atque luctu, gloriam suam quæritantes humanam : & idcircò de die in diem magis semper ejus multiplicatur ignominia : & si conniventibus oculis sub dissimulatione, transiens, hoc non corripias; quis Consistorii tui Advocatus in die te retributionis excusabit?

Ad Thronum ergo gratiæ, P. S. recurrere non tepescas, ut gratiam nomine sponsæ tuæ consequi merearis, cùm ultra eam, vana absque dubio est salus hominis: & si dicas quàm durus est stolidi hujusmodi sermo, quis poterit eum audire? Respondeo quòd tu, si Deum diligas, atque timeas. Si enim in Rege quocumque plusquam in eo speres, procul dubiò hesito, ne tibi dicat illud Propheticum, *Ecce ego sepiam vias tuas spinis*, Ozee. II. 6. & eas muniam lapidibus quadris. Per quod foramen igitur transire cupis, cùm Dominus existat cœli, terræ, atque maris? Memento quòd tu factura ejus es, pulvis & terra, & quòd in cinerem breviter, nisi ejus crebriùs acquiescas consilio, reverteris, cum ignominia personali irreparabili, cum totalis famæ tuæ, nec non generis tui scandalo, & non mediocri Ecclesiæ Universalis sanctæ Dei.

In cor autem tuæ propter præfata quæso non descendat sinceritatis, quòd tuam optem almam quovis mòdo non præsidentiam. Cùm illi juro, quem indignus hodie tractavi, & audacter tantam fidem adhibeas jurejurando incredulam, quòd vellem te in Petri Sede unicum hodie pacificè, ad Dei Laudem, & quo adjunxeris * præsidere, & quòd cras post Missam meam, in remissionem omnium scelerum meorum, tanti necnon boni pacis Ecclesiæ, spiculator vilissimus, subjectus crucis patibulum caput deberet mihi amputare, & si mentiar, in Regnum nusquam cœlorum merear introire.

Pater ergo Sanctissime, præsumptioni, obsecro, non abscribas, aut temeritati, sed Charitati potiùs & sponsæ tuæ fervidæ dilectioni, quòd vermis talis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis, adeò asperè apud pias aures Patris, & Domini sui altissonè, quòd velut insensatus, non formidet exclamare. Ex vi enim obnixus sum juramenti tam nefaria non dissimulare Sanctæ Sedi, cui dominia non ambigo * * praces patientia.

Nosti enim ut Legatus ante Apostolatum tuum, qua de causa hùc accessi, & si pro pace almæ sponsæ tuæ, Dominus hoc attestetur, qui testis est in cœlo fidelis. Unde propterea non erubesco voce altè adeò fari, aut membranas occupare : unde in hac tam cœlica materia estimo posse quidquam proficere, nec obmutescam, Domino concedente, vita comite, ex quo famam exposui jam ludibrio, fortunamque periculis, indeque opprobrium factus sum habundantibus, & despectio, pro ut in dubium non revoco, superbis; & utinam post hoc effici dignus mererer caput gladiis hostilibus primis, veluti exiguum munus, Domino præsentare, cùm nihil aliud habeam quod Summo valeam offerre Capiti Ecclesiæ.

Cùm autem de hac cœlica materia fari gestio, Pater Alme, aut de eadem quibusvis scribo; finem verbis, aut calamo vix frenum rememoror imponere.

Tua ergo Sanctitas in prolixa hac inutili scriptura, dolabro tamen Charitatis fabricata, habere me dignetur excusatum.

In patientiaque eam suscipe, & canticum præsens lætabundus servi tui fidelis, quamquam non prudentis obnixius exaudi, salutem animæ tuæ zelantis, nec minùs Reipublicæ; auribus tamen humanis fortassis minùs suave, veriùs, non tanquam meum, sed ejus qui misit me huc Patris, ad quod crebriùs advertere non

Hhh 2

† *Ut sit sensus, videtur legendum*; & si ultra quàm par sit, per te humilietur; * *Locus corruptus.* ** *Locus corruptus.*

* *Locus corruptus.* * * *Locus corruptus.*

Digitized by Google

non differas : cùm si scintillam hanc sermonis ejus non audieris, tonitrum magnitudinis ejus breviter non dubito, quòd vix poteris intueri ; & si illud silere, quod absit, dissimulando vellem, lapides non hesito contra me utique exclamarent.

Age nunc, Pater Beatissime, jubeque resonet vox tua toto terrarum in Orbe, in te enim ex toto, post Deum, pax resonat Ecclesiæ. Eia ergo lucem nobis emitte, & hiis illuminare qui in tenebris, & in umbra **A** mortis sedent, ut per te pedes dirigant suos in viam pacis ; quod tibi celeriter sic agere, piissimus Jesus, ad intercessionem almæ Genitricis suæ concedere dignetur, tandemque post hujus sæculi naufragia, ad gaudia te perducat æterna, ubi pax est perpetua, & perennis lætitia. Amen.

BEATISSIMO PATRI
DOMINO
BENEDICTO, **B**

Sancto Romanæ Ecclesiæ

SUMMO PASTORI.

PAter Beatissime, devotissima in Filio Virginis almæ, usque ad pedum oscula beatorum, præmissa semper recommendatione, per Priorem Ignaci, præsentium gestorem, scripto Vestræ dudùm supplicavi Sanctitati, quòd fidum aliquem mihi dignaremini transmittere, cui viam certam pro pace sanctæ Matris Ecclesiæ, sicuti est ; Vestræ Beatitudini possem aperire ; quæ suâ benignâ clementiâ, mihi rescribere dignata est, prout inferius harum in fine copia describitur. Unde lætatus sum in hiis quæ tunc scripta sunt mihi, quanquam eumdem nuntium meum plusquam optassem detinueritis, in expectando responsum : expectans enim, post datam Litterarum vestrarum, per 47. dies illum expectavi ; sed quia non intendit mihi, eumdem decrevi ampliùs non expectare. **C** Idcircò viam memoratam per eumdem Priorem, nuntium præfatum Vestræ dirigo Sanctitati, quam, juro Deo, superstiti nusquam revelavi, nisi soli ejusdem fido scriptori : & Vestra Beatitudo, mei ex parte, credere nuntio memorato dignetur in dicendis, quam unigenitus Dei, & Virginis percelsæ Filius in Ecclesia sua sancta feliciter conservare jubeat Amen.

Vestræ Sanctitatis servulus indignus,
incola minimus sancti Leti.

DILECTO FILIO
MAGISTRO
JOANNI DE VARENNIS **D**
Apostolici Palatii Causarum Auditori.

BEnedictus, &c. Dilecte Fili, Litteras tuæ devotionis per latorem præsentium nobis destinatas recepimus, & super tactis in eis, unum ex nostris fidum & secretum ad te infra duos, vel tres dies, ad tardiùs, transmittemus : cui fideliter loqui poteris & securè. Datum Avenonii 18. Novembris.

VIA
Pro pace Sanctæ Matris Ecclesiæ, de qua fit mentio in Litteris Apostolicis præcedentibus.

Ave Pater Omnipotens { JESU CHRISTE | MARIA | } & Beatissime Spiritus

GLoriosissimo Christi nomine triumphali primitùs innovato, suæ nec non Sacratissimæ Genitricis Mariæ, pro via arbitror pacis sanctæ Matris Ecclesiæ celeriùs obtinenda, meliori salvo quorumcumque judicio. Primò, examinandum unde pestiferi hujus schismatis emanavit exordium, ad quod planè infantuli respondere possent, fari vix gestientes, quòd propter peccata communia Ecclesiasticorum, Magnatium & popularium.

Quia igitur contraria contrariis conveniens est sanari, Ecclesiam reor Universalem super hiis, ut nostri Deus misereatur, antea reformandam. Imaginari quoque aliter nequirem pacem, quomodò pacem debemus habere Ecclesiæ, nisi per Orbis reparationem. Qualiter autem cum Deo pacem habebimus, nisi cum Deo reformemur & uniamur ? Nisi verò celeriter fiat, formido quòd Christianitati toti breviter aliàs enorme scandalum contingeret inauditum. Cunctis etenim debet esse notum, Deum contra nos fore non mediocriter turbatum, quando in Ecclesiam suam execrabilem adeò transmisit plagam, quam à divino, carè, suo pretiosissimo plasmavit cruore. De remedio igitur cum Deo crebriùs est providendum.

Remedium itaque, secundùm fragilem intellectum meum, Spiritu Dei utinam vallatum ; est istud : quòd Dominus noster Papa Benedictus, Concilium Lugduni celebret, ex eo quòd locus ille fore medius est suæ totius Obedientiæ, aut alibi tamen, ubi suæ liberit Sanctitati.

Ad illud autem Reges convocentur sibi obedientes, Franciæ, Hispaniæ, Arragonum, Navarræ & Scotiæ, unà cum Ducibus inclitis, aut Comitibus ejusdem Obedientiæ, si accedere voluerint, cum nuntiatione, quòd si ibidem commodè interesse non valeant, saltem fideles ibi transmittant pacis præfatæ, si placet, Ecclesiæ zelatores.

Papæ autem ex parte, hiidem exhortentur quòd ad Concilium accedant memoratum, pompa spreta quacumque, sed cum omni Deo grata humilitate.

Deinde ibidem omnes suos convocet Prælatos, eisdem mandans quòd cum singulari illic accedant humilitate ; videlicet quòd horum major, secum ultra octo non adducat equitaturas, & si Patriarchis octo sufficiant, aut Primatibus equi, sive Archipræsulibus, Episcopis sex, & Abbatibus quatuor, etiam Capitibus Religionum, hoc discretione arbitrentur transmittentium.

Ad istud equidem Concilium etiam convocari poterunt, Abbates, Capita Religionum, & Mendicantium principales ; de qualibet Universitate duo, vel tres Doctores, ut in omni Statu Ecclesia ibidem reformetur.

Et si a nonnullis in dubium fortassis revocetur, an Domini præfati debeant consuli, si Concilium expediat hujusmodi celebrare : respondeo quòd non ; sed sufficit quòd Papa cum Concilio Fratrum eosdem evocet,

Digitized by Google

cet, & veniat quicunque venire voluerit. Sed ut libentiùs veniant, aut mittant; expedit, quòd duæ hæc clausulæ in Bullis inserantur Apostolicis, videlicet quòd in illo Dominus noster Ecclesiam intendit in Capite, & in membris primò reformari, & eam secundò, reunire, etiam usque ad cessionem inclusivè, si sit opus. Si verò fieri Deo posset primo, satis citò post Pascha, jocundo in illo tempore Spiritus sancti, magna hujus rei sanctæ efficeretur acceleratio. Ad Concilium autem hujusmodi Dominus noster, unà cum suo Sacro Collegio, aut majori parte ejusdem, cum omni, ut præfertur, accedere dignetur humilitate, cunctis in eodem, Deo gratum præbentes exemplum; & ne meritò dicatur; turpe namque est Doctori, &c. Arbitretur enim Dominus noster an Curia sua in capite & in membris priùs circa præmissa, vel tunc veniant reformanda.

Cùm verò in sacro hujusmodi Concilio Dominus noster Papa præsidebit, Spiritus sancti gratiâ, Missâ Sermoneque solemnibus, primitùs invocatâ, memoratis per se dicere, aut alium, in Concilio ad partem tandem poterit causam quare Congregationem hujusmodi fecit. Videlicet quòd tota ejus versatur intentio circa pacem Ecclesiæ, & quòd à Deo jugis eam intervenientibus præcibus obtinere valeamus.

Insuper quòd ad duos fines tam celebre convocavit Concilium, ut Ecclesia per eum, in tribus præcipuè, in superbiæ execratione, per humilitatem; avaritiæ detestatione, per ejus exstirpationem; & luxuriæ procul pulsa fœditate, per sanctam castitatem primitùs reformetur: pro qua, Ecclesia, proh dolor! de præsenti in tanta propterea subnixa est ruina. Et quia casus particulares nonnullos in quadam tetigi litterula, quam Dominis Parisius dudùm congregatis direxi Prælatis. Idcircò hos, causâ brevitatis, hîc subticeo. Sed si istud Deo gratum ibi, aut alibi celebretur Concilium, illos rursùs transmittam, unà cum aliis, Virgine auxiliante Beata, mihi demùm in omni statu, multiphariè, proh pudor! omni die occurrentibus. Jesus autem piissimus quæso attestetur, si Ecclesia sua tali nunc benè egeret in Capite & in membris gloriosissima reformatione, etiam si pax hodie aliàs in ipsa foret, cùm illius solùm audire nepharia Deo est abominabile, & universo Orbi.

Secundus autem finis hujus almæ sit Congregationis, per Dominum nostrum, aut alium, uno contextu explicandus; quòd proviso primitùs ibidem verbaliter meliori quo poterit modo, super illis, promptus est omnem viam acceptare pacis sanctæ Matris Ecclesiæ, etiam usque ad viam cessionis, si per Concilium diffiniatur tam celebre; & se excusare exinde congruè poterit ex eo quòd viam tantum hujusmodi eligere decrevit, propter præmissa, quæ in mente gessit, in reparatione per præsens salutari Orbis.

Cùm autem Domini in Concilio existentes sæpe facto, sinceram in præfatis ipsius Domini nostri erga Ecclesiæ pacem, Orbis necnon reparationem, intuentur affectionem: opinor enim in Domino, quòd * pejus jurè omnes insurgent altisonè, nec immeritò clamitantes: iste est verus Pastor, & non mercenarius, legitimusque Pater, Matri similis quæ filium proprium dividere recusavit: gloriosè igitur perducamus eum ad Sedem Petri omnes, cùm ipse ille Benedictus, qui plenus gratiâ, virtutibusque refulgens, velut Luna plena in diebus suis, nos qui in umbra mortis sedemus illuminans, venit in nomine Domini, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Quinimmò & plebei, à majori usque ad minorem, post ipsum ferè cuncti vociferabunt, etiam schismatici. Benedictus Dominus Deus Israël, quia in tali Benedicto Ecclesiam suam visitavit & redemptionem fecit plebis suæ. Tantæ Beatitudinis ergo omnes imitemur vestigia, cùm adversarius ejus meretrici non dissimilis infantem anhelans dividere, Antichristus dici meretur sathanæ; & noster Benedictus verus est Christi Vicarius, cujus vocem palam cognovimus, velut nostri veri Pastoris, in reformatione almæ sponsæ suæ, totius necnon Orbis.

A Per hanc siquidem viam Reges, imaginor quòd placabuntur, & universi fines terræ. Ad tantum denique clamoris Obedientiæ suæ spectaculum cuncti etiam exurgent è cœlo Angeli, jus ejusdem tuentes, & juxta Prophetæ vaticinium: Spiritu labiorum suorum Christus profectò interficiet adversarium suum impium, animas quoque introducet fidelium in Paradisum exultationis, fietque tunc unum ovile, & ipse unius Orbis Pastor, dante Domino, remanebit.

Unum autem istorum breviter non dubito quin contingat. Cùm aut Ecclesia Universalis sic reformabitur, quod fieri absque Concilio non potest, ibi, aut alibi particulari celebrando, cùm Generale fieri pro nunc ferè esset impossibile, aut ipsa scandalum tantum in Capite & in membris patietur, quòd inimici etiam Fidei illud dicent Propheticum. *Ubi verò est Deus eorum.* Ps. LXXVIII. 10.

B Concludo igitur congruentiùs fore Concilium alicubi celebrare, quàm Deum sic tentare, & enormem adeò plagam infeliciter expectare; erubescerem enim voce fari, quanta regnet hodie iniquitas in omni statu, in Ecclesia sancta Dei. Quare ergo pacem cum sceleribus nostris expectamus, gladio in manu evaginato pro nobis Crucifixi, quem rursùs quotidie crucifigere non expavescimus?

Estimo etenim quòd si Dominus noster viam hujusmodi, prout dubito, non eligat, quòd peccata ejus, & nostra communia eam impedient, tanta indignus benedictione, quam in tanta temporis egestate, suo utinam non reservet successori, & nos siquidem tanta utinam jocunditate per eum non frustremur, peccatis nostris non officientibus pacis gloriosissimæ ejusdem Matris nostræ.

Via autem hujusmodi Christicolis universis per Dominum nostrum, si eidem placita sit, mox propaletur, & orthodoxi sui inde audient, quantas benedictiones Benedictus ab hiis consequatur, cum reparatione dedecoris nuper jam elapsi, quin immò ampliùs ejusdem non erit memoria, dummodò illibato illam amplectetur affectu.

C Si verò, quod absit, quicumque interiùs ingemisceret, etiam maculæ scintilla reor quòd exteriùs splendor nullus elucesceret, nec fructus quispiam exinde sequeretur opportunus. Ubi verò Spiritus sanctus ab intra, & in hac præcipuè tam cœlica materia non esset fundamentum; quis estimare, obsecro, sciret, quòd aliquod validum superædificari ulteriùs posset ædificium.

In dubium enim, & ex causa, non revoco, quin pacem consequamur Ecclesiæ, ad præces miraculosæ præcelsæ Dei Genitricis Mariæ. Idcircò Dominus noster, unà cum suo Collegio, ut nostri erga Filium suum gloriosum benigniùs misereatur, vovere dignetur, pro pace habita; Ecclesia Universaliter, Festum deinceps suæ sacratissimæ celebrabit Conceptionis, unà

D cum Octavis, & votum hujusmodi, si placet, in Processione in Curia compleat solemni, antequam ad Concilium accedat memoratum.

Si verò præmissa effectivè, executioni demandare idem Dominus noster renuat, vitam verisimiliter ipsius formido brevissimam, velut Deo non acceptam: quæ omnia, dante Domino, atque majora, ejus adimplebit immediatus Successor; sed utinam hodie citiùs fieret, quàm cras, ut pacem cœlo tenùs obtinere in Ecclesia Dei sancta jocundiùs mereremur.

* *Locus corruptus.*

Exile siquidem novissimum consilium, quæso, non respuat idem Dominus noster: si à Deo est, & non admittatur *, illud profectò per homines impediet carnales Angelos sathanæ, zizaniæ seminator. Si verò ab homine provenit, ille pacis attestetur zelator, qui pro ea, & ut Filios Dei congregaret in unum, in Cruce mori, sua pietate, non erubuit.

Unum tamen calamo hìc committere non verebor, quòd si via hujusmodi respuatur, & melior absque mora non eligatur, scandalum adeò pernitiosum A cunctis, & breviter verè continget respuentibus, quòd post Dathan & Abyron, viam insequitur miserabilem, unà cum suis Satrapibus, & ipsis nihilominùs in confusionem prolapsis, pacem in Ecclesia Dei, Virgine gloriosissima suffragante *, primò tamen, proh dolor! inenarrabili scandalo consequimur peroptatam, quam celeriter, illo procul pulso, nobis elargiatur unigenitus Dei Filius, & Virginis gloriosæ. Amen.

Via hujusmodi in Sancto Leto, per pauperem peccatorem ibidem degentem adinventa fuit, die Beati Dyonisii, nona Octobris, ejus durante Missa, & in scriptis illa die redacta. Anno Domini, millesimo trecentesimo nonagesimo quinto.

** *Loci corrupti.*

SANCTISSIMO PAPÆ DOMINO BENEDICTO XIII.

PResul Beatissime, usque ad pedum oscula sanctorum. Sincera primò in Christo Jesu semper recommendatione. Vestræ nuper scripsi Sanctitati, per Priorem Ignaci, viam quamdam modicam, Domino suffragante, mihi occurrentem, pacem Sanctæ Matris Ecclesiæ, sicuti mihi videbatur, satis accelerantem. Sed quia verisimiliter ambigo, titulo de dilationibus attento, qui nunc in Curia, prout audio, regnare dignoscitur, illam quòd non acceptetis; propterea Vestræ jussus ampliùs non dissimulare, intimo C Beatitudini, quòd si illam, quod absit, renueritis, aut meliorem, si placet, non elegeritis, quid vobis cum à prima eram *, egerim, usque ad præsentem inclusivè, vestræ illicò significabo Ecclesiæ; si autem Ecclesia ipsa me non audierit, aliam viam in promptu habeo, à ratione non deviam, nec Juri dissonam, per quam pacem brevissimè & absque mora reportabimus, Deo duce, velint nolint, objurgantes tunicæ Domini, quicumque scindere eam molientes, quàm cùm palam, solum Deum pertimescens, altisonè dogmatisavero, Principibusque sæculi insinuavero, mihi non erit necesse Vestræ pro tunc illam scripto nuntiare Sanctitati; cùm si cœli & terra tunc audient verba mea, gratiarum actiones referam Cunctipotenti.

Paulisper labuntur tempora, & ego infelix adhuc quid egi? Æmulante anima mea, optabiliùs mihi siquidem est cras mori in bello, quàm diù sic languens oculis meis cernere mala gentis nostræ & Sanctorum. Vos & adversarius vester in cameris calidis meditantes nefaria, non aspicitis, quæ vobis mediantibus, conniventibus oculis fiunt in Orbe palam. Juro Deo quòd si tales essetis, quales ambo esse deberetis, per unam sic noctem somno gravi non dormitaretis, quominùs mundo pacem daretis universo, culpis vestris non mediocribus labefacto; & unde hoc quòd Domino soli homines **, in bonis ædiis se tenentes tantam Orbi plagam inferre toti, adeò non vereantur: Pax, Pax, corvi more, coram hominibus aientes, & pacem in occulto sagittare non erubescentes.

Unum ex litterula præsenti notare, Pater Sanctissime, crebriùs potestis, quòd si sapiens forem, sapientiâ hujus mundi, memorata tantæ Vestræ, nec immeritò, formidarem patefacere Majestati: sed dolore tabescens grandi, nescio quid, aut cui scribo, personam in mundo non agnoscens obnoxiam paci hujusmodi: fatuus quippe spiritualis, ubi percutiat non aspicit, illum solum denique pertimescens, qui occidere potest corpus & animam. Sæpiùs autem emergit pro mundi restauratione totali, quòd stultiori Dominus solitus est donare clavam, ut per illam fortia quæque confundere dignoscatur. Sapientes verò hujus mundi, in pace nuperrimè defecerunt hujuscemodi, quos jam quiescere, fama crebrescente, fecistis. Sed cùm fatui silebunt, lapides utique contra vos, non hæsito, exclamabunt, cum pacem præsentem adscribere nolit Deus sapientiæ humanæ.

Rememoremini, quæso, si antequam huc accederem, auribus vestris Parisius innotui, quem mundi hebetiorem Dominus elegerat, pro pace procuranda hujuscemodi, etsi invitus, putrida resiliente carne mea, pacem cunctis præfatam ignoscam. Hoc mihi testetur Dominus ille, qui pro nobis Passionis suæ beatis-B simæ in tempore humanitùs ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matth. XXVI. 38. Sed propterea velut pugil inclitæ sponsæ suæ, à prælio pro eadem, usque ad finem non discessit; sed divinitate eum impellente, de inimicis nostris, Crucis in arbore victoriam reportare meruit; & etiam suam gloriosissimam pretiosissimo tunc ex suo cruore plasmavit.

O quam Beatissimus nostro foret in tempore, qui, Deo jubente, illustris tam pugilis, pro almificæ Ecclesiæ suæ reunione posset imitari vestigia, qui pro unione mori non erubuit, cuique inquierit: universa quæcumque dixero tibi, illis scribe qui pacem impediunt Ecclesiæ meæ. Nec timeas à facie eorum, cùm tecum ego sum, & eruam te, dicit idem Dominus exercituum, qui pacem breviter nobis donare dignetur, per Vestri medium, & Vestram diù tunc Sanctitatem, in Ecclesia sua sancta conservare, & tandem feliciter in ævum. Amen.

S. Vestræ supplex creatura, pauper peccator Sancti Leti.

Beatissimis in Christo Patribus, Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ Reverendissimis Cardinalibus. Pauper cæcus in deserto Sancti Leti, nunc devius, quomodò dirigere pedes suos nescius in viam pacis: item, ad salutare Dei pacis, & concordiæ Sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem, & in æterna tandem Beatitudine jocunditatem perennem. Amen.

GLoriosissimi terræ Principes, & Orbis indefessi pugiles, mundi reor ab exordio à Deo vos constitutos fore Cardinales terræ, super D quos ipse suum firmaret Orbem, pro tanto, in deserto velut errabundus, ad quos confugere verè non gestio, pro pace Sanctæ Matris Ecclesiæ, nisi ad divinas Vestras piasque aures pacis auditus utinam sitibundas.

O igitur digna Dei lux mundi super astra splendidior, illuminare digneris oculos pauperis cœci nati, qui in umbra nunc mortis sedet, dirigere pedes suos aliter nesciens in viam pacis, nisi per tuæ Beatitudinis, post Deum, suffragium salutare, è vestigio sibi succurratur.

* *Locus corruptus.* ** *Locus corruptus.*

Au-

Digitized by Google

Auribus meis nuper nihilominùs innotuit quòd illam, Ducibus instantibus Franciæ generosis tribus inclitis, paulisper tunc quæsistis; sed à tramite ejusdem, cùm ab Oppido vestro terga verterunt, mox audivi gemens, quòd desistis. Post pedes Vestros Beatissimos iter meum in viam pacis æstimabam arripere: sed ex quo à semita recta, si jam declinastis, cæcus ego præ cunctis mæstis, desiderio meo fraudatus, quo pergere debeam ignoro; nisi quòd in montem transmigrare celsiorem, solitarius degens, sicut passer in tecto: si cæcus autem cæcum imitari non desinam, quis securum me proteget, quominùs in foveam cæcus absque lumine introrsùs cadam?

O cœlestis Aulæ utinam milites! ubi tellus est namque crassa perditionis, timor videlicet Beneficiorum vestrorum, aut veriùs maleficiorum, quæ ita citò pedes vestros, terræ præ pinguedine, declinare non cessarunt à pacis recto & suavi tramite. Aliud quoque gestio non æstimare, nisi quòd plus illa zelatis maleficia non perdere, quàm totius populi Christiani emulantes animas, ut de vestris obmutescam, nescius quid dicere.

Si enim Militantis Ecclesiæ ostii cardo Beatissimus in humo prostratus, nunc jaceat confractus, & per hoc ejusdem clarissima compedita sit apertura; ad quem ego fabrum cæcus infelix, ut consolidetur è vestigio percurram? Nisi ad summi fabri Filium, qui diei ancoram fabricavit atque Solem.

O vestrûm utinam quilibet nunc, cum Propheta fari non erubescet! *Zelus Domus Dei comedit me.* Ps. LXVIII. 10. qui peccata populi in mensis opiparis, cibis desuper exquisitis comedere, vasisque in aureis, christallinis atque poculis peregrini bibere non veremini. An non vobis, magis quàm divino agricolæ vermes præessent?

O firmæ bases, super lapide augulari Christo Jesu, utinam solidati! Quis Ecclesiam, jugum benè nihilominùs volenti, super humeros suos deinceps ferre ausus erit, ubi eam collabi, conniventibus oculis, ultrò sic permittitis, qui fundamenta nihilominùs esse debetis Militantis Ecclesiæ in montibus Sancti? Per montes quippè, Dei Apostolos & Prædicatores, Apostolus patenter insinuat. Qui verò Dei propriè sunt Apostoli, & Prædicatores? nisi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardines. Et si Sanctorum Apostolorum sonus exivit in Orbem terrarum: vox vestra, præsenti Ecclesiæ in egestate, modò numquid silet in finibus Orbis terræ per contrarium? Per eos siquidem Evangelium ratione resplenduit; sed doctrina eorum per vos arbitror modò quod non elucescit. Per eos autem Civitas Romana, Sacerdotalis & Regia, Gens Sancta effecta fuit, & populus acquisitionis; sed per vos modò fertur quòd effecta est Civitas meretrix, gens non Sancta, & populus perditionis. Suo equidem beatissimo sanguine Ecclesiam Dei consecrarunt, & in tantam eam altissimi culminis sectatores gratiam provexerunt. Hii autem qui post eos Confessores fieri non lucidi concupierunt, & non Martyres incliti, eam prorsùs tandem ad nihilum deducere non erubuerunt, vitâ & sanctitate eis dissimiles, aurum cumulantes, parentes absque mensura ditantes, & eos, licèt asinos, præ ceteris exaltantes, in Babylonia carceres & Palatia ædificantes, bona Ecclesiarum sic dissipantes, indignos, atque per simoniam promovere satagentes, de salute animarum nihil prorsùs curantes. Ad cujus igitur confugiam auxilium: cùm in enigmate, gemens, nuper aspexi gloriam Israël mox translaturam ad alienos! O utinam Psalmista non reviviscat? & vobis vestroque cœtui non exprobret: *Astiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Christum ejus.* Ps. II. 2.

Pacem autem quomodò concupiscitis habere Ecclesiæ, vitam talem sic gestando? Pacem verbo interdùm postulantes, paci obstatis; quia tres vobis principales in laribus vestris fovetis pacis hostes. Ubi, quæso, majores dominantur sub Orbe pacis hostes, quàm superbia, avaritia, quæ fuit, nec minùs luxuria, qui in Curia vestra semiplena regnare non dignoscuntur?

Quid enim Curiæ vestræ Domina egregia confert superbia: nunquid insana ambitio est fimum purpurâ tegere, aut magno circuiri equorum incassum, & mularum, famulantiumque cumulatu? bona pauperum sic dissipantes, militum agminibus stipati incedere non verentes, multi servi, multi pacis hostes domuum vestrarum latebras introspicientes, consiliaque pacis prodentes: belli profectò genus est pace carens, quorum vel spectator fœdus, vel laboriosus compositor est. Per hos autem, sacros pauperes oblivíscimini, non seminudos, quorum bona editis, hyurstis togis hybernum frigus arcentes. Scio quòd peccatrix opulentia sanctam spernit inopiam. In omnibus autem medium tenuere beati. Vestrum autem, si sanè attendatis, exordium, fuit sancta humilitas: sed ex quo potentia in vobis creverunt, honor atque divitiæ; decreverunt utique virtutes. Aucta siquidem est possessio, sed diminuta est Religio; crevistis quippè in exterioribus; sed utiam non minorati sitis in interioribus.

Si verò avaritia beata in Curia vestra prosperetur, inde judicent illi, qui experientiam ab experto dudùm noverunt, unde injustitia, justitiâ prorsùs relegatâ, præ ceteris triumphatur, è Sancto simoniâ nequaquam pulsâ, quæ nec minùs ibi dominatur. Ille autem qui modico satis antea Beneficio debuisset contentari, fluvium numquid modò absorbet Beneficiorum? manus porrigens non in cœlum, ut in os ejus influat Jordanis fluvius; demùm Sequanam expectans atque Rodanum, & numqam ignis tabernacula devorabit illorum, qui cumulo satiantur nusquam Beneficiorum; pariterve illorum, qui manibus cum ambabus suscipere munera etiam non verentur pauperum.

Ex hiis autem calamitosæ nunc subvenite Ecclesiæ, cùm aliter non arbitrarer vos pro ejusdem salute animam, aut sanguinem effusuros, si substantiarum vestrarum particulam Genetrici vestræ denegaretis. Impudentes, rutilas auro vestes nunc abjicite; canes, aves, stratos splendentes, mulas, frena aurea, ceterasque obscœnas libidines, quæso, repellite, ut undè habeatis subvenire Matri vestræ. O quid vobis conferunt divitiæ, eadem naufragante; quis cœlestium frenabit impetus, quis verò illorum à vobis auferet injurias, ipsa periclitante! Aspicite quòd primò Ecclesiæ nascimur, deinde nobis.

Sed vigilantissima libido, cujus cantibus sonorisque vocibus permulcetur Curia, non Regis summi, ubi regnat, nisi inibi? Illius quippè ornatus insignis, vexillum est & nidus luxuriæ; & qui ab hinc voluptatis deportatur lautus apparatus victusque, pacis conturbator non minus est almæ nostræ Matris: hos verò in deliciis viventes pacis hostes æternum in exilium pellite, & pax è cœlo mox descendet vobiscum. O utinam dracones non sint juxta archam circumeuntes Domini!

Optabilius siquidem est pacem absque peccato servare, quàm sceleribus crebrescentibus eam sperare; stulti equidem est res certas fastidire, ambiguas verò spe amplecti. Rari quoque sunt qui pacem non inveniant, si bona Fide quæritare eam cœperint. Hiis denique sæpiùs quibus dulce nomen pacis est, pax amara crebrius est.

Culpas vestras tempori, quæso, neque diebus ascribere nolite; sed scelera vestra abjicite, vosmetipsos reformantes, cùm solum Deum habeatis ultorem, & tempora bona utique erunt, nec minùs dies: malè autem agere molientibus nil periculosius est quàm libertas cæca præceps: qui verò nil metuit proximus est ruinæ.

Si injustum Dominum Respublica patiatur; quid au-

Digitized by Google

autem aliud æstimatis, nisi quòd huic sceleri scelus est debitum? In omni ferè hodie Curia, boni justitia comite, exulant: sed si Ministri fures dominantur, atque imperant; posco non ambigite hiis aliter vulneribus Ecclesia hodie vulneratur gravissimis, quodque funestius est non sentire.

Vulnus grande, obsecro, pertimescite, super capita vestra è cœlo quod debet, non hæsito, breviter descendere, hostili mucrone loricam penetrante. Vos propterea non armate; sed ultrò sceleribus vestris spoliare mox non vos postponite, cui vulnerum comes accedat humilitas, unà cum sororibus suis, ut illud in vobis locum habeat Psalmistæ: *Humiliasti sicut vulneratum superbum.* Psal. LXXXVIII. II. Vulnus quoque speciosum est, atque utile, quod plurium, aut majorum vulnerum medicina est, veraciter æstimantes neminem lædi posse, nisi lædatur à seipso; vix autem fallitur, qui se in ipso non fidit. Malè autem agendo, & pacem Ecclesiæ sperando, arbitror nil stolidius.

Ubi jam quiescunt divinæ atque præclaræ animorum vestrorum dotes, qui pauperem intuemini nunc Ecclesiam tantis subnixam periculis? Ludibrio pro tanto, à cuncto populo habemur; & quid aliud hoc nobis indulget, quàm scelera vestra, atque mollities? Sola denique virtus vera reor, quod nos faciet victores.

Misereminі eia nunc, cùm tempus adest, cuncto populo, & pugiles, quæso, estote, attento quòd in vobis Leges prorsùs pendent, & Prophetæ: cum navis quidem Rectore D. Nostro Benedicto Papa XIII, crebra, obsecro, habeatis colloquia, ut nautæ velut non inexperti, portum nobis patefaciatis salutis, auribus suis jugiter acclamantes, Abba Pater, salva nos, quia naufragio periclitatur navis nostra.

Etsi immemor, quod absit, suæ existeret salutis Ecclesiæ, quare non adhærebitis, veluti sydera firmamento annexa. Illa quippe vos genuit & incorrupta est Mater nostra: audete, quæso, eidem succurrere, ne tam diù permaneat adultera, culpâ vestrâ, non mediocriter labefacta.

Ecclesia siquidem malignantium alis fallacibus attollitur, & sterilium disputationum ventosa jactantia, inane circumvolvitur. Sed Beatissima Genitrix nostra, certis atque modestis compendio gradibus, ad salutem pergere, si per nos non stet, assiduè non desinit.

O tristis cœcus, ego devius in monte Domini naufragus, propter crebra scelera mea à Deo ejectus; quis ad portum verò me tutum transfretabit salutis! In tenebris quoque per desertum pergo, & lumen cœli videre erubesco. A quibus autem in tremebundo Judicio, insolertam repetam animam meam, nisi ab Orbis terræ Rectoribus, qui nautæ hujus esse debetis navis, sine qua portus nullus fertur esse salutiferus?

Heu me! quando, quando audire illud divinum merebor Oraculum adimpletum. *Cornua peccatorum confringam. & exaltabuntur cornua justi*, Ps. LXXIV. II. O utinam celebris ille dies coleretur, pro reparatione Mundi totali, & cras post Missam meam capite dignus forem plecti, etiam audacter, cum omni ignominia & dedecore grandi. Symeonis autem ad instar, utinam illum adhuc Sanctum Angelicum Pastorem oculis propriis cernam, antequam moriar, cùm oculis meis aliam nunc cerno corporeis, vehementer tabescens, Prophetiam adimpletam. *O Deus venerunt Gentes in hereditatem tuam, polluerunt Templum Sanctum tuum*, & illud *posuerunt in pomorum custodiam.* Ps. LXXVIII. I. Quis verò oppressum relevabit Orbem, nisi ille sacer Dominus Pastor Angelicus? Quis sparsas recolliget oves? Quis autem Pastores arguet erroneos? Quis eversos mores reformabit? Sed quis Ecclesiam collapsam reparabit, nisi citò ad nos exules pergere festinet? O Pastor unice, ovibus tuis nunc miserere, cœlos equidem & nunc disrumpe, & utinam breviter descendat ille qui te Christum exulem in sancta Sede introniset Apostolica, & Antichristum ejusdem nunc Dominum deportare perpetuum in exilium non erubescat. Nimis enim profectò regnavit transfigurata ypocrisis.

Sacro hoc propterea nunquid videmus in tempore, agnos in vinculis bonos mergi, lupos liberos, & malos erigi, reptare aquilas, asinos volare, vulpes in terribus, & colubras in sterquilinio. *Intelligite hæc qui obliviscimini Deum, ne quando rapiat & non sit qui eripiat.* Ps. XLIX. 22. Minis atque prodigiis nunc sentio cor Pharaonis, quod utique obduratum est, cunctos suaviter obdormit: sed heu me! ullus non advertere non expavescit.

O Cardinalium cœtus propagie veteri atque generosa, ceteris atque luce clarior, noli, gemens posco, Ecclesiæ hac in egestate nunc degenerare. Prædecessorum enim merita, successorum degenerantium notæ sunt maculæ. O totius Orbis decus populo Dei Christifero clam non ostende! Ubi jam nunc, quæso, salutiferus in pace residet amor tuus? O viri incliti, astris cunctis in terra splendidiores, ubi nunc clara rutilant in Orbe dona vestra? Totius autem populi Christiani salus, in vestra, non ambigo, salute fundata est; at salus mea in vestra non minus inclusa est: non igitur simulato tremore in vestra infirmitate, neque enim alieno periculo, cùm vos in Christo exhortari cogor, simpliciter præmoneo, sed verè proprio.

Blandiloquentem utinam non æstimetis me, obsecro, scribentem, nam amarè fleo, dùm vos audio febricitantes, sed in grabato magis, proh dolor! cùm audivi nuper vos jacentes. Cùm verò dolor teterrimus, absque longæ moræ dispendio vos apprehendet, nisi plagæ, quam Genitrici nostræ salutiferæ non nuper intulistis, medelam adhibere curetis? Quis me ad mortem saucium usque confestim curabit, nisi mihi præ ceteris desiderata salus vestra, nec minus mea? Si autem ægritudine in longæva, quod absit, permanseritis, ad metallum ex nunc, remedio absque, Provinciæ à Præside æstimo me damnatum, cum à vestra salute unica dependere fragilis dignoscitur spes mea. Optabilius equidem fatui consilio judicare reor vos salvari, quàm Jurisperitorum consilio tantum cœtum unà cum populo Dei naufragio periclitari. Pauperem obsecro fatuum ne irrideatis, Minervam satagentem instruere; sed Charitate, Deo teste, compulsum, vestris hæc prodigia magnificentiis indicantem, ne cum labentibus ejulans naufragetur anima sua.

Scio equidem Dominum delectari, cùm hos cernit dejectos, quos per fraudem simulatam, quod hypocrisim constat, celsos Regnorum apices conscendisse. In illo itaque propter ea confidite, cujus solius Potentes est deponere, & pauperem de stercore, dùm volet erigere. Quis namque Regum potest facilè manus effugere ultoris criminum Dei.

Horrorem nec pariter & timorem membris meis non novissimè attulit, cùm auribus nostris innotuit Capitis nostri febris non modica, quæ, prout dubito, incurabilis est, ferroque inviolabilis, nisi confestim accedat Dei misericordia.

Sæpiùs autem eidem Domino nostro Papæ scribere, propter zelum quem apud eum gero, fisus sum, & magis Reipublciæ; sed modicùm, aut veriùs, sceleribus meis obsistentibus, aut suis, profecit incelebris anima mea. Duo vestris nunc rescribo Paternitatibus Beatissimis, eisdem fortassis prorsùs occulta, & hac de causa præcipuè, gloriosissimo cœtui vestro scribere decrevi: quare primò eidem Domino Papæ, etiam in sui Apostolatûs primordio ita rigorosè scripsi; & secundò, quem processum cum eo tenui.

Primum quoque duo includit: quare videlicet primò sibi scripsi; & illud ex causa præsenti habeo in pagi-

gina subticere: si tamen Orbis stultiori Deus clavam præbuerit, hoc clarà cunctis palam edocet experientia. Eidem verò Domino nostro, tempore quo Parisius Legationis fungebatur Officio nudius-tertiùs, antequam huc accederem, viva voce, à quo missus eram, & qua de causa huc pergebam, cum omni tremore pariter & amore indicavi. Qui tamen commissionem meam in pace prosequenda hujusmodi voluerit videre, illam palam cunctis innotescam, ubi summus Dei Auditor Christus Jesus suam manifestavit Beatissimi Patris sui, Crucis in arbore, mulctave in acriori: sed meritus forem illam tolerare, quanquam autem in scriptis eam Missam in Curia Romana indignus celebrans, testibus absque ullis humanis, redegerim, quantùm à Deo potui propendere: pro hujus commodi autem non gloriabor, sed summo attribuatur navis Rectori nostro in tempore præsenti, gloria, laus, & decor. Si alio namque processerim cum eo ordine, in posterumve procedam, quàm solitus sum Vicarii Dei Auditor procedere, nullus admiretur: cùm *Ubi spiritus Dei, ibi libertas*, 2. Cor. III. 17. & *Ubi vult Spiritus sanctus spirat*, Joan. III. 8. Asinam lego quòd reprehendere fecit Prophetam, & bovem Romæ Magistrum suum, perperam agere adversùs Rempublicam non verentem.

Quare autem, secundò, eidem etiam, Apostolatus sui in primordio, ita exasperè scribere non veritus sum; duo ad hoc me compulerunt. Primum fuit mei ipsius deceptio. Nam primùm Sanctitati suæ litteras suaves misi, tum asperiores, tandem asperrimas, quo postremò procedere decrevi. Sed cùm in spe sua advenit conversionis, mox, me gemente, vita, ut audivi, tali quali fuit functus.

Ultimarum namque litterarum copiam suarum Domino meo De Salutiis, vestro concordiali, salutiferamque harum responsionem, si effectui mancipasset, nuper transmisi, ultra, pro tanto medium justi deceptus pretii, aliter cum ejus successore, terminis & non servatis, absque strepitu & figura Judicii procedere confestim inchoavi.

Sed alia nempè fuit ratio, quam ex ipso cùm per Regem in Apostolatus ejusdem audivi assumptionem, in mente mea mox gessi, ipsius contra stimulum, futuram non mediocrem recalcitrationem, quam per Regis nuntium in instanti Domino Philippo de Maceriis, & non Regi scripto nuntiavi, quem tandem, pro dolor! auribus cunctorum altisonè nimis insonuit.

Quia verò prolixum nimis foret juxta secundam processus seriem, quam cum eodem Domino nostro Papa tenui, per extensum referare, in mente mea gessi ipsius copiam, Vestris propterea dirigere Beatitudinibus, ut me teneatis, si libet, excusatum, etiam si aliter & rigorosiùs tempore compulsus procedam affuturo.

Pro pacem verò prosequentibus, corpus exponam & animam: pro persequentibus autem eam, Dominum Jesum obnixiùs exorabo, veluti pro persecutoribus ejus, pro quibus nihilominùs, quacumque præfulgeant dignitate, etiam Apostolicâ, quidquam de contingentibus, usque ad mortem inclusivè, non omittam; mori namque non timeo, cùm bonum Dominum habeo, & si planè cùm eo forem adjunctus, omnes mortalium minas utique spernerem. Verumtamen, si in hac tam celebri persecutione corpus perdam, animam meam Deo, vestrisque suppliciter Beatissimis intercessionibus devotissimè recommendo.

Si in hac verò Deo grata materia, in visceribus vestris aliqua gratis avisamenta mihi significare, supplico, non pigritemini pro reunione: nihil aliud quærito die noctùque, nisi vilissimum cruorem meum fundere. Heu me si tantâ gloriâ dignus essem! Sanctissimi Patris mei Christi Jesu imitari cupiens vestigia, qui pro unione Sanguinem suum effundere beatissimum, sua pietate, non dedignatus est, & utinam ad tam enorme scandalum resecandum, gloriosissimamque pacem consequendam, unus modò pro populo moreretur beatissimo Christiano, ne pereat tanta Gens sancta.

Si cæcus igitur in hac Christifera materia existam genitus, præ dolore, & balbutiens nimis, anxietatis præ timore; Cardinales Dei, quæso, indulgete, nec aspectum gratis ad sterilia verba mea, cùm de ea siquidem fari, scribereve exordior. Frenum linguæ profectò, aut calamo etiam inutiliter nescius sum apponere: quanquam enim non ignorem quòd brevem decet esse sermonem, qui in divinas aures, ore humano, transfunditur. In patientia igitur stoliditatem meam tantam, inutili hoc in opere, obsecro, suscipite, Altissimum flagitans in immensum, quòd in hac cœlica materia taliter, ipso cooperante, vos sinat procedere, quòd tota Christianitas Sancta vestro beatissimo per vos in tempore recedere jocundè valeat in pace, indeque digni efficiamini pacem cum Beatissima Genitrice sua Maria consequi sempiternam.

Patres Reverendissimi, præsentium in effectu conclusio est hoc, quòd vestri pietate, in capite & in membris, Curiam vestram reformare dignemini, antequam cunctarum Dominæ atque Magistræ eidem per vos tantum emergat scandalum ferè irreparabile, quod jam paratum nunc gemens, aspicio in enigmate. Si autem cœtui vestro indicavero coram Deo, universo necnon Orbe, excusatus ero, nec immeritò. Domino nostro Papæ vicibus repetitis pari forma insinuavi, sed non intendit mihi; reor quòd si me nec exaudieritis, cœli & terra audient verba mea.

In dubium quoque non revocans quòd pacis viam quam eidem nuperrimè destinavi, non haberet acceptam, litteram quamdam mox sibi direxi, quam non longè magis gratam habuit, ad pacis viam, dare mihi responsum protinùs recusavit; sed pro ultimarum à somno excitatus, responsionem per cursores nuntium meum quæri fecit, qui si in Curia per biduum latitavit, insipiens arbitror quòd non fuit. In perenni utinam Beatitudine nos omnes reperire valeamus. Amen.

Vestra indigna creatura, ut supra.

FINIS.

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
OPUSCULUM
DE DIFFICULTATE REFORMATIONIS IN CONCILIO UNIVERSALI

Scriptum A. 1410. proximè ante Concilium Constantiense.

AD

JOHANNEM GERSONEM,

Parisiensem Cancellarium.

Ex antiquo MSCto Academiæ Helmstadiensis.

CAPUT PRIMUM.

De Difficultate Concilii Universalis per Romanorum Imperatorem illo tempore convocandi, quo Imperium vacabat, haud longè ante Concilium Constantiense.

BONE Pater, in præmissis mihi aliqualiter satisfecisti.

Nunc autem, si non timerem te nimis offendere, atque Patris mei spiritualis, scilicet Domini Papæ verenda detegere, quæ tamen proh dolor! ipse non curat (ut docet experientia) cooperire: aliqua adhuc mihi occurrentia dubia vellem per tuam industriam declarari.

Videlicet, ubi dicis, quòd *per Imperatorem, vel Regem Romanum convocatio Generalis Concilii, pro Militantis Ecclesiæ redintegratione & morum reformatione, in eadem fieri oporteat.* Quod mihi grave dictum esse videtur, cùm actu non sit Imperator, aut Rex Romanus; sed vacet Imperium, atque Electores Imperii quidam Johanni, & alii Angelo prædictis obediant, & aliis diversis respectibus sint divisi.

Videtur etiam, quòd ad eligendum aliquem in Regem Romanum, præsertim utilem & idoneum, Principes Electores non velint, aut nequeant insimul convenire.

Ex quo infertur, quòd dictum Imperium remanebit diù absque Rectore. Et, si ita fiat, sequitur quòd propterea schismata illa in Ecclesia etiam diutiùs, quàm fortè credimus, obdurabunt.

Sed Rex Hungariæ, si benè singula considerentur, de quo multus est sermo, ejus salvâ reverentiâ, non est aptus ad Imperium regendum, multis aliis eum magis tangentibus occupatus negotiis: nec est de illis, per quos salus facta est in Israël; sed per quos dictum Imperium totaliter in suis Juribus est dissipatum, A quique tam diù permiserunt ipsam Apostolicam Ecclesiam in schismate fluctuare, nullum interponentes remedium, quo reintegrata fuisset. Unde non speratur, quòd ex ipsius Regis electione, si fieret, ipsi Ecclesia & Imperium per hoc prosperari deberent.

Præterea, esto quòd nihilominùs dicti Electores B tandem, Domino concedente, super hoc conveniant, ut aliquem eligant Imperatorem, sive Regem, eidem Domino Johanni, vel Angelo, aut Petro adhærentem: forsan electus ipse electionis suæ approbationem recipiet ab illo ex eisdem tribus de Papatu contendentibus, cui adhærebit, & illi præstabit solitum juramentum, ut in Decretis est descriptum. Et si ita fiat; C qualiter Rex ipse salvo suo juramento poterit ei contradicere; vel, nolente, qui dictam electionem approbabit, prædictum Concilium convocare, seu in illo præsidere? Nec non, si videatur ei expedire pro publica utilitate, ipsum, qui hujusmodi electionem approbabit, ad cedendum ejus Papatui inducere, aut no-

Digitized by Google

nolentem compellere potentiâ coactivâ, aut aliàs circa hoc utiliter providere, prout fecit prædictus Otto Magnus Augustus.

Cap. II.

De pecuniariis Constitutionibus Johannis XXIII. quæ Ecclesias onerarent.

Quippè notiorum est, quòd dictus Johannes in primordio sui Pontificatus, reservarit suæ dispositioni omnes Patriarchales, Metropolitanas, ac Cathedrales Ecclesias, necnon omnia Monasteria virorum, prout etiam nonnulli ejus prædecessores summi Pontifices facere consueverunt, decernens irritum & inane, si secùs, super hoc, aliquid contingeret attentari.

Item, ultra prædicta, & omnes generales alias Reservationes quarumlibet inferiorum Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum, per eum etiam factas, extra solitam consuetudinem eorundem suorum prædecessorum reservavit suæ dispositioni; omnes Prioratus Conventuales & majores post Pontificales in Cathedralibus, nec non principales Dignitates in Collegiatis Ecclesiis ubicunque vacantes & vacaturas.

Propter quas quidem Reservationes, omnes gratiæ expectativæ per eum factæ quibuslibet, etiam magnis literatis & egregiis personis, restringuntur ad inferiora Beneficia vacantia. Et per hoc etiam locorum Ordinarii, ne possint de illis Prioratibus & Dignitatibus utilibus personis providere, penitùs excluduntur.

Item, notorium est, quòd Alexander Papa Quintus, paulò ante ipsius obitum, sequendo in hoc vestigia Bonifacii hujus nominis IX. qui cum dicto Petro de Papatu contendebat, voluerit & ordinarit: quicunque promoveretur per eum ad quamcunque Patriarchalem, aut Archiepiscopalem, aut Episcopalem Dignitatem vel Abbatiam, nisi infra annum Literas Apostolicas super ejus promotione confici faceret, quòd ex tunc dicta promotio viribus careret.

Et eandem constitutionem etiam dictus Johannes observat, & observare intendit.

Item, dictus Dominus Johannes aliam fecit Constitutionem, continentem in effectu, quòd quicunque ab eo impetraret qualecunque Beneficium Ecclesiasticum suæ dispositioni reservatum, antequam illi sub eadem impetratione Literæ Apostolicæ in Romana Curia confectæ traderentur, solveret Cameræ Apostolicæ realiter medietatem fructuum dicti Beneficii impetrati unius anni. Quam etiam Constitutionem ad unguem dictus Dominus Johannes ex tunc observavit & observat.

Item, duæ novellæ Constitutiones vehementer exorbitant ab antiqua observantia Romanæ Curiæ, & tendunt in decrementum maximum Cathedralium & aliarum Ecclesiarum, & Monasteriorum Conventualium Prioratuum, quibus de Prælatis in eadem Curia providetur, seu quibus conferuntur vacantia, vel reservantur certo modo vacatura Ecclesiastica Beneficia conferenda, ut liquet manifestè. Nam olim quicunque præfecti fuerant Cathedralibus Ecclesiis, aut Monasteriis virorum vacantibus, in Prælatos, non arctabantur per Sedem Apostolicam, ut in promtu plus solverent Cameræ Apostolicæ, aut Collegio Dominorum Cardinalium, pro communi servitio, quàm medietatem taxæ, ad quam Ecclesiæ, vel Monasteria ipsa in eadem Camera reperiebantur esse taxata. Et pro alia medietate solvenda, promotis, postquam pacificam administrationem eorum & regiminis Ecclesiarum, vel Monasteria quibus præfecti erant, essent pacificè adepti, competens dilatio dabatur in Camera memorata, absque privatione quacunque.

Et est ratio, quòd generaliter penè omnes Cathedrales Ecclesiæ, atque omnia Monasteria virorum, præsertim in Germania, Francia, Anglia, Bohemia, Hungaria, Polonia, & aliquibus aliis Regnis, reperiantur in eadem Camera ad magnas summas taxata.

Quas quidem taxas oportet promotos per ipsum Dominum Johannem, integraliter solvere Cameræ & Collegio prædictis, antequam Literæ Apostolicæ super eisdem promotionibus confectæ tradantur ipsis promotis: quod eis frequenter redditur impossibile.

Unde multi ipsorum à dicta Curia, vacuis manibus, abire permittuntur.

Ex quo contingit, quòd plures Ecclesiarum & Dignitatum, seu Monasteriorum, ad quæ promoti sunt, possessionem nequeant apprehendere; & per consequens, unde ipsis Cameræ & Collegio satisfaciant intra illum annum, invenire non possint: & si fortè reperiant, hoc fit communiter non absque magno damno Ecclesiarum & Monasteriorum, ad quæ promoti fuerint.

Et si intra dictum annum integraliter non satisfecerint Cameræ & Collegio memoratis, eo ipso, de Prælatis ipsis fiunt non Prælati: quia suis dignitatibus, per lapsum dicti anni, propter ipsorum impotentiam, seu paupertatem, aut aliud superveniens eis legitimum impedimentum, ipso facto privantur.

Nec postea citantur vel audiuntur in eorum allegationibus, quare non solvant Cameræ & Collegio præfatis.

Et sic omnes expensæ per ipsos privatos, occasione promotionum suarum in ipsa Curia & extra eandem Curiam factæ, perduntur, & labores ipsorum ipsis fiunt inutiles: quare remanent pauperes & scandalizati in Clero & populo.

Ac per hoc etiam Ecclesiæ & Monasteria ipsa suis Pastoribus, absque ipsorum promotorum culpa, passim destituuntur.

Et videtur quòd Dominus Papa, & Collegium Cardinalium præfati, sint in culpa, quare intra dictum annum ipsi promoti totaliter non solverint: quia non dederunt eis Literas super ipsorum promotionibus, & sic pecunias restantes acquirere non potuerunt.

Item, olim ante schisma Pisis decisum, novissimè iteratum, ratione inferiorum Dignitatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, quæ conferebant; aut cùm vacarent, conferenda, non consueverunt impetrantes medios fructus Dignitatum & Beneficiorum præfatorum eidem Cameræ solvere, priusquàm illa essent pacificè assecuti.

Et tunc concordabant super illis cum collectoribus fructuum dictæ Cameræ in diversis partibus debitorum, aut successoribus eorundem. Nunc autem extorquentur dicti medii fructus ab impetrantibus ipsis in eadem Curia, antequam eis Literæ Apostolicæ confectæ super talibus gratiis tradantur per Officiales dictæ Cameræ: licet plerique dictorum impetrantium sint incerti, an possessionem earundem Dignitatum & Beneficiorum unquam valeant adipisci.

Et quod deterius est; si fortè centum concurrerent pro uno Beneficeo vacante & reservato impetrando, daretur omnibus per Papam. Tamen si Literas Apostolicas super ipsis impetrationibus suis vellent habere, quemlibet eorum incunctanter medietatem fructuum dicti Beneficii præfatæ Cameræ, ante omnia, solvere oporteret, licet nisi unus eorum illud assequi posset.

Digitized by Google

Pono etiam, quòd aliquis impetret à Papa aliquod Beneficium vacans incompatibile cum alio Beneficio quod obtinet, sicque illud primum, per assecutionem pacificam illius alterius, teneatur dimittere: quòd dimittendum impetret alter à Papa, cum istis clausulis, quòd illud sibi conferatur, cum vacabit per eandem assecutionem, vel aliàs quovis modò, præterquam per obitum illius qui illud tenetur dimittere, ut præfertur: iste idem secundus impetrans nihilominùs tenetur solvere medios fructus illius Beneficii dimittendi, antequam vacabit, Cameræ prædictæ.

Numquid illa impetratio, cum solutione dictorum mediorum fructuum, est simoniaca censenda eorum prætextu? Et quia possibile est, quòd primus impetrans moriatur, aut resignet in manibus Papæ dictum primum Beneficium: nunquam secundum adipiscetur, & per hoc secunda impetratio inefficax erit.

Ex præmissis etiam corollariè quæritur: cùm Dominus Papa & ejus Cardinales non sint Domini Ecclesiarum & Monasteriorum; sed solùm illorum conservatores in Juribus eorundem, nùm liceat eis nihilominùs tales insolitas, abusivas & pœnosas facere Constitutiones, per quas potissimùm pauperes, quantumcunque benè literatæ ac sufficientes Ecclesiasticæ personæ, non tamen habentes in promtu solvere Papæ & Collegio, ac Cameræ ante dictis integros, & medios fructus Prælaturarum ac Monasteriorum, & aliorum inferiorum Dignitatum ac Beneficiorum, in ipsa Curia excluduntur; & illa solùm habentibus & solventibus, quantumcunque aliàs fortè insufficientibus & illiteratis, conceduntur? Et nùm dictæ Constitutiones absque peccato mortali possint à quolibet observari? Cùm propter avaritiam, & contra charitatem & Evangelium, scilicet: *Gratis date, gratis accepistis*, Matth. x. 8. & contra sacros Canones, & sub tali velamine pessimam simoniam inducentes, fuerint adinventæ.

Cap. III.

De magnis dubiis Gersoni objectis, De Papa extra Cardinalium Collegium eligendo, & sic Ecclesia reformanda.

Cum igitur juxta præhabita pateat, quòd apud Papam & ejus Collegium Cardinalium nulla vigeat charitas quoad alios Prælatos & Christianos; sed perpetua & insatiabilis rapacitas potiùs ardeat in eisdem, ut qualitercunque dicebatur. Dato, quòd Generale Concilium convocaretur, & fieret, sicut dicis & consulis fieri debere, qualis ex hoc utilitas Universalis Ecclesiæ resultaret?

Esto etiam, quòd omnes isti tres de Papatu contendentes spontè cederent, aut ad cedendum compellerentur inviti, eisque novus Papa, sicut factum fuit in Pisis novissimè, surrogaretur: dicti Cardinales in statu eorum nihilominùs remanentes dicerent, quòd ad eos duntaxat spectaret electio summi Pontificis.

Quod si obtinerent, non est dubitandum, quin unum ex seipsis eligerent, sicut fecerunt in Pisis. Sicque nulla reformatio efficax & fructuosa ex cessione hujusmodi sequeretur, nisi vocalis, & unius personæ mutatio tantùm. Et hi quidem, Electus & Electores, juxta mores veteres eorum, similiter perpetuum errorem in ipsa Ecclesia continuarent, quousque unus eorum in eodem statu in ipsa Ecclesia remaneret.

Certum est enim, quòd mysticè Sacerdotes Bel, cum eorum uxoribus & filiis omnes unanimiter in lacum leonum missi fuerint, ut per ipsos leones devorarentur. Quod si aliqui eorum supervixissent, ex tunc etiam cibos regios, eidem Bel singulis diebus appositos devorassent, prout antè deceptoriè facere consueverant. Et ne hoc deinceps fieret taliter, unâ Sententiâ super omnes justo Dei Judicio latâ, subitò perierunt.

Et quia Eli debitè non correxit suos filios in Legem Domini delinquentes, privatus est Sacerdotio, & de sella corruit, & fracta cervice decessit. Uxor alterius eorundem filiorum abortivit, & ipsi filii interfecti quasi eodem tempore perierunt, ne aliquod semen eorum remaneret super terram.

Et si fortè dicti Cardinales, ipsis eodem Concilio resistente, ne ipsi eligant Papam, & si tota Congregatio, aut ejus autoritate, aliqui maturiores Prælati, aliquem virum idoneum & utilem extra dictum Collegium Cardinalium eligerent: illi Domini Cardinales, ut præsumendum est, obedire, ipsumque in Papam habere non vellent.

Unde novum schisma in eadem Ecclesia, priore pejus, iterum procul dubio orietur: sicque ad omnem partem est magis perplexitas in hoc facto.

Etiam, Pater, te scire desidero, quæ dico. Sicut Pisis factum fuit de celebratione ultimi Generalis Concilii, subsecuta electione illicò dicti Alexandri Papæ V. quòd, licèt Domini Cardinales qui tunc erant, utriusque Obedientiæ, dictum Concilium Pisanum convocarent, & promitterent in eorum Literis longè lateque directis, quòd dictam Apostolicam Ecclesiam in Capite & in membris per idem Concilium reformare vellent; tamen eundem Alexandrum de eodem consortio elegerint, qui prorsùs inexpertus erat eorum quæ Officii Pastoralis honor & sublimitas exigebat, quamvis esset magnus Theologus: & quicquid dicti Cardinales ab eo petierunt, ipsis absque contradictione concessit, nec audebat ipsis aliquid denegare. Unde ipsi continuò eum importunè crebris petitionibus vexarunt, ita ut aliquando propterea in seipso nimiùm turbaretur: nec poterant satiari.

Deformavit etiam, eis volentibus & instantibus, statim post ejus assumtionem ad Papatum nobiliora Officia suæ Curiæ, in præjudicium aliorum. Insuper privavit multos absentes nec vocatos, suis Dignitatibus & Beneficiis Ecclesiasticis, occasione sumta, vel quòd Angelo, aut Petro præfatis adhærerent. Et similia multa fecit satis absurda, eâdem importunitate & ambitione hujusmodi Cardinalium, ipsum ut sic faceret stimulantium.

Et hæc fuit ipsa reformatio ultrò promissa!

Cap. IV.

Scrupulus de Concilio Universali intermittendo.

Sed quia de præteritis præsumitur in futurum, videtur quòd verosimiliter sic aut pejus fieret, si promissum per ipsum Alexandrum in ejus Papatu, de quo nunc agitur, celebraretur Concilium Generale.

Prætereà semper anniti, & non proficere, ultimæ dementiæ est.

Igitur ex istis omnibus per me in præcedentibus quæstionibus tactis, videtur mihi quòd utilius sit, relinquere dictos Dominos, Papam & Cardinales, suo ingenio, quàm supervacuè dictum Concilium celebrare, ad parcendum eorundem Prælatorum & aliorum superfluis laboribus & expensis.

Tamen quòd in his perplexitatibus tibi expedire videtur meliùs, edicito Pater.

Digitized by Google

Cap. V.

Novi scrupuli de Constitutionibus pecuniariis Johannis XXIII.

PRæterea in Sexto & Decret. in plerisque locis habetur, quòd omnium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio pertineat ad Papam: attamen ordinarii Collatores de illis habeant providere, modò vacet aliquod Beneficium dispositioni Apostolicæ generaliter reservatum, quod aliquis ad hoc idoneus vellet habere.

Sed cogitet quis inter se: si illud impetrabis à Papa, non habes unde medios fructus primi anni dicti Beneficii ei solvere possis, & per consequens, tibi non darentur Literæ Apostolicæ super illa impetratione, nisi ante omnia solveres illos: quia impedit omne Forum defectus denariorum. Vel habet unde solvere posset, cogitat tamen hoc esse iniquum, simoniacum, scilicet ut solvat illos fructus, antequam habeat possessionem dicti Beneficii quod impetravit à Papa: quia est quidem color sophisticus, ne sub illo velamine dictum Beneficium sibi concedatur à Papa, ut sic esse videatur contractus emtionis & venditionis inter Papam & eum, nempè dictum Beneficium per Papam, non suorum meritorum, sed pecuniæ ob respectum, sibi dari; nec certus esset, an dictum Beneficium prætextu illius contractus assequi posset. Sciens etiam, quòd Beneficia Ecclesiastica gratis debeant conferri, nullo pacto, seu pecuniario quæstu intercedente.

Unde istis inter se discussis, vadit ille ad ordinarium Collatorem, qui ipsi gratuitò confert dictum Beneficium vacans, quod, virtute talis collationis, assequitur pacificè. Sed nihilominùs de Jure communi censetur intrusus in illo, propter Reservationem Papalem, & si percipiat fructus exinde, efficitur inhabilis, eo ipso, ad quodcunque Beneficium Ecclesiasticum in posterum obtinendum, ni solvat hujusmodi fructus perceptos exinde Cameræ Apostolicæ, & per Papam habilitetur, & simpliciter dimittat dictum Beneficium. Et si habilitari taliter velit, & dictum Beneficium ulteriùs retinere, necessarium est ei, ut etiam illud denuò impetret à Papa, & concordet cum ipsa Camera pro mediis fructibus dicti Beneficii unius anni futuri, & illos etiam efficaciter solvat. Quod si non fecerit, incapax ad obtinendum alium Ecclesiasticum titulum remanebit: & sic ipsum Beneficium censetur esse sine verò rectore. At Ecclesiastica Beneficia ad hoc instituta sunt, ut propter ipsa in divinis Officiis Domino serviatur.

Modò quæro à te, Pater, qualiter in hac perplexitate pro salute animarum, & ne dicta Beneficia debitis fraudentur obsequiis per ordinarios Collatores, & alios, cautiùs sit agendum?

Item, est alia Constitutio, seu Ordinatio dicti Domini Johannis Papæ, quòd in Francia nullus, etiam Magister in Artibus, seu Medicina, & alii Graduati, nisi Magistri in S. Theologia, vel Doctores in Jure Canonico vel Civili, autoritate Literarum Apostolicarum possint habere Canonicatus & Præbendas & Dignitates, Personatus & Officia: sed familiares Dominorum Cardinalium; esto quòd ipsi familiares non sint Graduati in aliqua scientia, illa nihilominùs autoritate Apostolica consequi possint & tenere.

Qua quidem Ordinatione, multorum literatorum virorum corda terrebantur. Et quia quamplures à literarum studiis propterea retrahuntur, quòd non omnes qui student in Studiis generalibus, aliqui videlicet propter paupertatem, & reliqui propter alias diversas causas, Magistratum in Theologia, seu Doctoratum in Jure Canonico vel Civili consequi possunt; & si omnes studentes in illis scientiis magistrari aut doctorari vellent, in infinitum eorum cresceret numerus, & pareret confusionem, necnon ipsarum scientiarum vilipendium: Hinc peto, Pater, ut edicas, quid tibi etiam de ista Constitutione videtur.

Item, multa solennia Officia Romanæ Curiæ, ad quæ exercenda requiritur industria personalis, Alexander Papa V. & post eum Johannes Papa præfati, commiserunt certis Episcopis, vel fratribus Minoribus, qui per Vicarios illa exercent. Propter quod multæ falsitates & indebitæ exactiones in ipsis Officiis commissæ fuerunt.

Etiam ipse Johannes Papa multa Officiorum hujusmodi, quæ gratis & idoneis atque autenticis viris olim committi consueverunt & debuerunt, commisit, ut dicitur, ex pacto, & concessit, pecunia intercedente. Sciens tamen, quòd illorum emtores nihilominùs, juxta antiquam & laudabilem consuetudinem in Cancellaria Apostolica jurare oporteat, quòd nihil, ratione dictorum Officiorum, ipsi, vel alii pro eis dederint, & sic voluntariè illi tales efficiantur perjuri, & per consequens inhabiles ad Ecclesiastica Beneficia obtinenda, & suspensi ab Altaris ministerio: tamen eis quandoque confert etiam Gratias expectativas, aut Beneficia vacantia, pro suo libito voluntatis.

Et isti sunt fructus, quos idem Alexander & Johannes Papa hactenùs Ecclesiæ Apostolicæ attulerunt.

Cap. VI.

Imperatorem unionem Ecclesiæ difficulter paraturum, manente Johanne XXIII.

ET, quia dici consuevit:

Quæ nimis apparent retia, vitat avis:

Quæro: quòd si fortè Rex, vel Imperator Romanus, si quis esset qui foveret partem, vel Obedientiam dicti Domini Johannis, vellet ac posset per potentiam coactivam compellere sibi non obedientes, ut ei obedirent; ipsi non obedientes fortè responderent eidem Imperatori vel Regi: quòd ad id de Jure compelli non possent, propter animarum suarum evidentissima pericula, quæ ipsi, seu valdè multi ex eis verosimiliter incurrerent, si dicto Domino Johanni obedirent, potissimùm propter enormales Reservationes, & pravas Constitutiones ante dictas: sed magis eis congrueret, pro eorum salvatione, in statu pristino remanere, quousque forsan cessarent Reservationes, & Constitutiones ante dictæ in Romana Ecclesia, & illa ad pristinos bonos mores & antiquas laudabiles observationes reduceretur.

Et sic etiam Imperator, vel Rex ipse parum vel nihil faceret in hac parte.

Cap. VII.

De duobus reliquis Pontificibus, Gregorio XII. & Benedicto XIII. ad Generale Concilium, quod Constantiæ mox coactum, citandis.

A Sed præmissis salvis, quæro, quid tibi de hoc videatur, quòd, cùm Angelus & Petrus prædicti, sint tanquam notorii schismatici & pertinaces hæretici in eodem Concilio Pisano sententialiter declarati: numquid propter magnam adhæsionem quam quilibet eorum habet, & quòd uterque ipsorum asserit, se esse Papam, & pro tali se gerit, sint vocandi, ex abundanti cautela ad istud Concilium quod instat celebrandum?

Et posito, quòd sic: numquid per hoc derogaretur ipsi celebrato Concilio? Quia per multos reputaretur forsan propter hoc de facto processisse, & sic etiam fuisse nulla, & nulliter attentata omnia quæ exinde subsecuta fuerint.

Et si non vocarentur, remanerent in pristinis erroribus Angelus & Petrus, & eis adhærentes.

Ex hoc etiam incidenter quæro: numquid, si dictum instans Generale Concilium convocaretur, & interpretatione Juris, vel propter publicam utilitatem ipsi Angelus & Petrus, & eis adhærentes citarentur, ut dicto Concilio interessent, si vellent, alioquin procederetur in illo, prout finaliter expediret, eorum absentia, seu contumacia non obstante: numquid sufficeret talis generalis citatio quoad eos? Vel an aliqua causa exprimi deberet in ipsa, in specie, quare ad dictum Concilium celebrandum mittere, vel venire deberent?

Cap. VIII.

De tuto loco Concilii Universalis.

Etiam: an tunc Roma vel Bononia, vel aliqua alia Civitas, in quam prædictus Dominus Johannes Papa habet temporale Dominium, esset locus congruus, quoad celebrandum in illo dictum Concilium? Et videtur quòd non, prima facie. Quia ipsi Angelus & Petrus, & ejus adhærentes semper allegarent, illum locum eis non esse tutum, & per consequens, ipsi ad eum venire, vel mittere, de Jure non tenerentur: & sic remanerent semper in eorum pristinis erroribus, & dictum Concilium hîc frustra convocaretur; ut de multis aliis taceam inconvenientiis, ad abbreviandum sermonem.

Incidenter quæro: quòd si Papa Johannes in aliqua terra, in temporalibus sibi subjecta, convocaret dictum Concilium in proximo celebrandum, cum illa cautela, quòd toto tempore, quo ibi esset Congregatio Prælatorum, aut duraret dictum Concilium, dimitteret aliquibus Potentibus non suspectis extra manus suas dictum temporale Dominium, cum receptione juramentorum & aliarum utilium cautelarum, quòd ista providere deberent, ut nemini fieret violentia vel injuria; sed sibi esset conveniendi & disponendi omnia plena libertas, cum salvo conducto omnibus qui illic venirent, quòd pro eorum voluntatis libito, inde tutò recedere possent. Quid tibi, Pater, de hoc videtur? An nihilominùs locus ipse à contendentibus de Papatu, & eis adhærentibus, tanquam non tutus posset licitè recusari? Et videtur, quòd non: cùm vix sit aliquis locus, qui per aliquod Dominium potens non occupetur, seu teneatur, ubi etiam posset impressio fieri; & qualiter in hoc esset providendum?

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
EPISTOLÆ DUÆ
AD
SUMMUM PONTIFICEM
JOANNEM XXIII.

Scripta paulò ante Concilium Constantiense

Nunc primùm prodeunt ex MS. Cod. Victorino, 56.

Ecclesiæ mala describit & deflet; futura etiam majora auguratur.

Rationes exponit quibus & præsentibus mederi, & futuris occurri queat.

Pontificem & Cardinales ad ea amplectenda vehementer hortatur.

B Sanctissimo Domino nostro Papæ Joanni XXIII. Petrus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis dictus Cameracensis: se ipsum totum ad obedientiæ famulatum.

Dudum, Beatissime Pater, Vestræ Sanctitati brevem scripsi Epistolam, nonnulla super Reformatione Ecclesiæ continentem. Et ut ad illa, aliaque, ad tam necessariam Reformationem utilia, de quibus olim prolixiorem compilavi Tractatum, animus ardentiùs inflammetur; aliqua valdè notanda, quæ coram sanctæ memoriæ Domino Urbano Quinto, suique Sacri Collegii Dominis Cardinalibus, prædicavit quidam solemnis sacræ Theologiæ Doctor breviter recolligere, demùm aliqua superaddere, & Vestræ Beatitudini præsentare decrevi.

C Sciendum est igitur quòd exercitatis in sacra Scriptura, ita notorium est quòd Ecclesia patietur, quòd ad hoc allegare superfluum videtur; sed circa hoc quatuor sunt videnda.

Primò. Quid sit futurum de hac tribulatione. Secundò. De ejus acceleratione. Tertiò. De falsa super hoc æstimatione. Quartò. De hujus tribulationis salutari consolatione.

Circa primum duæ Regulæ præmittuntur, quæ in sacris Scripturis clarè fundantur. Prima est, quòd per duo Regna Gentis Hebræorum, videlicet per Regnum Jerusalem, cujus caput erat Samaria, significatur in Prophetis Synagoga; & per Regnum Juda, de cujus stirpe natus est Christus, à quo nos veri Judæi sumus, secundùm Apostolum; & per Jerusalem quæ fuit illius Regni Metropolitana, designatur Ecclesia.

D Alia vera est, quòd per meretricium, seu fornicationem, intelligitur simonia, & abusiva dispensatio, atque promotio, quæ fit lucri causâ, seu alio adulterino favore. Meretricium namque dicitur à mercede; ergo venditur id quod natura fuerat non venale, quale est dare aliquid pro pretio, quod erat debitum pro virtute. His duabus Regulis, tanquam duabus clavibus reseratur nobis & aperitur intellectus Scripturarum, super statu Ecclesiæ præterito & futuro. Et exempli causâ, videamus quid Dominus per Ezechielem, sub nomine Jerusalem, huic Ecclesiæ loquitur dicens: *In die qua natus es vidi te, conculcari in sanguine tuo*, Ezech. xvi. ℣. 6. Ubi loquitur de sanguine Martyrum: & sequitur. ℣. 7, 9. *Et multiplicata es, & grandis effecta, & emundavi sanguinem tuum ex te*, scilicet castigatione persecu-

secutionis. *Et dedi coronam in capite tuo, & ornata es auro & argento, & vestita es bisso*, ℣. 12. & cetera multa subdit de prosperitate Ecclesiæ. Sequitur ℣. 15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine meo*, quod de fornicatione prædicta, seu alia carnali quacumque potest intelligi. *Et post omnes abusiones tuas, non es recordata dierum adolescentiæ tuæ*, ℣. 22. scilicet de statu primævo, *quando eras nuda*, id est pauper, *& conculcata in sanguine tuo, & abominabilem fecisti decorem tuum*, ℣. 25. Ecce quia lucidè prædicitur Ecclesiæ depravatio, & statim sequitur ejus punitio. Et *ecce*, inquit dicens, ℣. 39. *Dabo te* A *in manus odientium te, & destruetur lupanar tuum, & demolietur prostibulum tuum*, scilicet locus ubi exercebas injusta, *& denudabunt te a vestimentis tuis, & auferent vasa gloriæ tuæ, & derelinquent nudam plenam ignominia.* Ecce quid Ecclesiæ sit venturum, & subdit causam dicens. ℣. 46. *Soror tua Samaria*, id est Synagoga *dimidium peccatorum tuorum non peccavit*. ℣. 51. *Sed vicisti eam sceleribus tuis. Ergo & tu porta confusionem tuam*, ℣. 52. multa ibidem hiis similia reperiuntur, & in Isaïa, Jeremia, & ceteris Prophetis, quæ transeo causâ brevitatis.

Circa secundum, licèt non sit nostrum nosse tempora; tamen ex quibusdam signis potest suspicari, quòd hæc persecutio citò sit futura. Unum potest sumi ex di- B ctis Apostoli, in Epistola ad Thessalonicenses, ubi ait: *Nisi venerit discessio primùm*. 2. Thess. II. 3. quod Hieronymus exponit de Romani Imperii desolatione, inter quam, & persecutionem primam, nullam ponit mediam. Nunc autem qualis sit Imperii status, vos judicate. Quædam immò glossa ibi dicit: quòd erit discessio aliarum Ecclesiarum ab ipsa Romana. Aliud signum erit, quando Ecclesia erit pejor moribus, quàm fuerat Synagoga, juxta verbum Ezechiëlis: *Vicisti sororem tuam sceleribus tuis*. Cap. XVI. 51. Pharisæos notavit Christus de avaritia, qui permittebant vendi columbas in Templo Dei, & de hoc quòd solùm labiis honorabant Deum, & quòd erant hypocritæ. Videatis igitur si pejus est Sacramenta, & Beneficia vendere, quàm permittere vendi columbas in templo. Si sint aliqui qui nec labiis Deum honorant, qui non solùm non faciunt bona, sed nec dicunt, nec prædicant. Si sint aliqui quorum insolentia ad modum ignis in tantum succensa est, quòd nullo potest hypocrisis pallio ope- C riri; sed facti sunt inverecundi. Unde Ecclesiæ improperando dicitur: *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Jerem. III. 3.

Tertium signum sumitur ex proportione inæqualitatis nimiæ Ecclesiasticorum membrorum, cur alius quidem esurit, alius verò ebrius est. Sicut enim ad bonam armoniam requiritur inæqualitas moderata, quæ si nimis excedit, tollit melodiam: sic, secundùm Philosophum, propter immoderatam disparitatem, scilicet civium, corrumpitur politia. Non reperitur autem in historiis quòd unquam fuerit aliqua civium politia, in qua esset tanta differentia Sacerdotum; ut hii quidem essent majores quàm Principes sæculi, ceteri * divitiores vulgo. Videmus etiam quòd si nutrimentum fluat ad unum membrum, ita ut enormiter ingrossetur, & alia nimiùm macerentur, non potest corpus diù vivere: sic etiam in corpore Reipublicæ Ecclesiasticæ. Ideò di- D cit Propheta: *Omne caput languidum*, Isaiæ. I. 5. & sequitur ℣. 6. de corpore, *A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo sanitas*, inferioribus præ inopia non potentibus vivere, & Superioribus excessu divitiarum impeditis à bono opere. Et ecce periculum quod sequitur: *Vulnus & livor & plaga tumens*. Vulnus divisionis & discordiæ, livor rancoris & invidiæ, plaga tumens rebellionis & contumeliæ.

Quartum signum, est fastus Prælatorum. Fuerunt autem quidam qui fatuè disputaverunt de paupertate Christi, & invexerunt in Prælatos, quia non sunt sicut depinguntur Apostoli. Sed hæc phantasia venit ex ignorantia moralis Philosophiæ, & Theologiæ, & defectu naturalis prudentiæ, * antequam in omni gente & Lege vulgata de Jure, quod est propriè naturale, Sacerdote habere possunt & debent habere unde possint honestiùs vivere quàm populares, & Prælati quàm subditi. Sed ex hoc non conceditur equitaturæ, seu familiæ superflua pompa, quæ rarò potest absque superbia duci, & salvâ Justitiâ, sustineri: talis fastus in Ecclesia Dei, maximè temporibus istis, non tantùm movet paucos ad reverentiam, quantùm multos ad indignationem, & plures invitat ad prædam.

Quintum signum, est tyrannia præsidentium, quæ cùm sit res violenta, durare diù non potest. Tyranni proprietas est quærere non commune bonum subditorum, sed utile Principum. Tales sunt Pastores qui non pascunt gregem Domini, sed semetipsos; contra quos vehementer invehit Ezechias, & finaliter concludit: *Cessare eos faciam ut non pascant ultra gregem meum, liberabo eum de ore eorum, & non erit eis ultra in escam.* Ezech. XXXIV. 10.

Sextum signum, est promotio indignorum, & vilipensio meliorum. Hoc enim, secundùm Aristotelem, est malorum causa maxima, quàm occasio dissolutionis politiæ.

Septimum signum, est tribulatio politiæ secularis, & commotio popularis, quas in multis partibus jam experta est, & quemadmodùm ait Seneca: *Mala dedignantur sola venire*; timendum est ne priùs ea Ecclesiastica politia intrinsecùs patiatur, & impleatur quod ait Jeremias. IV. 20. *Contritio super contritionem*, &c. Et illud Ezechiel. VII. 24. *Adducam pessimos de Gentibus, & possidebunt domos eorum, & Sanctuaria eorum. Conturbatio super conturbationem, auditus super auditum, & Lex peribit à Sacerdote, & consilium à senioribus.* ℣. 36.

Octavum signum, est recusatio correctionis. Si forsan de Principibus Ecclesiæ verificabitur illud Zachariæ. *Noluerunt attendere, & cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent verba quæ misit Dominus.* Zach. VII. 11. 12. Hoc autem implebitur, quando Prælati veridicos & sanctificos habebunt invisos, sicut de eis dicit Amos Propheta. V. 10. *Odio habuerunt corripientem, & loquentem perfectè abominati sunt.* Et ideò ex talibus per Oseam Prophetam dicens, Cap. IV. 6. *Quia repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Et iterum, quia *Oblita es Legis Dei tui, & gloriam filiorum tuorum in ignominiam commutabo, & erit sicut populus sic Sacerdos.* ℣. 9. Multa siquidem alia dicta sunt in Prophetis, de ejectione Sacerdotalis honoris; & præter hoc sunt & alia signa, ut putà recessus Justitiæ, & penuria sapientum, prælatio puerorum, & novitas opinionum. Quibus attentis, judicari potest si præsentia tempora sint secura.

Quantùm ad tertium; cogitationes possunt hominibus circa hoc occurrere: quibus tamen sacri Canonis concordat authoritas.

Una est, nimis confidentium, atque dicentium quòd Prælati sint Ecclesia, quam Dominus semper custodiet, nec deseret eam, sicut promisit dicens: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, Matth. XXVIII. 20. Sed hoc intelligendum est, quantùm ad Fidem, de qua Christus dicit Petro: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, Luc. XXII. 32. Et ne fortè aliqui putent se à turbatione securos, qui sunt de Ecclesia, dicit Dominus per Jeremiam Prophetam, Cap. VII. 4. *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini est.* Et paulo post: *Vos confiditis in verbis mendacii, quæ non proderunt vobis.* ℣. 8.

Alia est opinio prorogantium, concedentium quòd Ecclesia turbabitur, sed non ita citò; quia multæ causæ prætactæ, & multa signa aliter extiterunt. Et dudùm per Sanctos Doctores, Gregorium & Bernardum,

* *Fortè*, dejectiores.

* *Locus corruptus.*

dum, fuerunt reprehensi Prælati, de receptione munerum, de pompis, & de promotione indignorum, ac aliis vitiis; & tamen adhuc usque nunc prosperè stetit Ecclesia. Hii non vident quòd si domus aliqua diù fuit ruinosa, propter hoc non est à casu remotior, aut minus periculosa. Etiam multotiès accidit in Principatibus, quòd posteri temporaliter pœnas portant, pro peccatis prædecessorum. Contra hos in Isaïa dicitur: *Subitò & citò, dùm non speratur veniet contritio*. C.xxx.13.

Tertius error est valdè perversus quorumdam dicentium: veniat quod poterit, conformemus nos huic sæculo tempestiviùs, sicut illi qui dicebant: *Fruamur bonis quæ sunt*, &c. Sap. II. 6. Tales sunt valdè periculosi Ecclesiæ Dei, contra quos dicit Dominus: *Omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis*, & *ego in interitu vestro ridebo, cum venerit super vos repentina calamitas*, Prov. I. 25.

Quartus est error diffidentium, quibus non videtur in hoc posse dari remedium. Sed quòd sicut aliqua Regna habuerunt suam periodum, ita necesse est quòd hujus Ecclesiæ dominatio capiat finem, exigentibus demeritis, & obstinationibus gubernantium; juxta illud Jeremiæ. *Si potest Æthiops mutare pellem suam, & pardus varietates suas, & vos poteritis benè facere*, cùm *vos malum didicistis*, Jerem. XIII. 23. Et iterum de Juda signante Ecclesiam dicitur: *Peccatum Judæ scriptum est stilo ferreo*, Cap. XVII. 1. Quasi dicatur, quòd est indelebile. Et similiter de pœna in Ezechiële dicitur: scribitur: *Ego Dominus eduxi gladium meum de vagina sua irrevocabilem*, Ezech. XXI. 5. Sed hæc non significant impossibilitatem, sed benè difficultatem; quia, *Perversi difficilè corriguntur*. Eccle. I. 15. Unde opinio de immutabilitate futurorum, non solùm adversatur Theologiæ, & Philosophiæ; sed etiam Astronomiæ. Propter quod dicitur per Jeremiam. *Noli substrahere verbum, si fortè audiant & convertantur unusquisque à via sua mala*, Jerem. XXVI. 2. Et multa sunt Scripturæ exempla, qualiter dicunt: *Placatus est ne faceret mala*, Exod. XXXII. 14.

Quantùm ad quartum, restat dare salubre consilium; & istud concluditur ex prædictis, videlicet quòd licèt, secundùm præmissa, super Ecclesiam sit tribulatio præparata; tamen si mores nostros in meliùs reformemus; si fastus nimios cum prudentia & modestia temperemus; si corde & opere ad Deum revertamur; ipse modo inæstimabili nos juvabit, & à flagellatione cessabit; sicut ipse per Jeremiam ait: *Si pœnitentiam egerit gens illa, à malo suo, ita & ego à malo quod cogitavi facere*, Jerem. XVIII. 8. Unde ad Dei misericordiam postulandam nos debet non solùm impellere timor tribulationis de propè imminentis; sed etiam spes, & amor salutis attrahere.

Hæc, Beatissime Pater, ex dictis alienis colligere & allegare volui, magis quàm ex propriis affirmare; hac maximè de causa, quia ante præsens schisma, & in tanta audientia prædicata fuerunt solemniter publicata, quæ tantò ampliùs ponderanda videntur; quia citò post, defuncto Domino Gregorio Papa XI. successore dicti Domini Urbani, secuta est tam horrenda tribulatio Ecclesiæ; de qua tamen circa ejus nuntium multa scripsi, & præcipuè in quadam Epistola invectiva, quam aduersùs pseudo-Pastores, sub nomine Ezechiëlis direxi; & in Sermone de Beato Francisco, qui incipit: *Quicumquè hanc regulam secuti fuerint, Pax super illos*, Galat. VI. 16. Ubi declaravi hujus schismatis causam antecedentem, ipsiusque effectum subsequentem, & antecedentem causam; & ex dictis Propheticis fusè demonstravi Ecclesiasticorum injustorum, & maximè Prælatorum multiplicem malitiam. Unde quia non sunt secuti Regulam Evangelicam, non mansit pax Ecclesiastica super illos; sed cecidit contentio super Principes, & facta est inter illos contentiosa divisio, cujus subsequentem effectum fore prædixi multiformem innumerabilium malorum miseriam. Nam, quia grex civium Christi, proh dolor! multipliciter est divisus; ideò ovis contra ovem certat, & alia contra aliam de Pastore litigat, & quem una quasi Pastorem verum sequitur, alia tanquam violentum lupum persequitur. Hinc mirabiles & miserabiles contentiones & rixæ; hinc inexplicabiles & implacabiles seditiones & guerræ; hinc commotiones populorum; hinc divisiones Regnorum. Hinc Papalis dignitas opprimitur, Clericalis libertas destruitur, & totius Ecclesiastici Ordinis honestas confunditur. Hinc sequitur Justitiæ & æquitatis perversio, exclusio Charitatis & Amicitiæ, Pastoralis reverentiæ diminutio, & substractio obedientiæ filialis. Quid plura! Hinc indignorum exaltatio, dignorum repulsio, infidelium exaltatio, & desolatio fidelium, & ut brevi verbo concludam; hinc nascitur innumerabilium turba malorum, quæ quotidie magis crescere, magis docet experientia, quàm posset scriptura describere.

Magna sunt, Beatissime Pater, magna sunt hæc mala, quæ ut optimè nostis, ex hoc nefando schismate sunt secuta: & licèt nec Propheta, nec filius sum Prophetæ; tamen sine temeraria assertione audeo dicere, quòd nisi in Generali Concilio proximè celebrando contra hæc damnabilia scandala prævisa fuerint remedia, hanc divisionem schismaticam penitùs extirpando, & Ecclesiam tam multipliciter deformatam in melius reformando; verisimiliter credere debemus quòd adhuc majora mala, & ampliora sint futura: quia, *Non est adversus furor* Domini, *sed adhuc manus ejus extenta*, Jerem. V. 25. Et nisi conversi fuerimus, *gladium suum vibrabit, arcum tetendit, & paravit illum*, Ps. VII. 13. Præcesserunt ergo magna; sed nisi salubriter convertamur, sequentur majora. Præcesserunt corruscationes; sequentur tonitrua. Nam ex hujus schismatis diuturnitate, diuturnaque obstinatione, in qua nullum præcedere schisma & simile fuisse legitur, jam adeò multi Principes & populi Christiani scandalizati sunt, & tædio afflicti, ut vix de Ecclesiæ unione & reformatione audire curent: de quorum fortè incuria & contemptu, multi non solùm seculares, sed Ecclesiastici gaudent, quærentes terere tempus, & in bonis hujus sæculi transire dies suos: sed frustra, fatuèque gaudent, quia hic error eorum non solùm in profundo tartari æternaliter damnari meretur; sed etiam in eorum miserabili vita temporaliter punietur. Nam à multis retroactis temporibus, non fuerunt tot & tanti malevoli, contumaciter rebelles, & superbè adversantes Ecclesiæ, sicut hiis novissimis diebus. Nec desunt qui in odium ejus, errores contra Christi Fidem seminant, & hæreses, & machinantur Sectarum novitates, sicut in hac mea Legatione, non sine cordis amaritudine, cognovi. Unde ex hiis omnibus præambulis Antichristi, verisimiliter credere, & vehementer timere cogimur, quòd nisi ad Deum, per veram pœnitentiam convertamur, & ipse ad nos per piam misericordiam convertatur, fiet contra Prælatos & Clerum popularis seditio, & tribulatio talis & tanta, ut eam formidet animus cogitare, linguaque referre. Nec præsumat aliquis contra hanc persecutionem se tueri, aut multitudine armatorum, aut fortitudine bellatorum, non confidat in tutela Civitatum, vel ambitu murorum, non in Citadellis, aut Castellis; quia gladius divini furoris, & arcus ejus omnia penetrabit, & tonitrus iræ suæ omnia conteret. In hiis verò, non in * peccatorum fidem dari requiro; sed illis qui Spiritu sancto inspirati locuti sunt, inter quos non spernendi videntur ille venerabilis Abbas Joachim, de Calabria; & Sancta mulier Hyldegardis, de Alemania, qui de præsenti schismate & horrenda Ecclesiæ tribulatione multa valdè notanda, in suis Libris & Epistolis prædixerunt. Sed etiam hiis concordant non solùm testimonia Prophetica, verùm & Astronomica judicia, quæ non sunt à Catholicis penitùs respuenda, sicut me no-

* Aliquid deest.

Digitized by Google

notasse recolo in Tractatu quem nuper compilavi, *De concordia Astronomicæ veritatis, & narrationis historicæ*, quem superaddidi ad priorem Tractatum, *De concordantia Theologiæ & Astronomiæ*; in quibus, & etiam in primo quem *super correctionem litteralem Kalendarii*, dudùm Vestræ Beatitudini præsentavi. In alio quoque quem, *De Legibus & Sectis* intitulavi; aliqua Ecclesiæ utilia scribere credidi. Ea tamen omnia, unà cum aliis quæ pro hujus schismatis extirpatione, & Ecclesiæ reformatione, variis scripsi temporibus, sanctæ Sedis Apostolicæ & sacri Collegii A Generalis correctioni submitto, ut adhibito diligente examine, rejectis superfluis, quod in eis utile visum fuerit acceptetur, nec illud modicum quod cum paupercula muliere in gazophilacium Domini ponendum offero, repellatur.

Sed jam præsentem Epistolam suo fine claudamus. Audiat igitur, Pater Sancte, Sublimitas Vestra, & favorabiliter audiat, quæ fideliter locuta est parvitas mea. Immò verò non tam me audiat loquentem * contra ipsam Ecclesiam lamentantem. Ego, inquit ipsa, ego Christi sponsa, tibi tuæque gubernationi commissa, nnnc inter tot & tanta malorum pericula constituta, ad te lachrimosa clamare compellor. Ego dudùm à Christo supra firmam Fidei petram fundata, ejus sanguine consecrata, Apostolorum prædicatione solidata, tot Martyrum, totque Sanctorum meritis & virtutibus aucta, tam magnitudine fidelium Principum, & Christiani po- B puli devotione dotata, tamdiùque ditata & divitiis ac honoribus prosperata: nunc proh dolor! innumeris periculis & adversitatibus circumdata sum, & ex malis præsentibus timeo præcipitium ad pejora. Vides me multipliciter divisam, mirabiliter laceratam, miserabiliter deformatam. Si hoc piis occulis vides, ostende quòd Summus Pater, Summus Pastor, Summus Pontifex esse mereris: ostendes utique, si me divisam unire, laceratam reparare, & difformatam reformare studeas. O me felicem Matrem, teque verè Beatum, & Sanctum Patrem, si tam beatum & sanctum opus, tamque utile & necessarium, cooperante tibi sacro Generali Concilio, divina gratia implere concedat. Concedet utique, & hæc spes mea est; si tamen tu, cæterique ad quos pertinet, quod in vobis est feceritis; & divinam gratiam coadjuvare velitis. *Dei enim* C *adjutores sumus*; ut ait Apostolus, 1. Cor. III. 9. Et ipse, si per vos non steterit, Apostolo teste, *Opus bonum perficiet*, Philipp. I. 6. *Solidabit, consummabitque*. I. Pet. V. 10. Vos igitur ô fideles Christi, omnes invoco, omnes exhortor, ad tam bonum opus, consilium & auxilium dare, ad hoc totis viribus intendere. Attendite ergo, filii, Matris vestræ dolorem, & intendite ad ejus consolationem; sed ad hoc vos specialiter invoco, & singulariter exhortor. O sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales; ô vos totius Orbis cardines, qui propter hoc lateri Summi Pontificis assistitis, ut, absentibus aliis membris, totius Ecclesiastici corporis vices geratis. Vos insuper ô Pastores & Prælati, cæterique ad hoc Generale Concilium evocati, omnes generaliter admoneo, vobisque mala mea lamentabiliter explico, dicens: *O* D *omnes qui transitis per viam, attendite & videte si est dolor sicut dolor meus*. Thren. I. 12. Vos inquam, qui transituri estis per viam, venturi ad locum Concilii Generalis, attendite oculis cordis, & videte oculis corporis, attendite dolorem, & videte desolationem, & ideò ad meam consolationem intendite, citò accedite, quamociùs properate. Sed ad vos me converto, ô Christiani Reges, & Principes, & ad te præcipuè Illustrissime Romanorum Rex, qui tanquam fidelis Advocatus Ecclesiæ, ad hujus Concilii congregationem te devotum esse monstrasti, teque in ea personaliter interesse spopondisti. Ad te, inquam, cæteros que Principes terræ confugio, pro consolationis auxilio, & executionis subsidio: nam propter hoc à Deo recepistis gladium, ut sitis Ecclesiæ pugiles, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Væ væ igitur, & iterum væ omnibus Ecclesiæ filiis, si non nunc diligenter attendatis, & vigilanter intendatis ad consolationem suæ Matris: sed hoc avertat Deus, & omnia convertat in melius, qui vivit & regnat benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

II.

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,

AD JOANNEM XXIII.

EPISTOLA

De præcipuis Reformationis Ecclesiæ capitibus.

SANCTISSIMO Domino Nostro Joanni XXIII. Summo Pontifici, Petrus Cardinalis Cameracensis, Ecclesiæ minister indignus, se ipsum totum ad debitæ servitutis obsequia, usque ad pedum oscula beatorum.

Apostolicam decet magnificentiam vestram, Pater Beatissime, magna & ardua negotia Ecclesiæ, in Generali Concilio proximè celebrando maximè promovere, minora verò relinquere minoribus; de majoribus verò, immò permaxime esse censeo ea quæ ad reformationem Capitis, hoc est, Sedis Apostolicæ, ac Romanæ Ecclesiæ pertinere noscuntur; quæ etiam vix auderet quisque, vel leviter, tangere, nisi Vestræ Sanctitati crederet placiturum, ne os in cœlum ponere videatur. Unde mihi veniam dari postulo, si de hiis scribere filialis præsumat devotio.

Imprimìs igitur aperiendi essent modi rationabiles, quibus salubriter præsens schisma posset convenientiùs terminari, & pax Ecclesiastica reformari. Item, Sanctorum Patrum sequendo vestigia, qui contra præcedentia Ecclesiæ schismata in Conciliis Generalibus futura remedia providerunt, ne similia ulteriùs orirentur. Essent primitùs considerandæ principales radices, & occasiones præsentis schismatis, ex quibus ortum, & tamdiu, proh dolor, firmatum est, ut nullum aliud simile fuisse legatur. Item, ut tanti mali radices extirpentur, essent contra eas, & eorum occasiones convenientia remedia statuenda. Ponamus ergo, exempli gratiâ, quòd tales fuerunt radicales hujus schismatis causæ.

Primà. Romani populi seditio, seu tumultus. Secunda. Dominorum tunc Cardinalium longa dissimulatio, tardaque allegato sui metus. Tertia. Ambitio Papatus, quia videlicet una Orbis Natio diù Papatum tenuerat; alia verò, è contra, cupiebat Papam habere Romanum, vel saltem Italicum. Contra hoc igitur, hiis modis, aut aliis convenientioribus, providendum esse videtur. Contra primum; quòd de cætero nullibi Curia Romana resideret, nisi ubi esset aliquis locus tutus pro habitatione Papæ & Cardinalium, ac pro electione futuri Summi Pontificis, a tumultu populari securus. Contra secundum; quòd statuatur certum tempus, ultra quod non licet Cardinalibus in electione de Summo Pontifice facta, metûs exceptionem aliquatenùs allegare. Contra tertium; quòd ampliùs de uno Regno, vel Natione, aut Provincia non fiant tot Cardinales, quòd possint in electione Papæ per pluralitatem vocum Papatum ad libitum obtinere, & Sanctuarium Dei, quasi hereditariè possidere; sed

* *Hic deesse videtur* quàm, *loco* contra.

sed de omni Natione absque personarum acceptione fiat electio.

Item, quia, propter peccata nostra timendum est hoc schisma in pertinaci obstinatione durasse, aliaque multa processisse scandala; ideò expediret Romanam Ecclesiam, quæ Caput est omnium, se ipsam priùs in justitia & moribus reformare, ac demùm, ad reformationem cæterorum membrorum procedere.

Item, hac reformatione præmissa, Romana Ecclesia, sacrumque Collegium efficaciùs poterit exhortari Reges & Principes seculares, ad debitam reformationem, & præcipuè ad concordiam & pacem: cùm ex eorum guerris & contentionibus, jam tota ferè Christianitas afflicta sit.

Item, sicut aliàs factum est in quodam Concilio Lugdunensi, ita & nunc expediret videretur ordinare unum generale passagium transmarinum, non solùm in subsidium Terræ Sanctæ; sed etiam ad reductionem Græcorum, & aliorum schismaticorum. Ac per hoc verisimiliter sperandum esset faciliùs Principes induci posse ad pacem inter eos reformandam, vel saltem ad longam treugam, quod esset plurimùm ad infidelium desolationem, & exultationem fidelium. Item, super præmissis, aliisque reformationem Ecclesiæ concernentibus, ante celebrationem Concilii expediret, à Sede Apostolica certos Commissarios deputari, qui examinatâ, & diligenter discussâ materiâ tractandorum, tandem Vestræ Sanctitati per eos digesta referrent, priusquàm venirent in publicum; ut maturiùs ejus Sanctitas, sacri Concilii authoritate, omnia concluderet.

Cùm autem, Beatissime Pater, dudùm super hiis pleniùs scripserim; hanc tamen Epistolam nunc Vestræ Beatitudini solùm pro brevi memoriali humiliter porrigere dignum duxi, quam feliciter conservare dignetur Altissimus, ad regimen & reformationem Ecclesiæ suæ sanctæ.

FINIS.

FRAGMENTUM EPISTOLÆ EJUSDEM AD JOANNEM XXIII.

Ex MS. Cod. Vindobonensi.

NUNC peto, Amantissime Pater ut aliud dubium mihi velit Vestra dilectio reserare. Ecce enim Jure vetustissimo, veteri, novo & novissimo. *Electio summi Pontificis spectat ad Collegium Dominorum Cardinalium*, ita ut saltem duas partes illorum, illum habere opporteat, qui se asserit electum in Papam, quod non negatur. Numquid ipsi Domini Cardinales, pro metu eorum, ac præter, & contra Jura hujusmodi, possunt eligere aliquem voluntariè homicidam, vel aliter notoriè criminosum, Irregularem, defectuosum, seu aliàs inhabilem ad Papatum? Quia forsan allegabunt, ad justificandum, & colorandum factum eorum, quòd recognoverint illum esse bonum temporalem, quia forsan erat expertus in factis armorum, & scivit benè exactionare subditos, nec non collectas instituere, gabellas augere, & plura facere, quæ non spiritualibus congruunt, nec adhærent; aut quòd eligerint aliquem importunum, qui per fas & nefas efflagitabat electiones, & vota eorum, ut quilibet præficeretur in Papam; & ita factum extitit, ut frequentiùs importunitas vincit, & Papa efficitur.

Et quid ibi subditis, scilicet omnibus Christianis, sit salubriùs consulendum, aut objiciendum illi ut Papæ, vel non, vel quid faciendum.

Certè, frater carissime, quòd hæc res nimis sit ardua, & vehementer excedat exiguas vires meas, veluti tenebrosa aqua in nubibus aëris: *Ideò te remitto determinationi Concilii Generalis*, in proximum celebrandi, & quid ibidem tibi dicetur incunctanter observa.

Verùm, quid sentiam in ea parte fiducialiter tibi revelo, *Non puto quòd sit ille verus, & canonicè electus Papa.* Imò *a Christianis non sit pro Papa colendus*, vel habendus.

Neque in Papatu tali eum temporis longitudo confirmat, quòd sit verus Papa; quia tempus non inducit obligationem. Hoc utique sanè ab intelligentibus elicitur, ex *Dist.* 23. *Cap.* 1. *Dist.* 8. *Cap.* 9. *Decretal. Lib.* 1. *Tit.* 6. *Cap.* 6. *Clement. Lib.* 1. *Tit.* 3. *Cap.* 2. & aliis Canonibus, & Juribus multis.

Hoc etiam totum confirmat quòd Summi Pontifices non debeant esse lucrosi, neque belligeri, neque exactores importuni, aut publica seu spiritualia temporalibus postponendo, sed contra: quia Sancti *per Fidem vicerunt regna*, Heb. XI. 33. nec debent esse avari, imò largi: quia *Beatius est dare, quam accipere, & hilarem datorem diligit Dominus*, 2. Cor. IX. 7. Et eleemosynari & benigni, non venditores Ecclesiasticorum titulorum, sed ita gratis, dignis & benè meritis, cum bono temperamento conferre, ut ipsis congruat illud: *Fidelis, & prudens, quem Dominus constituit super familiam suam*, Matth. XXIV. 45. & quia temporalia sunt accessoria spiritualibus, & non contra.

Et quid cum tanta solemnitate eligitur in Papam, ut habetur in Jure? Si ad acquirendum temporalia bona per cœtum Cardinalium in Papam eligi posset: & talis omni Jure Papa esset colendus, cujus tamen defectus quoad illud essent notorii, seu manifesti. Tunc utique quilibet capitaneus gentium armigerarum, strenuus & sagax in illa arte, vel quilibet industriosus mercator, vel alter similis, in Papam per ipsos Dominos Cardinales ipsis solemnibus, Jure, ut potè superfluis & inutilibus omissis, vel non servatis, eligi posset, quod certissimè nullatenùs est credendum, propter absurdum. *Non* enim *esset honestum quod agricola callosis manibus sacra tractaret*, neque parnnosus fuliginosus esset circa sacra, ut dicit Philosophus in politic.

Sic non decet aliquem esse Papam, & ea quæ spectant ad ipsius officium nescire; aut scire, sed nolle formaliter exercere.

Stat igitur illud, quod raro finiantur felici exitu, quæ debito caruere principio.

Et hæc sit tibi responsio mea, super qua me nolo ampliùs dilatare. Benè dixisti, amantissime Domine mi, & benè contentor de tuo responso mihi gratissimo. Proinde tibi gratiarum actiones refero, corde & animo, Dominus sit tecum, teque custodiat in æternum.

PETRI

Digitized by Google

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
MONITA,
DE
NECESSITATE
REFORMATIONIS ECCLESIÆ, IN CAPITE ET IN MEMBRIS,
Scripta in principio Concilii Constantiensis.

Ex Vetustissimo MSCto Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis.

CAPUT I.

De corrupto Ecclesiæ statu circa tempora Concilii Constantiensis.

FRequenter in Ecclesia oramus Deum, ut doceat nos terrena despicere, & amare cœlestia. Despicere, id est, in affectione postponere terrena, & amare super omnia Christum. Quid igitur vult dicere, quòd ita Christus, præcipuè in Romana Curia, despicitur, & aurum ei præponitur? Et quare bonum unionis in Universali Ecclesia, quod precipuè cuncti viri, & quantò principaliores sunt, tantò efficaciùs quærere deberent, negligitur? Cùm tamen Christus pro suis Apostolis & Discipulis oraverit, ut *unum* essent. Et Apostolus idem sequens hortatur Ecclesiam & Ecclesiasticos ad *unitatem in vinculo pacis: Unum corpus, unus spiritus, unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium* Ephes. IV. 3. 4. 5. Et extra hanc unionem non est salus.

Quærite igitur jam, vos Patres in isto Concilio congregati, cordialiter & audacter, & Dominus erit vobiscum, in unitate beatitudinis, cujus electi filii sunt in beatitudine finaliter uniti.

Et quòd Christus singularirer tradidit claves Petro, per hoc signari voluit Ecclesiæ unitatem in Fide, ad quam fideles invitavit Christus per hanc singularem clavium traditionem, ut ait Glossa super illo: *Et tibi dabo claves regni cœlorum* Matth. XVI. 19. Vel quòd Petrus Christum Filium Dei esse primùm constanter & manifestè confessus est, primò ipsius dotatur clavibus, & honoratur, & honorari permittitur, ut sic etiam confitendi Christum palam & constanter per hujusmodi præmium cæteris præberet exemplum.

Nec credendum est, quòd propterea beatus Petrus factus sit impeccabilis. Quia quamdiù viator fuit, errare potuit & peccare, pro sui arbitrii libertate. Unde Christum negasse legitur, & quandoque ad veritatem Evangelii ambulasse non rectè.

Erroneum igitur est dicere, quòd quis assumtus ad Papatum, sit ille qualiscunque, propterea sit Sanctus. Licèt Canonistæ multis altercentur verbis, quòd Sedes illa Petri aut istum Sanctum inveniat, aut Sanctum faciat.

Legitur enim aliquem hæreticum, aut necromanticum, cupidum, aut superbum, aut aliter criminosum, ad Papatum fuisse assumtum qualitercunque. Sed quod per talem assumtionem Sanctus fuisset factus, mirum est tenere.

Credendum tamen, quòd si assumentes vel eligentes talem in Papam, haberent potestatem hanc infundendi gratiam, sicut accidit de beato Matthæo Evangelista assumto ad Apostolatum de publicano, quòd tunc benè procederet illud quod ipsi asserunt de hoc Canonistæ, ut præfertur. Sed quia quæque ratio firmat pactum, standum est eo casu factis & non verbis. Igitur ex quodam stylo & usu veterum, obtinuerunt illi qui dictam Sedem occupabant, eis scribi per cunctos Christianos: Sanctissimo, vel Beatissimo Patri in Christo, tali vel tali Summo Pontifici &c.

CAP. II.

De tribus Pontificibus, Gregorio XII. Benedicto XIII. & Johanne XXIII. in Concilio Constantiensi removendis, ac alio bono substituendo.

IN isto Concilio Generali primùm principaliter tractandum est, ut efficaciter inveniatur ibi modus & finis, ut fiat vera unio in tota Christianitate, antequam dictum Concilium dissolvatur, ita ut non sit nisi unum caput, de quo Christiani concorditer dicere possunt: Ecce, iste est Papa noster; & cesset ibidem omnis ambiguitas, & pluralitas de Papatu &c.

Aptior autem & brevior via est, quoad hoc, ut tres contendentes nunc simul de Papatu, & in diversis dominiis constituti, non obstante deliberatione & conclusione Concilii Pisani, cedant.

Quibus cessionibus factis, eligatur aliquis vir scientificus, probus, & idoneus, per præstantiores Prælatos XII. aut plures, vel pauciores, extra Collegium Dominorum Cardinalium, sed cum eorum concursu, per totum Concilium cum plena autoritatè ad id deputandos.

Aliàs autem si per omnes talis Pontifex eligi deberet, verosimiliter propter multitudinem, quæ fortè ad diversa tenderet, electio ipsa non procederet formaliter, ut deberet.

Sed caveatur etiam, ne potestas eligendi hac vice, in eosdem duos Cardinales aliqualiter declinetur. Quòd si hoc fieret, quod absit, omninò impediretur per ipsos ipsa electio novi Pontificis: Aut unum de se ipsis eligerent. Et tunc forsan esset error novissimus pejor priori. Causas verò, quare hoc, quia valdè multæ sunt, & multis exosæ, nolui recitare. Quisque tamen prudens & expertus ex se ipso illas concipere potest.

Præterea, si forsan Angelus Corario, & Petrus de Luna ad ipsum Concilium non venerint, nec sufficientia procuratoria miserint ad cedendum pro ipsis, ad id ut plena unio subsequatur, poterunt de novo citari ad prædictum Concilium. Et illuc, in quacunque forma voluerint, venient: sicut & incedant in publico & privato, pro beneplacito eorundem, dando etiam ipsis plenam securitatem illic veniendi, & ibidem standi & abeundi, si velint: Aut ut mittant procuratores suos, cum pleno mandato ad cedendum simpliciter & de plano.

Quorum si alterum fecerint, & similiter si neutrum horum peregerint, certè propterea non debet Dominus noster Johannes Papa se reddere difficilem ad cedendum; esto etiam, quòd bonum & verum jus habeat in Papatu: ut ipsa unio, quæ aliàs verosimilirer fieri non posset, perfectè, dante Domino subsequatur. Et causæ hujus efficaces & multæ sunt valdè, aliàs in eodem Pisano Concilio per multos Doctores quamcelebres luce clariùs determinatæ, & sic eas non expedit refricari de novo.

O me felicem, si ipsos tres insimul contendentes, in uno loco insigni, in Papalibus insigniis, aut in divinis insimul stare aut incedere viderem! quòd tunc non

Digitized by Google

non dubitarem, quin ipsimet de hoc consensu confusi, unionem facere omnibus modis laborarent.

CAP. III.

De Reservationibus Papalibus in Concilio Constantiensi abolendis.

IN omnem autem eventum Reservationes speciales & generales de Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Abbatiis, & aliis inferioribus dignitatibus & Ecclesiis ac Ecclesiasticis Titulis, sive in corpore Juris Canonici, sive in Libro Cancellariæ Apostolicæ conscriptæ, penitùs removeantur; ad obviandum vitio simoniæ, quod plurimum in Romana Curia inolevit, & aliis multis dispendiis, quæ ex ipsis reservationibus longè latèque per Orbem terrarum oriuntur. Aut certè usque ad finem quinquennii, quo iterùm fiat Generale Concilium, suspendantur. Ita, ut ipsa Universalis Ecclesia in Capite & in membris ad veram unionem reducatur. Et interim contra illos, ad dispositionem Juris communis in eo statu remaneat, in quo erat, antequam illæ Reservationes fuerant adinventæ. Quo Romana Ecclesia sit contenta, sicut ante illarum introductionem stetit vel remansit ad minimum annis octingentis, aut circa. Et si bonum est pro utilitate communi, ut sic fiat, benè quidem; sin autem, in futuro subsequenti Concilio poterit aliud tunc conveniens ordinari.

Quid enim est utile, ut sub colore ipsarum Reservationum paucæ admodùm personæ ditentur, & tota Christianorum Communitas depauperetur & opprimatur? Exhauriuntur enim pecuniæ Palatii subtiliter ab avaris. Nempe ambitiosi nunquam possunt ab initio quiescere vel pausare. Interdicuntur frequenter Ecclesiæ & terræ: atque alia multa mala propter ipsas Reservationes, ut coram, subsequuntur.

CAP. IV.

Adstringendum esse novum Papam ad servanda Concilii Constantiensis Decreta.

ITem, ut firmiter observentur quæ in hoc Concilio salubriter ordinabuntur, pro integranda efficaciter & verè ipsa Universali Ecclesia in Capite & in membris: quia novis morbis nova convenit antidota præparari; statuatur quòd si quitentur ista, quæ in eodem Concilio ordinari contigerit, in toto, vel in parte, dicto durante, quanquam modò observarentur per Dominum Apostolicum, illius certitudinaliter apparente veritate, liceat eo ipso liberè Archiepiscopis & Episcopis, in quorum Civitatibus vel Diœcesibus illis ordinatis per quemcunque modum, aut per quascunque causas insertas litteris Apostolicis derogatum extiterit, ex tunc cum eorum subditis omnibus, absque aliqua pœna, autoritate propria, ab ipsius Apostolici subjectione recedere, & remanere aliàs juxta Juris ordinationem, quousque dictum aliud subsequens Concilium fuerit inchoatum, & ex tunc facere, sicut dictabitur in eodem.

Quid enim expedit, multa Concilia Generalia celebrare, & in eis ordinata non servare? Vidimus enim quoad illud, quod promissa, vota, & juramenta, Deo & ejus Sanctis ultrò præstita, eis non redderentur, nec reddantur, & toties vota & juramenta hactenùs pro integranda ipsa Ecclesia, in Capite & in membris, nec non illius facienda unione præstita, penitùs non servari.

CAP. V.

De regimine terrarum Papalium non per Nepotes & Consanguineos, sed alios deputatos tenendo.

ITem ordinetur, quòd Apostolicus Episcopus, pro tempore, non debeat terras Romanæ Ecclesiæ regere per suos consanguineos, fratres, vel nepotes; sed per aliquos prudentes & circumspectos Cardinales, de consilio & assensu Collegii Dominorum Cardinalium assumendos. Omnis enim excessus, qui juxta Statuta municipalia quanquam civiliter & modicâ pœnâ mulctari seu puniri deberet, per istos fratres, consanguineos, vel nepotes, sæpe, avaritia, aut alia passione impellente, punitur magis ad ipsorum fervorem & voluntatem, quàm Lege aut ratione: nec audent gravati conqueri, vel ab eis qui eos gravant appellare; quia si contrarium teneant, non audirentur, sed aut fortiùs, aut severiùs punirentur.

Propterea datur occasio ipsis subditis immediatè prædictæ Romanæ Ecclesiæ sæpiùs rebellandi; & necessitate cogente, nova dominia admittendi. Undè guerræ, & maxima pericula animarum & corporum multoties subsequuntur.

CAP. VI.

Reservationibus Papalibus subtrahi veris Ecclesiarum Patronis Jus Patronatus.

PRæterea per obitum illius quondam impii Ladislai Regis Siciliæ adeò grata tranquillitas eidem Romanæ Ecclesiæ orta est, ut ipse Apostolicus, si velit, possit in pace terras Romanæ Ecclesiæ gubernare, cum maximo ejus emolumento. Ad quid igitur vult gravare Ecclesias & Clerum sibi subjectum, seu in ejus Obedientia constitutum, per istas infaustas Reservationes generales? quæ etiam in Ordinariorum Collatorum cedunt gravissimum detrimentum: & sic obedientes Domino Apostolico Ecclesiastici Prælati & Ecclesiastici Collatores, quos Dominus Papa meritò diligere & honorare deberet, per hoc, Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione fraudantur, & ex obedientia sua damna reportant; cùm nimis inæqualiter ipsa Beneficia reservata in Romana Curia reserventur.

Item bonum est, ut ordinetur in eodem Concilio, quod nullus Dominorum Cardinalium habeat inter Commendas aliquem Archiepiscopatum, aut Episcopatum, nec non Abbatias: quia per tales Commendas destruuntur in spiritualibus & temporalibus ipsi Archiepiscopatus, Episcopatus, & Abbatiæ, & per mercenarios gubernantur, ita ut oves illic nesciant pastorem quem sequantur, & infinita peccata propterea committuntur; scilicet vivunt ipsi Domini Cardinales de reditibus Capellanorum Cardinalatus, & aliis eorum proventibus: ut quilibet eorum aptet te, prout convenit etiam Communitati pro ejus statu tenendo.

Quid enim valet illa mirabilis pompa, quòd qui forsan hodie contentus erat etiam in publico incedere cum uno Clerico, scilicet in crastinum, fortuna annuente, factus Cardinalis; vix ei sufficit Orbis terræ, & vult incedere ita pompaciter, ac si exercitum secum duceret ad præliandum; cùm tamen non possit plus consulere in magno apparatu exercitûs, quàm consuluit, dùm erat in minoribus constitutus.

Digitized by Google

CAP. VII.

Damna in Romanam Curiam ex Reservationibus Bonifacii IX. illata.

NEc est omittendum, quòd per ipsas infaustas Reservationes quondam Bonifacii IX. in ejus Obedientia nuncupati, quia ipse, & ejus Satrapæ qui apud eum manebant, nimis erant cupidi ad extorquendum pecunias qualitercunque à subditis in eadem Obedientia, pro Archiepiscopatibus, Episcopatibus, Abbatiis, & aliis inferioribus dignitatibus, ac Ecclesiasticis Titulis conferendis, primò Angliæ, & postea Ungariæ regna, nec non successivè quasdam aliàs Provincias abalienarint; de quibus præprimis multas valdè pecuniarum summas trahere consueverant ipse & ejus Cardinales, ex impetratione hujusmodi Archiepiscopatuum &c. Illa tamen emolumenta pro majori parte posteà perdiderunt; nescierunt enim uti modis in talibus dudum teneri consuetis: & ex tunc, usque in hodiernum diem, de illis regnis non accesserunt, nec accedunt Clerici ad impetrandum Ecclesiasticos Titulos in Romana Curia, sed fuerunt & sunt quodammodò facti acephali, & non obedientes debito Vicario Jesu-Christi. Sicut flumen extra suum naturalem alveum ductum, ad eum posteà difficilè reducitur.

Et hujus erroris dant occasionem illi qui præsunt, qui deberent tanquam fideles & prudentes servi, quos constituit Dominus super familiam suam, prudenter & liberaliter omnia spiritualia & Ecclesiastica dispensare, & non dicere aut sequi illud quod legitur de Juda Iscariot: *Quid vultis mihi dare? &c.* Matth. XXVI. 15.

CAP. VIII.

De Simonia Curiæ Romanæ.

NUnc enim omni die, Dei timore & hominum pudore postpositis, in eadem Curia plures Clerici & laïci mediatores per se verè contractus simoniacos faciunt: omnia enim publicè impetrare volentibus Ecclesiasticos Titulos maximè, reservantur: quia ibi Plato jubet quiescere. Et conveniunt insimul illic paciscendo emtor & venditor, ac si aliquid prophanum emere aut vendere vellent. Igitur qui non habent; aut habentes, sed nolentes super talibus pacisci, non possunt illic aliquod Ecclesiasticum Beneficium obtinere, ubi adhæc omnis Justitia, & Charitas, & Misericordia sunt exclusæ.

Sed numquid est aliud omnibus Christianis pessimum & horrendum exemplum? Et, si hoc vigeat in Capite, per consequens quid in membris observetur in talibus, potest quis venari.

Cùm scriptum sit in Evangelio: *Gratis accepistis, gratis date.* Matth. x. 8. si non detur gratis, gratia non censetur. In Legibus autem dicitur inter multa, de hac detestanda materia: Quis demum locus tutus erit, si venalia Dei templa pecuniis expugnentur?

Quantùm autem illud vitium simoniæ in omni Jure sit damnatum & pœnosum, & ab omnibus meritò fugiendum, per infinitas scripturas patet apertè.

Et cùm ita sit, quare ipsa simoniaca rabies ab eadem Curia non fugatur? Quia nil *prodest homini, si totum mundum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur.* Matth. XVI. 26.

CAP. IX.

De multis aliis Reformationum Papalium damnis.

ETiam propter avaras istas Reservationes, quæ semper augentur, retraxerunt & retrahunt se Clerici Siciliæ, Bohemiæ, Daciæ & Sweciæ regnorum, ab impetrationibus Ecclesiasticorum Beneficiorum in Curia prædicta; per quod paulatim læ- A ditur in ipsis Christianorum regnis observantia, & illius gloriosa dignitas, quæ ad ludibrium, seu nihilum reducitur.

Numquid igitur meliùs & salubriùs est, ut ipsæ Reservationes aut omninò tollantur, aut ad tempus prædictum, scilicet quinquennium, suspensæ quiescant; ut sic exclusis dictis Reservationibus, atque remotis illis avaris obstaculis, dicta Universalis Ecclesia consequi possit ipsam veram unionem; quod aliàs verosimiliter nunquam fiet, quia: *Quæ nimis apparent retia, vitat avis.*

Sed nihil, quoad conscientias, periculosius est, quàm taliter ambire, aut consequi Ecclesiasticas dignitates. Quia illi qui taliter Cathedras acquirunt, vocantur fures & latrones; & hujus redditur ratio in Evangelio, quia per ostium non intraverunt, sed aliun- B dè. Per ostium autem intrare est, scilicet ut per virtutes & liberè, & non per pecuniam, & non ut præsit, sed ut prosit promovendus, & ne per pacta præcedentia pecuniaria vacantibus Sedibus quis præficiatur.

Præterea, per istas pessimas Reservationes totus status Ecclesiasticus à Capite usque ad membra turbatur & pervertitur. Fiunt enim, illis causantibus, mercaturæ pessimæ, & excluduntur Electores ordinarii: ita ut aliquando alicui Præpositur æ, vel alteri dignitati Ecclesiasticæ, quæ indiget potenti & nobili Rectore, ad gubernandam ipsam benè in spiritualibus, & temporalibus, illo excluso, præponatur aliquis modicæ scientiæ, vel simplex homo, propter viles pecunias, ut illa qualitercunque obtineat, & gubernet, placeat etiam aut displiceat cuicunque.

Item per easdem Reservationes omnis Charitas, quæ dependere debet à Capite ad inferiores Eccle- C siasticos Prælatos, tollitur. Nam sicut est gaudium Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente; sic est gaudium in Romana Curia, de Prælatis tunc Cathedræ morientibus: & cùm auditur mors illorum, tunc dicunt illi qui ex hoc lucra se consequi sperant, serenata est conscientia nostra. Et si aliquis Sanctorum de cœlo descenderet, seque alicui Cathedræ, videlicet Monasterio vacanti, & præsertim in reditibus præfigi peteret, in Curia prædicta nequaquam ille super hoc audiretur, nisi pacisceretur & solveret ante omnia pecunias. Et sic virtutes & scientiæ non habent ibi locum in talibus perse tantùm, nisi eis adsit pecunia copiosa, &c.

Propter quod taliter in ipsa Curia promoti, hoc in effectu sentientes, æquè non diligunt promotores eorum, imò ipsos plerumque oderunt, sicut ovis naturaliter odit lupum: & maximè, quòd illæ pro- D motiones, nisi mediante pecunia prodierint; quam si non dedissent ipsi promoti, nullatenùs in eadem Curia intentum suum consecuti fuissent.

Item, per easdem Reservationes valdè ditantur mercatores Italici, qui in diversis locis insignibus per mundum, in talibus stipulantur, ut qualitercunque ditentur. Sed Provinciæ, in quibus Domino Papæ obeditur, propterea eorum pecuniis passim destituuntur, & privantur: Quia *generatio unius est corruptio alterius* manifestè.

Item, propter ipsas Reservationes contingit, val-

 dè

Digitized by Google

dè multa Monasteriorum, potissimùm in ipsa Italia, suis Prælatis destituta, destrui, & bona illorum ad prophanos usus successivè redire, aut aliàs illicitè occupari, bonum obedientiæ negligi, vel tolli continuè, atque plerasque Regulares personas extra sua Loca regularia evagari, proprietarios pecuniarum, & suis Superioribus inobedientes fieri, sicque disciplinam regularem & divinum cultum, per consequens, in Monasteriis, & aliis locis universalibus deperire; quòd sic vivatur. Nam pauci Monachi habent pecunias, qui juxta plenam Professionem non possunt habere saltem proprium in privato, nam contra Sanctionem graviter peccarent. Nunc autem nunquam providetur alicui vacanti Ecclesiæ vel Monasterio de persona cujuscunque & quantumcunque ad id utilis, & idonei in prædicta Curia, nisi stipulatione & solutione pecuniæ præcedente: scilicet deficiente causa, deficit effectus.

Ideò etiam pannosi Presbyteri seculares præsumunt tales Abbatiales dignitates, mediante Angelo, vel Petro, aut in Titulum, vel Commendam ab Apostolico, causâ lucri captandi, istis temporibus impetrare. Sed qualiter per illos proficiant ipsa Monasteria & Loca Religiosa, sanè intelligens quisque per se concipere potest: quia quemadmodùm cautum est, quòd in Magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumsit, sic nec præficiendus, qui subesse non novit.

Item, si tollantur aut suspendantur usque ad quinquennium prædictæ generales & speciales Reservationes, ex hoc citò sequetur, ut sperandum est, vera unio in Ecclesia Dei Universali, sive prædicti Angelus, & Petrus cedant, sive non. Quia tunc prælati, & Ecclesiasticæ personæ, in ipsorum Angeli, & Petri Obedientiis existentes, ipsas, tanquam eis nimis onerosas, verosimiliter omninò dimittent, & ad ipsam Obedientiam, in qua cessarunt Reservationes illæ, & ubi per eas gravari non timent, subitò declinabunt. Maximè cùm ipsi Ordinarii Collatores tantæ libertatis beneficio gaudere potuerint; & sic ipsi Angelus, & Petrus, confusi & reveriti, soli & vacui, per consequens, manebunt.

Per istas enim reservationes excluduntur ordinariæ Electiones, super quibus tot Jura prodierunt; quæ propterea inutiliter membranas maculant, quia eis exclusis, Papa, quem vult promovet, sit utilis, vel inutilis ad regimen Ecclesiæ cui præficitur: cùm in Jure cautum sit, quòd nihil sit quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quàm quòd indigni assumantur Prælati ad regimen animarum.

CAP. X.

De origine Reservationum Papalium & incremento.

PRæterea prædictæ Reservationes, pro parte, inceperunt a tempore quo Bonifacius Papa VIII Romanam tenuit Cathedram, jam centum aut circiter annis elapsis, tunc Romano Imperio depresso vehementer.

Sed Johannis Papæ XXII. & Benedicti XII. & Clementis Papæ VI. temporibus, quibus Romana Curia stetit in Avinione, & tunc existente schismate in Romano Imperio inter quendam Ludovicum de Bavaria & quosdam alios potentes, quibus contra ipsum Ludovicum isti duo Pontifices, scilicet Johannes & Clemens, successivè fecerunt valdè multas Reservationes, quæ priùs inauditæ, nec factæ fuerunt, & vires paulatim per totam Christianitatem assumserunt. Tunc etiam Ecclesiæ Cathedrales, ac Monasteria virorum, istorum Summorum Pontificum etiam Curiæ de novo introducta, & facta sunt juxta beneplacitum eorundem, nescio ad quid, vel quare. Potuissent enim, si voluissent, in suis terminis quoad hæc benè fecisse, prout steterunt fortè centum & plures Summi Pontifices ante ipsos, sine gravamine, saltim ita generali, Ordinariorum Collatorum Ecclesiasticorum: qui quidem præcedentes Summi Pontifices talia non præsumserunt facere aut excogitare. Attamen vixerunt per eorum tempora, absque tot & tantis Ecclesiarum & Monasteriorum eis subditorum gravaminibus & pressuris.

Et sic iterum ista gravamina, quæ ita impediunt veram unionem ipsius Ecclesiæ, sunt, prout dictum est, aut totaliter resecanda, vel saltem ad tempus congruum suspendenda, ne, ipsis Reservationibus causantibus, Christianitatem undique laniatam ingrediendi Antichristo demùm liber pateat aditus, seu ingressus.

CAP. XI.

De Officio Ordinariorum Collatorum.

SIc etiam Ordinarii Collatores prudenter & benè disponant de Beneficiis eorundem, ita ut illa dignis conferant, etiam personis competenter literatis, & gratis, nullo munere, aut pacto intercedente.

Et poterit iste ordo servari, scilicet, quòd quicunque Ordinarius deprehensus fuerit semel aut bis facere, ut absit à Præsentatione, seu Collatione suorum Beneficiorum, ipso facto suspensus sit, & devolvatur ejus potestas, in hoc, ad Diœcesanum: & si etiam ille in hoc delinquat, tunc ad loci Metropolitanum: & si ille similiter excedat, tunc ab eo potestas conferendi omnia Beneficia, ad ejus Collationem pertinentia, ad Dominum Papam transferantur, eo ipso, quousque dictum aliud Concilium postea celebretur.

Et si prematur in eo quo deliquit, imputet sibi, quia debitum Juris ordinem non servavit, cum Jure caveatur: Videlicet, *Indecorum est, ut hi debeant Ecclesiasticos regere, qui non norunt gubernare se ipsos. Cum ad Ecclesiarum regimen tales personæ sint admittendæ, quæ discretione præemineant, & morum fulgeant honestate.* Et alibi dicitur in Jure: *Grave nimis est & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum Prælati, cum possint viros idoneos ad Ecclesiastica Beneficia promovere, recipere non verentur indignos.*

Nec debent ipsi Ordinarii Collatores uni plura Ecclesiastica Beneficia conferre, juxta illud canonicum: *Nos attendentes non esse conveniens, ut idem Presbyter locum in duabus Ecclesiis habeat.*

Item, quòd omnes Archiepiscopi electi, & inferiores Ecclesiastici Prælati, quilibet videlicet eorum, juxta dignitatem ipsorum, teneatur Officiales habere bonæ conditionis & famæ, ac vitæ laudabilis; in Jure Canonico graduatos, non exactores importunos, ut fieri sæpe consuevit. Et qui sic fecerit, eo ipso, sit judicandus, effecto omninò suspensus, & ad Superiorem immediatè id devolvatur: & qui teneantur gratis dare formatas & ordinare quòd nihil pro collatione Ordinum exigatur, aut recipiatur ab Ordinariis, & Officialibus eorundem.

CAP. XII.

De Episcopis Titularibus olim in Germania existentibus.

COnsueverunt etiam in totum Episcopi Germaniæ habere Episcopos Titulares, qui exercent Pontificialia pro ipsis, quorum plerique rodunt Clerum & populum indiscretè, & sunt importuni exactores,

Digitized by Google

res; Ordines sacros, & omnia alia pro sola pecunia facientes. Expediret, ut eis in ipso Concilio regula daretur super hoc limitationis providæ, quam excedere non deberent. Ipsi enim emunt exercitium illud spirituale ut plurimùm, & posteà rodunt alios pro libito voluntatis. Propter eaque animarum pericula plurima subsequuntur.

CAP. XIII.

De Imperatore per Papam juvando.

ITem benè expediret, pro reformatione in temporalibus Romanæ Ecclesiæ & Imperii, ut fieret liga & confœderatio fortissima & indissolubilis, quantùm fieri possit, inter Papam & Regem, vel Imperatorem, scilicet, quòd mutuò & fideliter sibi vellent suffragari, ac Jura Ecclesiæ & Imperii hujusmodi occupata pro viribus recuperare, exclusis omni modo exinde tyrannis quibuscunque, sicut olim sæpe factum est inter Summos Pontifices ac Imperatores, vel Reges Romanos, qui tunc fuerunt.

Quia quoad hoc Dominus valdè posset ipsi Imperio suffragari, si vellet, ponendo strictissimè Ecclesiasticum Interdictum in civitates & dominia illorum qui civitates & Jura imperialia in Italia occuparunt, etiam cum gentibus armorum & alio favore, Imperatorem ad hoc juvando. Aliàs frustra Imperator niteretur illud in ipsa Italia attentare. Et sic posset eò salubriùs, & meliùs Imperator ipse Ecclesiam & Ecclesiasticos in eorum Juribus defensare.

CAP. XIV.

De conversis Principibus Turcis ac Paganis juramento obstringendis.

ITem expediret Christianitati, ut statueretur de novo, quòd omnes Saraceni, vel Pagani, qui propter Principatum Christianum adipiscendum se faciunt baptizari, ante omnia præstarent regulariter juramentum quod habetur, aut haberi consuevit in aliquibus quaternis Cancellariæ Apostolicæ, Romano Pontifici & Imperatori, quòd nunquam sancirent confœderationem cum aliquo infideli, vel schismatico, ac solenniter abjurarent etiam errores pristinos eorundem.

CAP. XV.

De expeditione in Palestinam, ad purgandam Italiam & Europam.

ITem expediret, prout factum fuit in Claromonte in Alvernia, tempore Urbani Papæ II. sub Henrico V. Imperatore hujus nominis, tunc etiam schismate in Ecclesia Romana satis magno & enormi vigente, quòd indiceretur generale passagium pro liberatione terrestri è manibus Saracenorum, & ad id per triennium recolligerentur decimæ in tota Christianitate.

Et tunc fortè purgarentur per hoc præcipuè Italia, & alia propinqua Christianorum regna de multis malis hominibus, qui in eis sunt. Tunc proficiscerentur illic: & sic Deus placatus iterum, citò daret populo suo, ut sperandum est, pacem, & uniret suam Ecclesiam citiùs; prout tunc factum fuit, mediante illa gloriosæ memoriæ Comitissa Machildi, quæ tot bona temporalia tunc ipsi obtulit Beato Petro Apostolo in Basilica sua Urbis, ad majus Altare.

Ad quid enim est utile, quòd aliquibus Regibus in eorum regnis talis decima per Apostolicum quandoque concedatur, in fructus, & per hæc alios turbent Reges & Præsides Christianos.

A

CAP. XVI.

De frequentandis Conciliis Provincialibus in Germania.

ITem, quòd in Germania fortè intra centum annos vel citra, non reperitur quòd fuerint Provincialia Concilia celebrata. Unde combustiones villarum ruralium, & Parochialium Ecclesiarum, quæ sunt in illis, destructiones, rapinæ, sacrilegia, & alia infinita mala, quæ guerræ producunt.

Claves etiam quibusdam stultis non sanæ mentis committuntur. Quare propter hoc modica, vel nulla reverentia habetur Metropolitanis à suffraganeis eorundem: nec ipsis Metropolitanis præstant obedientiam, vel fidelitatis juramentum, ubi suffraganei suis Metropolitanis affirmant, quòd per Apostolicum sint promoti, & sic se nihil habere negotii cum Metropolitanis ejusdem. Et quia forsan interim nullus hic Metropolitanus suam Provinciam visitavit. B

Ex quo etiam sequitur, quòd plures occupaverint & occupent interim Cathedrales Ecclesias, quòd sint quasi milites seculi, nec habentes sacros Ordines, nec incedant ut Episcopi vel electi, parum de spiritualibus curantes, nisi in quantùm lucra captare possint ex illis, pro illorum libito voluntatis omnia disponentes, & negligentes qualiter stent oves illis commissæ quoad conscientias eorundem.

Expedit igitur, ut in qualibet Provincia Germaniæ celebrentur intra biennium proximum unum, & deinde intra triennium aliud, & semper, Provincialia Concilia à singulis Metropolitanis & Suffraganeis. In quibus poterunt in talibus, etiam contra prædones & raptores publicos, incendiarios, nec non Ecclesiarum devastatores, usurarios, hæreticos, & sacrilegos, atque violentos, nec non etiam quoad honestatem Prælatorum & Cleri, multa salubria ordinari. C

CAP. XVII.

De Episcopis Germanorum consecrandis.

ITem, disponatur in eodem Concilio Generali, proximè celebrando, quoad omnes præsidentes Episcopatibus & Cathedris Pastorum in Germania, quòd se saltem, ex tunc intra annum faciant ad sacros Ordines promoveri, & minùs consecrationem suscipiant. Quòd si non fecerint, quæcunque Sedes ipsa propterea vacet, eo ipso, & non promoti, ab eis nullâ obtentâ, & forsan in futurum per eos super hoc impetrandâ, dispensatione Papali, in aliquo suffragante. Quia in talibus providendum est Ecclesiis & non personis. D

CAP. XVIII.

De gratiis Expectativis Papalibus revocandis.

ITem, exigitur & expedit, ut Apostolicus revocet omnes gratias expectativas, quæ usque nunc ita defor-

Digitized by Google

deformiter emanarunt, & inæqualiter, prout per se notum est.

Nam prima data Coronationis Domini Papæ, quæ juxta antiquum ritum solùm in primo Anno Pontificatus sui discretis & paucis suis familiaribus domesticis concedi debebat: usque in hodiernum diem, omni ordine debito excluso, & in omni loco, ubi Papa interim fuit, infinitis quodammodò concessa extitit. Et sic, qui primi fuerunt in subsequentibus datis, in ordine supplicandi facti sunt posteriores, & in adeptione Beneficiorum ex talibus gratiis prorsùs exclusi.

Et infinitæ illarum gratiarum sunt adeò confusè & abusivè, & non secundùm discretionem, quæ in talibus erat observanda concessæ, ut intelligens quisque nedum doleat, sed miretur.

Prætereà licet valdè multorum gratiæ expectativæ sortitæ effectum sub Pontificatu Domini Johannis Papæ moderni, & prætereà prorsùs extinctæ fuissent: illæ tamen gratiæ sub prima data quoad mirabiles personas per extensiones mirabiles & perpetuas factis inauditis hactenùs vivificatæ, totaliter impeditæ fuerunt.

An autem liceat talia fieri de plenitudine potestatis, seu absolutâ potentiâ Domini Papæ, mirandum est.

CAP. XIX.

De Dispensationibus Papalibus circa Officia sacra repudiandis.

ITem, infinitæ dispensationes etiam mirabiles, & sine quibuscunque ordine atque justificatione, ad obtinendum Beneficia incompatibilia, non habito respectu ad personas quibus concederentur, hactenùs emanarunt, cedentes evidenter in divini cultus diminutionem, & animarum periculosissimum detrimentum.

Et propterea oportet etiam removere istas abusivas, indiscretas gratias, & dispensationes, veriùs dissipationes, venientes licèt tardè. Quæ sic ambitionem plurimùm augent, & ipsum divinum cultum diminuunt, & animarum pericula etiam indubitanter adducunt.

CAP. XX.

De alienationibus bonorum Ecclesiasticorum per Papam factis.

ITem, expedit ut revocentur omnes concessiones & alienationes bonorum immobilium Ecclesiasticorum, sub quavis forma verborum laïcis perpetuò, vel ad certum tempus nondum elapsum, per Apostolicum factæ: & providè cavere ne aliæ fiant intra tempus illud, quo aliud Generale Concilium celebretur.

CAP. XXI.

De Commendis revocandis.

ITem, expedit ut revocentur omnes Commendæ Prioratuum, Dignitatum, Parochialium Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, Secularium & Regularium, factæ Episcopis Titularibus & Regularibus personis quibuscunque per Sedem Apostolicam: & principaliter omnes dispensationes ad incompatibilia obtinenda, quæ per contendentes tunc de Papatu concessæ sunt: quarum prætextu etiam cultus ipse divinus negligitur, & animarum pericula subsequuntur.

Et qualiter & ad quid possit aliquis Regularis unum Prioratum habere in Titulum & aliquem in Commendam, nisi cum suæ animæ detrimento, non video.

CAP. XXII.

De Episcopis infirmis Coadjutore juvandis.

A ITem, quòd nullus Episcopus transferatur, propter securitatem, vel invaletudinem corporalem, de sua Cathedra invitus: sed ei secundùm Juris dispositionem de Coadjutore, cum indigebit, provideatur. Nam Propheta oravit ad Dominum dicens: *Ne projicias me in tempore senectutis, cum defecerit virtus mea*, Ps. LXX. 9. Nec afflictis afflictio addi debet, ut Jure cavetur.

CAP. XXIII.

De tribus Pontificibus per Imperatorem Sede movendis.

ET ut dixit Philosophus: *Entia nolunt malè disponi, nec est bonum Principum pluralitas. Sit ergo unus*
B *Princeps.* Et rursùs: *Bonum unum consistit in ordine.* Quia omnia habent ordinem, sed non eodem modo, sicut bonum universum, quod consistit in primo principio ad quod omnia ordinantur, secundùm Philosophum XII. *Metaphysica.*

Unde quidam prudens dicit: quòd *in omi regimine, quantumlibet etiam amplo, necesse sit ut ordo servetur*: quo dimisso illud corrumpatur, & nutet.

Prætereà non est omittendum, verbi gratiâ, quamdiù veteres Romani more regio bonum aliquem fideliter procurarunt, per eorum studium Romanorum Respublica adaucta & servata est. Sed quia post plurimi inter eorum subditos quidem, tyranni aut hostes notati, sicut desides aut imbelles, Romanam Rempublicam in nihilum redegerunt.

Similis etiam processus fuit populo Hebraïco, qui dùm sub Judicibus regebatur, undique diripiebatur
C ab hostibus, & unusquisque quod erat bonum in oculis suis faciebat. Regibus verò eis divinitùs datis, ad eorum inconstantiam, tandem propter Regum malitiam à cultu veri & unius Dei recesserunt. Sic ipsi Hebræi finaliter in captivitatem sunt deducti.

Quia dissensio quoque plerumque sequitur ex regimine plurium, contrariatur bono pacis, quod est principium in multitudine sociali: quod quidem bonum per tyranidem non tollitur, sed aliqua particularium hominum bona impediuntur, nisi fuerit tantus excessus tyrannidis, ut in totam Communitatem desæviat.

Et contra, sicut utile est virtutem operantem ad bonum esse magis unam, ut sit virtuosior aut potentior ad operandum bonum: ita magis est noxium, si virtus operans malum sit una, quàm divisa virtus. Virtus autem injustè præsidentis operatur ad malum multitudinis, dùm commune bonum multitudinis in
D sui ipsius bonum tantùm retorquet.

Prætereà, sive Curia Romana in ordine debito, sive non, reguletur, nihilominùs se similiter regulatur: juxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Prætereà beati Thomæ de Aquino, & multorum prudentum hæc summa est: *Quòd si ad unius alicujus multitudinis dispositionem pertineat sibi providere de Rege, non injustè ab eadem Rex institutus potest destitui, vel refrenari ejus potestas, si potestate Regia tyrannicè abutatur.* Neque putanda est talis multitudo infideliter agere, tyrannum destituens, etiamsi ei in perpetuum

petuum se ante subjecerat. Quia ipse meruit, se in multitudinis regimine non fideliter gerens ut exigit Regis officium, ut ei pactum a subditis non servetur.

Igitur multoties illud potest debetque fieri de Papa, & quocunque alio Ecclesiastico Prælato: qui, ut Legem Dei doceret, & alia bona opera faceret, assumtus est, si contrarium imprudenter ac publicè operetur.

Et fatuum, seu erroneum est, tenere contrarium, ut etiam tenent & assumunt simplices Canonistæ; quod ratio dictat in talibus, ut ambulantes in tenebris non viderunt. Nullus enim recipitur ad talem dignitatem, ut agat perversè, faciatque juxta impetum mentis suæ. Imò, si Papa sinistra committat, se de hoc purgare debet publicè, ne sic magistri errores satis clarè pateant.

Sic enim Romani Tarquinium superbum, quem in Regem susceperant, propter ejus tyrannidem à regno ejecerunt, substituta & minori, scilicet Consulari potestate.

Sic Domitianus, qui modestissimis Imperatoribus Vespasiano & Tito successerat, dùm tyrannidem exercet, à Senatu Romano interemtus est, omnibus quæ idem perversè fecerat per Senatum ipsum justè & salubriter in irritum revocatis.

Si verò est alicujus Superioris, multitudini providere de Rege, expetendum est ab eo remedium contra tyranni nequitiam. Sic Archelaus, qui in Judæa pro Herode Patre suo jam regere cœperat, cùm paternam malitiam imitaretur, Judæis contra eum querimoniam ad Cæsarem Augustum referentibus, quædam primò potestas diminuitur, ablato ei Regio titulo, & medietate regni sui inter duos ejus fratres divisa: deinde, cum neque sic à tyrannide compesceretur, à Tiberio Cæsare successore immediato ejusdem Cæsaris Augusti relegatus est in exilium, apud Lugdunum Galliæ civitatem.

Ex quo sequitur, quòd semper utile fuerit & sit Reipublicæ, ut Catholicus Princeps, scilicet Imperator Romanus, omnibus aliis Regibus & Principibus ac Comitatibus potenter præsideret, qui eorum tyrannidem, & dum abuterentur, recto regimine coërceret, ita ut non possent sævire liberè & impunè in subditos, & irrationabiliter juxta ipsorum operari impetum voluntatis.

Sed quamvis deficit multùm hodie ista potentia in Rege aut Imperatore Romano; propterea tamen non resistendum est à subditis. Quin ut per eos bonum publicum totius Christianitatis, viis & modis omnibus procuretur, semper ad Deum dirigendæ humiles preces, qui ad bonum effectum velit dirigere dignitatem.

Qui Regis Ahasveri crudelitatem reprobans, in mansuetudinem vertit, ipse est, qui Nabuchodonosorem crudelem Regem in tantam convertit devotionem, ut factus sit divinæ potentiæ prædicator. *Nunc*, inquit, *ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli.* Daniel IV. 34. Et illud Sapientis: *Sedes Ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Eccli. X. 17. Ipse enim est, qui videns afflictionem populi sui in Ægypto, & audiens eorum clamorem, Pharaonem tyrannum dejecit cum exercitu ejus in mare. Ipse est, qui memoratum Nabuchodonosorem priùs erectum, non solùm de Regio solio, sed etiam de hominum similitudine in similitudinem bestiæ commutavit. Quia non est abbreviata manus ejus, ut populum suum à tyrannis liberare non possit.

Ideò constanter agendum est, & divinum auxilium ad hoc humiliter invocandum, ut istâ pluralitate illorum qui se Summos Pontifices appellant, eradicatâ, vera unio subsequatur.

Legimus etiam, Johannem Papam XIII. propter ejus tyrannidem ac vitam inhonestam, à Papatu fuisse depositum in alma Urbe, autorizante Primo Ottone Magno Augusto, Principe providentissimo & verè Catholico, abrogatis Cardinalibus illius temporis: convocatis ad hoc Clero & populo Romano, & vicinis Episcopis atque Prælatis, vocatus fuit Octavianus, (Leo) nobilis genere, sed moribus ignobilis. Fugit autem (Johannes) illo tempore ad Romanos in Campaniam, in aliquibus sylvis cum feris sylvestribus latitando: ubi posteà intra tempora pauca omnium miserrimus ignominiosè decessit.

Nimirùm, cùm esset Papa, in quo principalitas correctionis dependebat, nolens se reducere ad debitum rationis, sed vivere satagens bestialiter, & regere tyrannicè populum Christianum, finaliter ruit; adeò ut ulterius non resurgeret, qui benè agendo per bona exempla infinitis ad salutem animarum profecisset, sed contra per mala exempla plures secum traxit in gehennam.

Ideò omnium Christianorum interest, ut Catholicus, civiliter & prudenter regens, & multitudinis amator, ac illius bonum quærens, præsit Cathedræ piscatoris, non publicanus, non exactor importunus, non avarus; sed de quo verè dici possit: hic est fratrum amator, qui continuò oret pro populo Dei, & hac sanctâ Civitate, scilicet tota Christianitate ejus directioni commissâ, non quærens quem devoret, & quæ sua sunt quærat, sed quæ Jesu Christi: quod ejus requirit officium, quo cunctis Prælatis Christianis se Prælatum fore divinitùs, in suis Decretalibus, Literis & Epistolis asserit, prædicat & affirmat. Sicque in Dei nomine, scilicet juxta tantam præsidentiam virtuosè studeat operari. Quia

Turpe est Doctori cum culpa redarguit ipsum.

CAP. XXIV.

De Reformatione Curiæ Romanæ in Concilio Constantiensi.

CUm in Capite ita generaliter & publicè infirmitas, error & excessus appareant, ut etiam per istos membra languescant; ratio non permittit, ut talia enormia mala in publicum detrimentum diù perseverent. Expedit igitur, ut ipsa Curia in suis membris in ipso instanti Concilio reformetur, scilicet ut ipsi mercatores & proxenetæ, ac mediatores simoniaci à prædicta Curia protinùs expellantur, ad illam nunquam redituri, etiamsi sint cucullati Antistites, vel Abbates. Quare omnes Officiales, qui non per ostium, sed contra antiquam laudabilem consuetudinem Officia publica in eadem Curia per pecuniam adepti sunt, & fortè noluerunt præstare antiquum & solitum juramentum, ab illis, ut indigni, expellantur, ac digni & utiles eis gratis & liberaliter, undecunque oriundi fuerint, surrogentur pro publica utilitate.

Necnon ad decus & honorem sæpe prædictæ Curiæ resumant & conservent ad unguem antiquas consuetudines ceremonias eorundem Officiorum, prout facere tenentur juxta Summorum Pontificum Ordinationes super hoc ipsis traditas. Quia turpe nimis est, aliquid pretio acquirere, quod gratis dari meritis & virtuti debetur.

Præterea, valdè ridiculum est, quòd multi venerabiles graduati in Studiis generalibus, etiam non habentes Ecclesiasticos Titulos, non promoveantur ad Ecclesiastica Beneficia vacantia. Sed si veniret cum sacco paratus qualiscunque beanus ad ipsam Curiam, & emere vellet qualecunque Beneficium Ecclesiasticum vacans, illud ipsi indilatè concederetur; non discusso priùs de ipsius idoneitate, scilicet an sufficienter literatus & aliàs idoneus ad obtinendum illud

Digitized by Google

illud existat. Sed ad solam pecuniam, ac si tantùm in illa, tota humana felicitas sit inclusa, respectus habetur.

Igitur ille beanus cachinnatur de illo, qui diù studendo exposuerit proprium patrimonium & adventitia bona quæ prius habebat: cum ille beanus cum xx. vel xxx. aut paucioribus, seu pluribus floreniis, quos pro illo Ecclesiastico Beneficio consequendo sic expenderit in eadem Curia, plùs operetur, quàm ille Doctor vel Magister, quantumcunque sufficientis literaturæ, & virtuosus, absque pecunia in hoc. Quicquid etiam sit contra bonos mores, imò turpe sit, & cedat in Reipublicæ detrimentum: cùm mundus iste absque scientificis & aliàs virtuosis viris feliciter subsistere nullatenùs possit.

Sancte Deus, cur ita tam variè nunc procedunt ista negotia Curiæ memoratæ, ita ut in ea ista sancta pecunia dominetur? Cùm tamen olim nedum gratiæ; sed etiam Litteræ Apostolicæ super istis confectæ omnibus gratis darentur in illa, atque Officialibus Curiæ de publico consuevisset per Papam, qui fuit pro tempore, provideri, ne aliquis in ipsa Curia eidem simoniæ locus esset.

Item, licèt Registra Litterarum Apostolicarum etiam ab antiquis temporibus semper consueverint esse publica, ita ut per Officiales illorum daretur scriptum vel copia de illis saltem solveretur salarium: veruntamen postquam Dominus Johannes Cathedræ Papali præsedit, illud quoad valde multa expedita & concessa per ipsum, ex tunc non habuit locum: sed occultantur illa Registra, nec alicui petenti datur copia cujuscunque Litteræ Apostolicæ descriptæ in eisdem. Unde multi obloquuntur, asserentes quòd sicut fur odit lucem, sic illi Officiales timeant pandere etiam caris sociis & animatis ea quæ in ipsis Registris continentur, in hoc etiam veterem laudabilem ordinem nequiter pervertendo.

CAP. XXV.

De neglectis magnis Ecclesiæ Universalis reformandæ promissis, in Concilio Pisano factis.

NEc est omittendum, quòd dùm ageretur, ut Generale Concilium congregaretur in Pisis, per Collegium Dominorum Cardinalium, non omnia quæ tunc per mundum divulgabantur per Litteras eorum usquequaque fuerint postea observata & observentur.

Inter quæ, fuerunt nova vota & juramenta, quòd Universalis Ecclesia in Capite & in omnibus suis membris per tunc eligendum Papam & ipsos Dominos Cardinales omninò reformari deberent.

Item, quòd veteres laudabiles mores & consuetudines Romanæ Curiæ, quæ durante schismate tunc currente neglecti fuerant, resumi & inconcussè in ipsa Curia deinceps observari deberent.

Pro quo sciendum est, quòd juxta istos mores & consuetudines, etiam diù postquam incepit præfatum schisma, in eadem Curia continuatos, quicunque receptus fuit ad exercendum aliquod publicum Officium in eadem Curia, puta scriptionis Literarum Apostolicarum, vel Pœnitentiariæ Papalis, atque Auditoris, & Notariorum Causarum Summi Apostolici & aliorum, per ordinem huic præstandum, nunquam admitteretur ad illud exercendum, citra singulare juramentum, inter alia continens, quòd ipse ad hoc, ut illud Officium assequeretur, nihil dederit, aut promiserit, per se, vel per alium; etiam neminem sciret qui pro eo quidquam solvisset, aut promisisset alicui solvendum aliquid, ut tale Officium assequeretur, quodque Officium illud secundùm ejus nosse, & diligenter & fideliter vellet exercere.

Et fuit necessarium ut sic fieret, propter publicam utilitatem, scilicet ut ad talia Officia reciperentur gratis probi & discreti, nec non honesti & benè experti, qui non exactionarent indebitè illos qui cum eis ratione Officiorum haberent agere in Curia ipsa, & si secùs agerent, ut perjuri & improbi punirentur, ac privarentur Officiis, prout sæpe factum fuit.

Sed sub Pontificatu dicti Domini Johannis Papæ hoc juramentum salutare neglectum extitit, & negligitur. Et eo, & Domino Vice-Cancellario sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui habet juramentum recipere à quolibet Officiali, dissimulantibus, eorum pace salva, vendita fuerunt & venduntur dicta Officia, & mediante vili pecunia, valdè multi, etiam inutiles ac indigni ad ista Officia, ut constat, admissi fuerunt, & admittuntur, absque eo, quòd illud juramentum solitum & laudabile præstare cogerentur, aut præstiterint.

Unde malè ipsa Officia gubernantur, & plerique Officiales excedunt, ut frequenter, in statuto eis salario, & ultra debitum gravent partes, & alia faciant non dicenda.

CAP. XXVI.

De Johannis XXIII. nimia ad Parisienses benevolentiæ captatione.

NEc est silentio transeundum, quòd ipse Dominus Johannes Papa, informatus forsan per aliquos ultramontanos, petentes in sua Curia, quòd si Universitati Studii Parisiensis petitionibus quibuslibet exorabilem se redderet, tutò regnaret, nec tunc haberet de reliquis suæ Obedientiæ in aliquo dubitare. Ipse quodam servili timore, adeò mirabiles, & priùs à seculis inauditas prærogativas concessit, in gratiis expectativis per Directorem & Magistros Universitatis ejusdem, qui à modo certo numero non comprehenduntur, ut prius obtentis ab ipso per aliquas, nedum aliorum universalium Studiorum Graduatis, sed etiam suæ Curiæ Officialibus, quibuscunque & quantumcunque sufficientibus, enormiter derogarit.

CAP. XXVII.

De callidis Johannis XXIII. artibus, sacrorum Officiorum emtores emungendi.

QUid denique vult dicere? Si vacat aliquod Beneficium Ecclesiasticum reservatum, quod aliquis per pecuniam in eadem Curia acquirit, & ibi nunc præsens existit, & procurat expedire Literas Apostolicas super illo, & credit se forte tutum, ut alteri non vendatur vel concedatur; tamen frequentius illud idem Beneficium aut uni, vel pluribus tunc venditur cuilibet tardiùs. Et tunc sub eadem data vel anteriori dant, quàm alteri venditum fuit.

Ex quo, quòd tunc, si concurrant hi in datum, per concursum mutuò se impediant ementes ipsi, vel impetrantes idem Beneficium, tunc utitur Dominus Papa alia cautela: tunc fuisse suæ intentionis, quòd tali, duntaxat nominando, Angelus, vel Petrus dictum Beneficium sic vacans voluerit conferre; & illius gratiam effectum sortiri debere, & alteri factam gratiam non valere. Si autem anticipavit datum, tunc non est opus quòd faciat talem declarationem: quia tunc prior tempore, potior est etiam Jure.

Sed

Digitized by Google

Sed ista pecunia quæ solvitur pro vacante Beneficio reservato, antequam Literæ Apostolicæ alicui de Camera Apostolica tradantur, nascitur alio pacto vel colore, scilicet, quòd pro mediis fructibus non habuerit, nec forsan unquam habiturus sit, propter casus varios, qui, ne illud assequatur, occurrere possunt.

Pluries etiam contingit, ut scribatur alicui ad eandem Curiam, quòd tale Beneficium vacet, sitque reservatum, reverà tamen non vacet: & venit aliquis ambitiosus, ac paciscitur cum aliquo ex mediatoribus ipsis ad hoc deputatis in ipsa Curia, juxta A cursum consuetum, & deponit pecunias suas, de quibus pactum factum extitit apud mercatorem, ut traditis illi Bullis Papalibus, ipse mediator pecuniam recipiat; stipulatam autem statim solvit illam: sed postquam habuit ipsas Bullas, ei innotuit quòd dictum Beneficium non vacarit: certè propterea isti nihil restituitur de eo quod solvit. Et si pepigit, ut prædixi, opus est solvat, aut malè habeat, etsi imputet sibi quòd illud aliquâ causâ forsan assequi non posset.

Nimirùm faciunt simoniaci more imperitorum Medicorum, qui nec operantur, nec permittunt operari secundùm canones Artis. Uude interdùm succedit eis benè, & interdùm malè. Ipsorum tamen errores sunt quàmplures, & successus pauci & carnales.

Sed nùm liceat etiam Summæ Sedi, & aliquibus ei in talibus assistentibus, sic homines decipere, ac B exiguitatem pecuniarum illarum sibi taliter acquirere, etiam de plenitudine Apostolicæ Potestatis, mirandum est. Scio enim scriptum esse in Evangelio: *Si quenquam defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. xix. 8.

CAPUT XXVIII.

Johannem XXIII. suis simoniacis artibus ansam didisse Husso, ad oppugnandam Sedem Romanam.

ITem, propter simoniacam hæresin, & quosdam alios reprobos actus, qui fiunt in eadem Curia Romana, temporibus istis in regno Bohemiæ & Moravia Sectæ in capitibus & in membris vehementissimè pullularunt, & vires assumunt continuò, in C damna communia animarum valdè multarum. Et multa opprobria, etiam in publico, Pragæ, modernis temporibus, in contemptum Papæ Johannis moderni, propter hoc attentata, etiam super totum ipsum regnum diutiùs ubique locorum prædicata. De quo diversi Libri conscripti fuerunt.

Inter alios est unus per Johannem Huss, se asserentem Baccalaureum in sacra Theologia, qui dicitur esse caput illorum hæreticorum, & præcipuus in regno prædicto; contextus est, qui incipit: *Cum quilibet viator diligere debeat, & fideliter credere Ecclesiam sanctam Catholicam &c.* Qui quidem Liber, per infinita argumenta ita impugnat autoritatem Papalem, & ejus plenitudinem potestatis, sicut Alcoranus Liber damnati Machumeti, quem Saraceni adorant, D impugnat Catholicam Fidem.

Et sic mala externa dictæ Romanæ Curiæ, longè latèque dictam Fidem confundunt, & etiam occasionem illius erroris præstant. Ita ut infinitæ animæ Christianorum miserabiliter condemnentur, & fiant per hoc membra diaboli, quæ priùs membra Christi fuerunt.

CAP. XXIX.

Hussiticam Sectam sine Reformatione Curiæ Romanæ deleri non posse.

EXpediret, ut hæreses istæ, & Autores eorum, de Bohemia & Moravia præfatis eradicarentur omni modo. Sed non video quòd illud unquam bono modo fieri possit, nisi prædicta Romana Curia priùs ad ipsos veteres mores, & consuetudines laudabiles reducatur: quia Lege cavetur, quòd à capite edenda sit ratio. Et *dum caput ægrotat, cætera membra dolent.*

Adhibeatur igitur, quantùm possibile fuerit, bona & sollicita diligentia in ista felici Congregatione aut Synodo generali, ut schismate & abusibus supra dictis penitùs resecatis, fiat perfecta unio in ipsa Universali Ecclesia: & detur cum hoc ordo, ut reserventur & immobiliter observentur per Officiales dictæ Curiæ, omnes & singulos, pristini boni mores, prout fieri consuevit antiquitùs, tempore unionis, antequam schisma illud inchoaret.

Quod præstante Domino fiet, si bonus ordo in ipsa Synodo apponatur, omni amore, favore, timore, odio & rancore semotis.

CAPUT XXX.

Impensissimum desiderium Reformandæ Curiæ Romanæ.

QUid tandem vult dicere, quòd sex, vel octo personæ præcipuæ, per quas aguntur talia in eadem Curia, propter eorum avaritiam, quæ est insatiabilis; quia ut dicit Salomon, Eccle. v. 9. Avarus non satiabitur, à vero in totius communitatis Christianorum grandissimum dispendium audeant excedere: & quòd tota ipsa Communitas, talia dissimulando, illorum proterviæ non resistat, sed videantur sibi faciles & consentientes? Saltem Deo sunt de hoc finaliter responsuri, & tunc videbunt, an prosint eis somnia sua.

Et quia omnis Christi actio, nostra debet esse instructio; Christus autem manibus propriis mensas nummulariorum evertit, & impios Sacerdotes ementes & vendentes columbas in templo eliminando illos flagellavit, asserens: *Domus mea domus orationis vocabitur* Matth. xxi. 13. designans, quòd simoniaca rabies, & avaritia, Sacerdotibus, & Dei ministris prorsùs aliena esse deberet: Igitur, vos Patres optimi, in prædicto Concilio Spiritus sancti gratiâ insimul convocati, sic & vos mundetis templum Domini de istis avaris proxenetis, & cucullatis Sacerdotibus, qui sic vendunt, & autores sunt ut vendantur Ecclesiasticæ dignitates, & alii inferiores tituli hujusmodi, qui dignis & benè meritis debentur, nec convenit super illis pecuniam stipulari, aut eos pactis illicitis intercedentibus venundari.

Sed cavete benè vobis, quia dictum est: *Omne simile, diligit suum simile, & malus malum qualitercunque supportat*: Ne forsan etiam ob hoc vitium simoniæ in aliquibus vestrûm latitans, hos avaros Curiales in illo propterea, in dispendium totius Christianitatis, ulteriùs foveatis.

Digitized by Google

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
TRACTATUS
DE REFORMATIONE,
Seu
CANONES
REFORMANDI ECCLESIAM.

In Mss. Codd. Victorinis, titulus est.

TRACTATUS
Domini Cameracensis Cardinalis
SUPER REFORMATIONE ECCLESIÆ, IN CONCILIO CONSTANTIENSI *Anno* CCCC. XVI. *Cal. Nov.*
In ipso Concilio Generali scripti & oblati.

Collatus ad MSS. Codd. Victorinos 56. 409. & Editionem nuperam ex MS. Cod. Vindobonensi

PRÆFATIO.
De corruptione Eccelesiæ circa tempora Concilii Constantiensis, Reformationis que necessitate.

DE Reformatione Ecclesiæ, dudùm plura per me scripa, nunc compendiosiùs recolligere, & sacri Generalis Concilii Constantiensis examinationi, atque correctioni præsentare decrevi. Quæ Ecclesiæ Reformatio quàm necessaria olim fuerit, & ampliùs modò sit, evidenter ostendit deflenda ipsius deformatio; de qua lamentabiliter conquerebatur Beatus Bernardus, *Sermone* XXXIII. *super Cantica*, ita dicens: „ Serpit hodie putrida tabes „ per omne corpus Ecclesiæ, & quò latiùs, eò desperatiùs, eòque periculosiùs, quò interiùs. Nam si „ insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras & „ aresceret; si violentus inimicus, absconderet se „ forsan ab eo. Nunc vero quem ejiciet, aut à „ quo abscondet se? Omnes amici, & omnes inimici; omnes necessarii, & omnes adversarii; „ omnes domestici, & nulli pacifici; omnes proximi, & omnes quæ sua sunt quærunt: Ministri „ Christi sunt, & serviunt Antichristo; honorati „ incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt.

Et enumeratis quibusdam excessivis abusibus Ecclesiasticorum, subdit: „ Olim prædictum est; nunc „ tempus impletionis advenit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima* Isaiæ. XXXVIII. 17. Amara priùs in nece „ Martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum, „ amarissima nunc in moribus domosticorum. Non „ fugare, non fugere eos potest; ita invaluerunt, & „ multiplicati sunt super numerum. Intestina & „ insanabilis est plaga Ecclesiæ: & ideò in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax „ est, & non est pax. Pax à paganis, pax ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis „ in tempore isto: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Isaiæ. I. 2. Spreverunt & maculaverunt me turpi vita, quæstu, turpi commercio, „ negotio denique perambulante in tenebris!

Si hæc à beato Bernardo dicta sunt; nunc multò magis dici possunt: quia ex eo Ecclesia de malis ad pejora processit, & in omni tàm spirituali quàm seculari statu, ut abjecto decore virtum, in variam cecidit turpitudinem vitiorum.

Propterea ex tunc quidam spirituales, mala hæc subtilioris intelligentiæ oculo prævidentes, præsentem Ecclesiæ persecutionem, & hujus schismatis horrendam monstrosamque divisionem, subtractionem que obedientiæ ab Ecclesia Romana, & alia plura scandalosa inde secutura prædixerunt. Sicut patet in Libris Abbatis Joachim & Hildegardis; quos non esse contemnendos, quorundam magnorum Doctorum probat autoritas.

Hæc autem Deus misericordissimus, qui solus ex malis bona nóvit elicere, ideò permittere credendus est, ut eorum occasione, Ecclesia sua in meliùs reformetur. Quod nisi celeriter fiat, audeo dicere, quòd licèt magna sint quæ videmus, tamen brevì incomparabiliter majora videbimus, & post ista tonitrua tam horrenda, alia horribiliora, in proximo, audiemus. Eapropter summoperè vigilandum est circa Reformationem Ecclesiæ.

Ideò circa hoc aliquas Considerationes particulares scribere, & prudentum examinationi proponere dignum duxi: nec omnes quidem; quia ad hoc & majori Libro, & majori ingenio opus esset, sed utiliores, & meo judicio, magis necessarias, & per quas, ad omnes alias via poterit faciliùs aperiri.

Prima autem consideratio erit: *De reformandis circà corpus Ecclesiæ.*

Secunda: *De reformandis circà ejus Caput*, scilicet, *circa statum Papæ, & Romanæ Curiæ.*

Tertia. *De reformatione principalium Ecclesiæ partium*, scilicet, *Prælatorum.*

Quatra. *De reformandis circà Religiosos.*

Quinta. *De reformandis circà cæteros Ecclesiasticos.*

Sexta. *De reformatione laicorum Christianorum.*

CAP. I.
De Reformatione circa totum corpus Universalis Ecclesiæ.
De celebrandis Concililiis Generalibus, ac Provincialibus.

PRima consideratio, est de his quæ viderentur reformanda circà totum corpus Universalis Ecclesiæ.

Ubi primò occurrit, esse expediens & necessarium, ut sæpiùs quàm hactenùs factum sit, Generalia Concilia celebrentur.

Item, videtur expediens, ut etiam sæpiùs celebrarentur Concilia Provincialia. Quia, (ut patet XVIII. *Dist. Decreti*,) sancti Patres, propter Ecclesiæ utilitatem, primò statuerunt ea, bis in Anno, celebrari. Posteà verò, propter fatigationes, & ut opportunè haberentur, hi qui congregandi sunt Statuto Synodali definierunt, omni excusatione remota, modis omnibus, semel in Anno fieri, & depravata corrigi.

Unde & Episcopi, qui ad Synodum venire contemnunt, & Principes qui hoc prohibent, vel impediunt, vel Metropolitani, qui absque rationabili causa hoc agere negligunt, Canonicis pœnis subjacent: ut hæc probantur in dicta distinctione, quasi per totum, & in multis Canonibus Conciliorum; ut in secundo Capitulo Carthaginensis Concilii tertii: & in alio Capitulo Toletani Concilii sexti; & in tertio Capitulo quarti Concilii Toletani, ubi sic legitur: *Nulla penè res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis expellit, quam negligentia Sacerdotum, qui contemptis Canonibus, ad corrigendos mores Ecclesiasticos Synodos facere negligunt.*

Et certè hodie docet experientia, quot & quanta mala ex hujusmodi negligentia proveniant. Et ideo necesse est providere, ut hujusmodi Concilia sæpiùs fiant, & si non semel in Anno, juxta rigorem Canonum, saltem de triennio in triennium, ad evitandum vexationes itinerum, laborum, & quia omne rarum pretiosum.

Et si dicatur quod hodie non sit opus Generalia aut Provincialia Concilia congregare, sicut fuit in primitiva Ecclesia; & quòd ad tollendum vexationnes Præ-

Digitized by Google

Prælatorum in hujusmodi Conciliis, Romana Ecclesia seu Papalis Curia, possit sufficienter casibus emergentibus providere. Respondetur quòd hoc non sit utique verum. Tùm primò, quia experientia docet, quòd propter defectum Conciliorum, & maximè Generalium totius Ecclesiæ, quæ sola potest audacter & intrepidè omnes corrigere, ea mala quæ Universalem tangunt Ecclesiam, diù remanserint impunita, incorrecta, & adeò creverint & inveterata sint, ut tandem multa, & injusta, & iniqua, sub prætextu fictæ & corruptæ consuetudinis, licita reputentur.

Item, multi suspicantur, quòd hæc dissimulaverit Romana Curia, & super his Concilia fieri neglexerit, ut posset ad suæ voluntatis libitum pleniùs dominari, & Jura aliarum Ecclesiarum liberiùs usurpare: quod non assero esse verum. Sed quia contra eam hujusmodi laborat infamia, deberet, ad eam purgandam, super congregatione Conciliorum Generalium, & Provincialium providere. Alioqui, juxta dictum Augustini; *Si famam suam negligit, crudelis est.*

Item, illa sanctissima Romana Curia, scilicet Petri & Apostolorum, licèt potuisset sine congregatione Concilii, per Epistolas, vel alias vias, causas & negotia Ecclesiæ faciliter terminare; tamen legitur quatuor Concilia celebrasse, sicut patet in Actis. I. VI. XV. & XXI. *cap.* Unde per hoc exemplum instructionis, de sæpe congregandis Conciliis, suis posteris reliquerunt. Nam sicut Christi, sic & Apostolorum suorum actio, nostra est instructio, juxta illud Apostoli: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Philipp. III. 17. Item, in *Decret. dist.* 15. *cap.* I. dicit Isidorus: *Quod, quia ante tempora Constantini non erat Episcopis licentia conveniendi in unum*, scilicet publicè, per modum Concilii Generalis, *ideò Christianitas in diversas hæreses scissa sit.*

Et ita dicere possumus modò, quòd propter defectum celebrationis Conciliorum, Ecclesia in diversa schismata, & alia innumerabilia mala, fortè etiam ad hæreses disponentia, proh dolor! lapsa sit, sicut experientia docet.

Item, si Concilia sæpiùs celebrata fuissent, verisimile est quòd hoc nephandum schisma non tam diù perdurasset, nec fortè schisma Græcorum. Unde hujusmodi schismatibus debuisset citò per Concilium Generale provideri: ut in primitiva Ecclesia docuerunt Apostoli, prout legitur, *Actorum* VI. quòd quia ortum murmur Græcorum adversùs Hebræos &c. statim XII. Apostoli, ipsum, convocata multitudine, sedaverint. Similiter *Act.* XV. orta dissensione, propter observantiam Legalium, statim Paulus & Barnabas ascenderunt ad Apostolos in Hierusalem.

Unde patet, quàm damnabiliter peccaverint illi, seu Principes, seu Prælati, qui pro sedatione hujusmodi schismatis, convocationem Concilii neglexerunt, aut impediverunt.

Item, aliqui sunt casus ardui necessariò reformandi, in quibus non potest commodiùs, quàm per Generale Concilium provideri: sicut patet primò, de reformatione Romanæ Curiæ, quæ, ut infra dicetur, necessaria est; & tamen non nisi per Generale Concilium fieri potest. Et ideò non debet Romana Curia indignari, seu respuere, à Generali Concilio reformari: sicut nec contempsit à Generali Concilio pluriès sui Principatus honores recipere. Quia licèt principaliter Romana Ecclesia Principatum habuerit à Domino, tamen secundariò à Concilio [ut dicit *glossa. dist.* XVII. *super cap.* VI.]

Item, reformatio totius corporis Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ, est de arduis pertinentibus ad Fidem. Nam ejus generalis deformatio non mediocriter Fidem tangit, & per consequens, ejus reformatio. Ideò in hoc non debet Papa, aut ejus Curia, deliberationem Generalis Concilii respuere: quia (sicut dicit *glossa, dist.* XIX. *super cap.* IX.) *Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, ubi agitur de Fide.* Quod non solùm intelligo de Articulis Fidei, sed de arduis tangentibus universalem statum fidelis Ecclesiæ. Quod notavit *Archid. dist.* XV. *in c.* 2. ubi dictam glossam approbans addit: Quòd *nimis periculosum esset Fidem nostram committere arbitriò unius hominis.* Et idcircò Papa, in casibus novis & arduis, ad deliberationem Concilii recurrere consuevit.

Item, duo sunt arduissimi casus, Fidem & fideles omnes mirabiliter & miserabiliter concernentes, quibus esset per Generale Concilium necessariò providendum. Unus est, de modo providendi contra Saracenos, & alios Infideles, Fidem, & Christianitatem impugnantes, ut nunc multò periculosiùs, quàm à multis retroactis temporibus fecerunt, contra Ecclesiam Catholicam insurgentes: quibus si celeriter non obvietur, timendum est, ne Constantinopolitanum Imperium, jam multipliciter ab eis laceratum & vexatum, penitùs destruatur, ac deinde Romanum Imperium, jam divisum, & penè ad ruinam præparatum, invadant, & sic Ecclesiam destruant, jam schismaticè laceratam: ut sic via præparetur adventui Antichristi, de quo prædixit Apostolus: *Nisi venerit dissessio primùm* &c. 2. Thess. II. 3. Quod exponit glossa, de duplici dissensione seu divisione; una ab Imperio, alia ab Ecclesia Romana; quæ prævenire debet Antichristum; & utramque jam præsentialiter videre multi devoti fideles non immeritò pertimescunt.

Alius casus, est de modo providendi circa Græcos, ut ad unitatem Romanæ Ecclesiæ reducantur. Quod nunc maximè opportunè fieri posse videtur, dùm eorum Imperator inter Latinos degens, à Romana Ecclesia, & Dominis temporalibus, præcipuè à Francorum Rege, contra infideles cogitur auxilium, & subsidium postulare.

De viis autem & modis circa dictos casus servandis, scripserunt plures Fidei zelatores. Et specialiter Frater Humbertus de Romanis, quondam Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, Tractatum utilem composuit, ut super his provideretur in Concilio Generali Lugdunensi, sub Gregorio Papa X. celebrando.

CAP. II.

De Reformatione Capitis Ecclesiæ, sive Status Papalis, & Romanæ olim Curiæ. De Cardinalium selectu. De Exactionibus Johannis XXIII. De Excommunicationibus.

Secunda consideratio, est de his quæ reformanda videntur circà Caput corporis Ecclesiæ, idest circa statum Papæ, & suæ Romanæ Curiæ.

Et primò, tollendus esset ille detestabilis abusus, à quo præsens schisma originem traxit, scilicet quòd una Natio, sive Regnum, aliquando ultra, aliquando citra montes, in scandalum residuæ Christianitatis, ita diù Papatum tenuit, ut posset dicere: *Hereditate possideamus Sanctuarium Dei.* Ps. LXXXII. 13. Quod quàm detestabile sit, præcipuè in Papatu, ostendit ille qui ait: *In veritate comperi, quòd non sit personarum acceptor Deus &c.* Act. X. ℣. I.

Item, pro dicta provisione esset statuendum, quòd de cætero, major pars Cardinalium non possit assumi de uno Regno, sive de una Natione; sicut quandoque hactenùs factum est, in magnum scandalum plurimorum: sed ut de diversis Regnis & Provinciis indistinctè, juxta personarum merita assumantur. Quia sicut apud Deum, ita apud Dei Ministros, non debet esse acceptio personarum.

Et videretur sufficere, quòd de una Provincia solùm esset unus Cardinalis; ut sic in eorum promotione

tione & multiplicatione, tolleretur, vel saltem restringeretur, & arctaretur carnalis affectio promoventis: & ut per assumptos de diversis Provinciis, diversitas morum & statuum earundem Romanæ Ecclesiæ innotesceret, ad utilitatem & salutarem provisionem incolarum.

Item, quia una causa præsentis schismatis fuit, quòd Cardinales nimis tardaverint declarare, & fideles sufficienter informare, quòd primam electionem fecissent vi & metu: ideò ad tollendum, ne aliàs similis scandali detur occasio, expediens videretur arctari aliquod tempus, intra quod talis exceptio metûs deberet allegari, & ultra quod, nec illa, nec alia exceptio contra Papæ electionem posset per Cardinales opponi. Et esset etiam per Concilium declarandum, quis de hujus metus causa haberet cognoscere. Quia *Jo. Andr.* (*super Clemen.* *tit.* 3. *de elec.*) quærit: *Quis de hujus causa metus cognoscere haberet, si allegaretur contra electionem Papæ?* Et respondens dicit: Quòd *ista nondum decisa, nec provisa, egebunt provisione.*

A

Item, necessaria erit reformatio & provisio circa gravamina, quæ Romana Ecclesia infert aliis inferioribus Ecclesiis & Prælatis. Et maximè in tribus, de quibus conqueritur prææallegatus Frater Humbertus, (in dicto Tractatu suo. *Parte* II. *c.* XI. ubi dicit:) Quod *causa dispositiva schismatis Græcorum, inter alias una fuerit, propter gravamina Romanæ Ecclesiæ in exactionibus, excommunicationibus, & statutis.*

B

De primo gravamine, & contra hanc multitudinem exactionum, providendum esset tripliciter.

Primò. Per diminutionem pomposorum statuum & excessivarum expensarum: ut sic Romana Ecclesia minùs esset onerosa subjectis, & ut etiam eis esset exemplum humilitatis, & forma virtutis, instar Christi, cujus ipsa Vicariatum & à quo Primatûs honorem tenet, qui ait, *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Matth. XI. 19.

Secundò, per diminutionem & arctationem hujusmodi exactionum, scilicet, ut certa summa rationabilis determinaretur & limitaretur, pro moderato statu Papæ, & Cardinalium subjectis Ecclesiis imponenda, & per Diœceses proportionabiliter distribuenda, & à diœcesanis recolligenda, & in certis terminis solvenda Romanæ Curiæ, ultra quam summam nova exactio non posset imponi, sine autoritate & consensu Generalis Concilii.

C

Tertiò, per diminutionem numeri Cardinalium; ita ut non esset tantus, nec tam onerosus numerus ipsorum, sicut hactenùs fuit. Ne Romanæ Curiæ dici posset: *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam.* Isaiæ. IX. 3.

Item, circa statum Cardinalium, & aliorum Ecclesiasticorum providendum esset, ut deinceps non tenerent illam monstrosam, & multipliciter scandalosam Beneficiorum multitudinem. De quo abusu antiqui sapientes conquesti sunt. Sicut Guilhelmus Episcopus Parisiensis, in speciali Tractatu quem de hoc composuit: Et Cantor Parisiensis, *in Verbo abbreviato:* Et Autor, *De virtutibus & vitiis.* Cap. *De Signis avaritiæ Ecclesiasticorum.* Quorum rationes expediret diligenter examinare, & pro sedatione conscientiarum, quid super hac re tenendum sit, declarare.

D

De secundo gravamine supra tacto, scilicet de multiplicatione Excommunicationum, & ex consequenti, Irregularitatum, quas Romana Ecclesia in suis Constitutionibus pœnalibus, & maximè in quibusdam novis Decretalibus imposuit, & sæpè per suos collectores, in multorum scandalum fulminavit, & ad cujus exemplum alii Prælati leviter & pro levibus causis, ut pro debitis, vel hujusmodi, pauperes Excommunicatione crudeliter percutiunt, necesse est providere, cum hoc sit contra Jura, (ut XI. *quæst.* III. *cap.* XLII.) Nam gladius Ecclesiæ, scilicet Excommunicatio, qui in primitiva Ecclesia, veneranda raritate erat formidabilis, jam propter abusum contrarium, contemptibilis effectus est; sicut ostendit Doctor subtilis, Joannes Scoti (*super quarto Sententiarum*, *di.* XVIII.) qui tamen contemptus, valdè periculosus est: quia Excommunicatio major, quæ anathema dicitur, æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi: ut habetur XI. *q.* III. *cap.* XLI. Cui concordat glossa, *Extrav. de verbor. signif. ex parte.*

De tertio gravamine Romanæ Ecclesiæ, quod imponit aliis, in onerosa multitudine Statutorum, Canonum, & Decretalium, & maximè illorum quæ videntur ad graves pœnas, & præcipuè ad mortales culpas obligare: & eadem ratione, de similibus Statutis, aut Constitutionibus Synodalibus Prælatorum, providendum erit de rationabili alleviatione hujusmodi onerum; ne de Prælatis Ecclesiæ verificetur quod de Pharisæis & Sacerdotibus Synagogæ à Christo improperando dictum est: *Imponunt onera gravia & importabilia humeris hominum, digito autem nolunt ea movere.* Matth. XXIII. 4.

Item, super quibusdam aliis gravaminibus, per Romanam Ecclesiam aliis Prælatis & Ecclesiis superinductis, adhibenda erit provisio; scilicet super collationibus Beneficiorum, & Electionibus dignitatum.

Similiter super concessionibus exemptionum, quas Romana Ecclesia pluribus Religionibus, Abbatibus, & Conventibus, ac Capitulis, in præjudicium Prælatorum concessit: de quibus jam olim plures devoti Ecclesiæ zelatores conquesti sunt, sicut beatus Bernardus, in Libro, *Ad Eugenium Papam*, & alii.

Similiter, de pluribus aliis honoribus, reverentiis, & præeminentiis, quas quidem Officiarii Romanæ Curiæ, super alios Prælatos usurpaverunt: & multis eorum particularibus excessibus, de quibus longum esset per singula discutere, perutilis & necessaria erit provisio.

Hic autem, propter dictos excessus, dudùm quandam opinionem recitavi, quam nuper in Tractatu, *De Ecclesiastica potestate*, tanquam erroneam reprobandam esse declaravi: videlicet, quorundam detractorum Romanæ Ecclesiæ, qui in ejus odium, prætextu quorundam abusuum, statum Cardinalium, quasi inutilem vel damnosum, nec ab Apostolis, vel Conciliis institutum, & sine causa rationabili usurpatum, tanquam onerosum Ecclesiæ, extirpandum esse dixerunt, sicut olim de statu Chorepiscorum factum esse legitur: (68. *di. c.* 5. Hunc autem errorem in hac Synodo Constantiensi quodammodò resuscitare aliqui præsumpserunt: qui utinam attenderent, juxta doctrinam Christi, priùs trabem de oculo suo ejicere, quàm festucam de oculo fratrum, imò Patrum suorum. Utinam attenderent, statum Episcoporum, & aliorum Prælatorum, cæterorumque Ecclesiasticorum, ac etiam laicorum, innumeris abusibus & vitiis deformatum: nec tamen ideò hujusmodi status dissipandos esse, atque perdendos, quoniam in multis offendimus omnes. Sed vitium atque abusus corrigi debet & non status destrui, vel debitis juribus defraudari; sicut boni Medici officium est, ab infirmo morbum tollere, & non infirmum corpus destruere.

Utinam denique considerarent, qualiter Domini Cardinales, pro Reformatione Romanæ Ecclesiæ, ac status ipsorum, se effectualiter paratiores obtulerint, quàm quicunque alii cujuscunque status: imò plura membra Ecclesiæ huic suæ reformationi restiterunt, cùm tamen reformationem capitis importunè peterent.

Quia ergo Romana Ecclesia, in capite & membris suis, se cum ratione temperare studuit, justum est ut subditæ Ecclesiæ eidem, suoque regimini rationabiliter obtemperare & subesse debeant, juxta verbum Senecæ: *Multos reges, si ratio te rexerit.*

CAP. III.

CAP. III.

De Reformatione majorum Prælatorum. De Episcoporum scientia & virtutibus. De Visitatione in Conciliis Provincialibus.

TErtia consideratio erit de Reformatione Ecclesiæ, circa partes ejus principales, scilicet, majores Prælatos.

Unde providendum erit, ut tales eligantur, qui non sint juvenes, indiscreti, aut immorigerati, aut carnales, spiritualium ignari; sed graves ætate & moribus, eminentes spirituali scientia & doctrina, qui in suis rebus non sint strenui, & in Ecclesiasticis remissi, nec propria magis quàm communia Jura procurent, qui angarias & impositiones, vel hujusmodi gravamina subjectis non imponant, qui per singulos annos Parochias suas cum fructuoso affectu visitent, qui potentes & tyrannos populi oppressores arguant & corripiant, qui divinis Scripturis studeant, & non scientiis practicis & litigiosis totaliter inhæreant, qui verbis aut ludis joculatorum & mimorum, aut publicis spectaculis vel superfluis conviviis non delectentur; sed moderato habitu & temperato victu contenti, etiam in mensa lectioni divinarum Scripturarum intendant; & ut breviùs dicam, in omnibus tales sint, ut cæteris sint fidelibus in exemplum, sicut & esse tenentur, cùm illis in Officio succedant, quibus à Christo dictum est, *Vos estis lux mundi:* & *Vos estis sal terræ* &c. Matth. v. 13. 14. & multa similia.

Item, ut tales ad Prælaturas assumerentur, & non indigni & insufficientes, providendum esset ut Electiones Prælatorum non faciliter aut leviter, sed cum diligenti & gravi examinatione confirmarentur, etiamsi nullus se opponeret. Quia non sufficit bono patrifamilias constituenti custodem thesauri sui, quòd nihil mali sibi de illo opponatur; nisi etiam ipse, aliis tacentibus, de ejus idoneitate diligenter inquirat.

Item, quia stultum esset, patremfamilias thesaurarium facere sine thesauro; sic similiter facere Episcopum sine subjecto populo; sicut sæpè fecit Romana abusio, in contemptum status Episcopalis, de quibusdam solum Titulatis Episcopis mendicantibus & girovagis.

Item, quia mali Prælati raro de suis excessibus corriguntur: quia non citò etiam contra notoriè malos profertur Sententia, sed per multos annos differtur, & sæpe eorum punitio totaliter negligitur. Idcircò absque timore mala perpetrant, & plerique eorum, Suspensionis, Excommunicationis, Irregularitatis, ac alias Juris pœnas contemnunt: ideò providendum erit, ut circa talia visitatio & inquisitio fiat: ut talium vita & fama in Provincialibus Conciliis, vel si opus sit quandoque in Generali Concilio, Summo Pontifici referantur, & ad eorum depositionem, seu aliam condignam correctionem procedatur.

Et licèt hodie Concilium non deponat vel destituat Episcopos, sed solus Papa (*ut* 11. *q.* VI. *c.* X., sicut notat *glo.* XI. *q.* III. *cap.* LXV. super verbo *Synodo.*) Tamen fortè nunc expediret ad antiquum morem illius capituli reverti, ut à Generali Synodo damnarentur vel absolverentur Episcopi, vel saltem ut hoc fieret in præsentia Synodi, ut sic magis cessarent inordinatæ affectiones, quæ solent in talibus justam Sententiam impedire. Item, si non placet servare illum antiquum rigorem Carthaginensis Concilii quarti, ut *Episcopus vilem supellectilem, & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ autoritatem Fide, opere, & vita meritis quærat*: saltem placeat moderari, ut excessiva pompa Prælatorum, in vestibus, ornamentis, familiaribus, equis, conviviis, & ferculis, ad congruam temperantiam restringantur, ut expensæ in talibus superfluæ, sicut fieri debet, pauperum necessitatibus applicentur.

Item tollatur monstrosus ille abusus, quo quidam Prælatorum, armis spiritualibus depositis, arma corporalia assumunt, in campis pugnantes, sicut A Principes seculares, & sæpe cum oppressione pauperum, & crudeli effusione sanguinis, cum tamen David ab ædificatione templi, quia vir sanguinum erat, prohibitus sit.

Item, si non placet servare illum Juris rigorem, quòd non liceat Episcopis à sua Ecclesia plus tribus hebdomadis abesse; saltem provideatur, ut sine speciali licentia & rationabili causa diù Ecclesias suas in præjudicium animarum non deserant; sicut hodie multi Prælati faciunt, & quod monstruosius est, Religiosi & Monachi, qui plus sunt Officiales Fisci quàm Christi, in Curiis Principum, & Catheris Judiciorum, in Cameris Computorum, & aliis actibus secularibus, militantes, contra statuta Canonum, ut XI. *q.* I. *c.* XXIX. cum suis similibus.

Item providendum erit, ut Prælati in suis Synodis, & eorum Officiales in suis Curiis, non ad repletionem bursarum intendant, sed ad correctionem vitiorum, emendationem morum, & ædificationem animarum. Et ut exactiones pro Sigillis & Litteris moderentur, & pœnæ pecuniariæ vel tollantur, vel temperentur, aut in totum vel partem ad pios usus notoriè applicentur, & ut pœna excommunicationis non leviter, ut supra tactum est, feratur: & ut litium prolixitates, quæ pauperes spoliant, & multos de suæ justitiæ prosecutione desperare faciunt, modis congruis rescindantur: & quorundam Advocatorum & Procuratorum insolentia intolerabilis reprimatur.

Item, si obstante consuetudine non placet servare illam rigorosam regulam contra simoniam Jure humano impositam, ut nihil pro Ordinatione aut Pallio detur aut accipiatur, ut habetur *c.* V. Epistolæ tertiæ Gregorii Papæ, & multa alia, quæ scribuntur in antiquis Juribus: saltem super his esset aliqua moderatio adhibenda, & pro conscientiarum sedatione etiam multitudini errantium piè condescendendo aliqua declaratio facienda. Juxta illud Nicolai Papæ, qui præsidens Synodo Constantinopolitanæ dixit: „ Quia ergo usque adeò verenda simoniaca per„ nicies hactenùs inolevit, ut vix aliqua Ecclesia va„ leat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex „ parte corrupta, tanta talium multitudo est, ut „ dùm rigorem Canonici Juris super eos servare non „ possumus, necesse sit ut dispensatoriè ad piæ con„ descensionis studium animos nostros ad præsens in„ clinemus, à simoniacis consecratos in acceptis Or„ dinibus manere permittentes. Hoc enim tempo„ ris nimia necessitas permittendum à nobis extor„ sit *&c.*

Similiter eadem vel majori ratione, permissio & condescensio facienda esset super pluribus aliis Juribus & Constitutionibus, quæ communiter in scandalum plurimorum non servantur. Ut verbi gratiâ: Quòd nihil omninò liceat accipere in distributione Graduum, Ordinum administratione, vel Sacramentorum, vel Sepulturarum, aut hujusmodi spiritualium, vel spiritualibus annexorum.

Quòd non liceat quemcunque Episcopum, vel Clericum die Dominico absentem esse Servitiorum solenniis; quòd Clerici ad Matutinum & Vespertinum Officia venire teneantur; quòd non liceat Clericis ante tertiam horam prandere; quòd nullus Sacerdotum à Quinquagesima usque ad Pascha carnes comedat; quòd Sacerdotes Adventum jejunent. Et sic de multis aliis similibus, de quibus vi-

Digitized by Google

videretur expediens declarare, quòd non essent Præcepta, sed Concilia.

Et similiter de observantia Jejunii Quadragesimalis, quantùm ad aliquas personas, & quoad aliquas circumstantias, esset moderatio adhibenda.

Item, quia Prælatis de divino cultu specialis cura esse debet, circa hujusmodi reformationem, quæ necessaria est, providendum esset, ut in divino Servitio non tam onerosa prolixitas, quàm devota & integra brevitas servaretur. Ut in Ecclesiis non tam magna imaginum & picturarum varietas multiplicaretur. Ut non tot nova Festa solennizarentur. Ut non novæ Ecclesiæ ædificarentur. Ut non tot novi Sancti canonizarentur. Ut, præterquam diebus Dominicis, & in majoribus Festis ab Ecclesia institutis, liceret operari post auditum Officium: cùm, quia in Festis sæpe magis multiplicantur peccata, in tabernis, in choreis, & aliis lasciviis, quas docet otiositas; tùm, quia dies operabiles vix sufficiunt pauperibus ad vitæ necessaria procuranda.

Ut in hujusmodi Festis scripturæ apocryphæ, aut hymni novi, vel orationes, seu aliæ voluntariæ novitates non legerentur, omissis antiquis, & autenticis, & jam in Ecclesia consuetis.

Et ut generaliter omnis novitas & varietas, ac usuum diversitas in Horis ac aliis divinis Servitiis, quantùm fieri posset, vitaretur, juxta Decretum Toletani Concilii XII. de quo XII. *dist. c.* XIII. Et multa alia utilia essent per Prælatorum diligentiam providenda, quæ per singula discutere longum esset.

CAP. IV.

De Reformatione status Religiosorum, ac Monachorum & Monialium.

Quarta consideratio erit de his quæ reformanda essent circa statum Religiosorum.

Et primò videtur quòd tanta Religiosorum numerositas & varietas non expediat, quæ inducit ad varietatem morum, & quandoque ad contrarietatem & repugnantiam observationum, & sæpe ad singularitatem & ad superbiam & vanam extollentiam unius status super alium.

Et maximè videtur necessarium, ut diminuerentur Religiones Ordinum Mendicantium: quia tot sunt & in numero Conventuum, & in numero suppositorum, ut eorum status sit onerosus hominibus, damnosus Leprosoriis & Hospitalibus, ac aliis verè pauperibus & miserabilibus indigentibus, quibus convenit jus, & verus titulus mendicandi: ipsis quoque Curatis Parochialibus. Et si benè consideretur, etiam præjudicialis omnibus Ecclesiæ statibus, & specialiter hujusmodi Religiosis intolerabilis, & eorum Religiosæ professioni contrarius, & maximè in multiplicatione Magistrorum Bullatorum, & sæpe indignorum, ipsis Religionibus onerosorum. De qua materia, & eorum variis excessibus pauca loquor: quia sunt plures Doctores, qui de hoc abundè scripserunt.

Item, providendum esset super correctione Quæstuariorum Prædicantium, sive Religiosorum secularium. Quoniam suis mendaciis maculant Ecclesiam, & eam irrisibilem reddunt, & Officium prædicationis maximè, honorandum jam contemtibile efficiunt. Unde Prædicatio, quæ propter sui reverentiam ad Prælatos pertinet, non esset tot & talibus vilibus Quæstuariis & Mendicantibus permittenda.

Item, cùm in Chalcedonensi Concilio statutum sit, ut habetur XVI. *q.* I. XII. ut *Monachi tantummodò intenti sint jejuniis & orationibus*, in locis ubi renunciaverunt seculo remanentes, nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis, propria Monasteria deserendo insistant; providendum esset, ut ne ipsi, etiam occasione studii Claustra relinquerent: vel saltem moderandum, quòd solùm ratione studii Theologiæ; cùm nimis multi seculares hodie studeant in Litium Facultate, ipsa quoque Theologia in statu secularium paucos habeat sectatores, propter abusum Romanæ Curiæ, quæ Theologos contempsit, & in omni Ecclesiastico gradu lucrativarum scientiarum studiosos præposuit. Cùm tamen primitivi Theologi Ecclesiam ædificaverint, quam aliqui baratratores destruxerunt, & nunc eam quasi ad extremam ruinam deducere videntur; adeò ut jam horrendum quorumdam
A proverbium sit: *Ad hunc statum venisse Ecclesiam, ut non sit digna regi, nisi per reprobos.*

Item, nunc maximè opus esset, ad obviandum insultibus infidelium, ut reformarentur Religiones Militares, & ad servandum Fidem, mores, & Patrum Regulas, & ad priores Institutiones cogerentur.

Item, circa Claustra Monialium, quæ jam proh dolor! ultra quàm dicere audeam, dehonestata sunt, esset correctio adhibenda. Et inter alias provisiones, hoc videretur expediens, ut nulla Religio mulierum sustineretur, nisi tales haberent reditus, unde possent sufficienter sustentari in suis domibus reclusæ, sine mendicitate & discursu.

Et ut de eorum Ecclesiis, seu quorumcumque aliorum Religiosorum Monasteriis, vel Prioratibus, vel Domibus, vel spiritualiter in moribus destru-
B ctis, vel in rebus temporaliter desolatis, fieret applicatio ad alia Claustra, in quibus Religio servaretur: ut per talem Religiosarum Domorum unionem superflua numerositas Religionum restringeretur, & residua paucitas bonorum & devotorum commodiùs sustentaretur.

Item, in Monasteriis esset inviolabiliter observandum, ut nullus nisi infirmus, aut debilis, aut hospes, comederet extra Refectorium: quia experientia docet, quòd ubi hoc servaretur, aliæ Religionis observantiæ tenerentur faciliùs.

Item, pro serenandis conscientiis devotorum Religiosorum, summoperè cavendum est eis, ne à Prin-
C cipibus aut aliis, reditus suos, aut alia ad ipsorum sustentationem pertinentia, procurent ex injustis exactionibus, aut quomodolibet illicitè acquisitis. Ne etiam Jura Prælatorum, Ecclesiarum, & Sacerdotum Parochialium indebitè occupent, sive in decimis, sive in aliis proventibus Ecclesiasticis. Ne etiam in præjudicium Ordinariorum ab eorum subjectione, Juri divino consona, & in Chalcedonensi Concilio sanctorum Patrum Decreto firmata, ut patet XVI. *quæst.* I. *cap.* XII. per importunam humanorum Privilegiorum impetrationem, & violentam exemptionem, damnabiliter se subducant. Nam secundùm aliquos, non est mediocriter dubitandum, an tales sint in statu salvandorum, ut patet ex deductione Cantoris Parisiensis *in verbo abbreviatio. Capitulo* XXXVII.

Item, in quibusdam Religionibus devotis, quæ Regulæ beati Benedicti rigorem superaddunt in prolixitate vigiliarum & orationum, & austeritate jeju-
D niorum & abstinentiarum, & aliis variis observantiis, videretur providendum de discreta moderatione, & maximè circa infirmos, ut salva Christi Lege, nihil eis quod discreti Medici consuluerint negaretur, sive in esu carnium, sive in aliis quibuscunque commoditatibus, humanæ fragilitati & naturali indigentiæ opportunis. Alioquin non dixisset Christus: *Non est opus sanis Medico*: Matth. IX. 12. si non concessisset opus esse infirmis Medicorum consilio.

CAP. V.

Digitized by Google

CAP. V.

De Reformatione inferiorum Ecclesiasticorum. De eorum scientia & moribus. De gradibus Academicis, Deque Ecclesiarum Bibliothecis.

QUinta consideratio erit de his, quæ reformanda sunt circa statum inferiorum Ecclesiarum & Ecclesiasticorum virorum.

Et primò, generaliter est providendum, ut in Ecclesiasticis Beneficiis, juxta eorum eminentias, ponantur personæ benè meritæ: ut non præferantur fatui & ignari, scientificis & sapientibus; nec juvenes senibus; nec illis de una patria, quorum vita & conversatio nota est & probata, aliqui extranei & alieni in moribus, linguis, & consuetudinibus: nec potentes aut nobiles pueri, Clericis probatis & famosis doctrina atque moribus; nec Advocati, aut intenti scientiis lucrativis, vel Curiales, aut Dominorum temporalium servitores, sacræ Scripturæ doctoribus. Sicut, à multis jam retroactis temporibus, Romana Curia facere consuevit.

Et ideò erit expediens, ut Ordinarii, qui in suis locis habere possunt & debent benè meritarum notitiam personarum, juxta earum merita Beneficia conferant. Vel saltem ut eorum collatio, non omninò tollatur, ita tamen quòd, ut obvietur eorum abusibus, potestas ordinaria limitetur. Verbi gratiâ, ut non possint dignitates & Beneficia majora conferre, nisi Doctoribus in Theologia, vel in Jure, quandocunque in suis, vel propinquis Diœcesibus erunt aliqui hujusmodi: ut non possint etiam nisi Graduatis vel nobilibus, vel aliàs benè meritis conferre Curas, Personatus, vel alia Beneficia centum librarum, vel ultra in portatis.

Et ita de multis similibus provisionibus. Per quas & digni promoverentur, & multi nobiles & ingeniosi ad studium literarum provocarentur, & Universitates Studiorum florerent, & quod valdè optandum est, importunæ & violentæ preces Dominorum temporalium pro indignis cessarent. Quæ hodie quàm periculosè fiant, docet experientia.

Hæc autem quæ de Graduatis dicta sunt, per modum exempli ponuntur, quæ etiam moderari possunt, & alia addi, ad provisionem aliorum sufficientium, licèt non Graduatorum.

Item, providendum esset, ut Universitates Studiorum reformarentur, & per Prælatos scientificos visitarentur: ut gradus distribuerentur dignis, sine favore, aut acceptione personarum, & cum rigore examinis in scientia & moribus: ut doctrinæ utiles, resecatis superfluis aut minus utilibus, legerentur; ut institutores Rhetoricæ, & linguarum Græcæ & Latinæ, quarum ignorantia multipliciter Ecclesiæ damnosa est, haberentur; & ut aliis studiosis actibus, Reipublicæ tàm spirituali quàm temporali utilibus, juvenum ingenia exercerentur.

Item, adhibenda esset correctio circa mores Ecclesiasticorum, qui jam nimis proh dolor! sunt corrupti, ira, gula, luxuria, pompa, prodigalitate, otio, & aliis vitiorum generibus: quod cedit in grave laïcorum scandalum. Et maximè obviandum esset illi scandalosissimæ consuetudini, seu potiùs corruptelæ, quâ plures hodie non verentur tenere publicè concubinas. Et quia adversùs eos pœnæ Juris, Suspensionis, Excommunicationis, Irregularitatis non proficiunt, contra tales in hac, vel aliis inhonestatibus publicis incorrigibiles, haberet locum pœna depositionis ab Officio & Beneficio.

Item, quia Archidiaconi ab Ecclesia instituti ut serviant Episcopis, ut habetur originaliter, *Actuum, sexto*, & specialiùs declarantur eorum officia, *decima tertia distinct.* quasi per totum: ideò providendum erit, ut debita Officia exerceant; vel cum sint Ecclesiæ onerosi, penitùs extirpentur, sicut supra de Chorepiscopis dictum est.

Item quia dicit Hieronymus: *Pauci Sacerdotes, multi Sacerdotes: pauci merito, multi numero:* Ideò contra hanc scandalosam multitudinem esset summoperè obviandum, per hoc, quòd non promoverentur
A nisi digni & benè morigerati, habentes scientiam ligandi & solvendi, & intelligentiam divini servitii.

Item, ad obviandum ignorantiæ Sacerdotum jam promotorum, in Ecclesiis Cathedralibus & notabilibus collegiatis, essent scribendi aliqui breves Tractatus, & etiam in Synodis publicandi, tàm in Latino quàm in Vulgari, super instructione necessaria de virtutibus & vitiis, de Articulis Fidei, de Sacramentis, de modo Confessionis & hujusmodi.

Similiter in hujusmodi Ecclesiis deberet esse aliquis Lector Theologiæ, qui legeret secundum & tertium & quartum Sententiarum, vel, recipiendo utiliores materias dictorum Librorum, eas sub brevitate applicaret ad expositionem & intelligentiam Epistolarum & Evangeliorum, quæ in Ecclesia per anni circulum recitantur.

B Similiter in dictis Ecclesiis, & maximè in Metropolitanis, deberent esse notabiles Librariæ Theologiæ, & Juris Canonici, ac Librorum moralium, & maximè, ut magnus Liber Conciliorum Generalium, qui jam rarus est, licèt sit perutilis & necessarius, à Metropolitanis in magnis Ecclesiis procuraretur.

Item, quia correctio subditorum sæpe per appellationes impeditur, & datur peccandi audacia; etiam circa eas adhibenda moderatio, ne in earum nimis facili receptione & admissione, inferiores Prælati à Metropolitanis, vel Romana Curia in ordinaria executione Justitiæ gravarentur: sicut jam dudum beatus Bernardus conquerebatur, in Libro. *De consideratione, ad Eugenium Papam.* Qui Liber in hoc & aliis multis pro reformatione Ecclesiæ non mediocriter utilis, sicut & plures ejus Libri & Epistolæ.

CAP. VI.

C

De Reformatione Laïcorum Christianorum. De Principum in Ecclesiam reformandam studio atque obligatione.

SExta & ultima consideratio erit de reformandis circa statum laïcorum Christianorum, & maximè Principum, à quorum moribus dependet morigeratio populorum. Quia, ut dicit Poëta.

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Et iterum,

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Et ideò provideant Principes Christiani, ut titulum suæ Christianitatis, quem verbo confitentur, opere non negent, contra Christi doctrinam, & per vias ei contrarias, in conspectu sui populi corruptis moribus incedentes, suis malis exemplis mores subditorum corrumpant.

D Item, ut liberos suos in bonis operibus ac moribus, & in litterarum scientiis informari faciant.

Item, ut non solum à se, sed à suis familiaribus & domesticis, superfluam & superbam vanitatem, avaritiam, & tyrannidem abjiciant.

Item, ut populum ipsis subjectum bonis moribus ædificare studeant, eos à luxuria, avaritia, otio, & à cunctis vitiis Reipublicæ contrariis retrahant, & specialiter à Dei & Sanctorum blasphemia, quæ sæpe in juramentis & perjuriis committitur, arceant.

Item, ut malas consuetudines, Juri divino & humano

Digitized by Google

mano contrarias, in suis subjectis per consilium Theologorum & aliorum prudentum repellant.

Item, ut Artes magicas, & alias superstitiones divina Lege damnatas, & omnes errores & hæreses Fidei contrarias, diligentiùs evellant & destruant.

Item, ut ad Fidei exaltationem, divini cultus honorem, Ecclesiæ reformationem, invigilent ad ea quæ superiùs & inferiùs pro hujusmodi reformatione notata sunt, & alia quæcunque utilia diligenter laborent.

Item, ut zelo justitiæ contra persecutores & oppressores Ecclesiæ, pauperum, & debilium excandescant, & eorum injurias propulsare non tardent.

Vicinis quoque & peregrinis, Fidem Catholicæ fraternitatis observent.

Item, contra Saracenos & alios Fidei adversarios potenter insurgant, & nunc dùm maximè opus est, post unitam & reformatam Ecclesiam, infidelium insultibus viriliter se opponant, ac propter hoc guerras & bella, quæ jam proh dolor! & in Imperio & in Regnis Christianis, in contumeliam Christiani nominis crudeliter sæviunt, misericorditer compescant, & ad Christianam pacem & unionem reducant. Alioqui infallibiliter verificabitur verbum Christi, *Omne regnum in se divisum desolabitur*. Luc. XI. 17.

Item, ut Judæis propter vilem quæstum non faveant, eos scilicet inter subditos suos morari permittendo, nisi vel Christianis serviendo, agros colendo, vel aliàs mechanicè laborando, & non usuras damnabiles in damnum Christianorum exercendo.

Item, ut Judæorum conversorum bona non rapiant, sed ad vitæ necessitatem eis possidere permittant, ne egestate compulsi apostatent, & Christianos impietatis arguant.

Item, multa alia essent per Principes cum Generali Concilio Ecclesiæ circa statum Christiani populi reformanda. Quæ si impediant, imò si ea diligenter non promoveant, timendum est eis, ne contra ipsos manus Domini, prout jam incipit, gladium sui furoris exerceat.

Item, propter præmissa, expedit ut Reges & Principes mittant ad Generalia Concilia, non ad onerandum & confundendum, sed ad honorandum, & confortandam Ecclesiam, & ad ea quæ ibi decreta fuerint, quantùm in eis est, exequendum.

Item, quia juxta Evangelicam sententiam, quam etiam experientia rerum magistra docet, inter Reges gentium, & Principes seculi, sæpe fit contentio, quis eorum videatur esse major, quam contentionem Christus inter Discipulos suos vitari docuit: ideò non videtur expediens, ut de cætero in Generalibus Conciliis, pro deliberando, ad partem, super rebus gerendis fiat divisio per Nationes vel Regna: quia talis modus dividendi magis est secularis quàm Ecclesiasticus, & ad contentiones de majoritate vel superioritate dispositivus; sed juxta Ecclesiasticas Sanctiones & sanctorum Patrum observantias, magis videtur esse procedendum per Provincias Ecclesiastico more distinctas.

Tamen quia hujusmodi Provinciæ valdè inæqualiter sunt divisæ in diversis mundi regionibus, ideò expediens videretur hanc moderationem observari, ut ad constituendam Provinciam in Concilio Generali, non sufficeret minor numerus quàm XII. notabilium personarum: Quarum sex ad minus essent Prælati, vel Ambasiatores Regum, Principum, vel Universitatum generalium Studiorum, aut Doctores in Theologia, vel in Jure: & illorum sex ad minus duo essent Episcopi, non Titulares, aut girogavi; alii verò sex sint in minoribus dignitatibus Ecclesiasticis constituti, vel in aliqua Facultate graduati.

Quando verò in aliqua Provincia non esset talis numerus, aut talium personarum, ut suppleretur de aliis vicinis Provinciis, & constitueretur una ex pluribus, quæ denominaretur ab illa cujus ibi essent plura, aut notabiliora supposita, & ut hujusmodi personarum electio fieret in Conciliis Provincialibus, Generale Concilium præcedentibus: & ibidem ordinaretur de stipendiis, pro expensis & sumptibus eorundem, per modum subsidii charitativi, Ecclesiastico more, & non seculari autoritate vel potestate imponendi & exequendi.

Item, quia Ecclesia non potest Principes ad prædicta reformanda temporaliter cogere, expediens erit, ut per Generale Concilium ipsos ad ea monitis salutaribus exhortetur: ut sic, faciendo quod in se est, apud summum Judicem excusetur. Nec solùm opus erit exhortatoriis verbis; sed etiam bonorum morum, & in melius reformatorum actuum exemplis. Quia plus movent exempla quàm verba: ideò *cœpit Jesus facere & docere*. Act. I. I.

Unde nihil est quod tam efficaciter possit, sive ad bonum, sive ad malum Principes & alios laïcos inducere, sicut facta exemplaria Ecclesiasticorum. Ideò exemplaria Ecclesiasticorum sunt necessaria. Ideò super illud Matthei. XXI. 12. *Et intravit Jesus in templum* &c. dicit Chrysostomus: „ Sicut de templo „ omne bonum egreditur; ita de templo omne malum procedit. Si enim Sacerdotium integrum „ fuerit, tota Ecclesia floret: si autem corruptum fuerit, omnium Fides & virtus marcida „ est. Sicut cùm vides arborem pallentibus foliis, „ intelligas quòd vitium habeat in radice: sic cùm „ videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quòd Sacerdotium non sit sanum.

Et inde patet, quòd necessaria sit Ecclesiasticorum reformatio: cùm morum suorum deformatio tam periculosa sit, & cunctis fidelibus populis tam damnosa.

Avertat autem misericors Dominus ab Ecclesia sua hanc contumeliam, ut omnes Prælati, Sacerdotes, aut alii Ecclesiastici hujus lamentabilis deformationis reperiantur culpabiles. Sed sicut olim ipse sibi in Israël septem millia virorum reservavit, quorum genua non sunt curvata ante Baal, (sicut legitur III. *Reg.* XIX.) sic hodie in omni statu Ecclesiæ aliquos reservasse credendus est, qui zelo Christianæ Legis accensi, deformatos mores in melius reformabunt, & suis salutaribus verbis & exemplis alios informabunt. Quod ipse præstare dignetur, qui Ecclesiam suam pretioso Filii sui Sanguine redimere dignatus est. Amen.

Scriptum Constantiæ. Anno Domini M. CCCC. XVI. die prima Mensis Novembris.

ORA-

ORATIO
PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis,
DE OFFICIO IMPERATORIS, PAPÆ,
Reliquorumque Membrorum Concilii Constantiensis,

PRO EMENDATIONE ECCLESIÆ

Habita Constantiæ, in Concilio Generali. Anno MCCCC. XVII.

Ex veteri Editione Argentinensi, Anno 1490.

ERUNT *signa in Sole, Luna & Stellis.* Luc. XXI. 25.

CONsiderantibus nobis verba proposita, triplex occurrit quæstio, pro eorum introductione, in hujus Sermonis procemio, breviter explicanda. Prima. Qualiter verba hæc Evangelica, ad ea, quæ nobis hîc sunt agenda, pertineant. Secunda. Quid significent illa cœli luminaria, quæ nobis consideranda præsentantur. Tertia. Quæ sint signa cœlestia, quæ nobis futura prænunciant.

Hæ siquidem quæstiones multorum fortè hîc astantium animos pulsant, qui secum taciti admirantes interrogant: quam ob causam, quamve rationem, aut congruentiam, verba hæc proponere decreverim, & huic applicare Sermoni. Quid, inquiunt, ad rem pertinet, quid ad propositum attinet Concilii Generalis: *Erunt signa in Sole, Luna & Stellis.*

Prima igitur quæstio proponitur: qualiter verba hæc Evangelica ad ea, quæ nobis hîc sunt agenda, pertineant. Pro quo sciendum nobis est, quòd verba præmissa omninò arbitratus sum huic Sermoni aptissimè convenire, quòd hi, qui in hac synodali Congregatione præsentes adsunt, debent esse velut clarissima cœli luminaria, Soli, Lunæ ac Stellis meritò comparanda, ut sequentia pleniùs declarabunt.

Nec caret congrua ratione rationabilis congruentia: quia hæc verba, quæ ad litteralem intellectum dicta sunt de signis adventus Domini ad generale Judicium finale, juxta sensum spiritualem, intelligi possunt de signis adventus ejus ad Generale Concilium, seu Judicium synodale; de quo adventu ipse in Evangelio legitur promisisse: *Ubi duo vel tres, congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio illorum sum.* Matth. XVIII. 20.

O utinam bone Jesu, utinam sis hîc in medio nostrûm, ubi duo non solùm, vel tres; sed tanta fidelium multitudo universalem repræsentans Ecclesiam congregatur. Qui utique congregati sunt in nomine tuo, in nomine Jesu, in nomine Salvatoris; nempe titulo, seu causa procurandæ salutis, & salutaris utilitatis, non particularis quidem sed universalis, nec unius aut paucorum membrorum tuorum, sed totius tui mystici corporis, totiusque tuæ Christianitatis. Utinam ergo, salutifer Christe, utinam nobis in tuo salutari nomine congregatis, ita digneris præsens assistere, ut, pulsis errorum tenebris & peccatorum nebulis, effici mereamur clara luminaria cœli spiritualis, id est, tuæ Ecclesiæ militantis, & in nobis reluceant læta signa salutaris consolationis. Unde sic verè possit dici: *Erunt signa in Sole, Luna & Stellis.*

Secunda quæstio erat: quid significent illa cœli luminaria, quæ præmissa verba nobis consideranda præsentant. Pro quo considerandum nobis est, quòd, sicut in cœlo corporali, sic in cœlo spirituali, hoc est, in præsenti Ecclesia, quæ, Gregorio teste, sæpe in sacro Eloquio Regnum cœlorum dicitur, ordinatissimus Rex, omnium dispositor, diversa luminaria disposuit, de quibus in principio Libri Genesis scriptum est: *Fecit Dominus duo magna luminaria. Luminare majus, ut praeesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas.* Gen. I. 16.

Habet igitur Ecclesia duo luminaria magna, Solem & Lunam, habet & Stellas varias.

In Sole Papalis Majestas, quæ præest diei, id est, spiritualibus; in Luna Imperialis potestas, quæ præest nocti, id est, temporalibus. In Stellis verò diversorum statuum Ecclesiasticorum varietas, quæ suis subest majoribus, congruè designatur, sicut pleniùs patebit ex his, quæ inferiùs dicenda sunt.

O quàm decora est Ecclesia Christiana, horum luminarium mira varietate, variaque claritate, dicente Apostolo: *Alia est claritas Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, & Stella a Stella differt in claritate.* I. Cor. XV. 41. Ecce ergo, quàm bonum & quàm jucundum est, horum luminarium variam claritatem videre! Quod tamen nobis nunc, Domino donante, concessum est, cum Solem & Lunam, utramque videlicet potestatem, spiritualem & temporalem, sacerdotalem & regalem, simulque cum eis Stellas varias, id est, varios Ecclesiæ status, ad illuminandum universalem faciem terræ videamus in hoc sacro Concilio convenire: ut meritò de eis dictum sit; *Erunt signa in Sole, Luna & Stellis.*

Tertia quæstio fuit: quæ sint ista signa cœlestia, quæ verba prædicta nobis futura prænunciant. Pro quo pensandum nobis est, quòd in cœlo spiritualiter intellecto, hoc est, in hoc sacro Generali Concilio, quo Universalis repræsentatur Ecclesia; in Sole, Luna & Stellis apparere incipiunt signa multa, signa magna, signa nova, signa utique cœlestia, sua multitudine stupenda, sua magnitudine miranda, sua novitate jucunda, quæ plurimis retrò actis temporibus fuerunt abscondita, fueruntque tristia signa illis omninò contraria.

Sed quod parabolicè & obscurè diximus, jam clarè & lucidè disseramus. Scimis namque, & satis, superque satis per experientiam docti sumus, qualiter proh dolor! in Sole, Luna & Stellis præcesserint signa tristitiæ & mœroris, signa videlicet schismaticæ divisionis, & Ecclesiasticæ deformationis. Propter quod impletum est illud Joëlis vaticinium: *Sol & Luna obtenebrati sunt, & Stellæ retraxerunt splendorem suum.* Joël. II. 10. & XIII. 15.

Jam verò, quod gaudentes referimus, videre speramus signa jucunditatis & lætitiæ, signa charitatis & concordiæ, signa prosperitatis & complacentiæ, signa videlicet pacificæ unionis & reformationis Ecclesiasticæ.

Hæc est ergo mirabilis mutatio dexteræ excelsi, quam in Sole, Luna & Stellis nunc inchoari videmus, dùm hoc sacrum Concilium ad hunc finem congregatum aspicimus, ut sancta Mater Ecclesia jam dudum per schismaticam divisionem miserabiliter deformata, nunc per pacificam unionem reformetur. Sanè nec vera unio sine reformatione, nec vera reformatio sine unione esse poterit. O præclarum & prosperum diem, & quem meritò sanctum dixerim, sub quo hoc fieri contigerit! O beatos oculos, qui hoc videre meruerint! O felicem locum, hanc videlicet Constantiensem civitatem, meque pariter cum ea, jucundæ exultationis participem, quem intra terminos commissæ mihi legationis ad partes Alemaniæ Dominus ad hoc eligere dignatus est.

Sed magis laudanda & veneranda, & cum lætabunda gratiarum actione, dignis præconiis extollenda immensa Dei clementia, quæ tam ingens largitatis beneficium Ecclesiæ suæ contulit, ut terribilia signa horrendi schismatis tam mirabili mutatione converteret in tranquilla signa optatæ unionis & pacis, de quibus dictum est; *Erunt signa in Sole, Luna & Stellis.* Luc. XXI. 25.

A Hæc igitur hactenus de tribus præmissis quæstionibus generaliter dicta sint. Sed jam restat, ut specialiter consideremus dicta luminaria, & in eis sigillatim notemus signa, & signemus mysteria.

Primo quidem, in Sole signa Præsidentiæ pastoralis. Secundo, in Luna signa prudentiæ temporalis. Tertio, in Stellis, signa assistentiæ specialis & obedientiæ filialis.

In primis ergo consideremus in Sole, id est, in papali sublimitate, signa Præsidentiæ pastoralis; de qua singulariter Petro, pro se & suis successoribus à Christo dictum est: *Pasce oves meas.* Joan. XXI. 17. Non quidem specialiter has vel illas, sed generaliter universas.

Hæc autem Papalis sublimitas, & ejus pastoralis Præsidentia, ac eminentia singularis, Soli merito comparatur, propter tres excellentias, quas in eo specialiter cognoscimus. Habet enim sublimitatem positionis, habet nobilitatem conditionis, habet utilitatem operationis. Sic Pontifex Summus, & Pastor supremus instar Solis, habet positionis sublimitatem, si bene intraverit. Habet conditionis nobilitatem, si bene vixerit. Habet operationis utilitatem, si bene rexerit.

B Sed è contra, quod absit, Pastor ab his conditionibus Solis degenerat, si male intraverit, per injustam & reprobam ambitionem; si male vixerit, per inhonestam & scandalosam conversationem; si male rexerit, per torpidam & otiosam remissionem, vel per tyrannicam & onerosam, ac odiosam administrationem.

Hæc proh dolor! essent signa tristia, & non illa jucunda signa, quæ divina favente clementia, nunc in Sole nostro videre speramus, ut de eo cum Psalmista, Domino dicere valeamus: *Tu fabricasti auroram & Solem.* Ps. LXXIII. 16. Fabricat enim Deus Solem, quando Summus Pontifex, per canonicam institutionem dignus eligitur. Et tunc, ex Dei opere, verus Sol efficitur, & recte super alios sublimatur.

C Sed non est ille Sol verus, sed falsum Solis simulacrum, qui manibus hominum, id est humanis & dolosis adinventionibus fabricatur, sicut in Psalmo scriptum est: *Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum.* Ps. CXIII. 4. Imò de talibus idolis per Jeremiam dicitur: *Conteret Dominus statuas domus Solis.* Jerem. XLIII. 13.

O utinam beata Trinitas sua omnipotenti virtute conterat statuas domus Solis, id est, simulacra Romanæ Ecclesiæ, quæ est domus Summi Pontificis! Utinam, inquam, illa simulacra conterat, quæ in contumeliam individuæ Trinitatis, trinum sibi nomen Papatus multiplicare conati sunt, cùm tamen eum tres simul habere nequeant; sed unus solus veri Solis & veri Papæ nomen, & realem dignitatem obtinere debeat.

D Unde, in plurium, de hoc nomine contendentium irrisionem, aliàs me scripsisse recolo; quòd, sicut in divinis veneranda est & adoranda Trinitas personarum, sic in humanis, verenda & abominanda trinitas Paparum. Cum enim Sol dicatur, quasi per excellentiam, solus lucens, non potest esse Sol trinus; sed necesse est ut solus sit, & unicus. Unde, licèt narrent historiæ, tres soles in cœlo aliquando visos fuisse, sicut testatur Eusebius, tamen secundùm Philosophos, nunquam plures fuerunt realiter, sed solùm apparenter. Nam quædam nubes interposita apparere fecit plura Solis simulacra eidem similia; & illud fuit signum pronosticum inundationis futuræ.

Sic reverà, à tempore præsentis schismatis, quædam fuit nubes ingratiæ & malitiæ, quæ in Romana Curia plura Solis, id est, Papalis dignitatis simulacra fecit lippis oculis apparere. Quod monstruosum prodigium, præsagium fuit inundationis plurium scandalorum, de quibus magis flere libet, quàm aliquid dicere.

Hoc autem sacrum Concilium ad hunc finem specialiter institutum est; ut, fugatis hujus erroris tenebris, conterantur hujusmodi simulacra; & juxta verbum Christi, fiat unum ovile & unus pastor, qui tanquam verus Sol unus & solus clarescat, & suo lumine universam illustrans Ecclesiam, schismatis scandala sicut fenum ante conspectum Solis incalescentis arescere faciat; ut de eo dici possit illud propheticum: *Ortus est Sol in ardore, & arefecit fenum.* Jacob. I. 11. Et hæc de Sole, & prima nostri Sermonis consideratione sufficiant.

Jam ergo consideremus in Luna, id est, Regali seu Imperiali Majestate, signa providentiæ temporalis; de qua scriptum est: *Absque regali providentia impossibile est pacem rebus dari.* 2. Mac. IV. 6.

Hæc autem Regia Majestas, & ejus temporalis providentia, Lunæ merito comparatur, propter tres conditiones, quas in ea sensibiliter experimur. Est enim Luna, secundùm Isidorum, imitatrix Solis, dominatrix maris, & ministra roris. In quibus designantur tres excellentiæ, quæ debent regali providentiæ specialiter convenire. In imitatione Solis, id est, spiritualis claritatis, fulgor claræ prudentiæ. In dominatione maris, id est, temporalis mutabilitatis, vigor magnæ potentiæ. In ministratione roris, id est, visceralis pietatis, dulcor veræ clementiæ.

Hæc sunt signa, quæ in Luna nostra, hoc est, in regali providentia nunc, Domino concedente, videre speramus, ut per ejus prudentiam clarescat veritas in discernendis Judiciis; ut per ejus potentiam, fervescat severitas in corrigendis vitiis; ut per ejus clementiam, dulcescat serenitas in sublevandis miseriis

Speramus igitur, quòd per Regis nostri prudentiam clarescet veritas in Judiciis discernendis, juxta illud quod in Proverbiis scribitur: *Rex, qui judicat in veritate, thronus ejus in æternum firmabitur.* Prov. XXIX. 14.

Speramus insuper, quòd per ejus potentiam fervescet severitas in vitiis corrigendis. Et sic, de eo verificabitur illud quod ibidem legitur: *Rex, qui sedet in solio Judicii sui, id est, sua regali potentia atque providentia, dissipat omne malum.* Prov. XX. 8. Et notanter dictum est: *Omne malum.* Ut detur intelligi, quòd Regia severitas non debet unum malum dissipare, & aliud dissimulare; sed sine personarum acceptione omne malum punire, & in hac punitione non bonum naturæ, sed malum culpæ in hominibus persequi.

Speramus denique, quòd per ejus clementiam dulcescat serenitas in miseriis sublevandis. Ut cum sancto Job dicere veleat: *Cùm sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* Job. XXIX. 25.

Ad Regis enim nostri clementiam pertinet, ut severitatem justitiæ, per serenitatem misericordiæ temperet, & sicut illam contra superbos & rebelles, maxime contra hæreticos & infideles, contra schismaticos & Ecclesiæ adversantes; sic istam in humiles & subjectos exerceat; ut ei illud præconium conveniat, quod in laudem optimi Principis ab egregio Poëta dictum est: *Parcere subjectis & debellare superbos.*

His itaque virtutum titulis insignitus, dignus erit Rex noster gladium accipere, non suâ quidem, sed divina autoritate; nec pro quacunque causa, sed pro tuitione justitiæ, & Ecclesiæ defensione: ut mereatur illud audire quod Judæ Maccabæo strenuissimo divinæ Legis zelatori dictum est: 2. Mach. XV. 16. *Accipe gladium sanctum munus à Deo, quo dejicies adversarios populi mei Israël*, id est, populi Christiani. Gau-

Digitized by Google

Gaudeat igitur Ecclesia & nos cum ea pariter exultemus, quia Serenissimus Romanorum Rex, huic sacro Genearli Concilio humiliter voluit interesse: non quidem ut præsit, sed ut prosit; non ut spiritualia & Ecclesiastica negotia hîc tractanda Regia autoritate definiat, sed ut ea quæ Synodali determinatione definita fuerint, sua potestate defendat. Non denique quasi sua intersit Synodalia Decreta statuere, aut statuta confirmare; sed ea potiùs reverenter conservare, & ad eorum observantiam, superbam inobedientium contumaciam suo temporali gladio coërcere: volens in hoc exemplum imitari Religiosissimi Principis Constantini; de quo legitur in Decreto, & pleniùs habetur in historia Ecclesiastica. *Lib.* x. & in Tripartita. *Lib.* 11.

A

O igitur felicem, ô nobis optabilem diem, & toti mundo desiderabilem, quo in hac sacra Synodo videmus Solem & Lunam, id est, spiritualem & temporalem potestatem, sibi invicem assistere, & sese forti ac stabili munire præsidio, ut de eis dici possit illud Propheticum: *Sol & Luna steterunt in habitaculo suo.* Habac. III. 11. Et hæc de Luna, & de secunda nostri Sermonis consideratione sufficiant.

Sed jam ultimò consideremus in Stellis, id est, in multiplici Ecclesiasticorum statuum varietate, signa specialis assistentiæ, & obedientiæ filialis; de qua mysticè & figurativè potest accipi illud Baruch Prophetæ verbum: *Stellæ dederunt lucem in custodiis suis, vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus:* Baruch. III. 34.

B

Ubi circa hujus sacri Concilii congregationem tria notare debemus. Primò, in personis congregatis, conditionis nobilitatem: quia *Stellæ dederunt lucem.* Secundò, in persona congregante, autoritatem Prælationis: quia *vocatæ sunt.* Tertiò, in ipsa congregatione, subjectionis humilitatem: quia *dixerunt: Adsumus.*

Consideremus itaque primò, in personis congregatis conditionis nobilitatem: Quia *Stellæ.* Licèt enim nullæ personæ Catholicæ, etiamsi sint schismaticæ, ab hac congregatione sint exclusæ: non tamen specialiter sunt vocatæ infimæ, aut ignorantes personæ; sed illæ præcipuè, quæ in triplicis conditionis nobilitate Stellis cœli sunt meritò comparandæ, videlicet, in sublimitate excellentis eminentiæ, in claritate refulgentis sapientiæ, in potestate præcellentis influentiæ.

C

Stellæ igitur non qualescunque, aut quantumcunque parvæ, vel parum luminosæ, sed tales, quæ per abundantem virtutis redundantiam dederunt lucem in custodiis suis, id est, in variis Ecclesiæ Christianæ locis eis ad custodiam deputatis, & in administrationem commissis; de quibus dici potest illud Ecclesiastici: *Species cœli*, id est, decor Ecclesiæ, vel hujus cœlestis Concilii *gloria Stellarum mundum illuminans.* Eccli. XLIII. 10.

Consideremus deinde, in persona congregante, Prælationis autoritatem; quia *vocatæ sunt.* Non enim propria temeritate convenerunt; sed apostolica autoritate vocatæ sunt, ab illo videlicet, qui prælationis ac potestatis plenitudinem habere dignoscitur, id est, à Summo Pontifice, qui solus potest Generale Concilium convocare, sicut per communia Jura positiva probatur. Quod utique regulariter verum est: sed Jure divino & naturali, patenter ostenditur, quòd hæc regula in certis casibus exceptionem habeat, & specialiter in casu Pisani Concilii, sicut aliàs declaravi. Unde, qui oppositum tenent, literali sensui Juris positivi, Judaïco more, nimis tenaciter adhærent, contra quos ait Apostolus: *Litera occidit, spiritus*, id est spiritualis sensus, *vivificat.* 2. Cor. III 6.

D

Consideremus denique in hac sacra congregatione, subjectionis humilitatem, quòd Stellæ *dixerunt: Adsumus*; id est, ad specialem assistentiam, & obedientiam filialem nos humiliter præsentamus. Ut Summo Pontifici meritò possit hæc congregatio illud Prophetæ verbum dicere: *Ecce adsum, quia vocasti me.* 1. Reg. 1. 6. 9. Et hæc de Stellis, & tertia nostri Sermonis consideratione sufficiant.

Sed vos, ô Stellæ clarissimæ, non immeritò quærere potestis: quare vocatæ sitis, ad quid cum Sole & Luna conveneritis, propter quid cum eis synodaliter hîc congregari debueritis? Ad hanc quæstionem respondeo, quòd in hac sacra Synodo Sol, Luna, & Stellæ propter tria specialiter congregentur. Primò, ad præterita corrigenda. Secundo, ad præsentia ordinanda. Tertiò, ad futura providenda.

Primò, ad correctionem & reformationem Ecclesiasticæ deformitatis, quoad præterita. Secundò, ad ordinationem & integrationem pacificæ unionis, quoad præsentia. Tertiò, ad provisionem & evitationem maleficæ pravitatis, quoad futura.

His enim tribus temporibus, secundùm Senecam, tria prudentiæ officia correspondent: quæ si nunc debitè impleantur, utique, juxta verba proposita, erunt signa in Sole, Luna & Stellis, id est, in omnibus statibus Ecclesiasticis, tàm in capite, quàm in membris. Signa, inquam, jucunditatis, & exultationis, quæ in hac synodali Congregatione fieri præstolamur. Et hæc sub triplici conclusionne prosequemur.

Prima ergo conclusio est, quòd hæc sacra Synodus congregetur ad correctionem & reformationem Ecclesiasticæ deformitatis. Ut meritò nobis dici possit illud Ezechielis: *Pro eo, quòd versi estis in scoriam, congregabo vos & conflabo, & succendam vos igne furoris mei*, idest zelo fervoris divini. *Ezech.* XXII. 19.

O utiam hoc igne, hoc zelo, hoc divino fervore ita nos conflare & succendere dignetur Spiritus sanctus, ut sua gratia mediante Ecclesiam, quæ à puritate sui primitivi decoris versa est in scoriam multiplicis deformitatis, purgare & reformare valeamus.

Heu, heu, quàm necessaria sit, & jamdudùm fuerit ista Ecclesiæ reformatio, magna ejus deformatio insinuat, de qua Bernardus, *Sermone* XXXIII. *super Cantica*, lamentabiliter conquerendo dicebat: „ Serpit „ hodie putrida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & „ quò latiùs, eò desperatiùs, eòque interiùs. *Et multis interpositis subdit*: „ Olim de Ecclesia prædictum „ est, & nunc tempus impletionis advenit; *Ecce in* „ *pace amaritudo mea amarissima.* Isaiæ XXXVIII. 17. A„ mara priùs, in nece Martyrum; amarior post, in con„ flictu hæreticorum; amarissima nunc, in moribus do„ mesticorum. Non fugare, non fugere eos potest. In„ testina ergo & vix sanabilis est plaga Ecclesiæ, & „ imò in pace amaritudo ejus amarissima. Sed, in „ qua pace? Et pax est, & non est. Pax à paga„ nis, pax ab hæreticis, sed non profectò pax à fi„ liis. Unde vox ejus est plangentis in tempore „ isto: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* „ Isaiæ I. 2. Spreverunt & maculaverunt me turpi „ vita, turpi quæstu, turpi commercio, negotio „ denique perambulante in tenebris. „ Heu, heu & iterum heu, si hæc dicebat ille tempore suo, quid jam dicere possumus tempore nostro, cum illi mali mores ex tunc semper creverint & processerint ad pejores. Hinc præsentem Ecclesiæ persecutionem; hinc horrendam monstruosi hujus schismatis divisionem; hinc subtractionem obedientiæ ab Ecclesia Romana, aliaque scandala plura secutura, ex tunc quidem, oculo spiritualis intelligentiæ præviderunt, sicut patet ex scriptis venerabilis Abbatis Joachim, & Sanctæ Hildegardis, quorum non est autoritas contemnenda.

Si ergo contra hæc mala, hæc sacra Synodus non providerit remedia congrua, audacter affirmo, quòd post tam horrendas corruscationes, quas videmus, horribiliora sequentur toniturua.

Utinam igitur, utinam horum malorum reformatio fiat. Utinam ad expurgandam Ecclesiæ scoriam accendatur in nobis ignis boni furoris, id est, zelus di-

Digitized by Google

divini fervoris. Ut impleatur quod præmemoratus Ezechiel Propheta subjunxit, ℣. 21. *Et conflabimini sicut conflatur argentum in medio fornacis*, id est, sicut purgatur argentum in fornace, non solùm exteriùs, sed interiùs, & in omni parte, ut non sit ficta vel simulatoria, sed perfecta & vera purgatio.

Hoc autem fieri non poterit, nisi Christus, afflatu suo nos inflammet in fornace charitatis, & ardere faciat igne suo, videlicet zelo ardentis fervoris, vitiorum scoriam expurgantis, quo ipse ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut ardeat.* Luc. XII. 49. Et hæc de prima conclusione. A

Secunda conclusio est, quòd hæc sancta Synodus congregetur ad reordinationem & reintegrationem pacificæ unitatis: ut de nobis verificetur quod in Evangelio legitur: *Erant Discipuli* pariter *congregati*, quando *venit & stetit Jesus in medio eorum, & quando ait eis, pax vobis.* Joan. XX 19.

O utinam in medio hujus synodalis Congregationis ita venire & perseveranter stare dignetur Salvator Jesus, ut sua præsentia nobis Ecclesiasticam afferat pacem, & pacificam unitatem! Utinam ad hanc reordinandam & reintegrandam, sic nobis secum cooperari concedat, ut nostri laboris fructum universitas Christiana sentiat. Hoc itaque labore nullus esse potest fructuosior, hoc fructu nullus sentiri potest suavior. Nec his pacis laudibus diutiùs oportet insistere, cùm talibus Scripturæ plenæ sint, nobis non ignotis. B

Sed in tanti boni persecutione nostram decet negligentiam arguere, nostram pigritiam excitare. Nimis enim hoc in negotio temnimus, nimis hucusque quievimus, nimis obdormivimus. Exsurgendum tandem est, & data nunc oportunitate & occasione cœlitùs exhibita, ad hoc tam arduum, & Ecclesiæ Dei tam necessarium virtutis opus efficaciter assurgendum. Et quia, *Ubi intenderis ingenium, valet.* ut ait Comicus; ideò omnes hîc ingenii vires impendamus, totis conatibus incumbamus, rumpamus moras, tollamus dilationes, & pacem hanc tam utilem, modis omnibus, & viis rationalibus fine debito terminemus.

Ad hunc vero finem obtinendum, hanc conclusionem audacter affirmo, quòd in hoc Concilio nulla via possibilis erit repellenda, seu penitùs reprobanda, nisi quæ probabitur esse Juri naturali, seu divino contraria. Nam ad illud Jus necessariò recurrendum est, ubi Jura non providerunt humana. Et hæc de secunda conclusione sufficiant. C

Tertia conclusio est, quòd hæc sancta Synodus congregetur, ad provisionem & evitationem futuræ maleficæ pravitatis: ut convenienter hîc aptari videantur verba, quæ Moses in Deuteronomio loquitur: *Congregate ad me omnes majores natu per tribus vestras, atque Doctores, & invocabo contra eos cœlum & terram. Novi enim, quòd post mortem meam iniquè agetis, & occurrent vobis mala in extremo tempore.* Deut. XXXI. 28. 29. Quo Mosis exemplo docemur, quòd ad hoc synodaliter congregemur, ut non solùm præterita mala corrigere, aut præsentia reordinare debeamus; sed etiam, ut contra futura providere, & ea, quantùm in nobis est, in nostris posteris evitare curemus. D

O utinam majores natu, utinam Ecclesiæ Pastores & Doctores hîc congregati, & hoc exemplo admoniti, diligenter attendant hominum pronitatem ad malitiæ pravitatem. Utinam vigilanter sic futura mala prævideant, ut contra ea utiliter provideant. Utinam, in præsenti, talem adhibeant provisionem, quæ in futuro debitam habeat executionem: quia parum est Jura condere, nisi sint qui ea possint & velint conservare.

Hîc verò unum quod ad præsens propositum maximè pertinet, singulariter admoneo; ut in sacra Synodo talis provisio fiat, ut per eam hoc horrendum schisma citò finem capiat, ipsoque finito, in posterum ex causis similibus, simile fieri non contingat.

Unde, cùm nunquam simile fuisse legatur, diligenter considerandæ sunt principales radices, & radicales ejus causæ, seu occasiones; & contra eas, ne in futurum similes orirentur, per synodalia Decreta essent convenientia remedia providenda, exemplo Sanctorum Patrum, quorum sequi debemus vestigia, qui in Conciliis Generalibus contra præcedentia schismata futura remedia leguntur statuisse. De qua materia pleniùs alibi tetigi, sed hîc transeo, brevitatis gratiâ. Et hæc de tertia conclusione sufficiant.

Sic ergo sub conclusione triplici, breviter & summatim ea tetigimus, propter quæ hîc synodaliter congregamur.

Sed circa illa, quantùm autoritatis habeat hæc sacra Synodus, non videtur utile omninò silentio præterire. Sciendum est igitur, quòd in cœlo cum Sole & Luna, sint & aliæ Stellæ, non solùm ut eis assistant, sed etiam ut cum eis influant. Non enim tantummodò Soli & Lunæ, sed cæteris Stellis, imò generaliter omnibus lationibus superioribus subjectus est hic mundus inferior, sicut Aristoteles ait, ut tota virtus ejus gubernetur inde. Sic in cœlo spirituali, in hac videlicet Generali Synodo, quæ tanta stellarum varietate, variaque venustate coruscat, cum Sole & Luna congregatæ sunt Stellæ hujusmodi; non solùm ut Soli & Lunæ, id est, Summo Pontifici assistendo, eidem se obedientes exhibeant; sed etiam, ut cum eo, sua virtute multiplici, influendo circa ea quæ hîc agenda sunt, speciali autoritate concurrant.

Ad hæc autem tripliciter concurrere dignoscuntur. Primò, ad dubia consulendum. Secundò, ad consultata decernendum. Tertiò, ad decreta exequendum.

Hæc autem non solùm humano, sed etiam divino Jure probantur. Nam in antiquis Conciliis, & maximè approbatis, hujuscemodi verba leguntur: *Placuit sancto Concilio*: vel, *Concilium definivit*: vel, *Statuit sanctum Concilium.* Papa etiam quandoque dicit: *Autoritate Concilii & consensu definitum est.*

Hæc autem, aliaque multa similia à divino Jure ortum habent. Nam in primo Concilio Hierosolymis celebrato, de quo in Actibus Apostolorum legitur, Jacobus præsente Petro protulit Sententiam, ubi non ait: placuit Petro; sed *placuit nobis collectis in unum.* Act. XV. 25. Et sequitur. ℣. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis.*

Ex quibus patet quòd autoritas decernendi, & definiendi, non sit attribuenda soli Pontifici; sed toti Concilio Generali.

Unde manifestè reprobatur error quorumdam perniciosissimus, & toti Ecclesiæ periculosissimus, qui adulando potestati Papali, ita detrahunt autoritati sacri Concilii, ut dicere præsumant, quòd Papa non habeat necessariò sequi deliberationem Concilii, imò standum sit Sententiæ Papæ, si Ecclesiæ, vel Concilio Generali contradicat: falsum colorem sui erroris assumentes ex *Decretal. lib.* 1. *tit* 6. *Cap.* IV. & quibusdam aliis Juribus positivis, utique malè intellectis, & pejus contra Jus naturale & divinum, in Ecclesiæ præjudicium introductis, sicut hæc omnia pleniùs alibi declaravi. Sed de his prolixiùs discutere, temporis augustia non permittit; nec hîc intendendum disputationi, sed magis orationi instandum est.

Oremus igitur, & à Domino humiliter postulemus, ut in hac sacra Synodo Sol, Luna, & Stellæ concorditer influant, & nobis, cunctisque fidelibus in eis signa lætitiæ & jucunditatis appareant, nec solùm signa, sed signorum salutares effectus, suæque multiplicis influentiæ virtutes jugiter impendant. Quod ipse præstare dignetur, qui supra Solem, Lunam & Stellas in cœlis regnat benedictus per omnia secula seculorum. Amen.

PETRI

Digitized by Google

PETRI DE ALLIACO
Cardinalis Cameracensis
TRACTATUS
DE
ECCLESIÆ,
CONCILII GENERALIS,
ROMANI PONTIFICIS,
Et Cardinalium
AUTORITATE,

Liber unicus, scriptus in Concilio Constantiensi.

M. ID. XVII.

Collatus ad Cod. MSS. Victorinos 56. & 409.

PROOEMIUM.

CHristi nomine invocato, cui data est, ipso teste, *Omnis potestas in cælo & in terra*, Matth. ultimo 18. De Ecclesiastica potestate ab eo derivata, Tractatum hunc brevem aggredior, exordium faciens à verbo Apostoli ad Titum primo. 9. ubi docens qualem oporteat esse Episcopum, inter alia admonet. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Quibus verbis, exprimit duo esse opera Catholici Doctoris. Primum scilicet, sanam doctrinam prædicare, quod est, *exhortari in doctrina sana*: Secundum, falsam doctrinam reprobare, quod est, *eos qui contradicunt arguere*. Et hæc sunt, secundùm Aristotelem, duo sapientis opera. Primum, *Non mentiri de quibus novit.* Secundum, *Mentientem manifestare posse.*

Hac igitur consideratione permotus, ego Petrus de Alliaco, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Cameracensis vulgariter nuncupatus, minimus sacræ Theologiæ Pariensis Professor, considerans, & non sine cordis amaritudine recogitans, nonnullos in gravem hujus sacri Concilii Constantiensis, injuriam, plurimos quandoque in Sermonibus, quandoque in aliis actibus errores seminare, adversus quos, cum dixisset Apostolus, *& eos qui contradicunt arguere*, causam subjunxit. ℣. 10. *Sunt enim multi inobedientes, vaniloqui, & seductores.* Proposui ad honorem hujus sacri Concilii, aliquas veritates Catholicas stabilire, & inde errores plurimos confutare. Et ut hoc salubriter fieri valeat, Christum supplex exoro, ut suâ stabilitus gratiâ, potens sim, juxta verbum Apostoli, *exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* In quo quidem verbo considerandum nobis est quòd dicit notanter Apostolus, *in doctrina sana*; quia non sufficit Doctorem Theologum exhortari, in qualibet, seu quantumlibet verâ doctrinâ; nisi & ipsa sit doctrina sana, id est ad sanitatem animæ spiritualem, scilicet ad virtutem & salutem ædificativa: qualis est doctrina Scripturæ sacræ, in qua super omnem aliam doctrinam singulariter consistit vitæ spiritualis virtus, & salutaris sanitas animæ. Propterea dicitur ipsa, *Liber vitæ*. Eccli. XXIV. 32. Et de Doctoribus ejus scribitur: *Multitudo autem sapientium sanitas est Orbis terrarum.* Sapientiæ VI. 26. Ubi diligenter notandum est, quòd sicut sanitas corporis consistit in quadam proportione media inter extremas qualitates contrarias: sic virtus moralis, quæ magna pars est sanitatis animæ, secundùm Philosophum 2. *Ethicorum*; consistit in medio, scilicet inter duo extrema vitia contraria. Et quodam modo proportionaliter, doctrina Scripturæ sacræ, in qua complementum est totius sanitatis spiritualis, consistit quasi media inter errores plurimos, & sæpe inter errores contrarios. Nam plurimùm contingit, quòd volentes vitare errorem aliquem, periculosiùs in errorem contrarium dilabuntur, inter quos duos errores, doctrina sana in medio consistit. Sic enim in Libro, *De duabus naturis* A *ex una persona Christi*, ostenditur, quòd Fides medium tenet inter duos errores contrarios, scilicet Nestorii & Eutichis.

Consimili modo, circa Ecclesiasticam potestatem, medium docet veritas Catholica, inter duos errores: nam error Waldensium fuit, quòd successoribus Apostolorum, scilicet Papæ & Prælatis Ecclesiasticis, repugnat dominium in temporalibus, nec eis licet habere divitias temporales. Unde Ecclesiam Dei, & successores Apostolorum, & veros Prælatos Ecclesiæ, durasse dicunt tantùm usque ad Silvestrum, à quo (donatione facta Ecclesiæ per Constantinum Imperatorem) dicunt incepisse Romanam Ecclesiam, quæ modo est, quæ secundùm ipsos non est Dei Ecclesia; sed Dei Ecclesiam jam defuisse dicunt, nisi in quantum in ipsis est continuata per ipsos vel reparata, * ad quod inducunt B auctoritates Evangelii, quæ suadent Consilium Evangelicæ paupertatis. Ex quibus, quasi de Consilio volentes facere Præceptum, dicunt Ecclesiæ Prælatos, Apostolorum successores, non debere in temporalibus divitiis habere dominium. Et hunc antiquum errorem noviter suscitare visi sunt duo perniciosi hæretici, Johannes Wiclef, in Anglia, & ejus discipulus Johannes Hus de Bohemia, novissimè in hoc sacro Concilio condemnati. Alius verò error fuit Herodianorum: Herodes enim audiens Christum Regem natum, credidit ipsum esse Regem terrenum. Ex quo derivari videtur error quorundam, qui in tantum ad ** oppositum prædicti errores Waldensium declinant, ut asserere præsumant, Papam, inquantum est loco Christi in terris, ab ipso immediatè habere primariam auctoritatem, dominium, & Jurisdictionem in temporalibus bonis, non solùm C Ecclesiæ donatis, seu aliàs justè acquisitis, sed etiam Principibus secularibus subjectis, licèt dicant quòd Papa in his non habet executionem immediatam, nisi in quibusdam casibus notatis in *Extravagante, qui filii sunt legitimi. Per venerabilem.*

Inter hos autem duos errores contrarios, Catholica medium tenet Ecclesia; videlicet quòd Papæ & Prælatis Ecclesiæ, non repugnat habere dominium in temporalibus, & Jurisdictionem, contra primum errorem: nec tamen eis debetur per se, ratione status sui, inquantum sunt Vicarii Christi & Apostolorum successores, contra secundum errorem. Sed eis convenire potest habere talia, si eis ex devotione collata fuerint, vel aliundè, justo titulo acquisierint.

Sic consimiliter, in hoc sacro Concilio, errores contrarii circa Ecclesiasticam potestatem à nonnullis periculosè seminati sunt, & inter cæteros errores, † quidam, Papæ & Romanæ Eccle- D siæ auctoritatem totaliter abstulerunt, quo potestatem Concilii Generalis extollerent: Alii verò contrà, sicut pleniùs inferiùs patebit. Ideò inter hos aliosque errores contrarios, medium veritatis Catholicæ tenere cupiens, hoc Opus aggredi, Christo auxiliante, decrevi.

* *aliàs*, reprobata.

** *aliàs*, propositum.

† *aliàs*, quidam & Romanæ Ecclesiæ autoritatem taliter abstulerunt, ut potestatem generalis Concilii enarrarent.

DI-

Digitized by Google

DIVISIO ET SUMMA OPERIS.

Hujus autem Tractatus, tres erunt Partes.

Prima, de primæva origine Ecclesiasticæ potestatis.

Secunda, de jure ministrorum Ecclesiæ, quod habent in Ecclesiasticis bonis.

Tertia, de Papalis potestatis plenitudine, & an subsit Judicio Concilii Generalis.

Prima Pars, continebit quatuor Capitula.

Primum, XII. præmittit Conclusiones fundamentales.

Secundum, ad eas inducit humani Juris allegationes.

Tertium, circa statum hierarchicum Ecclesiæ, fundat 12. Propositiones.

Quartum, de auctoritate Romanæ Ecclesiæ deducit decem corollarias Conclusiones.

Secunda Pars, quæ est de jure ministrorum Ecclesiæ quod habent in Ecclesiasticis bonis, duo continebit Capitula.

Primum, circa hoc ponit Propositiones in Jure naturali, divino, & humano fundatas.

Secundum, ex præmissis, infert decem Propositiones corollarias.

Tertia Pars, quæ est de Papalis potestatis plenitudine, & an subsit Judicio Concilii Generalis, habebit quatuor Capitula.

Primum, de hac quæstione: utrum plenitudo potestatis Ecclesiasticæ, resideat in solo Romano Pontifice.

Secundum, utrum Papa subjicitur Concilio Generali, non obstante prædictæ potestatis plenitudine.

Tertium, circa hoc recitabit opinionem contrariam veritati Catholicæ.

Quartum, ponet veram decisionem, & reprobationem opinionis prædictæ.

PRIMUM CAPITULUM
PRIMÆ PARTIS.

De origine Ecclesiasticæ Potestatis.

Quia, secundùm Philosophum, *Scire, est rem per causam cognoscere*; ideò, quæ, qualis & quanta sit potestas Ecclesiastica, faciliùs apprehendetur, si ejus prima & originalis causa præcognoscatur. Eapropter, in hujus Tractatus principio, de origine Ecclesiasticæ potestatis aliquas Conclusiones, plurimorum dubiorum exclusivas, breviter recolligere dignum duxi.

Prima est, quòd sex Ecclesiasticæ potestates leguntur in Evangelio, à Christo, suis Apostolis & Discipulis (pro ipsis & eorum successoribus ministris Ecclesiasticis) fuisse collatæ.

Prima, potestas consecrationis, quæ interdùm dicitur character; vel potestas Ordinis, quam contulit Dominus, quando dixit, *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. XXII. 19.

Secunda, est potestas administrationis Sacramentorum, & præcipuè Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est potestas clavium, vel spiritualis Jurisdictionis, in Foro conscientiæ: & hæc potestas promissa fuit Petro: *Tibi dabo claves &c.* Matth. XVI. 19. Promissa fuit etiam omnibus ibi: *Amen dico vobis, quacumque ligaveritis &c.* Matth. XVIII. 18. Collata verò ibi: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c.* Joan. XX. 22.

Tertia, est potestas seu auctoritas Apostolatûs, seu Prædicationis, quam tradidit eis Dominus dicens: *Euntes prædicate &c.* Matth. X. 7.

Quarta, est potestas judiciariæ correctionis in Foro exteriori, per quam, timore pœnæ, peccata corriguntur, præcipuè quæ sunt in scandalum Ecclesiæ, & hæc data est eis ibi: *Si peccaverit in te frater tuus, &c. si non audierit, dic Ecclesiæ. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus &c.* & sequitur, *quæcunque ligaveritis, &c.* Matth. XVIII.

A Quinta potestas, est dispositionis ministrorum, quo ad determinationem Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ut evitetur confusio, & dissensionis materia in populo, & inter ministros, si ipsi æqualiter, & indistinctè, de omni populo curam haberent: & hæc potestas collata est Petro, & successoribus ejus, ubi ei specialiter dictum est. *Pasce oves meas, &c.* Joan. ultimo. 17.

Sexta potestas, est exigendi necessaria vitæ ab his quibus spiritualia ministrabant: & hæc potestas declarata est ubi dicitur, *Euntes prædicate &c.* Et subditur: *dignus est operarius cibo suo, vel mercede sua.* Matth. X. 10. & Luc. X. 7.

Aliam ergo potestatem, præter sex illas, non acceperunt Discipuli à Christo, nisi miracula faciendi, ad confirmationem Fidei, in qua non necessariò succedunt eis Episcopi & alii Presbyteri, quia jam non
B indiget Fides miraculis confirmari.

Secunda conclusio est, quòd sex prædictæ potestates, à principio communes fuerunt, & quasi pares omnibus Apostolis, præter quintam quæ Petro, specialiter collata est. Nam potestas Jurisdictionis licèt quasi æqualiter collata fuerit omnibus Apostolis, & sine determinatione, ubique & in quolibet poterat quilibet ea uti, sicut Paulus ubique, sine determinatione, populum hierarchizabat: tamen quia ex hoc confusio sequi poterat, ut dictum est; ideò Dominus hoc prævidens, contulit Petro pro se & suis successoribus, auctoritatem disponendi ministros Ecclesiæ, & determinandi Jurisdictionem, dicens, *Pasce oves meas.* id est, sis Pastor, & Prælatus generalis, ad quem pertinet dispositio & regimen generale ovium & ovilis. Et sic, quamvis omnes Apostoli eandem habuissent à Christo potestatem, & æqualem clavium & Jurisdictionis; non tamen Jurisdictionem, sive materiam subjectam, secundùm aliquos, habuit aliquis, nisi Petrus, & cui com-
C mittere voluit: Et ita, secundùm hunc intellectum, in Petro fuit ista plenitudo potestatis, quam tamen postea divisim aliis dedit, vocans eos in partem sollicitudinis.

Tertia conclusio sequitur ex prædictis: quòd sicut Apostoli & Discipuli; sic Episcopi, & Præsbyteri Ecclesiæ, ministri à Christo immediatè potestatem Ecclesiasticam susceperunt, tanquam ab eo, qui solus est propriè & maximè caput Ecclesiæ: tamen nihilominùs Petrus & quilibet ejus Vicarius Pontifex Summus, potuit dici caput Ecclesiæ, inquantum principalis est inter ministros, à quo tamen, tanquam à principali hierarcha & architecto, aliquo modo dependet totus ministrorum Ecclesiasticus ordo. Unde, licèt cæteris Apostolis generaliter dictum sit, *Quæcunque ligaveritis &c.* tamen quia hoc singulariter ei dictum est, ideò specialiter dicitur claves Ecclesiæ accepisse, propter principalitatem
D quam à Christo, præ cæteris, immediatè suscepit.

Quarta conclusio est: quòd Petrus fuit priùs Pontifex Summus, quàm Episcopus Romanus: utrumque tamen Episcopatum à Christo immediatè recepit. Pro cujus declaratione sciendum est, quòd quando Christus Petrum constituit Pontificem Summum, dicens: *Pasce oves meas*, similiter eisdem verbis, dedit ei potestatem eligendi Sedem ubicumque vellet, & ut ibi esset particularis Episcopus. Unde sicut Ecclesiasticæ tradunt historiæ, & sanctorum Patrum Decreta testantur, Petrus, quatuor annis tenuit Cathedram Ecclesiæ, nullam sibi particularem Ecclesiam eligendo, sed tanquam Prælatus,

Digitized by Google

tus, & caput omnium fidelium, sedebat ubicunque volebat. Unde in Hierusalem, ubi legitur Jacobus statim post Ascensionem Domini, à Petro & Apostolis fuisse Episcopus ordinatus, Petrus (licèt omnibus ibi præfuerit) tamen illam Ecclesiam tanquam sibi specialem non elegit, sed posteà, quatuor ferè annis, Antiochiæ sedit annis septem, & illam sibi Ecclesiam appropriavit: Deinde verò, apparente sibi Christo, & eidem revelante, Sedem suam Romæ transtulit, & ibi factus est Romanus Episcopus. Et ita ex tunc, in Petro & suis successoribus, duo Episcopatus concurrerunt, videlicet Universalis Ecclesiæ, & particularis Ecclesiæ Romanæ. A

Ex quibus sequitur quinta conclusio, quòd priùs Antiochena, & deinde Romana Ecclesia, supra ceteras Ecclesias obtinuit Principatum; & à tempore quo Petrus, & sui successores Summi Pontifices fuerunt, & erunt Episcopi Romani, ipsa Romana Ecclesia, fuit & erit caput omnium Ecclesiarium particularium, ac totius Universalis Ecclesiæ, hac videlicet ratione, quia ejus particularis Episcopus, est caput Universalis Ecclesiæ, eo modo loquendi quo una Metropolitana Ecclesia dicitur caput omnium Ecclesiarum suffraganeorum, quia Episcopus ejus est caput, seu Archiepiscopus earundem: & in hanc sententiam concordant Ecclesiasticæ historiæ & sanctorum Patrum Decreta. Unde ad hunc sensum, negare Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum, est hæreticum, sicut etiam negare Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ. B

Sexta conclusio. Licèt nomina Papatûs & Cardinalatûs, tempore Petri & aliorum Apostolorum, non fuerint in usu Ecclesiæ (sed posteà, crescente Ecclesia, in titulum honoris, ex devotione fidelium, hæc nomina, sicut & nomina Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, & Episcoporum in usum venerint à sanctis Patribus allegatum seu approbatum) tamen Ecclesiasticæ Potestates dictis nominibus Papatûs & Cardinalatûs nunc designatæ, ex tunc in Apostolis præfulserunt, videlicet in Petro Papalis dignitas, & in ceteris Apostolis Cardinalitatûs auctoritas: Pro cujus declaratione, sciendum est, quòd sicut patet ex discursu historiæ Actuum Apostolorum, & aliis Ecclesiasticis historiis, ac sanctorum Patrum Decretis, ante divisionem Apostolorum, per quam ad diversas mundi partes dispersi sunt Apostoli, Petro tanquam Papale officium gerenti, assistebant, tanquam Cardinalatûs ministerium exercentes, sicut nunc Papæ assistunt Cardinales, tanquam ejus principales Assessores, & Consiliarii, atque Cooperatores, in regimine Universalis Ecclesiæ. Postquam verò Apostoli, à Petro separati, in opus prædicationis, diversa mundi loca perlustrantes, speciales sibi Diœceses sortiti sunt, ex tunc Episcopale officium exercuerunt. Unde ex hoc potest inferri, quòd dicti Apostoli, priùs Cardinales quàm Episcopi fuerunt, seu quòd prius exercuerunt Cardinalatûs ministerium, quàm Episcopale officium, de quorum Cardinalatu spiritualiter intelligi potest istud Propheticum, *Domini sunt Cardines terra & posuit super eos orbem.* 1 Reg. II. 8. Ex quo iterum sequitur, quòd priùs fuerunt Cardinales Orbis, quàm Urbis. Nam sicut Petrus priùs fuit Papa Orbis, id est Universalis Ecclesiæ, antequam Episcopus Ecclesiæ Romanæ, ut dictum est; sic & Apostoli, priùs fuerunt Cardinales Orbis, quàm aliqui fierent Cardinales Romanæ Urbis. In signum verò hujus distinctionis, in investitura Papatus dicitur Papæ, *Investio te de Papatu Romano, ut præsis Urbi & Orbi:* In utraque verò, tàm Urbis, quàm Orbis præsidentia, coassistunt Papæ, Cardinales, tanquam speciales ipsius coadjutores, vice & nomine tàm Romanæ, quàm Universalis Ecclesiæ: & ideò, Papa ante * suam consecrationem, profiteri debet sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Cardinalium consilio, consensu, C D

* *aliter* ad

dilectione, & rememoratione, ministerium suum gerere & peragerere, ut patet in Professione quam fecit Benifacius octavus.

Ex præmissis fundatur septima conclusio, quòd sacro Collegio, vel Senatui Apostolorum, succedit in Ordine hierarchico Collegium sacrum Cardinalium, videlicet, quantùm ad illum statum, quo Apostoli coassistebant Petro, antequam (post eorum divisionem) fierent particularium Ecclesiarum Episcopi. Statui autem Apostolorum, inquantùm fuerunt Episcopi, succedit Ordo Episcoporum, & ita intelliguntur dicta Sanctorum, ex quibus sumitur illa glossa, Luc. x. 1. super verbo *Designavit & alios septuaginta duos &c.* ubi dicitur, quòd *sicut in Apostolis forma Episcoporum, sic in septuaginta duobus Discipulis, forma est ministrorum secundi Ordinis, & omnis Potestas sacerdotalis ad hos duos Ordines reducitur.* Si verò objiciatur, quòd Cardinales Diaconi non succedunt Apostolis, cùm omnes Apostoli fuerint Presbyteri. Respondetur, quòd licèt non succedant in Ordine Presbyteratûs; tamen succedunt in Ordine Diaconatûs, nihilominùs succedunt eis quantùm ad Ordinem hierarchicum Cardinalatûs, intelligendo sicut superiùs declaratum est. Unde quantùm ad hoc, Cardinales Diaconi, non solùm Jure prædicto; sed etiam ex laudabili & approbata consuetudine jam præscripta, præcedunt Episcopos; licet Ordo Episcopalis, vel Sacerdotalis dignior sit Ordine Diaconatûs: sicut verbi gratiâ, Archidiaconus, licèt non sit Presbyter; tamen præest pluribus Presbyteris suo Archidiaconatui, in Ordine hierarchico, subjectis. Prædicta autem consuetudo processit, ut verisimiliter * videtur, ex Traditione Apostolorum & suorum successorum, sicut patet ex approbatis Ecclesiasticis historiis. Nam in historia Damasii, de pluribus Summis Pontificibus dicitur, quòd fecerunt Ordinationes, videlicet tot Presbyteros, tot Diaconos, tot per diversa loca Episcopos: ubi patet, quòd Presbyteri & Diaconi Romani præferuntur Episcopis. Secundò patet, quòd ad Pontifices Romanos pertinet Episcopos ordinare.

Ex quibus sequitur octava conclusio, quòd antiquissimo Jure, & præscripta Ecclesiæ consuetudine, quæ pro Lege est, ad Romanum Pontificem, de Fratrum suorum Cardinalium consilio, pertinet Episcopos ordinare & instituere: sic enim Petrus, de consilio Apostolorum, Jacobum Hierosolymitanum Episcopum ordinavit. Sic & deinceps factum est de aliis Episcopis, & per Petrum & alios suos successores Romanos Pontifices. Per hoc tamen non taliter excluduntur Jura electionum, ut patebit ex dicendis.

Nona conclusio, quòd ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, de Jure naturali & divino, aliquo modo pertinet Romani Pontificis electio: & dixi aliquo modo hoc pertinere ad eos, quia ad eos solos de Jure naturali & divino, non pertinet hujusmodi electio: sed quod ad eos totaliter pertineat, hoc est de Jure positivo, in quo, ex causa rationabili, cadere potest justa dispensatio. Pro cujus declaratione sciendum est, quòd quia Summus Pontifex non potest sibi successorem, sicut alios Episcopos, eligere vel substituere, oportet quòd per alios eligatur; & ideò inquirendum est ad quos hujusmodi electio pertineat, de Jure naturali & divino. De hoc autem aliqui probabiliter dicunt, quòd largè sumendo Jus naturale & divinum, pro omni illo quod ex suppositione est naturali rationi consonum, & in divinis Scripturis explicitè vel implicitè comprehensum; sic Romani ex Jure naturali & divino hoc largè sumpto, habent Jus eligendi Summum Pontificem. Ex hac namque suppositione, quòd aliquibus sit aliquis Prælatus, vel Princeps, vel Rector præficiendus, naturali ratione evidenter colligitur, quòd (nisi per illum vel illos, cujus vel quorum interest, ordinetur contrarium (illi quibus est præficiendus, habent Jus eligendi præficiendum eis. Unde nullus debet eis

* *aliàs* creditur.

dari

Digitized by Google

dari, ipsis invitis, & hæc multis rationibus & exemplis possunt probari, quas dimitto. Cùm ergo Romanus Pontifex quodam modo specialiter præferendus est Romanis, quia non habent alium Episcopum; sequitur quòd ipsi Jure prædicto, ex suppositione facta, scilicet quòd debent ipsum habere Episcopum, habent Jus eligendi ipsum; in quo Jure participant Romanæ Ecclesiæ Cardinales, cùm ipsi, ratione suorum Titulorum, sint principaliores in Clero Romano: & hoc verum est, nisi per ipsos Romanos, vel alium superiorem Romanis, qui habeat in hoc potestatem, contrarium ordinetur vel statuatur. Si verò dicatur quòd ex prædicta ratione sequitur, quòd cùm Romanus Episcopus, in quantum Summus Pontifex, præficiatur Universali Ecclesiæ, videtur quòd Jus eligendi ipsum, ad Universalem pertineat Ecclesiam, vel ad Generale Concilium ipsam repræsentans, potiùs quàm ad Romanos. Ad hoc, secundùm prædictam opinionem respondetur, quòd licèt universa fidelium multitudo, seu Generale Concilium eam repræsantans, haberent Jus eligendi Summum Pontificem: tamen inquantùm ipse est Romanus Episcopus, publicæ utilitati magis videtur expedire, quòd vacante Sede Romana, Jus eligendi pertineat ad Romanos, vel ad alios, qui hanc ab eis habeant potestatem; quia illa universalis aut generalis multitudo, aliquando non posset in unum locum congruè convenire, vel in unam personam idoneam consentire.

Ex prædictis sequitur decima conclusio, quòd Romani, ad evitandum confusionem multitudinis, rationabiliter potuerunt, & debuerunt transferre prædictum Jus suum eligendi Summum Pontificem, in aliquos paucos ex Romanis, vel in Clerum Romanum, aut aliquos ex ipsis: sic enim ab antiquo Electiones Prælatorum concessæ fuerunt Clericis; quia licèt omnes Clerici & laïci habuerunt Jus eligendi, de consensu tamen laïcorum (quia Clerici erant sapientores & sanctiores, respectu multitudinis) concessum fuit & ordinatum, quòd ipsi soli eligerent.

Ex eadem radice sequitur undecima conclusio, quòd Romani rationabiliter potuerunt & debuerunt transferre Jus & potestatem instituendi Electores Romani Pontificis in aliquos paucos, vel in unum solùm, utpotè in Pontificem Romanum; sic enim Papa aliquando concessit quibusdam Regibus Jus eligendi Summum Pontificem, vel aliquando aliis. Sed secundùm opinionem prædictam, hoc non fecit quia ipse solus habuit potestatem hujusmodi Jus concedendi, sed quia Romani, vel in eum solum vel in eum & alios simul qui gesserunt vicem Romanorum, prædictum Jus transtulerunt. Sic Adrianus Papa, ut habetur in Decreto, non solus, sed ipse & Synodus celebrata Romæ, in qua plures fuerunt Romani, tradiderunt Carolo Regi Francorum Jus & potestatem eligendi Summum Pontificem, & ordinandi Apostolicam Sedem. Sic etiam Leo Papa, ut in Decretis legitur, non solus, sed cum multo Clero & populo Romano, Jus concessit Ottoni Regi Theutonicorum, Summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi. Sic denique Nicolaus Papa, non sine consensu Romanorum, in quadam Romana Synodo centum & tredecim Episcoporum, hanc Electionis potestatem Cardinalibus contulit, quæ potestas, pluribus Juribus, & consuetudine præscripta firmata est. Hìc tamen notandum est, quòd per præmissa non tollitur, quin Papa, ex ordinatione Christi & potestate collata sibi à Christo, in aliquo casu habeat potestatem ordinandi qui debeant eligere successorem suum. Cujus ratio est; quia Christus sufficienter providit Ecclesiæ in omnibus necessariis, ideò committendo Ecclesiam suam Beato Petro, dedit ei, & successoribus suis, plenitudinem potestatis in spiritualibus, quo ad omnia necessaria Ecclesiæ suæ (*salvo tamen Jure aliorum, quando debitè volunt & possunt uti jure suo*) ita ut Papa, in omnibus necessariis, possit supplere, in spiritualibus, defectum illorum qui nolunt, vel non possunt uti Jure suo: & ideò quia ex Jure divino, Romani habent Jus eligendi Episcopum suum, Papa non habet potestatem ordinandi de Electione eadem, in præjudicium Romanorum, quando ipsi vellent & possent, ad bonum commune, uti Jure suo. Solus ergo Papa potest habere Jus ordinandi de Electionibus, & modo Electionis sui successoris, si Romani transtulerunt Jus suum in Papam, vel etiam si Romani in ordinando de Electoribus Summi Pontificis, invenirentur in detrimentum Ecclesiæ negligentes: & satis probabile est, quòd Romani tale Jus aliquando transtulerunt in Papam; & ideò, ex tunc potuit Papa solus, concedere potestatem eligendi Summum Pontificem Imperatoribus, vel Regibus, vel vicinis Episcopis, vel Clero Romano, vel Canonicis Ecclesiæ Romanæ, vel aliis, & maximè Cardinalibus, prout ei visum fuerit utilitati Ecclesiæ convenire.

Ex præmissis, secundùm opinionem prædictam, infertur duodecima conclusio, quòd quia res de facili ad naturam suam revertitur: si Electores Romani Summi Pontificis, sive Cardinales, aut alii in quos Romani Jus suum transtulerunt, ex culpa sua Jus, aut potestatem hujusmodi perderent, in hoc casu reverteretur ad Romanos, nisi Papa, habens in hoc Romanorum potestatem, aliter ordinaret de Electoribus hujusmodi: & ideò, si Sede vacante, casus prædictus exigeret; tunc Jus eligendi & ordinandi de Electoribus hujusmodi, ad Romanos pertineret, secundùm opinionem prædictam. Sed tamen probabilius videtur posse dici, quòd in casu præmisso, Jus prædictum pertineret ad Generale Concilium, si faciliter & convenienter posset congregari, aut si de facto esset sufficienter congregatum, & hoc maximè patet ex illa ratione supra tacta: quia Papa, non solùm est Romanus Episcopus, sed etiam Summus Pontifex Universalis Ecclesiæ, quæ in Concilio repræsentari censetur.

Ex omnibus præmissis patet manifesta reprobatio cujusdam falsæ opinionis, quam recitavi in Tractatu, *De Reformatione Ecclesiæ*: videlicet quorundam, statum Cardinalium nimis rigorosè deprimentium, ipsumque reprobantium sicut reprobatus est status Corepiscorum; asserentiumque quòd Cardinalatus non sit gradus Ecclesiasticæ Hierarchiæ, nec statui Apostolorum quovis modo succedens, quem errorem aliquo modo in hoc sacro Concili suscitare ac renovare visi sunt.

CAPITULUM II.

PRIMÆ PARTIS.

Ad confirmationem prædictarum conclusionum, nonnullas humani Juris allegationes expedit inducere. Circa primam conclusionem, sciendum est quòd prima & secunda potestas, secundùm aliquos, sunt una secundùm essentiam, sed differentes secundùm diversos actus, respectu corporis Christi veri, & mystici: imò totam potestatem traditam Apostolis à Christo videntur Canones comprehendere, sub potestate ligandi & solvendi, & in hac potestate, juxta secundam conclusionem, omnes Apostoli cum Petro, pari consortio, honorem acceperunt. ut 21. *dist. in novo*: ubi etiam fit mentio de potestate prædicandi, de qua 19. *dist. can. Ita dominus*, ubi concluditur, quòd hujusmodi sacramentum Dominus ita ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum Summo, principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet. Unde etiam, jux-

Digitized by Google

juxta tertiam conclusionem, in dicto *can. in novo.* dicitur quòd Episcopi successerunt loco Apostolorum, & ideò licèt habeant potestatem Ordinis, vel consecrationis parem cum Papa, quo ad plenitudinem exercitii ipsius potestatis; tamen non habent parem administrationem, quia juxta secundam conclusionem, solùm vocati sunt in partem sollicitudinis, A quo ad suas Diœceses; Papa verò, in plenitudinem Potestatis, quo ad totum mundum: ut. 2. q. 6. Can. *qui se sic. de usu pallii ad honorem.* Unde etiam, juxta secundam conclusionem, Petrus fuit principalis inter Apostolos, quia etiam fuit major aliis in administratione. 22. q. 7. *puto*, ubi dicit August. quòd in Petro fuit Apostolatûs Principatus: solus enim Petrus inter Apostolos Primatum gerebat, 22. q. 7. Unde Petrus & Cephas, idest caput dictus est, Principatum tenens Apostolatûs. ut. 22. *di. sacrosancta.* Ad idem, *De electione fundamenta. lib.* 6. His itaque, atque pluribus Jurium concordantiis, tres primæ conclusiones simul probatæ sunt. Circa quartam conclusionem, vide. 7. q. 1. *can. mutationes.* ubi dicitur, quòd Petrus de Antiochia translatus est Romam, ut ibidem potiùs proficeret. Idem 22. *di. can. sacrosancta.* Et hæc translatio, jubente Domino facta est. 24. q. 1. *can. rogamus*: & idem canon facit pro B quinta conclusione; quia ibi dicitur quòd Antiochena Sedes, quæ olim erat prima, cessit Romanæ Sedi, & nulla est Sedes quæ non sit eidem Romanæ subjecta: quod autem hæreticus sit qui negat Romanam Ecclesiam esse caput Ecclesiarum, habetur. 22. *di. can. omnes.* Circa quintam conclusionem, nota quòd aliquibus videtur quòd Sylvester fuit primus qui Cardinales vocavit. ut 2. q. 4. *can. vocavit Præsul.* Et fuit illud Capitulum conditum in Concilio, ut ibi patet. Aliis videtur quòd Marcellus Papa: & de hoc per Archidiaconum, de electi. *cap.* ubi majus. *lib.* 6. & in hoc non refert, quia debetur attendi effectus, & non vocabulum. *de signi. intelligentia*, cum tribus can. seqq. Et nota, quòd Osti. & quidam Doctores Canonistæ multa ponunt de authoritate Cardinalium, tàm Sede vacante, quàm plena, ut in capit. *ad liberandum, de Judæis. in ca. cum ex eo. de pœnitentiis & remissionibus. cap. antiqua. de privilegiis, in. can. nullis.* 79. *dist. in can. ego, de jurejurando. in cap. fundamenta. de elect. in c.* 2. *de offic. Legati. lib.* 6. *ca. ad Apostolica, de re judicata. & in extravaganti, execrabilis.* Circa septimam C conclusionem, nota quòd Cardinales etiam non Episcopi, præcedunt Episcopos, quia comparantur Senatoribus, qui erant primi post Imperatorem, & dicebantur Patres Conscripti. Et de hoc per Archid. *de officio Legati. cap.* 1. *lib.* 6. & *pro hoc.* 96. *dist. cap. Constantinus.* ubi concedit Constantinus, ut utantur ornamentorum Senatorum. Et dato quòd nullo Jure probaretur, sufficit quòd sic est receptum à tempore, de cujus contrario non est memoria. Nam tale tempus habet vim Legis: *De præscriptionibus. cap.* 1. *lib.* 6. & hoc facit pro octava conclusione.

Item Cardinales etiam non Episcopi, habent in suis Titulis Jus Episcopale, ut notat Joan. Monachi, *de majo. & obe. capite* 1. *lib.* 6. Nec obstat de Cardinalibus Diaconis, qui minores sunt in Ordine sacramentali: D nam stat quòd aliquis sit cum alio par, vel etiam minor in Ordine, & tamen major in administratione, sicut Atchidiaconus Archipresbytero, ut 25. *di. can. perlectis.* Unde sacer isto Senatus Carnalium, à cardine nomen accepit, ut 22. *di. can. sacrosancta*, super verbo cardo, notavit Archidiaconus. Circa nonam conclusionem, nota quòd electio Papæ pertinet ad Cardinales, non solùm de Jure; sed etiam de consuetudine diù obtenta, ut notat Ostien. *de elect.* licèt & hæc consuetudo, secundùm Philosophum, dicitur altera natura, & habet vim Legis, & Legem interpretatur & corrigit: ut de consuetudine. *cum dilectus.* Item, ad Cardinales pertinet hæc electio, tanquam ad Clerum Romanum, seu principales de Clero Romano, *argumento* 23. *di. cap.* 1. *facit.* 79. *dist. ca.* 1. & *ca. si quis ex.* & *ca. si quis pecuniam.*

CAPITULUM. III.

PRIMÆ PARTIS.

SED ultra Jura præmissa, humana & positiva, restat in Jure divino fundare statum hierarchicum Cardinalium, & eorum authoritatem. Ubi primò supponendum est, quòd Christus Ecclesiam suam instituit, statibus, officiis, & gradibus variis hierarchicè distinctam, juxta illud Apostoli Ephes. IV. 7. 8. 11. 12. *Unicuique nostrum data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi, propter quod dicit: ascendens in altum dedit dona hominibus, & ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi*, quòd est Ecclesia: & eadem sententia habetur. 1. *ad Corinth.* XII. Ca. Et hæc perfecta & completa statuum distinctio, maximè in die Ascensionis instituta est, ut notant præmissa verba Apostoli allegantis illud Psal. LXVII. 19. *Ascendens in altum dedit dona, &c.* Ex quo sequitur quòd varietas officiorum, statuum, graduum, & dignitatum in Ecclesia, non principaliter est ex institutione Ecclesiæ, aut cujuscumque puri hominis auctoritate processit, quare nec eam destituere potest, sive destruere. Ulteriùs supponitur, quòd præmissa officiorum varietas, ad sui pulchritudinem & ordinem requirit, quòd inter authoritates Ecclesiæ regitivas, sit hierarchica subordinatio, & quòd una, scilicet Papalis authoritas, sit suprema, ex Christi institutione, & non tantùm humana authotitate, sed divina; juxta illud Joan. XX. *Pasce oves meas, &c.* Unde licèt pluraliter dicat Apostolus, *dedit Apostolos, seu Episcopos, &c.* tamen ad inveniendum id quod dictum est, præmisit, *Unicuique nostrum data est gratia, secundùm mensuram donationis Christi*, quasi diceret, uni plus & alteri minùs donatum est, ut uni supremum regimen Ecclesiasticum sit commissum, & ideò dicit Apostolus idem, secundo ad Corinth. X. 13. *Nos autem, non in immensum gloriamur, sed secundùm mensuram regulæ, quâ mensus est nobis Deus*, ubi glossa, usurpantes sibi regimen animarum sine commissione Christi, aut Vicarii sui; vel potestatem commissam ultrà terminos sibi præfixos extendentes, non secundùm mensuram regulæ, sed in immensum gloriantur. Ex præmissis infertur, quòd sicut status Papæ, sic & post eum, status Cardinalium ad ordinem hierarchicum Ecclesiæ, ex Christi institutione, pertinet. Nam ipsi, quantùm ad hunc statum, statui Apostolico immediatè succedunt. Pro cujus declaratione sciendum est, quòd Apostoli possunt tripliciter considerari; Primò, ut Christo præsentialiter astiterunt, ante ejus Ascensionem: secundò, ut astiterunt Petro tanquam primo Pastori, ante divisionem Apostolorum, & separationem à Petro: tertiò, ut ex Precepto Christi, posteà à Petro separati, per mundum se diviserunt, ut in sexta conclusione tactum est. In primo statu, Apostoli fuerunt pares, nec Petrus eis præerat. In secundo & tertio statu, præerat eis Petrus. Et quantùm ad primum & secundum statum, Cardinales repræsentant Apostolos, in hoc quod assistunt Papæ qui est Christi Vicarius, & Petri successor: sed quantùm ad tertium statum, Episcopi succedunt Apostolis, ut in dicta sexta conclusione ostensum est. Et hoc notavit Apostolus, distinguens status Ecclesiæ, cùm distinguit statum Pastoralem, cui incumbit cura ani-

animarum particulariter, à statu Apostolico, ad quem spectat regimen & ordinatio totius Ecclesiæ generaliter. Et juxta hanc sententiam, dicit Archid. 22. *dist. can. sacrosancta*, quòd Papa se debet inter Cardinales annumerare, ratione status Apostolici in quo sunt, condividendo eum à pastorali statu, licèt etiam Apostoli fuerunt Pastores: sed status in se sunt diversi, & priùs fuerunt in statu Apostolico per Christum instituti, quàm in pastorali per Petrum, quia ante Passionem, omnes duodecim fuerunt Apostoli, sed post Passionem, institutus est Petrus à Christo omnium Pastor: & tunc status pastoralis ordinatus, cùm Apostolicus status ante fuisset. Petrus ergo, & sui successores retinuerunt utrumque statum, sed Cardinales Apostolicum duntaxat: & ista est diversitas inter nunc vocatos Cardinales, Archiepiscopos, & Episcopos, qui in statu Apostolico vario modo succedunt Apostolis. Nota in glossa primæ ad Cor. III. 22. super illud dictum fidelibus. *Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas.* Nam ut glossa dicit: Paulus erat Apostolus Corinthiorum, Apollo erat Archiepiscopus eorum; Cephas, idest, Petrus, omnibus major erat. Unde ulteriùs sequitur, quòd ad statum Cardinalium, tanquam ad statum Apostolicum, primò pertinet, unà cum Papa, regimen & ordinatio totius Ecclesiæ. Nam sicut perfectio Episcopalis status, in hoc consistit, secundùm Thomam. 2. 2. quòd quis ex divina electione, se obligat ad hoc, quòd curam proximorum gerat, & saluti eorum insistat, videlicet eorum qui suo Episcopali regimini specialiter sunt commissi: ita perfectio status Cardinalatùs, in hoc consistit, quòd ex charitate se obligat, ut cum capite suo Christi Vicario, generaliter Fidem & Christianitatem, usque ad sanguinis effusionem deffendant, in cujus signum, capellum rubeum portare dicuntur. Ex quibus sequitur, quòd Cardinales sunt in statu perfectionis altioris, quàm sit generaliter status pastoralis, quia inferiores Pastores tenentur se exponere pro grege particulari: sed Cardinales tenentur se exponere pro universali Ecclesia, quod est perfectiùs, quia bonum quantò communius, tanto dignius, ut dicit Philosophus. Ex eodem fundamento patet, quòd ad Sedem Apostolicam, id est ad Papam, & Cardinales, præ cæteris Sedibus particularibus, pertinet declaratio veritatum necessariarium, aut utilium ad salutem, sive quantùm ad Fidem, sive quantùm ad utile regimen Ecclesiæ militantis: quia in hoc succedunt Petro & cæteris Apostolis, quantùm ad statum Apostolicum primitivum, de quo dictum est priùs. *Euntes docete omnes gentes.* Ex quo ulteriùs sequitur, quòd ubi necessitas, aut utilitas imminet, pro conservanda Fide, vel bono regimine Ecclesiæ; ad Papam, vel, in ejus defectu, ad Cardinales pertinet Generale Concilium convocare, & hoc eis convenit, non tàm humana quàm divina institutione, vice & nomine totius Universalis Ecclesiæ; quia ipsi Cardinales succedentes Apostolis in ministerio generali verbi Dei, & deputati ex statu suo ad instruendum generaliter fideles, de his quæ pertinent ad salutem, licèt in hoc officio sint instituti à Papa, vice tamen Christi, veritates necessarias Orbi docere tenentur: & in illa paritate, in qua à sanctis Doctoribus Paulus dicitur fuisse par Petro, prædicationis officio, scilicet Legis Evangelicæ, succedunt Paulo; & exemplo ipsius, *ad Gal.* 2. successori Petri, manifestè in præjudicium Religionis Christianæ oberranti, possunt resistere: quia licèt sit Vicarius generalis Christi, & officio & authoritate prælationis maximus, tamen in ministerio prædicationis & doctrinæ Christianæ, connumerare se debet aliis Episcopis, ut notat Archid. ubi suprà. Ex prædictis omnibus, patet, quòd si attendatur ad conditionem status, in quo Cardinales ex Christi ordinatione instituti sunt, valdè magna congruentia est, ut ad eos pertineat electio Papæ Christi Vicarii; quia videlicet in hoc succedunt Apostolis Christi: hoc tamen Jus, principaliter & originaliter pertinet ad Universalem Ecclesiam, seu Generale Concilium ipsam repræsentans, sicut tactum est in fine nonæ conclusionis. Pro cujus materiæ declaratione, sciendum est, quòd licèt Papale officium sit ex Christi institutione; tamen modum ipsum per electionem obtinendi, Christus non docuit explicitè & expressè: licèt autem Christus Leges obtinendi Ecclesiastica officia, * seu dignitates non expressè docuerit, tamen videtur quòd eas suo Vicario instituendas reliquerit, vel immediatè per seipsum, vel mediatè per alios, juxta Ecclesiasticas Sanctiones subordinatos.

Sed de Papatu, qualiter & quomodò dabeat quis subrogari, est specialis difficultas. Circa hoc verò est multiplex opinio: una est, quòd quando Christus præfecit Beatum Petrum omnibus Christianis, dans sibi potestatem, ut ubi vellet sedere, Sedem eligeret, ita ut esset quodammodò proprius illorum Episcopus; non privavit illos Jure illo naturali, largè sumpto, quod omnibus competit, quibus est aliqua præficiendi potestas, sive secularis sive Ecclesiastica, videlicet eligendi sibi rectorem, nisi per illos quibus est præficienda hujusmodi potestas, vel per eorum Superiorem, contrarium ordinetur: ergo, cùm beatus Petrus elegerit Sedem Romæ; sequitur quòd Romani habent Jus eligendi successorem beati Petri, qui eis præficiendus est in spiritualibus, & habent Romani, ex Jure naturali largè sumpto, ut supra tactum est, & per consequens, ex Jure divino, extendendo Jus divinum ad quodcumque Jus naturale, ex eo scilicet, quia tale Jus est à Deo conditore naturæ.

Alia opinio est, quòd pari, vel majori ratione, sicut ad universitatem Romanorum pertinet Jure naturali vel divino electio Papæ, tanquam Romani Pontificis; sic ad universitatem fidelium, simili Jure naturali & divino, pertinet electio Papæ, tanquam Summi Pontificis Universalis Ecclesiæ, vel ad Generale Concilium ipsam repræsentans: quia Ecclesia Universalis, vel congregatio eam repræsentans originaliter & principaliter, habet Jus eligendi sibi caput, seu rectorem, cujus tamen capitis authoritas, seu potestas, non ab Ecclesia dependet, sed à Christo immediatè; & hæc opinio verior reputatur: ex qua sequitur, quòd si universitas Romanorum, naturali, aut divino Jure habeat potestatem in electione Summi Pontificis, hoc est vice & nomine Universalis Ecclesiæ, cujus Summus Pontifex est particularis Romanæ Ecclesiæ Episcopus, & quia universitas Romanorum, vel aliqui, ejus authoritate, faciliùs & commodiùs possunt congregari, quàm tota Ecclesia, vel Concilium Generale, pro quo facit, 65. *dist. can. si forte.* & ibi *cap.* 2. *de tem. ordi. si Archiepiscopus.* & 23. *dist. can. in nomine Domini.* & 79. *dist. ca.* 1. & *ca. si quis* &c. Unde ulteriùs sequitur, quòd Papa illam potestatem quam habet super ordinatione & electione sui successoris, habet vice & nomine Universalis Ecclesiæ, cujus ipse est caput, & eam aliquo modo repræsentat: & ideò modus instituendi Papam, non est datus per authoritatem Ecclesiæ, exclusa sed inclusa authoritate Papali, in Conciliis scilicet generalibus: quare nec per authoritatem Papalem, sine authoritate Ecclesiæ potest destitui; quia cujus est instituere, ejus est destituere: & in ejus rei signum, Decreta, seu Jura quæ sunt de modo eligendi Papam, fuerunt per Summos Pontifices in Conciliis Generalibus ordinata, ut *ca. in nomine Domini.* 23. *di.* & *ca. si quis.* 89. *di.* & *capit. licet, de elect. in antiquis.* & *ca. ubi majus. lib.* 6. & *ca. ne Romani. lib.* 7. cum suis concordantiis. Ex quibus infertur, quòd Sede vacante, si ad electionem Summi Pontificis fuerit procedendum, illa electio non erit facienda, exclusis Cardinalibus: quia, ut ex præmissis patet, ad

eos

* *aliàs* beneficia.

Digitized by Google

eos multipliciter pertinet electio Summi Pontificis; nec istud Jus sufficienter abolitum est, aut aboleri posse videtur, ut quidam dicunt, sine superiori authoritate Papæ, qui caput est Ecclesiæ: alioquin possent sine eo talia fieri, sine necessaria & evidenti causa. Eadem ratione, posset Ecclesia seu Generale Concilium, in omnia quæ sunt Papalis Officii; quod secundùm aliquos est absurdum: sed hæc gratiâ brevitatis omitto, de his remittens ad ea quæ notavit Petrus Bertrandi, in *Cap. Ubi majus, de Elect. lib. 6.* Hîc tamen pro speciali hujus materiæ declaratione, dico quòd licèt ad solos Cardinales pertineat regulariter Papæ electio, tamen hæc regula in certo casu, & ex rationabili causa, exceptionem seu dispensationem habere potest, ut tactum est in nona conclusione principali primi capituli: & hoc specialiter locum habere videtur in casu præsentis schismatis, super quo sunt aliqua consideranda.

Primò. Cuidam non videtur expediens, stante hoc sacro Concilio, solùm sacrum Collegium Cardinalium, futurum Summum Pontificem eligere: nam attenta conditione schismatis præsentis, & considerato præsenti statu Ecclesiæ, apparet conveniens, quòd in hac electione hujus Concili concurrat authoritas, & ad hoc speciales rationes possent induci.

Secundò. Non videtur expediens per hoc sacrum Concilium, dictum Collegium Cardinalium ab hac electione totaliter excludere, quia hoc esset verisimiliter dare occasionem novo schismati, quia non est clarum quomodò possent hoc Jure privari, ut statim tactum est. Et supposito quòd in aliquo casu Cardinales essent privati Jure eligendi, remaneret dubium, ad quos devolveretur Jus, sive potestas hujusmodi, cùm aliqui magni Doctores teneant, quòd rediret ad Romanos; quæ opinio, licèt non esset vera, nec tenenda, tamen posset verisimiliter esse occasio generandi novum schisma, de qua opinione tactum est supra, in nova conclusione primi Capituli, & sequentibus, & in nona, & decima Propositionibus, in hoc Capitulo præmissis.

Tertiò. Non videtur expediens quod Concilium (non consentiente dicto Cardinalium Collegio) statuat vel determinet nova Jura, contra Jura antiqua de electione Papæ, condita in Generalibus Conciliis, præsidente Papa, & in pace & unitate Ecclesiæ congregatis, & hoc clarè patet ex supra dictis: nam circa electionem Summi Pontificis, nova Jura concedere, novo schismati posset occasionem verisimiliter præbere.

Quartò. Ex præmissis concluditur, quòd omninò expediens est in ista materia, sacrum Concilium, cum sacrorum Dominorum Collegio unanimiter concordare, ad obviandum omnibus dubiis, & imminentibus inde periculis & scandalis, ut omnia in pace fiant, & excludantur viæ malignandi turbatoribus unionis: quòd utique fiet, avisando aliquos modos rationabiles & juridicos, & antiquis Juribus non contrarios, & ex illis eligendo concorditer modum convenientiorem in futura electione conservandum statuant; & ad hoc consentiendum tenetur dictum sacrum Collegium de Jure naturali & divino; attenta conditione præsentis schismatis, non obstantibus quibuscumque Juribus positivis, si quæ videntur in contrarium militare: sed de hac materia particulariùs dicere, non est præsentis Operis.

CAPITULUM IV.

PRIMÆ PARTIS.

De Romanæ Ecclesiæ Privilegiis, quatenùs Collegium Cardinalium complectitur.

A EX his quæ in præcedentibus Capitulis dicta sunt, restat ostendere, quòd licèt authoritas Concilii Generalis meritò extollenda sit & magnificanda, adeò quòd Romana Ecclesia particularis Ecclesia, ejus Judicio subest, in capite & in membris; dictæ tamen Ecclesiæ Romanæ authoritas & præeminentia, non est in hoc sacro Concilio deprimenda atque parvipendenda: ad quòd declarandum ponuntur decem Conclusiones infrà scriptæ, multorum & magnorum Prælatorum atque Doctorum examine correctæ & approbatæ.

Prima Conclusio est.

ROmana Ecclesia, secundùm Canonicas Sanctiones Christi traditioni conformes, omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra, sic quòd earum caput meritò dici potest, & oppositum dicere, est hæresis implicita. B

Secunda Conclusio.

ROmana Ecclesia, sicut omnium Ecclesiarum Magistra est, sic earum etiam caput meritò dici potest.

Tertia Conclusio.

ROmana Ecclesia, sicut ratione sui Pontificis Summi, omnium Ecclesiarum caput dicitur; sic secundùm aliquos, potest dici caput Concilii Generalis, imò Universalis Ecclesiæ, quæ ex omnibus particularibus Ecclesiis integratur.

Quarta Conclusio.

C ROmana Ecclesia, præmissam capitis & authoritatis præeminentiam obtinet, non tàm humana traditione, quàm divina, & hoc ratione Petri Apostoli Christi Vicarii, & cujuslibet sui legitimi successoris, qui ex Christi institutione, sub eo, tanquam sub principale capite, tàm Romanæ, quàm Universalis Ecclesiæ caput fuisse, vel esse dignoscitur. Unde ex hoc patet, quòd authoritas Papæ seu Romanæ Ecclesiæ & Concilii Generalis, immediatè est a Deo principaliter, licèt sit ab homine, seu dependeat ab humana potestate ministerialiter: nam Papa fit per Cardinalium electionem; & Cardinales per Papæ authoritatem; & Generale Concilium, per Papæ, aut alterius legitimæ potestatis convocationem.

Quinta Conclusio.

D ROmana Ecclesia, quæ in Papa & Cardinalibus principaliter repræsentatur, pars principalis, sive membrum est Concilii Generalis, in quo Papa vel suus Vicarius, ipso absente, præsidere debet, nisi causa manifesta, & in Jure divino fundata obsisteret.

Sexta Conclusio.

ROmana Ecclesia, Universalem Ecclesiam repræsentat, quod nulli alteri Ecclesiæ particulari, nisi Universali Concilio competit.

Digitized by Google

Septima Conclusio.

Romana Ecclesia, Papa absente, in Generali Concilio, per Cardinales ibidem præsentes, repræsentari censetur, maximè si Apostolica authoritate ad hoc vocati sint.

Octava Conclusio.

Romana Ecclesia, tantæ authoritatis est, quòd secundùm aliquos, sine ea, vel eam repræsentantibus in Generali Concilio, nihil decerni aut diffiniri debeat, nisi causa rationabilis obsisteret: unde patet, quòd in decernendis in Concilio, Papæ & Cardinalium consensus, ubi haberi potest, omninò requiri & reverenter suscipi debet. A

Nona Conclusio.

Romana Ecclesia, tantam authoritatem habet, quòd in ejus & aliarum Ecclesiarum reformatione non est à Generali Concilio repellenda, sed reverenter audienda, quando agetur de reformatione totius corporis, in capite & in membris.

Decima Conclusio.

Romana Ecclesia totumque Generale Concilium, ad Universalem membrorum Ecclesiæ reformationem debet unanimiter concurrere, & unicuique statui, in ejus reformatione, audientiam dare, & de seipsa diffinitivum communicare Judicium; ut impleatur illud Apostoli. *Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1. Cor. XI. 31. B

Unde patet, quòd variæ voces non sunt in hoc Concilio audiendæ, quorumdam populariter loquentium, atque dicentium: nos vocabimus Cardinales quando nobis videbitur, sed non quando de eorum reformatione agetur, cùm tamen ad Cardinales non minùs pertineat illos vocare & reformare, quàm è contra, & in cujuslibet status reformatione, singuli audiendi sint, nec à Judicio Concilii repellendi, sed magis ad mutuam charitativam correctionem inducendi.

Ad fundandum autem prædictas conclusiones & inde sequentia; ultra rationes & allegationes Juris in prædictis capitulis positas, specialiter pro prima & secunda conclusione, facit, 22. *dist.* per totum, ubi probatur quòd Romana Ecclesia habet de omnibus aliis ordinare, cum sit Mater omnium aliarum Ecclesiarum, & cùm secundùm superioritatem & inferioritatem sint ad invicem ordinatæ inter eas, tenet Romana Ecclesia primum gradum. Item, quòd Romana Ecclesia caput sit omnium Ecclesiarum, sicut Petrus omnium Apostolorum, probatur 3. q. 6. *can. dudum:* & hoc specialiter facit pro tertia & quarta conclusionibus: facit etiam pro quinta conclusione; quo ad præsidentiam Papæ. Et pro eadem facit caput. *significasti. de electione* cum suis concor. Ex quibus fundantur sexta & septima conclusiones sequentes: pro octava & nona conclusionibus, facit quòd Romana Ecclesia habet alias in partem sollicitudinis, non in plenitudinem Potestatis. ut 2. *quæst.* 6. *decreto*: facit etiam ad idem quod Romana Ecclesia potest de omnibus aliis judicare, ut 9. q. 3. *can. patet*: facit etiam pro prædictis quòd Romanæ Ecclesiæ consuetudo, circa institutiones Ecclesiasticas, de omnibus est servanda. ut. 11. *dist. ca. qui nesciat.* & *qui ejus privilegia violat hæreticus habendus est*. ut. 22. *dist. can. omnes.* C D

Utrum expediat Concilia Generalia distribui in certas Nationes.

In Codd. MSS. loco hujus Tituli hîc habetur: *Hæc de prima Parte hujus Operis. Sequitur additio facta.*

Sed occasione prædictarum conclusionum, hîc occurrunt aliqua dubia, circa ordinem hujus sacri Concilii, quæ apud nonnullos magnam perplexitatem inducunt.

Primum dubium. An quatuor Nationes in hoc sacro Concilio sic distinctæ, videlicet, Italica, Gallicana, Germanica, & Anglicana, excluso dicto Cardinalium Collegio, faciant Generale Concilium, cùm sint plura Concilia particularia, valde inæqualiter & improportionaliter divisa, & ad partem deliberantia: quæ deliberatio, exclusa deliberatione dicti Collegii, & non facta in communi sessione collatione votorum, videtur multis non esse censenda deliberatio Concilii Generalis conciliariter* facta.

Secundum dubium. An dictæ Nationes, quæ sunt nova Collegia particularia, quæ multis videntur contra vel præter consuetudinem antiquam sacrorum Conciliorum instituta, licèt ex rationabili causa, & sub debitis circunstantiis ita institui potuerint, habuerint à Jure divino vel humano, authoritatem privandi Romanam Ecclesiam, & sacrum Collegium ipsam repræsentans (quod est antiquum Collegium, & in antiquo Jure, & in sacris Generalibus Conciliis, & sanctorum Patrum Decretis fundatum) privandi inquam Jure suo, habendi videlicet vocem in sacro Concilio, & Summum Pontificem eligendi.

Tertium dubium. Supposito quòd dictæ Nationes possent nova Jura circa electionem Papæ, contra antiqua Jura, ut præmittitur, statuere, ita quòd hoc eis absolutè liceret; an pro nunc expediret; cùm secundùm doctrinam Apostoli, 1 *Cor.* VI. 12. multa liceant, quæ minimè expediunt. Unde attento præsenti statu Ecclesiæ, & consideratis prædictis dubiis, non videtur expediens, aliqua nova Jura condere, quæ schismati novo possent verisimiliter occasionem præbere.

Quartum dubium, occasione primi dubii oritur, circa modum distinctionis hujusmodi Nationum. Nam Benedictus duodecimus, in extravagante *Vas electionis*, distinguit Obedientiam Papalem, in quatuor generales partes, sive Nationes. Et in secunda parte, sub Germanica Natione ponit Alemaniam, Angliam, Ungariam, & plura alia Regna: ex quo Jure patet, quòd si hoc Generale Concilium Constantiense rationabiliter debeat dividi per Nationes, convenientiùs dividitur per quatuor, quàm per plures: quia talis divisio seu distinctio, est Juri ac rationi conformior. Ideò multis videtur quòd adveniente Natione Hispanica ad hoc Generale Concilium, Natio Anglicana debeat reduci ad Nationem Alemaniæ, cujus ipsa est pars, & est ei immediatè conjuncta, ut patet ex Jure prædicto.

Unde, quòd hæc Natio Angliæ hucusque divisa fuit à Natione Alemaniæ, præmissum fuit, ut essent in isto Concilio quatuor Nationes; & hoc ex speciali & certa causa, quæ maximè cessabit, adveniente dicta Natione Hispanica: qua adveniente, sic dicta natio Anglicana remaneret quinta; eadem & potiori ratione, aliæ tres Nationes prædictæ, debebunt proportionaliter distingui in plures Nationes dictæ Anglicanæ Nationi æquales. Ideò, quia adveniente dicta Natione Hispanica, juxta unum ex capitulis tractatis in Narbona; statim fiet unio ipsius ad nos, pro faciendo unum Universale Concilium, & per consequens, hoc facto, sicut illud erit quasi novum Concilium, & noviter ex ipsa, vel nobis integratum: sic

* in MSS. Codd. collegialiter.

Digitized by Google

sic ad illius nationis honorem, debebit fieri novus ordo, seu ordinari novus procedendi modus: imò verius renovari mos antiquus, in distinctione nationum observatus, &, ut præmittitur, Juri & rationi conformis.

Ad confirmationem præmissorum, fit quòd idem Benedictus duodecimus, terras & Provincias subditas Obedientiæ Romani Pontificis (pro Capitulis Monachorum nigrorum Provincialibus celebrandis, est prima rubrica sui operis, in fine ejusdem) distinxit præfatas terras & Regna, in triginta sex Provincias, A & inter alias, in regno Angliæ, ponit Cantuariensem & Eboracensem pro una Provincia.

Ex quibus, multis videtur, quòd nec Juri, nec rationi consonum est, æquare, seu æquiparare Regnum Angliæ, Regno Franciæ in generali, vel Nationem Gallicanam generaliter sumptam, Nationi Anglicanæ; & multò minùs Italicam nationem, Germanicam, vel Hispanicam, quasi omninò absurdum esset dictam Anglicanam Nationem fieri quintam partem, seu Nationem hujus sacri Concilii; cum ipsa, secundùm Juris dispositionem, sit 36. pars, vel Provincia totius Obedientiæ Romani Pontificis: ideò videtur, quòd adveniente dicta Natione Hispanica, cessare debet Natio Anglicana, & fieri pars Nationis Germanicæ, ut præmittitur: vel si non, consequens videtur, quòd dictæ aliæ Nationes distin- B guantur singulæ in plures nationes particulares dictæ Nationi Anglicanæ proportionales, juxta Juris dispositionem: vel ad evitandum talem multiplicitatem Nationum, & plures aliàs difficultates, expediens videtur redire ad Jus commune, & ad antiquum modum procedendi & concludendi in Conciliis Generalibus, in quibus non legitur facta fuisse talis Nationum distinctio.

De iis qui vocem habent deliberativam in Conciliis Generalibus.

De est iste Titulus in Codd. MSS.

QUINTUM dubium, occasione præmissorum oritur, videlicet, quinam habere debent vocem in C Concilio Generali. Nam quibusdam videtur quòd auctoritas judicandi, statuendi, & diffiniendi, pertinet ad Episcopos, seu majores Prælatos; quod probant ex diffinitione Concilii Generalis, per quam differt à Conciliis particularibus, sive Provincialibus, quam ponit Hugo. 2. *Part.* & post eum Bartholomæus * Baxneetis. 17. *dist. cap.* 1. *Universale Concilium est*, inquit, *quod à Papa, vel ejus Legato, cum omnibus Episcopis, statuitur.* Alii verò dicunt, quòd quantùm ad illa quæ pertinent ad exterminationem præsentis schismatis, debent habere etiam vocem conclusivam, omnes illi qui ad præsens Concilium fuerunt Apostolica auctoritate vocati, imò secundùm aliquos, omnes qui ad effectum unius Ecclesiæ vellent huic Concilio interesse. Pro quo inducunt, quòd sicut à tempore nascentis Ecclesiæ, circa electionem Summi Pontificis, varii fuerunt modi observati, sicut patet per Jura & antiquas historias; sic in modo congregationis & deliberationis Conciliorum Generalium. Nam sicut patet in Acti- D bus Apostolorum, & historia Eusebii, quæ Actibus Apostolorum immediatè subnectitur, quandoque in Conciliis congregabatur tota Communitas Christianorum; quandoque Episcopi, Presbyteri, & Diaconi; quandoque soli Episcopi sine Abbatibus; quandoque cum Episcopis Abbates; quandoque Imperator vocabat & congregabat Concilium, & præsens erat, etiam absente Papa de cujus causa agebatur, sicut hæc varietas potest probari ex historiis suprà dictis, tàm quatuor Conciliiorum, in Actibus Apostolorum celebratorum, quàm ex dicta historia Eusebii. *Lib.* 6. *Cap.* 33. *Lib.* 7. *Cap.* 25. & *Cap.* 27. & 28. & *Lib.* 10. *Cap.* 5. ubi multa ad propositum præsentis materiæ utilia recitantur.

* *Editiones Decreti habent* Brixiensis.

Sextum dubium consequens ad præmissa, est circa modum concludendi ex deliberatione Nationum: nam licèt, attenta conditione præsentis schismatis, ad ejus radicem excludendam (quæ in diversis Nationibus & Regnis variæ radicantur) expediens judicatum fuit procedere per deliberationes Nationum, in quibus vota singulorum particularium, non minùs benè & liberè poterant scrutari, quàm in generali turba, seu publica Sessione; tamen multis videtur Juri esse consonum, quòd in tali deliberatione Nationum, non solùm attendendum est ad personarum deliberantium numerum, sed etiam ad dignitatem: & ideò, referendo deliberationem unius Nationis, notandæ sunt personæ, & eorum status, ut, quot sunt majores Prælati, quot Abbates, quot Doctores, quot Ambasiatores, quot Procuratores. Et si aliqui contradicunt, notandi sunt, quot & cujus status, nec repellendi sunt qui in publica Sessione possunt motiva sua, seu rationes allegare, ut doceantur vel doceant: quia non sufficit unius Nationis, aut plurium referre deliberationem; sed omninò in arduis expedit allegare rationem, ut non sint vota quasi voluntaria, sed ratione vallata, & hoc maximè, quando non esset plena omnium Nationum concordia: facit ad hoc, quòd quandoque in Conciliis Generalibus, unius personæ deliberatio, fuit causa reducendi plurimos ab errore: ideò ex Libro Isidori, edito de mandato Damasi Papæ, in Conciliis debet legi præfatio, in qua dicitur, quod si forsan aliquis aliter quàm dicta fuerint senserit, sine aliquo scrupulo contentionis, ea de quibus dubitaverit conferenda, reducat, ut Deo auxiliante, aut doceri possit, aut doceat: Hæc autem dubia, ad robur hujus Concilii proposui, eo quòd jacula prævisa minùs feriunt; ut scilicet super his taliter deliberetur, & prævideatur, quòd in futurum Acta hujus Concilii non possint ab æmulis reprobari.

SECUNDA PARS OPERIS.

Papa & Episcopi, & dispensatores bonorum Ecclesiasticorum non Domini sunt; quia bona illa Communitati, non personis singularibus data sunt.

In MSS. Codd.

Primum Cap. 2. *Partis.*

AD confirmandum ea quæ de origine & ordine Ecclesiasticæ potestatis prædicta sunt, aliqua convenit subjungere, de origine Juris quod habent Clerici qui Ecclesiastici dicuntur, in bonis quæ Ecclesiastica nominantur. Ubi primò supponendum est, quòd bona Ecclesiastica, ut Ecclesiastica sunt, fuerunt collata Communitatibus, & non solùm personæ singulari. Unde Fundatores Ecclesiarum intenderunt Dominium & proprietatem bonorum quæ dabant, transferre primò & directè in communitatem Collegii, scilicet talis Ecclesiæ, ad usum Deo servientium, & non in aliquam personam singularem, ut 12. *Qu.* 3. *Can. Pontifices.* & ita intelliguntur esse oblata Christo, id est Communitati Fidelium, quæ est Corpus Christi. ut. 12. *qu.* 2. *can. nulli.* Ex quo sequitur manifestè, quòd *Communitas ipsa sola, habet immediatum & verum dominium in hujusmodi bonis, & non Prælatus aliquis, aut quævis persona singularis.* Verbi gratiâ, Ecclesia Constantiensis, vel alia hujusmodi particularis, habet dominium vel proprietatem in ipsis bonis sibi collatis, ut sibi sunt propria: persona autem singularis, non ut singularis, sed ut pars & membrum hujus

Digitized by Google

jus Communitatis, habet in ipsis Jus utendi ad suam sustentationem, secundùm exigentiam & decentiam personæ, & sui status: sed inter membra Communitatis est differentia, quia est aliquod membrum simplex & minùs principale, ut simplex Canonicus; & istud habet simplex Jus quod dictum est: & est aliud membrum, quod est principale & caput Communitatis, ut Episcopus, aliàs non esset congregatio una, nec ordinata, nisi esset unum caput & principale membrum; & istud non solùm habet usum in bonis Communitatis, secundùm exigentiam sui status, modo prædicto: sed habet administrationem & dispensationem generalem omnium bonorum Communitatis, appropriaris cuilibet quod ei debetur, secundùm debitam justitiæ portionem, dispensans etiam pro communi bono Collegii bona fide, ut sibi videtur expedire; & ita est Episcopus in qualibet Ecclesia Cathedrali, de communi Jure primitivo: & sic, secundùm Ostiensem; *Dicuntur Episcopi Procuratores hujusmodi bonorum, & non Domini, seu proprietarii.* ut, *De dona. Cap.* 2. & *De præbend. Cap.* 3. Quia verò non solùm quælibet congregatio Ecclesiasticorum est una, speciali unitate, imò Ecclesiasticæ congregationes habent quandam generalem unitatem, in quantum sunt una Ecclesia, sub uno capite, videlicet Papa, cui incumbit cura Ecclesiæ generalis; ideò ipse est universalis dispensator, tanquam supremum membrum Ecclesiæ, omnium generaliter Ecclesiasticorum bonorum spiritualium & temporalium: non quidem quod sit eorum Dominus; sed sola Communitas Ecclesiæ Universalis Domina est, & proprietaria illorum bonorum generaliter; & singulæ Communitates, & Ecclesiæ, dominium habent in bonis sibi correspondentibus: personæ autem singulares, non habent Jus dominii, sed utendi, aut Jus dispensandi, ut dictum est. Hæc notavit Innoc. & facit. 12 q. *can. videntes.* & *can. ex his.* & *can. Episcopus.* & *can. Præcipimus.*

Ex his apparet error eorum qui dicunt, quòd solus Papa habet Jus vel Dominium Ecclesiæ, & non solùm est administrator vel dispensator Ecclesiæ universalis; sed bonorum ejus verus Dominus & proprietarius; ceteri verò Prælati, & alii non habent in his Dominium, sed solùm sunt talium bonorum procuratores atque dispensatores: hoc enim apparet falsum, non solum ex præmissis, sed etiam ex verbis Apostoli *prima ad Corinth.* IV. I. ubi non excludens Petrum vel Papam dicit: *Sic nos existimet homo ut ministros Dei, & dispensatores, &c.* Et ipsemet Petrus ait: *Non quasi dominantes in Clero, sed forma facti gregis, &c.* I. Pet. V. 3. Facit, *De præbend. Cap.* 2. ubi dicitur, quòd Papa habet plenariam dispensationem omnium bonorum & Beneficiorum, & non Dominium. Ex quo sequitur ulterius, quòd Papa non potest ad libitum detrahere bona Ecclesiarum, ita quòd quicquid ordinet de ipsis, teneat: hoc enim haberet, si esset Dominus. Sed cùm sit minister & dispensator bonorum Communitatis, in quo requiritur bona fides, non habet collatam sibi potestatem super bonis ipsis, nisi ad necessitatem, vel communem Ecclesiæ utilitatem: ideò in. 2. *ad Corinthios* X. 8. dicitur, quòd potestatem *dedit Deus ad ædificationem, non ad destructionem, &c.* Unde ulteriùs concluditur, quòd si Papa pro libito detrahat bona Ecclesiæ & non dispensat bona fide, de Jure non tenet: & non solùm tenetur ad pœnitentiam de peccato, quasi propter abusum rei, sed infideliter agit, & ad restitutionem tenetur, si aliundè haberet, cùm sit defraudator rei alienæ: secùs si esset Dominus, quia in re sua quilibet est ultimus moderator & arbiter. ut, *De sepultur. de his.* & in glossa. Ex quibus videtur posse concludi, quod sicut Monasterium posset agere ad depositionem Abbatis; vel particularis Ecclesia, ad depositionem Episcopi, si constaret quod dissiparet bona Monasterii, vel Ecclesiæ, & quòd infideliter, non pro bono communi, sed privatè ea detraheret; sic & de Papa, si admonitus non corrigeretur: Nam 40. *di. Can. si Papa.* ubi dicitur: *cunctos judicaturus, à nemine judicandus*, ibi dicit glossa: *quòd si deprehendatur in quocunque alio vitio, & admonitus non corrigatur, & scandalizat Ecclesiam, idem posset fieri.* Licet fortè secundùm aliquos per solum Concilium Generale, *argu. di.* 21. *can. nunc autem.* Et in hoc sacro Constantiensi Concilio conclusum atque practicatum est.

Ex prædictis patet, quòd si Papa non habet Dominium in bonis Ecclesiasticis Clericorum, multominùs habet Dominium in bonis temporalibus laïcorum, imò nec in illis est dispensator, sicut in bonis Ecclesiasticis; nisi fortè in ultima necessitate Ecclesiæ: in qua etiam necessitate, non est propriè dispensator, sed magis potest dici declarator. Pro quo considerandum, quòd *Exteriora bona laïcorum, non sunt collata Communitati, sicut bona Ecclesiastica; sed sunt acquisita singulis personis, arte, vel labore, vel industria propria;* & ideò personæ singulares, ut singulares sunt, habent in ipsis Jus & potestatem, ac verum Dominium, & potest quilibet de suo ordinare, disponere, dispensare, retinere, alienare pro libito, sine alterius injuria, cùm sit Dominus, suprà *de sepult. de his.* Unde sequitur, quòd nec Princeps, nec Papa, habet propriè Dominium vel dispensationem in talibus: quia talia bona, non habent ordinem & connexionem inter se, nec ad unum commune caput, quod habet ea disponere & dispensare, cùm quilibet rei suæ sit ordinator, pro libito. Quia verò propter talia bona exteriora, contingit interdùm pacem, hominemque turbari, dum aliquis quod est alterius usurpat; quia etiam interdùm homines quæ sua sunt nimis amantes, ea non communicant, prout necessitati vel utilitati publicæ convenit, ideò positus est Princeps cum populo, qui talibus præest, ut Judex discernens justum & injustum, ut Judex injuriarum, & ut mensura justitiæ, in accipiendo bona à singulis, secundùm justam proportionem, pro necessitate, vel utilitatis causâ.

Ex quo sequitur, quòd Papa, qui est quasi supremum caput, non solùm Clericorum, sed generaliter omnium fidelium (ut fideles sunt, juxta illud, *Pasce oves meas*, quod de omnibus generaliter dictum est) tanquam generalis omnium Pastor, & informator Fidei ac morum, in casu summæ necessitatis Ecclesiæ (in quo casu, omnium fidelium bona communia sunt, idest pro communi utilitate communicanda) habet, Jure divino, bona exteriora omnium fidelium dispensare, & ut exponenda sunt discernere, prout expedit communi necessitati Fidei; utpote, quia aliàs subverteretur Fides, propter impugnationem infidelium, vel aliquid hujusmodi. Et posset tanta, & tam evidens esse necessitas, quòd posset exigere decimas, vel determinatas portiones à singulis fidelibus, secundùm tamen debitam proportionem, ne aliqui sine ratione plus gravarentur quàm alii: & posset rebelles & contradictores per Censuram Ecclesiasticam compellere ad succurendum communi necessitati Ecclesiæ, & talis ordinatio Papæ non esset nisi Juris declaratio. Unde extra hujusmodi causam necessitatis, pro communi bono spirituali, non habet Papa dispositionem aliquorum bonorum temporalium, nec compulsionem in eos: licèt in casibus utilitatis spiritualis potest eos exhortari & spiritualiter inducere, ut potè in conferendo Indulgentias, vel alia spiritualia beneficia, pro adjutorio conferendo. Posset tamen Papa ex causa, & in certo casu, bona confiscare, etiam laïcorum, ut habetur, secundùm Lib. 6. *De pœnis Ecclesiasticis. cap.* 5.

Quo

Digitized by Google

Quo Jure, Vacantiæ; Annatæ, aut minuta servitia, debeantur Pontifici Maximo.

Deest in MSS. Codd.

POST præmissa concluditur quòd cùm, in casu, Papa habeat, Jure divino, disponere & ordinare A circa bona & temporalia laïcorum, ut dictum est; multò magis & in pluribus casibus habet Jus & Potestatem circa bona, & Jura Ecclesiastica Clericorum: & ideò non solùm in casu necessitatis; sed etiam in casu utilitatis & honestatis publicæ, non solùm universalis Ecclesiæ, sed etiam pro convenienti statu personæ suæ (inquantum est persona publica repræsentans Ecclesiam, & generalis Pastor, ac universalis administrator bonorum Ecclesiasticorum) rationabiliter potest sibi facere fructus suos, ex bonis communibus, pinguiores, secundùm exigentiam sui status, tàm Prælati inferiores, quàm qui in partem sollicitudinis vocati sunt. Hujus rei exemplum præcessit in Veteri Testamento: quia cùm Levitæ pro sua sustentatione receperunt decimas, summus Sacerdos decimam decimæ è Levitis debebat recipere, ut patet, *Numer.* XVIII. Unde simili Jure videtur, quòd Papa possit recipere ab Episcopis pro- B motis *Communia servitia*, quæ vocantur *Vacantiæ*; & in minoribus Beneficiis, primos fructus, seu alia hujusmodi subsidia, ex quibus ipse, & sibi in Ecclesiæ servitio assistentes possunt convenienter sustentari. Et ista non sibi conveniunt Jure prædicto, sed etiam Jure præscriptionis, quo etiam aliqui infideles in similibus uti consueverunt, ut in pluribus regionibus manifestum est, *de decim. can.* I. & *can.* II. in glossa, & dicunt Doctores, quòd loco dictarum decimarum, succedunt decimæ quæ dantur Papæ.

Unde ulterius sequitur, quòd Papa Jure potuit ordinationes majorum & electivarum dignitatum, ac collationes aliorum Beneficiorum, sibi & Sedi Apostolicæ reservare, quia hæc antiquissimo Jure sibi competebant, ut in conclusione suprà dictum est. Hæc etiam, non solùm Jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiæ subjectæ: utpotè, C quia inferiores in suis electionibus, & ordinarii collatores in Beneficiorum collationibus abutebantur, & per Potentiam laïcalem, sæpè Jure suo non liberè uti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione. Pro his facit quod notatur, *De elect. quamquam, Lib.* 6. *in glossa* & 22. *di. can.* I. Ex quo subinfertur, quòd cùm Sedes Apostolica in præmissis præscripserit, supposito quod Summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis hujusmodi Jus tollendum, sed abusus pellendi & excessus restringendi sunt: & hoc fieri potest per rationabiles Constitutiones sacri Concilii Generalis. Pro hac facit, quòd ex statuto Papæ fundatæ sunt electiones. ut 16. *qu. Vult Congregatio. de elect. can.* I. & *can. Cum Ecclesia.*

Concilium Generale, nihil habet Juris in dignitatem Pontificiam, quæ Juris est divini; sed in abusum dignitatis Pontificiæ: & idcircò, status Monarchicus Ecclesiæ, regimine Aristocratico & Democratico temperatur.

D

Deest in MSS. Codd.

PRo cujus declaratione, ulteriùs sciendum est, quòd licèt Papalis dignitas à Deo sit, unde ab homine nec major nec minor fieri potest; tamen, usus plenitudinis Potestatis, ad excludendum abusum, potest Concilii Generalis authoritate restringi: ideò antiquo Jure institutum est, quòd Papa professionem faceret, ut patet ex Libro diurno. Facit 16. *di. can. sancta* 8. *extra. de Jurejurando ego.* 25. *qu.* I. *can. satagendum.* 63. *di. can. Ego Ludovicus:* & hujusmodi professio per lapsum temporis ampliata est, ut patet ex professione Bonefacii VIII. quæ incipit. *Ego Benedictus Cajetanus*, &c. Similis quoque professio, juxta rerum exigentiam, in sacro Constantiensi Concilio rationabiliter poterit ampliari.

Sed ad regulandum usum plenitudinis Potestatis, & excludendum abusum ejusdem, considerare convenit, quòd non expedit Ecclesiæ (quæ habere dicitur Regale Sacerdotium) quòd ipsa regatur regimine Regio puro, sed mixto cum Aristocratia & Democratia; & capitur hic Democratia generaliter, pro Principatu populi, & non strictè, prout contrariatur Politiæ quæ est species quædam regiminis, vel Principatus temperati, secundùm virtutem, ut capit Aristoteles, *in Politicis.* Pro cujus declaratione, sciendum est, quòd licèt regimen Regium, in quo unus singulariter principatur multitudini, secundùm virtutem sit melius quolibet alio regimine simplici, ut ostendit Philosophus, 3. *Politicorum*: tamen si fiat mixtum cum Aristocratia, in qua plures dominantur secundùm virtutem; & cum Democratia, in qua populus principatur, tale regimen melius est, in quantum in regimine mixto omnes aliquam partem habent in Principatu: & etiam quia licèt regimen Regale sit optimum in se, si non corrumpatur; tamen propter magnam Potestatem quæ Regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit in Rege perfecta virtus, quæ raro & in paucis reperitur. In cujus rei signum, in populo Israël, cui succedit populus Christianus, Deus instituit quodammodò Regem, licèt non cum plena Potestate, ut patet in Moïse, & Josue, & eorum successoribus, qui toti illi populo præerant, ut patet *Numer.* XXVII. & *Judicum* II. Licèt autem in eis esset regimen Regale, in quantum unus principaliter præerat omnibus; erat tamen aliquid de Aristocratia, in quantum sub illo uno, septuaginta duo seniores eligebantur, ut patet *Deuteron.* I. Erat etiam aliquid de Democratia, in quantum septuaginta duo eligebantur de omni populo, & ab omni populo, ut ibidem dicitur: sic etiam manifestè videtur, quòd esset optimum regimen Ecclesiæ, si sub uno Papa eligerentur plures de omni, & ab omni Provincia, & tales deberent esse Cardinales, qui cum Papa & sub eo Ecclesiam regerent, & usum plenitudinis Potestatis temperarent. Et hoc notari videtur in *can. per venerabilem. extra. Qui filii sunt legitimi, in* 6. *Sunt autem Sacerdotes gravis*, & cet. Ad idem facit quòd Cardinales sunt pars corporis Papæ, & ejus Coadjutores, ut, *de Jurejurando. ego.* 2. *de Electione, Cap. fundamenta, Lib.* 6. Ex quo clarè patet, quòd status Cardinalium est in Ecclesia valdè utilis & necessarius, si debito suo fungantur officio, ad quod Generale Concilium debet summoperè laborare, atque providere, quòd de communibus Ecclesiæ bonis, pro cujus generali utilitate laborare tenentur, eis decenter convenienterque subveniatur, non minùs quàm inferioribus Prælatis. Et pro hoc facit sexta Potestas Evangelica, de qua suprà in prima conclusione dictum est, cui concordat sententia Apostoli, *Prima, ad Corinth.* IX. 13. ex qua sumitur, quòd *Qui altari servit, de altari debet vivere.* ut *extra, de præbend. cum servi.* 12. q. 2. *can. quicumque. de sepult. Cap.* I. cum suis similibus. Unde quòd Papa & Cardinales Jure divino & naturali (cui Evangelica doctrina concordat) ab inferioribus Ecclesiasticis debitam sustentationem recipere debeant, ostendit sanctus Thomas, in 2. 2. *qu.* 87. *argum.* 8. ubi dicit, quòd *In Veteri Lege, primitiæ dabantur* Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotibus, *decima Levitis.* Et quia sub Sacerdotibus erant Levitæ, Dominus mandavit ut ipsi, loco primitiarum solverent Summo Sacerdoti decimam decimæ: patet *Numer.* XVIII. Unde nunc eadem ratione, tenentur Clerici Summo Pontifici dare decimam partem decimæ, si exigeret. Naturalis enim ratio dictat, ut illi qui habet curam de communi statu multitudinis, provideatur unde possit exequi ea quæ pertinent ad communem salutem. Et idem S. Thomas in 4. *De regimine Principum*, ex auctoritate Philosophi, *in polit.* dicit etiam quòd Gentiles in suis Politiis, unam partem possessionum applicabant illis qui ministrabant in Sacris: & ideò Ministris Ecclesiæ in cultu Dei ista debentur, non tàm Jure positivo, quàm Jure divino & naturali.

Quo Jure Annatæ debeantur Cardinalibus, & Curiæ Romanæ.

In MSS. Codd. habetur:

II. Capitulum Secundæ Partis.

Ex præmissis, tam Jure naturali & divino, quàm etiam humano stabilitis, corollariæ sequuntur x. Propositiones, à nonnullis Doctoribus examinatæ & probatæ: ex quibus manifestè patet compendiosa responsio ad dispendiosissimam & injuriosissimam scripturam, per aliquos factam, contra appellationem Procuratoris Fiscalis, pro tuitione Jurium Romanæ & Cameræ Apostolicæ.

Prima propositio est, quod status Summi Pontificis, & sacri Collegii Dominorum Cardinalium sibi collateralium, fundatus est in Ecclesiastica hierarchia, sub cœlesti, immediatè à Christo, nec humana institutione, seu præsumptione potest destitui: cui statui qui pertinaciter derogat, censendus est, juxta sacros Canones, hæreticus atque sacrilegus.

II. Status prædictus dotandus est & fovendus, per debitam & honestam sustentationem temporalium, sine quibus, in hac misera vita, spiritualia diù non subsistunt: quemadmodùm alter status quicumque Ecclesiasticus inferior, seu subditus, dotatus est, vel dotandus, juxta sui qualitatem.

III. Prædictus status, non ideò perdit Jura sibi convenientia (quæ posuit propositio duplex præcedens) si forsan fuerint abusus aliqui personales, olim vel nunc inventi: alioquin, sic argueretur adversùs omnem statum, nedum Ecclesiasticum, sed temporalem, quòd dissipandus est, deserendus & perdendus, quoniam *In multis offendimus omnes.* Jacobi III. 2.

IV. Status prædictus, potest & potuit uti subventionibus, * sicut Prælati & Curati inferiores, respectu subventionis factæ per subditos in oblationibus, decimis, & similibus, etiam ubi status prædictus aliundè dotatus esset patrimonialibus bonis, vel aliis, quemadmodùm in Prælatis & Curatis dicimus.

V. Status prædictus, dùm recipit & quærit subventiones consuetas in Oblationibus, Decimis, vel Annatis, & similibus, non debet eo ipso de simoniaca pravitate notari, nisi fortè vitium aliud in exactionis modo concurrerit: quod vitium corrigi debet, non obinde status minui, destrui, culpari, vel Juribus aliundè defraudari; sicut ab infirmo morbus tollendus est, non subjectum vel corpus destruendum. Oppositum verò pertinaciter imponere, notando generaliter de simoniaca pravitate totum statum istum, temerarius error est, nec esset ferendus.

VI. Status prædictus, potest & debet rationabiliter resistere per viam appellationis aut aliàs, si adversùs prædicta voluerint, aliqui de facto procedere, præsertim dùm personæ de illo statu subjiciunt se, & statum suum debitæ regulationi Sanctæ Matris Ecclesiæ, si forsitan aliqua fuerint in eis reformanda; & hæc agendo, necdum scandalizant activè, vel peccant; sed merentur, tanquam defensores Jurium, non solùm suorum personalium, vel Ecclesiæ particularis Romanæ, sed Universalis Ecclesiæ, & ad utilitatem honestatemque totius Reipublicæ Christianæ, quæ consistit in suo decore membrorum, maximè principalium.

VII. Deinde, oportet sic fieri, quòd subventio nunc existens, & à priorum devotorum Ecclesiasticorum introducta, de primis Annatis & similibus permaneat, quousque priùs, aut simul saltem, fuerit alia fortè provisio salubrior vel sanctior rationabiliùs adinventa, & effectu aliter practicata, & ex ordinatione Papæ & Concilii Generalis.

VIII. Postremò, facientes contra præmissa, non conformant se, sed manifestè obviant Institutionibus Regis Franciæ, Ecclesiæ Gallicanæ, & Universitatis Parisiensis: sicut patet eas intuentibus.

IX. Ex quibus sequitur, quòd erronea & scandalosa & periculosa est una conclusio, quam in materia simoniæ posuit quidam Prælatus & Doctor, videlicet, quòd solutio Vacantiarum, sive pactionata, sive non; sive ante, sive post; sive ante traditionem Bullarum, sive post, quocumque modo exacta, est purè simoniaca.

X. Unde pro declaratione hujus materiæ, notanda est doctoralis distinctio quadrifaria, de intuitu vel respectu commodi temporalis pro spirituali.

Primò. Potest intuitus ferri ad temporale commodum, quasi ad pretium spiritualis, quasi sit adæquatio valoris unius rei ad alteram, sicut est in emptione & venditione cujuslibet rei:

Secundò. Potest ferri intuitus ad commodum temporale, quasi ad motivum principale dandi spiritualia; vel ad finem ultimum, in quo sistit intuitus spiritualia conferentis.

Tertiò. Potest ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad motivum minùs principale, vel ad finem subordinatum sub ultimo fine.

Quartò. Potest ferri intuitus commodi temporalis, tanquam ad rem debitam Jure divino, pro sustentatione illius qui spiritualia subministrat, juxta doctrinam Christi & Apostoli. *Dignus est mercenarius mercede sua.* 1. Thim. v. 18. Tunc ad propositum dicimus, pro responsione succincta & solida, quòd primus intuitus & secundus, sunt verè simoniaci, de Jure divino & humano: & si concurrat error intellectus, scilicet quòd talia possint fieri, sicut in primo dicitur, vel quòd licitè fiant, sicut ponitur in utroque modo; tunc incurritur hæresis propriè dicta, & habendi sunt simoniaci tales hæretici propriè dicti, si sint pertinaces. Dicimus consequenter, quòd si feratur intuitus tertio & quarto modis, ille potest esse licitus, imò laudabilis & meritorius ac debitus: hoc tamen attento, quòd observetur illud Apostoli. *Ab omni specie mala abstinete vos.* 1. Thess. v. 22. hoc est quòd administratio spiritualium facta ab altero, tali intuitu, non appareat fieri ex modo suo intuitu primo, vel secundo, &c.

* *In MSS. Codd.* In subventionibus & honestæ sustentationis præstare de certo modo vel quota subventionis, sicut.

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

CAPUT I.

Utrum Plenitudo Potestatis in Papa, vel in Ecclesia, aut Concilio resideat.

IN tertia hujus Tractatus parte, in primis breviter tangetur quæstio quam aliàs ad quorumdam egregiorum Doctorum instantiam, disputare proposui; utrum videlicet plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ resideat in solo Romano Pontifice.

Ad partem negativam arguitur ex triplici radice. Prima, quia hujusmodi plenitudo residet in Ecclesia Universali. Secundò, quia hæc plenitudo residet in Romanâ Ecclesia particulari. Tertiò, quia ipsa etiam residet in Concilio Generali: ergo non residet in solo Romano Ponrifice. Consequentia de se patet, & antecedens tripartitum probatur unica ratione, pro qua supponitur, quòd Romanus Pontifex est caput triplicis Ecclesiæ. Primò & principaliter Ecclesiæ Universalis, respectu cujus dicitur Summus Pontifex, sive Pastor, juxta illud: *Pasce oves meas, & pasce agnos meos.* Joan. XXI. 15. 16. 17. & quòd non de his vel illis particulariter, sed de omnibus dictum est generaliter. Secundò, est caput Romanæ Ecclesiæ particularis, respectu cujus dicitur Pontifex Summus Romanus, & in utroque Episcopatu, tàm Universalis, quàm Ecclesiæ Romanæ succedit Petro, qui priùs habuit primum Episcopatum quàm secundum. Tertio, est caput Concilii Generalis, quod videlicet Ecclesiam Universalem repræsentat, respectu cujus tamen ipsum est quædam particularis Ecclesia, sumens unitatem ab Authoritate Summi Pontificis, in eo actualiter, vel virtualiter præsidentis, ut patet ex c. *signific. de elect.* cum suis concordantiis. Ex qua suppositione patet hanc triplicem Ecclesiam esse triplex corpus mysticum, cujus Papa est caput immediatum: sed constat quòd non est minor Potestas in toto corpore, quàm in ejus parte, scilicet in capite, imò videtur major esse; quia omne totum est majus sua parte: & per consequens, si plenitudo Potestatis est in Summo Pontifice, eadem, vel major plenitudo Potestatis erit in quolibet corpore, cujus ipse est caput, &c. Facit ad hoc illud Hieronymi. *Si authoritas quæritur, Orbis major est Urbe.* 94. dist. can. legimus: ubi dicit glossa, quòd hîc sumitur argumentum, quòd statutum Concilii præjudicat statuto Papæ. Confirmatur ista ratio; quia aliqua Potestas vel authoritas est in Ecclesia, quæ non est in Papa, igitur in eo non est Potestatis plenitudo: consequentia tenet, & antecedens probatur; quia confirmatio in Fide, de qua dicitur quòd Ecclesia non potest errare, juxta illud; *Petre rogavi pro te ut non deficiat Fides tua.* Luc. XXII. 32. illa non est in Papa, quia hoc non est dictum de Fide personali Petri, cum ipse erraverit, sed de Fide Ecclesiæ, de qua dicitur. *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, Marc. XVI. 18. scilicet Ecclesiam. Non enim dictum est *adversus te*, scilicet Petrum. Igitur speciale privilegium est, & singularis Ecclesiæ authoritas, quòd non potest errare in Fide. Quod privilegium aliqui extendunt ad Romanam Ecclesiam, aliqui ad Concilium Generale, alíqui verò solùm restringunt ad authoritatem Universalis Ecclesiæ: sed non potest extendi ad Papam, ut dictum est, &c.

Ad partem affirmativam quæstionis, arguitur quòd Canonica Jura clamant Papam habere plenitudinem Potestatis, ceteros autem vocatos in partem sollicitudinis; nec reperitur Jus canonicum quod dicat hanc plenitudinem esse in aliquo alio singulari supposito, vel particulari Collegio. Confirmatur ista ratio, quia quælibet particularis Potestas Ecclesiastica, est, vel esse potest in Papa, quæ non est, nec esse potest in Universali, aut quacumque Ecclesia particulari, seu Collegio: igitur in Papa solo residet Potestatis Ecclesiæ plenitudo. Consequentia tenet, & antecedens probatur; quia Papa potest quamlibet Ecclesiasticam Potestatem exercere, quod non potest Universalis Ecclesia, seu quodcumque Collegium particulare: & ut de exercitio ceterarum Ecclesiarum Potestatum taceamus, sufficiat exemplum dare de Potestate consecrandi corpus Christi, vel altera Potestate sacramentali; quia constat quòd talis non potest exerceri, nisi à persona singulari, & per consequens, nec ab Ecclesia Universali, nec à Romana Ecclesia particulari, nec à Concilio Generali. Quare &c.

Ad hanc conclusionem se sua humilitate responsurum exhibuerat venerabilis Pater & egregius sacræ Scripturæ Doctor, Magister Mauricius de Praga, & posuit tres conclusiones. Prima est, quòd plenitudo Potestatis Ecclesiæ, separabiliter residet in Romano Pontifice. Secunda, quòd plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ, inseparabiliter residet in Universitate Ecclesiæ Catholicæ. Tertia, quòd plenitudo Potestatis Ecclesiasticæ, repræsentativè residet in Generali Concilio. Ex iis infertur corollarium, quòd quæstio, ut proponitur est falsa, ut patet à negatione unius exponentis ad suam expositam. Ad præmissas autem rationes, sufficiens erat dictus Magister respondere, & super his suam intentionem utiliter declarare: sed quidam veritatis adversarii, timentes ne per ipsum, & deinde per quosdam alios sacræ Theologiæ Doctores in disputationibus, aut determinationibus impugnarentur aliqui errores in hoc sacro Concilo delati, conspiraverunt & procuraverunt dictam disputationem impediri. Contra quos publico verbo & scripto, ob reverentiam Fidei protestatus sum, quòd Doctoribus sacræ Theologiæ maxime in Concilio Generali, ubi agitur de erroribus extirpandis, non debet inhiberi disputatio, aut scholastica determinatio, pro declaratione veritatis Catholicæ, & reprobatione contrariorum errorum. Alioquin, qui de facto secùs facerent, redderent se suspectos de fautoria hæreticæ pravitatis. Quia ergo dictus Magister sic impeditus fuit ab hac responsione, ego hujus conclusionis nodum breviter explicabo.

Primò, dico quòd Jura quæ loquuntur de plenitudine Potestatis intelliguntur de Potestate Jurisdictionis, & non de Potestate Ordinis sacramentalis. quia hæc fuit æqualis in omnibus Apostolis, ut supra tactum est, ubi super illo verbo, *Pasce oves meas*, dictum est, quòd ibi data est Petro Potestatis plenitudo, scilicet Jurisdictionis.

Secundò, dico quòd hæc plenitudo Jurisdictionis, propriè loquendo, solùm residet in Romano, seu Summo Pontifice Petro succedenti: quia propriè, aliqua Potestas plenè dicitur esse in aliquo, quia illam potest generaliter exercere, & ministerialiter in omnes dispensare: hoc autem est in solo Papa, & non propriè in aliqua Communitate, quia secundùm Philosophum, actiones sunt suppositorum.

Tertiò, dico quòd hujusmodi plenitudo Potestatis, tropicè & alio modo equivocè, est in Universali Ecclesia, & in Concilio Generali ipsam repræsentante. Pro cujus declaratione sciendum est, quòd quantùm ad propositum pertinet, aliquid dicitur tripliciter esse in alio: Primò, tanquam subjecto, sicut virtus est in anima, & accidens in substantia subjectivè: Secundo modo, tanquam in objecto, sicut aliquis effectus dicitur esse in sua causa, vel in suo fine, quia in illum tendit, tanquam in suum objectum finale: Tertio modo, tanquam in exemplo, ut res visa dicitur esse in speculo, vel aliqua doctrina in Li-

Digitized by Google

Libro, quia ibi est repræsentativè. Primo ergo modo, plenitudo Potestatis est in Papa, tanquam in subjecto ipsam recipiente, & ministerialiter exercente. Secundò, est in Universali Ecclesia, tanquam in objecto ipsam causaliter & finaliter continente: Tertiò, est in Generali Concilio tanquam in exemplo ipsam repræsentante, & regulariter dirigente. Primum patet ex immediatè dictis, quòd Papa propriè loquendo, est minister, hanc Potestatem subjectivè recipiens, & administrativè dispensans, juxta illud Lucæ. XXII. 26. *Qui præcessor est in vobis fiat sicut ministrator.* Secundum patet, quia plenitudo Potestatis non est causaliter propter Papam, sed Papa & ejus Potestas propter Ecclesiam, & ad eam ordinatur sicut ad finem, id est, ad ejus ædificationem: quia secundùm sententiam Apostoli, *secunda ad Corinth.* x. 18. *penult.* hanc potestatem *dedit Dominus in ædificationem Ecclesiæ, & non in destructionem.* Tertium patet ex eodem verbo Apostoli, quia si Papa uteretur hac Potestate ad destructionem Ecclesiæ, Generale Concilium est exemplum, vel speculum dictam Universalem Ecclesiam repræsentans, & ejus vice & nomine, abusus hujusmodi plenitudinis Potestatis coërcens, regulans, & dirigens: & hæc omnia pleniùs patebunt ex dicendis in ultimo capitulo hujus præsentis Operis: & secundùm præmissa, & interiùs dicenda, rationes hinc inde factæ superiùs, faciliùs solvuntur. Ex præmissis patet quòd sicut plenitudo Potestatis est in Generali Concilio repræsentativè, ita aliquo modo, licèt non æqualiter, est in Romana Ecclesia, quia ipsam Universalem Ecclesiam repræsentat, & in condendis Ecclesiasticis Juribus seu Canonibus, ipsius vices gerit, & hoc sibi competit, ratione sui capitis, scilicet Papæ, qui huic Ecclesiæ specialiter præest, ut tactum est in prima ratione quæstionis. Et ideo Romana Ecclesia, dicitur Sedes Apostolica, quia in ea sedet Apostolicus, id est præsidet Apostoli Petri successor.

CAPITULUM II.

TERTIÆ PARTIS.

Restat videre, utrum Papa subjiciatur Judicio Concilii Generalis, non obstante suæ Potestatis plenitudine. Ad quam quæstionem breviter respondeo affirmativè: nec ei solùm subjicitur in casu quo accusaretur de crimine hæresis propriè dictæ; sed etiam in quibusdam aliis casibus, qui possent quodam modo reduci ad hæresim, largè sumptam, ut ratione obstinationis & incorrigibilitatis in crimine. Hæc autem conclusio in condemnatione & depositione Joannis Papæ XXIII. practicata est per hoc Concilium Generale, cujus determinationi contradicere non licet: pro qua facit istud quod prædictum est in octava propositione primi capituli secundæ partis, sed magis declarabitur hæc materia in ulimo capitulo hujus Operis.

Quia verò nonnulli adversarii veritatis & erroris defensores, hanc mihi imposuerunt infamiam, quòd disputare volebam de plenitudine Potestatis Romani Pontificis, ut ejus, ac Romanæ Ecclesiæ Potestatem extollerem, & deprimerem authoritatem Concilii Generalis: ideò ad hanc maculam expurgandam, declarabo qualiter non solùm nunc; sed jam dudùm Concilium Generale stabilire nisus sum, & specialiter in hujus Concilii initio. Unde tunc grave & periculosum dicti Joannis Papæ odium incurri: tùm propter aliquas conclusiones, quas posui ad hunc finem, ne præsens Concilium dissolveretur, donec & quousque in ipso plenè congregato esset tractatum de perfecta & integra Ecclesiæ unione, & ejus debita reformatione in capite & in membris: & quod oppositum dicere aut facere saperet fautoriam schismatis & hæreticæ pravitatis. Tunc etiam, quia quidam ejus fautores, & impugnatores dictarum conclusionum, adversùs me quasdam accusationes conscripserunt, & ibidem scripserunt sub hac forma.

„ Casus super quo Reverendissimus Dominus Cardinalis Cameracensis consilium habuit cum sacræ „ Theologiæ Magistris Regularibus, & Secularibus di„ versorum Studiorum, est iste. Si XLV. errores Joan„ nis Wiclef contra Fidem, damnari debent per „ Summum Pontificem, sub hac consueta forma alias „ in Conciliis observata, videlicet. *Nos, hoc sacro ap„ probante Concilio, damnamus &c.* aut damnari debeant „ sub ista forma ab Episcoporum Concilio, absque ex„ pressione Summi Pontificis: *Sacrosanctum Concilium „ damnat & reprobat, &c.* & ibi per eum allegatur, „ quòd per Concilium, & non per Papam; quia Con„ cilium est majus Papa, cum sit totum, & Papa sit „ pars ejusdem, & ita ex Actibus Apostolorum, & qui„ busdam Decretis Sanctorum, magis consonum vide„ batur Scripturæ sacræ: unde & magis Theolo„ gica facta est contentio, inter supradictos Ma„ gistros, quorum de numero, quinquaginta duo „ fuerunt suæ opinionis: ceteri verò, viriliter ei „ restiterunt in faciem, dicentes, Concilium per „ se, nullam authoritatem habere, nisi ex ca„ pite, & per consequens, non debere sententiare, „ neque diffinire tanquam principale, sed caput, Con„ cilio consentiente: inde deventum est, verbis verba „ trahentibus, quod ipse Dominus Cardinalis asseruit, „ quòd Concilium est supra Papam, & potest eum „ deponere, aliis paucis exceptis in faciem verisimili„ ter contradicentibus, unde remansit in suo pro„ posito, cum intentione illa proponendi Conci„ lio.„

Ad dictam verò schedulam, rescripsi dicto Domino Joanni, offerens me responsurum coram Dominis Cardinalibus, omnibus Magistris in Theologia convocatis, & tunc paratus fui respondere, ponendo sex propositiones in forma quæ sequitur.

Pro responsione ad dictam schedulam. Dico primò, quod quærere an errores contra Fidem in hoc sacro Concilio damnandi, debeant per Summum Pontificem damnari, sub hac forma. *Nos, hoc sacro Concilio approbante damnamus, &c.* aut damnari debeant sub ista forma. *Sacrosanctum Concilium damnat, &c.* non est quæstio inutilis, aut supervacua, nec ad materiam Fidei, quæ tractatur, est impertinens. Patet: quia utraque forma in Decretis Generalium Conciliorum reperitur. Nam, sicut tunc fuit allegatum, secunda forma condemnandi, habetur in multis locis Libri Conciliorum, & etiam Decreti & Decretalium, ubi sic dicitur. *Placuit sacro Concilio*, vel *Concilium diffinivit*, vel *Statuit sanctum Concilium*: Papa etiam quando dicit: *Sacri authoritate Concilii & consensu, atque reliquorum Fidelium & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu diffinitum est*: & primò habetur in multis Constitutionibus synodalibus, & maximè in Juribus novis.

Secundò dico, quòd Theologi dicentes primam formam esse convenientiorem quàm secundam, & Theologiæ magis consonam vel conformem, non inconvenienter aut improbabiliter loquuntur; nec per hoc reprobant, sed approbant primam formam esse convenientem: sed quòd alia sit Theologiæ conformior, patet, quia in Actibus Apostolorum, authoritas diffiniendi attribuitur Concilio, & non specialiter Petro, ubi dicitur. *Placuit nobis collectis in unum, &c.* Act. XV. 25. & beatus Gregor. 15. *dist. can. sicut*, ubi dicit, se quatuor Concilia, sicut sancti Evangelii quatuor Libros venerari, subdit causam, *quia Universali consensu constituta sunt.* Unde videtur sequi, quòd authoritas diffiniendi, maximè in materia Fidei, pertineat ad Concilium Generale. Et idem di-

Digitized by Google

dicunt aliqui, quando agitur de facto Papæ: quod patet in Concilio Symachi, ubi dicunt Episcopi; *Decernimus, & synodali authoritate roboramus, ut synodalis ordinatio urgeat.* Et in superscriptionibus Episcoporum, dicitur: *His constitutis synodalibus à nobis probatis atque firmatis*, & multa alia hujusmodi.

Tertiò dico, quòd ex præmissis sequitur, quòd dicta schedula est erronea, & quantùm in se est destructiva authoritatis Concilii Pisani, & per consequens, Domini nostri Papæ, & præsentis Concilii, quæ ex illo dependet. Patet, quia dicta schedula ponit & approbat, Concilium nullam per se authoritatem habere, nisi ex capite, videlicet Papa; & A per consequens, non debere sententiare, neque diffinire, tanquam principale, sed caput, Concilio consentiente. Nam constat, quòd Concilium Pisanum, non habuit authoritatem sententiandi & diffiniendi à Papa, tanquam ex capite; quia authoritate Papæ non fuit congregatum, sed magis ipso contradicente, cum ibi duo contendentes fuerint condemnati, quorum alter erat Papa, sicut communiter tenebat Ecclesia Christiana.

Quartò dico, circa prædictam schedulam, quòd etiam ex præmissis sequitur, quòd sicut Concilium Pisanum, ita & aliud Concilium in aliquo casu, esse potest suprà Papam, & potest eum deponere: patet, quia non apparet major ratio de uno, quàm de B alio.

Quintò dico, quòd Concilium, præsente Papa, à quo ipsum Concilium vocatum est, est velut unum corpus mysticum, cujus Papa est caput, & alii sunt membra: & ideò secundùm aliquos, non solùm falsum, sed fatuum esset dicere, quòd major sit authoriras partis, quàm totius corporis.

Sextò, ex præmissis sequi videtur, secundùm aliquos, quòd falsa est quorumdam Juristarum opinio, dicentium quòd in Concilio Generali, Papa dumtaxat judicat & diffinit, & si eo præsente ibi aliqua statuerentur, Concilium nihil statuit, sed suadet, & consulit; nec Papa tenetur sequi deliberationem vel suasionem Concilii, sed quòd standum videretur Sententiæ Papæ, si contradiceret Ecclesiæ, vel Concilio. Patet: quia Universalis Ecclesia, à Christo & non à Papa hoc privilegium authoritatis habet, quòd in Fide errare non potest; & hanc etiam C authoritatem, secundùm aliquos, habet Concilium, Universalem Ecclesiam repræsentans: sed talem authoritatem, non habet Papa, cùm errare possit in Fide; ergo in hoc major est authoritas Concilii vel Ecclesiæ, quàm Papæ. Unde oppositum dicere, multis esset hæreticum, & ex Juribus malè intellectis erroneè conclusum.

CAPITULUM III.

TERTIÆ PARTIS

Hujus Tractatus.

SED adhuc restat circa præmissa, recitare opinionem cujusdam magni Prælati & Doctoris, D quam in finali capitulo, probo esse contrariam Catholicæ veritati. Hæc autem ejus opinio per quandam schedulam scriptam manu propria, & suo nomine suscriptam, & dicto Joanni Papæ directam, posteà innotuit: cujus tenor schedulæ sequitur, & duas continet quæstiones.

,, Prima quæstio. Utrum Papa Catholicus, subjiciatur Concilio Generali; ad quod, sub determinatione Sanctissimi Domini nostri Papæ dico, quòd non, rationibus sequentibus.

,, Et primò. Quia potestas Ecclesiæ ita fuit data per Christum corpori mystico Ecclesiæ militantis, & sic eam voluit ad omnium Apostolorum officium pertinere, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua, velut in corpus omne diffunderet, teste Beato Leone Papa, *in Canone: ita Dominus*, 19. *dist.* cui concordant communiter Alexander de Hales & alii Doctores sacræ Tgeologiæ: sed non reperitur testimonio authentico, quòd Beatus Petrus Apostolus, vel alius ejus in Sede Apostolica successor, aliquam Potestatem dederit præfato Concilio Generali suprà Papam: igitur præfatum Concilium, nullam in Papam habet Potestatem, & per consequens, Papa illi non subjicitur: & si impugnaretur dictus *Canon, ita Dominus*, quasi fidem non faciens, constat impugnationem hujusmodi efficaciâ carere, testimonio sacrorum Eloquiorum, de quibus habetur *in Canone, sancta Romana*, 15. *dist.* & *in Can. nulli fas*, 25. *q.* 11 & *in Canon. violatores*, & *cap. omnia*, & *ca. huic consona*, eadem causa & quæstione; in quibus Hilarius, Damasus, & Gregorius Romani Pontifices, impugnationem hujusmodi damnant, & impugnatores decernunt: quibus concordant *cap.* 1. *de institutionibus.* & *cap. si quis omnem.* & *q.* 7. & *cap. si Romani.* 29. *dist.* quinimmò cavere debent impugnatores dicti Ca. (*ita Dominus*, seu aliorum Canonum à Romanis Pontificibus editorum) à Sententia Ecclesiæ per Nicolaum Papam, in *canone, omnes.* 22. *dist.* prolata: per quam, conantes auferre privilegium Romanæ Ecclesiæ ab ipso Summo omnium Ecclesiarum capite traditum, in hæresim labi decernuntur.

,, Secundò. Quia non ab Apostolis, & sic nec à corpore Ecclesiæ, seu Concilio Generali, sed ab ipso Domino Jesu Christo, Romana Ecclesia Primatum accepit, inquit Anacletus Papa, *sed servus Christi Jesu. in Canone, Sacrosancta Rom.*

,, Tertiò. Quia Papa habet plenitudinem Potestatis 2. q. 6. *can.* 10. *Decreto*, *de usu palli.* Ergo alii etiam simul congregati illi subjiciuntur, & non ipse eis.

,, Quartò. Quia Concilia recipiunt Potestatem à Papa, & non Papa à Conciliis, *ca. significasti, de elect.* 27. *dist. per totum.*

,, Quintò. Quia ipse omnes judicat & nullus ipsum. 22. *dist. omnes.*

,, Sextò. Quia Apostolicæ Sedis Judicium, cujus authoritate majus non est, à nemine est retractandum. *in canone, patet*, 9. q. 3.

,, Septimò. Quia aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare: sed Sedis Apostolicæ Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio, ut in Canone aliorum, eadem causa, & quæstione, & concordantiis, *can. facta*, & *can. cuncta per mundum.* eadem causa & quæstione.

,, Octavò. Quia etiamsi Papa catervatim ad inferos deduceret; nullus, nisi Deus hanc culpam in hoc mundo redarguere potest: quia cunctos ipse judicaturus, à nemine judicandus est, nisi deprehendatur à Fide devius, ut in *can. si Papa.* 40. *dist.* concordant notanter per Ostien. & ejus sequaces, *ca. proposuit, de concess. praeben.* Jo. Andreas, *in ca. ad Apostolica, de re judi. lib.* 6. in prima glosa.

,, Nonò. Quia etiam quando agitur contra Papam, Concilium non potest illum judicare, sine ejus authoritate, in *ca. nunc autem.* 21. *di.* & *in ca. huic etiam* 17. *di.* quia Papa Catholicus, caput est Ecclesiæ & Christi Vicarius, ut patet in dicto *Canone. Ita Dominus. & concor.* notanter per Jo. Andr. *in Cle. ad nostram.* in glossa magna, *de haresi*: Igitur per corpus separatum ab eo (quod sine capite virtutem non habet, *ca. cum non liceat. de præscriptione*) judicari non potest, sicut nec Episcopus à suo Capitulo. Capite, Cùm, *inferior est*, *de ma. & obedi.* Nec obstant rationes quas quidam in contrarium persuadere nitun-

Digitized by Google

,, tur, ut patet ex sequentibus. Et primò. Ad primum, dùm dicitur quòd quando Petrus claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit, ut in *cap. quodcumque*, 24. q. 1. Igitur. Respondetur, illud intelligendum fore secundùm doctrinam dicti Canonis, *Ita Dominus*. 19. *dist*.

,, Ad secundum, dicitur quòd Papa subjicitur Conciliis. Ut in *c. sicut sancti*. 15. *dist*. Respondetur, illud verum esse quo ad observantiam Articulorum Fidei, & ibi notatur per glo. & ad *can. quæ ad perpetuam*. & *can. sunt quidam*. Et ad alia similia. 25. A *dist*. 1. dicitur, quòd vel loquuntur de honestate, vel referri debent ad observantiam Articulorum Fidei, & ista responsio corroboratur per notata per glossam in dicto *ca. sunt quidam*. ubi notatur quod Papa quandoque dispensat contra generale statutum Ecclesiæ, & etiam contra Apostolum, quod intelligo, quando sic dispensatio non offendit Articulos Fidei, sicut dicitur per glos. in dicto *cap. sicut sancti. nec ob non per glosato*. in *can. si duo contra fas*. 79. *dist*. ubi dùm dicitur quòd in contentione Papatus, Concilium potest esse Judex, & idem videtur sentire Hugutius & Jo. in *ca*. 1. *de renunci. lib*. 6. *in novella*: quoniam dicta opinio repugnat Juribus, sive in prima quæstione deductis, nisi prætenderetur contra contendentes schisma importans hæresim, sicut factum fuit contra Petrum de Luna, & errorum; nec obstant notata per glosatorem adducta in dicto *ca. si Papa*, quia Jura allegata per eum, non probant intentum glosatoris, extra hæresim propriè sumptam.

,, Secundò, quæritur si diffinitiones & statuta fienda in hoc sacro Concilio Generali, sub nomine Papæ, vel Concilii, vel utriusque fieri debeant: ad quod respondimus sub nomine Papæ debent, quia à Papa procedit virtus & authoritas Concilii, ut patet per jam dicta, scilicet in prima quæstione: poterit tamen addi, *Sacro approbante Concilio*, sicut antiquitùs in aliis Conciliis observari consuevit, & quòd sub nomine Papæ fieri debeant tales definitiones, *Sacro approbante Concilio*, patet in *ca. damnamus*, *ca. nos autem. de summa Trini. in antiquis*. & in *ca unico. c*. 2. *lib*. 6. & in *cap. ubi majus. de elect*. & *can. ad Apostolicæ. de re judi. ca*. 2. & *ca. uno. de summa Trini*. in *Cle*. & *ca. ad naturam. de hæreticis*. & *ca. de usuris*, in *Cle*. Item, quòd talia fieri debeant sub nomine Papæ secundùm tempora antiqua, patet in *ca. Adrianus*. 63. *dist*. 2. & in *can. in nomine Domini*. 23. *dist*. Nec obstant scripta, in quibus dicitur: *Concilium diffinit sic*, &c. Quoniam vel locum tenens cum Papa deprehenditur à Fide devius pertinaciter: nec obstat *can. nunc autem*. 21. *dist*. vel si sit Catholicus, cùm in Concilio Papa non erat, sed aliàs illis authoritatem præstabat; vel si erat, quoniam sic fieri sui humilitare permittebat, & ad hoc authoritatem præstabat; sicut factum fuit in Concilio congregato contra Symachum Papam, de quo habetur in dicto. *can. hinc etiam*. 17. *dist*. Et si dicatur quòd cùm de reformatione capitis Ecclesiæ agitur, non videtur honestum quòd Papa sit Præsidens & Judex. Respondetur, quòd alius quàm ipse, hoc casu, non potest esse Judex, juxta jam dicta in prima quæstione, nisi ex sui humilitate (quod facere non tenetur de necessitate) aliis hoc commiteret, & ad hoc authoritatem præstaret. Cessatque hoc casu doctrina illius tituli. *Ne quis in sua causa*, &c. quoniam in Papa non habet locum, ut patet in dicto *ca. si Papa*. & aliis Juribus ad hoc supra allegatis. Et hæc sint dicta sub correctione & determitatione Vestræ Sanctitatis. *Joannes Patriarcha Antiochenus, devotus orator vester*. ,,

Ex prædicta schedula sic subscripta, patet quòd sicut latet anguis in herba; sic iste inter fautores & præfatos adulatores dicti Joannis Papæ latitabat: qui eum lacte erroris nutrientes, ad exterminium deduxerunt, contra illud Psalmi. *Corripiet me justus in misericordia, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Ps. CXL. 5.

CAPITULUM IV.

TERTIÆ PARTIS.

Jure Naturali, Divino, & Canonico, Summus Pontifex subjicitur Concilio.

PRæmissam verò opinionem erroneam esse; & Politiæ Christianæ periculosissimam, satis patet ex actis in hoc sacro Concilio. Verum est tamen quòd post publicationem præcedentis capituli, præfatus Reverendus Pater, Dominus Patriarcha, in præsentia sacri Collegii se excusavit, quòd illam schedulam non scripserat determinativè, sed solùm arguitivè. Nihilominùs ad robur & confirmationem Concilii, probare intendo Jure naturali, divino, & humano, quòd Papa subest in multis casibus Judicio Concilii Generalis: & hæc declarabo ex his quæ scripsi in Tractatu quem dudùm compilavi, *De Concilio Generali*, parte secunda, circa finem: ubi B allegavi, quòd de causa Papæ non liceat subdito diffinire, vel ejus facta judicare. 9. q. 3. *can. nemo*, & Canonibus sequentibus: cujus Canonis occasione, quia ibi de Papa dicitur, *Nec ab omni Clero Judex judicabitur*, videtur aliquibus quòd Papa non possit etiam per Concilium Generale judicari. Ibi dicit glossa, super verbo, *ab omni Clero*, quòd *hic est argumentum quòd Concilium non potest Papam judicare*, *&c. ut extra*, *de elect. significasti*. Unde si totus mundus sententiaret in aliquo negotio contra Papam, videtur quòd Sententiæ Papæ standum esset, ut 24. q. 1. *can. hæc est Fides*. Sed est argumentum contra, quia *Orbis est major Urbe*. ut 83. *dist. can. legimus*. Licèt autem glossa non solvat, nec concordet hic ista contrario, tamen in eodem Ca. remittit ad Ca. *si Papa*. C 40. *dist*. ubi de hoc determinavit: ibi autem dicit textus: *Si Papa suæ & fraternæ saluti negligens, deprehenditur inutilis & remissus in operibus suis*, &c. Et sequitur: *tamen hujusmodi culpas redarguere præsumit hic nullus mortalium, quia cunctos ipse judicaturus à nemine est judicandus, nisi à Fide deprehendatur devius*, &c. & ibi super verbo *devius a fide*, dicit glossa, quòd *hoc intelligit Hugutius, cum Papa non vult corrigi. Si enim esset paratus corrigi, non posset accusari*, ut 24. q. 1. aptè cum suis similibus. Sed quærit glossa prædicta: *Quare Papa non potest accusari de alio crimine quam de hæresi?* Ponamus enim quòd notorium sit crimen ejus, vel per confessionem, vel facti evidentiam; quare non accusatur, vel de crimine simoniæ, vel adulterii? & cùm admonetur, incorrigibilis est, & scandalisatur Ecclesia per causam ejus, seu crimen. Et ad hoc respondendo, dicit glossa: *Certè credo quòd si notorium est ejus quodcunque crimen, & inde* D *scandalisetur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quòd inde possit accusari. Nam contumacia dicitur hæresis*, ut 81. *dist. Si qui Presbyteri*. & *contumax dicitur infidelis* ut 27. d. Nulla tamen hìc fit mentio specialiter de hæresi, ideòque etsi occulta esset hæresis, de illa tamen posset accusari, sed de alio occulto crimine non posset: & intelliguntur hìc crimina occulta, idest, quæ non sic sunt scandalosa, ut ex eis tota turbetur Ecclesia, juxta modum loquendi glossæ prædictæ. Et similiter intelligendus est *can. nemo*. cum suis similibus. Vel potest dici, quòd ibi illud verbum. *Nec ab omni Clero Judex judicabitur*, non capitur collectivè pro toto Clero universali, seu Concilio Generali; sed capitur distributivè, ut sit sensus: quòd à nullo Clero, id est à nulla parte, seu à nullo Collegio Cleri par-

Digitized by Google

particulari, Papa judicandus est: vel capitur ibi *omnis Clerus*, pro Collegio Cardinalium, seu toto Clero Romano, vel Romanæ Diœcesis. Ex quibus omnibus concluditur, quòd Papa potest in certis casibus per Generale Concilium judicari.

Sed contra hoc objiciunt aliqui, quod major non judicatur à minori, nec Superior ab inferiori, ut. 22. *dist. quia ejus.* Sed Papa est major & superior Concilio, quòd in Concilio Generali Papa dumtaxat judicat & definit: & si, eo non præsente, ibi aliqua statuantur, A Concilium nihil statuit, sed suadet & consulit, ut de Baptismo *cap. si* ubi dicit Papa: *Sacro Concilio suadente, districtè præcipimus.* & in *ca. ad Apostolicæ, de re judica. lib.* 6. dicitur: *de consilio Concilii.* Et circa finem: *nos namque cum fratribus nostris, & sacro Consilio nostro, deliberatione præhabita*, &c. & aliqua similia habentur in Jure, ex quibus notant aliqui Doctores Canonistæ, quòd Papa non habet necesse sequi deliberationem, seu suasionem Concilii, quare multo minùs potest ab eo judicari. Unde Jo. Andr. *in novella. in ca. significasti. de elect.* dicit super verbo *robur*: *ergo videtur standum Sententiæ Papæ, si contradicat Ecclesia, seu Concilio.*

Ad hanc autem rationem, respondetur primò; quòd Major rationis licèt regulariter sit vera, tamen B quandoque fallit. Nam Rex Franciæ qui est major & Superior in toto Regno, sæpè in aliquibus casibus judicatur, & contra eum fertur Sententia, in suo Parlamento; similiter Papa in Foro conscientiæ, à simplici Sacerdote judicatur, etiam in Foro exteriori; potest judicari ab inferiori suo, si se & sponte subjiciat. ut. 2. q. 7. *can. Nos si incompetenter aliquid egimus*, etiam ubi Leo Papa loquens Imperatori, dicit: *Vestro cuncta volumus emendari judicio.*

Secundò. Ad prædictam objectionem dicitur; quòd Minor rationis non est vera, scilicet quòd Papa est major & superior Concilio Generali, licèt sit major & superior in Concilio, cùm sit caput om- C nium membrorum: & ad hoc probandum videtur esse ratio evidens, quia omne totum sua parte majus est, loquendo de toto, respectu suarum partium integralium. Sed Papa est pars Concilii, sicut caput pars corporis; ergo totum Concilium majus est Papa, & per consequens authoritas totius Concilii major authoritate Papæ. Unde dicit Hieronymus: *Si authoritas quæritur, Orbis major est Urbe*, ubi glossa dicit: *ergo*, in *can. legimus, supra allegato, quia hìc sumitur argumentum, quod statutum Concilii præjudicat statuto Papæ.* &. 19. *dist. can. Anastasius*, dicitur quod *multi Clerici, se à communione ipsius abegerant, eo quod sine Concilio Episcoporum communicasset cum Photino hæretico.* Ubi dicit glossa, quòd *Papa tenetur requirere Concilium Episcoporum, ubi de Fide agitur*: & tunc Synodus major est Papa. ut. 15. *dist. sicut*, & 24. q. 1. *can. Achatius.* super verbo, *quicunque in hæresim damnatam labitur*, dicit glossa: *Hic est casus in quo Papa in canonem lata Sententia incidit, nec obviat regula, quia* D *par parem solvere aut ligare non potest: quia si Papa hæreticus est, in hoc minor est quolibet Catholico.* 12. q. 1. *scimus, multo magis*: ergo, minor & inferior Generali Concilio.

Tertiò. Ex his sequitur quòd illud falsum est, quod in ultimo, in illa ratione assumitur, scilicet quòd in Concilio Generali, solus Papa judicat & diffinit; quia licèt in Conciliis Generalibus communiter proferat Sententiam, tamen id fit authoritate & Concilii consensu. Nec benè concludunt illi Doctores, qui arguunt: *Concilium consulit & deliberat, ergo non definit vel judicat.* Nam contrarium expressè legitur in multis locis Libri Conciliorum, & etiam Decreti, & Decretalium, ut suprà allegatum est in capite. 2. tertiæ partis.

Quartò. Dicitur ad confirmationem prædictæ solutionis, quòd illi qui, ut præmissum est, sic deprimunt authoritatem definitivam Conciliorum, exaltando & magnificando authoritatem Summorum Pontificum, non solùm docent contra Jura humana præallegata, sed etiam contra divinum. Nam in primo Concilio celebrato Hierosolymis, de quo habetur *Actuum.* xv. 19. Jacobus qui erat Episcopus Hierosolymitanus, etiam præsente Petro, protulit Sententiam: Unde ibi dicit, *Propter quod ego judico non inquietari eos, &c.* & ibidem scripta est Epistola, cujus initium est. ℣. 23. *Apostoli & seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ, &c.* sequitur ℣. 25. *Placuit nobis collectis in unum eligere viros &c.* sequitur ℣. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil ultra imponere, &c.* Ex quibus omnibus patet, quòd authoritas deffiniendi, seu determinandi in Concilio, non ibi attribuitur Petro, quamvis esset caput Ecclesiæ, sed toti Concilio Apostolorum, & seniorum, quorum consensu lata est & publicata Sententia.

Quintò. Ex his concluditur, quòd authoritas & determinatio Concilii attribuenda est determinationi Spiritus sancti; quia ibi dicitur, *Visum est Spiritui sancto & nobis, &c.* cui concordat quod dicitur, 25. q. 2. *can. igitur*, ubi dicit Leo Papa. *Sanctorum Patrum Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos.* Et hinc trahitur secundùm aliquos, quòd Concilium Generale non potest errare in his quæ sunt Fidei: quod etiam probatur ex illo verbo Christi, Petre *Rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*, Luc. xxii. 32. quia hoc non est dictum de Fide personali Petri, cùm ipse erraverit, sed de Fide Universalis Ecclesiæ, quæ repræsentatur in Concilio Generali: de qua Ecclesia, etiam ibi dictum est: *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*, Marc. xvi. 18. scilicet Ecclesiam: non enim dictum est adversùs te, scilicet Petrum. Ex quibus patet, quòd Concilii Judicium præferendum est Judicio Papæ, cùm ipse, in his quæ Fidei sunt, possit errare, sicut & Petrus, de quo dicit Paulus, ad Gala. ca. ii. 11. quòd ei restitit *in faciem, quia reprehensibilis erat*, non rectè ambulans ad veritatem Evangelii &c. Tamen, secundùm aliquos, hoc est speciale privilegium Universalis Ecclesiæ, quæ non potest errare in Fide, licèt hoc idem piè credatur de Concilio Generali, videlicet quando innititur divinæ Scripturæ, vel authoritati quæ à Spiritu sancto inspirata; aliàs sæpe errasse legitur.

Ex his sextò infertur, quòd quamvis Papa concedatur esse caput Ecclesiæ, tamen hoc est sub principali & essentiali capite Christo: & ideò subordinatio corporis Ecclesiæ ad Papam, est solùm accidentalis, sed essentialis ad Christum, à quo immediatè habet authoritatem, & illud privilegium quòd non potest errare in Fide; quod privilegium non habet à Papa: & ideò, licèt authoritas Papæ, in illis quibus non errat, sit à Jure divino immediatè, juxta verbum Christi, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c.* Matth. xvi. 18. tamen ex hoc non sequitur, sicut aliqui volunt concludere, quòd reliqua authoritas, & tota Potestas Ecclesiæ, sit à Papa immediatè. Nam hoc potest multiplicem pati calumniam:

Primò. Quia authoritas Sacerdotalis, quæ quantùm ad Potestatem Ordinis sacramentalis, major est in Ecclesia, non immediatè derivatur à Papa: cùm stet aliquem esse Papam, & non Sacerdotem, & per consequens, tunc non posset conferre Ordinem sacerdotalem.

Secundò & magis ad propositum. Quia nullo etiam existente Papa, habet Ecclesia multiplicem Potestatem tàm Ordinis, quàm Jurisdictionis, quæ tunc non dependet, nec derivatur à Papa.

Tertiò. Hanc authoritatem habet Universalis Ecclesia, ut dictum est, quòd in Fide errare non potest: & hoc nec mediatè nec immediatè à Papa dependet, quia id non habet.

Ex quibus omnibus sequitur, quòd Potestas, seu authoritas Ecclesiæ immediatè est à Christo, & non

Digitized by Google

à Petro; & hoc notatur in verbo Christi: quia non dixit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram* ædificabis *Ecclesiam*, sed *ædificabo*. Nec dixit Ecclesiam tuam, sed *Ecclesiam meam*. Item ad hoc facit, quod Augustinus ait: *Lib. de agone Christiano cap.* 22. ubi dicit, quòd *Claves regni cœlorum omnibus data sunt, cùm Petro data sunt; & quod ei dicitur, ad omnes dicitur.*

Septimò. Ex hoc verbo & aliis præcedentibus, infertur, quòd Ecclesia debet obedire Petro, & ejus Vicario, tanquam capiti suo, in his quæ pertinent ad Ecclesiæ ædificationem, & non ad ipsius destructionem: quod etiam expressè probat Apostolus. II. *ad Chorinth. cap.* x. 8. ubi ait, *Nam si amplius gloriatus fuero de potestate nostra*, *quam nobis dedit Dominus, in ædificationem, & non in destructionem*: & ibidem, cap. ultimo, ℣. 10. *Ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem quam Dominus dedit mihi, in ædificationem, & non in destructionem*: & ideò ubi Papa utitur Potestate sua, in ædificationem Ecclesiæ, multa spiritualia privilegia habet quæ sibi soli competunt, quæ in *Cap. Cùm ex generali privilegio. De translatione Episcoporum*, notat glossa, sed *hæc privilegia non habet Papa, in destructionem Ecclesiæ.* ut 25. q. 2. *can. si ea destruerem.*

Octavò. Ex omnibus præmissis concluditur, quòd tàm de Jure humano quàm divino concedendum est, Papam posse ab Universali Ecclesia, vel à Generali Concilio eam repræsentante, in multis casibus judicari, & condemnari, & ab eo ad Concilium in multis casibus posse appellari, videlicet in casibus Ecclesiæ destructionem tangentibus. Et hoc universaliter ex præmissis probatur, & ratione: quia aliter, sequeretur ipsum Christum, verum & supremum caput Ecclesiæ & institutorem ejus sapientissimum, eam non perfectè sufficienter ordinasse, quod est hæreticum & contra illud Deuteronomii, XXXII. 4. *Dei perfecta sunt opera.* Patet per contrarium, quia illa Communitas non est sufficienter ordinata, quæ perditioni suæ, & demolitioni publicæ non potest occurrere. Sic esset de Ecclesiastica Politia, in casu quo Papa per hæresim manifestam, & tyrannidem apertam, aut aliud notorium crimen, conaretur eam subvertere, & nemo ei dicere posset: *Cur ita facis?* per viam Juris eidem resistendo, idest ab eo appellando, eum accusando, & per Concilium judicando: hoc esset Papæ concedere Potestatem non in ædificationem, sed in destructionem, quod est contra præmissam sententiam Apostoli, quam non solo verbo docuit, sed exemplo firmavit, quando scilicet *Petro restitit in faciem*, ut dictum est: Ubi considerandum, quòd licet Petrus à Paulo fuerit reprehensus, & rationabiliter reprehensibilis, quia scilicet *non rectè ambulabat ad veritatem Evangelii*: tamen nec ex textu, nec glossa apparet, quod Petrus fuerit hæreticus, nec erraverit, errore hæresis: quare simpliciter Papa in aliquibus casibus, ubi non est hæresis, potest reprehendi & corrigi. Nec oppositum sufficienter probant aliqui, ex illis capitulis suprà allegatis, scilicet ex *can. Omnes.* & *can. Si Papa*, imò magis sequitur propositum ex illis verbis, *Nisi à recta Fide exorbitaverit, & nisi deprehendatur à Fide devius*: quia tunc semper Papa à recta Fide exorbitat & deviat, quandocunque non rectè ambulat ad veritatem Evangelii, cùm veritas Evangelii sit recta Fides. Sed hoc potest contingere in multis casibus aliis, quàm in casu hæresis, sicut in illis in quibus scandalosè turbaret & manifestè destrueret Ecclesiam, & per consequens, in illis posset corrigi, accusari, & judicari.

Et si quæratur: si Papa in his casibus recuset judicari, Concilium quid faciat? Respondetur, quòd in hoc casu, si hoc recuset, sufficienter requisitus, faciendum esse sicut si, Sede vacante, similis occurreret necessitas. Et ad hoc est evidens ratio, quia nisi vacante Sede, vel etiam renuente, Concilium celebrari posset, & per Ecclesiam remedium adhiberi, sequeretur quòd Ecclesia non haberet sufficientem fœcunditatem & fœcundam virtutem, ad se conservandum & continuandum, & sic posset penitùs deficere Politia Christiana, quod est contra dictum Christi, *Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Matth. XXVIII. 20. Et tamen patet consequentia: quia si nullo existente Papa, Cardinales obstinati essent, nec vellent eligere, vel in Ecclesia seditionem facere vellent, & eam hostiliter perturbare; vel si à nova electione essent à Principibus tyrannis impediti, aut carceraliter detenti, vel omnes mortui; vel si Papa & Cardinales fierent hæretici manifesti, constat quòd si in talibus, vel similibus casibus residuum Christianitatis (quod tunc esset Ecclesia) non posset Concilium facere, & novum Papam & alium Clerum eligere, & contra casus prædictos, aut similes salubriter providere, necesse esset perire & deficere Ecclesiasticam Politiam. Quapropter, consequens est, ut ad obviandum tanto discrimine, quòd concedatur Universalem Ecclesiam posse authoritate Christi Generale Concilium in prædictis casibus congregare, cui concordat illud dictum Christi, *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio illorum sum*, Matth. XVIII. 20. In qua authoritate considerandum est, & super omnem authoritatem Juris humani ponderandum quod ait Christus. *In meo nomine*: non ait in nomine Petri, vel nomine, seu authoritate Papæ; sed *In nomine meo*, quod est nomen Jesu, idest Salvatoris & salutis, juxta aliud ejus simile dictum, *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo*, id est, quicquid pitieritis pertinens ad salutem: ex quo datur intelligi, ad salutem Ecclesiæ, posse congregationem ad salutem fidelium fieri, si illi ad quos regulariter pertinet, non possint, aut velint hoc exequi. Sed quod in dicto Cap. *significasti.* dicitur, quòd *Ecclesia Romana nulla Concilia Legem præfixerunt*, & quòd *in eis & eorum statutis, Romani Pontificis excipitur authoritas*: respondetur, quòd hoc, cum suis similibus, regulariter, & in pluribus verum est; sed tamen in aliquibus fallit, quæ particulariter declarare non est præsentis Operis: in casibus autem præmissis, manifesta est instantia, sicut ratione, & divina authoritate probatum est. Prædicta autem omnia, quæ breviter in hoc capitulo dicta sunt, in prælegato Tractatu pleniùs declarantur.

Hæc igitur ad decem capitula in Prologo hujus Operis proposita, mihi pro responsione videntur sufficere; quæ tamen non deffinitivè determinando, sed doctrinaliter suadendo posita sunt: nam hujus rei definitionem sacri Concilii determinationi submitto. Offerens nihilominùs ad veritatis elucidationem, me illis qui contra præmissa opponere voluerint responsurum.

Explicit quidam Tractatus Petri de Alliaco, de Potestate Papæ, & Authoritate Cardinalium, factus per eum in Concilio Constantiensi, post depositionem Joannis Papæ XXIII.

JACOBI

Digitized by Google

JACOBI ALMAINI
Doctoris Parisiensis
QUÆSTIO RESUMPTIVA,
Agitata in Vesperiis
MAGISTRI LUDOVICI BER,
Qui primum habuit locum Licentiæ suæ. Anno 1512.
DE
DOMINIO NATURALI, CIVILI, & ECCLESIASTICO.



OST ingeniosam quæstionis decisionem Magistrorum nostrorum expectativam, necnon ornatam præstantissimi Magistri nostri terminorum interpretis expositionem, mihi incumbit ad quæstionem propositam pro viribus respondere. Præsuppositis igitur protestationibus per me aliàs factis, pono tres Conclusiones.

Conclusio Prima.

Dominium naturale, quod homini convenit ex dono Dei, simpliciter est inabdicabile, quantùm ad cuncta; similiter & quantùm ad certam speciem cibi & potus in omni eventu: cui dominio, post peccatum, conveniens fuit superaddere dominium civile proprietatis, similiter & Jurisdictionis; quo fungentes, executionem gladii materialis habent, à quo Ecclesiastici, Jure divino, minimè eximuntur.

An liceat homini seipsum fame, aut gladio interimere.

PRima hujus Conclusionis Pars est, quòd *Dominium naturale hominibus competit ex dono Dei.* Pro cujus probatione supponitur, quòd dominium naturale est facultas, seu potestas propinqua assumendi res inferiores ad sui sustentationem, secundùm dictamen Legis naturalis. Lege enim naturali quilibet tenetur se conservare in esse: ex qua obligatione, in quolibet oritur potestas res inferiores sumendi in usum, ad sui conservationem; quæ potestas dominium naturale vocatur, cujus titulus est *Necessitas*; de quo dominio dicitur: *In necessitate omnia sunt communia*, & istud dominium quoscumque Dominos simul compatitur. Ad istud dominium, apud quosdam, pertinet potestas alterum invadentem occidendi, *servato moderamine inculpatæ tutelæ.* Huic dominio, nullum Jus humanum derogare potest, cùm Jure inferiori non abrogetur Jus superius. Ex istis sequuntur aliqua corollaria.

Corollarium Primum.

A Non obstante quacumque appropriatione facta Sorti per Jus positivum, si aliqua res sit necessaria ad conservationem Sortis, similiter & Platonis, & Plato eam priùs occupaverit, licitè potest eâ uti; quia seclusa appropriatione facta Sorti per Jus positivum, Plato ad hoc fuisset obligatus Jure naturæ. Nec æstimo probabile quod dicit Armachanus, quòd Plato fuisset obligatus dare dimidium Sorti, quamvis sequeretur utriusque mors. Sed Jus positivum, per quod facta est appropriatio Sorti, Juri naturali non derogat. Igitur, &c. Hujus sententiæ est Petrus de Palude, Dist. 15. Lib. 4. Sentent. ubi dicit quòd *Melior est conditio possidentis.* Oppositè Scotus, in eadem Distinctione.

B

Corollarium Secundum.

Contra Armachanum est, quòd istud Dominium non fundatur in charitate; absurdum enim foret dicere, quemlibet utentem cibo & potu in sublevationem suæ necessitatis, novum incurrere crimen: aliàs tanta requireretur probatio ad sumendum potum aut cibum corporalem, sicut ad sumendum Corpus venerabile Christi.

C

Corollarium Tertium.

Non potest aliquis per Sententiam cujuscunque Judicis, ob quamcumque culpam, hoc dominio privari, ita, quòd ei subministrato cibo & potu, non foret licitum uti ad sui conservationem. Istud Corollarium est de mente sancti Thomæ 2. 2. quæst. 69. Artic. ultimo; in solutione 2. argumenti, ubi sic dicit: *Nullus ita condemnatur, quòd inferat sibi mortem, sed quòd ipse patiatur; & ideò non tenetur facere illud unde mors sequatur:* & statim subjungit sic: *etiam si aliquis sit*

Digitized by Google

sit condemnatus, ut fame pereat, non peccat, si cibum sibi occultè subministratum sumit; quia non sumere, esset seipsum occidere.

Corollarium Quartum.

Contra Jus naturale facit, habens superfluum, respectu naturæ, (licet non respectu status) non communicans alteri quem cognoscit pati indigentiam, respectu naturæ.

Istud corollarium videtur esse contra sanctum Thomam 2. 2. quæst. 32. Artic. 6. Similiter in 4. Sent. Distinct. 15. & ratio corollarii est, quia status quilibet est de Jure purè positivo, quod Juri naturæ derogare non potest. Hujus sententiæ est Durandus in 4. Dist. 15.

Istis præmissis, probatur ista prima pars per illud quod scribitur, Genes. I. 29. *Ecce dedi vobis omnem herbam adferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis semen generis sui, ut sint vobis in escam.* Ex quo sequitur corollariè, quòd Deus hominem hoc dominio naturali privare potest: quicquid enim dat Deus ad extra, merè contingenter dat. Unde etiamsi præcepit Sampsoni per interiorem revelationem, ut evulsis columnis faceret domum ruere, quamvis ad hoc sequeretur mors ejus; eadem ratione præcipere potest, ne quis comedat & bibat, quamvis sequatur mors.

Secundò. Sequitur probabilitas opinionis Durandi, in Tractatu, *De Legibus*, quòd existentibus duobus, meliori & minus bono, quibus præsens est aliquid præcisè quod tantùm sufficit ad alterius sustentationem, debet minus bonus meliori cedere, quamvis illud industriâ minus boni sit acquisitum, quia magis bonus habet magis de bonitate veri dominii supremi, cùm eum magis Deus diligat. Etiam cùm ista inferiora sint facta propter hominem, tanquam minus perfecta, propter magis perfectum, erunt magis facta, propter magis perfectum hominem, quàm propter minus perfectum. Et consequenter deducitur probabilitas opinionis Sancti Thomæ, quòd aliquis potest sibi subtrahere simpliciter necessarium ad sui conservationem, ut det magnæ personæ, à qua dependet Respublica Civilis aut Ecclesiastica.

Secunda Pars est: quod est simpliciter inabdicabile, est similiter quantùm ad certam speciem: proinde in omni eventu non licet homini seipsum interficere, nec positivè, omittendo scilicet id quod est necessarium ad sui conservationem. Nam si abdicaret in omni eventu hoc dominium, quantùm ad certam speciem; seipsum interficeret interpretativè in aliquo casu, scilicet si necessariò indigeat cibo, & nihil sit illi præsens, præter illud comestibile. Hujus opinionis est Dominus Armachanus in suo 2. Lib. *De Paupertate Christi*, Cap. 25. Ex quo sequitur Carthusiensem posse comedere carnes, si nihil sit aliud præsens, & si egeat cibo: & hoc deducit Panormitanus in Ca. *Si verò. De jurejurando*: nolim tamen negare, si immineret scandalum, debere potiùs mortem sufferre, juxta illud Pauli: *Si scandalizavero fratrem meum, non comedam carnes in æternum*, I. Cor. VIII. 13. Secundum Corollarium est; contra Legem naturæ faciunt, qui in tantum vacant abstinentiæ, ut vitam suam notabiliter abbrevient.

Jus gladii concessum esse Reipublicæ, ad sui conservationem.

Tertia pars Conclusionis est, quòd conveniens fuit tam dominium civile proprietatis, quàm Jurisdictionis superaddi dominio naturali. Pro cujus probatione: quælibet Communitas aliquorum ad invicem conversantium, est velut unum corpus, cujus singuli alter alterius sunt membra, juxta dictum Pauli, ad *Rom.* XII. Secundò, supponendum est, quòd in illa Communitate Jure naturali est potestas quædam, qua licitè illos, quorum vita est in perturbationem ejus, potest à corpore præscindere, etiam per mortem; & istud deducitur à priori, ex ratione sancti Tomæ. 2. 2. q. 65. Articulo I. *Omnis*, inquit, *pars ordinatur ad totum cujus est pars, velut imperfectum ad perfectum: & si saluti totius corporis expediat abscissio alicujus membri, putà, quia est putridum, aut cæterorum corruptivum, laudabiliter absciditur.* Cùm ergo quælibet persona singularis comparetur ad totam Communitatem sicut pars ad totum; ideò, si aliquis sit perniciosus Communitati, & ipsius corruptivus, laudabiliter occiditur à Communitate. Et probatur idem à posteriori; quia cùm Communitas det Principi auctoritatem occidendi, sequitur quòd est prius in Communitate, & non ex datione cujuscumque alterius, nisi dicatur Dei: ergo in ea est illa potestas naturalis. Prima consequentia tenet per illud: *Nemo dat quod non habet.* Et si dicatur: Curatus non Presbyter dat suo Vicario potestatem absolvendi quam non habet; istud negatur, quia solùm dat Jurisdictionem quam habet.

Corollarium Primum.

Ex isto primò sequitur corollariè, quòd potestas occidendi, quantùm ad institutionem, non est positiva, quamvis sit positiva quantùm ad communicationem certæ personæ, ut puta Regi, aut certis personis de Communitate, paucis, aut pluribus, qui eam regant aristocraticè, aut timocraticè: quia cùm hoc Præceptum, *Non occides*, Exod. XX. 13. sit de Jure naturali, nisi ab eo per Jus naturale aliquis casus exciperetur; per Jus positivum quodcumque, saltem humanum, excipi non posset, cùm humana potestas (ut singulis certum est) super Jus naturale non existat. De divina autem inter Doctores est dubium.

Corollarium Secundum.

Nulla Communitas perfecta hanc potestatem à se abdicare potest, sicut nec singularis homo potestatem quam habet ad se conservandum in esse.

Corollarium Tertium.

Princeps non occidit auctoritate propria, nec illam potestatem potest ei conferre Respublica. Hinc dicit Gullielmus Parisiensis, quòd dominium Jurisdictionis Principum est solùm ministeriale, in ordine ad Communitatem, sicut dominium Sacerdotis, respectu remissionis peccatorum, est solùm ministeriale, in ordine ad Deum.

Corollarium Quartum.

Non potest renunciare Communitas potestati quam habet super suum Principem ab ea constitutum, qua scilicet potestate eum (si non in ædificationem, sed in destructionem regat) deponere potest, cùm talis potestas sit naturalis: & istius sententiæ est glossa. 23. q. 3. Can. *Ostendit*, ubi dicit: *Populus habet Jurisdictionem, licet dicat Lex, quod eam transtulit in Imperatorem.* Nam si civitas, vel populus non haberet Jurisdictionem; quare puniretur propter delictum Judicis? 23. q. 2. Can. *Dominus*, ubi dicitur sic: *Gens & civitas petenda est bello, quæ vel vindicare neglexit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injurias ablatum est*: non enim punienda foret civitas, nisi Jurisdictionem haberet ad compellendum. Et ex istis sequitur, quòd non est dabilis, in quocumque casu naturaliter, Monarchia purè Regalis, capiendo Monarchiam purè Regalem, [illegible] istis

istis diebus, quando unicus præest, & nullus subest: nam apud Philosophum, non ita capitur Politia Timocratica, sicut ipse capiebat.

Corollarium Quintum.

Quòd falsissimum est illud Scoti. q. 3. Dist. 15. quòd non licet quemquam occidere, authoritate publica, nisi in casibus exceptis à Deo ab isto Præcepto, *Non occides.* Exod. xx. 13. si intelligat de exemptione facta per Jus positivum divinum, qualia erant Judicialia Veteris Testamenti (prout videtur prætendere:) quia tunc ante Legem Moysi non licuisset quemquam interficere, cùm tunc nullum esset adhuc Jus positivum, & in Lege Evangelica non liceret quemquam interficere, saltem nisi pro homicidio, quia Judicialia antiquæ Legis sunt revocata, & nullus casus videtur exceptus in Lege Evangelica, nisi dicatur homicidium fuisse exceptum, Matth. xxvi. 52. ubi dicitur: *Omnes enim qui gladium acceperint, gladio peribunt.* Si verò intelligat de exemptis à Deo per Jus naturale, non facio difficultatem; sed tunc nulla erit ejus probatio, ad probandum quòd pro simplici furto non licet quemquam interficere.

Istis suppositis, probatur illa Pars. Si enim res singulis Communitatis non appropriarentur, sed remanerent communes, cultura earum negligeretur: quia, quod commune est negligitur, & corpore fortiores à debilioribus cuncta auferunt. Ergo conveniens fuit superaddere dominium civile proprietatis.

De dominio Jurisdictionis probatur; quia Communitas regulariter facilè congregari non possit (penes quam residet naturalis authoritas malos coërcendi & unicuique particulari supposito Jus dicendi ad pacificam cohabitationem) congruum fuit, ut eam delegaret alicui, aut aliquibus, qui facile congregari possent.

Utrum Ecclesiastici sunt Jure Divino, exempti à Jurisdictione Civili.

ULtima Pars est quam non assertivè propono; sed solùm probabiliter, & inquirendæ veritatis gratiâ; etiam causâ conferentiæ cum doctissimo viro Magistro Roberto Jacquinot in sacra Theologiæ Facultate Licentiato meritissimo, necnon venerabilis Collegii Bellovacensis vigilantissimo Primario; nempe, quod Ecclesiastici à Jurisdictione coactiva civili, non Jure divino eximuntur.

Et primò probatur ex illo Pauli ad Rom. xiii. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et quòd per Potestates seculares intelligat Principes seculares, ex sequentibus manifestè apparet. ℣. 3. *Nam Principes, non sunt timori boni operis, sed mali.* Et iterum, ℣. 4. *non enim sine causa gladium portat.* Et quòd ista subjectio non sit solùm ad vitandum scandalum, patet iterum ex sequentibus. ℣. 5. *Ideoque necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

Secundò probatur, & apparenter, exemplo Beatissimi Pauli, *Actuum* xxv. ubi refugiens Judicium coactivum Sacerdotum, dicit: *ad tribunal Cæsaris appello, ibi oportet me judicari, Judæis non nocui; si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori, & iterum Cæsarem appello*: glossa interlinearis: *Quia ibi est locus Judicii.* Ergo refugiens Judicium Sacerdotum, confessus est se Jurisdictioni coactivæ Cæsaris fuisse subjectum: sed, credendumne est Apostolum fictè dixisse, *à quo oportet me judicari*, aut metu mortis? quia jam pro veritate mori elegerat, ipso teste, dum dixit: *Ego enim non solùm alligari, sed & mori paratus sum in Jerusalem, propter nomen Domini nostri Jesu Christi.* Act. xxi. 13. Multæ sunt aliæ authoritates, quas brevitatis causâ omitto, & probo ratione.

Si per hoc, quòd homo consecratur in Sacerdotem (de simplici tonsurato facio difficultatem) efficeretur Jure divino non subjectus Principi; sequeretur, quòd nullus veniret ordinandus, nisi ex licentia Principis. Consequens est falsum & absurdum; patet sequela. Ante Ordinationem Princeps habet aliquod Jus in istum hominem, quo, etiam ipso invito, privatur per Ordinationem ex parte opposita: sed nullus Jure suo, nisi ex consensu proprio, aut culpa, pro qua à Superiori privari potest, debet privari. Hinc est quòd Episcopus ordinans servum despoticum, sine consensu Domini, tenetur Domino ad restitutionem.

Secundò. Si Jure Divino sit exemptus, eo quòd Presbyter; ergo per quamcumque degradationem non potest fieri laïco Principi subjectus, & per consequens, nec à laïco justè judicari, cum ad justum Judicium subjectio requiratur. Patet sequela. Cum enim Jure divino sit exemptus, & Jure divino prohibitus erit Principi usus gladii in Sacerdotem, sed tota Ecclesia Jus divinum immutare non potest; ergo non potest per quamcumque degradationem, aut Sententiam humanam, subjici Judicio, sicut nec non Sacerdos fieri.

Sententiæ oppositæ videtur esse Innocentius III. in cap. *Solitæ. De majoritate & obedientia*, dicens: quod autem dicitur *ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, intelligendum non est, quòd Rex vel Imperator super bonos & malos gladii acceperit potestatem; sed solùm in eos, qui utentes gladio, ejus Jurisdictioni sunt commissi: & ejusdem sententiæ cum Innocentio est Panormitanus, in eodem Cap. 6. notabili: similiter ultimo Cap. *de Foro competenti*, ubi dicit, quòd *Privilegium datum Ecclesiasticis, non fuit alicujus novi collatio; sed tantummodo Juris declaratio.* Idem tenet Glossa in Can. *Si Imperator.* 96. distinct. ubi sic dicitur: *Antequam esset aliqua Constitutio, Clerici non erant de Jurisdictione laïca: unde omnes Constitutiones quæ emanarunt non sunt nisi declaratio.* Et Carlerius copiosum Tractatum ea de re edidit contra Bohemos. Nihilominùs Gullielmus Occam, Marsilius de Padua, & Joannes de Parisiis, dicunt hoc esse privilegium, & fuisse datum tempore Julii I. adhuc vivente Constantino Magno: unde refert Platina, ipsum fuisse primum, qui prohibuit Ecclesiasticos litigare coram Judicibus laïcis.

Notandum est tamen circa hanc partem, quòd Principes laïci non possunt jam hoc Privilegio Ecclesiasticos privare, quia nullus potest alterum ob quamcumque culpam, aliqua libertate sibi competente privare, nisi in eum habeat Jurisdictionem, cum privatio talis, actus sit Jurisdictionis. Sed Principes laïci in Ecclesiasticos jam nullam habent Jurisdictionem, saltem quantùm ad eorum personam, cùm eam quam priùs habuerunt à se abdicaverint: ergo libertate donata eos privare non possunt. Similiter Ecclesiastici nunquam Principibus laïcis fuerunt subjecti, quantùm ad ea quæ eis Jure divino competunt, ut sunt Sacramentorum administratio, & decimarum susceptio: hæc materia amplissimum requireret Tractatum.

Conclusio Secunda.

DOminium Ecclesiasticum, seu Evangelicum, à puro homine non est instituibile, quo cuncti Fideles coërceri possunt, nec aliquis eximi potest Fidelis, sed infideles tantùm: & à Regali dominio immutabile est in Aristocraticum aut Timocraticum, & ex institutione divina, nullam habet in temporalibus Jurisdictionem annexam.

Digitized by Google

Potestas Ecclesiastica ab hominibus institui non potest. Et de plenitudine Potestatis Papæ.

PRima Pars Conclusionis est, quòd Dominium Evangelicum, seu Ecclesiasticum supremum, non est ab homine puro, nec ab hominibus instituibile. A Pro cujus probatione supponitur hîc, quòd non loquimur de dominio quod habent Ecclesiastici super peccata in Foro secreto & pœnitentiali, cujus actus non potest exerceri in invitum: sed loquimur de Dominio quod respicit Forum exterius & publicum, & est Potestas à Christo immediatè instituta, ad coërcendum fideles ad vivendum secundùm Leges Evangelicas, pro consecutione felicitatis æternæ, & hæc Potestas potest exerceri in invitum.

Ad quos autem actus se extendat hæc Potestas, tanta est apud Doctores controversia, ut nimis confusa sit materia, ita ut, his temporibus (ut dicit Gulielmus Occam) summè necessarium foret, quòd per sapientes, juramentis & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctatos, declararentur quæ spectant ad plenitudinem Potestatis, quam Ecclesia noscitur obtinere. Quidam enim eam ita ampliant, forsitan adulationis causâ, ut Beneficia & Privilegia obtineant, B ut omnis absorpta videatur Principum Potestas: ceteri verò, ex adversa parte, forsan ut Principibus adulentur, eam tantùm arctant, ut Principum secularium voluntati subjiciant; ut Marsilius de Padua, dicens neminem posse excommunicari ab Ecclesiastico Judice, nisi ex Principis consensu, ut videre est in suo Libro qui *Defensorium Pacis* intitulatur.

Aliqui eam extendunt usque ad dissolutionem Matrimonii rati & non consummati, ut gloss. in cap. *quod votum. De voto & voti redemptione* Lib. 6. Similiter gloss. in cap. *ex publico. De conversione conjugatorum*, ubi ponit hanc propositionem, meo judicio, periculosissimam & condemnandam, quòd *Summus Pontifex posset statuere, quòd per secundum Matrimonium rumperetur primum*. Ejusdem sententiæ est Panormitanus, in eodem cap. Similiter Magister Thomas de Vio Cajetanus, in Opusculis nuper impressis: sed hoc est contra verbum Christi, Matth. XIX. 6. *Quod Deus conjunxit, homo non separet; nisi fornicationis causâ.* ℣. 9. Hoc C prætereà est contra substantiam Sacramenti Matrimonii, quod est vinculum indissolubile; nec verisimile est, si dissolvi posset per hominem, quin ex sacris Literis hoc posset comperiri, sicut de Matrimonio inter infideles alterâ partium ad Fidem conversâ: nec significat Matrimonium istud ratum & non consummatum, præcisè unionem Dei ad animam, nec etiam ad Ecclesiam, quæ est inseparabilis. Et si alleget aliquis, quòd tale Matrimonium ex Jure purè positivo dissolvitur, per votum solemne castitatis, ad minus per ingressum Religionis, hoc negat de Palude, *distinct.* 27. 4. *Sent.* sed ex Jure divino, quod ex Traditione Ecclesiæ habemus.

Aliqui eam extendunt ad dispensandum contra Jus naturale, ut glossa, in Ca. *auctoritatem.* 15. q. 6. Alii, contra prohibitionem Dei dicunt posse dispensari, ut Angelus in Summa, super isto termino, *Papa*, sed hoc in iis quæ non sunt primaria Legis naturæ prin- D cipia, ut sunt quidam gradus consanguinitatis à Lege divina prohibiti, & allegat ex Archidiacono Florentino factum Martini V. Ejusdem est sententiæ Panormitanus, cap. *per venerabilem*, *qui filii sunt legitimi*; & quòd falsum sit istud, manifestè patet; quia non potest subditus alicui Legi, in illam Legem, nec inferior in Legem Superioris, qualis est Papa in ordine ad Legem Dei, & Legem naturæ: & mirum est, quòd tales eum ab illis etiam Legibus non absolvant.

Aliqui verò hanc Potestatem extendunt ad auferendos minores Prælatos sine causa rationabili, & Juris ordine non servato, ita quòd tunc tenet Sententia, ac si esset justa, & eo facto, quo placet Summo Pontifici, depositus est, quamvis ita faciendo peccet, ut Petrus de Palude, Tractatu suo, *De Ecclesiastica Potestate*, Art. 5. & Artic. 6. dicit unum quod est mirandum, quòd Rex non potest deponere vasallum ut alterum instituat, imò, si deponat, non tantùm peccat, sed etiam nihil facit. Papa autem, si destituat magis bonum sine causa, & loco ejus ponat minùs bonum, licèt peccet, tamen institutio tenet. Si autem minùs bonum destituat, ut ponat magis bonum, tenet institutio & non peccat. Quæ profectò sententia est igne digna, cùm constet Prælatos, & Titularios verum Jus habere, quo nullus, invitus, sine causa rationabili privari potest: ista tamen potestate absoluta visus est uti Sanctissimus Pater modernus, in Prælatos nostros, ut infra patebit.

Aliqui verò ad infideles eam protendunt, ita, quòd per eam ad Præcepta Legis naturæ saltem compelli possint, ut Panorm. in Cap. *novit. De judiciis*: cujus oppositum satis habetur ex Ca. *gaudemus*, *De divortiis*, ubi dicitur eos Constitutionibus Canonicis minimè arctari, juxta illud Apostoli: *Quid enim ad nos de his, qui foris sunt, judicare?* 1. Cor. V. 12.

Aliqui ad peccata secretissima, putà peccata cordis, extendi putant, ita quòd pro eis homines ligari excommunicatione possint, ut gloss. *In Clementina. De hæreticis.* Sed hoc est fermè adversum omnibus Doctoribus, dicentibus ea peccata Judicio Dei reservata, *de pœnitent.* Dist. 1. C. *Cogitationis pœnam nemo patiatur ab homine*, inquit glossa, *sed benè à Deo*; & hoc patet per Ca. *mandato. De Simonia*, & Ca. *Tua nos*; & per parabolam Salvatoris, *Matth.* XIII. qua prohibentur crimina eradicari Censura excommunicationis, sub nomine zizaniæ, quando à frumento dignosci non possunt. Et hoc non potest Ecclesia apud Durandum, in 4. Dist. 13. non solùm propter defectum cognitionis, sed propter defectum Jurisdictionis.

Non videtur mihi insuper hæc Potestas ad eos qui sunt in Purgatorio extendenda, cùm ubicunque in Evangelio fierent promissa aut collata, dictum sit, *Quodcunque ligaveris super terram*, Matth. XVI. 19. aut *quodcumque solveris super terram. Quæcumque ligaveritis super terram, & quæcumque solveritis super terram*, Cap. XVIII. 18. & nunquam de iis qui è vita decesserunt facta est mentio: & ex hoc sequitur, quòd non possunt animæ in Purgatorio existentes à pœna solvi per Indulgentiarum largitionem, sed benè per Suffragia, & hoc optimè deducit Carlerius, in Tractatu quem fecit de ista materia.

Alii verò hanc Potestatem nimis restringere videntur: dicunt enim eam non extendi, nisi ad peccata commissa in rebus purè spiritualibus, junctâ contumaciâ, ut putà, quæ sunt Evangelio propria, ut putà peccata commissa contra Articulos Fidei, & Sacramenta; non autem ad peccata quæ sunt contra Legem naturæ. Et hujus sententiæ videtur esse Guillielmus Occam, circa finem sui Dialogi, & Joannes Gerson, Lectione 4. *De vita spirituali animæ.* Veruntamen videtur mihi satis conformiter ad textum Evangelicum, ad quæcumque mortalia manifesta, quibus juncta est contumacia, hanc Potestatem extendi, ita quòd per eam contumaces ligari possint. Nam *Matthæi* XVIII. 15. ubi instituta est hæc Potestas dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. ubi non distinguit Christus de his peccatis, vel illis; sed universaliter de singulis peccatis mortalibus loquitur, & statim subjungit denunciandum esse Ecclesiæ, cum ad charitativam correctionem aliquis non vult emendari: & iterum, ℣. 17. *Si Ecclesiam non audierit*, venit excommunicandus. Hujus sententiæ est Durandus in Tractatu quem egit de ista materia; ubi dicit: Jurisdictionem Ecclesiasticam extendi ad omnes actiones Christianorum, non solùm Clericorum, sed etiam laicorum, maximè si per modum injuriæ, vel cujuscumque alterius peccati considerentur: & ad hoc probandum, rationem

Digitized by Google

nem, quam dicit irrefragabilem, adducit; sed plus cogit textus præallegatus, quàm ejus ratio.

Corollariè sequitur, quòd extenditur ad cogendum eum qui vendidit ultra justum pretium (quamvis non dimidium justi pretii) ut restituat. Secundò sequitur, quòd extenditur ad cogendum purè laïcum, ut solvat debitum, aut cedat bonis: quis dubitat talem nolentem solvere, in fratrem suum peccare? Servandus igitur erit processus iste *Matth.* XVIII. in ipsum. Et A illud Corollarium ponit Carlerius in Tractatu contra certas personas malè sentientes de clavibus Ecclesiæ, ad Archiepiscopum Bisontinensem. Veruntamen Ecclesiasticus id non debet attentare, ubi paratus est Judex laïcus cogere, ne in gravamen Principum videatur Christus hanc Potestatem instituisse. Sed quando deest laïcus Judex, aut si non desit, & non vult, aut si velit & non potest, tunc ad Potestatem Ecclesiasticam recurrendum est. *Cap. licet, De Foro competenti.* Illud corollarium priùs positum, est de mente Panormitani, *Cap. in civitate. De usuriis*, ubi potest compelli Clericus ad restituendum id quod habet ultra justum pretium in Foro contentioso. Idem puto de laïcis, saltem in Foro Ecclesiastico, & illud benè notandum est, cùm videatur expressè contra Capitulum *Cum dilecti. De emptio. & vendit.* Et contra glossam in eodem Capite. Sed falsum est quod dicit glossa in B illo Capite, quòd licitum est contrahentibus sese citra dimidium pretii decipere, nec Jure Canonico approbatur contractus ille, sed benè Jure civili, cùm non sit verisimile Jus Canonicum, conditum instinctu Spiritus sancti, deceptionem dolosam approbare. Istis suppositis, probatur prima Pars secundæ Conclusionis.

Potestas includens aliquid quod excedit omnem facultatem humanam, non potest institui ab homine, nec à Communitate: sed Potestas Ecclesiastica aliquid includit omnem Potestatem humanam excedens, scilicet, posse relaxare pœnam debitam in Purgatorio, & posse aliquem excludere à suffragiis Ecclesiæ, similiter posse consecrare, & posse absolvere à peccatis, quæ singula humanam facultatem excedunt. Ergo, &c. Et hoc argumento utuntur Doctores, ad probandum quòd Ecclesia non potest instituere Sacramentum; & ex consequenti sequitur, quòd non potest instituere aliquid, quod ex vi operis operati re- C mittat venialia peccata, sicut imaginantur aliqui de Aqua Benedicta.

Nullus Christianus à Potestate Ecclesiastica eximi potest.

Secunda Pars est, quòd illa Potestate cuncti fideles possunt coërceri, & quòd ab illa nulli possunt eximi, quæ probatur satis ex dictis circa processum illum: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. & ex eo, quod dictum est Petro, cum promissa est ei hæc Potestas: *Quodcumque solveris, & ligaveris super terram*, &c. Matth. XVI, 19. Si enim eximeretur aliquis, falsa esset hæc propositio. Insuper cum illi Potestati non ex institutione humana, sed divina cuncti fideles subjiciantur, & quando aliquis subjicitur alicui non ex proprio consensu, sed auctoritate alicujus, non D potest ab illa subjectione eximi, nisi auctoritate ejus qui eum subjecit, vel auctoritate sui Superioris, si habeat Superiorem: hinc est, quòd contra obedientiam debitam Ecclesiæ præscribi non potest. Et multi Imperatores & Reges hac Potestate fuerunt excommunicati, ut Innocentius Papa Archadium Imperatorem excommunicavit, quia consensit ut Joannes Chrysostomus pelleretur à Sede sua. Et Beatus Ambrosius, licèt non esset Universalis Ecclesiæ Episcopus; tamen Theodosium Magnum Imperatorem excommunicavit, ut *can. duo sunt 96. distinct.*

Politia Ecclesiastica est Monarchica, ut nullo modo possit mutari in Aristocratiam, aut Democratiam.

Tertia Pars est, quòd illud Dominium non sic est mutabile in Aristocraticum aut Timocraticum, quòd secluso Concilio Universali, pluribus suprema Potestas Ecclesiastica communicaretur, sive in magno numero, sive in pauco, & ista Pars est gloss. 2. q. 1. Can. *Non autem.* Oppositum probabile reputat Guillielmus Occam, 3. parte Dialogi, quod sic probo. Quia si communicetur pluribus; aut communicatur eis copulatim, aut divisim: si primum; sit ita ergo quòd communicetur duobus, & nullus eorum seorsùm Potestatem habeat: tunc uno istorum capto, cùm supremam Jurisdictionem alter non obtineat, potest illa Potestate ligari, & per consequens, tunc in istis copulatim non residet: si divisim, ergo nullus alterum poterit ligare aut solvere, cum par in parem non habeat Imperium, & sic falsificatur illa Propositio, *Quodcumque ligaveris*, &c. Hujus sententiæ est glossa, in Can. *Non autem*, 7. *quæst.* 1. & Armachanus, *Lib.* 7. *Quæstionum Armenor. Cap.* 15.

Potestas temporalis non est annexa Potestati Ecclesiasticæ.

Ultima Pars est, quòd ex institutione Christi nullam habet Potestatem laïcam annexam. Ista Propositio patet authoritate Bernardi dicentis: *Non in possessionibus, sed in criminibus est potestas vestra.* Et ex Cap. novit. *De judiciis.* ubi Innocentius ad Prælatos Franciæ scribens: *Non enim intendimus*, inquit, *judicare de Feudo, cujus judicium ad Regem spectat; sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione Censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus.* Secundò. Probatur eadem Propositio. De ratione Potestatis laïcæ est pœnam civilem posse infligere, ut sunt mors, exilium, bonorum privatio, &c. Sed nullam talem pœnam ex institutione divina infligere potest Ecclesiastica Potestas, imò nec incarcerare, ut plerisque Doctoribus placet; sed ad solam pœnam spiritualem extenditur, ut putà Excommunicationem: reliquæ autem pœnæ, quibus utitur, ex Jure purè positivo sunt. Et si dicat aliquis, ad Potestatem Ecclesiasticam spectat civiles Leges auferre, ut patet Cap. ultimo *De præscriptionibus*, ubi abrogatur Lex permittens præscriptionem fieri cum mala fide: breviter dicitur, prout habetur in Gloss. *in regula possessor. de regul. Juris in* 6. quòd nullam Legem civilem auferre potest suprema Potestate Ecclesiastica fungens, nisi illa contineat peccatum, quemadmodùm erat Lex illa præscriptionis, & actus ille non est actus Jurisdictionis civilis, sed Ecclesiasticæ, ad quam singula peccata cohibere spectat: & ex ista Propositione infero corollaria.

Utrum Constantinus Magnus dederit Papæ Imperium Occidentale.

Primum est: si Constantinus Magnus dederit Summo Pontifici Imperium Occidentale, fuit vera datio, & non solùm debiti redditio. Dicitur notanter, si dederit, cum in singulis Canonibus ubi asseritur ipsum dedisse, ponatur, *Palea*, ut patet in utroque Can. *Constantinus*, Distinct. 96. & mirum est, si dedisset, quomodò hoc tacuisset Platina. Benè referunt de quarundam Ecclesiarum Romæ dotatione, sed de Imperio nihil.

Digitized by Google

Secundum Corollarium est. Constantinus Magnus, contradicente populo Occidentali, non potuit ad Summum Pontificem transferre Imperium; cùm Potestas quælibet civilis, & præcipuè Suprema, nisi tyrannidem appelles Potestatem, ex libero consensu populi introducatur, nec consensus ex metu cadente in constantem virum sufficeret, cùm non sufficiat ad translationem rei particularis, ut communiter dicunt Doctores. 14. Distinct. 4. Sentent. quamvis Juristæ, nominatim gloss. & Panorm. in Cap. *Abbas*, *De his quæ vi, metusve causâ fiunt*, sentiat oppositum, & præcipuè de rebus, in quibus competere potest actio, quod metus causa: & per hoc dicunt, non posse fieri matrimonialem corporis translationem, cum non competeret actio, quod metus causa: *Quia quos Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. xix. 6. Sed probabilior est Theologorum opinio: & ex isto iterum deducitur Christianissimum Regnum Gallorum nunquam fuisse subjectum Imperio Romano: nam manifestum est eos tyrannicè intrasse, & populum nunquam postea liberè consensisse in subjectionem: sed si consenserit, hoc fuit ex metu cadente in constantem virum.

Regnum Franciæ nulli subesse in temporalibus.

ET iterum sequitur corollariè, Christianissimum Francorum Regem, nulli subesse in temporalibus, & hoc habetur in Capit. *Per venerabilem. Qui filii sunt legitimi*, ubi dicitur: Rex Francorum nullum in temporalibus recognoscit Superiorem: & quamvis dicat glossa, *hoc est de facto & non de Jure, quia de Jure subjicitur Imperatori*; illa glossa destruit textum, cùm statim subjungatur, *& ideò sine alterius injuria nostro se judicio subjicere potuit.* Si enim Jure alterum haberet Superiorem, ut puta Imperatorem, manifestum est illi Superiori injuriam factam esse, se alteri ab eo subjiciendo.

Conclusio Tertia.

DOminium Ecclesiasticum supremum, priùs tempore, majus perfectione & extensione in Ecclesia, quàm in Summo Pontifice existit, quo Concilium Generale (sine authoritate Papæ congregabile) fungens, quemlibet actum illius dominii in quemlibet Christi Fidelem exercere potest.

Potestas Ecclesiastica natura & tempore priùs est in Ecclesia, quàm in Papa.

PRima Pars hujus Conclusionis est, quòd dominium Ecclesiasticum est priùs tempore in Ecclesia, quàm in Summo Pontifice. Probatur sic: istud dominium fuit collatum Ecclesiæ, *Matth.* xviii. ubi data est primò Potestas cognoscendi de peccato in Foro exteriori cum illo præcepto: *dic Ecclesiæ.* ℣. 17. frustra enim præciperetur Ecclesiæ denunciari, nisi apud eam cognoscendi resideret auctoritas. Secundò, data est Ecclesiæ potestas sententiandi, cognitione prævia, & non obtemperantes Sententiæ pœna mulctandi, quod est proprium Jurisdictionis coërcitivæ, quando dictum est: *Si non audierit Ecclesiam, si tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et quòd de Ecclesia, prout est plurium collectio, intelligatur, patet, quia statim pluraliter subjungitur: *Quæcumque solveritis, & quæcumque ligaveritis*, &c. ℣. 18. in quibus verbis, etiam apud Doctores contrarios, data est Ecclesiæ authoritas statuendi Constitutiones Sententiæ latæ, non solùm Sententiæ Excommunicationis, sed & Suspensionis à fructibus, imò & Depositionis à Titulo: sicut multùm probabile est jam esse Canonem Sententiæ latæ in hæreticos, & illos, qui post adeptum Beneficium non promoventur infra annum, & hoc tenet de Fontibus, in Quodlibetis. Sed adhuc tunc nullus erat institutus Summus Pontifex, sed præcisè post Resurrectionem *Joan. ultimo*, cum dictum est Petro: *Pasce oves meas*, quod etiam apud adversarios tenetur, quamvis ei priùs fuisset promissa potestas: *Dabo tibi claves Regni cœlorum.* Matth. xvi. Ergo priùs fuit collata Ecclesiæ, quàm Summo Pontifici. Unde, sicut Potestas civilis coërcitiva (cujus finis est felicitas politica, scilicet, civiliter ad invicem conversantium) est priùs tempore in corpore politico, quàm in quocumque ejus membro: ita Christus priùs corpori suo mystico Ecclesiasticam Potestatem contulit (cujus finis est felicitas superna) quàm cuicumque membro.

Ex hoc infero probabiliter corollariè, quòd si Christus nullum post Resurrectionem suam Summum Pontificem, seu Vicarium Generalem instituisset, Ecclesia tamen in gradu æquè perfecto potuisset instituere. Probatur: quamvis nullum instituisset, jam priùs erat Suprema Ecclesiastica Potestas coërcitiva instituta, & Ecclesiæ communicata; ergo etiam potuisset eam alicui supposito committere, sicut civium multitudo Potestatem suo Principi committit.

Secundò. Probatur, & meo judicio peremptoriè. Cùm Christus instituit Petrum Summum Pontificem, *Joan. ultimo*, nihil potestati de novo contulit Ecclesiæ, sed soli Petro, nec unquam postea legitur aliquid de novo contulisse, & tamen notissimum est quòd Petro mortuo, in Ecclesia fuit Potestas instituendi aliquem Summum Pontificem: ergo & ante institutionem Petri: & per consequens, si Christus non instituisset, Ecclesia potuisset instituere.

Potestas major est virtute in Ecclesia, quàm in Papa.

SEcunda Pars est, quòd illa Potestas est major perfectione & extensione in Ecclesia, quàm in Summo Pontifice: quòd sit major perfectione, probatur sic: Est in Ecclesia indeviabiliter, ita quòd errare non potest in his quæ sunt Fidei, & bonorum morum, nec errare potest in sententiando, ita quòd malæ sententiaret; cum semper ei assistat Spiritus sanctus, veritatis Doctor, & infallibilis director, & nihil judicat, aut statuit, nisi ejus instinctu, juxta illud quod scriptum est, Actuum xv. 28. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*: sed in Summo Pontifice est deviabiliter, ergo est perfectior illa Potestas in Ecclesia, quàm in Summo Pontifice.

Ex ista Parte infertur corollariè, quòd determinatis per Summum Pontificem non est necessariò credendum (quamvis non sit oppositum publicè dogmatizandum) nisi manifestum sit ex sacris Litteris, ex revelatione, aut determinatione Concilii determinantis, aut per Concilium necessariò credendum. Propter hanc causam visum est Gullielmo Occam in 1. Quæst. *de Potest. Summi Pontificis*, Cap. 9. multa in Decretalibus contineri quæ hæresim sapiunt, & nititur deducere ex pluribus passibus. Primò, ex Cap. *Per venerabilem. Qui filii sint legitimi*, ubi dicitur: *Sanè cum Deuteronomium secunda Lex interpretetur; ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in Novo Testamento debeat observari*: Sed manifestum est multa in Deuteronomio poni, quæ observanda in Novo Testamento asserere hæreticum est. Si dicat, observanda sunt in sensu mystico; ita & ea quæ ponuntur in Levitico, & aliis Libris: & sic nullam poneret differentiam, & ita Occam deducit de plerisque aliis locis, quæ tamen mallem humiliter exponere propter reverentiam.

Secundò, est in Ecclesia inauferibiliter, in Summo autem Pontifice auferibiliter.

Pro-

Digitized by Google

Probatur nunc quòd sit majus extensivè in Ecclesia, quàm in Summo Pontifice: nam in Ecclesia est ad instituendum Summum Pontificem, aut ejus institutionem aliquibus committendam, sicut commisit Dominis Cardinalibus, non autem sic est in Summo Pontifice. Secundò, est in Ecclesia ad arctandum usum Potestatis in Summo Pontifice, si ea utatur non in ædificationem Ecclesiæ, juxta illud Salvatoris: *Si scandalizaverit te oculus tuus, erue eum à te*, Matth. v. 29. *quantùm ad usum*, dicit Glossa, *quemadmodùm arctavit in Mandatis & Reservationibus*, &c. Sed in Summo Pontifice non est ad arctandum usum illius Potestatis in Successore sequenti, cum par in parem non habeat Imperium. Tertiò, est in Ecclesia supra Summum Pontificem, non solùm in materia Fidei, sed in singulis, ut tenet Joannes Patriarcha Antiochenus, in Tractatu de ista materia, quod etiam concedit Glossa, in Can. *Si Papa*, dist. 4. in peccatis scandalizantibus totam Ecclesiam.

An, & quo in casu, Concilium possit congregari sine Papa, aut Cardinalibus.

TErtia Pars est, quòd Concilium Generale congregabile sine authoritate Papæ, ista Potestate fungitur. Pro cujus Partis ampliori declaratione, dico primò, quòd Jure divino Summo Pontifici competit authoritas ordinaria & regularis Concilium Generale convocandi, & nulli alteri: Summo enim Pontifici, Jure divino, obligatur quilibet fidelis obtemperare, & nulli alteri. Ergo, Jure divino, solo Summo Pontifici regulariter & ordinariè subjiciuntur ceteri Prælati, ut ad ejus præceptum teneantur, pro utilitate Ecclesiæ, ad certum convenire locum. De Collegio autem Cardinalium, apud eos qui dicunt, quòd sunt de statu Hierarchico succedentes Apostolis, prout assistebant Christo, similiter & Petro, ante eorum divisionem, satis probabile est, quòd illi Collegio hæc authoritas, Jure divino, competeret, cùm duodecim Apostoli, & non solus Petrus multitudinem Discipulorum convocaverint, *Actuum* 6. Ex quo iterum sequitur, quòd non solùm de statu Episcoporum, qui Apostolis succedunt, sunt vocandi ad Concilium, ad habendum vocem deliberativam, sed etiam de statu Curatorum, qui succedunt Discipulis.

Secundò dico, quòd si Papa & Collegium Cardinalium ita obstinati essent, ut etiam, urgente necessitate, nollent Concilium convocare, non esse credendum à Domino derelictam Ecclesiam absque medio opportuno ut se conservet, tueatur, & protegat; aliter melius esset ordinata Politia purè Civilis, quàm Ecclesiastica, cùm Principibus negligentibus tuitionem Politiæ, possit populus ab adversariis se defendere. Unde in tali casu, meo judicio, quælibet Ecclesia particularis, ad cujus notitiam pervenit necessitas congregandi Concilium, (nec non eorum, vel ejus obstinata malitia, ad quem, vel ad quos ordinariè spectat convocare) ceteris, non præceptivè, sed consultivè, illam necessitatem manifestare debet, necnon certum locum, aut certa nominare, ad quem, vel ad quæ, tutus pateat accessus, ad instar oculi, qui cum prævidet pericula corpori imminere, ceteris manifestat membris, & locum ostendit ad quem confugere possint, & instrumenta quibus se protegant; & post istam manifestationem, ceteræ Ecclesiæ particulares, non humano, sed divino Præcepto, ad locum aliquem tutum debent convenire: sicut, postquam per expertum Medicum alicui dictum est de aliquo cibo quòd est necessarius ad ejus sustentationem, non Præcepto Medici, sed ex Præcepto Legis naturæ tenetur illum sumere.

Corollariè sequitur, quarumdam Provinciarum Prælatos, de necessitate Concilii sufficienter instructos, nec aliter laborantes pro pace Ecclesiæ, non esse in conscientia tutos.

Dico tertiò, si singulæ Ecclesiæ particulares, post hanc manifestationem ad certum convenirent locum, apud illam collectionem Ecclesiæ residet auctoritas, imò etiam si à casu convenirent, ut dicit Joannes Gerson. Quis enim dubitat, quin apud collectionem Apostolorum, qui à casu convenerant in transitu Virginis, tanta fuerit authoritas, sicut si Petri Præcepto convenissent?

Dico quartò probabiliter, nihil temerè asserendo; si post talem insinuationem causæ necessariæ Congregationis fiendæ, aliquæ particulares Ecclesiæ (ceteris perniciosè negligentibus) apud aliquem certum locum conveniant, quòd tota residet in eis authoritas. Si enim non posset dextera manus, aut nollet per imaginationem, corporis defensioni vacare; nunquid apud sinistram residebit defendendi corporis potestas? Et si neutra manuum velit aut possit, in ceteris membris residebit; & hoc est satis conforme dicto Christi: *Ubi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, in medio eorum sum*, Matth. XVIII. 20. & dicit in nomine meo, & non *in nomine Petri*. Et istud iterum probatur: nam possibile est Summum Pontificem cum una Ecclesia, obstinatum esse, & nolle vacare Ecclesiæ ædificationi, sed potiùs destructioni: quo in casu quis asserere auderet in parte residua potestatem non esse? Utinam zelus Domus Dei, nostri temporis Prælatos cum Regio Propheta comederet, & zelarent salutem fidelium Christi plusquàm pecuniam, non differrent properare ad Concilium Pisanum, aut quemvis alium locum tutum, & occurrere effusioni tanti sanguinis Christiani, necnon, ut verisimile est, innumeræ animarum perditioni, quæ eorum custodiæ commissæ sunt: vident enim Ecclesiam Gallicanam ad quemcumque locum tutum paratissimam proficisci: quis enim eis locum tutum Romam æstimabit esse? cùm in eos tantùm sæviat Sanctissimi Patris animus, ut penès Romanos suos Concilium esse judicet, non expectato Patrum adventu, non obstante legitima appellatione interjecta, & non servato Juris ordine, in eos processerit, deponendo, & excommunicando, ut jam eos intitulet olim Lugdunensem, & Senonensem Episcopos, & sic de aliis, causam scilicet dicturus, cum advenerint Patres qui depositi sunt, si venerint, aut etiam si videatur non dicturus, sed pejora facturus. Quid vobis videtur? Quis dubitare poterit hæc tempora periculosa magis esse, quàm tempora schismatis? Cùm caput, ac si esset in destructionem sibi potestas data, & non in ædificationem, in eos qui saluti corporis Christi intendunt, sævire tantùm videatur, & pro eo quod benè arguunt, plectere pœna? Sed illas Censuras nullomodò esse timendas, constat ex eo quod dicunt Doctores, in 4. distinct. 8. nominatim Durandus: cùm Sententia manifestum errorem continet (ut puta, si dicatur, excommunico te, quia credis in Deum) nullomodo est timenda, nec servanda in secreto aut publico. Sed de his hactenùs.

Concilium potest exercere omnes actus Jurisdictionis.

ULtima Pars est, quòd Concilium Generale omnes actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in quemlibet Christi fidelem exercere potest. Quòd possit dispensare; patet ex can. *Presbyter*, dist. 82. Quòd possit Canones obligantes condere; patet ex 15. Capit. *Actuum*, & ex Can. *Si quis*, *de Clericis*. 12. quæst. 2. Quod possit dare Indulgentias; patet, cùm Indulgentiæ dentur ex thesauro Ecclesiæ, cujus Papa Minister est: si enim Minister ex thesauro Domini aliquid erogare possit, à fortiori Ecclesia Domina poterit. Quòd possit excommunicare; patet ex Can. *Episco-*

Digitized by Google

Episcopi, & Can. *Placuit*. 11. q. 3. & Ca. *Omnis utriusque sexus. De pœnitentiis & remissionibus.*

An Summus Pontifex, ut Summus Pontifex, pœna Ecclesiastica affici possit.

CIrca istam partem, Dominus vesperizatus Magister Ludovicus Ber, posuit Propositionem mecum collativam, quòd Summus Pontifex potest excommunicari, manens Summus Pontifex. Cui Propositioni nollem contradicere, quia determinatum est per Concilia antiquitùs, & nunc per sacrum Concilium Pisanum renovatum, quòd Summus Pontifex illi Praecepto: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Matth. XVIII. 15. subjicitur, non solum activè, sed etiam passivè: Veruntamen ejus Propositio non est ita certa, quin zelatores maximi potestatis illorum Conciliorum, de ea dubitaverint, non propter impotentiam Conciliorum, sed rei contradictionem, ut patet ex Nicolao de Cusa, in Libro quem compilavit in Concilio Basileensi, qui intitulatur, *de Concord. Catho.* Opus profectò insigne, in quo præclarissimè, de potestate Conciliorum & Summi Pontificis, & Regum & Imperatoris definit, Cap. 18. Lib. 2. Cùm enim Papatus in libera administrandi potestate consistere videatur, & nihil aliud videatur esse, quàm libera potestas super omnes ligandi & solvendi, & Joannes Gerson, consideratione habita de statu Papali sic dicat: *Status Papalis quamvis eximat Papam à Legibus purè positivis civilibus, aut Canonicis, sic quod secundum eas coërceri punitivè non potest*: & quòd loquatur de Canonibus Generaliorum Conciliorum, satis patet ex eadem consideratione, & ad istud probandum adducam rationes quæ mihi videntur apparentiores, relictis authoritatibus quæ variæ sunt.

Primò sic: Papa non potest separari à Communione fidelium, ergo non potest excommunicari. Consequentia tenet, quia excommunicatio quælibet, illam separationem importat: & probatur antecedens, quia cum quis excommunicatur, ejus subditi licitè cum eo non possunt communicare, ut ex omnibus Doctoribus notum est. Sed Summo Pontifici quilibet fidelis est subjectus, ergo nullo modo potest separari à licita fidelium Communione. Et confirmatur ista ratio: quia Papa, Jure divino, tenetur quemlibet Christi fidelem pascere, & quilibet Christi fidelis ab eo pasturam accipere, quia, Jure divino, est ei determinata Cura cujuslibet fidelis, quando Christus dicit: *Pasce oves meas*, Joan. XXI. 17. Sed Concilium Generale, à Præcepto divino solvere non potest; Ergo, &c.

Secundò. Si Summus Pontifex posset à Concilio excommunicari, absque depositione; ergo poterit remanere Summus Pontifex excommunicatus, dissoluto Concilio. Consequentia tenet; quia post talem Sententiam poterit dissolvi absque depositione & absolutione Pontificis. Sed quæro, quis tunc eum absolvet? Et apparet quòd nullus poterit solvere nisi in mortis articulo: quia nullus potest absolvere à Censura lata ab homine, vel hominibus nominatim, nisi ille qui tulit, aut illi qui tulerunt, si à Communitate feratur; vel ad eum aut ad eos Superior. Tùm secundò, absolvi à tali Censura est actus Jurisdictionis Fori exterioris, quem in Papam nullus, nec aliquod Collegium, præter Concilium Generale habere dignoscitur: hinc dicunt Doctores, etiam Gerson, quòd Pontifex nulli potest se submittere, qui possit eum excommunicare, licèt possit se alicui submittere qui possit eum a peccato solvere.

Tertio. Si Summus Pontifex possit excommunicari à Concilio, ergo poterit incurrere Sententiam Canonis Sententiæ latæ à Concilio, sicut est Canon de semel confitendo in anno, & sic esset excommunicatus Summus Pontifex ipso facto, si non confiteretur semel in anno. Hoc autem foret periculosissimum, quia tunc quicumque actus Jurisdictionis, sicut sunt Excommunicationes, Dispensationes, Beneficiorum Collationes, &c. nulli essent; cùm excommunicatus quilibet exercitio Jurisdictionis careat.

Prætereà, tunc non esset orandum pro Summo Pontifice: similiter, tunc caput esset à corpore separatum, & sic non esset ampliùs caput. A

Et ad omnes Canones Conciliorum Constantiensis & Basileensis, latos contra Summum Pontificem, sub pœna Suspensionis, respondet Nicolaus de Cusa, quòd sunt intelligendi, sub pœna Suspensionis ab exercitio Jurisdictionis exterioris.

Et ad rationem: Curatus manens Curatus potest excommunicari. Respondetur non esse simile; quia cuilibet Curato, ex Jure purè positivo, determinatæ sunt istæ vel illæ oves: sed Summo Pontifici, Jure divino, omnes Christi fideles determinatæ sunt oves, hinc ipso remanente Pontifice, non potest earum Communione privari.

JACOBI ALMAINI

Doctoris Parisiensis

B TRACTATUS*

DE AUTORITATE

ECCLESIÆ

ET

CONCILIORUM

GENERALIUM:

Adversùs

THOMAM de VIO.

Reverendissimo in Christo Patri, Domino Tristando de Salezar, Senonensi Archiepiscopo,
C Jacobus Almain humilis Doctor Parisiensis, Salutem.

QUod in primis exoptabam (Reverendissime in Christo Pater Domine Senonensis Archiantistes) mihi hoc tempore sorte quadam obtigit, argumentum scilicet edendi quidpiam in assentatorias, & quasi quodam adulationis illicio, Summum Pontificem sibi nimis blandiendo, demerentes doctrinas illius Fratris Thomæ de Vio Cajetani, hominis alioquin eruditi (nisi suam eruditionem assentationis maculâ contaminasset, & nisi sacratissima illa Concilia Constantiense & Basileense, suis procacibus verbis infamare, & sugillare annisus esset) cujus rationibus, ut Diogenis instar dolium aliquod, aut ut
D Sisyphus saxum volverem, ne unus, inter tot operi intentissimos, cessator esse viderer, neu desidiâ aut inerti otio contabescere, atque in umbra-

* *In Codice impresso habetur.* Libellus de Authoritate Ecclesiæ, seu Sacrorum Conciliorum eam repræsentantium, editus à Magistro Jacobo Almain, Senonensis Diœcesis, Doctore Theologo, contra Thomam de Vio Dominicanum, qui his diebus suis scriptis nisus est omnem Ecclesiæ Christi sponsæ Potestatem enervare.

Authoritas Ecclesiæ seu Conciliorum, ad authoritatem Papæ comparata.

Digitized by Google

braculis domesticis (aliis ad rem attentissimis) ignaviter consenescere: pro modulo meo utcumque respondere institui, & citra cujuspiam assentationem, maledicamque infamationem, suas debilitare, imò quoad potero confutare rationes, & Gallicis (ut ajunt) armis, suam arcem oppugnare. At quia hi nostri codicilli parum, me authore, futuri sunt plausibiles, operæ pretium est, amplum aliquod nomen augustumque præ se ferant, cujus velut auspicio freti, jam jam prodituri in lucem, in manusque hominum venturi, ancipitem judiciorum aleam securè experiantur: eam enim esse Libelli nostri rationem facilè cognorim, ut nisi magno aliquo patrocinio defendatur, vix eum à calumnia defendam.

At cùm mecum ipse animadverterem, cuinam istas nostrarum vigiliarum primitiolas attitularem dicaremque; visus es mihi super omnes dignissimus, Domine Tristande, Archiantistes Senonensis meritissime, tùm quòd es literatorum hominum fautor præcipuus & amantissimus, tùm quòd elapsis diebus, videor mihi non spernendo amoris loco apud te semper fuisse, ac nunc etiam esse, ita ut sperem, neque verbo, neque facto, opem tuam quoties imploravero, ullatenùs mihi defuturam. Eat igitur, & tuo præsidio tuoque fulcimento munitus Libellus iste in manus hominum, quem si tibi uni cordi esse cognovero, sum factus voti compos, in animo habens posthac in talibus materiis tractandis & conscribendis, ingenioli vires nullatenùs intermittere. Vale.

CAP. I.

In quo tractatur de origine Jurisdictionis Civilis, ut per ejus comparationem notificetur Jurisdictio Ecclesiastica: sicque Lege naturali, Ecclesiæ authoritas super Papam demonstretur.

QUemadmodùm Deus, naturæ author, hominem condidit cum naturali Jure, seu potestate, ea quæ suæ sustentationi ac conservatione necessaria sunt sumendi, necnon & ea quæ nociva sunt repellendi: (super quo Jure fundatur potestas eum, qui injustè aggreditur, interimendi, si servetur moderamen inculpatæ tutelæ, quamvis oppositum dogmatizet de Ancona, in sua Tractatu *De Potestate Ecclesiastica*, cujus rationes nunc omitto, cùm non sit hæc materia præsentis speculationis) similiter & Communitas quælibet aliquorum adinvicem civiliter conversantium (quæ juxta dictum Pauli ad Rom. XII. 5. *Velut unum corpus est, cujus singuli alter alterius sunt membra*) naturalem habet potestatem, se non solùm in esse, verum etiam in esse pacifico conservandi, ad quam spectat eos quorum vita est in perturbationem Communitatis, etiam per mortem præscindere. Et istud deduci potest ex sancto Thoma 2. 2. q. 65. Articulo 1. *Omnis enim pars ordinatur ad totum corpus cujus est pars, velut imperfectum ad perfectum: & si saluti totius corporus expediat abscissio alicujus membri, puta quia est putridum, aut ceterorum infectivum, in toto corpore residet authoritas illud præscindendi.* Cùm ergo quælibet persona singularis comparetur ad totam Communitatem, sicut pars ad totum; ideò si aliquis sit perniciosus in Communitate, laudabiliter à Communitate interimitur. Et istud idem ostendit sic: Communitas confert Principi authoritatem occidendi eos, quorum vita in perniciem Reipublicæ cedit; ergo illa authoritas est per priùs in Communitate, cùm nemo alteri det quod non habet: & antecedens notum est, cùm Princeps à se authoritatem illam non habeat, nec eam habet immediatè à Deo, saltem ut in pluribus. Nam, ut dicunt Doctores, præsertim Durandus, in Tractatu *De Jurisdictione Ecclesiast.* non est in- A telligendum, quòd authoritas Regis secularis sit à Deo sic, quòd eam immediatè alicui commiserit regulariter; sed quia secundùm rectam rationem quam Deus hominibus indidit, est alicui commissa. Et non videtur (cùm non sit à Deo immediatè commissa) à quo sit Principi collata, nisi ab ipsa Communitate. Igitur assumptum est verum. Ex antedictis inferuntur aliqua Corollaria.

Lege naturali Jus gladii concessum est Reipublicæ.

Corollarium Primum.

PRimaria Potestas Jurisdictionis coërcitivæ, etiam usque ad mortem infligendam, non est, quantùm ad ejus institutionem purè positiva, quamvis ejus communicatio certæ personæ, ut puta Regi, aut certis personis de Communitate, paucis aut pluribus, qui eam regunt aristocraticè aut timocraticè, sit positiva. Et B istud manifestè ostenditur, quia hoc Præceptum *Non occides*, Exod. XX. 13. cùm sit de Jure naturali, ab eo nullus potest excipi casus per quodcumque Jus positivum, saltem humanum, cùm humana Potestas supra Jus naturæ non existat. Ergo primaria Potestas occidendi, non est positiva humana, sed naturalis.

Quamvis populi consensu, Jus omne & Potestas translata sit in Regem; tamen Respublica semper habitu retinet Potestatem.

Corollarium Secundum.

NUlla Communitas perfecta hanc Potestatem à se abdicare potest, sicut nec singularis homo quam habet Potestatem ad se conservandum, imò nec ea privari potest, nisi à Deo: & hujus sententiæ videtur esse Glos- C sa, 23. q. 3. in Can. *Ostendit*, in qua sic dicitur: populus benè habet Jurisdictionem, licèt dicat Lex, quòd transtulit Jus suum in Imperatorem. Nam si civitas vel populus non haberet Jurisdictionem, quare puniretur propter defectum Judicis? Ut 23. q. 2. Can. *Dominus*, ubi dicitur; *Civitas bello petenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbè factum est; vel reddere quod per injurias ablatum est.*

Corollarium Tertium.

Tota Communitas Potestatem habet super Principem ab ea constitutum, quâ eum (si non in ædificationem, sed in destructionem Politiæ regat) deponere potest, aliàs non esset in ea sufficiens Potestas se conservandi: & ista Potestate Gallorum Communitas quondam usa, Regem suum deposuit, non tàm pro criminibus, quàm pro eo, quod tanto regimini inutilis esset, D ut habet Glossa, Can. *Alius*, 15. q. 6. ubi dicitur, quòd Zacharias Regem Francorum deposuit: habet Glossa, *id est, deponentibus consensit*. Hac eadem Potestate usi filii Israël recesserunt à Roboam, qui erat Salomonis naturalis successor, eligentes in Regem super se Jeroboam, ut patet 3. *Regum*. XII. Et quamvis super aliquem populum à Deo acceperint aliqui Jurisdictionem civilem immediatè, ut videtur probabile de Saüle, & Davide; nihilominùs semper toti Communitati fuerunt subjecti, casu quo in destructionem Communitatis regerent.

Digitized by Google

Quænam, & cur Politia dicatur Regalis.

Corollarium Quartum.

NOn ideò dicitur Politia aliqua Regalis, quia unicus ei præsit, qui sit tota Communitate in Jurisdictione major, nec ei quovis modo subjectus; sed solùm propter hanc causam, quia unicus præest, qui in quemlibet alterum de Communitate Jurisdictionem habet, & est eo superior, & hoc minimè reperitur in Politia Timocratica, aut Aristocratica; nec conveniens foret aliquem unum taliter Communitati præfici, qui esset ea tota in omni casu superior, nisi talis foret indeviabilis, quemadmodùm de Christo censetur, qui Communitatem regere posset secundùm voluntatem, & non secundùm Legem, & tunc esset Politia illa perfectè Regalis.

Corollarium Quintum.

Falsum esse illud Scoti, *distinct.* 15. *quæst.* 3. quòd non licet quemquam occidere authoritate publica, nisi in casibus exceptis à Deo ab isto Præcepto, *Non occides*: Exod. xx. 13. Si intelligat de exemptione facta per Jus divinum positivum, qualia erant Judicialia Veteris Testamenti (sicut videtur prætendere) tunc, tempore Legis naturæ non licuisset quemquam interficere, cùm tunc nondùm esset Jus divinum positivum; nec Gentibus, tempore Legis Mosaïcæ, licuisset aliquem interimere, cùm eis illa Lex non esset data: similiter in Lege Evangelica, non esset Principibus licitum aliquem ad mortem damnare, saltem nisi pro homicidio, cùm Lex Vetus sit revocata, & Evangelium nullum excipiat casum, nisi dixeris homicidium exceptum fuisse Matth. xxvi. 52. *Omnes qui gladium acceperint, gladio peribunt.* Si autem intelligat de exemptis à Deo per Jus naturale; non facio difficultatem, sed tunc nulla est ejus probatio, ad probandum quòd pro simplici furto non licet interficere.

Ex omnibus his facile est videre, quomodò Potestas qua Rex utitur, est Potestas Communitatis: hinc authoritate publica dicitur agere, & hanc ob rem Guillielmus Parisiensis dicit; *Dominium Principum esse ministeriale.* Consequenter facile est videre, quòd Principatus Regalis, & Principatus Aristocraticus & Timocraticus, non differunt inter se; quia sint diversæ Potestates, cùm idem objectum penitùs habeant; sed propter diversitatem subjectorum. Sed quia de hac Potestate Civili in Tractatu nihil intendo principaliter dicere, C propterea hæc sufficiant.

Cap. II.

In quo ostenditur Potestatem Ecclesiasticam non esse naturalem, nec humanitùs instituibilem.

CUm Christi fidelium collectio non sit solùm corpus politicum, ad finem natutalem ordinatum (qui est vivere secundùm virtutem;) verumetiam corpus mysticum Christi, & ad finem supernaturalem, vitam scilicet æternam ordinatum, ad cujus consecutionem Legislator de medio nostri suscitatus, juxta vaticinium Moysis, Christus scilicet, Legem gratiæ & libertatis tulit, quamobrem & Potestatem instituit, non ad corpora occidenda, qualis est Potestas civilis (*quia non quærit mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, nec venit perdere quemquam, sed potiùs singulos vivificare*) sed ad compellendum fideles Legem Evangelicam conservare, alterius pœnæ metu, scilicet spiritualis; de cujus Potestatis integritate duo sunt. Primum, est authoritativè posse Jus dicere, sive definiendo, sive aliquid quod conferat multùm ad consecutionem finis statuendo. Secundum est, posse dictum Jus non observantem aliquâ multare pœnâ. Hæc autem Potestas non est naturalis, sed positiva, non ab homine puro, aut ab hominibus instituibilis; sed à Deo solo.

Pro cujus probatione supponendum est, quemadmodum optimè declarat Herveus in suo Tractatu, *De Potestate Papæ*, quòd aliud est instituere Potestatem, & institutam alicui personæ communicare: & istud manifestum est ex priori capitulo, cùm populus Potestatem occidendi non instituat, quia est naturalis; sed eam Principi communicet: instituere namque Potestatem, A est ordinare quòd in Communitate sit aliqua Potestas tanta & talis, ad tot casus, ad talem populum, & sic de similibus; & talis institutio, tempore præcedere potest communicationem certæ personæ. Potestas autem talis, potest conferri alicui dupliciter: uno modo, quòd conferatur determinatæ personæ, ut cùm Rex Petrum aut Gulielmum instituit alicujus civitatis Baillivum: alio modo, non determinatæ personæ, sed personæ determinatæ conditionis, ut si Rex institueret aliquam Potestatem Jurisdictionis in aliqua civitate, ordinando, quòd quicumque à talibus eligeretur, eam consequeretur: & talis electio est dispositio ultimata ex parte recipientis, quæ facit eum capacem talis Potestatis, ex antiqua institutione Principis.

Istis suppositis, probatur quòd à solo Deo est hæc Potestas instituibilis. Hæc Potestas non est instituibilis nisi vel à Papa, vel à Communitate Christiana, vel à Deo: sed primò, quòd non possit institui à Communitate Christiana, saltem propria authoritate, probatur sic; quia talis Potestas includit aliquid, quod humanam B Potestatem excedit, puta, posse relaxare aliquid de pœna debita in Foro Dei, aliquem reddere incapacem, quantùm ad Deum, suffragiorum Ecclesiæ, & multa alia. Ergo à Communitate Christiana institui non potest. Et quòd à Papa institui non possit, manifestè patet ex hoc, quia priùs, saltem natura, est illam potestatem esse, quàm aliquem esse Papam.

Corollarium Primum.

Quòd nec ista Potestas ab homine puro, aut hominibus destitui potest.

Corollarium Secundum.

Quòd Potestas Ecclesiastica, de qua nunc loquimur, est Potestas coërcitiva immediatè à Christo instituta, quæ valet exerceri in alterum, etiam invitum, ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æternæ, velut in finem proximum & principaliter intentum.

Discrimen Potestatis Laicæ & Ecclesiasticæ.

COnsequenter ex dictis multiplex haberi potest differentia inter Potestatem Ecclesiasticam Jurisdictionis in Foro exteriori, & Potestatem Laïcam. Prima, ex parte institutionis, cum una sit naturalis, quantùm ad institutionem; altera supernaturalis. Secunda, ex parte finis, una enim est ad finem naturalem, altera ad supernaturalem. Tertia, ex parte pœnarum quæ infligi possunt per has Potestates; quia per unam corporalis pœna dumtaxat, per alteram verò spiritualis præcisè. Quarta, ex parte subjectorum, quia unius capax est D etiam infidelis; alterius verò nullus capax est, nisi sacro Baptismate regeneratus: etiam una, scilicet temporalis, in infideles exerceri potest; altera in solos fideles, ut infrà patebit. De aliis autem Potestatibus Ecclesiasticis à coërcitiva, quas optimè declarat Joannes de Parisiis, & consequenter Petrus de Alliaco, in hoc Tractatu nihil dicere intendo.

Corollarium Tertium.

Quòd Marsilius de Padua deviavit à Fide, omnem coërcitivam Jurisdictionem ab Ecclesia auferens, ut videre est in suo Tractatu, qui in quibusdam voluminibus *Defensorium pacis* intitulatur.

Co-

Digitized by Google

Corollarium Quartum.

Potestas Ecclesiastica in se considerata, nullatenùs ab hominibus restringi potest; si enim ab ipsis non sit instituibilis nec destituibilis, nec ab ipsis fieri potest quòd in aliquos actus non possit, in quos poterat priùs: Et istud corollarium benè tractat Joannes de Gersonio, Consider. 7. *De Potestate Ecclesiastica*: & quia hæc certa sunt, non curavi authoritatum, aut rationum numero munire.

CAP. III.

De plenitudine Potestatis Ecclesiasticæ, & ad quæ se præsertim extendat.

TAnta est inter Doctores controversia de plenitudine hujus Potestatis, & ad quæ se extendat, ut pauca sint in ista materia secura, ita quòd his temporibus, ut dicit Guillielmus Occam, circa finem primæ partis Dialogi, summè necessarium foret, quòd per sapientes, juramentis & horribilibus comminationibus ad veritatem dicendam arctatos, declararentur quæ ad plenitudinem Potestatis Ecclesiasticæ spectant.

Quidam enim eam ita ampliant, forsitan adulationis causâ, ut Beneficia & Privilegia obtineant; ut omninò absorpta videatur Principum Potestas, necnon ad actus se extendat, in destructionem Ecclesiæ.

Quidam eam dilatant, usque ad dissolutionem Matrimonii rati & non consummati, ut glossa Joannis Andreæ, in Cap. *Quod votum. De voto & voti redemp.* in 6. & glossa in Cap. *Ex publico. De conversione conjugatorum*, quia ponit hanc Propositionem, quòd Summus Pontifex posset statuere, quòd per secundum Matrimonium rumperetur primum non consummatum, sicut rumpitur per ingressionem Religionis, quæ quantùm periculi contineat, advertere potest Lector. Ejusdem sententiæ est Panormitanus, in eod. Cap. & cum ipsis deviavit Magister Thomas de Vio, in suis Opusculis aureis, de diversis ac curiosissimis materiis. Istud est contra verbum Christi: *Quos Deus conjunxit, homo non separet, nisi fornicationis causa*, Matth. XIX. 7. 9. ubi homini Potestatem dissolvendi Matrimonium denegavit. Secundò: si dissolvi posset, sine ingressu Religionis, non est verisimile, quin hoc comperiri posset ex Sacris Literis, quemadmodùm de Matrimonio inter infideles, alterâ partium versâ ad Fidem. Tertiò: si Summus Pontifex non potest debitorem absolvere invito creditore, (si enim oppositum dicatur, creditorum multi ad ipsum currerent pro absolutione) ergo nec potest mulierem ab obligatione, quâ est obligata viro suo, absolvere. Et hanc partem pro indubitata tenet Scotus. 31. dist. 4. & Petrus de Palude. 27. ejusdem.

Sed pro priori parte arguitur, ut magis pateat veritas. Dissolvitur Matrimonium ratum, non consummatum, per votum solemne Religionis; sed voti solemnitas non ex Jure divino, sed humano est, ut patet per caput præallegatum, quòd votum, in quo dicitur, voti solemnitas, ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa: ergo ex statuto humano dissolvitur Matrimonium.

Secundò: si votum solemne ex statuto divino dissolveret Matrimonium, non consummatum, à fortiori, illegitimaret, Jure divino, ad Matrimonium sequens: minus est enim illegitimare, quàm contractum dissolvere, cùm primum possit Ecclesia, & non secundum. Sed falsitas consequentis ostenditur, quia si illegitimaret Jure divino, non posset Summus Pontifex, nec Ecclesia tota, dispensare cum illo qui vovit solemniter in quocumque casu, cùm non possit contra Jus divinum.

Tertiò, Matrimonium contractum & ratum significat solùm conjunctionem Christi & animæ fidelis, quæ dissolubilis est: ergo illud Matrimonium est etiam dissolubile. Si dicatur, quòd significat etiam conjunctionem Christi & Ecclesiæ indissolubilem, ut dicit Magister Sententiarum. *dist.* 26. *Libri* 4. consequenter & Richardus: contra, sequitur bigamiam contrahi, si, uxore prima mortua ante consummationem, contraheret cum secunda: vel è converso, si aliquis aliquam, cujus vir mortuus esset ante consummationem, in uxorem duceret: hoc autem est contra Cap. *debitum. De Bigamis non ordinandis.* Probatur tamen sequela, quia ratio bigamiæ est defectus Sacramenti, quia non est unicus unius, sicut Christus unus, unicè conjunctus est Ecclesiæ.

A Ad primum istorum respondetur: benè verum est, quòd modus per quem solemnizatur votum, est ex statuto & determinatione Ecclesiæ; non tamen sequitur effectum sequentem ad votum solemne per quod vovens moritur civiliter, esse de statuto Ecclesiæ. Ad secundum, quod est fortè ad probandum quòd in voto solemni non cadit dispensatio; videtur mihi dicendum, quòd votum solemne Jure divino tandiù illegitimat, quandiù obligat, ita quòd si tentent contrahere, secluso quocumque statu humano, non contraherent. Sed quia potest emergere casus in quo ampliùs non obligat, & tunc cessat illegitimare; & sic Papa non dispensat, nisi capiendo dispensare, ut tantùm valeat, sicut Jus declarare. Ad tertium dicitur primò, quòd consequentia prima nihil valet: in statu enim innocentiæ Matrimonium, cùm non esset Sacramentum, non significasset aliquam conjunctionem indissolubilem, & tamen non fuisset dissolubi-
B le. Dicitur secundò, quòd antecedens est falsum, imò significat conjunctionem Christi & Ecclesiæ, ut habet Magister Sententiarum. *dist.* 26. *Libri* 4. & Richardus consequenter; quamvis tamen apud Richardum non tam perfectè, sicut Matrimonium consummatum. Dicitur ulterius, quòd consequentia non valet, quâ infertur bigamiam illis casibus contrahi, & hoc solùm quia Ecclesia non statuit quòd contrahatur: contrahitur enim solùm per divisionem carnis pluribus, vel alicui, quæ divisit pluribus.

Aliqui istam Potestatem extendunt ad infideles, ut Panormitanus, in Cap. *Novit. De judiciis*, dicens, quòd per istam Potestatem ad Præcepta Legis naturæ saltem compelli possunt: sed oppositum istius habetur ex Cap. *gaudemus. De divortiis*, ubi dicitur eos Constitutionibus Canonicis maximè arctari, juxta illud Apo-
C stoli: *Quid enim ad nos, de iis qui foris sunt, judicare?* I. Cor. V. 12. Arctarentur enim Constitutionibus Ecclesiasticis præcipientibus ea quæ sunt Juris naturalis sub Censuris. Secundò, cùm Excommunicatio non sit aliud quàm à consortio fidelium & participatione Sacramentorum separatio, sequitur infidelem excommunicari non posse. Et si in oppositum allegetur illud Christi, *Matth.* XVI. 19. dictum Petro, cùm ei promissa fuit hæc Potestas, (*Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque solveris, erit solutum in cœlis:* Et illud Matth. XVIII. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.* In quibus authoritatibus, dicit *quodcumque*, & *quæcumque* universaliter.) Respondetur, quòd utraque authoritas de fidelibus intelligenda est, de his autem authoritatibus infrà magis patebit.

Aliqui ad peccata secretissima cordis eam extendi
D volunt, ut gloss. in Clementina, *De Hæreticis.* Oppositum istius ab omnibus fermè Doctoribus tenetur; & pro majori elucidatione, supponendum est, esse quoddam peccatum, quod in solo consistit actu interiori, cùm scilicet ad nullum opus exterius fit progressio: aliud est peccatum ad opus usque exterius progrediens, & istud est iterum duplex; quoddam, quod non est peccatum ex opere exteriori ad quod progreditur, sed solùm ex mala relatione interiori, ut dare eleëmosynam propter malum finem: est aliud quod est peccatum ex opere exteriori; quia scilicet prohibitum est, & istud multiplex est; quoddam est, quod juridicè probari potest factum esse; scilicet per duos vel tres testes, & etiam actor ipsius peccati: & est aliud, quod juridicè probari potest, sed actor non, ut cùm reperitur trucidatum corpus; sed cùm tru-

trucidaretur nullus præsens erat: est aliud quod nec juridicè probari potest, nec ejus actor, propter defectum testium ad utrumque. Secundò, supponendum est, quòd Ecclesiastica Potestas non solùm est ad infligendam pœnam pro crimine præterito probato, sed ad statuendum aliquid sub pœna, quod quidem statutum solùm respicit futura. *De Constitutionibus.* Can. *Cognoscentes*, *eodem titulo. Cap. ultimo.* Cujus transgressor, eo facto quod transgreditur, pœnam illam incurrit, ut videre est in plerisque Statutis.

A

Istis suppositis, dicitur primò, quòd Ecclesia nihil potest super peccata cordis, & quæ ad actum exteriorem non sunt progressa. Et addit Durand. 17. *distinct. Libri* 4. Non solùm propter defectum cognitionis, sed propter defectum Jurisdictionis: ea enim Deus suo reservavit Judicio, qui scrutatur corda & renes; hominibus autem ea quæ foris sunt dedit judicare. Et sententia Durandi multùm apparentiæ habet, quia si hoc non esset propter defectum Jurisdictionis, sed cognitionis, Ecclesia ad minus posset in illa, statuendo sicut in opera exteriora futura, quæ nunquam probari poterunt, propter defectum testium: pro actu enim exteriori quamvis occulto, incurritur pœna Juris, ut regulariter tenent Doctores, nominatim de Palude, in 4. *distinct.* 13. Tunc probatur ista Propositio.

B

Primò, per parabolam Salvatoris, *Matth.* XIII. de zizaniis, ubi, secundùm expositionem Doctorum, prohibentur mali, sub nomine zizaniorum, eradicari per Censuram Excommunicationis, quando à bonis, intellectis per frumentum, cognosci non possunt. Secundò, per Cap. *Cogitationis. De pœnitentia.* dist. 1. *Cogitationis pœnam nemo patiatur.* Ubi Glossa, *ab hominibus*, *sed benè à Deo.* Adduci possent ad hoc probandum pleraque Capitula, ut Capitulum *Sicut tuis literis. De Simonia*, & Cap. *Tua nos*, eodem titul. Can. *Erubescant* distinct. 32. Can. *Consuluisti.* 2. q. 5. Secundò dicitur: si procedatur ad peccatum exterius, quod quidem opus non est malum, nisi propter malam relationem interiorem, ad tale peccatum non extenditur Ecclesiastica Potestas Juridica, cùm enim non sint illa opera prohibita secundùm suam substantiam, sed solùm secundùm interiorem relationem ad quam puniendam non extenditur Ecclesiastica Potestas, nec extendetur ad illa peccata.

Secundò. Probatur idem. Non potest etiam ex natura operis, & non solùm ex defectu testium probari opus illud peccatum esse, nisi de relatione probaretur; Ergo, sicut relatio Ecclesiasticæ non subjicitur Potestati, ita nec peccatum illud.

C

Tertiò. Dicitur quòd Ecclesiastica Potestas extenditur ad peccatum juridicè notum, cujus actor juridicè ignotus est. Probatur per Can. *Quidam maligni spiritus*, 5. q. 1. ubi de quodam, *qui contra Castorium Notarium*, *ac Responsalem Apostolicum nocturno silentio in publico civitatis loco contestationem posuerat*, *in ejus crimina loquentem*: *dicit Papa*; *qui si non exierit*, *neque publicè confessus fuerit*, *quisquis ille sit qui hoc agere præsumpserit*, *vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuerit*, *ex Dei & Domini nostri Jesu Christi spiritu definimus*, *ut Sancti ejus Corporis & Sanguinis participatione privatus sit*: & iste est unus casus apud Guilliel-mum Occam, in 3. parte sui Dialogi, in quo recurrendum est ad Potestatem Ecclesiasticam in crimine civili.

D

Quartò. Dicitur ad peccata exteriora, quæ secundùm se sunt prohibita, quamvis non juridicè possint probari, propter defectum testium, nec etiam actor, nec extenditur hæc Potestas statuendo. Probatur ex Capit. *Porro. De sententia Ex communicationis*: in quo dicitur eos qui manus violentas in fratres suos injecerunt, qui non convicti, sed privatim veniam postulant, esse monendos, ut satisfaciant his quos læserunt, & Apostolicæ Sedi se præsentent, cùm ab alio, sine speciali mandato, absolvi non valeant; ergo illi sunt excommunicati. Absurdum enim foret dicere, eum qui violentas injecit manus in Clericum, quamvis secretè, non esse excommunicatum. Et in omnibus istis, de Juridica Potestate loquor, quæ Forum exterius respicit.

Cap. IV.

In quo ponuntur Objectiones contrariæ, & solvuntur.

Contra primum istorum quatuor dictorum, objicitur, quòd habens solùm peccata cordis, vi Statuti Ecclesiæ, *Omnis utriusque sexus*, tenetur in Paschate confiteri ea, & si non confiteatur, incurrit Censuram Excommunicationis, ut patet ex dicto Capite. Ergo Potestas Ecclesiastica ad illa cordis peccata extenditur.

Secundò. Inquisitor Fidei omittens procedere contra hæreticos, sine quocumque actu exteriori, incurrit Censuram Excommunicationis, ut patet in Clementina *Multorum. De hæreticis* & glossa ibidem. Hinc patet apertè, quòd ex Constitutione Militantis Ecclesiæ, ligat crimen omninò occultum ad pœnas Suspensionis & Excommunicationis, & ad hoc inducit cap. primum *de Statu Monachorum* eodem Libro. §. *quia verè.* Ubi de Monachis discurrentibus per Curias Principum dicitur: *Quod si*, *ut suis Prælatis*, *aut Monasteriis damnum aliquod inferant*, *ad dictas Curias se transferre præsumpserint*, *Excommunicationis Sententiam eos incurrere volumus*, *ipso facto.* Hìc non excommunicantur pro eo quod ad Curias Principum se transtulerunt; sed quia intendunt Prælato aut Monasterio damnum inferre, & sic pro solo actu interiori.

Tertiò. Arguitur: si Ecclesia alicui præcipiat sub pœna Excommunicationis, quòd aliquam accipiat in uxorem, eam scilicet, cum qua prius contraxerat sponsalia, & proferat illa verba exteriùs, & non consentiat interiùs, videtur excommnnicatus, cùm non accipiat eam in uxorem, & hoc est propter omissionem solius actus interioris: ergo etiam pro solo actu interiori excommunicare potest.

Deinde arguitur contra tertium & quartum dicta, Primò. Per capit. *sicut tuis literis. De Simonia*, in quo dicitur: illos autem qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantum constat esset culpabiles, quàm si eorum excessus esset Ecclesiæ manifestus (quæ non judicat de occultis) pœnâ canonicâ essent feriendi. Ergo si non sit manifestus, non sunt feriendi, & in Can. *Erubescant.* 32. dist. in quo de Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis qui mulierculas non abjecerunt dicit; quòd sunt excludendi à suorum graduum dignitate: & statim subjungitur, de manifestis autem loquor, secretorum autem Deus & cognitor & Judex est.

Secundò. Arguitur, *Matth.* XVIII. ubi instituta est hæc Potestas Ecclesiestica, datur forma, secundùm quam sit ea utendum: sed sic est quòd ibi præcipitur reum esse Ecclesiæ denunciandum, & convincendum per duos vel tres testes; ergo non extenditur hæc Potestas ad ea peccata exteriora, quæ probari non possunt.

Solutio Objectionum contrariarum.

Ad primum istorum dicitur primò; Quòd confiteri, est actus exterior, & sic Præceptum illud non fertur immediatè & per se super actum interiorem, quamvis feratur super exteriorem, qui est de actu interiori. Dicitur secundò, secundùm Durandum, quòd Præceptum Ecclesiæ principaliter fertur super Communione, quam constat actum esse exteriorem in Foro exteriori cognoscibilem, quia ad dignè communicandum, Jure divino prærequiritur omnium mortalium Confessio: & sic Præceptum Ecclesiæ non fertur super actum illum Confessionis Sacramentalis, sed solùm per accidens.

Ad secundum dicitur, quòd Inquisitor Fidei non excommunicatur pro actu interiori; sed pro omissio-

no

Digitized by Google

ne actus exterioris, quæ juridicè, sicut actus cujus est privatio, quantùm ex se, probari potest.

Ad tertium dicitur, quòd in illo casu, non incurrit Sententiam Excommunicationis, cùm nihil agat nec committat quod Judicio Ecclesiastico subsit: eodem modo, sicut nec ille qui in Paschate sumeret Eucharistiam, non prævia sufficienti dispositione, non veniret arcendus ab ingressu Ecclesiæ, secundùm tenorem illius Statuti, *Omnis utriusque sexus.*

Ad primum Argumentum contra ultimum dictum dicitur, quòd illa Capitula intelligenda sunt de pœna ab homine inferenda: sunt enim Canones quidam, qui sunt Sententiæ latæ, sed ferendæ, quibus, scilicet transgressoribus non infligitur, eo facto, pœna; sed declaratur infligenda per Judicem, & horum transgressores non subjiciuntur illi pœnæ, nisi notorii sint: & quamvis Glossa ex Can. *Erubescant*, fundet argumentum pro opinione eorum qui dicunt, quòd occultum delictum non irrogat Irregularitatem: oppositum tamen hujus opinionis satis determinatum, est cap. *Quæsitum. De temporibus ordinandorum*, ubi dicitur; *Si proposita crimina, puta adulterium, perjurium, homicidium, falsum testimonium, ordine judiciario comprobata, vel aliàs notoria non fuerint, non debent hi, præter reos homicidii, post pœnitentiam in jam susceptis Ordinibus impediri.* Ergo homicidæ incurrunt Irregularitatem, quamvis non sint notorii.

Ad secundum ex textu Evangelico, eodem modo dicendum est, quòd processus ille intelligitur de eo quod per Judicem, & nominatim feriendus est pœnâ Ecclesiasticâ. Ista omnia requirerent majorem processum; sed quia solùm accidentia sunt, & non essentialia principali proposito, eum omitto.

Cap. V.

De iis qui nimis restringunt Potestatem Ecclesiasticam.

Ab aliquibus mirum in modum restringitur hæc Potestas. Dicunt enim aliqui, eam solùm extendi ex institutione Christi, ad punienda peccata in rebus purè spiritualibus, puta, quæ propria sunt Legi Evangelicæ, ut sunt peccata commissa contra Articulos Fidei, & Sacramenta; & non ad peccata quæ sunt contra Legem naturalem; saltem nisi causaliter: & hujus sententiæ videtur esse Gulielmus Occam, circa finem sui Dialogi, etiam in 1. parte ejusdem Libri. *Lib. 6. Cap.* 8. ubi dicit. *Spiritualia sunt illa quæ Religioni Christianæ sunt propria, & quæ in nulla alia secta sunt reperta, nec ad Legem naturæ spectantia, sicut quæ pertinent ad Sacramenta Ecclesiastica dispensanda, & ad causas Fidei terminandas:* ejusdem sententiæ est Joannes de Gersonio, Lection. 4. *De Vita spirituali animæ*, ubi dicit, quòd *In terris subjectis immediatè Summo Pontifici, quantum ad temporalitatem, pro peccatis commissis contra Legem naturæ, non sunt homines feriendi pœna Ecclesiastica, sed Laica.*

Videtur mihi tamen, salvo meliori judicio, hanc Potestatem ad quæcumque mortalia notoria, junctâ contumaciâ, extendi. Probatur primò, ex cap. *Novit. De Judiciis*, ubi dicit Innocentius. III. scribens Prælatis per Franciam constitutis. *Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum, scilicet Regem spectat judicium, sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus.* Et notum est quòd ibi loquitur de peccato commisso ex detentione rei alienæ.

Secundò, probatur ex authoritate Christi, *Matth.* XVIII. 15. ubi sicut infra probabitur, fuit instituta hæc Potestas Ecclesiastica, *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit lucratus es fratrem tuum*, &c. In qua authoritate, nulla fit distinctio hujus vel illius peccati, sed indifferenter de omni mortali loquitur: & quod solùm de mortali loquatur, satis notum est per hoc quod subditur, *si te audierit lucratus es animam ejus*: per veniale enim nullus est perditus. Ergo pro omni mortali: & si ad fraternam correctionem non emendetur, est denunciandus Ecclesiæ; & si Ecclesiam non audierit excommunicandus. Et per consequens ista Potestas ex ordinatione Christi, ad quæcumque peccata mortalia, saltem notoria, extenditur, & meo judicio, multùm ponderanda est illa authoritas.

Tertiò, arguitur: quia Paulus excommunicavit fornicarium publicum. 1. *Corinth.* v. & in eodem cap. dicit. ℣. 15. *Si quis nominetur inter vos fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere.*

Quartò, arguitur ex ratione quam sumit Durandus ad hoc probandum, & etiam ea utitur sanctus Thomas, in Libro *de Regimine Principum.* Cujus est considerare finem, ejus est judicare de his quæ debent ordinari ad finem, quia ratio eorum quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine: debet enim intendens aliquem bonum finem, eligere ea quæ sunt congrua fini, & tollere ea quæ finem impediunt. Verbi gratiâ, Medicus considerat sanitatem corporis, & suum est considerare de his quæ conservant sanitatem, & de his quæ impediunt; sed omnes actiones humanæ debent ordinari ad consequendam vitam æternam: cujus ergo, vel quorum est considerare de salute animæ & de spiritualibus, eorum est judicare de quibuscumque actionibus per quas deviant, aut deviare possunt à salute sua circa quamcumque materiam. Et istius sententiæ est Carlerius, in Tractatu quem compilavit contra quosdam errantes in materia Clavium, ultimo corollario, ubi dicit quòd extenditur Clavis Ecclesiastica ad cogendum purè laïcum ad solvendum debitum, vel cedendum bonis.

Sequitur corollariè ex dictis, quòd extenditur hæc Potestas ad cogendum eum qui vendidit ultra justum pretium, quamvis non ultra dimidium justi pretii, ut restituat: quis dubitat talem venditorem esse obligatum ad restituendum? Et sic vendendo peccat in fratrem, & per consequens, cum eo procedendum est, secundùm Præceptum Evangelicum, *si peccaverit in te frater tuus*, præallegatum. Istud corollarium est de mente Panormitani, cap. *in Civitate, de usuris*, ubi dicit. *Potest compelli Clericus ad restituendum id quod habet ultra justum pretium, in Foro contentioso*; & statim subdit; *idem puto de laïcis, saltem in Foro Ecclesiastico*; & ibi loquitur de eo qui habet ultra justum pretium, sed citra dimidium justi pretii, ut satis patet legendo.

Et si contra ista dicat aliquis; sequeretur quemlibet peccare qui conveniret proximum coram Judice laïco de actione in qua consistit peccatum mortale: consequentia tenet, quia quilibet talis contravenit huic Præcepto, *Si peccaverit in te frater tuus.* Secundò sic; corollarium illatum in fine est contra cap. *Cum dilecti. De emptione & venditione*; in quo videtur dici emptionem minus justo pretio tenere, dummodò non sit minor dimidio justi pretii.

Ad primum negatur sequela: dico enim quamlibet partem illius Præcepti, *Si peccaverit in te frater tuus* (continent enim tria partialia Præcepta) esse Præcepti affirmativi, & obligare solùm pro tempore quo non potest aliter retrahi frater à peccato: & sic, si possit retrahere per conventionem coram Judice laïco purè laïcum hominem, non obligatur pro tunc Ecclesiæ denunciare. Propterea Ecclesiasticus non debet attentare usum hujus Potestatis in purè laïcum pro peccato civili, quando Judex laïcus est paratus exercere suam Potestatem in illum, ne videatur hæc Potestas introducta esse in gravamen Principum laïcorum. Sed quando deest laïcus Judex; aut si non desit, non potest; aut si possit, non vult; tunc ex Precepto Christi ad Potestatem Ecclesiasticam recurrendum est.

Ad secundum dicitur, quòd in illo capite non dicitur emptionem citra justum, sed supra dimidium justi

 pretii

Digitized by Google

pretii esse invalidam, & non esse cogendum emptorem ad supplendum justum pretium; sed solùm dicitur emptionem citra dimidum justi pretii esse rescindendam, aut emptorem cogendum esse ad supplendum justum pretium: ex quo non sequitur, quòd si sit supra dimidium justi pretii, non sit cogendus. Notandum est tamen, quòd hac Potestate non est utendum in aliquam personam; nisi tribus istis concurrentibus, quemadmodum optimè deducit Carlerius in, Tractatu. *De punitione crimum publicorum Ecclesiasticorum* contra Bohemos. Primum est Jurisdictio: secundum convictio: tertium est pax salva; & istud tertium satis patet ex parabola Salvatoris, *Matth.* XIII. de zizaniis & frumento.

Cap. VI.

In quo ostenditur Lege divina, quibus immediatè sit collata Suprema Potestas Ecclesiastica à Christo.

Consequenter videndum est quibus sit immediatè collata hæc Potestas Ecclesiastica: & sit Prima Propositio.

Immediatè à Christo collata est Petro primo Summo Pontifici. Probatur primò, quia *Matth.* XVI. 15. postquam Petrus Christo sciscitanti, *vos autem quem me esse dicitis?* responderat. ℣. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*: aliquibus interpositis dicit ei Christus. ℣. 19. *dabo tibi claves regni cœlorum: quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*: ergo Christus cum fidelis sit, & seipsum negare non possit, aliquando contulit claves Regni cœlorum beato Petro, inter quas ponitur Potestas illa coërcitiva. Secundò patet, quia à Christo dictum est beato Petro, *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Joan. ultimo. Super quibus verbis dicit Glossa ordinaria, *Pascere, est credentes ne deficiant confortare; terrena subsidia, si necesse est, providere; exempla virtutum præbere, adversariis obsistere, peccantes corrigere.* Et istud ultimum notum est ad hanc coërcitivam Potestatem spectare: & in hoc conveniunt satis singuli Doctores, dicentes, Christum tunc eum fecisse suum Generalem Vicarium, & ad hoc adducunt innumeras authoritates.

Secunda Propositio. Christus hanc Potestatem immediatè contulit Ecclesiæ, capiendo Ecclesiam pro collectione omnium fidelium; sive pro collectione omnium Prælatorum, majorum & minorum, qui succedunt Apostolis & Discipulis; sive pro Concilio Generali Ecclesiam repræsentante. Probatur per illud Christi, *Matth.* XVIII. præallegatum. *Si peccaverit inte frater tuus, &c.* Ubi præcipit Christus, nolentem corrigi ad fraternam correctionem, denunciari Ecclesiæ, & si Ecclesiæ monitioni non obtemperet, excommunicandum: & dat Ecclesiæ authoritatem excommunicandi dicens, *quæcumque alligaveritis, &c.* & quòd de Ecclesia, prout est plurium collectio intelligatur, patet ex eo quòd postquam dixit: DIC ECCLESIÆ, *& si non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus*, statim subjungit pluraliter, *quæcumque alligaveritis super terram, &c.* Ergo non capit ibi Ecclesiam pro unico supposito, sed pro pluribus. Et quòd non intelligat de ligatione & solutione in Foro secreto & pœnitentiali, ut dicit de Palude, in suo Tractatu de ista materia, manifestè patet ex præcedentibus. Nam in Foro secreto, nullus debet peccatum alterius deferre seu revelare, nisi quando esset peccati proprii circumstantia mutans speciem, & non posset proprium confiteri peccatum sine revelatione alieni. Sed Christus injungit ibi alienum peccatum deferri & revelari, & eum cujus est peccatum ligari aut solvi: ergo loquitur de ligatione & solutione in Foro publico & exteriori.

Secundò, probatur per illud quod scribitur, *Actuum* XV. 21. In quo capite narratur quomodò in Concilio Apostolorum & Seniorum, proposita fuit quæstio de cessatione Legalium, & an conversi ex Gentibus circumcidendi essent. *Placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam, cum Paulo & Barnaba, Judam qui cognominabatur Barsabas, & Silam, viros primarios in fratribus, scribentes per manus eorum: Apostoli & Seniores fratres, &c.* Et aliquibus interpositis, subjungitur conclusio Concilii. ℣. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil imponere ulra vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, suffocato, & fornicatione.* Ubi non dicitur Petrum hoc imposuisse, quamvis esset præsens, sed totum Apostolorum & Seniorum Concilium: ergo penes Ecclesiam est Potestas statuendi, seu præcipiendi quæ ad Potestatem Jurisdictionis spectant.

Tertio, probatur authoritate Gregorii quæ ponitur in can. *Sicut sancti Evangelii quatuor Libri, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense*; & in fine Canonis redditur causa, *quia dùm universali sunt constituta consensu, se & non illa destruit, quisquis præsumit absolvere quos ligant, aut religare quos absolvunt.* Non dicitur enim, quia dùm Petri aut Summi Pontificis consensu constituta sunt; nec dicitur quos Summus Pontifex ligat, sed quos Patres ligant. Ad hoc est can. *Decrevit* 88. *distinc*: ubi dicitur. *Decrevit sancta Synodus*, & non dicitur: decrevit Summus Pontifex; ad denotandum quòd authoritas definitiva apud Synodum residet. & ca. *nimis, de jurejurando*, ubi Summus Pontifex authoritate Sacri Concilii, & non authoritate propria præcipit, ne Clerici personis secularibus præstare juramentum fidelitatis cogantur, à quibus nihil temporale obtinent.

Quartò, Ecclesia potest elargiri Indulgentias, quod spectat ad claves Fori exterioris; ergo Ecclesia habet illas claves. Probatur antecedens: dantur Indulgentiæ de thesauro Ecclesiæ, & non de thesauro Papæ; ergo Ecclesia à fortiori potest eas dare quàm Papa.

Item, potest Concilium repræsentans Ecclesiam, condere Canones Sententiæ latæ depositionis, & excommunicationis, ut patet de Carthaginensi Concilio VIII. ut scribitur in Can. *Placuit* 11. q. 1. *Placuit ut quicumque ab Imperatore cognitionem Judiciorum publicorum petierit, honore proprio privetur.*

Item, potest aliquem destituere, quod est Jurisdictionis, ut patet per Ca. *Ex gestis, de Clericis non residentibus*, ubi dicitur, *in Synodo. Anastasius Cardinalis Presbyter, Tituli beati Marcelli, ab omnibus canonicè est depositus, eo quòd Parochiam suam per annos quinque contra statuta deseruit*; ubi non dicitur à solo Papa depositum esse.

Hanc materiam latissimè tractat Gaufredus De monte electo, Abbas sancti Honorati, insulæ Lirinensis, in Tractatu quem edidit, tempore Concilli Basileensis, discurrendo per singulos actus Jurisdictionis, puta per Excommunicationes, per Indulgentias, Dispensationes, Canonum editiones, & sic de aliis, quæ ibidem latissimè poteris videre.

Ex hic omnibus, sequitur corollariè, conformiter ad Joannem de Gersonio, quòd per hæc verba, *Dic Ecclesiæ*, data est Ecclesiæ & Concilio Generali Potestas cognoscendi: & per verba sequentia, *si non audierit Ecclesiam, &c.* data est, cognitione prævia, sententiandi Potestas, & non obtemperantes Sententiæ mulctandi pœnâ. Et per verba sequentia, *Quæcumque alligaveritis, &c.* data est primò, Ecclesiæ Potestas aliquem ligandi excommunicatione, & ab eadem solvendi: data est secundò, Potestas aliquem ligandi Statuto seu Præcepto, cui obedire tenetur quilibet pro rationabili causa; & pro simili causa eum solvendi ab eodem præcepto, & ibi fundatur Potestas dispensandi. Data est tertiò, Potestas aliquem ligandi ad pœnam temporalem, pro crimine, &

Digitized by Google

& ab eadem, pro rationabili causa, solvendi per Indulgentiarum largitionem. Data est quartò Potestas aliquem alligandi animarum curæ; quam si sumpserit, juxta dictum Sapientis, in Proverb. VI. 2. *Illaqueatus est verbis oris sui, & captus propriis sermonibus*; & eundem, pro rationabili causa, ab eadem cura solvendi, ut infra magis declarabitur. Et sequitur iterum, quòd in Ecclesia est Potestas legislativa, contra Thomam de Vio, cap. 12. & istud deducetur infra magis. De Potestate immediatè A data Apostolis (loquendo semper de ista Potestate Jurisdictionis) pro nunc dicere omitto.

Cap. VII.

In quo, ex praxi primitivæ Ecclesiæ, comparatur Potestas Jurisdictionis data Ecclesiæ, ad Petrum, sive Summos Pontifices ejus successores, quantùm ad majoritatem.

Videndum est consequenter, quoniam in Ecclesia est Potestas Jurisdictions Ecclesiasticæ, similiter & in Summo Pontifice, ex immediata Christi collatione, quomodò se habeat Ecclesia ad Summum Pontificem, quantùm ad hanc Potestatem, utrum in proportione æqualitatis, aut in proportione majoris inæqualitatis, B vel in proportione minoris inæqualitatis, & est materia hujus Tractatus principaliter intenta.

Pro qua materia, supponendum est quòd de ratione majoris Potestatis multa sunt.

Primùm, à minori ad majorem est appellatio.

Secundùm, constitutus in majore Potestate, potest judicare constitutum in minore Potestate.

Tertiùm, potest usum minoris Potestatis limitare, & quasdam constituere Leges, secundùm quas tenebitur minor procedere.

Quartùm, potest constitutum in minori Potestate eâ privare, exigente delicto.

Secundò, supponendum est, quòd quando comparo Ecclesiam, seu Concilium ad Summum Pontificem, indifferenter intelligo de Ecclesia seu Concilio eam repræsentante, non incluso Summo Pontifice, ut putà quia non est, aut si sit, non potest comparere, quia est detentus apud infideles captivus; aut si possit, contumaciter non vult, sufficienter vocatus. C

Istis suppositis, pono hanc Propositionem contra Magistrum Thomam, Cap. 17. sui Tractatus: *Ecclesia, sive Concilium Generale est in hac Potestate Summo Pontifice superior.* Et quamvis ista Propositio sit per Sacra Concilia Constantiense & Basileense determinata, ita quòd sicut Sacrum Evangelium foret veneranda; quia tamen illa Concilia, pro tempore determinationis, nullius existimat vigoris; contra eum procedam aliâ viâ.

Primò, ostendendo hanc Propositionem non esse fictionem novam, ut dicit ille Doctor; sed antiquam Doctorum sententiam.

Augustinus in Epistola ad Glorium, Eleusium, & Felicem Grammaticum, & cæteros, quæ est 162. inter Epistolas, commemorat de depositione Cæciliani Carthaginensis Episcopi, ab Episcopis Africanis injustè facta, qui videntes Orbem communicare cum Cæciliano, & non cum eo quem instituerant; nec non à transmarinis Ecclesiis (quæ in ordine ad nos sunt citramarinæ) ad Cæcilianum communicatorias literas transmitti; *Elegerunt* (dicit Augustinus) *ut fertur propter duas causas agere causam cum Cæciliano apud Melciadem Episcopum Romanum, & transmarinos Episcopos, parati ad utrumque, ut si eum potuissent quacumque versutia falsæ criminationis evincere, satiarent plenissimè cupiditatem suam: si autem non possent, in eadem quidem perversitate durarent, sed jam tamen quasi haberent quod dicerent, malos Judices se esse perpessos, quæ vox est omnium malorum litigatorum, cum fuerint etiam manifestissima veritate superati.* Et statim subdit ad propositum; quasi non eis ad hoc dici posset, & justissimè dici: *Ecce putemus illos Episcopos qui Romæ judicarunt non bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium universæ Ecclesiæ Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur.* Ex quibus verbis manifestè sequuntur duo. Primum, quòd non solùm à Sententia Summi Pontificis, verum etiam à Sententia Summi Pontificis & Concilii particularis, ad Universale Concilium appellari potest. Secundum est, quòd ab Universali Concilio, Sententia Summi Pontificis & Concilii particularis, solvi potest. Legat igitur & perlegat; & iterum relegat illam Epistolam, & non dicet fictionem esse novam Joannis de Gersonio, sed antiquam Augustini veritatem.

Secundò, probatur: nam in VIII. Concilio Cano. 21. qui incipit, *Definimus neminem prorsus*, cujus pars habetur. 22. dist. Can. *Definimus*, dicitur, *Universalis Synodus cum convenientia quamlibet quæstionem de Romanorum Sede exortam audire tenetur, & in ea proficere, non tamen audacter Sententiam in Romanum Pontificem dicere.* Ecce, quòd licèt Concilium omnem quæstionem de Romana Sede definire habeat, id tamen cum reverentia, propter ejus Primatiam facere debet, & hoc notissimum est ad majorem spectare authoritatem.

Tertiò, arguitur auctoritate Damasi Papæ, quæ ponitur inter Epistolas Ambrosii, Epistola 72. in Libris impressis: ubi deputati à Concilio Capuensi, ad cognoscendum de Bonoso Episcopo in aliquibus accusato, Sententiam sciscitati sunt à Damaso Papa, ex consilio Ambrosii, ut patet Epistol. 71. & ita respondet Damasus: sed cùm hujusmodi fuerit Concilii Capuensis Judicium, ut finitimi Bonoso Episcopo atque ejus accusatoribus Judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicensi de ejus factis cognoscerent, *Advertimus quòd nobis judicandi forma competere non posset: nam si integra esset hodie Synodus, rectè de his quæ vestrorum scriptorum comprehendit series decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis Judicium, Sententiam ferre de omnibus, nec refugiendi aut elabendi accusatoribus vel accusato copiam dare, vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus elegit.* Ecce quòd Damasus Papa dicit, se non posse de illa causa cognoscere; de qua posset, si Synodus adhuc esset integra, id est, non commisisset aliis Judicium. Et quòd illa verba non sint Ambrosii, patet ex sequentibus; subditur enim deinde: cùm Episcopus Bonosus, post Judicium, misisset ad fratrem nostrum Ambrosium, qui ejus Sententiam * consuleret interdictam sibi Ecclesiam irrumpere atque ingredi; responsum est ei, quòd nihil temerandum foret, sed omnia modestè, patienter, ordine gerenda, neque contra Sententiam vestram tentandum aliquid, ut quod videretur vobis justitiæ convenire statueretis, quibus hanc Synodus dederit authoritatem. Hoc de se non dixisset Ambrosius. Sequitur iterum: *ideò primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data, vos enim, ut scripsimus, Synodi vice decernitis, nos quasi ex Synodi authoritate judicare non convenit.* Ex his manifestè patet Damasum Papam, non solùm confessum Concilium esse eo superius in judicando, sed & ipsos Deputatos per Concilium, in ea causa in qua deputati sunt.

Quartò argitur: contulit Dominus claves Petro Summo D Pontifici, ut signo & figuræ Ecclesiæ. Ergo per ampliùs, & magis contulit Ecclesiæ. Probatur antecedens per Augustinum super Joannem, & ponitur 24. q. 1. Can. quodcumque. *Petrus quando claves accepit Ecclesiam sanctam significavit.* Nec valet dicere, sicut dicit Thomas de Vio, quòd hoc est intelligendum ad istum sensum, quòd non solùm personæ Perti: sed & officio suo in æternum duraturo, collatæ sunt claves: & quia officium Petri est officium capitis quod habet influere in corpus reliquum, ideò officio capitali data, toti corpori

* *Locus corruptus.*

Digitized by Google

pori data dicuntur & sunt. Probo enim quòd non ad illum sensum dicit Augustinus claves datas esse Ecclesiæ: quia hoc modo claves esse datas Ecclesiæ, esset eas datas esse propter Ecclesiam finaliter, & non ei datas esse formaliter, quod manifestè est contra Augustinum, dicentem in eodem Cap. *Si hoc tantùm Petro dictum est, puta, quodcumque ligaveris, &c. non hoc facit Ecclesia*, ubi pro inconvenienti infert istud consequens, quòd Ecclesia non ligat, & quòd Ecclesia non solvit.

Item, idem Augustinus super Joannem, super illo verbo, *Tu vocaberis Cephas*, Joann. I. 42. mutavit ei nomen, & fecit de Simone Petrum, Petrus autem à Petra, Petra autem Ecclesia, ergo in Petri nomine figurata est Ecclesia. Etiam ad istum sensum, Petrus & quilibet ejus Successor, utitur clavibus vice Ecclesiæ Universalis quam significat, sicut Rex quilibet, vice Communitatis exercet Jurisdictionis actus, ita quòd Summus Pontifex excommunicat, confert Beneficia, similiter & Indulgentias, & sic de aliis actibus Ecclesiasticæ Potestatis, authoritate totius Ecclesiæ. Et istud rationabile est ex eo quòd suffragia quibus privatur excommunicatus, sunt Ecclesiæ & non Summi Pontificis: hinc Prælati dicuntur nomine Ecclesiæ, & non proprio illa auferre. Erit igitur totius Ecclesiæ aliquem posse illorum participatione privare. Hinc dicit quidam Doctor, Paulum noluisse excommunicare publicum fornicarium, ut patet I. ad Corinth. v. 3. nisi Corinthiis congregatis: unde sic dicitur, *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi hominem satanæ in interitum carnis*, &c.

Et ita concedendum est, quemadmodùm Deus condens humanum genus, indidit ei naturalem Potestatem Jurisdictionis ad finem naturalem, & non alicui supposito regulariter (hæc enim Potestas communicata est particularibus suppositis à Communitate, qui sunt velut Communitatis ministri in exercitio illius Jurisdictionis, ut patet ex primo capite) ita Christus regenerans Ecclesiam ad finem supernaturalem, ei illam Potestatem positivam ad illum finem communicavit, quam posset, & etiam teneretur, cùm non semper possit esse congregata, alicui supposito communicare, qui ut minister Ecclesiæ, hanc Potestatem exerceret.) Et sicut Communitatem aliquando Deus prævenit, communicans alicui supposito civilem Potestatem (ut Moysi super populum Israël) ita & Christus Ecclesiam prævenit, communicando Ecclesiasticam Potestatem positivam Petro, ut vice Ecclesiæ eam exerceret, quam Ecclesia ei potuisset communicare, cùm prius esset à Christo instituta & Ecclesiæ collata, ut infra patebit

Quintò, arguitur: si esset ita Papæ collata Potestas super totam Ecclesiam, quòd quamvis eam exerceret in destructionem Ecclesiæ & non in ædificationem, & esset toti Ecclesiæ perniciosus, quantùm ad consecutionem finis; nec posset tamen à tota Ecclesia puniri: Primò sequitur quòd Politia Ecclesiastica non esset ita benè ordinata sicut Politia Civilis: quia contra bonam ordinationem Politiæ Civilis foret, non posse membrum aliquod auferre, cujus conversatio in destructionem totius cederet. Secundò, hoc esset in detrimentum ipsiusmet Papæ, esset enim miserabilior omnibus hominibus, si à malo compesci non posset.

Sextò, Papa est Universalis Ecclesiæ filius, ergo ei subjectus, & antecedens patet ex Ambrosio, in Libro de Symbolo, *Non habebit ibi Deum Patrem, qui noluit hic habere Ecclesiam matrem.* Cavendum est ergo Summo Pontifici, ne Ecclesiæ deneget obedientiam. *Stultus enim homo despicit matrem suam, & filius stultus mœstitia est matri suæ.* Proverb. x. I.

Septimò arguitur: si sint duo contendentes de Papatu; Ecclesia Universalis, sive Concilium eam repræsentans, est eorum Judex: ergo in utrumque habet Jurisdictionem & superioritatem. Consequentia tenet, nullus est enim ordinarius Judex alterius: quòd autem Ecclesia sit in Jurisdictione superior, patet manifestissimè ex can. *Si duo*, dist. 79.

Et istius sententiæ, scilicet quòd Ecclesia, sive Concilium Generale eam repræsentans, sit in Jurisdictione major Summo Pontifice, fuit beatus Hieronymus dicens: *Si autem authoritas quæritur, Orbis Major est Urbe.* ca. *legimus* dist. 93. Nec aliquid habet apparen-
A tiæ solutio Fratris Thomæ de Vio, dicentis Hieronymum loqui de majoritate meritorum: nam non dicit Hieronymus, si merita quærantur, sed si authoritas, & sic de majoritate Potestatis, & non meritorum loquitur.

Hanc superioritatem recognoscens Nicolaus Papa, scribit Lothario Regi, nisi vitet contubernium pellicis suæ, quæ erat excommunicata, quòd abhibitis duobus vel tribus testibus, sanctæ denuntiaret Ecclesiæ, & sic fieret sicut Ethnicus & Publicanus. II. q. 3. can. *præcipuè*; & certum est, quòd Papa non dicebat denunciaturum sibimet.

Hanc etiam superioritatem recognovit Symmachus Papa, qui cum à quibusdam accusaretur, authoritate sua Concilium congregavit, à quo inter ipsum & accusatores fertur Sententia, distinct. 17. ca. *Concilia*. §. *Hinc etiam.* Ad hac veritatem corroborandam etiam adduci posset quod scribitur Actuum. VIII. 14. quòd *Apostoli qui erant Hierosolymis, cùm audissent quia recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Joan-
B nem*: & per consequens, illa Congregatio Apostolorum erat Petro major, juxta illud quod scribitur in Luca. VII. 8. *Nam & ego homo sum sub Potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade, & vadit; & alii veni, & venit; & servo meo fac hoc, & facit.* Nec valet solutio Thomæ de Vio; dicentis II. Capit. sui Tractatus, ex hoc non sequi aliquo modo inferioritatem Petri: nam Spiritus sanctus missus est à Filio, juxta illud Joannis XVI. *Quem ego mittam vobis*, &c. & tamen non est subjectus. Et statim subdit idem Frater: malè Theologus est, qui ex missum esse, infert subditum esse: nam ista consequentia est optima, Spiritus sanctus mittitur à Filio, ergo est à Filio, vel eo inferior; & sic oportet fateatur quòd Petrus sit ab Ecclesia. Similiter nec potest rationabiliter dici, quòd Petrus fuit missus consilio & non præcepto, cùm non fuerit missus solus, sed Joannes cum eo. Et tot sunt testimonia de ista superioritate Ecclesiæ & Concilii ad Summum Pontifi-
C cem, præter determinationes Conciliorum Constantiensis & Basileensis, in quæ blasphemo ore lacessit idem Frater.

Similiter est tanta rationabilitas in lumine naturali, si benè considerentur Jurisdictionum fines, (non sunt enim Jurisdictiones possessiones particulares) ut nemo sanæ mentis de ea superioritate dubitaret: *Sed inimicus homo, qui non cessat in agro Dominico per se & suos ministros seminare zizania, cognoscens Ecclesiam non posse in capite & in membris aliter reformari, quàm per Concilium, induxit adulatores quosdam (qui plùs quærunt hominibus quàm Deo placere, & plùs quæ sua sunt, quam quæ Jesu Christi) in hunc errorem perniciosissimum Ecclesiæ, quòd Summus Pontifex ei non est subjectus. Si enim singula Beneficia vendat, aut sacrilegis & perniciosissimis personis distribuat, aut nitatur Ecclesiam omni modo destruere, non erit via ad resistendum ei, nisi Ecclesia sit eò superior.* Et ex Propositione ista, probata, meo judicio,
D sufficienter, probanda tamen inferius, descendendo ad particulares actus Jurisdictionis, infertur

Primò, quòd falsa est Glossa in Cap. *cum ex illo, De translationibus Episcoporum*, dicens illa quæ his versibus continentur ad solum Papam pertinere, si excludat Concilium.

Restituit Papa solus, deponit & ipse
Dividit, ac unit, eximit atque probat:
Articulos solvit, Synodumque facit Generalem,
Transfert & mutat, appellat ab illo nullus.

Se-

Digitized by Google

Sequitur secundò, quòd Papa ex una parte sumptus, non est majoris Potestatis, quàm totum residuum Ecclesiæ, ex altera parte; nec æqualis, cum aggregato ex ipso, & toto residuo Ecclesiæ: & ita dicam de Concilio Universali legitimè congregato, sive Papa adsit, sive non. Et istud corollarium est directè contra Thomam de Vio, 6. & 7. cap. per totum: in 6. enim capite ponit quòd Concilium authorizatum, etiam per Papam, non est majoris authoritatis quàm Papa ipse.

A Istud corollarium patet primò ex illo quod habet Glossa, in Can. *legimus*. distinct. 93. *Statuta Concilii Generalis prajudicant Statutis Papa, si contradicant.* Hinc quamvis Leo Papa reclamaverit contra Constitutionem Chalcedonensis Concilii, quòd Constantinopolitana Sedes præcederet Alexandrinam, prævaluit tamen Constitutio Concilii, reclamationi Leonis, per cap. *Antiqua. de privilegiis*, & 22. distinct. can. *renovantes.* Et istud optimè deducit Nicolaus de Cusa. Hinc etiam fit quòd consuetudo generalis Ecclesiæ, quæ unanimi consensu introducitur, Statutum Pontificale abrogat.

Secundò, probatur idem corollarium: & quantùm ad primam; si Summus Pontifex habeat Jurisdictionem super totum residuum ab ipso categorematicè, ergo poterit in illud totum, etiam invitum, aliquem actum Jurisdictionis exercere. Consequentia patet, quia Potestas Jurisdictionis Fori exterioris in invitum exerceri potest: & falsitas consequentis probatur; non potest illud totum categorematicè excommunicare, aut interdicere, ut notum est, nec ad aliquid, ipso renitente, illud obligare, ut patet per illud Augustini: *Leges instituuntur cùm promulgantur, firmantur cùm moribus utentium approbantur.* can. *In istis*, Distinct. 4. Et in eod. can. probatur illud exemplo Telesphori Papæ, qui decrevit quòd Clerici generaliter jejunarent à quinquagesima, & non potest dari alter actus Jurisdictionis quem in totum illud residuum, etiam invitum, exercere possit. Igitur, &c.

B Sequitur tertiò, quòd Ecclesiastica Potestas, est priùs tempore in Ecclesia, quàm fuerit in aliquo Summo Pontifice. Probatur; fuit instituta Ecclesiastica Potestas, & Ecclesiæ collata, *Matth.* XVIII. ut ex antedictis satis haberi potest (& hoc ponit Joannes de Gersonio, Consider. 4. sui Tractatus *De Ecclesiastica Potestate*:) Sed tunc nullus erat adhuc Summus Pontifex, nec fuit post, usque ad Resurrectionem, cùm dictum est Petro, Joann. ultimo. *Pasce ove meas.* Ergo priùs tempore fuit in Ecclesia Ecclesiastica Potestas, quàm in Summo Pontifice, sicut supra dictum est, quòd priùs in populo fuit Potestas Civilis coërcitiva, imò est in eo naturaliùs, quàm in Rege.

C Ex isto corollario sequitur aliud, quòd quamvis Christus non instituisset Petrum Summum Pontificem, hoc potuisset facere Ecclesia: & istud corollarium est expressum Henrici de Hassia, prout reperi in quodam extracto ex Opusculis ejus. Patet istud Corollarium: quia cùm illa Ecclesiastica Potestas fuerit priùs in sua plenitudine in Ecclesia; Ecclesia potuisset alicui committere, à quo non potuisset eam auferre, nisi pro causa rationabili, quemadmodùm populus civilem commisit Regi: ergo Ecclesia potuisset aliquem instituere Summum Pontificem.

Probatur secundò, & apparenter, meo judicio, idem corollarium, cùm Potestas electiva Papæ fuerit in Ecclesia, mortuo Petro, & non à Petro, ut infra probabitur, ergo à Christo. Sed non potest reperiri quando fuerit à Christo collata Ecclesiæ, nisi *Matth.* XVIII. D Nam cum dictum est Petro, *Pasce oves meas*: nihil Ecclesiæ; sed soli Petro collatum est. Ergo in Ecclesia fuit Potestas electiva Papæ, antequam Petrus fuerit Papa: & sic, cum majori apparentia dicetur Christum, cùm fecit Petrum Summum Pontificem, prævenisse Ecclesiam, & id, ex gratia, Petro contulisse, quòd Ecclesia potuisset ordinare ex Christi institutione, quàm quòd prævenerit Petrum, dando Apostolis Ordinis Potestatem, juxta phantasiam fratris Thomæ de Vio, in tertio capitulo.

CAP. VIII.

In quo ponuntur & dissolvuntur Objectiones Adversariorum.

Oppositum Propositionis probatæ in priori capitulo nituntur veritatis inimici multis rationibus suadere.

Primò. Papa est caput Ecclesiæ Universalis, & non solùm singulorum membrorum; quod monstratur primò, ex authoritate ipsius Constantiensis Concilii, ante & post electionem Martini V. ubi damnatur Propositio illa Joannis Hus; *Petrus nec est, nec fuit Caput Ecclesia Sancta Catholica*: & illa altera: *Non est scintilla apparentia, quòd oportet esse unum Caput in spiritualibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa Ecclesia Militante conversetur.* Hìc expressè damnatur quòd Petrus non fuit Caput Catholicæ Ecclesiæ: Catholicum enim, idem est quod universale; & ad hoc Hieronymus in Libro, *De Ortu & obitu Sanctorum, in Novo Testamento. Petrus*, inquit, *in Christi Ecclesia firmamentum est, Cephas corporis Christi, Principatus & Caput est.* Et hanc rationem deducit de Vio, suo sexto capite.

Secundò. Soli Petro dictum est, *Pasce oves meas.* In hoc Christus instituit regimen Ecclesiæ Monarchicum: & si ridiculosa illa responsio detur, quòd Christus dixit Petro: *Pasce oves*, non, Ecclesiam meam, quasi fecerit eum Pastorem singularum ovium, non ipsius Ecclesiæ, quæ significat totum consurgens ex omnibus ovibus; manifestè excluditur hoc, ex eo quod in Oratione dicitur. *Deus omnium fidelium Pastor & Rector, famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesia tua praesse voluisti*: & in Concilio Lugdunensi, de electione, lib. 6. cap. *ubi periculum*, Papa rector Universalis Ecclesiæ, & gregis Dominici director dicitur. Ubi patet quòd, respectu Ecclesiæ & gregis, quæ collectiones significant, & non solùm respectu particularium personarum, Pastor, Rector, & Director, est Papa.

Ampliùs, Joannis X. 16. Salvator, inquit, *Alias oves habeo, &c.* & subdit, *fiet unum ovile & unus Pastor.* At certum est quòd ovile significat unum continens oves; & ex hac authoritate arguitur sic: Ecclesia, ut una, ex Judæis & Gentilibus, est ovile, & Petrus, cui dictum est, *Pasce oves meas*, est Pastor illius ovilis; ergo Ecclesia, ut una, non est supra Papam, sed sub eo, ut ovile sub Pastore. Et confirmatur; quia Ecclesia, seu Concilium distinctum supra Papam, aut est oves, aut ovile, aut Pastor; non est oves: quia ex utrisque ovibus ovile unum constituendum dicit Dominus: non est Pastor; quia cùm Petrus sit unus Pastor Ecclesiæ, ut monstratum est, & Ecclesia esset alius Pastor: sic essent duo Pastores, contra Dominum dicentem, *fiet unus Pastor*: ergo est ovile; & cùm non sit ovile nullius Pastoris, est unum ovile unius tantum Pastoris, qui est Dominici gregis Rector & Director.

Tertiò arguitur. Non minus Papa est Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, quàm quilibet Episcopus suæ Ecclesiæ; sed quilibet Episcopus, est Episcopus singularum personarum, & totius collectionis earum in unam Communitatem, ergo & Papa: & confirmatur; quia cùm Ecclesia sit nomen collectivum, & significet collectionem fidelium (ut dicitur, *de Consecrat.* dist. 1. Can. *Ecclesia*) & Episcopus dicatur Episcopus Ecclesiæ talis; oportet ut primò sit Episcopus ipsius Ecclesiæ, & secundariò singularum personarum; ac per hoc, Papa qui intitulatur Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, & non illorum aut omnium Christianorum, est primò Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, & secundariò membrorum ejus: & quando dicitur, est Episcopus Ecclesiæ Catholicæ, est distributio accommoda; sicut quando dicitur, cælum tegit omnia.

Digitized by Google

Quartò arguitur. Papa habet supremam Potestatem in Ecclesia Dei, ergo non subest Ecclesiæ. Antecedens patet ex conditione jam dicta in Concilio Constantiensi, per Martinum V. ubi de Papa loquendo, dicitur habens supremam Potestatem in Ecclesia Dei. Consequentia probatur; quia supra supremam authoritatem in Ecclesia Dei, non potest major intelligi in eadem Ecclesia Dei. Imò ex hoc etiam sequitur, quòd tàm Ecclesia, quàm Concilium, subditur Papæ; quia non sunt duæ Supremæ Potestates in Ecclesia Dei. Principatuum enim pluralitas, cùm sit mala, ut patet XII. *Metaph.* à Jesu Christo summè bono, qui vult Ecclesiam suam optimè disponi, esse non potest. Et confirmatur hoc authoritate Innocentii Tertii, in Concilio Generali, cap. *Cum ex eo. De pœnitentiis & remiss.* ubi dicitur, quòd Romanus Pontifex, plenitudinem ditinet Potestatis. Multa alia capita ad hoc adduci possunt.

Quintò, arguitur. Papa est proximus & immediatus Vicarius Christi, non Apostolorum: ergo nullam habet in terris Potestatem priorem se. Antecedens patet in eadem condemnatione Articulorum à Martino V. in Concilio Constantiensi. Consequentia patet, quia proximo & immediato nihil est propinquius & immediatius: & ex hoc patet primò, quòd erroneum est dicere, quòd Ecclesia, ut distinguitur contra Papam, habet immediatam authoritatem à Christo supra Papam; sic enim Ecclesia, non Papa, esset immediata Vicaria Christi: impossibile est enim esse duo subordinata ambo æquè proxima & immediata à Christo. Confirmatur authoritate Thomæ dicentis, in Tract. *Contra errores Græcorum.* cap. 66. *Christi Vicarius suo Primatu & providentia, Universalem Ecclesiam, tanquam fidelis minister Christo subjectam servat*: & oppositum sentire dicit erroneum. Et istæ sunt rationes in quibus principaliter prædictus Frater Thomas de Vio se fundat.

Sextò, arguitur. Multis authoritatibus, in cap. *Significasti. De electione*, dicitur quòd Concilia Generalia recipiunt authoritatem à Papa; ergo non sunt supra Papam, cum nemini possit Papa dare Potestatem coërcitivam supra se: potest enim alicui committere ut eum absolvat à peccatis, sed non potest se alicui subjicere qui eum liget aut absolvat vinculo Excommunicationis, ut dicit Thomas, in 4. Item, in Can. *Ita Dominus.* 19. dist. Ex quo Dominus Jesus Christus munus Potestatis clavium ita ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in Beatissimo Petro Apostolorum omnium Summo principaliter collocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua in corpus omne diffunderet: ex qua authoritate patet quòd nec Ecclesia, nec Concilium, nec quæcumque persona, aliquid potest habere de Jurisdictione Ecclesiastica, nisi in quantum sibi à Papa conceditur. Item in Can. *Nemo.* 9. quæst. 3. *Nemo judicabit primam Sedem, neque enim ab Augusto, nec ab omni Clero, nec à Regibus, nec à populo Judex judicabitur*: & super illo verbo, *ab omni Clero*, dicitur quòd Concilium non potest judicare Papam, ut sequitur in eadem Glossa. Innumeræ sunt aliæ authoritates; sed omnium est similis solutio.

Solutio Rationum Thomæ de Vio.

AD primum. Negat Joannes Patriarcha Antiochenus, vir profectò doctissimus, qui interfuit Concilio Basileensi (cujus meminit Panormitanus, in Tract. quem edidit super depositione Eugenii IV.) quòd Papa sit Caput totius Ecclesiæ categorematicè, etiam loquendo de Capite ministeriali: notum est enim de Christo Capite principali. Considerato, inquit, quòd esse Caput denotat præeminentiam & superioritatem, quam Summus Pontifex non habet supra Ecclesiam, cùm non sit Dominus Ecclesiæ, sed minister, dictum est enim Petro à Christo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. XVI. 18. Et non est dictum *ædificabo Ecclesiam tuam*: major est autem qui recumbit, & minor qui ministrat, juxta dictum Salvatoris: est ergo minister inferior, & non Superior dominæ. Respectu tamen Ecclesiarum particularium, Papa est Caput ministeriale; quia ratione ministerii Petro commissi, habet super eas superioritatem. Unde Gelasius Papa, in Can. *Quamvis universæ*, 21. distinct. *Quamvis universæ per Orbem Catholicæ & Apostolicæ constitutæ sint Ecclesiæ, unus thalamus Christi sint; tamen sancta Romana Ecclesia Catholica & Apostolica, nullis Synodicis Constitutis ceteris Ecclesiis prælata est, sed voce Domini*, &c. In quo non dicit, quòd Ecclesia Romana est prælata Universali Ecclesiæ, quæ est Christi thalamus, sed ceteris Ecclesiis particulariter consideratis, ab eadem Romana distinctis. Et ad omnes authoritates sonantes quòd Papa sit Caput Ecclesiæ, respondet quod fit distributio pro particularibus Ecclesiis, & non pro tota. Et conformiter ad eum dicit Nicolaus de Cusa, ultimo capite sui secundi Tractatus. Lib. *de Concord. Catholic.* quòd constitutus est Petrus, & Summus Pontifex quilibet, Superior singulorum, sed non omnium: & eodem modo responderent ad Secundum Argumentum, in quo probatur quòd sit Pastor Universalis Ecclesiæ, & negaretur consequenter, quòd oporteat dicere quòd sit primò Caput & Pastor alicujus totius Congregationis, sed secundariò personarum singularum.

Secundò. Respondetur ad Argumentum: quamvis concedatur Petrum, aut Summum Pontificem quemcumque, esse Caput totius Ecclesiæ Universalis ministeriale; non oportere tamen omnem proprietatem capitis, propriè dicti, reperiri in isto Capite similitudinario, & hoc præcipuè cùm Ecclesia tota non dicatur corpus Petri, sed solùm Christi corpus, ut patet *ad Roman.* XII. 5. ubi dicitur; *Multi unum corpus sumus in Christo.* Et sic, ut dicatur totius Ecclesiæ Caput, non oportet quòd sit toto residuo in authoritate Superior, saltem si sit in unum congregatum per se, aut suos Legatos, principales partes repræsentantes: sed sufficit quòd in quodlibet partiale membrum superioritatem habeat, & Jurisdictionem exercere possit per totum illud corpus dispersum, ut regulariter est. Et dicitur ulteriùs, quòd dicitur Pastor totius Ecclesiæ Universalis, quantùm ad administrationem pabuli spiritualis verbi Dei, & Sacramentorum: illa enim per Concilium non exercentur, sicut actus juridici, sed per singulares personas. Et quòd ista duo Argumenta non debeant movere, &c. patet. Nam quamvis Rex dicatur caput Regni in civilibus, non est tamen concedendum quòd sit Regno congregato Superior in civilibus: pariformiter de Papa, in ordine ad Ecclesiam, dicendum est. Et ista Argumenta parum motiva sunt, ad inferendum quòd sit error intolerabilis dicere quòd Concilium sit supra Papam: *Imò, oppositum est error totius Ecclesiæ destructivus, & Ecclesiæ sponsæ Christi perniciosissimus.* Nec sequitur, ut infert idem de Vio, quòd regimen Ecclesiæ sit Aristocraticum, seu populare, in quo tota authoritas apud unum non residet: nam non dicitur regimen regale, in quo sit unicus toto residuo Superior (quia tunc non esset in civilibus regimen aliquod regale) sed quia est unicus (quolibet altero Superior) qui totius populi vices gerit, cui data est Potestas exercendi actus Jurisdictionis (habitualiter existentis in populo) vice populi, qui regulariter congregari non potest, ut ex antedictis constat satis.

Et per ista facilè solvi potest confirmatio secundi Argumenti, quòd Ecclesia distincta contra Papam, est ovile & oves Christi; nam dictum est Petro, *Pasce oves meas*, non tuas. Et illi ovili data est à Christo Potestas unumquodque membrum arcendi ad Legem Ecclesiasticam, quæ quia regulariter exerceri non potest per totum, communicavit eam uni supposito, vice totius, relinquens Ecclesiæ exemplum, quonam pacto ipse facere deberet in posterum, & ille dici potest Pastor totius residui, modo supradicto.

Digitized by Google

Ad tertium, in quo arguitur de Episcopo particulari, dicitur: quamvis concedatur quòd Episcopus particularis, tota sua Diœcesi, in Potestate Ecclesiastica, sit major; non potest tamen ex hoc idem inferri de Episcopo Universali: & ratio est; quia Episcopus particularis, non solùm gerit vices suæ Diœcesis, in ordine ad populum sibi commissum; sed etiam totius Ecclesiæ Universalis, in ordine ad eumdem populum: aliàs non posset aliquem simpliciter excommunicare, ut benè arguit Scotus. in 4. Secundò, dicitur quòd Ecclesia particularis, cui præficitur Diœcesanus aliquis, habet Superiorem communem sibi & suo Diœcesano in terris (Ecclesiam scilicet Universalem:) Propterea benè conceditur Papam esse Superiorem sua Diœcesi particulari sibi commissa, distincta contra ipsum, ut Papa.

Ad quartum, dicitur primò: quando dicitur, Papa habet summam Potestatem in Ecclesia, de singulis authoritatibus hoc sonantibus, fit comparatio solùm Papæ ad quodlibet aliud particulare suppositum, puta ad quemlibet alium Patriarcham, Primatem, Archiepiscopum & Episcopum, non autem ad totam collectionem, aut Concilium eam immediatè repræsentans, cujus est Minister: quemadmodùm, quondo dicitur Regem habere supremam Potestatem in Regno suo. Secundò dicitur: quantùm ad id quod infertur, quòd essent duæ supremæ Potestates in Ecclesia Dei (quemadmodùm dicit Carlerius in Tractatu quem edidit de authoritate Sacrorum Generalium Conciliorum, & qualiter se habent inter se authoritates eorum & Summi Pontificis, in secunda Propositione) quòd in Ecclesia, Concilio, & Papa, non sunt diversæ Potestates, sed est eadem plenitudo Potestatis; non possunt enim esse duæ plenitudines, & hoc est rationabile: nam ubi unum propter alterum, ibi unum tantùm est, secundùm regulam Aristotelis, in Topicis: sed propter Ecclesiam, est Potestas Summi Pontificis, juxta illud: *Attendite vobis & universo gregi, in quo posuit vos Deus regere Ecclesiam,* &c. Act. xx. 28. Ergo, est ibi una Potestas, quemadmodùm in Rege & Regno, quamvis in Ecclesia Potestas illa ad aliquem actum extendatur, ad quem non extenditur in Papa, putà ad electionem, & depositionem Summi Pontificis, ut infra patebit: sicut, apud sanctum Thomam, eadem est Potestas Sacerdotalis in simplici Sacerdote, & Episcopo; & tamen in Episcopo ad aliquos actus extenditur, puta ad confirmandum, & ordinandum, ad quos non extenditur, in simplici Sacerdote. Et consequenter glossandi sunt omnes textus, dicentes in Summo Pontifice esse plenitudinem Potestatis, quòd hoc est verum, tanquam in Ministro Dei & Ecclesiæ, in ordine ad singula, non consequenter ad omnia.

Ad quintum, dicitur quòd potest intelligi multipliciter quòd Papa sit proximus immediatus Vicarius Christi; uno modo, quòd immediatè sit à Christo, sine quocumque actu humano, seu sine consensu subditorum in se, vel in gerentibus vices eorum; & sic certum est nullum fuisse immediatum Christi Vicarium, quo ad Potestatem spiritualem, præter Petrum. Alio modo, quòd sit immediatus Vicarius Christi, quantùm ad exercitium Potestatis immediatè à Christo institutæ (cùm inter homines visibiliter conversaretur) & Ecclesiæ collatæ: & sic concedendum est quemlibet Summum Pontificem esse immediatum Vicarium Christi, quemadmodùm Reges singuli (juxta dictum Pauli) sunt Ministri Dei, in vindictam malefactorum, non quòd illam immediatè à Deo susceperint primo modo; sed quia ex consensu populi, habent exercitium Potestatis quam Deus indidit populo. Et quia frequenter adducitur analogia hæc de populo, probatur iterum quòd in ipso populo sit Jurisdictio hæc civilis: nam in terris immediatè subjectis Summo Pontifici, in quibus nullum recognoscit Superiorem quo ad temporalitatem, Prætores, seu Judices licitè causas sanguinis exercent, & non authoritate sua, nec authoritate alicujus Principis laïci, cùm nullus in illum populum jam habeat Jurisdictionem: nec etiam authoritate quæ sit formaliter in Summo Pontifice; *Absit enim dicere in Summo Pontifice esse formaliter Potestatem ad occidendum, cui Dominus usum gladii materialis prohibuit*: Ergo authoritate quæ est formaliter in populo. Ad confirmationem de authoritate Thomæ; parum nobis est curæ de ea, cum ejus dicta nimis secundùm literam accepta, fuerint plerisque doctrinæ ejus zelatoribus occasio errandi in hac materia.

Ad sextum, dicitur primò, quòd omnes authoritates quæ regulariter adducuntur, sunt ipsorum Summorum Pontificum, qui (ut in pluribus, fimbrias suas nimis extendentes) sibi attribuerunt quod est Ecclesiæ proprium. Nihilominùs, ad primam quæ adducitur ex Cap. *Significasti. De electione & electi Potestate*, dicitur quòd illud est intelligendum de authoritate relata ad hoc, quòd Concilia Generalia non possunt regulariter esse legitimè congregata, nisi per vocationem Papæ; de qua authoritate habetur, 17. *dist.* per totum. Sed postquam Concilia Generalia sunt authoritate Papæ, vel aliter congregata, tùm non habet suam authoritatem à Papa, sed immediatè à Christo, & illi Potestati subjicitur Summus Pontifex, sicut Minister Dominæ.

Ad authoritatem ex Can. *Dominus* 19. Distinct. dicitur quòd licèt Potestas Jurisdictionis fuerit Beato Petro tradita; fuit tamen ei tradita, ut Ministro Christi & Ecclesiæ, per Concilium repræsentatæ, considerato quòd in tali traditione, Petrus Ecclesiam significavit, ut allegatum est ex Augustino, & sic tradita est ei cum onere, quòd Petrus & ejus successores, ut Ministri Ecclesiæ, illi subjicerentur.

Ad authoritatem ex Ca. *Nemo*, dicitur primò à quibusdam, hoc esse intelligendum quantùm ad peccata occulta, non solùm quantùm ad ea quæ juridicè probari non possunt (puta per duos vel tres testes) sed quæ Ecclesiam non scandalizant & perturbant, & hoc videtur satis conforme textui; dicitur enim: *Nemo judicabit primam Sedem justitiam temperatè desiderantem*: conformiter ad illud Apostoli: *Justo non est Lex posita*. 1. Tim. 1. 9. Sed secùs est, quando notoriè scandalizat Ecclesiam, secundùm Glossam, in Can. *Si Papa*, dist. 40. Sic etiam practicatum fuit in Concilio Constantiensi, contra Joannem XXIII. Et ita respondendum est ad cetera capitula, iisdem causa & quæst. puta Ca. *Aliorum* & Ca. *facta*. Peccata verò subditorum, quamvis non sint scandalizantia, dummodò juridicè probari possint, regulariter judicantur. Posset dici secundò, hoc esse intelligendum regulariter, cùm regulariter ad Superiorem Summi Pontificis recursus haberi non possit: vel dicitur, quòd ibi, *toto Clero*, non capitur collectivè, sed distributivè. Vel dicatur, ut alii volunt, quòd capitur pro Collegio Cardinalium. Et sic ex his facilè patebit solutio omnium fundamentorum illius perniciosissimæ opinionis, quæ enervat modum omnem quo reformari possit Ecclesia, visa malitia jam currente.

CAP. IX.

Inquiritur in quo, aut in quibus sit primaria Potestas electiva Summi Pontificis.

VIso de superioritate Ecclesiæ, seu Concilii cam repræsentantis, in ordine ad Papam; nunc descendendum est ad speciales actus illius Potestis. Et primò inquiritur, in quo sit primaria Potestas electiva Papæ: & ad illud dicit prædictus frater Thomas de Vio, Cap. 6. & 13. quòd est in Summo Pontifice.

Pro cujus impugnatione, supponimus quòd hîc non inquirimus de primaria Potestate electiva simpliciter, seu constitutiva Papæ, seu applicativa Ecclesiasticæ Potestatis

testatis ad singularem personam, cùm notum sit illam esse in solo Deo: sed loquimur de primaria Potestate applicativa sub Deo, imò & sub Christo, secundùm humanitatem, secundùm quam Christus etiam est supra totam Ecclesiam, imò & supra totum Orbem: & de ista dicitur, quòd est in Ecclesia & non in Summo Pontifice.

Probatur primò. Illa primaria Potestas est in Ecclesia, aut in Summo Pontifice, (cùm non dicat aliquis Cardinales immediatè à Christo accepisse illam Potestatem.) Sed non est in Summo Pontifice; ergo in Ecclesia. Probatur Minor; quia si in solo Summo Pontifice sit illa Potestas electiva successoris, aut ordinandi à quibus & qualiter debeat eligi: sequitur, cùm Summus Pontifex sit homo peccabilis, sicut ceteri, & pravis actionibus, negligentiis, malitiis, ac nequitiis valeat irretiri, quòd posset totam Ecclesiam Christianam relinquere absque Potestate eligendi Summum Pontificem: posset enim privare Cardinales illa Potestate, cum ab ipso solo eam habeant, quo facto, vel negligendo, vel ex malitia differendo, vel tempus sufficiens non habendo, posset mori antequam de Electoribus Summi Pontificis aliquid ordinaret, & sic tota Christianitas sine Potestate eligendi Summum Pontificem remaneret. Hanc rationem tangit Guillielmus Occam, 3. *parte* sui Dialogi. *Tractat.* 1. *Lib.* 1. *Cap.* 16. Et si dicatur, sicut videtur dicere idem Frater, quòd in isto casu devolveretur Potestas illa ad Ecclesiam; tunc arguitur: Nunquam potestas aliqua, ex negligentia alicujus, devolvitur in alterum, nisi simpliciter & absolutè sit Superior: Potestas enim Papalis, propter ejus negligentiam, non devolvitur in Episcopum; sed Potestas Episcopi, de providendo Beneficio vacanti, in ejus negligentia, devolvitur ad Summum Pontificem. Ampliùs; si in illo casu habeat Ecclesia Potestatem illam, quæritur à quo habeat immediatè, cùm à semetipsa habere non possit; & si dicatur à Christo, difficile erit reperire in sacris Literis fundamentum in quo possit stabiliri, quòd in illo casu habeat, & non regulariter.

Secundò. Non est verisimile quòd Christus voluntati unius hominis commisisset authoritatem Summi Pontificis, cùm hujus charitas in tantum refrigescere facilè possit, quòd sanguinem & carnem, loco sui subrogaret, & forsitan unum pseudo-prophetam; & sic facilè una progenies diceret: *Hereditate possideamus Sanctuarium Dei*, Ps. LXXXII. 13. Et quilibet Pontifex, cùm videret instare finem dierum suorum, aliquem ex consanguineis studeret, loco sui, subrogare. Et hanc rationem tangit Armachanus, 7. *Lib. Quæstionum Armeniorum. Cap.* 19.

Tertio. Si primaria Potestas constitutiva Papæ & ordinativa de Electoribus, esset in Summo Pontifice, eodem modo primaria Potestas destitutiva Summi Pontificis, in eo casu in quo destitui posset (ut est casus hæresis) etiam apud adversarium esset in Summo Pontifice: & sic par in parem haberet Imperium, & Summus Pontifex constituere posset quòd à solis duobus, vel tribus, in casu hæresis, destitueretur Summus Pontifex. Consequentia probatur; quia per easdem causas generari habent & destrui Potestates istæ.

Quartò, arguitur sic. Si in Summo Pontifice sit Potestas electiva successoris, vel ergo est in eo Potestas electiva successoris sic, quòd per semetipsum possit successorem eligere, vel solùm quia aliquibus potest illam Potestatem communicare. Secundum nihil habet apparentiæ: si dicatur primum, ergo per hoc solùm quòd Summus Pontifex vult alterum ei succedere, & ille alter vult acceptare, ille alter efficitur Summus Pontifex. Quòd si concedatur; sequitur istud inconveniens, quòd esset in Potestate duorum, facere quòd alternatis vicibus quilibet per annum in ordine suo, esset Summus Pontifex, more Annæ & Caïphæ. Consequentia patet; quia Summus Pontifex A. pro sua voluntate potest constituere B. Summum Pontificem: & rursùm in fine Anni, B. iterum poterit constituere A, & sic consequenter.

Quintò, arguitur. Christus non contulit Summo Pontifici aliquam Potestatem perniciosam Ecclesiæ, sed ut habet Glossà, in Can. *Si Petrus*, hoc est perniciosum, quòd aliquis sibi eligeret successorem. Ergo Christus non contulit Summo Pontifici illam Potestatem: & propterea dicit Guillielmus Occam, loco præallegato, quòd nulla Potestas est concessa Summo Pontifici, quæ regulariter uni personæ perniciosè committeretur. Et ad istam propositionem videtur fuisse usus Primitivæ Ecclesiæ: nam à plebe assumebantur Curati, 51. *dist. Can. qui in aliquo*, & à Clericis & plebe Episcopi. 62. *distinct. Can. Nulla ratio.* Et à Cardinalibus Episcopis, aliisque Cardinalibus Clericis, & toto Clero, ac populo acclamante, assumebatur Summus Pontifex, 23. *distinct. Can. In nomine Domini.*

Sed contra hoc arguit adversarius. Primò, ex facto Petri; nam Petrus elegit sibi successorem, ergo & quilibet alius Summus Pontifex hoc facere potest: consequentia tenet, quia quilibet Summus Pontifex succedit Petro in eadem Potestate: & antecedens probatur per Can. *Si Petrus*. 8. quæst. 1. ubi dicitur: *Si Petrus Princeps Apostolorum adjutores sibi adscivit Linum & Cletum, non tamen Potestatem Pontificii, aut solvendi aut ligandi normam eis tradidit: sed successori suo Clementi, qui Sedem Apostolicam post eum tenere promeruit, ipso tradente sibi.*

Secundò, arguitur. Ad Romanum Pontificem spectat ordinare actum electivæ Potestatis, determinando quando & qualiter debet fieri electio, & determinando subjectum illius Potestatis, dùm constituit quòd ad duas partes Cardinalium, ad minùs, spectet electio: nec potest tota Ecclesia (Summo Pontifice secluso) illam Legem mutare.

Ad primum istorum dicitur primò, secundùm Armachanum, loco præallegato, quòd Petrus non ordinavit Clementem, sed ordinandum nominavit, patefaciens fratribus quid de suo successore sentiret: nam Matthiam, quamvis Spiritu sancto plenus, noluit sine fratrum consensu, loco Judæ, subrogare: etiam credendum est, quòd nec hoc fecerit de Clemente, nisi ad hoc Domini sensum accepisset. Propter hoc posset dici secundò, quòd instinctu Spiritus sancti hoc fecit, quo etiam suam prævidit mortem. Aliter dicit Guillielmus Occam, quòd in casu in quo non est verisimile posse congregari subditos qui eligant sibi Superiorem, & instat mors Papæ, & necessitas est quòd sit aliquis citò futurus, ad occurrendum imminenti periculo, tunc posset Summus Pontifex, ratione necessitatis instituere successorem, ne videatur Deus non sufficienter providisse suæ Ecclesiæ: & ejusdem est sententiæ Archidiaconus, in dicto Can. & ad hoc allegat Can. *primum.* 31. *quæst.* 1. ubi dicitur: *Propter necessitatem factum est quòd frater duceret sororem; sed cessante necessitate, cessat provisio.*

Ad Secundum; dicitur quòd Papa non dedit Potestatem Cardinalibus eligendi successorem: sed hoc habent ab Ecclesia, seu à Concilio eam repræsentante, & hoc patet in sexta Synodo, in Cap. *In nomine Domini*, ubi Nicolaus Papa decernit & statuit, non authoritate propria, sed Sanctorum Patrum, de modo electionis Summorum Pontificum. Ex dictis patet, quòd si Cardinales omnes essent mortui, aut nollent eligere, aut non possent, ad Universitatem fidelium spectaret eligere, aut Electores instituere, cujus est solius judicare an institutio facta per Cardinales sit sufficiens, an non.

Secundò, sequitur, quòd ubi Cardinales manifestè sibi tradita Potestate abuterentur, hæc Universitas eos privare posset hac Potestate, necnon eam aliis committere, & meo judicio, opposita opinio est error periculosissimus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

In quo inquiritur ad quem, vel ad quos spectet ultimata eorum quæ sunt Fidei resolutio, & demonstratur Papam errare posse, non Concilium.

INvestigandum est, an ad Papam, vel ad Ecclesiam, seu Concilium eam repræsentans, ultima eorum quæ sunt de Fide decisio ac determinatio spectet: hîc enim non loquimur de decisione, seu determinatione doctrinali, quæ ad unumquemque virum peritum spectare dignoscitur; sed de authoritativa & judiciali: & quantùm ad istud, dicit prædictus Frater Thomas de Vio, quòd ad Summum Pontificem ultima eorum quæ sunt Fidei decisio spectat, fundans se in dicto Sancti Thomæ 2. 2. *quæst.* 1. *Artic. ultimo*: & ultra, dicit Summum Pontificem, quamvis possit errare, errore personali, in credendo; non posse tamen errare, errore judiciali, in Fide: cujus ratio est; quia error Papæ esset error totius Ecclesiæ, quia ad ipsum spectat finaliter determinare de Fide, quid tenendum, quid repellendum, ut ab omnibus inconcussa Fide teneatur, ut dicit Sanctus Thomas, in Tractatu contra errores Græcorum, *Cap.* 67. Unde & Petro dixit Christus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*, Luc. XXII. 32. Juxta quod etiam, 24. *quæst.* 1. dicit Innocentius Papa, *Can.* Quotiens, *Quotiens ratio Fidei ventilatur, non nisi ad Petrum*, id est, *sui nominis honorem & authoritatem habentem, recurrendum est*, & istam opinionem suam deducit 9. & 11. Capitulis.

Contra quam fit ista propositio: Papa potest errare, errore judiciali, de errore personali omnibus notum est. Probatur ista propositio: duo Summi Pontifices determinaverunt contraria, etiam in his quæ Fidem tangunt, ergo alter eorum erravit, errore judiciali: antecedens patet, de Joanne XXII. & Nicolao, quorum unus determinavit judicialiter Christum & Apostolos nihil habuisse in communi, nec in proprio: alter oppositum, ut videre est in eorum extravagantibus.

Secundò. Innocentius III. & Cælestinus, determinaverunt contraria super ista propositione: *Uno conjugum ad hæresim transeunte, alter qui remanet in Fide, potest ad secunda vota transire.* Determinatio Innocentii III. quòd *non potest*, ponitur in Cap. *Quanto. De divortiis.* Determinatio Cælestini, ut dicit Glossa, in eodem Cap. *Olim*, ponebatur in Decretalibus, *de conversione conjugatorum*, in fine.

Tertiò. Aliqui statuerunt contra Evangelium, ut Pelagius, qui fecit Constitutionem quòd omnes Subdiaconi Siciliæ à suis uxoribus abstinerent, quas in minoribus Ordinibus duxerant, aut ab Officio cessarent, quam (quia erat iniqua & contra Evangelium) retractavit Gregorius I. ejus Successor, ut patet 31. dist. Can. *Ante triennium*, in textu & in Glossa; si enim potuerit judicialiter statuere contra Evangelium, ita & definire.

Quartò, arguitur. Si Summus Pontifex non possit errare judicialiter, in his quæ sunt Fidei, sequitur Summum Pontificem non posse fieri hæreticum circa propositiones nondum determinatas, & ad quas credendas non tenetur aliquis explicitè, ut erat Articulus de Conceptione, ante determinationem, & de processione Spiritus sancti à Filio: consequentia patet, quia non potest esse pertinax, cùm pertinacia nihil aliud sit, nisi nolle credere, quamvis determinetur: non enim haberet Summus Pontifex propositum illud (quòd nollet credere) quamvis ipse determinaret. Similiter sequitur ex propositione, quòd determinatio solius Summi Pontificis ligaret suum successorem. Similiter si Summus Pontifex sit hæreticus, & ad ipsum solum spectet ultima eorum quæ sunt de Fide decisio, quomodò judicari poterit esse hæreticus? Decidet enim quæcumque contra ipsum allegata, esse ad aliquem sensum intelligenda suæ assertioni non oppositum. Cujus decisioni, apud adversarium, plus Fidei tribuendum est, quàm totius residui Ecclesiæ determinationi. Mirum est enim, quòd homini hæretico ita assisteret Spiritus sanctus, quòd non fineret eum judicare & decidere esse vera, quibus assentitur, imò ad judicandum oppositum compelleret: nec valet dicere quòd non potest errare utens Concilio & requirens adjutorium Universalis Ecclesiæ; sed benè ut singularis persona, quemadmodùm erravit Liberius, contra quem ivit Hilarius, sicut dicit quidam; quia hoc nihil est aliud dicere, nisi quòd Ecclesia, sive Concilium non potest errare, & non solùm errat prædictus Frater, sed sibimet contradicit. Dicit enim in fine Capit. 4. quòd Sententia Joannis Evangelistæ, prævaluisset Sententiæ Clementis Papæ in Doctrina Fidei: si enim sententiando non potuit errare Clemens, nec Summus Pontifex quicumque, juxta promissum Christi: *Spiritus Sanctus docebit vos omnem veritatem.* Joann. XVI. 12. & secundùm Orationem Christi, quâ oravit pro Petro, ne ejus Fides deficeret, tantùm standum fuisset Sententiæ Clementis, quantùm Sententiæ Joannis, imò & plus, cùm apud Clementem fuisset (juxta dicta ejus) fienda ultima decisio Fidei, quemdmodùm apud Petrum, si adhuc supervixisset.

Ex his satis patet, quòd Summus Pontifex potest errare, sententiando in materia Fidei. Si enim errare non potuisset, frustra fuissent convocata quatuor Concilia Generalia principalia, contra quatuor Hæresiarchas, putà Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense; suffecisset enim solius Papæ decisio: imò apud adversarium tantæ Potestatis est solus Papa in definiendo, sicut aggregatum ex ipso & residuo.

Alia sunt decisa per Summos Pontifices, quæ adducit Guillielmus Occam, in prima quæstione de potestate Summi Pontificis, quæ nititur ostendere sapere hæresim. Primum est id quod habetur Extrav. *Qui filii sunt legitimi*, cap. *Per venerabilem*, ubi dicitur; *Cùm Deuteronomium Lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur, ut quod ibi decernitur, in Novo Testamento debeat observari*, &c. Quibus verbis si intelligat Innocentius III. quòd sunt observanda in sensu literali, quemadmodùm in Veteri Testamento, quo ad multa, est erroneum: quia ibi sunt multa ceremonialia, sicut patet cap. XIII. & XIV. Si autem intelligat quòd sunt observanda secundùm sensum mysticum & moralem, sic non solùm servari debent illa quæ sunt in Deuteronomio, sed etiam quæ in aliis Libris Mosis decernuntur, ut legitur, *dist.* 6. *Can. His itaque.* Multa alia adducit Doctor ille, ut videre poteris, *Cap.* 11. quæstionis prællegatæ, & unum inter cetera præcipuum est. Reperiuntur nonnulli Summi Pontifices definivisse, se in temporalibus supremam habere Potestatem, ceteri verò oppositum; & ex his sequitur corollariè, quòd determinatis per Summos Pontifices non est necessariò credendum, quamvis non sit oppositum publicè dogmatizandum, nisi de falsitate constet, ut dicit Joannes de Gersonio.

Sequitur secundò, quòd ultima resolutio in his quæ Fidei sunt, non spectat ad Summum Pontificem: non est enim verisimile, quòd homini potenti in his quæ Fidei sunt errare, ultimam commiserit Deus decisionem.

Sequitur tertiò, quòd non pro persona Petri sola, aut successoribus oravit Christus, ne deficeret Fides ejus; sed pro Universali Ecclesia per Petrum repræsentata.

Cum omnibus prædictis benè stat, quòd si Summus Pontifex faceret quod in se est, ad rectè determinandum, non permitteret Deus eum errare; imò hoc dicit Altissiodorensis, de vetula, quòd numquam permitteret Deus eam errare errore personali, in his quæ sunt Fidei,

Digitized by Google

dei, si faciat quod in se est. Sed Summus Pontifex potest sententiare aliquid esse de Fide, & non facere quod in se est ad rectè sententiandum.

Et ad Argumentum quo infert Summum Pontificem non posse errare definiendo, quia ejus error ad Ecclesiam Universalem spectaret; consequentia non valet: non enim tenetur tunc Ecclesia determinationi Summi Pontificis assentire; sicut nec tenetur, cùm Summus Pontifex aliquid præcipit contra Evangelium, A obtemperare. Et ad authoritatem sancti Thomæ, non est magna vis facienda, & ad cap. *Majores*, *De Baptismo & ejus effectu*; in quo dicitur. *Majores Ecclesiæ causas, præsertim Articulos Fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas esse, &c. dico hoc verum esse regulariter* (quia regulariter non est Ecclesia congregata) *sed non pro ultima & necessariò credenda determinatione. Vel sunt referenda Summo Pontifici, ut convocet Concilium: quia ejus est ordinairiè convocare, ad quod ultimum Judicium spectat.*

Secunda Propositio. Concilium Universale in his quæ Fidei sunt errare non potest, & sic ad ipsum ultima Fidei decisio spectat. Quòd non possit in his quæ Fidei sunt errare, patet; quia specialiter dirigitur à Spiritu sancto, qui, juxta promissum Christi, omnem veritatem docet. Unde & in conclusione Concilii Apostolorum, *Actuum* xv. 28. dixerunt Apostoli, *Visum est Spiritui sancto & nobis*, præponentes Spiritum B Sanctum tanquam Præsidentem, & specialem directorem Concilii: & non dixerunt *Visum est Petro & nobis.* Et istam conclusionem satis innuisse videtur Augustinus, cùm inquit; *Evangelio non crederem, nisi ad hoc me cogeret Ecclesiæ authoritas.* Non enim plus tenerer credere Evangelio Joannis, quàm Evangelio Gamalielis, nisi quia illum recipit Ecclesia, & non istum. Unde & in vij. Synodo, ut patet 16. *dist. Can. Placuit*, dicitur. *Placuit huic sanctæ Synodo, ut amodò confirmata & rata sint Canonum Apostolorum* LXXXV. *capitula.* Quid autem intelligat per capitula, videatur disputatio Glossæ. Et hanc indeviabilitatem à Fide, possumus deducere ex dicto Christi, cùm dicit Apostolis: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Matth. XXVIII. 20. Non enim intelligi potest illud de Apostolis, in personis eorum, cùm non erant usque ad consummationem seculi victuri; sed in eorum successoribus, nec hoc alicui certo ex successoribus promittit Christus sed collectioni: C concilium enim Generale verè repræsentat Concilium Apostolorum & Seniorum. Ista conclusio iterum patet ex alio: nam fatetur quilibet Christianus se credere in unam Sanctam Ecclesiam Catholicam, & sic ad eam eorum quæ sunt Fidei ultima decisio spectabit. Cùm enim Papa fatetur se credere in unam Sanctam Ecclesiam, non intelligit quòd credat in semetipsum. Et tanta creditur assistentia Spiritus sancti Concilio Generali, ut non solùm ipsum indeviabiliter sententiet de Fide; sed etiam aliquæ personæ assistentes Concilio ingenuè confessæ sunt & scripserunt, Concilium esse superius ad Summum Pontificem: dissoluto verò Concilio, quia non amplius eis assistebat Spiritus veritatis, in oppositum ceciderunt errorem, ut patet de Panormitano, in duobus ejus Tractatibus, quorum unum composuit in Concilio Basileensi, alterum post Concilium. Primus intitulatur, *De potestate Concilii & Papæ.* Secundus, *De depositione Eugenii.*

D Sed contra istud arguit Panormitanus, in cap. *Significasti. De electione & electi Potestate*, ubi asserit quòd est unica Ecclesia Universalis quæ errare non potest, & non Concilium; & ejus argumentum sumit prædictus Frater Thomas, & argumentum est istud: Erravit Concilium Meldense, & creditur simplici authoritati Hieronymi contra illud Concilium; nam in Concilio Meldensi, ut legitur in can. *Placuit* 36. q. 2. *Placuit ut hi qui rapiunt feminas, aut furantur, aut seducunt eas, nullatenus habeant uxores, quamvis postmodùm conveniant, aut eas dotaverint, vel nuptialiter, cum consensu parentum suorum, acceperint.* Et iisdem Causa & Quæstione, can. *Tria.* dicit Hieronymus. *Tria legitima conjugia in Scripturis leguntur. Primum*, &c. *Secundum, virgo in civitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata, si voluerit Pater ejus, dotabit eam iste vir, quantùm judicaverit, & dabit pretium pudicitiæ ejus*: & dicit Gratianus quòd authoritas Concilii non præjudicat authoritati Hieronymi, maximè cum ipsa testimonio divinæ Legis nitatur. Secundò arguitur. Unica est Ecclesia pro cujus Fide rogavit Christus, ne deficeret, quæ non est Universale Concilium, cùm Concilium sit pars ejus. Ergo Concilium errare potest.

Ad primum istorum, dicitur primò, quòd raptor, post raptum, non potest licitè ducere in uxorem raptam, quamvis dotaverit & consenserint parentes, nisi priùs condignæ subjaceat pœnitentiæ. Hoc satis benè deducit Martinus, in Libro, *De Temperantia, quæst. de raptu*; cùm talis sit excommunicatus, & excommunicatus nullum potest licitè suscipere Sacramentum. Dicitur Secundò, quòd Concilium; cùm in ipso sit plenitudo Potestatis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, potuit talem raptorem simpliciter illegetimare cum rapta, ante condignam pœnitentiam: & Martinus videtur esse opinionis quòd ita fecerit, conformiter ad can. *Si autem*, Causa & Quæstione præallegatis, ubi dicitur: *Si autem necdùm eas quas rapuerant, cum voluntate parentum, sub desponsationis, vel dotalitii nomine in conjugium duxerunt, quando hæc constituto omnibus fuerit promulgata, ab eorum conjunctione separentur; & publicæ pœnitentiæ subigantur.* Et ut dicit Martinus, hoc de raptoribus est intelligendum, & ut statim patet in eodem textu, peractâ publicâ pœnitentiâ, raptores possunt matrimonialiter conjungi, & sic videtur Concilium eos illegitimasse, usque ad peractam publicam pœnitentiam. Hieronymus autem loquitur pro tempore ante Concilium, pro quo nondum erant illegitimatæ personæ. Scio autem alios dicere esse verum Matrimonium, si contrahant ante publicam pœnitentiam, sed hic modus mihi probabilior videtur. Et ad authoritatem Gratiani, dicentis authoritatem Concilii non præjudicare authoritati Hieronymi, dico illud dictum cum paleis annumerandum esse.

Ad Secundum, quòd Concilium Generale repræsentat Ecclesiam, pro cujus Fide oravit Christus, & eodem gaudet Privilegio quo Ecclesia repræsentata, sicut omninò eandem Potestatem habet, imò Ecclesia ut dispersa, nullum actum Jurisdictionis excercere potest, nec aliquid sententialiter definire; & sic infallibilitas in definendo ei competere debet, ut congregatæ in Concilio; & si dicat quòd Papa repræsentat Ecclesiam, sicut & Concilium, ut supra frequenter dictum est, quòd ei datæ sunt claves, ut signo Ecclesiæ: ad hoc dicit Nicolaus de Cusa, quòd Papa repræsentat remotè; Concilium autem propinquissimè, cùm in eo, si sit Universale, debeat de qualibet Ecclesia particulari aliquis esse, qui gerat vices ejus, vel saltem bebeat esse sufficienter vocatus; & Privilegium Ecclesiæ transit in Concilium immediatè eam repræsentans, non autem in Summum Pontificem: & hanc materiam, scilicet de Infallibilitate Concilii, in iis quæ sunt Fidei, latè prosequitur Gulielmus Occam, 1. & 3. partibus sui Dialogi. Et istius sententiæ fuit Marsilius de Padua, Nicolaus de Cusa, & plerique Doctores, qui doctissimè scripserunt.

De errore autem facti, quòd quidem factum ex Sacris Literis trahi non potest; Concilium posse errare nemo est qui dubitet, nec illustratur à Spiritu Sancto speciali illa assistentia, nisi in necessariis: & ex hoc sequitur, non oportere quamlibet Sententiam definitivam Concilii esse veram. Aliqua enim ejus Sententia in facto consistit, puta quòd iste sit Papa, vel non sit Papa; ista uxor illius, vel non uxor illius: & quamvis Sententia sit falsa, rectè tamen & justè sententiat, quia secundùm allegata & probata.

Ex

Ex his manifestè sequitur, Papam non solùm errore personali, sed & errore judiciali errare posse in materia Fidei, sicut & in aliis materiis. Et mirum est quòd adversarii non asserunt eum impeccabilem, & credo assererent, nisi quotidiana Summorum Pontificum opera, ad credendum oppositum compellerent.

CAP. XI.

In quo inquiritur de Superioritate Concilii, respectu Summi Pontificis.

CUm ex supradictis constet Ecclesiam & Concilium esse in Jurisdictione majorem Summo Pontifice simpliciter, & in Potestate applicativa Papatûs ad certam personam, & in Potestate definitiva eorum quæ sunt Fdei; & cùm unus actus superioris Jurisdictionis sit, constitutum in inferiori deponere ab ea Potestate in qua est inferior: inquirendum est consequenter, an Concilium possit deponere Summum Pontificem, & primò utrùm in casu hæresis.

Circa quam materiam, sentit prædictus frater Thomas de Vio plura.

Primum est. Summus Pontifex factus hæreticus, non est ipso facto depositus, ut patet xix. *cap.* Libri sui; & fundamentum ejus est, quia non est ipso facto depositus Jure divino: nullum est enim Jus divinum Sententiæ latæ excommunicationis aut depositionis, quamvis benè Sententiæ ferendæ excommunicationis, ut satis benè deducit Gulielmus Occam, circa finem I. partis sui Dialogi, *De excommunicatione*. Et apud eundem Fratrem ista consequentia est bona: Non est eo facto excommunicatus; ergo non est ipso facto*: quia plùs exigitur ad incurrendum privationem ipso facto, quàm ad incurrendam excommunicationem: quoniam incursus Censurarum non requirit declarationem, sicut incursus privationis, apud Juristas. Et resolutoriè tenet, quòd nulla Jurisdictio perditur, ipso facto, per hæresim interiorem; & in hoc concordat cum Joanne de Gersonio, & in hoc ejusdem sententiæ sum cum ipso; & præter authoritates & rationes quas inducit ad hoc probandum, aliquas adducam ad probandum quòd non requiratur Fides infusa ex Jure divino, ut homo sit capax Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Nam homo cum baptizatur, ponens obicem gratiæ per peccatum mortale, non infidelitatis, sed per aliquod aliud peccatum, nullam recipit à Deo virtutem infusam, ut satis haberi potest ex iis quæ dicunt Doctores de connexione istarum virtutum Theologicarum, quantùm ad infusionem, & præsertim ex Scoto, circa finem tertii. Similiter si aliquis hæreticus desinat esse hæreticus, dissentiendo ab hæresi; sed non pœnitendo de peccato præterito (dissensus enim propositionis hæreticæ non necessariò infert Contritionem peccati præteriti) in illo non infunditur Fides infusa; quia quem Deus sanat, perfectè sanat, & tamen nullus istos diceret non esse capaces Jurisdictionis Ecclesiasticæ, si eligantur, cùm nullus sit hæreticus. Secundò, idem motivum adduci potest, quo moti sunt Sancti Patres ad damnandam hæresim eorum qui dicebant, hanc Potestatem fundari in Charitate ex Jure divino; quia tunc periret omnis certitudo Status & Ordinis hierarchici: nemo enim de altero scire potest an sit in Charitate; ita nec sciri potest utrùm sit in Fide, seu quòd non sit hæreticus, hæresi interiore. Et benè fateor hanc rationem non esse efficacem ad probandum evidenter propositum; certum est enim, quòd de nullo certitudinaliter, certitudine evidentiæ, sciri potest quòd habeat hanc Potestatem, sicut nec quòd sit baptizatus, cùm ad Baptismum requiratur intentio Ministri, de qua solus ipse, inter homines mortales, habet evidentiam.

Secundo dicit, quòd Summus Pontifex hæreticus, est deponendus. Et hoc manifestè patet ex Can. *Si Papa*, 40. *distinct.* & 24. q. 1. per multos Canones: & singuli Doctores in hoc conveniunt, vel quòd sit depositus, vel deponendus.

Tertiò dicit, quòd est deponendus à Concilio, non Potestate authoritativa quam habet super Papam, sed Potestate ministeriali quam habeat super Papam, ut patet 20. capite: & capite. 22. Ponit quòd Potestas Ecclesiæ relata ad Papam, est ministerialis; relata ad conjunctionem Petri, & Papatûs in fieri, vel dissolvi (subjecto existente disposito) est authoritativa: ita quòd Sententia definitiva ex hac authoritate procedens super conjunctionem talis materiæ, Petri hæretici cum Papatu, dissolvit auctoritativè conjunctionem illam; sicut electio Ecclesiæ auctoritativè super conjuctionem non super Papam, conjungit Petrum dispositum, id est, fidelem & voluntarium cum Papatu. Ad cujus evidentiam, notat quòd in Papa inveniuntur tria, scilicet Papatus; persona quæ est Papa, puta Petrus; & conjunctio utriusque, scilicet Papatus in Petro: ex qua conjunctione resultat Petrus Papa: Papatus est à Deo immediatè; Petrus est à Patre suo; conjunctio autem Papatus in Petro, post Petrum primum à Christo immediatè institutum, non est à Deo, sed ab homine, ut patet, quia hoc fit per electionem hominum. Concurrit autem duplex consensus humanus, ad causandum hanc Potestatem, scilicet eligentium & electi, & ista ad longum poteris videre in ipso 19. 21. & 22. capitulis, quæ non solùm falsa sunt, sed manifestè ad invicem & cum aliquibus prioribus repugnant.

Primò. Illud quod dicit, in Ecclesia esse authoritativam Potestatem super conjunctione Papatus & Petri, repugnat dictis ejus in 13. & 6. capitulis priùs impugnatis: scilicet quòd Potestas electiva Papæ, seu applicativa potestatis Ecclesiasticæ ad hanc vel illam personam, est in solo Papa.

Secundò. Ista duo repugnant, quòd sit authoritativa Potestas in Ecclesia super conjunctione Papatus & Petri, & similiter super ejus dissolutione, & non supra Papam; quod manifestè ostenditur exemplo quo utitur, retorquendo illud in ipsum: habere enim authoritativam Potestatem super hominem, non est habere authoritativam Potestatem super animam, nec super corpus, sed solùm super separationem animæ à corpore, cum nihil aliud agat authoritativè occidens hominem. Quid igitur aliud erit, habere authoritativam Potestatem super Papam, nisi posse Papatum ab ipso authoritativè separare?

Tertiò. Si Ecclesia, aut Concilium eam repræsentans, non habet authoritativam Potestatem super Papam, ergo Papa à Concilio illo citatus, non tenebitur comparere, nec contumax, non comparendo, existimari poterit. Quid ergo judicabunt, personam inauditam, nec obligatam respondere? Meritò eis dici poterit illud Apostoli. *Tu quis es qui alienum servum judicas?* Rom. xiv. 4.

Quartò. Omnis actus punitivus justè inflictus alicui personæ, ratione peccati, est ab eo qui habet authoritativam Potestatem super eum qui punitur, vel à commisso ab habente; ergo cùm ista separatio sit actus punitivus Papæ, est ab habente auctoritativam Potestatem super Papam, vel à commisso ab habente. Si tu dicas quòd est ab Ecclesia commissa à Deo habente authoritativam Potestatem super Papam; eodem modo dicam Potestatem Papæ, super quemcumque, esse ministerialem solùm, & non authoritativam.

Quintò. Ecclesia potest tunc excommunicare Papam hæreticum antequam deponat, ut patet ex primo dicto ejus, dicit enim hanc consequentiam esse bonam; non est excommunicatus ipso facto, ergo non est depositus. Ista igitur erit bona: non potest excommunicare, ergo non potest deponere: & ista; potest deponere, ergo potest excommunicare: & certum est, quòd excommunicatio est actus habentis authoritativam Pote-

* *Videtur deesse:* privatus, vel depositus.

Digitized by Google

Poteſtatem ſuper excommunicatum, & ſi concedat illud, Concilium poſſe excommunicare Papam, quomodò ſalvabit quòd in Concilio (ſecluſo Papa) nulla ſit Poteſtas Juriſdictionis?

Ampliùs, dicit Papam poſſe aliquibus (puta Dominis Cardinalibus) committere illam miniſterialem Poteſtatem ſupra Papam hæreticum, cum quo defenſare non poſſet, quin par in parem haberet imperium, & ſic eſſet verum quod dicit Gloſſa, 24. quæſt. 1. Can. *Achatius*. Hic eſt caſus in quo Papa Papam ligare poteſt: poſſet enim Papa lapſus in hæreſim, à Cardinalibus illam auferre miniſterialem Poteſtatem, & non teneretur ſubire eorum miniſteriale Judicium. Et, ut puto, ſpeciali Dei concurſu, tàm manifeſtè ad invicem repugnantia poſuit, ut ſuæ doctrinæ falſitas ex eis manifeſtè omnibus pateret; hoc eſt enim proprium falſorum teſtium, dicit Auguſt. ſuper Pſalmo. 36. *Noli æmulari*, quòd ex dictis eorum, aut ſignis aliquibus, ſemper convinci poſſunt: quod probat ex facto militum, qui erant cuſtodiæ ſepulchri Chriſti deputati, dixerunt enim. *Nobis dormientibus venerunt Diſcipuli*, &c. *Matth.* XXVIII. 13. Si enim dormiebant, quomodò ſciverunt eos veniſſe.?

Sunt igitur iſtæ Propoſitiones veræ. Prima. Papa hæreticus, hæreſi interiori ſolùm, non eſt depoſitus, ipſo facto: & hæreticus, hæreſi exteriori, non eſt depoſitus, ipſo facto, Jure divino. An autem ſit depoſitus, ipſo facto, Jure humano non Papali, ſed Conciliorum (poſſunt enim Statuta condere Sententiæ latæ depoſitionis, ſicut dicit, *de Fontibus*, ut qui poſt adeptum Beneficium infra annum nòn promovetur, ipſo facto perdat titulum) non eſt omninò improbabile dicere quòd ſic: oppoſitum tamen mihi probabilius eſt.

Secunda Propoſitio. Eſt deponendus à Concilio habente authoritativam Poteſtatem ſuper ipſum, & non ſolùm ſuper conjunctionem, à quo vocatus tenetur comparere, necnon ad interrogata reſpondere: & hanc Poteſtatem authoritativam, Papa nulli poteſt committere, cùm par in parem nullam habeat Poteſtatem: concedendum eſt tamen benè, cum Thoma de Vio, quòd Concilium nullam habet Poteſtatem ſuper Papatum in ſe conſideratum: & hoc ponit Gerſon in ſuo Tractatu, *De Eccleſiaſtica Poteſtate*, & de iſto habitum eſt ſatis in 2. capitulo.

Cap. XII.

In quo inquiritur, utrùm in aliis caſibus, præter quàm in hæreſi, deponi poſſit Summus Pontifex.

Videndum eſt conſequenter, an poſſit Summus Pontifex puniri depoſitione, propter aliud crimen ab hæreſi. Circa quam materiam prædictus frater Thomas, à XXV. capitulo incluſivè, ad finem uſque tenet quòd non: unum fundamentum ejus, in XXV. capitulo, eſt, quòd non poteſt Papa in aliquo caſu deponi, niſi in caſu determinato Lege divina. Caſus autem hæreſis in ſacra Scriptura, pleriſque in locis, eſt determinatus, ut patet, ad *Galat.* XVIII. ubi de hæretico dicitur: *Anathema ſit*, id eſt ſeparatum. Et II. ad Theſſal. III. 6. *ſubtrahatis vos*. Et II. ad Corinth. VI. 14. *Nolite jugum ducere*. Et II. Joannis II. 10. *Nolite recipere, nec ei Ave dixeritis*. Et ad Titum, III. 10. *hæreticum hominem devita*, &c. In quibus omnibus authoritatibus ſignificatur, hæreticum hominem eſſe ſeparandum & excommunicandum; & nullus eſt alius caſus exceptus: quod patet ex ſententia Salvatoris, *Matth.* XXIII. 2. *Super Cathedram Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia ergo quæcumque dixerint, facite, ſecundùm autem opera eorum nolite facere.* Ubi Dominus apertè ſtatuit ſubditos debere audire Prælatos malæ vitæ, & bonæ doctrinæ. Conſtat autem quòd doctrina ad Fidem ſpectat, vita autem & opera, ad malos mores aliorum criminum: & confirmatur ex ſententia Petri I. Epiſt. II. 18. *Obedite præpoſitis veſtris, non tantùm bonis, ſed etiam dyſcolis.* Et pro ampliori probatione ſupponit in XXVI. capitulo quòd ad hoc ut Poteſtas iſta Eccleſiaſtica conjungatur cum aliquo ſuppoſito, aliquæ diſpoſitiones requiruntur in illo ſuppoſito de neceſſitate ſimpliciter, & aliquæ de benè eſſe. Requiſitæ de neceſſi-ſimpliciter ſunt duæ, ſcilicet eſſe voluntarium, & eſſe Chriſtianum; nunquam enim aliquis quantumcumque
A electus eſt Papa, niſi conſentiat, & ſimiliter niſi ſit membrum Chriſti, non eſt Papa: ſecunda diſpoſitio exigitur de Jure divino, & prima de Jure naturæ. Requiſitæ autem diſpoſitiones ad benè eſſe, ſunt boni mores, ſcientia Eccleſiaſtica, charitas, experientia regiminis, & alia hujuſmodi; ſine his enim Petrus electus, ſi acceptat, eſt Papa, quamvis malus: & quia facilius eſt deſtruere quàm conſtruere, duabus ſimul requiſitis neceſſariò ad deſtructionem, quæcumque earum deficiat diſſolvi poteſt.

Ex his format adverſarius rationem, ad probandum intentum, hoc modo. Sola contraria (ex conditionibus neceſſariò requiſitis ad eſſe Papæ) reddunt Papam deponibilem: ſed inter crimina, ſola infidelitas contrariatur conditionibus neceſſariò requiſitis ad eſſe Papæ: ergo ſola infidelitas, inter crimina, reddit Papam deponibilem. Prima propoſitio patet ex hoc quòd depoſitio eſt non eſſe Papæ, & unumquodque in ſuo eſſe perſeverat, ſi contrarium non ſupervenit. Secunda
B autem propoſitio probata eſt, quia cetera vitia contrariantur conditionibus requiſitis ad benè eſſe Papæ. Statim ſubdit: *Vellem hanc rationem in ſtatera poni, & non frivolas & apparentes per accidentia vagantes.*

Sed, meo judicio, ſi in ſtatera poneretur, parvi reperiretur ponderis, Fides enim non requitur neceſſariò ad eſſe Papæ (cum effectus hæreticus ſit adhuc Papa, apud adverſarium; & ſi eligatur hæreticus & acceptet, efficitur Papa) ſed ſolùm requiritur neceſſariò baptiſmalis Character, qui eſt indelebilis, cum conſenſu ex parte Petri: ergo æquè fortiter probaret ſua ratio, quòd pro hæreſi deponi non poſſet. Et mirum eſt, quomodò hanc rationem tam fortem reputaverit, quæ æqualiter probaret oppoſitum determinati per ipſum in capitulis immediatè præcedentibus, ſicut propoſitum. Inſuper, ſicut reperitur in ſacris Literis, hominem hæreticum eſſe ſeparandum, ſeu excommunicandum, ita & pro aliis vitiis hoc idem reperitur, ut 1. Corinth. V. 11. *Si is qui frater nominantur inter vos, eſt fornicator,*
C *aut avarus, aut idolis ſerviens, aut maledicus, aut rapax, cum hujuſmodi ne cibum ſumere.* Et Chriſtus innuit hominem eſſe excommunicandum pro quolibet mortali, cui juncta eſt contumacia, *Matth.* XVIII. Quos paſſus, ſi gloſſaverit adverſarius, de ſubditis habentibus Superiorem; gloſſabo & ſimiliter paſſus per eum allegatos, de hæretico. Et ad dicta Salvatoris, & Petri, conceditur quòd quandiù benè docent & remanent Prælati, ſunt audiendi.

Oſtenſo ergo ſufficienter ejus opinionem non eſſe fundatam ſupra firmam petram, ſed ſupra arenam, pono hanc propoſitionem. Summus Pontifex non ſolùm deponi poteſt ab Eccleſia, ſeu Concilio, pro hæreſi; verum etiam & pro alio crimine notorio Eccleſiam ſcandalizante: probatur iſta propoſitio ex his quæ ponuntur in Epiſtola Clementis ad Jacobum. Refert enim Petrum ſibi dixiſſe cùm eum inſtitueret; *Neque enim Ju-*
D *dicem aut cognitorem ſecularium cauſarum te hodie conſtitui voluit Chriſtus, ne præfocatus præſentibus hominum curis, non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundùm veritatis regulam ſecernere bonos à malis,* & infra. *Si enim mundialibus curis fueris occupatus, teipſum decipies, & eos qui te audiunt; non enim poteris quæ ad ſalutem pertinent pleniùs ſingulis quibuſque diſtinguere, & ex eo fiet, ut tu tanquam non docueris quæ ad ſalutem hominum pertinent, deponaris, & diſcipuli per ignorantiam pereant.* Ex quibus manifeſtum eſt, Papam etiam propter negligentiam deponi poſſe. Nolo tamen aſſerere

Cle-

Digitized by Google

Clementem ita ad Jacobum scripsisse, cùm reperitur, Jacobum illum, ante Petrum octo annis decessisse martyrio; sed Ecclesia non spernit illam Epistolam: quod sufficit.

Secundò. Arguitur sic, vibrando argumentum in quo adversarii se fundant, in ipsos. Si Ecclesia non possit auferre Papam regentem eam in destructionem ejus, & catervatim animas ducentem ad inferos, suo instinctu & suo exemplo; sequitur Politiam purè naturalem & civilem, esse meliùs institutam, quàm sit Ecclesiastica Politia. Non enim benè esset instituta Politia purè civilis & naturalis, si ejus Regem perturbantem eam, destituere non posset. Imò Potestatem eum destituendi & occidendi (tanquam membrum corruptivum totius corporis) Communitas à se abdicare non potest. Imò opposito dato, videretur Politia esse serva despoticè. Cùm ergo Christus instituerit Ecclesiasticam Politiam ad finem supernaturalem, perfectiorem in suo genere, quàm sit Politia purè naturalis, cùm posteriora generatione, sint priora perfectione; sequitur quòd Politiæ Ecclesiasticæ reliquerit Potestatem, suum Principem & Regem Ecclesiasticum, si non in ædificationem, sed destructionem regat, destituendi: imò aliàs non solùm pejus instituisset eam, quàm Politiam purè civilem, sed à Communitate aliquid auferret, quod ex Jure naturali ei competere dignoscitur, necnon Communitatem Christianam liberam non effecisset, imò potiùs servam, strictissima etiam servitute. Et hanc rationem ponderet, & non eam quæ levissima est, quam magni æstimat ponderis: & dicere quòd in simili casu non reliquerit Deus remedium Communitati, nisi orationes, cùm aliud remedium opportunum & opportunius relinquere potuisset; nihil aliud est, nisi dicere Politiam Ecclesiasticam non benè institutam, & effectam servam.

Ampliùs. Notum est, seclusa hæresi, Summum Pontificem esse posse Reipublicæ ita perniciosum, quòd à Republica veniret auferendus per mortem corporalem, ex illa Potestate ei naturaliter indita. Si non possit ergo tunc destitui, aut post destitutionem, si perseveret, nec tamen per mortem corporalem auferri possit; nonne necessariò concedendum erit, Christum in instituendo Ecclesiasticam Politiam, eam privasse aliqua Potestate sibi naturaliter indita, ad ejus pacificam conservationem?

Ampliùs. Cùm duo sint contendentes de Papatu; quemlibet eorum potest Universalis Synodus prætensa Potestate privare, propter unionem & pacem Ecclesiæ, quamvis in aliquo eorum sit vera Papalis Potestas: ergo à fortiori, pro crimine perturbativo totius Ecclesiæ: & Antecedens patet manifestè, ex can. *Si duo*. 79. *distinct.* ubi dicitur; *Si duo contra fas fuerint electi, nullus eorum debet recipi, sed ille quem universalis consensus elegerit.* Et istius sententiæ est Glossa, in can. *Si Papa*, ubi dicit: *Certè credo quòd si notorium est crimen ejus quodcumque, & inde scandalizatur Ecclesia, & incorrigibilis sit, quòd inde possit accusari*: nam contumacia aliquando dicitur hæresis, ut 71. dist. Can. *Si qui Presbyteri*, & contumax dicitur infidelis, ut 38. dist. Can. *Nullus*.

Ampliùs. Si electus in Summum Pontificem non constitutus in sacris, accipiat uxorem; quis audebit dicere totum Ecclesiasticum statum ita decolorari absque possibili remedio?

Ampliùs. Si Rex aliquis in longinquam decedens regionem relinquit aliquem Vicarium generalem, & ille intereà regat tyrannicè; Vicarius ille, ut notum est, à Communitate poterit deponi: ergo eodem modo, cùm Christus decedens à Communitate Christiana, qui est verus Rex noster, reliquerit Vicarium ministrum generalem, à Communitate auferri poterit, si tyrannicè regat.

Ampliùs. Cùm ex prædictis notum sit, Ecclesiam, seu Concilium eam repræsentans, esse in casu hæresis ordinarium Judicem Papæ, & habere Potestatem authoritativam super ipsum, quoad destitutionem; & non legitur à Christo esse Ecclesiæ collata talis authoritativa Potestas in eo solo casu, imò non legitur quò Ecclesiæ fuerit collata aliqua talis, nisi *Matth.* XVIII. ubi in omni casu peccati notorii, cui juncta est contumacia, collata esse videtur. *Et hæc fuit primitivæ Ecclesiæ sententia, sanctorum Doctorum Hieronymi, Ambrosii, & Augustini: sed supervenientibus casibus in Summis Pontificibus, in quibus deponi possent, non defuerunt adulatores eis suggerentes, quòd non possent judicari; asserentes eos non ministros Ecclesiæ, sed Dominos.* Id quod mirum est; cùm singuli Doctores dicant quemcumque Prælatum in administratione Sacramentorum, esse solùm ministrum Ecclesiæ, & non Dominum: hinc in eo requiritur intentio faciendi quod Ecclesia intendit, de necessitate, & non alia, & velint nolint isti, habent hoc fateri, in exercitio Jurisdictionis.

Et si non legatur Christum dixisse auferendum esse caput, sed benè oculum, manus, aut pedes; verum est quòd nunquam auferendum est totaliter caput, sic quòd numquam sit ampliùs futurum aliquod aliud caput: sed benè auferendum est istud, sine quo in corpore remanet vita, imò quod corpori infirmitatem affert, quantùm est ex se. Ad hæc autem probanda innumeræ & rationes & authoritates adduci possunt.

Sequitur primò, quòd Potestas in Summo Pontifice à Concilio potest quibusdam certis Legibus limitari, & quantùm ad usum arctari. Si enim caput in corpore humano efficiatur languidum, seu infirmum, licitum erit ceteris membris, membrum illud ligare & cauterizare, necnon unam partem capitis abscindere, pro sanitate totius corporis.

Secundò. Sequitur corollariè quòd Concilium Generale Summum Pontificem (exigente utilitate Ecclesiæ) absque culpa ipsius Summi Pontificis, destituere potest, sicut tempore schismatis, de vero Summo Pontifice.

Similiter, si incarceratus foret apud infideles, & de ejus liberatione nulla foret spes, post adhibitum laborem ad redimendum.

Et hoc ex præcedentibus est ita notum, quòd aliis rationibus non curo munire; nec aliquid apparentiæ habet in oppositum argumentum de Petro, cùm esset in vinculis, cùm pauco tempore ibi fuerit, & de ejus deliberatione apud Fideles extiterit spes. Si enim in tali casu non posset Ecclesia Summum Pontificem sibi constituere, ita nec posset aliquem qui Summi Pontificis gereret vices. Et cùm possint occurrere multa quæ per Summum Pontificem expediri debent, ut confirmationes Archiepiscorum, & Prælatorum ei immediatè subjectorum, nullo modo illa expediri possent.

Sequitur tertiò; quòd Potestas Universalis Ecclesiæ, seu Concilii Universalis supra Papam, simpliciter & absolutè non est chimæra, ut dicit præfatus Doctor, in Ecclesiam sanctam blasphemans.

Sequitur quartò: quòd Christus non instituit Summum Pontificem suum Generalem Vicarium in omnimoda Potestate quam habebat, secundùm humanitatem: nam habebat Potestatem instituendi Sacramenta, similiter instituendi Summum Pontificem, similiter faciendi Articulum novum super infideles, & super totam Ecclesiam categorematicè, & nullam istarum habet Summus Pontifex.

Sequitur quintò. Summum Pontificem esse Vicarium Ecclesiæ Universalis & ministrum, quamvis dicatur etiam Vicarius & minister Dei; quemadmodùm Princeps Laicus est minister Communitatis, qui tamen ab Apostolo Paulo dicitur minister Dei. Sed specialiùs Summus Pontifex dicitur minister Dei & Vicarius, in quantum ministrat in ea Potestate quæ non est in Communitate naturalis, sed positiva præcisè, & ex sola institutione Dei, illa tamen Potestas est Communitati collata.

Digitized by Google

Sequitur ultimò, conformiter ad Joannem Patriarcham Antiochenum, similiter Nicolaum de Cusa, in suis Tractatibus de ista materia, quòd Concilium Generale, in singulis & omnibus est supra Summum Pontificem. Et hæc breviter, & sub compendio quodam, de ista comparatione posui, intendens amplissimum facere Tractatum de omni Potestate Ecclesiastica & Laïca, & de singulis earum actibus.

Utrùm autem Summus Pontifex possit excommunicari & suspendi manens Summus Pontifex, ita quòd si tentet facere, nihil faciat, etiam quantùm ad Absolutionem; videatur Nicolaus de Cusa. 2. parte sui Libri, *cap.* 11.

Et ad omnia capitula quæ videntur asserere Summum Pontificem non posse judicari nisi sit à Fide devius; ut Can. *Si Papa* 40. *distinct.* & Can. *Oves.* 2. q. 7. dicitur quòd *pertinax præsumitur à Fide deviare, & includitur in hæresi pertinaciæ.* Vel dicitur secundò, quòd, ut patet ex Can. *Si Papa*, in illis Canonibus dicitur nullum posse Papam judicare, & non dicitur de collectione. Dicitur tertiò, quòd contra Papam non est regulariter congregandum Concilium, nisi in casu hæresis, aut gravis peccati totam Ecclesiam scandalizantis: & ad id quod habetur. 17. *dist.* Can. *Concila* §. *Symmachus*, ubi dicitur: *Symmachus Papa, Sedis Apostolicæ Præsul, ab hujusmodi oppositionibus impetitus, quantùm ad homines respicit, sit immunis & liber, cujus causam totam Dei Judicio reservamus.* Dicitur quòd accusatores ejus non potuerunt imposita crimina probare, & sic tanquam eis secreta reliquerunt Sancti Patres in Synodo, Dei Judicio: authoritativè accusatores condemnantes.

Caput Ultimum.

In quo inquiritur, quomodò poterit Concilium contra Papam congregari.

CUm ex superioribus notum sit satis Concilium supra Papam Jurisdictionem habere; in casu igitur in quo veniret Papa judicandus, quonam pacto congregari poterit Concilium? quia non est verisimile Papam congregare contra se, inquirendum est.

Et sit Prima Proposito. Ad nullum authoritativè spectat congregare Concilium, præterquàm ad Summum Pontificem, ex Jure divino. Probatur sic: authoritativè congregare Concilium, est iis qui interesse habent præcipere, ut ad certum locum conveniant; sed nullus præter Summum Pontificem, singulis qui habent interesse, authoritativè præcipere potest, ut in certum conveniant locum, ex Jure divino; ergo nullus præter ipsum auctoritativè congregare potest: authoritativè enim congregare, est congregare ex authoritate, cui ceteri, ratione authoritatis, teneantur obtemperare. Dico notanter nullus, quia Concilium unum potest futurum Concilium authoritativè congregare, præcipiendo singulis, ut certo tempore ad certum conveniant locum. Si enim Præcepto Papæ taliter præcipientis, sit obtemperandum, de necessitate; à fortiori & Præcepto Concilii: de Collegio autem Cardinalium, apud eos qui dicunt quòd sunt de statu hierarchico, ex institutione Christi succedentes Apostolis, prout assistebant Christo & Petro, ante eorum divisionem, quemadmodùm dicit de Alliaco, non est improbabile dicere quòd Jure divino hæc authoritas illi Collegio competit; Papa nolente congregare, concurrente casu necessitatis. Unde & *Actuum.* VI. duodecim Apostoli, & non solus Petrus convocaverunt multitudinem Discipulorum. Et ex hoc iterum videtur sequi, quòd non solùm de statu Episcoporum sunt vocandi ad Concilium, ad habendum vocem deliberativam; sed & de statu Curatorum, qui succedunt Discipulis: sed de hoc aliàs. Sed cùm Papa & Collegium istud adeò obstinari possint, ut, etiam, exigente necessitate, nolint Concilium convocare, quia forsan congregandum est pro corrigendis evidentibus excessibus eorum; quonam pacto tunc congregari poterit?

Et sit secunda Propositio. Quælibet Ecclesia particularis, ad cujus notitiam pervenit congregandi Concilium necessitas, debet ceteris Ecclesiis necessitatem congregandi manifestare, & sic denunciativè congregare, non autem præceptivè, & nominando locum ad quem sit omnibus tutus accessus: debet enim oculus videns corporis periculum, ceteris indicare membris, ut contra periculum se protegat, corpus & defendat; & ista manifestatione facta, ceteræ Ecclesiæ tenentur consentire & convenire primæ, non virtute Præcepti primæ, cum in eas nullam habeat Jurisdictionem; sed virtute Præcepti divini; sicut postquam per expertum Medicum alicui indicatum est de aliquo necessario ad sui conversationem, tenetur ille ad illud, non virtute Præcepti Medici, sed virtute Præcepti Juris naturalis & divini.

Corollariè sequitur, in multis Provinciis Prælatos sufficienter instructos de necessitate Concilii, non aliter laborantes pro pace Ecclesiæ, non esse in consententia tutos.

Tertia Propositio. Si post hujusmodi insinuationem singulæ Ecclesiæ particulares ad certum locum suos Legatos mittant; apud illam collectionem residet totius Ecclesiæ authoritas, imò etiam si à casu convenirent: nam, ut dicit Joannes Gerson. *Quis dubitat apud Collegium Apostolorum* (qui à casu convenerant, ut dicitur, in transitu Virginis) *tantam fuisse authoritatem, sicut si Petri præcepto convenissent?*

Quarta Propositio. Si aliquæ particulares Ecclesiæ, insinuatione tali facta, ad certum conveniant locum, ceteris contumaciter renuentibus convenire, in illo, aut alio quocumque securo loco apud convenientes, totius Ecclesiæ residet authoritas, saltem quantùm ad procurandam necessitatem occurrentem: si enim ligata foret dextera manus, aut ad imaginationem pertinaciter nollet vacare defensioni corporis, apud sinistram tunc defendendi corpus tota residebit authoritas. Et si una pars alicujus Provinciæ, inimicis volentibus eam destruere, nolit occurrere, quis dubitat reliquam partem, quamvis sit minor numero, pro tunc habere authoritatem totam Provinciam defendendi? Et si Provinciæ alicujus pars una nollet consentire in mortem alicujus membri, cujus vita in destructionem totius Communitatis cederet, nulli dubium est, residuam partem posse illud membrum auferre, & pro tunc occurenti periculo occurrere, quamvis de aliis quæ non imminent pro tunc nihil possit statuere. Ergo & in proposito, ubi aliquæ Ecclesiæ convenient, cæteris renuentibus, quantùm ad necessitatem occurentem, in ipsis residebit authoritas.

Et hæc sunt, quæ pro authoritate Ecclesiæ Jesu Christi sponsæ scripsi Parisiis, ipso donante, contra quædam asserta à Fratre Thoma de Vio, in Tractatu quodam, quem ut ipse testatur, scripsit, Anno salutis M. D. XI. ætatis suæ XLIII. Et hæc scripsi, Anno Domini M. D. XII. Doctoratus mei Anno I. Mense II. de ætate verò, ne vento gloriæ agitari videar, taceo, in quibus si aliquid sit erroneum, protestor me semper submissum determinationi Ecclesiæ Universalis.

FINIS.

Digitized by Google

JACOBI ALMAINI
Doctoris Parisiensis
EXPOSITIO,
Circa Decisiones Magistri
GUILLIELMI OCCAM,
Super Potestate Summi Pontificis.

De Potestate Ecclesiastica & Laïca.
QUÆSTIO PRIMA.

CAP. I.
De divisione Potestatis in Ecclesiasticam, & Secularem; & de eorumdem definitionibus.

AD petitionem cujusdam Venerabilis Viri, * Doctor has octo Quæstiones de Potestate Summi Pontificis edidit, & primò quærit, utrùm B Potestas Suprema spiritualis, & Potestas Suprema secularis sive laïca, in tantum ex natura rei distinguantur, quòd simul in eundem cadere non possint, hoc est, quòd non possit unus & idem homo illas duas Potestates habere: sed antequam materiam quæstionis aggrediamur, veniunt termini declarandi.

Primò, videndum est quid sit Potestas. Secundò, quotuplex; eam dividendo in Spiritualem & Temporalem.

Unde *Potestas* in genere, nihil aliud *est*, quàm *Facultas quædam propinqua, ad exercendam aliquam operationem in aliquo supposito.* Exemplum: domificator habet potestatem domificandi, id est, facultatem, quâ in propinquo potest exire in talem operationem, & ignis habet potestatem calefaciendi. Verùm in proposito, non capitur ita generaliter, sed pro Potestate Jurisdictionis: & *Potestas Jurisdictionis est facultas propinqua Jus dicendi, id est, ferendi Sententiam etiam in invitum*, ut dicit Marsilius de Padua in secundo suo, tractans hanc mate- C riam, de Origine Potestatum, quòd Judex propriè est ille, qui habet facultatem propinquam ferendi Sententiam, & Potestatem præcipiendi ut illa Sententia demandetur executioni, & Potestatem ferendi pœnam contra non facientes, vel repugnantes: & sic illa tria sunt in Judice. Verbi gratiâ, Judex sive Præses, habet Potestatem dicendi Jus inter personas altercantes, & ferendi Sententiam inter illas; & dicto Jure, habet præcipere, ut Sententia ab eo lata demandetur executioni: hoc facto potest imponere pœnam, secundùm exigentiam negotii, non demandantibus suam Sententiam executioni, vel contradicentibus. Jam Doctor præsupponit, quòd sunt duæ tales Potestates, una Laïca, sive Temporalis; & alia Spiritualis, sive Ecclesiastica. D

Et primò videndum est de Ecclesiastica, tanquam de nobiliori. Potestas Ecclesiastica Jurisdictionis, ut dicit de Gersonio, *est Potestas à Christo Apostolis, Discipulis, & eorum legitimis successoribus supernaturaliter & specialiter tradita, ad ædificationem Ecclesiæ Militantis, secundùm Leges Evangelicas, pro consecutione felicitatis æternæ.* Primò, ponitur *Potestas* loco generis, & tangitur causa efficiens hujus Potestatis, cùm dicitur *à Christo*: nam ante adventum Christi, non erat Potestas Ecclesiastica coërcitiva, secundùm multos; & quamvis, secundùm aliquos, in antiqua Lege Mosis excommunicarent, tamen dico quòd illo modo excommunicari, erat extra Synagogam ejici. Quidquid sit de hoc, non habebant talem Potestatem Ecclesiasticam, sicut nunc habemus in Lege Gratiæ. Tangitur etiam causa materialis, & qui sunt habentes talem Potestatem, in ista particula, *Apostolis*, &c. Et causa formalis in isto verbo, *secundùm Leges Evangelicas*: A quia qui sunt tali Potestate præditi, in dicendo Jus debent uti Legibus Evangelicis Ecclesiasticis, & non Civilibus. Ultimò tangitur causa finalis in ultima particula.

Sed Potestas Laïca, sive Secularis, *est Potestas à populo ex successione hereditaria, vel ex electione alicui, vel aliquibus tradita regulariter, ad ædificationem Communitatis, quantùm ad res civiles, secundùm Leges Civiles, pro consecutione habitationis pacificæ.* Primò, tangitur causa efficiens & orgo hujus, scilicet *à populo regulariter*: & licèt aliquando Deus specialiter dederit aliquibus hanc Potestatem Laïcam, ut Saüli, 1. *Regum.* 10. & Davidi, 2. *Regum.* v. & aliquibus, qui utebantur ista Potestate super Israël, ut patet, *Judicum.* 1. tamen regulariter neminem Deus instituit.

Potestas Laïca, quo ad officium & institutionen, non quo ad communicationem, est à Deo.

HAc occasione quæritur, utrùm talis Potestas Laïca sit à Deo: & videtur quòd sic, ad Roman. XIII. 1. *Omnis anima sublimioribus Potestatibus subjecta sit*, & sequitur in textu: *Non est Potestas nisi à Deo.* Ideò talis Potestas Laïca est æquè benè à Deo, sicut Potestas Spiritualis.

Pro solutione, dicit Durandus, in 1. *de Origine Juris*, quòd Potestas Temporalis sive Laïca, est à Deo, *quantùm ad debitum*; sed frequenter non est à Deo, *quantùm ad acquisitionem & usum.* Primum probatur. Nam secundùm dictamen rectum, debitum est talem esse Potestatem: naturaliter enim judicant homines quòd oportet eos subdi alicui, qui eis Judicium & Jus, sive Justitiam administret. Ergo secundùm judicium rectum naturaliter nobis insitum, debitum est talem Potestatem Regiam, seu secularem esse: ex ordinatione enim insitum est nobis tale judicium naturale, ut conformiter ad ipsum vivamus, & hoc à Deo. Nam *signatum est lumen vultus tui super nos*, Ps. IV. 7. Hoc est, Deus naturaliter nobis inseruit lumen vultus sui; hoc est, unum judicium, quo naturaliter judicamus omnes politicè ad invicem viventes, debere esse subjectos alicui, vel aliquibus, quibus incumbat ex officio, facere mutuam justitiam. Ergo quo ad debitum, ipsa Potestas Secularis, sive Laïca, est ex ordinatione divina; sed non est à Deo regulariter, ad istum sensum, quòd alicui Deus communicaverit istam Jurisdictionem Laïcam: quia numquam alicui regulariter immediatè Deus communicavit hanc Potestatem, nec dedit speciale Præceptum, ut alicui communicaretur, ideò non est à Deo, quantùm ad istum sensum. Et sic tangitur prima differentia inter has duas Potestates; quia Ecclesiastica, est immediatè à Christo instituente: sed Laïca, quamvis à Deo sit, ex ordinatione, quantùm ad debitum, numquam tamen est à Deo regulariter & immediatè instituta. Et in primo sensu capit Paulus, *Non est Potestas nisi à Deo*, &c.

Secunda differentia: Potestas spiritualis fundatur in dono spirituali & supernaturali, alia verò non: igitur ex parte fundamenti differunt; spiritualis enim fundatur in charactere, utrùm in Fide, difficultas est; sed omnes concedunt illam fundari in charactere baptismali, hoc est, in illo dono supernaturali & spirituali. Sed Potestas Laïca non fundatur in illo, quia etiam ipsa est apud infideles. Ex hoc sequitur, quòd fuerunt baptizati Apostoli ante Cenam, quia valdè verisimile est quòd instituti sunt à Christo Sacerdotes, sicut nunc instituun-

* *Nota Almainum, in hoc Tractatu, passim, nomine Doctoris, designare Gulielmum Occam.*

Digitized by Google

tuuntur: sed modò non possunt institui nisi priùs fuerint baptizati. Igitur, &c.

Tertia differentia sumitur ex fine immediato & propinquo ordinationis Potestatis Ecclesiasticæ, ut ducantur homines, mediante ipsa, ad felicitatem æternam; sed finis alterius est, ut ordinentur homines ad pacificam cohabitationem: & sic multipliciter differunt illæ duæ Potestates, scilicet ex parte instituentis, fundamenti, & finis.

Cap. II.

De multiplici Potestate Ecclesiastica.

Consequenter videndum quotuplices sunt Potestates Ecclesiasticæ. De Alliaco, post Joannem de Parisiis, assignat sex species Potestatis Ecclesiasticæ immediatè à Christo traditas.

Prima, est Ordinis, hoc est, Sacerdotalis Potestas, & est essentialiter ipse character Sacerdotalis, & talis fuit instituta à Christo ut posteà videbitur: unde regulariter dicitur, quòd fuit instituta in Cena, quando dixit Apostolis: *Hoc facite*, Luc. XXII. 19. hoc est, accipite Potestatem hoc faciendi, hoc est, consecrandi. Armachanus dicit, quando vocavit eos Apostolos.

Secunda, est Potestas administrandi Sacramenta populo, & præcipuè Sacramentum Pœnitentiæ; & regulariùs dicitur quòd fuit instituta in die, quando insufflavit dicens: *Accipite Spiritum sanctum*, &c. Joann. XX. 22. Et ad hanc spectat Potestas baptizandi; & licèt omnes possint baptizare, in casu necessitatis, soli tamen Sacerdotes possunt ex Officio.

Tertia Potestas, est Jurisdictionis, quam definivimus suprà, & est in Foro exteriori, id est, Potestas corrigendi & inferendi pœnam in contumaces, etiam invitos; & fuit tradita Apostolis, Matth. XVIII. 15. in istis verbis: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. & habetur tandem ibi, ℣. 17. *Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*: similiter *Quæcumque solveritis & ligaveritis*, &c. ℣. 18. etiam ligamine excommunicationis.

Quarta, est Potestas instituendi Ministros, distribuendi Beneficia & Dignitates Ecclesiasticas: & quando ista fuerit collata, & quibus, est difficultas. Dicit Occam, quòd fuit data Petro, Joann. I. 42. *Tu vocaberis Cephas*, quia ad caput spectat distribuere officia membris; sed hoc non est verisimile, quia immediatè subdit, *quod* Cephas *interpretatur Petrus*. Sed opinio communior & probabilior est, quòd fuit collata per illud verbum, *Pasce oves meas*, Joann. XXI. 17. Nam ad Officium pascendi, non solùm spectat quòd audiat Confessiones, & ministret Sacramentum Pœnitentiæ; sed etiam quòd possit alios instituere super determinatas Regiones & populos, ad eos pascendos & erudiendos in necessariis ad salutem. Ideò Petro fuit data Potestas etiam instituendi Ministros, ad pascendum, & instituendum, & distribuendum ceteras dignitates Ecclesiasticas, sicut Episcopatus, Curas, &c.

Quinta Potestas, est Apostolatûs, seu Prædicationis, quod idem est: hanc contulit Apostolis Christus, Matthæi, & Marci Cap. ultimo: *Ite prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marc. XVI. 15.

Ultima Potestas Ecclesiastica, quæ oritur ex suprà dictis, est Potestas accipiendi & etiam exigendi à subditis temporalia, pro necessitatibus victûs & vestitûs, instituta à Christo, quando dixit: *Dignus est operarius mercede sua*. Luc. X. 7.

Notandum est quòd dicit Occam, in 3. parte Dialogi, *Lib.* 2. *Cap.* 3. quòd duo sunt hominum genera, & hoc habetur ex Beato Hieronymo, Can. *Duo sunt*, in Decretis: sunt enim homines Spirituales, & Laïci. Item, rerum, quædam sunt spirituales, & quædam temporales, seu seculares. Res spiritualis est, ut Evangelium, Doctrina sancta, Sacramenta, &c. Res purè seculares, ut sunt bona temporalia. Item, peccatorum, quoddam seculare, & quoddam spirituale; quia in hac definitione quæritur, ad quæ peccata se extendat Potestas illa. Occam dicit quòd *Seculare peccatum est, quod seclusa quacumque revelatione divina, & stando in Lege naturæ, esset peccatum*, ut homicidium, quia secludendo quamcumque Legem divinam, adhuc est peccatum. Sed *peccatum spirituale est, quod est de directo contra Evangelium*, quod nobis ex revelatione divina traditum est, ut peccata contra Sacramenta commissa; sicut illa quæ committuntur contra Legem naturæ, vocan-
A tur secularia. Item negotiorum, quædam sunt spiritualia, & quædam temporalia: exemplum primi, ut celebratio Missarum, exhibitio Sacramenti, conjunctio Matrimonialis, &c. Exemplum secundi, ut venditio, emptio, locatio. Item, causarum, quædam spirituales, seu Ecclesiasticæ; & quædam temporales, seu seculares: seculares, quæ sunt de negotio seculari, ut de emptione, de furto, &c. spirituales, seu Ecclesiasticæ, quæ aguntur de re spirituali, ut de simonia, Matrimonio, &c. Item, Jurisdictio, quædam Ecclesiastica, & quædam secularis: Item, Judicum, quidam Ecclesiasticus, & quidam secularis, &c.

Patet ergo, quid sit Potestas Laïca & quid Ecclesiastica, & de differentiis earum, tàm ex parte instituentis, quàm ex parte fundamenti: quia una est instituta immediatè à Christo, alia à populo; & una fundatur in prudentia & in bonis naturalibus; alia verò in bono
B spirituali supernaturali, scilicet in charactere baptismali: similiter ex parte finis differunt, & sic patet triplex earum differentia.

Cap. III.

De fundamento Potestatis Spiritualis, sive Ecclesiasticæ.

Nunc consequenter movendæ sunt quæstiones: & primò, circa Potestatem Ecclesiasticam, utrùm fundatur in Charitate, vel in Fide; vel solùm in charactere baptismali.

Pro solutione sit prima Propositio. Potestas Ecclesiastica non fundatur in Charitate. Oppositum hujus
C fuit error pauperum de Lugduno Valdensium, quem postea revocavit Joannes Wiclef, & ultimatè condemnatus contra Bohemos, in Concilio Basileensi. Apparentia pro ipsis erat, quòd antequam Christus daret hanc Potestatem Petro, præmisit signum, scilicet *Diligis me?* Joann. XXI. 15. & signum erat, quòd antequam posset illam habere, requirebatur Charitas, aliàs frustra quæsivisset *Diligis me?* Sed probatur oppositum, & sit probatio primæ Propositionis; quia sequeretur, quòd totus Ordo Ecclesiasticus esset incertus & instabilis. Patet primum; quia secundùm hunc modum dicendi, nullus auderet firmiter asserere se esse Episcopum, aut Curatum, &c. Patet, quia nullus est, de communi Lege, qui auderet firmiter asserere se esse in gratia; quia nescit homo *utrùm odio an amore dignus sit*. Eccle. IX. 1. Ergo si requiritur de necessitate Charitas, tanquam fundamentum, ut aliquis fungatur ista Pote-
D state Ecclesiastica, nullus esset certus, an haberet illam; quia, de communi Lege, nullus est ita certus, quin possit à gratia sæpius etiam in die cadere: ergo si eo ipso quòd cadit, perdatur Potestas Ecclesiastica, esset multùm incertus, &c. Quod nemo habet concedere.

Ultra dicebant Bohemi, quòd Potestas Ecclesiastica non solùm fundatur in gratia gratum faciente; sed in gratia prædestinationis: sed hoc est multò majus periculum, quàm asserere quòd in gratia gratum faciente: nam, ut imponit eis quidam Doctor, dicebant quòd gratia prædestinationis facit hominem esse membrum Ecclesiæ, & non gratia gratum faciens. Sed ad hoc sequeretur major incertitudo; quia est magis incertum aliquem esse prædestinatum, quàm esse in gratia.

Se-

Secunda Propositio, quam ego probabiliorem reputo; quia ejus opposita non est damnata. Potestas Ecclesiastica non fundatur in Fide, ex Jure divino, quamvis aliqui tenuerint oppositum, ut Occam, & de Turrecremata. Sed Gerson est ejus opinionis, quòd non necessariò requiritur Fides, ut aliquis habeat hanc Potestatem. Patet; quamvis non esset ita incertus Ordo Hierarchicus [de Fide sua, quàm de Charitate]; tamen remaneret adhuc incertus, quia nullus potest certitudinaliter scire an habeat Fidem infusam. Secundò, nullibi in Evangelio reperitur passus ad hoc probandum: ergo nihil asserendum circa hoc, nisi habeatur passus expressus. Sed apparentior ponitur ratio, & suppono quòd conferre Beneficia spectat ad Forum publicum Ecclesiasticum, tunc accipio Episcopum, vel Curatum simoniacum mentalem: & ut apparentior sit ratio, capio Papam hæreticum mentalem, qui habet errorem in intellectu, cum pertinacia in voluntate, ita quòd nullum sit signum exterius, per quod possit convinci ipsum esse hæreticum. Secundùm hanc opinionem, non esset ampliùs Papa. Patet; nullus potest fieri de non Papa, Summus Pontifex, nisi altero istorum trium modorum, scilicet quòd eligatur ab Ecclesia, vel à Concilio gerente vices Ecclesiæ, vel ab aliquibus gerentibus vices Ecclesiæ, vel Concilii, puta à Cardinalibus; vel nisi sit specialiter à Christo talis Potestas Papalis collata immediatè: sed nullo istorum modorum talis efficeretur Papa, ergò illatum verum, & non potest seipsum constituere Papam, nec tenetur in illo casu, in Foro exteriori revelare suum peccatum, neque se diffamare. Igitur jam Ecclesia exponeretur magno periculo, scilicet quòd nullus esset Papa. Ideò probabilius est, quòd Potestas Ecclesiastica, Jure divino, non fundatur in Fide infusa.

An ipso facto hæretici priventur Potestate Ecclesiastica.

Dubitatio, an hæretici sint privati ista Potestate Ecclesiastica, ipso facto quo incidunt in hæresim, vel quando incipiunt manifestare suam hæresim: & videtur quòd non perdant illam, nisi quando incipiunt manifestare suam hæresim. Per Cap. *Audivimus. De hæreticis*: dicitur quòd antequam incipiant prædicare suam hæresim, adhuc si confixerunt, eo ipso quòd incipiunt, neminem damnare possunt: sequitur ex hoc quòd antequam manifestarent suam hæresim poterant damnare, & uti tali Potestate Ecclesiastica. Pro solutione hujus, dico quòd habentes hanc potestatem correctionis, seu Potestatem à Christo collatam, non solùm habent Potestatem instituendi pœnam pro peccatis præteritis; sed etiam instituere possunt contra peccata futura aliquos Canones Sententiæ latæ, in quam incidunt transgressores, sine aliqua alia Sententia.

Prima pars patet de se. Secunda probatur: multi sunt Canones Sententiæ latæ, ut patet de percutiente Clericum: ergo Ecclesia habet hanc Potestatem. Item notum est quòd non repetens rem suam, certo tempore, talis res per authoritatem Ecclesiasticam, puta per præscriptionem, vel usucapionem efficitur alterius. Talia sunt Jura canonica Sententiæ latæ, quantùm ad præscriptiones, vel usucapiones, secundùm Leges, quæ aliquando sunt etiam Sententiæ latæ. Ergo habens Protestatem Ecclesiasticam potest edere Canonem pro peccato futuro, ita quòd transgrediens incidat in pœnam illius Canonis, eo ipso facto quòd transgreditur, in cap. *Quicumque. De concubinariis, in Pragmatica*, eo ipso quòd notori sunt concubinarii, privantur fructu futuro Beneficii per semestre, id est, per sex Menses: ergo sicut Ecclesia potest aliquem probatum hæreticum destituere à suo Beneficio, per Sententiam latam ab homine; ita potest edere Canonem, quòd quicumque incidet in hæresim manifestam, quo facto cadet in illam, erit sua Potestate Ecclesiastica privatus

Secunda Propositio est multùm apparens, quòd ita Ecclesia edidit Canonem Sententiæ latæ, quo ad privationem Beneficiorum & Potestatis Ecclesiasticæ contra hæreticos. Patet sic: sunt expressi textus ad hoc, 24. q. 1. Can. *Didicimus omnes omninò schismaticos & hæreticos nullam habere Potestatem Ecclesiasticam.* Ergo est multùm apparens & probabile quòd Ecclesia ita instituerit Canonem Sententiæ latæ, quo ad privationem omnis Potestatis Juris Ecclesiæ, contra hæreticos: & causa est, quia sunt in periculo maximo ovium sibi commissarum perdendarum. Igitur.

A

Tertia Propositio, Jurisdictio Ecclesiastica quælibet fundatur in charactere baptismali Jure divino, ita quòd nullus est capax illius, nisi habeat characterem baptismalem: ex hoc sequitur, quòd non baptizatus, non potest alia Sacramenta recipere Ecclesiastica. Ista tertia Propositio non potest evidenter probari per sacras Literas, neque per aliquid antecedens deductum ex illis; sed expresse est determinata per Ecclesiam, de Presbytero non baptizato, capit. *Si quis*, ubi dicitur, quòd si non baptizatus videatur recepisse Ordines, baptizetur, & postea reordinetur. Ergo signum est quod character baptismalis de necessitate præsupponitur, antequam aliquis recipiat hanc Potestatem Ecclesiasticam. Nam Baptismus est omnium Sacramentorum janua, & nullus efficitur membrum Ecclesiæ, nisi priùs fuerit baptizatus. Ergo in talem non baptizatum, nullam habet Jurisdictionem Summus Pontifex: ergo non potest talem ordinare quantumcumque attentet. Ultra, si non potest talem ordinare; ergo talis non est capax Potestatis Ecclesiasticæ.

B

Cap. IV.

An Potestas Ecclesiastica sit æqualis in omnibus Sacerdotibus, & utrùm ab alio quàm à Deo possit institui.

Quæritur consequenter, utrùm in quolibet Sacerdote sit æqualis Potestas Ecclesiastica, vel major in uno quàm in alio: & non quæritur utrùm sit major, secundùm institutionem humanam; sed secundùm institutionem Christi primariam & divinam, hoc est, utrùm ipsa Potestas Ecclesiastica, ex prima institutione divina, sit æqualis in omnibus Sacerdotibus.

C

Pro solutione sit prima Propositio. Omnis Potestas purè Ecclesiastica est à solo Christo instituta, & in ista parte tangitur secunda differentia inter has duas Potestates. Pro cujus declaratione supponitur illud quod habet Henricus, in suo Tractatu, *De Potestate*, quòd aliud est instituere Potestatem, & aliud instituere aliquem in aliqua tali Potestate. Unde instituere Potestatem, est facere quòd in aliqua Communitate sit illa Potestas, ad regendum talem Communitatem: sed instituere aliquem in tali Potestate, est alicui dare authoritatem, ut in supposito illius Communitatis illa Potestate utatur; & inter ista duo, unum potest esse sine alio, & unum est priùs alio. Nam priùs est instituta Potestas, quàm aliquis instituatur in illa; quia potest esse, dato quòd nulli supposito detur, & si non tempore, saltem priùs natura.

D

Sed sic est quòd Christus potuit instituere quòd in Communitate Christiana esset aliqua Potestas, quâ posset aliquis alicui subdi, & arceri à malis, & quâ peccantes posset punire, putà per excommunicationem, &c. antequam dederit alicui authoritatem utendi tali Potestate. Nam Matth. XVIII. 15. instituit authoritatem & Potestatem excommunicandi: *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. sed pro tunc, nulli supposito Ecclesiæ dedit potestatem utendi tali Potestate, scilicet excommunicandi; sed solùm *Joannis ultimo*. 17. quando dicit Petro: *Pasce oves mea.* Ergo institutio talis Potestatis præfuit, antequam esset aliquis qui haberet authoritatem

Digitized by Google

utendi tali Potestate. Similiter in civilibus, potest institui Potestas aliqua, vel aliquod genus cruciandi & puniendi malefactores, antequàm sit aliquis habens Potestatem & authoritatem utendi tali Potestate. Ideò opinio cujusdam Doctoris videtur vera, quòd quamvis Christus nullum instituisset Papam, putà Petrum: nihilominùs Ecclesia potuisset aliquem instituere Papam & supremum Hierarcham. Patet: antequam Petrus esset Papa institutus; authoritas Papalis erat jam instituta; ergo tunc per electionem potuisset fieri quòd aliquis habuisset Potestatem utendi tali Potestate in subditos Ecclesiæ, sicut nunc eligitur Papa.

Istis suppositis; patet prima Propositio, videlicet quòd Potestas Ecclesiastica est immediatè à solo Christo instituta, imò institutibilis. Patet: non potest institui Potestas ad regendum aliquam Communitatem, nisi ab illa Communitate, vel à Superiori illius Communitatis, quod probatur. Non potest aliquis obligari, nisi per consensum suum, vel ex Præcepto & voluntate Superiorum, quia non est nisi iste duplex modus obligandi: sed ista potestas Ecclesiæ, est ad regendam Communitatem Christianam; ergo non potest institui nisi à Christo Superiore hujus Communitatis, vel à Communitate Christiana, & non potest assignari Superior Communitatis Christianæ, nisi Christus vel Papa: sed non potest institui à Papa, nec à tali Communitate Christiana; ergo solùm ab ipso Christo. Quòd non à Papa, patet: prius naturâ est, esse Potestatem Papalem, quàm sit Papa; igitur. Similiter, nullus potest se instituere in aliqua Communitate Superiorem; ergo, &c. Quòd non à tota Communitate, patet: Potestas aliquid includens quod superat & excedit omnem facultatem humanam, non potest institui à Communitate humana; sed Potestas Ecclesiastica aliquid includit omnem Potestatem humanam excedens, scilicet posse pœnam relaxare in Purgatorio, & aliquem excludere à suffragiis Ecclesiæ, putà per excommunicationem: similiter includit posse consecrare Corpus Christi, quæ quidem excedunt omnem Potestatem humanam: ergo minor vera.

Hoc argumento utuntur Doctores, ad probandum quòd Ecclesia tota non potuisset instituere aliquod Sacramentum, quia Sacramentum aliquid includit, scilicet conferre gratiam, quod totam Potestatem humanam superat & transcendit; ergo non potest institui à Potestate humana.

Potestas Ordinis, æqualis est in omnibus Sacerdotibus.

SEcunda Propositio. Potestas Ecclesiastica est in singulis Sacerdotibus æqualis. Patet: quilibet Sacerdos quamlibet materiam consecrabilem consecrare potest, nec potest quicumque alter quamcumque aliam Constitutionem facere quin consecret: ergo quilibet tantam habet Potestatem consecrandi, sicut alter. Unde non potest facere Papa, quòd si Sacerdos attentet consecrare panem triticeum, quin consecret; similiter & vinum; ergo quantùm ad Consecrationem, quilibet tantam habet Potestatem super Corpus Christi & Sanguinem, sicut alius.

Utrùm Potestas administrandi Sacramentum Pœnitentiæ sit in omnibus æqualis.

TErtia Propositio. De secunda Potestate Ecclesiastica, scilicet administrandi Sacramenta fidelibus, est controversia inter Doctores, an in omnibus sit æqualis vel non, & hoc circa tria puncta: Primum, est de administratione Sacramenti Pœnitentiæ, utrùm ex institutione Christi, seclusa Constitutione humana, sit tanta Potestas in quocumque Sacerdote, sicut in quolibet alio: quod est quærere; utrùm simplex Sacerdos habeat tantam Potestatem quemcumque fidelem absolvendi sacramentaliter, sicut Papa, seclusa Constitutione humana. Secundum punctum est, utrùm ex institutione Christi, quilibet Sacerdos habeat Potestatem administrandi Sacramentum Confirmationis. Tertium, utrùm quilibet Sacerdos, ex institutione Christi, habeat authoritatem conferendi Sacros Ordines, vel non.

Quantùm ad primum, duplex est modus dicendi; A unus quem recitant communiter Doctores, & quem tenet Armachanus & Durandus, quòd omnes Sacerdotes, ex institutione prima Christi, seclusa Constitutione & Potestate humana, habent æqualem Potestatem unumquemque fidelem absolvendi. Patet: concurrentibus omnibus quæ sunt de necessitate Sacramenti secundùm institutionem Christi, est verum Sacramentum, & disposito suscipiente, talis suscipit verum effectum Sacramenti; sed ad Sacramentum Pœnitentiæ necessaria sunt minister, materia & forma. Minister, est quilibet Sacerdos ex institutione Christi, quia cuilibet Sacerdoti dictum est Joannis xx. 23. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Materia, sunt peccata confessa. Forma, est ipsa Absolutio verbalis, *Absolvo te*, &c. Dispositio suscipientis, est ipsa Contritio. Tunc arguitur sic: secundùm institutionem Christi, quilibet Sacerdos est Minister, & accepit Potestatem conferendi hoc Sacramentum, & peccata confessa, sunt materia: ergo quando ista tria concurrunt, verum est Sacramentum Pœnitentiæ. B Secundò, probatur & multùm apparenter. Quilibet Sacerdos in extrema necessitate unumquemque dispositum realiter de facto absolvit: ergo realiter de facto unumquemque absolvendi habet authoritatem. Patet: quia si non haberet, in nullo casu absolveret, quia non datur ei nova Potestas, propter novum casum supervenientem. Item, secundùm multos alios, nunquam fuit data Jurisdictio, nisi quando dictum est Petro: *Pasce oves meas*, & tamen erant Sacerdotes. Ergo quantùm ad Absolutionem Sacramentalem, quilibet, quemlibet habet Potestatem absolvendi. Præterea, ut dicit Durandus, Sacerdos revelans Confessionem punitur, non solùm tanquam revelans secretum, sed tanquam revelans Confessionem, etiam dato quòd revelaverit Confessionem non sui subditi, secundùm Constitutionem Ecclesiæ. Præterea, sit Sortes quòd ignoret Constitutionem, quòd quilibet tenetur suo proprio Curato confiteri, & confiteatur alteri non suo, non ponens obicem, recipit verum Sacramentum: ergo talis Sacerdos ministrat Sacramentum; ergo C habet Potestatem & authoritatem. Item, sit Sortes peccator, credens Platonem esse suum Curatum, qui de facto non est, ex tali ignorantia confitetur Platoni, & non ponit obicem, talis recipit verum Sacramentum: igitur Plato illum realiter absolvit; & sic, secundùm hanc opinionem, quilibet Sacerdos ex institutione divina & Christi, habet tantam Potestatem, quantùm ad illam Jurisdictionem, in Foro interiori, sicut alius, & sicut Papa; nec potest Papa facere quin absolvat si attentet, dummodò alius non ponat obicem.

Contra hoc, arguitur sic: Benè sequitur; iste de facto, qui confitetur alieno, & ignorat Constitutionem de non confitendo alieno, est absolutus; ergo si posteà perveniat ad ejus notitiam, quòd alter non erat ejus Curatus, non tenebitur ampliùs confiteri. Patet: nullus qui confessus est sua peccata & absolutus ab illis Absolutione Sacramentali, tenetur ampliùs illa confiteri, nec potest de D novo obligari ad illa confitenda: sed talis est absolutus sacramentaliter; ergo non potest iterùm de novo obligari ad illa confitenda. Patet: non est in Potestate Papæ eum qui fuerit realiter & sacramentaliter absolutus, obligare denuò ad confitendum, & hæc est propositio Gersonii. Nam in primis, confiteri peccatum est unum ex gravissimis & difficillimis Præceptis Legis novæ; sed Ecclesia non potest obligare nos ad ea quæ sunt difficillima, puta ad ingressum Religionis, & ad perpetuam continentiam; ergo, si sum jam confessus peccata mea, Ecclesia non potest me obligare ad illa eadem con-

Digitized by Google

confitenda. Sed consequens propositionis prædictæ videtur falsum, putà quòd talis qui confessus est per ignorantiam Sacerdoti, quem credebat suum Curatum esse, qui tamen non erat, non teneatur iterum illa peccata confiteri. Patet; quia quilibet semel in Anno tenetur omnia sua peccata confiteri proprio Sacerdoti. Secundò, arguit Gerson: capio peccatorem adultum, qui multa peccata commisit ante Baptismum, post Baptismum Ecclesia non potest eum obligare, ut confiteatur illa ante Baptismum commissa: ratio est, quia illa sunt sacramentaliter dimissa per Baptismum; ergo similiter dicendum est in casu prædicto. Item, multi dicunt, ut Scotus in 4. quòd peccata semel confessa & absoluta sacramentaliter, non sunt ampliùs materia Confessionis, & si confiteantur iterùm non erit Absolutio sacramentalis, nec Sacramentum, nec aliquid operabitur in eo qui iterum illa confitetur, hoc est, non conferet gratiam, & est probabilior opinio, quàm opposita: & ego concedo cum Gersonio, quòd talis non tenebitur ampliùs confiteri sua peccata, quæ fuerunt sacramentaliter dimissa. Unde dicit Gerson, in Lectionibus super Marcum, quòd Ecclesia non potest aliquem obligare ad confitendum peccata, à quibus est semel absolutus sacramentaliter; & præcipuè innititur isti rationi: non potest Ecclesia imponere onus ultra quod impositum est à Christo, & ex difficillimis; ergo cum jam adimpletum est, juxta Præceptum Christi, Ecclesia non potest ampliùs obligare ad iterum confitendum, & talis si commisit aliquod peccatum à tempore præcedentis Absolutionis, confiteatur proprio Sacerdoti.

Prima igitur opinio est, quòd Potestas absolvendi sacramentaliter à peccatis, est in omnibus Sacerdotibus æqualis, & si attentent absolvere, absolvunt, nisi confitens ponat obicem: nec potest facere Papa, quin absolvant, si attentent; quia non potest facere Papa quòd positis necessariis ad Sacramentum, quin sit Sacramentum, illis tribus supra dictis positis. Ergo non potest facere, quin suscipiens recipiat gratiam.

Secunda opinio est, quòd ex institutione Christi est major Potestas Ecclesiastica, quantùm ad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ in uno, quàm in alio. Hoc declarans Gerson, *Considerat.* 5. ait: Quòd *Antequam aliquis possit absolvi ab altero, duplex requiritur subjectio; una spontanea, quâ quis se subjicit liberè in tali Foro secreto: secunda subjectio est juridica, quæ scilicet non est ex spontanea subjectione, sed ex authoritate Superioris facta*: Imò dicit ista opinio, quòd antequam aliquis absolvat alterum simpliciter, si tentet, requiritur illa duplex subjectio, scilicet spontanea, & juridica. Ultra, dicunt Doctores, quòd ex institutione Christi, in nullius fuit Potestate, nisi in Petro; ita quòd Christus nullos homines unquam subdidit alicui nisi Petro, quando fecit eum Curatum Universalis Ecclesiæ, illo verbo: *Pasce oves meas.* Tunc Christus contulit Potestatem juridicam Petro, & cunctos Christianos signatos charactere baptismali, fecit subjectos Petro, subjectione juridica. Ultra dicunt, quòd etiam est verisimile, quòd ex institutione humana Episcopatus divisi sunt à Petro, vel à successoribus ejus, vel ab Episcopis. Nam quòd sit una Cura hîc, & alia alibi, non instituit Christus; sed institutum est ab ipso, cui à Petro, vel à successore ejus collata est Potestas instituendi & dividendi Curas & Episcopatus: nam aliis dedit authoritatem juridicam, & quibusdam certum populum. Tunc dicunt quòd nullus (dato etiam quod attentet) absolvit, nisi in illo sit illa duplex subjectio: & hæc opinio potest suaderi apparenter.

Primò, Si ex institutione Christi, quilibet posset in quemlibet uti ista Potestate clavis, sequitur quòd sicut Papa non potest impedire quin degradatus & suspensus consecret, si attentet; ita non poterit impedire quin etiam absolvat sacramentaliter in Foro conscientiæ, si tentet absolvere. Antecedens patet; quia Papa non potest immutare quod est ex institutione divina: sed ex institutione divina habet authoritatem consecrandi. Eodem modo, si habeat Potestatem absolvendi, ex institutione divina, absolvit; sed consequens est falsum: quod patet; quia qui absolvitur ab excommunicato, non est absolutus, in Cap. *Ad probandum, De Sententia & re judic.* Hoc argumentum facit de Palude, sed non est multùm ad propositum, quia loquitur de Sententia in Foro exteriori. Sed probatur apparentiùs per Cap. *Omnis utriusque sexus*, in quo dicitur, quòd si aliquis justâ de causâ alieno voluerit confiteri Sacerdoti, petat licentiam à proprio, aliàs non poterit absolvi ab alio vel ligari. Ergo iste qui non est ejus Curatus, si attentet illum absolvere non absolvet: & quòd hoc sit de Jure divino, videlicet quòd nullus possit eligere Confessorem, sine licentia sui Curati, vel Superioris, patet per Cap. *Si Episcopus. De pœnitentiis & remissionibus*, in 6. ubi dicitur, quòd nulla consuetudine introduci potest, quòd aliquis posset eligere Confessorem, præter licentiam Superioris. Tunc benè sequitur: nulla consuetudine introduci potest quòd aliquis posset eligere Confessorem qui possit absolvere per liberam subjectionem: ergo quòd iste alteri non possit, est de Jure divino; quia contra quodlibet Jus purè humanum aliqua consuetudo introduci potest. Patet per præscriptionem; imò magis statur consuetudini, quando est contra Jus purè positivum quod nihil habet de Jure divino vel naturæ admixtum. Ex quo sequitur, quòd in Papa est major Potestas administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, quàm in quocumque alio; quia Jure divino id habet. Ergo quicumque se subjicit, liberè absolvitur à Papa, & non à quocumque alio. Ex quo sequitur secundò, quòd quicumque confitetur alteri non Curato, quem credit invincibiliter esse suum Curatum, licèt absolvatur propter ignorantiam, nihilominùs illa Absolutio non est Sacramentalis. Patet: ibi non est materia Sacramenti Pœnitentiæ quæ requiritur Jure divino, scilicet subjectio illa juridica; sed in tali casu est tantummodò subjectio prima, quæ non sufficit. Igitur.

Utrùm Papa ab aliquo Sacerdote absolvi possit sacramentaliter.

Contra hanc opinionem sunt apparentiæ magnæ: quoniam secundùm hanc opinionem sequitur, quòd Papa à nullo posset absolvi sacramentaliter. Patet: quia non est alicui subjectus, nisi prima subjectione, scilicet voluntariâ, & non juridicâ: quia Papa non habet Superiorem præter Deum; ergo non est subjectus alicui, ista secunda subjectione. Ergo si requiritur ista duplex subjectio, Papa non poterit sacramentaliter ab aliquo absolvi. Item, Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit Joannis XX. 23. *Quorum remiseritis*, &c. in die Resurrectionis, serò, cùm introivit, januis clausis. Posteà fuit dictum Petro, Joan. XXI. 17. *Pasce oves meas.* Tunc arguitur sic: In illo tempore intermedio, fuerunt plusquam octo dies intermedii, à tempore institutionis Sacramenti Pœnitentiæ, antequam diceret Petro, *Pasce oves meas*, in quo verbo, fuit data illa subjectio juridica. Ergo simpliciter ex institutione divina non requiritur ista secunda subjectio, sed solùm prima.

Quantùm ad primum Argumentum, sequitur quòd Papa à nullo, &c. Nego consequentiam; quia Papa est, vel potest esse peccator; ergo potest obligari ut confiteatur; ergo potest alicui confiteri Sacerdoti. Quod autem objicitur, quia antequam Confessio sit sacramentalis, requiritur duplex subjectio de necessitate, dicit Durandus in 4. *dist.* 19. quòd est verum in omnibus aliis à Papa, dans talem causam, quòd clavis ista, quæ vocatur Potestas Jurisdictionis in Foro Pœnitentiali, quantùm est de se, est respectu omnium hominum & peccatorum, & est primum ejus dictum, quòd in institutione illa, *Quorum remiseritis*, &c. nulla fuit facta exceptio. Dicit ultra, quòd talis Potestas clavis

vis, fuit data Petro, respectu aliorum à se, ita quòd non est inclusus in illa, neque successores ejus, quia Petrus, nec ejus successor potest seipsum absolvere. Igitur à quolibet Sacerdote absolvi potest. Ideò in illo non requiritur talis secunda subjectio juridica, secùs est de aliis qui non possunt absolvi sacramentaliter, nisi sint subjecti ista duplici subjectione.

Quantùm ad secundum; cùm arguitur: Sacramentum Pœnitentiæ fuit institutum antequam diceretur Petro, *Pasce oves meas*; ergo in illo intermedio confiteri potuit, & tunc nulla erat subjectio secunda, ergo talis non requiritur, antequam quis possit hoc Sacramentum conferre, & alius recipere. Dico quòd consequentia non valet: Hoc Sacramentum erat institutum antequam diceretur Petro, *Pasce*, &c. ergo poterat conferri ab aliquo puro homine: nam Christus instituit Sacramentum Eucharistiæ antequam essent instituti Ministri & Sacerdotes; ideò non sequitur, est institutum, ergo potest conferri ab aliquo puro homine, quia stat quòd nondùm sit institutus Minister illius Sacramenti.

Alia est difficultas circa hanc materiam, & arguitur multùm apparenter. In extrema necessitate quilibet Sacerdos quemlibet absolvit sacramentaliter, etiam à quocumque peccato; & tamen non habet juridicam authoritatem super personam illam, sed solùm per liberam subjectionem: ergo illa juridica authoritas non requiritur. Quantùm ad hoc, dico quòd habet authoritatem juridicam ex commissione, quia authoritate Ecclesiæ, vel Papæ absolvit: nam Papa quemlibet Sacerdotem committere potest, ut quemlibet absolvere possit.

An Sacerdos excommunicatus, aliquem possit absolvere in articulo mortis.

Alia difficultas quam tractat de Palude, in quartum. Sortes est in extrema necessitate, vel in maximo periculo mortis, nullum habet Sacerdotem præter Sacerdotem excommunicatum; utrùm teneatur illi confiteri? Videtur quòd non, quia non debet participare cum excommunicato; à fortiori, nec cum illo in Sacramentis. Similiter videtur quòd talis Sacerdos excommunicatus, non potest illum absolvere, quia Sententia lata ab excommunicato nulla est. Dicit de Palude quòd tenetur confiteri illi, & potest illum absolvere, quia illa necessitas æquiparatur ignorantiæ, ideò excusatur, & talis necessitas non habet Legem. Nam participare cum excommunicato, qui ignoratur excommunicatus, non est peccatum, in Cap. *Ad probandum. De Sentent. & re judicata.* Si est publicè excommunicatus, Sententia & Absolutio est nulla, ergo per argumentum à contrario sensu, si est secretè, est bona. Item, certum est quòd teneor participare cum excommunicato in necessitate corporali, ergo, à fortiori, in spirituali, & animæ: ut si non possum sacramentaliter ab alio absolvi, teneor petere Absolutionem ab excommunicato; & cùm dicit de Palude quòd iste excommunicatus non possit, est solùm de Jure positivo, sed necessitas non subjicitur Legi positivæ, quamvis semper subjiciatur divinæ. Cum ergo necessitas non sit subjecta Legi positivæ, ergo potest contra rigorem Juris positivi, non autem contra intentionem. Ideò relinquitur satis probatum quòd secundùm hanc opinionem, omnes Sacerdotes sunt impares, quantùm ad hanc secundam Potestatem.

An Sacerdos possit conferre Sacramentum Confirmationis.

Alia est difficultas, utrùm omnes Sacerdotes sint æquales in administratione Sacramenti Confirmationis. Dicit Armachanus & Marsilius quòd omnes sunt æquales in collatione Sacramentorum, & quilibet potest, de facto, quamvis non possit, de Jure. Sed opinio communior est, quòd solus Episcopus est Minister hujus Sacramenti Confirmationis, & Ordinis. Patet de consuetudine, Cap. *Quando.*

Quarta Propositio. Quantùm ad hanc materiam: non omnes Sacerdotes sunt æquales, putà quantùm ad Ecclesiasticam Potestatem juridicam & publicam, quæ respicit Forum exterius, ad quam spectat peccata punire, conferre Beneficia, Constitutiones edere, A excommunicare, degradare, Indulgentias conferre: & quamvis ista Propositio non possit ex sacris Literis deduci; est tamen firmiter tenenda, ita quòd in uno est major Potestas, quàm in aliis. Patet sic: quia opposito dato, sequitur quòd Ordo Hierarchicus esset omninò inordinatus & confusus, quia quando unus ligaret, esset in Potestate alterius solvere. Item, sequitur quòd nullus Presbyter haberet Potestatem super alterum, quantùm ad hanc Potestatem coactivam, quia par in parem nullum habet imperium: unde Papa omnes potest punire, & nullus ipsum. Ergo sequitur quòd, ex institutione Christi, non omnes sunt omninò æquales. Item, si Episcopus attentet excommunicare non suum, talis non est excommunicatus: ergo non habet authoritatem à Jure divino. Item, arguitur apparenter: Christus fuit sapientissimus (quia plenus sapientiâ) & instituit optimam Politiam; sed optima Politia debet regi regimine Regali, ut dicit Aristoteles, *in Politicis*, hoc B est, quòd sit unus qui in unumquemque habeat authoritatem punitivam, & nullus alius in alium. Ergo verisimile est quòd in spiritualibus Christus instituerit Superiorem, qui habeat quemlibet coërcere & nullum super eum: ideò uni, scilicet Petro, & successoribus ejus, data est universalis Potestas constituendi Canones, & conferendi Beneficia, Dignitates Ecclesiasticas, per totum universum Orbem, & nulli alteri. Ipse enim in universo Orbe habet præventiones, & Potestatem conferendi Indulgentias plenarias in toto Orbe, & nullus alter hoc facere potest. Hìc dicit Scotus, quòd Papa potest aliquem, authoritate à Christo sibi collata, excommunicare, majori excommunicatione. Et ratio ejus est: quando est aliquis excommunicatus, majori excommunicatione, quilibet tenetur talem vitare; sed Episcopus in Diœcesi alterius non potest hoc prohibere, neque ligare majori excommunicatione, ideò sequitur quòd est major Potestas, secundùm institutionem Christi, in uno, quàm in singulis. Imò in uno est suprema, & in quibusdam aliis est solùm Potestas inferior ad C illam quæ est suprema, & talis vocatur Potestas Papalis, & *Est libera facultas propinqua utendi Potestate Ecclesiastica in quemlibet Christianum.*

Ideò resolutoriè dicendum est ad istam secundam quæstionem, quòd quantùm ad Jurisdictionem quæ respicit Forum exterius, quòd non est in singulis Sacerdotibus æqualis, sed est una suprema, scilicet in ipso Papa, etiam ex institutione Christi, & non solùm ex humana.

Cap. V.

An Suprema Potestas Ecclesiastica possit duobus simul ex æquo conferri, & ex Monarchica in Aristocraticam, aut Democraticam mutari.

D Consequenter videndum est, utrùm ista Suprema Potestas, quæ est Suprema in uno, possit duobus simul ex æquo conferri; ita quòd Politia Christiana, quæ est Regalis, possit commutari in aliam speciem, putà in Aristocratiam, aut Timocratiam, & hoc Lege Evangelica stante, propter aliquam legitimam supervenientem causam. Et videtur quòd sic; nam aliquando fuerunt duo, quorum quilibet erat Papa ex æquo. Unde unum est verisimile, quod hìc supponitur, quòd Petrus usque ad mortem exclusivè fuit Pa-

pa,

pa, sed simul cum eo, ipso adhuc vivente, fuit Clemens etiam Papa, habens plenitudinem hujusmodi Potestatis. Ergò, illa Potestas aliquandò fuit duobus communicata ex æquo. Major est nota; quia Petrus habuit illam à Christo instituente ipsum; sed Minor patet, in can. *Si Petrus*, 8. *quæst.* 1. ubi dicitur, quòd Petrus Linum & Cletum adjutores ascivit, dans normam Apostolicam: & Potestatem ligandi non contulit Lino, sed tantùm Clementi, qui, beato Petro tradente, Sedem Apostolicam meruit obtinere. Habetur ex illo Canone quòd talis Potestas ligandi & solvendi, Petro vivente, fuit in Clemente; & hoc habetur in historiis Summorum Pontificum, quòd Petrus fecit Clementem Papam, & hoc, ipso adhuc vivente.

Item, arguitur: possunt esse duo Episcopi, ex æquo, in eodem Episcopatu. Similiter duo Curati in eadem Cura: ergo & duo Papæ. Consequentia tenet; quoniam Papa nihil aliud est, quàm Curatus Universalis Ecclesiæ. Probatur Antecedens. Nam Augustinus accessit Valerio Hipponensi Episcopo, & factus est Coepiscopus. Ergò quilibet, tàm Valerius, quàm Augustinus in solidum erat Episcopus Hipponensis. Ergo, in utroque erat Potestas illa ex æquo.

Item, possunt simul esse duo Imperatores, quorum quilibet est Imperator, ex can. *Nunc autem*, 21. *Distinct.* ubi dicitur: *Tempore Maximiani & Diocletiani Augustorum.* Ex hoc verbo, Augustorum, sequitur quòd quilibet erat Augustus: ergo erant tunc duo Imperatores.

Item, supponitur, quòd omnis verus successor Petri habet eamdem, vel tantam Potestatem ex institutione Christi, quantam habuit Petrus.

Item, tunc arguitur sic: si sit possibile duobus istam supremam Potestatem communicari, ut Lino & Cleto, quæritur an Linus possit ligare Cletum, vel non: si sic, ergo Cletus non est Papa, cùm habeat Superiorem in spiritualibus, scilicet Linum, imò implicat quòd Papa habeat Superiorem in spiritualibus & Potestate Ecclesiastica, & sit Papa. Si non, ergo ista Propositio falsificatur de successore Petri, *Tibi dabo claves*, &c. *& quodcumque ligaveris super terram*, *&c.* quia non potest ligare illum: ergo non habet tantam Potestatem, quantam habuit Petrus, ex institutione Christi, & non loquor de ligatione in Foro interiori, sed exteriori coërcitivo, ubi implicat, quòd Papa juridicè ab uno ligetur (non dico à Concilio) & si talis non potest ligare, ergo non est Papa: nam Nicolaus de Cusa dicit, quòd *Papalis Potestas est libera ligandi, & solvendi facultas super alios à se*: sed in isto casu, Linus non esset Papa, quia non posset ligare Cletum, & sic videtur quòd Politia Regalis Christiana, non potest mutari in aliam speciem. Et hoc quærit Occam, in 2. parte dialogi, *lib.* 2. à capitulo 20. usque ad 28.

Pro veritate elucidanda, termini priùs declarandi sunt: nam Politia Regalis, non est nisi Politia, in qua quidem unicus rectè dominatur, ad utilitatem totius Communitatis. Aristocratica, est quando pauci dominantur, ad utilitatem Communitatis. Timocratica, quando valdè multi dominantur, ad utilitatem communem. Hoc declarat Aristoteles, VIII. *Ethic. cap.* 10. dicens, quòd triplices sunt Reipublicæ species, & totidem transgressiones, scilicet Regnum, Optimatum Potestas; & tertia, Censupotestas: & inter has, summa & optima, est Regnum; infima autem, Censu potestas; & media, Optimatum Potestas. Et species oppositæ, sive transgressiones sunt, Regni transgressio, tyrannis; Optimatum Potestatis, paucorum est potentia; & Censupotestatis, popularis Potestas. Ultra supponitur, quod nulla est Politia purè civilis, & nulla est Regalis, quin possit mutari in aliam speciem, putà Timocraticam, quia quælibet talis est instituta Jure purè positivo, ergo quælibet potest in aliam mutari.

Istis suppositis, sit prima Propositio. In nullo est suprema Potestas, spiritualis, quin, ipso vivente, alteri conferri possit. Patet; nullus habet istam plenitudinem Potestatis, quin possit liberè eâ cedere, adveniente legitima causa, quo facto, alteri poterit conferri. Major patet, per caput, *Quoniam*, in 6. *De renunciatione*. Similiter habetur de Marcellino, qui cessit Marcello: similiter de Clemente, qui cessit Lino: ergo nullus habet plenitudinem hujus Potestatis, quin simpliciter cedere possit, sicut
A dicitur in illo capite prællegato; quia tum difficultas erat, utrùm Papa posset Papatu cedere, hoc est, renunciare illi Potestati, quàm tunc habebat. Dominus de Gersonio allegat tres rationes pro una parte, sed Glossa illius capitis dicit quòd non, quia omnis renunciatio debet fieri in manibus Superiorum; sed Papa non habet Superiorem; igitur, &c. Rationes Gersonii valentiores, sunt istæ. Notum est quòd quando Papa consentit electioni, facit Votum de regenda Universali Ecclesia, sicut Monachus de observanda Regula, tunc sic, nullus potest dispensari à Voto, nisi à Superiore, sed Papa nullum habet Superiorem à quo possit dispensari super tali Voto emisso de regenda Ecclesia, nec potest in melius commutari. Ergo, non potest cedere Papatu. Secunda ratio, quia est verum Matrimonium spirituale inter Papam & Ecclesiam: sed sicut in Matrimonio carnali non fit solutio, nisi in causa fornicationis; ergo, similiter nisi Papa fuerit hæreticus, non poterit cedere à Potestate
B illa.

Tamen, non obstantibus illis rationibus, fuit conclusum quòd Papa potest cedere & renunciare, inductus exemplo illo Sanctorum, qui ita cesserunt. Contra: Non fit renunciatio, nisi in manibus Superiorum; dico quòd verum est, si talis habeat Superiorem. Ad aliud: Papa emittit Votum; sed quilibet tenetur observare Votum, nisi dispensetur ab isto habente authoritatem hoc faciendi: sed nullus est qui hoc possit facere; igitur, &c. Dicit Gerson, quòd quando Votum, vel emissio & observatio Voti vergit in detrimentum salutis, vel in pejorem exitum, putà in periculum mortis corporalis, non est observandum, ut si voverem toto isto anno manere in hoc loco, & vigeret pestis, non tenerer illud observare. Vide in capite, *De jurejurando*: sed quando potest haberi Superior, recurrendum est ad illum, ut declaret illud Votum non obligare. Ideò quando tale Votum Papæ vergit in pejorem exitum salutis, non ampliùs obligatur per illud; sed ubi est sufficiens, non debet
C cedere, nisi sit alius qui valdè notabiliter sit sufficientior. Quantùm ad tertium, dicit quòd aliud est Matrimonium corporale & spirituale: nam Matrimonium corporale denotat Matrimonium inter Christum & Ecclesiam præsentialiter, sed non significat ita præsentialiter Matrimonium inter Papam & Ecclesiam, quod non est ita dissolubile sicut corporale.

Resolutio ergo est, quòd Papa potest alteri cedere talem Potestatem supremam.

Secunda Propositio. Non potest duobus, ex æquo, ista Potestas spiritualis, stante Lege Evangelica, conferri; ita quòd quilibet habeat plenam, hoc est, quòd Potestate remanente in ipso, alicui etiam alteri conferatur. Ista Propositio ponitur in Glossa 7. q. 1. Can. *Non autem.* Nam ista duo non stant, quòd in isto remaneat plenitudo hujus Potestatis, & alteri conferatur. Et ponatur quòd sint duo, scilicet *A.* & *B.*
D habentes talem plenitudinem Potestatis spiritualis, ex æquo, tunc vel *A.* potest ligare *B.* vel non: si non potest, & priùs potuit, ergo diminuitur ejus Potestas. Si primum, sequitur videlicet, quòd possit ipsum ligare; ergo *B.* non habet istam supremam Potestatem. Glossa allegat multas rationes. Prima est, quòd Ecclesia Catholica est una. Patet: habetur in uno Articulo, *Credo in unam sanctam Ecclesiam*, *&c.* & non est una, nisi unitate capitis, & contra illum Articulum non potest fieri dispensatio; ergo non potest talis Potestas simul duobus conferri. Secunda ratio. Christus instituit unicum

Digitized by Google

unicum caput Ecclesiæ, & non potest Ecclesia contra institutionem Christi; igitur, &c. Igitur tertia ratio apparentior. Ecclesia est unum corpus mysticum, cujus Papa est caput; ergo si essent duo ex æquo, tunc illud corpus haberet duo capita non subordinata: ergo esset corpus monstruosum (quamvis habeat duo capita, unum alteri subordinatum, scilicet Papam, qui Christo vero & principali capiti Ecclesiæ subordinatur) consequens est falsum. Ergo secunda Propositio vera.

Et ad rationes in oppositum de Petro & Clemente, secundùm historias: cùm dicitur quòd Petrus instituit Clementem Papam, dico quantùm ad hoc, quòd non est evidens ex sacris Literis quòd Petrus semper fuerit Papa usque ad mortem. Fortassè videns Petrus quòd erat propinquus morti, & quòd non posset Ecclesia, neque fideles, ipso mortuo, facilè congregari, pro eligendo successore; voluit utilitati Ecclesiæ consulere & cessit. Unde dicit Occam, quòd non regulariter Papa potest instituere successorem, sed solùm in casu, putà, quando sequitur magna utilitas Ecclesiæ, & periculum est in mora, tunc potest cedere, & alterum constituere. Secundò. Dicit quòd in illo Canone prææallegato, non habetur quòd Petrus instituerit Clementem Papam; sed solùm quòd dederit illi Potestatem ligandi, & solvendi, sicut suo Vicario, sed tamen dependenter; sicut Episcopus potest instituere Vicarium, & tantùm operabitur ad hoc quod est ligare & solvere, quantùm proprius Episcopus, sicut Episcopi suffraganei; sed tamen dependenter, quia poterit retrahere, quando voluerit. Dico etiam quòd Petrus instituit Clementem Vicarium: sed tunc est difficile salvare quomodò Clemens successerit Papatui, nisi fuerit electus post mortem Petri. Quantùm ad secundum argumentum, stat in eodem Episcopatu esse ex æquo duos Episcopos, ut de Augustino & Valerio, in Can. *Non autem*. Glossa dicit quòd Augustinus non erat adeò principalis Episcopus, ut Valerius; sed Valerius, retento titulo, administrationem dedit Augustino, tanquam idoneo ac Suffraganeo, retenta tamen dignitate Episcopali. Verumtamen, dato quòd possint esse duo Episcopi ex æquo; tamen non sequitur quòd duo Summi Pontifices simul esse possint; & ratio est: nam quòd in Episcopatu Hipponensi, vel alio, sint duo Episcopi, hoc non est ex institutione divina & Christi; sed ex humana. Sed quòd sit aliquis qui habeat regere totam Christianitatem, est ex institutione Christi, & quòd aliquis regat hunc Episcopatum, est ex institutione humana; ideò potest committi duobus ex æquo: alia verò quæ est ex institutione Christi, non potest, neque aliquis potest contra talem Constitutionem, quod, ex æquo, duobus conferatur. Ideò consequentia non valet, videlicet, possunt esse duo Episcopi in uno Episcopatu, ergo & duo Summi Pontifices. Ad secundum, cùm dicitur, possunt esse duo Imperatores, ex æquo, transeat; nam Imperium non est Dominium à Jure divino introductum, sed solùm à Jure positivo, & ideò Dominium Regale potest mutari in Aristocraticum, vel Timocraticum: sed ipsa Potestas Papalis suprema in spiritualibus, est Potestas ex Jure divino introducta, & à Christo immediatè instituta; ideò non potest mutari in aliud genus Dominii, aliud ab illo quod Christus instituit.

Habetur ergo resolutoriè, quòd plenitudo illius Potestatis in aliquo existente, non potest ex æquo alteri conferri, ita quod quilibet eorum seorsùm habeat illam. Similiter, non potest aliquibus conferri, ita quòd nullus eorum illam seorsùm habeat; sed quòd illi copulatim habeant, secluso Concilio Generali. Nam Concilium, id est, illi de Concilio simul juncti, possunt facere ea quæ sunt Jurisdictionis, & nullus eorum seorsùm, nisi ex commissione plurium, sicut in Aristocratico Dominio, vel Timocratico. Similiter dico, quòd ista plenitudo Potestatis, non potest esse in pluribus, ita quòd nullus eorum illam seorsùm habeat. Quod si hoc posset fieri, ponatur in esse, videlicet quòd duo habeant illam, & nullus seorsùm, sine alio, quantùm ad exercitium, & sit Linus & Cletus: jam quæritur, vel Linus est verus Papa, vel non; si non, ergo Linus potest excommunicari: quæritur ergo à quo feretur Sententia excommunicationis super Linum: non à solo Cleto; quia non solus habet illam Potestatem, quia Linus habet etiam illam, & non consentiet, quia non potest Linus nec

A participaliter, nec totaliter ferre Sententiam super seipsum. Similiter dicendum est è diverso, quòd Linus non posset excommunicare Cletum. Ergo videtur mihi quòd hoc repugnet, videlicet quòd aliquibus duobus copulatim conferatur, ita quòd nullus eorum seorsùm habeat illam, sed illi simul juncti: Igitur soli uni potest conferri, & talis potest, pro rationabili causa, cedere; sed ipso cedente, necesse est quòd unico supposito conferatur.

Cap. VI.

An Supremæ duæ Potestates, Scilicet Ecclesiastica & Laïca, in eadem persona concurrant: & de Dominio Jurisdictionis, & Proprietatis.

B Visum est in præcedentibus, quid Potestas suprema Ecclesiastica, & quomodò illa non potest duobus ex æquo conferri; sed de necessitate, ex institutione divina, residet in unico supposito; non tamen quin aliquando possit stare in nullo supposito, ut quando Papa est mortuus: sed si ipsa sit, oportet quòd, de necessitate, sit in aliquo determinato, & non in duobus.

Quæritur nunc, utrùm ista suprema Potestas spiritualis, & suprema Potestas laïcalis in eadem persona concurrant. Circa hanc quæstionem, ponuntur tres opiniones: sed antequam accedamus ad illas, primò notandum est, ex Joanne de Parisiis, 7. *Cap. sui Tractatus*, quòd ista duo differunt, scilicet habere Dominium, seu proprietatem in rebus temporalibus, & habere Jurisdictionem in ipsis. Nam habere Dominium proprietatis in aliquibus rebus temporalibus, nihil

C aliud est, quàm habere facultatem propinquam utendi, disponendi, alienandi, & retinendi illas res, pro libito, sicut habet unusquisque laïcus, in rebus quas labore proprio, aut successione acquisivit sibi, & hoc regulariter. Sed habere Potestatem Jurisdictionis, est habere facultatem propinquam dicendi Jus, & sententiandi quid justum, aut quid injustum, & authoritativè sententiandi quæ res ad unum, & quæ ad alium spectet? Unde in rebus meis habeo Potestatem Dominii, & non Potestatem Jurisdictionis, vel ipse Princeps, vel substitutus à Principe: nam certum est quòd potest perturbari pax & Respublica, per hoc quòd alius usurpat alienum, vel per hoc quòd aliquis nimis amat quæ sua sunt, & non vult pro utilitate Reipublicæ communicare: hinc est quòd à populo constitutus est Princeps, qui habeat authoritativè sententiare quid hujus, vel illius, & quid faciendum

D pro Reipublicæ utilitate, & pro tuitione ipsius aliquid exigere.

Corollarium Primum.

Ex istis infero aliquot Corollaria. Primum, quòd tria sunt de integritate Potestatis Jurisdictionis in rebus temporalibus. Primum, est Potestas, seu facultas propinqua (quod idem est) authoritativè sententiandi quid ad unum spectet, vel quid ad alterum: & hinc, orta disputatione inter duos

duos, dicentes, hoc est meum, hoc est tuum, recurritur ad Principem, ut rectè sententiet. Secundum, est Potestas injuriantem alterum afficiendi pœnis condignis ad ejus peccatum. Tertum, est Potestas ub unoquoque, secundùm debitam proportionem, tributa & vectigalia exigendi: hinc est quòd in Principibus est Potestas imponendi pedagia & tributa.

Corollarium Secundum est.

Quòd ista duo simul stant: iste habet Potestatem supremam Jurisdictionis, & est pauperrimus, quantùm ad Potestatem Dominii, aut proprietatis in rebus temporalibus. Patet; si esset aliqua Communitas, in qua esset unus pauper abundans sapientia, illa Communitas posset illum constituere Principem suum. Tunc arguitur sic: ex ista electione, iste habet Potestatem Jurisdictionis, hoc est, sententiandi quid unius & quid alterius, & exigendi aliquid ab eis, & eos pœnis condignis afficiendi, & talis est pauperrimus, ergo Corollarium secundum verum.

Corollarium Tertium est.

Quòd talis ex Jure naturali, habet Jus exigendi necessaria ab unoquoque, secundùm debitam proportionem ad condecentiam sui status. Patet: si seminet inter eos Jus, debet eorum temporalia, secundùm decentiam sui status metere; ergo Jure naturali tales illi obligantur.

Corollarium Quartum.

Quamvis habeat Potestatem etiam in homines, illi tamen non sunt ejus servi, sed manent liberi. Aristoteles dicit, quòd Rex est qui dominatur aliquibus, tamquam liberis: & Despotes, qui dominatur aliquibus, tamquam servis, & talem ponit differentiam inter Despotem & Regem. Unde de ratione Regalis Dominii est, quòd Rex dominetur aliquibus, tamquam liberis; & de ratione Despotis, quòd dominetur aliquibus, tamquam servis.

Quantùm ad primum Corollarium; multùm refert de Christo quærere, an habuerit Potestatem Dominii in singulis rebus temporalibus, vel an habuerit Potestatem Jurisdictionis in singulis rebus temporalibus. Patet: quia multùm differunt habere Potestatem Dominii, aut Jurisdictionis.

Ultimum Corollarium probabile.

Non repugnat Fratri Minori habere supremam Potestatem Jurisdictionis in rebus temporalibus, quamvis ei repugnet habere supremam Potestatem Dominii, aut proprietatis in ipsis. Prima pars probatur, & apparenter; nam si aliquis Frater Minor eligatur in Papam, habet Potestatem dicendi Jus in illis rebus temporalibus, aut terris quæ immediatè, quo ad temporalia, subduntur Jurisdictioni Papæ; hoc est, habet Potestatem & authoritatem, duobus altercantibus de re aliqua, sententiandi, hoc tuum, & non illius; & hoc est habere Potestatem Jurisdictionis in temporalibus. Ergo non repugnat Professis habere Potestatem Jurisdictionis in temporalibus: quod autem repugnet ipsis habere Dominium proprietatis, patet ex Voto.

Ex Institutione Christi, Papa non habet Dominium aut Jurisdictionem temporalem in homines.

Istis suppositis, sit prima Propositio. Summus Pontifex, vel ille qui habet supremam Potestatem in spiritualibus, non habet in singulis hominibus, & singulis rebus temporalibus supremam Potestatem Dominii, seu proprietatis (quod idem est) ex institutione divina: Patet sic; *Lex Christiana, ex institutione divina, est Lex maxima libertatis, in ordine ad Legem Mosaicam, quæ dicebatur Lex servitutis, in ordine ad novam.* Sed si Summus Pontifex haberet supremam Potestatem dominii in singulis rebus, esset Lex intolerabilis & nullo modo libertatis. Patet; quia quilibet esset servus Pon- A tificis, & posset Papa de rebus cujuscumque disponere ad libitum; &, ipsis invitis, eorum res in Dominium alterius transferre: sed hoc esset intolerabilis servitutis. Ergo, ex institutione divina, Papa non habet supremam Potestatem Dominii in singulis hominibus & rebus ipsorum: imò dicere oppositum, ut dicit Occam, est multùm hæreticale & perniciosum, quia aliqui voluerunt dicere quòd erat Dominus, quantùm ad proprietatem rerum, & poterat disponere de ipsis, dummodò non esset contra Legem divinam, vel naturalem; sed hoc sapit hæresim.

Quantùm ad id quod tactum est in probatione hujus Propositionis, notandum quòd *Lex Christiana, est Lex Supremæ libertatis*, præcipuè in ordine ad veterem Legem, patet Jacobi, I. 25. *Qui autem perspexerit in Lege perfectæ libertatis*: & ad Galat. IV. 31. *Sumus filii liberæ, & non ancillæ*, ubi comparat Legem novam, ad veterem, &c.

B Secunda Propositio in qua jacet difficultas totius materiæ, quæ est de intentione ipsius Occam, est, quòd Summus Pontifex, ex institutione Christi, non habet supremam Potestatem Jurisdictionis in rebus temporalibus. Patet: Ille qui possidet res temporales Jure alterius, puri etiam hominis, non habet in illis supremam Potestatem Jurisdictionis, imò alter, cujus Jure possidet, habet majorem Potestatem in illis: sed Summus Pontifex est hujusmodi. Ergo. Patet Minor, ex Augustino, & ponitur in Can. *Quo jure*, 8. distinct. dicitur, *Quo jure defendis villas Ecclesiæ?* (loquitur de temporalitate, & vocat Jus humanum civile:) Ideò quærit, *Quo jure, an divino, vel humano?* Statim probat quòd non Jure divino, quia *Domini est terra*, &c. Ergo Jure Imperatoris dicitur, hæc villa est mea, hæc est tua. Ergo sequitur manifestè quòd Jure Imperatoris, hæc villa, vel hic servus dicitur esse Ecclesiæ, ergo Jure alterius Papa possidet terras Ecclesiæ. Item, ille non habet supremam Potestatem Jurisdictionis in rebus temporalibus, qui per cursum rerum tempora- C lium habet alterius Legibus uti: sed Papa est hujusmodi. Igitur. Major est nota; quia iste cujus Legibus utitur, habet majorem Potestatem & proprietatem: Minor patet in Can. *Cum ad verum*, distinct. 96. ubi ponuntur duæ dignitates distinctæ, & unaquæque indiget altera. Item, tertiò, ille non habet supremam Potestatem (loquor ex Jure divino) contra quem in temporalibus potest fieri præscriptio: (quia in his quæ debentur Jure divino non potest fieri præscriptio:) Sed contra Papam, in temporalibus, potest fieri præscriptio. Igitur. Nota quòd numquam potest fieri præscriptio contra Jus divinum, hinc est quòd numquam potest fieri præscriptio de obedientia quæ debetur Papæ, &c. sed contra res temporales Papæ, saltem centum Annorum, potest fieri præscriptio: & istæ sunt rationes satis apparentes, quòd Summus Pontifex non habet supremam Jurisdictionem in rebus temporalibus, & hoc potest probari per authoritates Scripturæ. Nam habetur, Matth. XX. 25. *Principes Gentium dominantur* D *eorum, vos autem non sic*, dicebat Christus Apostolis: Similiter videtur quòd Christus non habuerit hanc Potestatem, quia duobus litigantibus respondit: *Quis me constituit divisorem inter vos?* Matth. XII. 14.

Digitized by Google

Utrùm Potestas Laïca, & Ecclesiastica, in eodem subjecto esse possint.

TErtia Propositio quæ magis est de mente Doctoris, quàm opposita, & ponitur contra opinionem priùs tactam, quòd istæ duæ Potestates, ex natura rei, non ita repugnant, quin in eodem supposito possint inveniri, patet multipliciter: nam ad habendam Jurisdictionem supremam in temporalibus, satis est habere prudentiam de rebus temporalibus, per quam judicandum est quid agendum, vel non agendum in illis, & justitiam per quam possit aliquis sententiare quid unius, & quid alterius; sed ista duo non repugnant illis quæ requiruntur ad Potestatem in spiritualibus; igitur. Item, probatur secundò, ut dicit Durandus, de origine Jurisdictionis; nam in Moyse erat suprema Potestas Jurisdictionis in temporalibus, quia ad ipsum erat recursus, pro justitia habenda: sed in ipso eodem fuit suprema Potestas in spiritualibus. Major est ex Pentateucho Mosis; sed Minor probatur: nam Moyses consecravit Aaron in Presbyterum; ergo erat Superior: similiter ipse Moyses obtulit Sacrificium Domino; ergo in ipso erat suprema Potestas tàm spiritualis, quàm laïcalis. Similiter Macchabei habuerunt supremam Potestatem Jurisdictionis in temporalibus & erant Sacerdotes; igitur suprema Potestas, & utraque, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus non repugnat eidem supposito. Similiter, Matrimonium, ex natura rei, non repugnat in spiritualibus. Item, habens Ducatum qui efficitur Episcopus, non perdit Jurisdictionem quam priùs habuit. Ergo si aliqua Potestas particularis in spiritualibus & temporalibus non repugnat, nec eidem suprema repugnabit Potestas.

Resolutio hujus quæstionis est: Papa non habet supremam Potestatem Dominii, aut proprietatis in hominibus, aut rebus eorum. Item, non habet supremam Potestatem Jurisdictionis in temporalibus. Et tertiò habetur, quòd istæ duæ supremæ Potestates, ex natura rei, non repugnant, ita quòd non implicat contradictiones, eas eidem supposito convenire.

Cap. VII.

De Suprema Potestate Laïca, an Jure divino, sit annexa Spirituali.

QUæritur consequenter, circa secundum capitulum quod ponit Occam, in 1. quæstione. Utrùm Suprema Potestas laïcalis ex Jure divino, & ex institutione Christi, sit annexa supremæ Potestati spirituali. In isto secundo capitulo allegatur opinio contraria secundæ Propositioni priùs positæ. Unde opinio prima fuit, quòd ex natura rei, istæ duæ Potestates sunt ita distinctæ, quòd eidem supposito competere non possunt. Secunda opinio, quòd de facto cadunt in eundem hominem, scilicet in Summum Pontificem, non ad istum sensum quòd Summus Pontifex sit laïcus, sed ad istum sensum quòd super res temporales & homines, tantà uti potest Potestate, quantà quicumque alius, etiam Imperator vel Rex: & ultra addunt aliqui de ista opinione, quòd Papa habet tantam Potestatem in rebus temporalibus, quòd quicquid attentet facere circa illas, dummodò non repugnet Juri naturali, vel divino (quamvis repugnet Juri Civili vel Canonico) ipsum factum tenere; quamvis ipse peccet faciendo: ut putà si tentet transferre rem meam in Dominium alterius; quamvis peccet hoc faciendo, tamen ipsum factum tenet. Similiter si tentet me obligare ad aliquid faciendum quod non repugnet directè Juri naturali vel divino, quòd sum obligatus; quamvis peccet me obligando, & ut dicit Gerson, ista fuit opinio adulatorum Papæ; & fundamentum hujus opinionis, videlicet quòd suprema Potestas laïcalis residet in Summo Pontifice, habetur, ut dicunt, ex multis authoritatibus Scripturæ, etiam ex institutione Christi.

Primò probatur. Ille qui habet Potestatem ligandi quemcumque, si tentet aliquem ligare, de facto est ligatus. Sed Summus Pontifex habet Potestatem unumquemque ligandi & solvendi; ergo. Patet Minor: dictum est Petro, pro se & successoribus suis, *Quacumque ligaveris, &c:* Matth. xvi. 19. Similiter, *Tibi dabo claves regni cælorum.* In istis verbis fuit facta promissio Summo Pontifici. Ergo aliquando Christus illam promissionem implevit, & nihil excepit dicens: *Quodcumque ligaveris, &c.* Hoc argumento utitur Innocentius, in ca. *Solitæ. De majoritate & obedien.* volens ostendere Potestatem Ecclesiasticam majorem esse laïcali.

Item, arguitur: Ille qui à Christo constitutus est *super Reges & super Regna*, habet supremam Potestatem in temporalibus; sed Papa ex ordinatione divina sic constitutus est: ergo habet supremam Potestatem in temporalibus. Consequentia certa est; sed Minor patet. Nam dictum est Hieremiæ, qui non erat Supremus Sacerdos. *Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum, & dixit ad me: ecce dedi verba mea in ore tuo, ecce constitui te hodie super Gentes & Regna, ut evellas & plantes, &c.* Hierem. 1. 9. Ergo, à fortiori, illi qui erat Supremus Sacerdos conveniet.

Item, tertiò. Ille qui habet in temporalibus & secularibus judicare, & nullus alius super ipsum, habet supremam Potestatem in secularibus & temporalibus: sed Summus Pontifex est hujusmodi, Patet, 1. *ad Corinth.* vi. 3. dicit Paulus *quod Angelos judicabimus, quantò magis secularia?* Ergo Summus Pontifex, ex institutione Christi, habet secularia judicare.

Quartò, arguitur: Christus habuit supremam Potestatem in temporalibus, sed sic est quòd omnis Potestas quam habuit Christus, collata fuit Petro suo Vicario & successoribus, aliàs non fuisset plenè Vicarius Christi. Patet major: dicit enim ipse Christus, *Data est mihi omnis Potestas in cælo & in terra*; Matth. xxviii 18. Ergo habuit supremam Potestatem in quibuscumque temporalibus: unde misit dæmones in porcos, & submersi sunt. *Marci.* v. Et maledixit ficulneæ & arida facta est: *Matth.* xxi. 19. Ergo si non habuisset Potestatem in illis, damnificasset proximum. Ergo habuit supremam Potestatem in temporalibus, & per consequens successores ejus: sed de hoc posteà videbitur.

Consequenter Occam allegat tertiam opinionem, in 3. *cap.* cujus principium est tale. *Alia est opinio quodammodò media, &c.* Et in illo 3. capite allegat primum dictum hujus secundæ opinionis, quòd istæ duæ Potestates non ita repugnant ex natura rei, quòd eidem non possint convenire de facto. Secundum dictum est, quòd non cadunt, de Lege, in eundem, ex institutione divina. Primum dictum probat, cum tertia propositione supra posita in 6. capite, aliquibus rationibus, ipse Occam. Prima ratio: suprema Potestas laïcalis non repugnat ordini; ergo neque supremæ Potestati in spiritualibus. Patet Antecedens. Aliqua Potestas in temporalibus, quamvis non sit suprema, non repugnat ordini: ergo nec suprema; quia non videtur major ratio de uno, quàm de alio. Assumptum patet; si unus Comes vel Dux efficiatur Episcopus vel Sacerdos, remanet Dux; ergo habet Potestatem Jurisdictionis, quia de ratione Comitis, vel Regiæ Potestatis hoc habet. Similiter, sunt multi Episcopi Duces, ut sunt illi qui dicuntur *Pares*, in Francia. Ergo habent Potestatem Jurisdictionis, imò non repugnat Fratri Minori. Ergo nullomodò repugnat supremæ Potestati in spiritualibus.

Sed quantùm ad secundam partem, puto quòd, de Lege, non cadant in eundem hominem, imò ex ordinatione divina, non debent cadere, quamvis eis non repugnet, ex natura sua. Patet: ille qui habet supremam Potestatem in temporalibus, debet se temporalibus implicare: qui verò habet supremam in spiritualibus, minimè

nimè debet se implicare negotiis secularibus. Ergo illæ duæ Potestates non debent cadere in eundem hominem. Major pro prima parte patet; quia ille est finis suæ Potestatis, scilicet mutuam pacem conservare; ergo debet illis se implicare. Alia pars patet: *Nemo militans Deo, debet se negotiis secularibus implicare*, 2. ad Timoth. II. 4.

Similiter, Petrus in Canonica * ait; *non sis fidejussor, &c.* vide alias authoritates ad hoc propositum, quas citat ipse Occam, *cap.* 4. Secundò, ad idem arguitur. Illæ duæ Potestates quæ diversis actibus & dignitatibus sunt à Christo institutæ, non debent eidem personæ competere; sed illæ duæ supremæ Potestates sunt hujusmodi. Patet: 96. distinct. Can. *Cum ad verum*, dicitur quòd sicut Imperator non debet assumere summum Pontificis honorem, ita nec Summus Pontifex Imperatoris honorem: ratio; quia Christus illa distinxit distinctis actibus, & distinctis personis competere voluit. Item, qui habet supremam Potestatem in temporalibus, debet vel potest sanguinem fundere, vel jubere quòd sanguinis humanus fundatur à ministris suis, pro justitia servanda, unumquemque plectendo pro peccatis; sed hoc non licet illi qui habet supremam Potestatem in spiritualibus, licèt in universali possit innuere maleficos esse puniendos, sed non in particulari, scilicet accusando, vel condemnando. Ergo illa suprema Potestas in temporalibus non debet convenire illi qui habet supremam Potestatem in spiritualibus: & istæ sunt rationes apparentiores, quas latiùs videbis in capite 4. ipsius Occam, si vis.

* *Non reperitur in Editione Vulgata.*

Cap. VIII.

An Christus habuerit Supremam Potestatem in temporalibus.

Visis tribus opinionibus, quarum prima fuit quòd suprema Potestas spiritualis, & suprema laïcalis, ex natura rei, ita distinguuntur, quòd in eandem cadere non possunt personam. Secunda, quòd concurrunt in eandem personam. Et tertia, quòd non distinguuntur ita, ex natura rei, quin possint in eandem concurrere personam; verumtamen non concurrunt nec debent.

His positis: Doctor præcipuè nititur impugnare secundam opinionem, in qua jacet tota difficultas. Unum motivum secundæ opinionis fuit, quòd qui habet supremam in spiritualibus, est Vicarius Christi; sed Christus habuit supremam in temporalibus, quemadmodùm & in spiritualibus, *Data est mihi omnis Potestas in cælo & in terra, &c.* Matth. XXVIII. 18. Ergo qui habet supremam Potestatem in spiritualibus, habet etiam in temporalibus. Sed Papa habet supremam Potestatem in spiritualibus, cum sit verus Vicarius Christi, ergo habet etiam supremam in utraque, & sic habet supremam Potestatem in temporalibus.

Occasione hujus rationis, talis movetur difficultas. Utrùm Christus habuerit supremum Dominium in quibuscumque rebus temporalibus. Supponitur primò ex præhabitis, quòd aliud est quærere, an Christus habuerit in singulis rebus temporalibus proprietatem, vel an habuerit Potestatem Jurisdictionis. Secundò, supponitur quòd quando quæritur, an Christus habuerit supremam Jurisdictionem, quòd dupliciter hoc intelligi potest, vel secundùm divinitatem, vel secundùm humanitatem, & quæritur de utroque. Secundùm divinitatem, non est difficultas, quia *Domini est terra, & plenitudo ejus*, Psalm. XXIII. Ideò secundùm divinitatem habet Potestatem unamquamque rem in Dominium alterius transferre, ad libitum suum, sicut patet de vasis argenteis Ægyptiorum, & de Terra Promissionis, quæ transtulit in filios Israël: ideò secundùm divinitatem, habet proprietatem rei, & Potestatem Jurisdictionis. Solùm ergo restat difficultas, an secundùm humanitatem. Et supponitur tertiò, quòd aliud est quærere de Christo, secundùm humanitatem, utrùm habuerit in singulis rebus temporalibus proprietatem & Potestatem Jurisdictionis, Jure hereditario Matris, vel Patris putativi: vel, utrùm habuerit ab aliquo privilegio sibi à Deo collato, putà quòd Deus transtulerit ei, quoad humanitatem, verum Dominium cunctarum rerum & Potestatem Jurisdictionis. Quartò, supponitur, quòd aliud est quærere de Christo existente in mortali vita, vel post Resurrectionem. Istis suppositis, non quæritur utrùm Christus habuerit in temporalibus proprietatem, aut Potestatem Jurisdictionis, secundùm divinitatem, sed secundùm humanitatem: & in isto sensu dupliciter intelligitur, vel utrùm Jure hereditario, tamquam verus heres Mariæ; vel utrùm habuerit, quia divinitas in eum transtulit.

Pro solutione hujus quæstionis, sit prima Propositio. Christus, secundùm humanitatem, habuit proprietatem in aliquibus rebus temporalibus, Jure hereditario. Patet: sic notissimum est quòd Joseph Pater Christi putativus, cujus Christus erat verus heres legalis & successor, habuit dominium in aliqua re; & verisimile est, imò tenetur communiter quòd Joseph mortuus est antequam Christus pateretur. Similiter Virgo Maria, cujus, secundùm humanitatem, fuit verus heres, habuit proprietatem in aliquibus rebus: ergo cùm Christus fuerit verus heres ipsorum, verisimile est quòd habuit Dominium proprietatis in aliqua re cujus erant proprietarii; ergo Christus, Jure hereditario, non solùm Potestatem Jurisdictionis, sed etiam habuit proprietatem in aliquibus rebus, imò malè sonare videtur, quòd Christus fuerit mendicus; quandoquidem dicitur verè mendicus, qui solo titulo indigentiæ petit aliquid, & verè & realiter talis dicitur mendicus: & notum est, quamvis Christus non habuisset proprietatem in aliquibus rebus, habuisse tamen Jus petendi, quia seminabat & docebat; ergo non solùm titulo indigentiæ petebat. Ergo non fuit verè mendicus: sicut Rex administrans justitiam subditis & Communitati, petens & exigens ab illis pro manutenentia sui status, non est mendicus; quia non titulo indigentiæ petit, sed administrationis, & sic de Beneficatis potest dici. Patet igitur, quòd Christus non fuit mendicus, sed habuit non solùm aliquarum rerum usum; verum etiam proprietatem in illis rebus.

Sed difficultas est, an habuerit in Regno Israël veram proprietatem, hoc est, an habuerit Potestatem Jurisdictionis, Jure hereditario, in Regno Israël, præcipuè in Regno Judæ. Primò, non est difficultas de toto universo, quòd non habuit supremam Potestatem Jurisdictionis in toto universo, Jure hereditario. Patet: nullus parentum ejus fuit verus Monarcha totius mundi, nec David, nec Salomon. Igitur. Sed difficultas est utrùm habuerit in Regno Juda veram Potestatem Jurisdictionis, Jure hereditario, ita quòd fuerit verus Rex Juda, non solo privilegio concesso à Deo. Respondet Armachanus, in IV. *cap.* 16. quòd Christus fuit verus Rex Juda, secundùm humanitatem, Jure hereditario. Et quamvis hoc non possit evidenter probari; tamen assumit ad id quod habetur, *in Numeris, cap.* XXVII. quia in antiqua Lege, si in domo aliqua non est masculus, filia est heres bonorum paternorum & maternorum: & proinde non erat in Regno Judæ sicut in Regno Franciæ. Ultra supponit unum quod verum est, scilicet quòd ipsa Virgo Maria realiter descendit ex David, & non solùm ex Joseph. Patet: si non descendisset Virgo ex David, Christus non deberet vocari in Scripturis *Semen & filius David*, quia non est realiter filius Joseph, sed filius Virginis. Ergo si Virgo non realiter descendisset ex David, non fuisset filius David, neque semen ejus. Sed quandocumque in Lege antiqua non erat masculus, filia succedebat; ergo viro cessante in domo David, ad Virginem devolvebatur successio, & sic Virgo Maria habuit verum Jus hereditarium in Regno Juda, & ex consequenti, Christus filius ejus.

 Quan-

Digitized by Google

Quantùm ad hoc, utrùm Jure hereditario spectaret verum Regnum Judæ ad Christum, apparet mihi quòd non pertinet ad eum, secundùm humanitatem, & ratio quæ me movet contra Armachanum est, quia ut notum est, Machabæi verè & realiter dominati sunt in Regno Juda, & non erant tyranni: ergo realiter habebant Potestatem Jurisdictionis in Regno Judæ, & tamen ipsi Machabæi erant de genere Levi, & si descendebant ex domo David, hoc erat per Matres & feminas, quia erant Sacerdotes: ergo de domo Levi; & sic longo tempore antequam Virgo Maria nasceretur, erat ablata Potestas à domo David. Ergo ipsa Virgo Maria non habuit Potestatem Jurisdictionis in Regno Judæ. Ergo credendum est quòd Christus non habuit Potestatem in illo, secundùm humanitatem.

Resolutio ergo quantùm ad tria puncta est. Primum certissimum est, quòd Christus, Jure hereditario, habuit proprietatem in aliquibus rebus. Secundum punctum quod est ambiguum: Christus Jure hereditario non habuit Potestatem in Regno Iudæ. Tertium, quod est certissimum: Christus Jure hereditario, secundùm humanitatem, non habuit Potestatem Jurisdictionis in universo Orbe, sive in singulis rebus, cùm nec David, nec aliquis eorum à quibus descendit illam habuerit; ergo non ipse Christus.

Restat modò difficultas inter Doctores: Cùm Christus non fuerit verus Monarcha Jure hereditario, an fuerit per privilegium sibi collatum à Deo verus Monarcha. Aliqui dixerunt quòd Christus non habuit illam Potestatem Jurisdictionis eo tempore quo vivebat in carne, secundùm humanitatem. Rationes habent multùm apparentes. Primò, habetur Lucæ XII. 13. Venit aliquis ad Christum dicens ei, *Magister dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem. At ille dixit ei, homo quis me constituit Judicem aut divisorem inter vos?* quasi diceret, nullus. Tunc ex illo arguitur sic: Christus non habuit Potestatem dividendi hereditatem inter istos duos fratres; ergo non habuit supremam Potestatem Jurisdictionis in temporalibus; & hoc argumentum est multùm apparens. Nam quicumque habuit supremam Potestatem Jurisdictionis in temporalibus, habuit Potestatem dividendi & dicendi Jus, putà quid justum, quid injustum in quacumque re temporali quo ad omnia. Ergo videtur ex dicta authoritate, quòd Christus non habuit ex privilegio à divinitate concesso, secundùm humanitatem, talem Potestatem Jurisdictionis in omnibus rebus temporalibus. Item, Christus dixit, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joann. XVIII. 36. Ergo non habuit Potestatem Regiam in hoc mundo, & per consequens non habuit supremam Jurisdictionis Potestatem in temporalibus.

Unde quatuor dicit hæc opinio. Primum. Christus, secundùm humanitatem, non habuit proprietatem & Potestatem in singulis rebus: patet; *Volucres cœli nidos habent, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*: Matth. VIII. 20. Secundum. Jure hereditario non habuit Potestatem Jurisdictionis in singulis rebus temporalibus. Tertium. Jure hereditario non habuit Potestatem Jurisdictionis in Regno Judæ. Quartò. Non habuit Jurisdictionem in rebus temporalibus ex privilegio sibi à divinitate concesso.

Sed contra hanc sunt multi textus. Primùm, quòd Deus *fecit illum heredem universorum*; Hebr. I. 2. Ergo ex privilegio habuit Potestatem in omnibus: unde dicit sanctus Thomas, de regimine Principum, quòd Christus ex concessione, à Deo, secundùm humanitatem, habuit supremam Jurisdictionis Potestatem in singulis rebus temporalibus: ideò elicitur ex dictis sancti Thomæ, quòd secundùm humanitatem non Jure hereditario, sed concessione à divinitate sibi facta, habuit supremam Potestatem Jurisdictionis in singulis rebus temporalibus. Similiter habetur in Apocalypsi. XIX. 16. *In cujus femore*, id est, humanitate, *Rex Regum*, &c. Tunc benè sequitur: Christus secundùm humanitatem habet Potestatem super Reges; ergo habet Potestatem super singula quæ habent Reges. Sed ipsi Reges habent Potestatem in temporalibus, ad minus Jurisdictionis; nam quamvis non habeant in singulis proprietatem Dominii; tamen habent Jurisdictionem, id est, Potestatem dicendi Jus, & definiendi de unaquaque re temporali, & dicto Juri tenentur subditi obedire; quòd si non fecerint, habent Potesta-
A tem rebellantes & contumaces justis afficiendi pœnis. Ergo Christus, secundùm humanitatem, ex concessione habet Potestatem Jurisdictionis in singulis rebus temporalibus. Similiter habentur multæ authoritates in Esaia & in Evangelio facientes ad hoc: propterea dicit Thomas, quòd Monarchia Christi incœpit à concessione, & quòd habuit supremam Potestatem in temporalibus, & Jurisdictionem in singulis rebus. Et probatur à signo. Reges adoraverunt eum tanquam subjecti temporaliter; ergo signum erat quòd erat verus Dominus, & Monarcha in singulis rebus temporalibus. Et pro ista opinione facio talem rationem; Christus habuit Potestatem, secundùm humanitatem, ex concessione à divinitate sibi facta, obligandi homines etiam ad mortale; & Christus, secundùm humanitatem, non potuit errare; & quilibet alius ei, secundùm humanitatem, tenebatur credere, & exequi quod Christus, secundùm humanitatem, ei asseruisset & præcepisset. Sed si Christus asseruisset sententialiter de
B aliqua re temporali, hæc res est istius, & non alterius; tunc alter fuisset obligatus reddere illam rem illi cui Christus adjudicasset, & illam reddere secundùm Christi Sententiam. Ergo erat in illo superioritas & authoritas Jurisdictionis, etiam erga quoscumque homines; imò habuit Potestatem unumquemque Regem privare, & oppositam Legem instituere, damnatis gratiam facere, & eos liberare. Habuit igitur Jurisdictionis Potestatem, secundùm humanitatem, & omnes illi parere tenebantur; & ratione subjectionis, ad illius Sententiam adimplendam obligabantur: & hæc opinio est probabilior. Potest etiam suaderi hoc modo: nam Paulus habuit Potestatem petendi temporalia, pro seminatione spiritualium, quamvis non usus fuerit illâ. Similiter Christus habuit Potestatem in singulis rebus, quamvis non sit usus illa Potestate.

Jam quæritur; cùm sit probabile quòd habuerit istam Potestatem in singulis rebus temporalibus, &
C fecerit Papam Vicarium suum, an concesserit successoribus suis istam supremam Potestatem Jurisdictionis in temporalibus. Respondent communiter Doctores, ut dicit Joannes de Parisiis, quòd non oportet Christum omnem Potestatem quam habent in temporalibus, contulisse Petro; nam Potestas Christi, secundùm humanitatem, non fuit alligata Sacramentis; nam, secundùm humanitatem, habuit Potestatem remittendi peccata, etiam absque Sacramentis, sed Papa non habet Potestatem illam remittendi peccata, sine Sacramentis; ergo Christus non contulit Petro & ejus successoribus omnem Potestatem quam habuit. Ergo hoc dato, quòd Christus habuerit supremam Potestatem Jurisdictionis in temporalibus, secundùm humanitatem, non potuit inferri quòd illam totam contulerit Petro. Similiter habuit Potestatem faciendi miracula, & quamvis illam contulerit Petro;
D non tamen omnibus successoribus ejus. Similiter non contulit Petro Potestatem instituendi Sacramenta. Ergo quantùm ad ista tria, non contulit omnem Potestatem Jurisdictionis, quam habuit in rebus temporalibus, Petro & successoribus.

Digitized by Google

An Ecclesiastici sint subditi Legibus directivis & coactivis Principum.

ALia difficultas est. Cùm ergo Summus Pontifex non habeat supremam Potestatem laïcam Jurisdictionis, nec in corpora, nec in res hominum; quæritur an ipse & Ecclesiastici sint Supremæ Potestati laïcali subjecti; vel, an sint ex institutione divina exempti, & hoc quantùm ad Judicium coërcitivum, quo ad bona & sua corpora? Pro cujus declaratione, supponitur quòd qui habet Jurisdictionem temporalem, non solùm habet illam super res; sed etiam super corpora. Secundò, supponitur quòd habens illam, non solùm homines pro demeritis justis potest afficere pœnis; sed etiam ab eis exigere aliquod tributum personale, sicut Ecclesiastici habent Jus decimas petendi, non solùm prædiales, sed etiam personales: ita ad istam Potestatem supremam laïcam Jurisdictionis, non solùm spectat eos punire, sed etiam tributum personale exigere. Nam licitè potest Princeps pro Republica & sustentatione sui status rationabilis, tributum petere. Hoc fecit Cæsar; quod approbavit Christus, cùm dixit; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: Matth. XXII. 21. Similiter, dictum fuit Discipulis, *Magister vester non solvit didrachma*? Ibid. XVII. 23. & verisimile est, quòd didrachma erat tributum personale. Istis suppositis, quæritur an Prælati Ecclesiastici sint, Jure divino, ab ipsa Potestate laïca coërcitiva exempti, ita quòd ille qui illam exercet, non possit Ecclesiasticorum peccata punire, nec ab illis tributa exigere?

Quantùm ad hoc, sit prima Propositio. Ecclesiastici quantùm ad prædia sua & res immobiles, non sunt, Jure divino, à Jurisdictione laïca coërcitiva exempti, & loquor de omnibus Ecclesiasticis universaliter. Patet; Ecclesiastici, Jure divino, nullam habent talem Potestatem; sed ex Jure divino habent Jus petendi decimas, & quamvis Jus sit immobile, tamen ipsæ res, putà decimæ, sunt res mobiles. Prætereà, notum est quòd aliquod prædium aliquando donatur Ecclesiastico, & stat quòd sit obnoxium alicui Principi, quantùm ad redditus annuos, quo facto si transferatur in Dominium Ecclesiastici, transit cum onere suo, id est, cum obligatione ad solvendum tributum; vel censum annuum illi Domino laïco. Ergo non sunt, Jure divino, exempti à tributo, quo ad res immobiles. Item, possident illi res solùm Jure Principum, quia tenent illas in Feudum à Regibus & Principibus.

Secunda Propositio. Ecclesiastici non sunt subjecti Potestati laïcæ coërcitivæ, quantùm ad res quæ eis competunt, Jure divino, putà quantùm ad decimas, ita quòd nihil ab eis exigi potest. Patet duplici ratione: nam laïci exercentes Potestatem laïcam, tenentur ipsis Ecclesiasticis solvere decimas. Ergo Ecclesiastici ad nihil tenentur eis. Item, quandocumque quis possidet aliquid Lege, vel authoritate Superioris, in illo quod possidet, Lege Superioris, non obligatur inferiori; sed Ecclesiastici habent decimas & Jus in illis immediatè, authoritate Dei, qui est Supremus super omnes Reges exercentes Jurisdictionem laïcam & coërcitivam; ergo quantùm ad hoc, nullomodò obligantur illis exercentibus Jurisdictionem coërcitivam.

Tertia Propositio in qua jacet difficultas inter Doctores, est: an Ecclesiastici, quantùm ad personas suas, sint exempti, Jure divino, à Potestate coërcitiva laïca, ita quòd laïci Judices non possint pro demeritis Ecclesiasticos punire, nec ab eis tributum personale exigere? Dicit Marsilius de Padua, in II. *cap.* 4. Quòd non sunt exempti, Jure divino. Oppositum tenet Carlerius, in quibusdam Tractatibus quos edidit post Concilium Basileense, de gestis in illo. Dicit Marsilius, qui multùm exaltavit Potestatem laïcam, quòd Ecclesiasticæ personæ, sunt à Deo Judicio laïcali coërcitivo subjectæ; & ad probandum, adducit tres rationes præcipuas ex Sacris Literis: dicit quidem notum esse, ex Privilegio ipsos Ecclesiasticos esse exemptos; sed quantùm ex institutione divina, Judicio coërcitivo laïcali subjectos, ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*; dicit Glossa, quòd in verbo *Omnis*; *nullus excipitur & excluditur. Omnis anima*, secundùm Glossam, *id est, omnis homo.* Item, *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & qui Potestati resistit, ordinationi Dei resistit*: & subdit, ℣. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui honorem honorem*; tamen non indè expressè videtur sequi, quòd personæ Ecclesiasticæ sint subjectæ ad tributa, quantùm ad corpora sua. Secunda authoritas habetur 1. Petri II. 13. *Subditi estote omni humanæ creaturæ, propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti: sive Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia sic est voluntas Dei*; Ergo videtur quòd personæ Ecclesiasticæ sint subjectæ, quantùm ad corpora sua, ad tributum. Tertia ratio est magis apparens. Nam habetur *Actuum* XXV. 10. quòd Paulus declinavit Jurisdictionem Sacerdotum Legis, & appellavit ad tribunal Cæsaris, *à quo*, inquit, *oportet me judicari*: sed certum est, quòd Paulus erat Ecclesiasticus, imò Episcopus, & non est mentitus, nec timore pœnæ hoc dicebat, imò pro veritate mori decreverat, & judicari volebat à Cæsare. Ergo persona Ecclesiastica non est, ex Jure divino, à laïcali Jurisdictione exempta, nec quantùm ad corpus, nec quantùm ad tributum, & hæc est opinio Marsilii.

Sed oppositum tenet Carlerius, quondam Regalis Collegii Navarræ Socius meritissimus, in quodam Tractatu quem edidit contra Bohemos, quòd Ecclesiasticæ personæ, ex Jure divino, sunt exemptæ, quo ad corpus, à Jurisdictione coërcitiva laïcali, & fundat se in cap. 17. Matthæi. Venerunt exactores qui didrachma accipiebant, & dixerunt Petro, ℣. 23. *Magister vester non solvit didrachma*? Ait etiam. *Et cum intrasset in domum, prævenit eum Jesus dicens; quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis: Dixit illi Jesus. Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, &c.* Ex isto textu, videtur quòd non solverit ex debito. Dicit Carlerius, quòd per liberos intellexit Ecclesiasticos. Ergo exemit Ecclesiasticos à tributo personali solvendo laïcis: & hoc est probabile, quòd eo ipso quòd aliquis est effectus Ecclesiasticus, Potestas laïca nullam habet in illum Potestatem, quia est effectus filius & liber: & ista opinio videtur probabilior.

CAP. IX.

In quo solvuntur Rationes Primæ Opinionis, recitatæ à Doctore Occam, in 1. cap. suæ Primæ Quæstionis.

VIsæ sunt tres opiniones, & Doctor ad tertiam se resolvit, probatque duo. Primum, quòd ex natura rei, non habent repugnantiam illæ duæ supremæ Potestates. Secundum est, quòd non debent de facto in eandem personam concurrer. Restat modò solvere rationes primæ opinionis, quas adducit in 1. cap. suæ 1. quæstionis, quas jam solvit in v. cap. ejusdem quæstionis. Prima ratio erat: Illa quæ ex opposito dividuntur, habent repugnantiam, quia non possunt omnimodè convenire; sed Potestas laïca & Ecclesiastica, ex opposito dividuntur; ergo, &c. Dicit Doctor ad Majorem, quòd quamvis ea quæ ex opposito distin-

distinguuntur, tanquam contraria ex natura rei, non possint idem subjectum primum habere (licèt possint cadere in diversas personas ejusdem subjecti;) tamen sæpe illa quæ distinguuntur ex opposito, tanquam diversæ species, aut aliquo modo ex opposito inter se distincta sunt (quamquam non secundùm idem) etiam posse cadere in eandem personam, imò verò nonnunquam in idem subjectum. Duo dat exempla. Primum, Ordo Sacer, & Ordo non Sacer, quodammodò ex opposito dividuntur; & tamen in eundem hominem cadunt. Secundum exemplum. Bonum honestum, & bonum delectabile, ex opposito dividuntur; & tamen in eundem A cadunt. Secundò arguitur: Illæ Potestates quæ duo capita constituunt, simul in eodem esse non possunt, quia tunc unum corpus haberet duo capita, vel duo corpora unum & idem caput: sed illæ duæ Potestates sunt hujusmodi, ut patet: igitur. Dico quòd laïci & Ecclesiastici sunt unum corpus mysticum, quia omnes insigniti charactere baptismali, & qui habent Charitatem, sunt membra illius corporis sana: & qui habent Fidem, & non Charitatem, sunt membra illius corporis, sed non sana: & qui carent utroque, sunt membra arida: & sic dico quòd est unum corpus. Unde dicit Gerson, quòd non est possibile, de Lege posita, quòd in solis laïcis remaneat Fides, vel quòd in corpore mystico Ecclesiæ sint soli laïci, quia tunc esset possibile, de Lege posita, quòd in Ecclesia cessarent Sacramenta omnia, præter Baptismum; sed hoc est falsum. Tertiò, & apparentiùs arguitur: Potestas suprema laïca B includit dominationem; nam Principes Gentium dominantur terræ: sed spiritualis excludit illam dominationem coërcitivam, authoritate Petri: *Pascite qui est in vobis gregem, non dominantes in Cleris?* 1. Pet. v. 2. 3. Ergo Ecclesiastica Potestas excludit illam dominationem: & sic videtur quòd ita, ex natura rei distinguantur, ut in eodem convenire non possint. Dico quòd dupliciter intelligitur quòd Potestas Ecclesiastica excludat dominationem. Uno modo; quòd de ratione Potestatis Ecclesiasticæ, & integritate ejus sit, quòd habens eam, dominetur Dominio coërcitivo, quo dominatur Princeps laïcus: & sic dico, quòd de ratione ipsius, nullam habeat Potestatem dominandi, & sic falsum est, neque excludit omnimodam dominationem. Dat Doctor exemplum. Lex Evangelica dicitur: *Lex perfectæ libertatis*, Jacob. 1. 25. id est, non est de ratione Legis Evangelicæ, quòd aliquis sit servus; quia C nullum facit servum. Similiter Potestas Ecclesiastica, de ratione sua, nullum facit dominantem, & est egregium verbum Occam, & bona similitudo de servo.

Patet ex dictis, quomodò Suprema Hierarcha spiritualis, non habet plenam Potestatem in temporalibus, & quomodò ex opinione Carlerii, personæ Ecclesiasticæ, quantùm ad personas suas, sunt exemptæ à Potestate laïca coërcitiva. Possunt adduci aliæ rationes ad hoc probandum de Constantino, cui Episcopi, alius alium accusantes, libellos obtulerant. Dixit autem Constantinus, qui erat supremus Hierarcha in temporalibus: *Vos ab homine judicari non potestis.* Ergo ipse qui erat verus Imperator, asseruit se nullam habere Potestatem super ipsos Episcopos: ex quo verisimile est, quòd Ecclesiastici, quantùm ad personas suas, sunt à laïcali Jurisdictione exempti. Item, quando Joseph reddidit terram subjectam Pharaoni, terra Sacerdotum mansit libera, & sic valdè apparenter probat Carlerius suam opinionem.

Solutio objectionum Marsilii de Padua.

MOdò autem veniunt solvendæ rationes Marsilii. Prima, erat authoritas Pauli, ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus*, &c. ubi per sublimes Potestates intelligit Imperatores & Reges, quia subdit, ℣. 4. *Non sine causa gladium portat.* Quantùm ad hoc, de Lyra solvit sic. *Omnis anima*, id est, *hominis cujuslibet; putà laïci, laïcis; & Ecclesiastici, Ecclesiasticis:* nihilominùs, quia per sublimes Potestates videntur intelligi Principes seculares, Carlerius alias dat expositiones. Prima, *Omnis anima*, id est, *omnis homo animalem*, id est, *civilem vitam ducens*: nam hominum, quidam animalem, id est, civilem, alii spiritualem ducunt vitam; & vocantur illi animales, isti verò spirituales, & hanc ponit Paulus: *Spiritualis homo omnia dijudicat, & à nemine judicatur*, 1. Cor. II. 15. & sic, nulli est subjectus, quo ad istam Potestatem laïcam coërcitivam. Secunda expositio, ex intentione textus & glossæ. Dicitur quòd est ibi distributio accommodata, *Omnis anima*, hoc est, *omnis homo*, id est, de aliquo statu hominum aliquis homo est subjectus Potestatibus sublimioribus.

Ad secundum Argumentum Marsilii, & authoritatem, 1. *Petri*, II. dupliciter exponit Carlerius: nam dicebant Bohemi, quòd si Princeps negligeret punire Clericos, quòd populus poterat sine peccato eos interimere. Prima expositio Carlerii est, quòd D. Petrus loquitur laïcis, cum dicit *Subditi estote omni creaturæ*, & primò loquitur servis, ut sint subditi Dominis, & filii parentibus; quia statim subjunxit de filiis, servis, & uxoribus. Secundò, dicit Glossa communis: *Subditi estote per humilitatem*, propter Deum (& est consilium) non subjectione Juridica, sed humili subjectione.

Ad tertiam authoritatem fortissimam de Paulo, qui declinavit Judicium Sacerdotum, videtur quòd erat subjectus Cæsari, Juridica subjectione. Primò, istud verbum Pauli, *A quo me oportet judicari*, sic primò exponitur; hoc est, à quo judicabor, quia fuit condemnatus à Cæsare, non quòd habuisset Potestatem judicandi, sed quòd eum judicabit. Secundò, appellavit Paulus Cæsarem, non quod esset Superior ejus; sed quia erat Superior Judicibus volentibus condemnare Paulum, quia habebat Potestatem decernendi quòd malè judicabant Paulum, & ut declararet eorum Judicium nullum, & sic solvuntur authoritates quas adducit Marsilius. Aliæ autem sunt authoritates, scilicet: *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, Joann. XIX. 11. quod intelligitur de Potestate permissiva: nam Pilatus judicavit Christum de facto, non de Jure, sicque relinquitur opinio Carlerii probabilior quàm altera; imò altera videtur condemnata in Concilio Basileensi, Cap. X. in quo ostenditur quænam Potestas data sit Petro, per ista verba: *Quodcumque ligaveris super terram*, &c. Matth. XVI. 19.

An vi excommunicationis Papa possit destituere Reges.

DOctor, in II. cap. suæ I. Quæstionis, adducit rationes aliquorum, quibus nititur probare Papam habere Potestatem plenariam, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus; ad quas respondetur in VII. capite ejusdem quæstionis: Prima ratio, ex cap. XVI. Matthæi, ubi Christus illam plenitudinem Potestatis promisit Petro, per illa verba: *Quodcumque ligaveris*, &c. Ergo promisit Potestatem unumquemque ligandi, nullum D excipiendo: & circa hoc argumentum, movebuntur quatuor bonæ Quæstiones.

Et pro intellectu notandum primò, quòd contingit hominem dupliciter solvi, uno modo ab aliquo Præcepto quo priùs obligabatur, & illud vocatur dispensatio. Jam difficultas est an per ista verba: *Quodcumque ligaveris*, &c. promiserit Petro Potestatem unumquemque à quocumque Præcepto solvendi? Similiter contingit hominem ligari multipliciter: ligari autem, est ad novum quid obligari, ut si voveam paupertatem, ligor de novo, id est, ad novum quid obligor. Secun-

Digitized by Google

Secundò, contingit hominem ligari, id est, ad certam pœnam obligari in Foro interiori, & ista verba; *Quodcumque solveritis, & ligaveritis*, non intelliguntur de ligamine peccati, quia Papa non posset unum facere peccatorem, sed de ligamine ad pœnam solvendam, ratione peccatorum. Alio modo contingit aliquem ligari ligatione excommunicationis. Utrum autem Christus promiserit Petro hanc Potestatem ligandi pro quacumque re, dicit Doctor hanc authoritatem recipere duas solutiones. Prima, quòd per talia verba, *Quodcumque ligaveris*, &c. solùm promisit & dedit Petro duas Potestates. Prima, est Potestas absolvendi hominem peccatorem à peccato, non quòd ipse remittat peccatum, vel det gratiam, & gloriam æternam (quia hoc solus Deus operatur.) Secunda est, datam Petro authoritatem, pœnam in tali Foro secreto taxandi, non quòd habeat Potestatem coërcendi ad pœnam sustinendam: & est opinio Marsilii de Padua, quòd nec Papæ, nec Clericis dedit Potestatem coërcitivam. Sed dicit Doctor, quòd præter illas duas Potestates, adhuc dedit Potestatem coërcitivam, quâ unumquemque fidelem ea quæ sunt necessaria pro consecutione felicitatis æternæ, cogeret observare, vel si omitteret, punire posset: ideòque data est Potestas coërcitiva Petro, unumquemque fidelem coërcendi ad diviva Præcepta servanda, & non observantes excommunicandi. Unde numquam Papa habuit Potestatem coërcitivam ad Consilia, sed benè ad Præcepta. Dicit Doctor (*salvis Juribus & libertatibus eorum qui non meruerunt*) quia Christus numquam dedit authoritatem Petro aliquem Regem temporalem à Jurisdictione sua deponendi. Ergo in ista authoritate; *Quodcumque ligaueris*, promisit Potestatem absolvendi sacramentaliter, & taxandi pœnam; & Potestatem coërcitivam, ad observationem Mandatorum Dei, & non ad Consilia: & non dedit Potestatem laïcos suis proprietatibus & dominiis privandi, nisi in casu, si contingeret Principem secularem abuti re sua, in perniciem Christianitatis, vel Fidei, ita quòd ille abusus esset in maximo nocumento pro consecutione felicitatis æternæ. Non negat quin in tali casu Papa possit eum deponere, & si alii Doctores hoc negent, quamvis doceant Papam habere solùm Potestatem declarandi ipsum Principem esse deponendum. Patet: quia esset occasio quòd ratione talis Potestatis Papa efferretur in maximam superbiam, & illa plenitudo Potestatis esset multùm damnosa subjectis; ideò illa etiam esset nociva Papæ & subjectis, & sic non est verisimile quòd Christus ei talem contulerit Potestatem. Dices: si neminem excepit, quomodò audes aliquem excipere? Respondetur, quòd Christus verbo & exemplo, & Apostoli docuerunt aliqua excipienda, *Reges dominantur, vos autem non sic*, *&c.* Matth. xx. 25. similiter exemplo, quando voluerunt eum facere Regem effugit.

Et sic patet quomodò contingit multipliciter hominem ligari. Primò, ligamine peccati, id est, esse in mortali: Secundò, ligari, id est, ad pœnam obligari. Tertiò, ligari ligamine excommunicationis, quæ est obligatio ad non participandum in Sacramentis Ecclesiæ, & cum fidelibus. Quartò, ligari, id est, obligari ad aliquam operationem faciendam, vel omittendam. Similiter, quadrupliciter intelligi potest quomodò Petro data fuerit Potestas solvendi. Primò, solvendi, id est, absolvendi à paccato per Sacramentum Pœnitentiæ. Secundò, solvendi, id est, à pœna debita peccatis, per Judulgentiarum largitionem. Tertiò, solvendi ab excommunicatione. Quartò, solvendi, id est, dispensandi in Præceptis.

Circa prædicta movetur difficultas; utrùm Petro fuerit collata Potestas unumquemque fidelem, pro quocumque peccato mortali, ligandi, ligamine excommunicationis. Apparet quòd sic, quia dictum est indifferenter, *Si peccaverit in te frater tuus*, *&c.* non distinguendo de quocumque peccato, *sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* Matth. xviii. 17. id est, excommunicatus. Ibi autem est collata Potestas excommunicandi: ergo videtur quòd pro quocumque peccato possit excommunicare. Secundò, eidem data est Potestas pro regimine fidelium, ad consequutionem felicitatis æternæ: sed à quocumque A mortali exire necessairium est unicuique fideli, pro consequutione vitæ æternæ; ergo Potestatem habet Summus Pontifex, unumquemque peccatorem pro quocumque mortali excommunicandi, cùm excommunicatio sit medicinalis.

In oppositum arguitur: quia tunc unus malafactor posset à duobus, ex æquo, puniri, pro eodem peccato, quod est inconveniens. Igitur, &c. Pro solutione; primò, supponitur, quòd non loquimur de veniali, quia nullus potest excommunicari pro veniali, imò nec corrigi fraternaliter, nisi sit de proximis mortali, non enim perditur anima pro veniali: ideò veniale non est materia coëcitionis. Secundò, supponitur, quòd mortalium quædam consistunt in actu interiori, qui ex natura rei est icognoscibilis hominibus, sicut est volitio occidendi, vel odium quod nondum progressum est in opus: & illud peccatum, est incognoscibile hominibus; quia solus Deus est qui in- B tuetur cor. Aliud est peccatum, quod est progressivum ad opus, ut furtum, percussio Clerici, &c. & est multiplex. Primum, quod quamvis sit cognoscibile; non potest tamen propter defectum testium cognosci juridicè, ut cum Sortes occidit Platonem, & ipsi soli erant. Aliud est peccatum exterius, quod potest juridicè probari & constare hominibus juridicè. Peccatum verò quod consistit in opere exteriori primo modo, est multiplex: nam est aliquod sic se habens, quòd nec potest probari peccatum, nec paccans, hoc est, nec factum, nec factor; ut cùm aliquis dat alapam alteri, & nullum ex illa restat vestigium: ergo, nec factum, nec reus facti probari potest. Contrà, aliquando & factum & actor facti probari possunt. Supponitur tertiò, quòd peccatorum, quoddam est spirituale, quoddam verò temporale. Spirituale, quod de directo est contra Legem Evangelicam, & contra Sacramenta, ita quòd C seclusa Lege Evangelica, non foret peccatum. Aliud est temporale, seu seculare, quod, seclusa quacumque revelatione divina & Evangelica, stando in Lege naturæ, adhuc esset peccatum. Exemplum primi, ut sunt peccata commissa contra Sacramenta. Exemplum secundi, ut peccata contra Præcepta Decalogi. Quartò, supponitur, quòd in temporalibus contingit dupliciter peccare: uno modo, peccato erroris, sive oppositionis, hoc est, judicando de peccato quod committitur circa temporalia non esse peccatum, ut judicando furtum non esse peccatum; similiter & homicidium, &c. Alio modo contingit peccare peccato vendicationis, id est, sibi vendicando, vel retinendo quod est alterius.

Ecclesia Potestatem tantùm habet super actus exteriores.

D Istis suppositis, respondetur ad quæstionem quæ quæritur; utrùm Petro fuerit collata Potestas unumquemque fidelem pro quocumque peccato excommunicandi: & sit prima Propositio. Nec Petro, nec successoribus ejus, nec Judicibus Ecclesiasticis, est collata Potestas excommunicandi pro peccato interiori, & hoc tenent omnes Theologi. Patet ex Evangelio, & ex parabola zizaniorum, *Matth.* xiii. ubi prohibuit zizania eradicari ex frumento. Per zizania intelligit malum hominem eradicari, id est, excommunicari, propter duas causas. Prima, propter defectum cognitionis; secunda propter periculum inquietatis, seu perturbationis Reipublicæ: nam propter hoc, prohibuit Sal-

Digitized by Google

vator zizania, id est, malum hominem, ab agro, id est, Ecclesiâ eradicari, id est, excommunicari. Ergo ex tali parabola apparet, quòd non est collata Potestas excommunicandi Judici Ecclesiastico pro tali peccato quod nullomodò cognosci potest. Item, probatur, *De pœnitent. dist.* 1. *Cogitationis pœnam nullus patiatur, supple ab homine, sed ab illo qui cognovit corda.* Breviter dicunt communiter Doctores, quòd Summus Pontifex, non habet Potestatem super actus interiores, sed solùm exteriores.

Sed tenentes oppositum adducunt aliquas rationes. A Prima, argumentum Glossæ in Clementina, *de Hæreticis*: quia secundùm illam Glossam, excommunicantur Inquisitores Fidei, quando omittunt inquirere; ergo. Item Præcepto Papæ & Ecclesiæ, homo tenetur semel in Anno confiteri (sed Præcepto divino, semel in vita) ergo habet Jurisdictionem supra peccata secreta. Similiter in Clementina, *Multorum*, excommunicantur pro negligentia. Dico quòd illa negligentia est aliquid exterius, & sicut opus exterius probari potest, ita & ipsa omissio exterior potest probari. Quantùm ad secundum, dicit Durandus, in 4. quòd verum est quòd tenemur confiteri semel in Anno, Præcepto humano, & non divino; ergo habet Jurisdictionem supra secreta cordium. Distinguo: per se negatur, per accidens conceditur. Nam sumere Sacramentum Eucharistiæ est opus exterius, & super tale opus exterius, habet Ecclesia B Jurisdictionem per se: & quia non potest aliquis dignè illud Sacramentum suscipere, nisi priùs contritus & confessus fuerit secreta cordis; sic per accidens, Ecclesia præcepit peccata confiteri, in quantum confiteri est unum necessarium ad opus exterius quod per se præcipit Ecclesia, aliàs nullomodò posset præcipere illam Confessionem interiorem.

Secunda Propositio. Judex Ecclesiasticus, ut Supremus Pontifex, habet Potestatem infligendi pœnam pro exteriori peccato manifesto, quamvis peccator sit secretus. Aliqui tamen dicunt oppositum, ut Gotofredus, *in Quodlibetis.* Probatur ista secunda Propositio, & habetur, 1. *qu.* 1. de quodam qui edidit libellum diffamatorium, qui erat ignotus. Dicit Gregorius: nisi talis confessus fuerit, ipsum privamus perceptione Corporis & Sanguinis, & si sumat, à corpore Ecclesiæ sit divisus; ergo quamvis peccator sit occultus, & peccatum publicum, potest feriri Sententiâ excommunicationis, si peccatum sit publicum, & juridicè probatum, in Can. *Quidam maligni spiritus* 5. q. 1. & illud est unum Argumentum: quòd si secularis Judex non potest exercere suam Jurisdictionem coërcitivam in aliquem peccatorem, quia secretus est, Ecclesiasticus debet suam exercere in illum.

Tertia Propositio difficilis & problematica est inter Doctores: nempe si utrumque sit ignotum (*id est, peccator & peccatum*) an talis possit feriri Sententiâ excommunicationis: dicunt multi quòd non. Primò, habetur ex Jure divino parabola zizaniorum. Secundò, de processu Evangelico. [*Matth.* XVIII. ubi docetur monendum priùs esse fratrem.] Tertiò, quia excommunicare est actus Jurisdictionis; & tria requiruntur antequam aliquis possit excommunicari. Primò, Jurisdictio ex parte ferientis. Secundò, convictio. D Tertiò, pax salva. Ergo Sententia lata nulla esset in illo casu. Primum habetur expressè in cap. *Ex tua fraternitatis literis, de simonia*, ubi constat secretos simoniacos in tantum culpabiles, quòd si eorum excessus esset Ecclesiæ manifestus, venirent Sententiâ excommunicationis feriendi. Ergo per oppositum, quod est fortissimum Argumentum in Jure, si excessus non sit manifestus, non sunt feriendi censurâ Ecclesiasticâ; ergo ubi nec peccatum est publicum, nec peccator cognitus, non potest aliquis excommunicari. 32. *dist. Can. Tua nos.*

Alii dicunt oppositum, ex Can. *Si Sacerdos*, 1. q. 1. Quòd si Sacerdos aliquem cognoverit reum, etiam ex Confessione solùm, quamvis non possit juridicè probari, tenetur illum excommunicare, ipso qui passus est damnum petente, quamvis tenetur non nominare: nam neque peccatum, neque reus est notus juridicè, quia talis Sacerdos cognoscens in Confessione, scit ut Deus. Ergo potest aliquis feriri Sententiâ excommunicationis, quamvis actor & peccatum sint secreta. Pro ista difficultate supponitur, quòd contingit aliquem multipliciter feriri istâ pœnâ spirituali, scilicet excommunicatione: uno modo, quòd excommunicetur Sententiâ latâ à Jure, quando scilicet facit contra Præceptum Juris, quod datum est cum additione pœnæ: & isti Canones Sententiæ latæ, non dantur nisi pro peccatis futuris, & nunquam pro præteritis, ita quòd ante Canonem latum, *Si quis suadente*, &c. qui percussisset Clericum, non fuisset excommunicatus. Aliquando contingit aliquem excommunicari ab homine, & hoc fit è contrario, putà pro peccatis præteritis. Et adhuc ab homine dupliciter; uno modo, nominatim, hoc est, quòd nominetur in prolatione Sententiæ; alio modo, non nominatim; sed excommunicatione generali.

Quantùm ad ista: cùm quæritur quando peccatum est ignotum & actor etiam, an possit excommunicari, supposito quòd peccatum sit exterius; dico primò, quòd potest feriri Sententia lata à Jure, ut percutiens Clericum (quamvis hoc probari non possit) non est dubium quin sit excommunicatus: sed utrùm possit excommunicari ab homine nominatim; dico quòd non, per Can. *Si Sacerdos*: nam si sit secretum, certum est quòd non debet, nec potest nominari. Sed si feratur Sententia isto modo: *Quicumque fecit hoc, sit excommunicatus*; dicunt plerique quòd talis non est excommunicatus, nisi factum fuerit juridicè probatum. Est opinio multorum Doctorum in Theologia, & utrumque est probabile, vel quòd potest, vel quòd non potest excommunicari.

Ad authoritates, prohibuit Christus zizania eradicari antequam cognoscerentur: dicunt qui tenent oppositum, quòd prohibuit solùm excommunicari nominatim: similiter ad processum quem Christus servandum dixit, *Matthæi* XVIII. Eodem modo dicunt esse intelligendum caput, *Ex tua fraternitatis literis.* C *De simonia*, quod si excessus esset manifestus Ecclesiæ, essent excommunicandi, verum est nominatim: & ideo quamvis excessus non sit manifestus, veniunt excommunicandi Sententia generali.

Sed tenendo oppositum, difficultas est, quomodò debent absolvi: dicunt quòd in Foro conscientiæ absolvuntur ab illa excommunicatione, imò si non possint se separare à fidelibus, nisi prodendo suum crimen, tenentur se diffamare & scandalizare: sed si possint se separare sine scandalo, tenentur se separare.

CAP. X.

An ex ordinatione divina spectet ad Papam de quolibet peccato ordinariè cognoscere.

Consequenter quæritur, utrùm ex institutione Christi, Petro regulariter sit concessa Potestas excommunicandi pro omni mortali, etiam supposito quòd actor, & peccatum nota sint. Supponuntur quæ jam dicta sunt, quòd duplex est peccatum, scilicet seculare & spirituale: similiter peccatum seculare est duplex, scilicet erroris, & vendicationis. Istis suppositis, sit prima Propositio.

Ad Judicem Ecclesiasticum, ut est Papa, Episcopus, Officialis, &c. spectat ordinariè cognoscere de quocumque mortali, etiam oppositionis & erroris

Digitized by Google

ris in rebus secularibus, ex ordinatione divina: & in ista propositione coincidunt omnes Doctores; & loquor de mortalibus semper. Patet; nullum est mortale, nisi quia contra Legem Dei, ut patet ex definitione peccati data ab Augustino, *Peccatum, est dictum, factum, vel concupitum contra Legem Dei*: sed sic est, quòd ad Judicem Ecclesiasticum, quia Ecclesiasticus est, secundùm hanc considerationem, de omni quod est contra Legem Dei, spectat ordinariè judicare, an sit contra Legem Dei; vel non: *Ex ore enim ejus Legem requiram*. Ergo ad Judicem Ecclesiasticum ordinariè spectat cognoscere de omni peccato erroris, vel oppositionis in rebus secularibus, ut si quis diceret furtum non esse peccatum, imò si cum pertinacia diceret, talis esset hæreticus: sed notum est quòd spectat ad Judicem Ecclesiasticum de talibus cognoscere.

Secunda Propositio. Regulariter ad Judicem Ecclesiasticum non spectat ordinariè cognoscere de vendicatione rerum secularium, puta cujus sint, aut cujus non sint. Patet: nam quòd ista res sit istius, & illa illius, hoc est ex Jure Civili, ex can. *Quo Jure*, supra allegato. Ergo hoc debet judicari secundùm Leges Civiles: sed ad Ecclesiasticum, ut Ecclesiasticus est, non spectat cognitio Juris Civilis, in Can. *Quo Jure*, & *Cap. Novit. De Judiciis. Non intendimus judicare de Feudo, cujus ad ipsum spectat Judicium, id est, ad Regem vel Imperatorem: in criminibus, non in possessionibus vestra Potestas est*: & istud apparenter deducitur ex Sacris Literis. Nam Summus Pontifex non habet majorem authoritatem quàm habuit Christus secundùm humanitatem; sed Chistus secundùm humanitatem non habuit hanc authoritatem discernendi de Feudis, & de rebus secularibus, & de vendicatione rerum secularium: nam ipse quidem negans à se authoritatem illam, respondit juveni interroganti eum, ut juberet fratrem suum dividere hereditatem, *Quis me constituit divisorem inter vos*? Luc. 12. 14.

Contra hanc authoritatem sunt duæ authoritates quæ videntur expressè sonare oppositum. Prima hahabetur, xi. q. 1. can. *Quæcumque dissentiones oriuntur inter Christianos, ad Ecclesiasticos sunt deferendæ, & ab eis terminandæ*; Ergo etiam dissentiones quæ oriuntur de vendicationibus. Dico istum Canonem expressè poni à Palea, & ideò nec approbatur, nec reprobatur, imò nullius est approbationis. Alia authoritas habetur, 1. ad Corinth. vi. 3. *Angelos judicabimus, quanto magis secularia*? Ergo magis, quia Clerici sunt, ex officio spectat de secularibus judicare. Quantùm ad hoc, Occam optimè solvit: reprehendebat enim Paulus fideles qui conveniebant sese mutuò coram Judicibus infidelibus, admonebat enim eos ut componerent inter se, antequam adirent Judicium, & si non possent, quòd ex consensu partium aliquos deligerent Arbitros: si autem non, tandem recurrerent ad ordinarium Judicem, & ita debet facere quilibet bonus vir. Unde de *nos Angelos judicabimus*, supple judicio approbationis, approbando Beatitudinem bonorum, & damnationem malorum. *Quantò magis secularia judicabimus*? Judicio supple approbationis; approbando illud esse justum, aut injustum. Unde in istis duabus Propositionibus concordat major pars Doctorum.

Jam difficultas est. Nam notum est hoc esse meum & illud esse Sortis, & nihilominùs Sortes detinet meum, & notum est ipsum peccare, detinendo, me invito: & illud peccatum Sortis est seculare & non spirituale, quia non est de directo contra Sacramenta: unde quæritur modò, utrùm ad Summum Pontificem, vel Judicem Ecclesiasticum spectet ordinariè tale peccatum punire, vel solùm ad Judicem Laïcum. Quantùm ad hoc, sunt tria dicta. Primum, non spectat ad Summum Pontificem quemlibet, de quolibet tali peccato, etiam quod noscitur esse peccatum, ordinariè judicare, seu punire: & hoc conceditur fermè ab omnibus Doctoribus. Patet: non spectat ad Summum Pontificem de tali peccato punire infidelem purum ordinariè: patet 1. ad Corinth. v. 12. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare*? id est, de infidelibus, hoc est, nullam habeo Potestatem coërcitivam super eos. Hoc dato de peccato puri infidelis, quod sit notum, & quod ipse concedat se realiter alienum detinere, adhuc tamen ad Pontificem, ut Pontifex est, non spectat istum de tali peccato ordinariè punire, quod major pars Doctorum concedit, & hoc satis Paulus innuit, qui postquam idololatras, ebrios, maledicos, repaces præmisit, statim subjunxit, *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare*? Panormit. in cap. *Novit. De Judiciis*, tenet oppositum, videlicet quòd Summus Pontifex in peccatis quæ sunt contra Legem naturæ, potest infideles excommunicare, & coërcere censurâ Ecclesiasticâ: sed communis Sententia Doctorum tenet oppositum.

Ex isto dicto sequuntur aliqua corollaria. Primum, infidelis non tenetur vitare excommunicatum fidelem: ratio est, quia Summus Pontifex non potest obligare illum ad vitandum, quia nullam habet Jurisdictionem in ipsum. Secundò, sequitur quòd fidelis excommunicatus non tenetur vitare infidelem: nam in excommunicatione sunt duo; excommunicatus enim tenetur vitare fratres suos Christianos, & illi ipsum: & ultra tenetur à Sacramentis abstinere. Tertium quod sequitur est, quòd vitare excommunicatum, quantùm ad illa quæ sunt merè civilia, non videtur esse de Jure divino, ut dicit Occam in Dialogo, sed solùm de Jure positivo; tamen videntur aliquæ authoritates oppositum sonare.

Utrùm vitare excommunicatum, quo ad civilia, sit Præceptum divinum.

Difficultas est utrùm vitare excommunicatum sit Præceptum divinum, vel humanum. Dicit Occam quòd est solùm humanum; ratio est, quia si esset divinum, nulla indigentia, etiam extrema, posset aliquem excusare de participando cum excommunicato; quia propter nullam indigentiam, etiam extremam, sunt Præcepta divina frangenda. Sed indigentia extrema excusat de participando cum excommunicato; ergo illud est solùm Jure humano prohibitum. Et hoc argumentum est multùm apparens, ideò vitare illum, quantùm ad civilia ista, & non Sacramenta, est solùm de Jure humano, & non divino.

Secundum dictum in quo non est difficultas, quòd ad Pontificem spectat ordinariè judicare unumquemque, pro crimine quod est purè spirituale, putà pro peccatis contra Sacramenta, vel Articulos Fidei commissis; patet: ad ipsum spectat noscere Jus divinum & aliis manifestare, & inobedientes aliquâ pœnâ punire; igitur, &c.

Sed sola est difficultas in hoc; putà sit Sortes fidelis qui peccat mortali peccato quod solùm est seculare peccatum, utrùm ad Summum Pontificem ordinariè spectet judicare de tali crimine, vel ad laïcum. Apparentia est, quòd solùm ad laïcum; quia pro eodem peccato nullus debet puniri diversis pœnis, sed talis punietur à Judice laïco; igitur non ab Ecclesiastico. Quantùm ad hoc, est difficultas in qua sibi adversantur Doctores. Durandus, 3. *Quæst. De Jurisdictione Ecclesiastica*, tenet quòd ad Judicem Ecclesiasticum spectat, ordinariè, de omni actione humana cognoscere, præsertim si consideretur per modum injuriæ aut peccati: & sic unumquemque, pro omni peccato mortali, pœnâ Ecclesiasticâ punire; & loquitur semper de fidelibus. Patet multis Argumentis, & faciam duo apparentiora. Primùm est: cujus est considerare finem, ejus est sem-

Digitized by Google

semper considerare media ordinata ad illum finem; quia semper media sumunt rationem à fine; & illa propositio videtur satis nota: sicut enim Medicus, cujus est considerare sanitatem, considerat ea quæ inducunt sanitatem, & quæ impediunt ipsam. Sed sic est quòd corpus est propter animam, & temporalia propter spiritualia, & quælibet actio humana debet ordinari in ultimum finem, id est, beatitudinem. Ergo cujus est ordinariè cognoscere de spiritualibus & fine ultimo, & de spiritu, ejusdem est cognoscere de omnibus ordinatis ad illa, & præsertim de actionibus humanis, quando ponuntur sub ratione convenientis, vel impedimenti ad illum finem: & ipse Durandus vocat hanc rationem irrefragabilem. Secunda ratio, quæ est apparentior, sumpta est ex authoritate Christi Matth. XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus. &c.* nam si detineat mea, vel percutiat me; peccat in me: tandem ex processu dicitur, *Dic Ecclesiæ*, id est, Prælato Ecclesiæ Potestatem habenti illum excommunicandi pro quocumque peccato quod est in fratrem commissum: & hoc est multùm apparens & probabile, quòd ad Summum Pontificem & Ecclesiasticos Judices spectat ordinariè judicare de omni actione humana proposita, vel considerata sub ratione injuriæ, vel peccati, & unumquemque pro tali peccato pœna afficere, præcipuè pro peccato contumaciæ.

Ecclesia suasivè tantùm & directivè; non autem coactivè, judicat de mediis necessariis ad Beatitudinem.

ALiter dicit Joannes de Parisiis & Occam, quòd Summus Pontifex regulariter non debet judicare, seu aliquem punire pro peccato quod est purè seculare, quod dico propter adulterium, quod non est purè seculare, imò contra Matrimonii Sacramentum: similiter, usura non est peccatum purè seculare, sed solùm in tribus casibus. Exemplum; Judex Ecclesiasticus non debet punire furantem, pro furto; nec homicidam, pro homicidio, supposito quòd sit laïcus. Unde dicit Augustinus, super Amos Prophetam; *Quædam sunt peccata enormia, quæ non veniunt a Judice Ecclesiastico punienda, sed a seculari.* Ultra dicit Occam in fine Dialogi, quòd Papa in tribus casibus potest; cui concordat Gerson. Primus, quando peccans est juridicialiter subjectus, Jurisdictione laïca, Summo Pontifici, tunc potest ipsum punire. Secundus est, quando in terra in qua talis peccat, non est aliquis Dominus temporalis, vel si sit, perniciosè negligit peccatorem punire. Patet per cap. *Licet*, *De foro competenti*, ubi expressè ponitur talis casus. Tertius, quando Judex secularis nullam pœnam potest infligere, ut in casu, cùm peccator est occultus. Nam pœna temporalis non infligitur, nisi personæ cognitæ: ideò in istis tribus casibus ad Summum Pontificem & Judices Ecclesiasticos spectat punire de tali crimine purè seculari: sed illis exceptis, dicit Occam, quòd non spectat ad Summum Pontificem ipsum laïcum de crimine purè laïco regulariter punire. Quid ergo respondebit Occam ad Argumentum Durandi? Dicit Joannes de Parisiis ad Majorem: cujus est judicare de fine, ejusdem est judicare de mediis, supple innuitivè, id est, innuere quæ sunt media necessaria ad illum finem consequendum, & quæ impedimenta; & hoc verum est, quòd spectat ad Ecclesiasticum, quia ad eum spectat ostendere quod est necessarium ad felicitatem consequendam. Sed si intelligas: cujus est judicare de fine, ejusdem esse judicare Judicio coërcitivo & correctivo, de quolibet necessario ad illum finem, negatur. Imò illa est falsa Universaliter: cujus est judicare de fine, illius est judicare de mediis, Judicio coërcitivo: & hoc ordinariè de quolibet necessario vel impediente, respectu talis finis. Etiam dico, quòd Summus Pontifex non judicat de beatitudine, æterno isto Judicio de quo loquimur; sed per modum doctrinæ & incitamenti, ostendendo de mediis necessariis ad salutem. Regulariter ergo civilia ad laïcos pertinent. Ad secundum, *Si peccaverit in te frater tuus*, *&c.* non excludit aliquod peccatum, neque spirituale, neque temporale; ergo Ecclesiasticus super quodlibet peccatum habet authoritatem. Dicit Occam primò, *Si peccaverit*, *Dic Ecclesiæ*, quòd per Ecclesiam non ibi intelligitur Ecclesiasticus solùm, sed quæcumque Communitas fidelium, sive sint soli Ecclesiastici, sive soli laïci, sive utrique simul juncti, & hoc modo exponit *Dic Ecclesiæ*, id est, tali Communitati, putà tali Parochiæ. Dicit secundò, quòd per illam authoritatem non datur Potestas coërcitiva Judici Ecclesiastico, sed solùm datur eadem Potestas quæ datur ipsis testibus; nam dicitur, adhibe duos testes, & non datur testibus authoritas excommunicandi, sed increpandi & admonendi: ideò dicit quòd similiter non datur Judici Ecclesiastico Potestas excommunicandi, sed declarandi ipsum esse excomunicatum. Verùm, videtur Durandi opinio probabilior & conformior processui Evangelico, quòd quandocumque de aliquo certum est quòd peccavit mortaliter (salvo ordine Juris, putà salvo processu de correctione fraterna) tandem ille pro contumacia venit excommunicandus, quia non vult desistere ab illo peccato. Hanc defensat & ad longum nititur probare Carlerius, ponens ultimum corollarium tale; nempe, quòd asserere Judicem Ecclesiasticum non posse cogere laïcum ad solvendum bebitum, quando certum est quòd debet illud, vel ad cedendum bonis, est errare in materia clavium.

Habetur ergo resolutoriè, quando de aliquo exteriori facto certum est quòd est peccatum, potest Judex Ecclesiasticus, servato ordine Juris, de quocumque tali ordinariè cognoscere, & in Foro exteriori publico peccantem, censura, id est, excommunicatione Ecclesiastica, punire; & præcipuè si fuerit contumax: & hæc opinio est Sacris Literis conformior.

CAP. XI.

An Papa possit aliquid præcipere, cujus transgressio inducat mortale peccatum.

COnsequenter videndum est de secundo ligamine; utrùm Papa unumquemque ligare possit ligamine Præcepti obligantis ad peccatum, hoc est, utrùm Petro & successoribus ejus fuerit illo verbo, *quodcumque ligaveris*, *&c.* à Christo collata vel promissa Potestas unicuique præcipiendi aliquid sub pœna peccati. Arguitur primò quòd non; nam non est peccatum, nisi contra Legem Dei. Patet per definitionem peccati ab Augustino datam superiùs; ergo nullus Legislator hamanus habet Potestatem præcipiendi sub pœna peccati. In oppositum arguitur quòd habetur in Sacris Literis, ut I. Petri. cap. II. 18. *Obedite præpositis vestris*, *etiam dyscolis*: similiter habetur, *Qui vos audit me audit.* Luc. X. 16.

Communiter habetur circa hoc controversia inter Doctores. De Gersonio, in 4. parte, *De vita spirituali animæ*, dicit, quòd *Nulla transgressio Legis naturalis aut humana, ea ratione quâ est naturalis aut humana, est peccatum mortale.* Et hæc Propositio est conformis ad dicta Durandi: dicit notanter *ea ratione quâ naturalis*, *vel humana*, quia eadem Lex potest esse naturalis & divina: unde voco Legem natu-

Digitized by Google

naturalem, illam quæ omnibus ratione utentibus, ex judicio rationis, communis inest, secluso quocumque signo sensibili exteriori. Unde dicit Gerson, quòd mortale est quod operatur reatum ad pœnam æternam, id est, obligationem ad pœnam æternam sine Dei acceptatione. His suppositis, sic arguitur: Legislator non potest condere Legem cum adjectione pœnæ quam non potest infligere: nam Legislator Civilis frustra conderet Legem de aliquid faciendo, sub pœna excommunicationis, quia illam non potest infligere, nec exercere: similiter Legislator Ecclesiasticus Civilis, frustra conderet Legem sub pœna suspendii, quia illam non posset exercere: sed sic est, quòd nullus Legislator humanus potest infligere pœnam æternam quæ debetur mortali, nec de ea cognoscere in suo Foro: ergo nullus Legislator humanus potest condere Legem, quo ad adjectionem pœnæ æternæ; ergo non potest obligare sub pœna peccati mortalis, capiendo mortale pro illud quod operatur reatum ad pœnam æternam; aliàs Legislator posset condere Legem cum adjectione pœnæ impossibilis. Unde dicit Durandus, quòd Legislator non potest condere Legem de actibus interioribus, quia de illis non potest aliquid cognoscere in suo Foro, nec eos punire. Sed Solius Dei est pœnam æternam cognoscere, & eam infligere; ergo non spectat ad Legislatorem humanum, &c. hoc est, nullus Prælatus Ecclesiasticus, aut Civilis Magistratus, potest subditis aliquid præcipere sub pœna peccati mortalis.

Ex ista prima propositione sequitur secunda corollaria, quod aliquis potest satisfacere & adimplere Præceptum humanum per mortale peccatum, sicut & aliquis potest mereri, transgrediendo Præceptum humanum. Patet primùm, de illo qui jejunat propter appetitum vanæ gloriæ: nam actus interior non subjacet imperio hominis, & per illum interiorem, dummodò impleatur exterior, non transgreditur Præceptum humanum. Exemplum secundi: patet de illo qui aliquam mulierem desponsavit clandestinè per verba de præsenti, & postmodùm cum alia contrahit in facie Ecclesiæ, & sub pœna excommunicationis cogitur habitare cum secunda, quæ non est sua uxor; talis nolendo habitare cum secunda, propter Deum, meretur, & transgreditur Præceptum humanum; & ista est Summa opinionis de Gersonio.

Sed pro opinione opposita, quæ videtur rationabilior, sit prima Propositio. Non solùm Papa; sed quilibet Sacerdos, virtute clavium, in Foro pœnitentiali & secreto, potest sibi subjecto in tali Foro, ex vi Præcepti, aliquam pœnam imponere, quam ipse subjectus tenetur acceptare & facere, sub pœna peccati, quia secluso suo Præcepto, nullomodò peccaret transgrediendo, & hæc est etiam opinio sancti Thomæ, quamvis Scotus oppositum dicat. Ratio est; unusquisque Judex ordinarius, suum subditum convictum & accusatum de peccato, cujus cognitio ad suum Forum spectat, potest punire, & certam pœnam imponere, quam tenetur sufferre. Hinc dicit Sanctus Thomas, 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 4. quòd justè condemnatus ad mortem, etiam si pateat ei locus fugæ, tenetur obedire illi Sententiæ, & si aufugiat, peccabit. Sed sic est quòd iste Sacerdos est ordinarius, quantùm ad Forum pœnitentiale & secretum, & alter subditus, quantùm ad illud Forum, & sufficienter convictus & accusatus, quia sua Confessio est sufficiens convictio; cùm in tali Foro, idem sit reus, testis, & accusator: ergo potest illi indicere & imponere pœnam quam tenetur sufferre; & secluso tali Præcepto de illa pœna sufferenda, quamvis fuisset confessus, non fuisset obligatus sub pœna peccati. Verumtamen apud Thomam, (& apparentia est) superveniente tali Præcepto Sacerdotis, cui se subjecit, tenetur illam ferre, & non potest renuere, dummodò ipsa pœna sit rationalis. Imò tenetur sub pœna peccati adimplere illam pœnam. Unde authoritas illa: *Quodcumque solveris*, intelligitur à peccato; *& ligaveris*, supple ad pœnam, *erit ligatum*, &c. videtur hoc sonare: ergo ex vi Præcepti Sacerdotis ordinarii, pœnitens sub pœna peccati tenetur illam implere, & hæc opinio videtur probabilior quàm opposita: Scotus dicit, quòd si subjiciat se, ad utrumque tenetur.

Utrùm Concilium possit aliquid præcipere sub pœna peccati.

Secunda Propositio. Concilium Generale, quantùm ad Forum exterius, (quia per se non habet Potestatem super actus interiores, nam non potest audire Confessiones) potest aliquid præcipere sub pœna peccati mortalis, quod, secluso Præcepto, non foret peccatum, stando præcisè in Lege divina, & communiter Doctores satis concordant in hoc. Patet: Concilium Generale est tantæ Potestatis sicut erat in primitiva Ecclesia: sed in primitiva Ecclesia poterat condere Legem & Statutum; cujus transgressio erat mortale peccatum, ergo & nunc. Patet Major, tempore Apostolorum, Actuum xv. 28. *Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vobis imponere præterquam hæc necessaria, ut abstineatis ab immolato & suffocato sanguine & fornicatione.* Nam licitum erat gentibus ante & post conversionem, suffocatum in sanguine, id est, occisum sine emissione sanguinis comedere, & hæc prohibebantur in Lege Moysi, quæ non obligabat Gentiles, & abrogata fuit per Evangelium, quantùm ad cæremonialia: nihilominus in Concilio Apostolorum, prohibitum fuit sub pœna peccati, ut Gentiles abstinerent ab immolato & suffocato, & erat eis necessarium pro mutua conversatione. Similiter fornicatio erat simpliciter prohibita, & sic transgressio erat peccatum. Ergo, potest Concilium aliquid prohibere sub pœna peccati. Præterea est præceptum, sub pœna excommunicationis (quæ non potest ferri nisi pro peccato) sumere semel in Anno Eucharistiam. Similiter potest Concilium Generale ipsam Ecclesiam obligare ad aliquid, ad quod priùs non erat obligata, quia Concilium gerit vices Ecclesiæ, & repræsentat totam Ecclesiam, ideò potest ipsam Ecclesiam obligare.

Tertia Propositio quam pono secundùm hanc opinionem. Summus Pontifex in Foro exteriori, potest aliquid præcipere, ratione cujus transgressio erit mortalis, quæ non esset, tali Precepto secluso: pro cujus suasione dicit Gerson, quòd si Medicus expertus & scientificus diceret mihi, iste cibus est pestifer, si ex illo comedas morieris; teneor non comedere, non vi Præcepti Medici, sed vi hujus Præcepti, *Non occides*, Exod. xx. 13. quia teneor non me occidere. Similiter, quando Prælatus dat mihi aliquod Præceptum, teneor illud adimplere, non vi Præcepti Prælati, sed vi Præcepti divini, & Superioris. Dico ultra, quòd potest Pontifex, virtute Potestatis sibi datæ, condere Præceptum, cujus transgressio erit peccatum, & adæquatè contra tale Præceptum Summi Pontificis, non autem contra Præceptum divinum directè, neque contra aliquam alteram Legem, præterquam contra Legem Summi Pontificis. Patet sic: Summus Pontifex obligat ex vi Præcepti sui, consanguineos in quarto gradu non contrahere, ita quòd illegitimi reputantur in quarto gradu, vel statu prohibito geniti, ut habetur *Extravag. De clandestina desponsatione, cap. Cum inhibitio.* Sint ergo Sortes & Berta consanguinei in quarto, tunc obligantur non contrahere ad invicem: ita quòd

Digitized by Google

quòd si contrahant, peccabunt mortaliter, & non erit Matrimonium; & ad hoc non obligantur virtute Præcepti divini, sed quòd notificetur nobis per Præceptum Summi Pontificis. Ergo ex Præcepto Summi Pontificis obligatur, & nihil ultra. Igitur talis transgressio ex hoc solùm est peccatum, quia est contra Præceptum Pontificis, & non quia est contra Præceptum divinum. Quare si post istam obligationem factam à Summo Pontifice in quarto & tertio gradibus, Sortes cognosceret Bertam carnaliter, graviùs peccaret, quàm faceret, seclusa tali illegitimatione, quia committeret incæstum; ergo illud peccatum efficitur notabiliter gravius in esse peccati mortalis, quàm foret sine tali Constitutione Summi Pontificis: igitur talis Constitutio ligat ad morale. Item, possunt adduci ad hoc suadendum multæ rationes & authoritates variorum Authorum: nam ponit Occam, in fine primæ Partis Dialogorum, & circa tertiam, quòd Summus Pontifex, ratione delicti priùs commissi, in Foro exteriori, potest aliquem detrudere in Monasterium, & ligare eum ut servet perpetuam castitatem, ita quòd si attentet contrahere, peccabit, & secluso Præcepto Pontificis posset contrahere. Ergo potest aliquem ligare ad aliquid, cujus transgressio inducit peccatum mortale.

Præterea, ante Præceptum de non participando cum excommunicato, nullus peccabat, communicando cum illo; ergo potest Pontifex in Foro publico & exteriori, ratione clavis sibi datæ à Christo, aliquem ligare ad mortale: similiter ratione delicti, potest præcipere pœnam in Foro exteriori, & ille cui præcipit illam tenetur adimplere. Ideò quantùm ad pœnam solvendam, potest ligare sub pœna peccati. Item, in Sacramentis, ut in Matrimonio, potest aliquem ligare sub pœna peccati mortalis, ut visum est, de non contrahendo in tertio & quarto gradibus. Similiter quantùm ad specificationem Præceptorum Dei, potest ad aliquid ligare sub pœna peccati mortalis: nam ex Jure divino teneor confiteri & suscipere Eucharistiam; sed non est Jure divino specificatum tempus quando teneor, nisi ex vehementi probabilitate, quòd numquam postea daretur opportunitas. Et Summo Pontifici data est authoritas à Christo certum tempus determinare, in quo quilibet fidelis Christianus, rationis compos, sub pœna peccati mortalis teneretur, ut dictum est in lectione quarti Sententiarum, in allegatione & declaratione illius capitis, *Omnis utriusque sexus. De pœnitentiis & remissionibus.* Et sic in istis tribus casibus, se extendit Potestas Summi Pontificis, ad arctandum fideles ad aliquid, sub pœna peccati mortalis. Primus, ratione culpæ, quia habet Potestatem punitivam: secundus, in Sacramentis præcipuè Matrimonii, quia potest materiam illegitimare: tertius, Præcepta divina ad certum tempus limitando.

Solutio Objectionum Gersonii.

AD rationes Domini de Gersonio ad primam præcipua est inter alias. Nullus Legislator potest condere Legem, cum adjectione & appositione alicujus pœnæ, quam non potest in suo Foro infligere, ut argutum est de laïco, qui non potest statuere aliquod statutum observandum sub pœna excommunicationis. Distinguo; nam si talis Legislator non habeat authoritatem ab aliquo qui possit eam infligere in suo Foro, verum est; sed ubi habet authoritatem ab illo qui potest cognoscere de crimine, & pœnam condignam illi infligere, negatur. Unde dico quòd Summus Pontifex, quia est Vicarius Christi, habet authoritatem ab illo cognoscendi in suo Foro, de crimine, & aliquid etiam præcipiendi, sub obligatione ad pœnam æternam. Et non est simile de Prælato Civili, puta Rege, vel alio temporali Jurisdictionem habente in temporalibus, cùm talis non habeat Potestatem aliquem obligare ad aliquid, cujus transgressio inducat pœnam æternam, quia non est immediatè Vicarius Christi, sicut Summus Pontifex, cui Potestas im-

A mediatè ab ipso Christo commissa & collata est. Igitur, &c.

CAP. XII.

An Papa possit dispensare in Præceptis.

VIsum est de prima parte authoritatis, quomodò Papa potest unumquemque ligare, putà ligamine excommunicationis, pro peccato: secundò, ligare potest, id est, ad pœnam obligare, pro culpa præcedente; item, ligare potest, ligamine Præcepti ad aliquid faciendum vel omittendum. Jam videndum est de secundo membro authoritatis; utrùm Summus Pontifex, authoritate à Christo sibi collata, immediatè possit unumquemque fidelem

B solvere, & non loquor an Pontifex possit unumquemque solvere fidelem à ligamine excommunicationis, quia satis notum est quòd sic. Similiter non quærimus an Papa possit solvere à ligamine peccati, quia certum est quod sic, si sit Presbyter (at non Presbyter in Papam electus, habet authoritatem in Foro exteriori) nec est difficultas, an Papa possit solvere à pœna post remissionem culpæ, puta per Indulgentiarum largitionem: difficultas ergo præcipua est, utrum Papa possit unumquemque Christianum ligatum ligamine Præcepti, id est, obligatum, solvere, id est, deobligare; & hoc est quærere, an possit dispensare à Præcepto. Secundò, supponitur quòd inter Præcepta, aliqua sunt purè naturalia, Juris purè naturalis, & illa sunt quæ unicuique utenti ratione nota sunt, vel saltem ex eis deducibilia immediatè. Prima, vocantur principia; & secunda, conclusiones ex illis deductæ. Alia sunt Præcepta positiva, quæ unicuique utenti ratione non sunt nota, neque deducibilia ex eis in conse-

C quentia evidenti, sed fortè multùm eis conformia, & propter illam conformitatem ab ipso Superiore præcepta, & ista sunt duplicia: nam quædam sunt divina, altera verò humana. Exemplum primi, ut Præcepta à Christo data pro Lege Evangelica, putà quòd unusquisque baptizetur, confiteatur, &c. & quamvis sint divina, sunt tamen positiva, quia non sunt de Lege naturali, sed ex tempore posita, & non sunt necessariò unumquemque obligantia. Exemplum secundi, ut sunt multa Præcepta humana. Tertiò, supponitur quòd dupliciter homo obligari potest: nam est quædam obligatio, quâ obligatur homo absque suo consensu, etiam ipso invito, & ista obligatione obligatur homo ad omnia Præcepta quæ à Deo sunt data. Ex quo sequitur, quòd quilibet homo obligatur ad susceptionem Baptismi, &

D talis obligatio non dependet à consensu libero hominis. Alia est obligatio, quæ ortum habet à consensu obligati; & secluso tali consensu, nunquam orietur talis obligatio, ut obligatio quâ obligatur Religiosus servare obedientiam & castitatem. Nam per liberum consensum suum, ad hoc se obligavit, & per promissionem liberam. Similiter, sit Sortes maritus Berthæ, obligatur illi quantùm ad actus Matrimoniales, ex libero consensu, & promissione illius.

Quo-

Digitized by Google

Quomodò differunt Revocatio, Abrogatio, Dispensatio, Derogatio, Epieikeia, & Interpretatio Legis.

ISstis suppositis, quæritur an Papa possit aliquem solvere à prima obligatione, vel secunda. Primò, supponitur, quòd isti sex termini differunt, scilicet revocatio Legis, & abrogatio ejusdem; dispensatio in Lege, & derogatio illius; interpretatio Legis, & epieikeizatio. Nam revocatio & abrogatio in hoc conveniunt, quòd Lex totaliter aufertur, quantùm ad omnes actus, & quantùm ad conditionem Legis, etiam in ordine ad quodlibet tempus, ut Lex Mosis est revocata & abrogata, quantùm ad cæremonialia & judicialia, quia nullus mansit obligatus ad illa: sed differunt, quia revocatio fit à Legislatore vel Superiori; & abrogatio à consuetudine, & in hoc solùm differunt. Revocatur Lex quando cassatur obligatio illius ab ipso qui illam condidit, vel à Superiore: sed abrogatur, quando cassatur ejus obligatio omnimodè per consuetudinem oppositam. Ex quo sequitur, quòd Lex divina, nullomodò potest abrogari, quamvis possit revocari: sed Lex humana, potest & abrogari & revocari. Item, dispensatio & derogatio in hoc conveniunt; quia dispensatio & derogatio non auferunt totaliter Legem, sed solùm in ordine ad quandam certam personam, vel in ordine ad certum tempus, ut data est Sorti Potestas contrahendi in tertio gradu cum Bertha, & cum tali est facta dispensatio in Lege, quia non nisi ad certam vel certas personas hoc extenditur. Sed differunt; quia dispensatio fit à Legislatore, & derogatio à consuetudine. Item, interpretatio & epieikeia differunt, quia inrerpretatio fit à Legislatore, & præcipuè ubi Lex habet duos sensus: sed epieikeia est quando occurrit casus particularis, in quo servare Legem esset contra rationem Legis, & judicare in tali casu Legem non esse observandam, est uti epieikeia.

Istis suppositis, est nunc quæstio terminanda, quâ quæritur, utrùm Summus Pontifex, authoritate à Christo sibi collata, habeat Potestatem unumquemque obligatum, tàm præter consensum, quàm ex consensu suo, ab illa obligatione solvendi. Quantùm ad illud, sit prima Propositio: Papa non potest in Lege purè naturali aut divina, dispensare, aut eam revocare, & sic neminem, nec totam Communitatem à debito illius Legis potest solvere. Patet sic: quandocumque sunt duo Superiores, & inter illos est ordo, quia unus est * superior; si talis Superior præcipiat aliquid uni tertio, & inferior oppositum, vel prohibeat, obediendum est Superiori, neglecto Præcepto, vel prohibitione inferioris. Ergo, cum Deus sit Superior in ordine ad omnes, præcipiens aliquid vel prohibens, contra illud non potest Papa nec dispensare nec revocare, nec oppositum præcipere vel prohibere. Nam ita est ordinatum inter homines, putà si Imperator aliquid præcipiat, & Dux oppositum, obediendum est Imperatori: & à fortiori inter Deum & homines. Ista Propositio patet manifestè ex cap. XXII. 18. 19. Apocalip. *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in Libro isto. Et si quis diminuerit de verbis Libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de Libro vitæ & de civitate sancta, & de his quæ scripta sunt in Libro isto dicit qui testimonium perhibet istorum.* Ergo Summus Pontifex nullo modo potest dispensare in his quæ sunt de Lege Evangelica: & ista Propositio ponitur in multis Canonibus, 25. quæst. 1. *Omne quod actum est contra Legem naturæ, aut Evangelicam, irritum habetur.* Ideò fermè conceditur ab omnibus, quòd non potest Papa obligationem ortam à Jure divino vel naturali, etiam in invitum aliquo modo revocare, nec in ea dispensare.

Aliqui tamen Juristæ tenent oppositum istius Propositionis, ut Panormitanus, in cap. *Licet. De Feriis*; quòd Papa potest dispensare in Lege divina, in Præceptis affirmativis saltem. Patet de sanctificatione Sabbathi: & hoc est, contra Præceptum divinum. A Similiter hoc tenet Angelus in Summa: nam Martinus V. consilio maturo habito, dispensavit inter aliquos in secundo gradu consanguinitatis, qui est Lege divina prohibitus. Similiter temporibus nostris, Papa dispensavit cum aliquo quòd haberet duas sorores, unam post alteram, contra Legem Dei, quia habetur, Levitici XVIII. 16. *Non revelabis turpitudinem uxoris fratris tui*, ut patet in Rege Portugalliæ, qui successivè duas habuit sorores, imò nunc tenet secundam; & Rege Angliæ, qui cœpit uxorem fratris defuncti. Ergo potest Papa dispensare in illis quæ sunt Lege divina prohibita. Item, est contra Legem naturæ, maleficos non punire. Exodi. XXII. 18. *Maleficos non patieris vivere.* Sed Princeps laïcus sæpe condonat vitam malefactoribus; ergo dispensat contra Legem non solùm B divinam, sed naturæ.

Quantùm ad primum, nego quòd Papa dispenset in Præceptis divinis: & cùm arguitur de dispensatione Sabbathi; dico quòd non dispensat, sed declarat. Aliquando capitur dispensatio pro Juris declaratione, & sic potest, sed non potest dispensare, id est, Jus divinum relaxare: & cùm dicitur; de Jure divino est, nullum opus servile exercere, dico quòd in antiquo Testamento erat, ut nullum opus servile in Sabbatho exerceretur, & istud erat cæremoniale, & proinde non est de Jure divino Evangelico, etsi multùm tamen conforme sit Juri divino Evangelico, sed non est simpliciter de Jure divino, sed præcisè de humano. Item, in Antiquo Testamento, quamvis esset prohibitum nullum opus servile exercere; tamen si fuisset necessarium, erat eis licitum, puta extrahere bovem de puteo, & C hoc ostendit Christus Judæis reprehendentibus Discipulos evellentes spicas die Sabbathi, & non loquitur hîc de servitute peccati, quia talis, omni tempore, Jure divino est prohibita, &c. Item, fuit licitum Machabæis pugnare. Ideò dispensare in illo, est solùm Jus declarare, & non revocare sive relaxare: unde Papa permittit piscari & capere haleces die Festo, & in hoc Jus declarat, & non relaxat. Ad aliud de affinitate in secundo gradu, dico, quòd non habetur quòd sit prohibitum Jure divino, & si de facto ita esset, dico quòd non erat dispensatio, sed dissipatio. Et ad authoritatem *Non revelabis turpitudinem uxoris fratris tui*, dico quòd illud in Veteri Testamento erat cæremoniale, ideò non manet in Lege Evangelica. Sed instatur, quia Ecclesia tenet esse de Jure divino, non contrahere in illis gradibus affinitatis, & licèt hoc non reperiatur in sacra Scriptura; tamen dicit hoc tenere verbo tenùs ab Apostolis, sicut tenet formam Sacramentorum, quæ tamen non reperitur in sacra Scriptura, & est de Jure divino. Solutionem quærat D Rex Portugalliæ, qui successivè duxit duas sorores. Ad aliud de laïco, præcipuè qui multis malefactoribus dat gratias & condonat; dico primò, quòd de Lege naturæ est maleficium punire. Secundò, dico quòd nulla determinata pœna, de Lege naturæ, determinatur isti maleficio. Tertiò, dico, quando non punire non cedit in detrimentum Reipublicæ, non esse contra Jus naturale non punire: sed ubi punire est necessarium ad tranquillam conversationem Reipublicæ, & non punire cedit in detrimentum Reipublicæ & in perditionem, tunc est de Jure naturali punire, & tunc neque Rex, neque Princeps potest legitimè

* *fortè* inferior.

Digitized by Google

time malefactori dare veniam. Ex dictis relinquitur prima Propositio manifesta.

Secunda Propositio. Papa auctoritate à Christo sibi immediatè collata, potest obligatum, obligatione purè humana, solvere, etiam quamvis non habeat ortum à suo consensu. Patet per illud commune: *Cujus est Legem condere, illius est revocare.* Sed Summi Pontificis est condere Legem obligantem Christianos (habet enim à Christo authoritatem constituendi Canones & Præcepta) ergo ipse habet authoritatem solvendi ab illo ligamine obligationis: unde Papa non est sub Jure, sed supra Jus, supple Canonicum. Nam *Illud quod est institutum pro Charitate, & communi utilitate, non debet contra Charitatem militare:* sed Leges humanæ sunt tales; ergo si in aliquo casu observatio illarum esset in detrimentum Charitatis, aut communis utilitatis, in tali casu apud Legislatorem est authoritas removendi talem Legem.

Difficultas prima, utrùm sine causa quacumque, sed ex sola voluntate sua, Papa possit Legem Canonicam revocare vel dispensare. Exempli gratiâ: nulla est causa, neque utilitas magna, quòd Sortes capiat consanguineam in tertio gradu, an Papa, pro suo beneplacito, possit dispensare quòd illam ducat, & quòd uterque, tàm Papa, quàm ceteri cum quibus dispensavit, sint securi in sua conscientia: Occam in Dialogis ponit decem & novem casus, in quibus Papa non potest, & ejusdem est sententiæ Durandus, *De origine Juris.* Et Bonaventura affert rationem; quia non potest licitè & sine causa rationabili Lex observata revocari vel cassari, à quocumque Legislatore, vel successore ejus, & præcipuè quando adfert detrimentum Reipublicæ ejus revocatio, vel cassatio. Ergo non potest revocari, vel cassari, nisi tantùm utilitatis, vel plùs afferatur Reipublicæ, quantùm ex revocatione, vel cassatione ejus auferatur. Patet Antecedens: consuetudo multùm valet ad observationem Legis humanæ; & quæ contra consuetudinem fiunt, quamvis minùs mala sint, graviora tamen æstimantur. *Nam consuetudo mala pervertit intellectum, & facit judicare illud quod est peccatum, non esse peccatum*, Ideò Lex quæ diù observata fuit & consueta observari in aliquo populo, si revocetur, vel auferatur, aliquid detrimenti Reipublicæ illius revocatio afferet: consuetudo enim multùm confert ad observationem Legis.

Utrùm Papa possit dispensare de Canonibus Conciliorum.

Alia difficultas est, an Papa possit solvere ab obligatione ortum habente à Statuo Concilii Generalis: nam communiter dicitur quòd Concilium Generale est supra Papam. Gerson x. *Consider. De Potestate Ecclesiastica*, dicit resolutoriè, quòd si occurrat casus in quo servando fiat aliquid contra intentionem Concilii, ita quòd si Concilium esset congregatum (nam rarissimè congregatur) dispensaret in tali Statuto; Concilium in tali casu reliquisse authoritatem Papæ dispensandi; ideò potest dispensare, non tamen regulariter, quoniam Concilium est supra ipsum.

CAP. XIII.

An contra Apostolorum Statuta possit Papa dispensare.

Consequenter quæritur, utrùm Papa dispensare possit contra Statuta alicujus Apostoli, & quæritur hoc 27. *quæst.* 4. an possit dispensare de bigamia: nam statuit Paulus, quòd nullus bigamus esset Presbyter & Episcopus: & apparet quòd Papa non potest in tali casu, quia postquam illud est in Sacro Canone, est de Jure divino, & quidquid in illo continetur. Ergo Papa non potest super illo dispensare. Sed in oppositum arguitur; nam quantùm ad ea quæ sunt Jurisdictionis, Paulus erat inferior Petro; ergo Papa in illis Statutis Pauli, & Constitutionibus Apostolicis potest dispensare, imò etiam in Constitutionibus Petri.

Juristæ dicunt quòd potest dispensare, in can. *Authoritatem*, 5. *quæst.* 6. In Glossa habetur quòd potest dispensare, contra Apostolum: similiter & plerique Theologi, in 4. *dist.* 27. Durandus, sanctus Thomas, de Palude, qui multas rationes adducunt. Ratio Durandi: In omnibus pœnis quæ non sunt de Jure divino, vel naturali, potest dispensare; quia est supra omne Jus positivum non divinum; sed Irregularitas, quæ sequitur ad bigamiam, est una pœna quæ non est de Jure divino, nec naturali. Patet: Nihil est de Jure divino positivo, nisi quod est de veritate Fidei, vel necessitate Sacramentorum: sed quòd Sacerdos non sit bigamus, non est de veritate Articulorum Fidei, nec de necessitate Sacramentorum: ergo non est de Jure divino. Quantùm ad hoc dicit quòd Apostoli fuerunt revelatores multarum Constitutionum, quæ fuerunt statutæ à Christo, quamvis non sint scriptæ in Evangelio, sed in Apostolo: & verisimile est quòd numquam retulit Paulus aliquid sub Præcepto, quin illud habuerit à Christo. De bigamia apparet mihi quòd Papa non potest consequenter dispensare; quia Paulus posuit per modum Præcepti, & habuit authoritatem præcipiendi toti Ecclesiæ, ideò referebat Præceptum illud tamquam acceptum à Christo. Contra: Lucius Papa dispensavit cum Panormitano qui erat bigamus. Dico quòd si dispensaverit cum vero bigamo, qui de facto habuerit duas uxores, non fuit vera Dispensatio, sed dissipatio; quia eadem authoritate quâ Paulus dicit, *Episcopos oportere esse pudicos, non vinolentos, &c.* eadem auctoritate dicit, *& unius uxoris virum*: 1. Thim. III. 2. Sed illa concedunt omnes dixisse tamquam tradita à Christo, igitur illud est de Jure divino.

Habetur igitur ex resolutione, quòd Papa potest in Statutis à puro homine dispensare, sed non sine causa rationabili. Item, non potest solvere aliquem obligatum, obligatione ortum habente à Jure divino, vel naturali. De obligatione autem quæ oritur ex Jure positivo, etiam sine consensu obligati, potest dispensare, & solvere ab illa obligatione.

An Papa possit dispensare in Voto.

Restat difficultas de illa obligatione quæ oritur ex consensu obligati, quâ scilicet non potest obligari invitus, ut obligatione quæ oritur ex Juramento, Voto, Promissione, Matrimonio, &c. Nam nullus obligatur ad castitatem antequam consenserit, neque ad aliquid quod juravit se facturum, priusquam liberè consentiat & juraverit, & ista est duplex difficultas. Prima, utrùm Papa possit dispensare in obligatione quæ oritur ex Voto simplici. Secunda, an in obligatione quæ oritur ex Voto solemni. Quantùm ad primum, conveniunt Doctores omnes in hoc, quòd Papa potest dispensare, seu solvere hominem ab obligatione quæ oritur ex consensu proprio per Votum simplex. Sanctus Thomas 2. 2. q. 78. *articul.* 10. dicit quod. „ Dispensatio Voti, intelligenda est ad modum Dispensationis quæ fit in observantia alicujus Legis. Nam „ Lex fertur, vel ponitur à Legislatoribus, respiciendo ad id quod est, ut in pluribus, bonum: sed cùm contingit in aliquo casu non esse „ bonum, oportuit per aliquem determinari, in „ illo

„ illo particulari casu, Legem non esse servandam; „ & hoc propriè est dispensare in Lege. Similiter, „ qui vovet, quodammodò statuit sibi Legem, obli- „ gans se ad aliquid quod secundùm se est bonum, „ saltem ut in pluribus: potest tamen contingere „ quòd in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel „ inutile, vel majoris boni impedimentum, quod „ est contra rationem ejus quod cadit sub Voto; & „ ideò necesse est quòd determinetur in tali casu Vo- „ tum non esse servandum: & siquidem absolutè de- „ terminetur Votum aliquod non esse servandum, A „ dicitur esse dispensatio Voti. Si autem pro hoc „ quod servandum erat, aliquid aliud imponatur, „ tunc dicitur commutatio voti. Unde minus est „ Votum commutare, quàm in Voto dispensare: „ utrumque tamen in Potestate Ecclesiæ consistit. Hæc Thomas.

Contra hoc, est difficultas totius materiæ; nam ex deductione sancti Thomæ, sequitur quòd Papa non potest dispensare in Voto, capiendo, dispensare, pro relaxare Jus, id est, solvere ab obligatione; sed solùm videtur quòd potest dispensare, id est, Jus declarare. Patet consequentia ex illo discursu: Papa non dispensat, nisi pro casu in quo illud de quo Votum, est malum, vel majoris boni impedimentum; sed in tali casu, Votum priùs emissum non obligat ampliùs: ergo in tali casu non dispensat, id est, non relaxat, sed Jus declarat tantùm. Patet Minor: nullum Votum periculosum, est obligatorum (& hoc conceditur ab B omnibus) sed in casu, illud est perniciosum, quia vovere aliquid malum, est perniciosum: similiter vovere aliquid non malum, sed majoris boni impedimentum, est etiam perniciosum. Tunc benè sequitur: istud est nunc malum, vel saltem majoris boni impedimentum; ergo Votum de illo est incautum, vel perniciosum, & per consequens non obligatorium. Dices: si nunc emitteretur Votum de illo, verum est quòd esset malum & incautum; sed pro tempore quo fuit emissum, non erat malum, nec majoris boni impedimentum; ergo. Contra est Maxima Doctoris, & hanc ponit Bonaventura, in 3. circa finem. *Quandocumque est Votum de aliquo, & in casu, illud observare, vergit in pejorem exitum, vel impedit profectum majoris boni, & in casu non vergit, superveniente casu in quo vergit, non obligat pro tunc.* Propterea dicit sanctus Thomas, in 4. *Illud quod si præsens esset impediret Votum ne fieret, si post Votum superveniat aufert obligationem.* Ergo quamvis in casu in quo emittebatur Votum tale non fuisset incautum; si tamen superveniat casus in C quo de novo emittere esset incautum, & incautè vovere; Votum priùs emissum non obligat: & sic videtur quòd Papa non dispensat, id est, relaxat, sed tantùm declarat. Dicit Bonaventura quòd in nullo Voto potest Papa dispensare, id est, Jus relaxare, sed tantummodò declarare. Ratio ejus est; postquam Votum est emissum, non à Jure positivo oritur obligatio, sed est à Jure naturali vel divino, quòd remanet talis obligatio: sed Papa nihil potest super dispositione Juris naturalis aut divini, quia inferior nihil potest super dispositione Juris Superioris: ergo, quamvis emittere Votum sit quid liberum, & supererogationis; postquàm tamen emissum est, oritur obligatio à Jure divino & naturali, de observatione illius qui vovit. Nam obligatio Voti, ex duobus quæ sunt de Jure naturali consurgit. Primum, quòd homo sit verax in pro- D missis. Secundum, quòd non possit impediri per suam obligationem liberam à profectu majoris boni, vel ab aliquo quod cedit in divinæ Majestatis honorem: ideò postquam emissum est, & non accidit casus in quo votum est perniciosum, nec majoris boni impeditivum, à Jure naturali oritur & continuatur obligatio, & sic nullomodò potest Papa pro tunc dispensare. Sed si accidat casus in quo observare sit malum, vel majoris boni impedimentum, ad Pontificem spectat declarare talem non esse obligatum in tali casu.

Aliter dicunt sanctus Thom. in 4. & Richardus, quòd Papa potest ipsam obligationem solvere & non solùm declarare, sed etiam Jus relaxare. Ratio sancti Thomæ quæ apparens est, sic ponitur: Votum non potest esse de illicito; ergo per Votum non potest auferri ab aliquo illud quod suum est; quia illud esset illicitum, incautum & perniciosum: & cùm quilibet Christianus tenetur ad obedientiam, respectu Summi Pontificis, sequitur quòd per Votum non potest fieri quin superveniente causa rationabili, teneatur vovens obedire Summo Pontifici præcipienti oppositum illius de quo emissum est Votum. Obedientia enim pertinet ad Summum Pontificem, & in casu potest aliquid mihi præcipere & teneor illud adimplere: ergo, quamvis priùs emisissem Votum de tali re, tamen ipsi Pontifici teneor obedire præcipienti oppositum; aliàs auferrem Pontifici quod suum est: nam in tali casu, si alteri præcepisset, fuisset alter obligatus parere, ergo & ego, qui Votum emisi. Ergo Summus Pontifex non tantùm Jus declarat; sed etiam relaxat, id est, per suam operationem facit quòd non sum ampliùs obligatus, & seclusa sua operatione manerem obligatus. Ratio autem Richardi est talis; Papa habet Potestatem tantam, vel majorem super fideles, sicut Prælatus Religiosus super Religiosos sibi subjectos: sed Prælatus Religiosus dispensat in Votis extrinsecis, hoc est, quæ non sunt de essentia Religionis; ergo Papa in Voto extrinseco potest dispensare (dicuntur enim Vota extrinseca, respectu Votorum quæ emittuntur in Baptismate,) & ista opinio videtur securior, quòd Papa non solùm potest Jus declarare, sed etiam relaxare. Nam postquam Votum emissum est, quamvis illud observare esset voventi bonum, & non impedimentum majoris boni (& sic nondum cassata esset obligatio Voti;) si tamen sit vehemens probabilitas & suspicio, quòd talis infringet Votum propter causam apparentem, & quod est valdè difficile eum observare, & quòd franget illud, nisi Papa dispenset: certè cum tali, & in tali casu Papa, non solùm potest Jus declarare, sed etiam relaxare. *Illud enim quod est institutum pro Charitate, non debet militare contra Charitatem*, Unde recta ratio naturalis dictat unicuique, quòd in Ecclesia debet esse aliquis loco Dei, qui inspectis periculis, & personis, & commoditatibus earum, possit providere utilitatibus, infirmitatibus, & damnis; & sic adveniente casu, quo observatio Voti vergeret in malum & detrimentum voventis, potest Papa cum tali dispensare, ut evitetur malum quod aliàs magnum accideret Communitati, sine tali dispensatione. Unde differentia est inter opinionem Sancti Thomæ & Bonaventuræ; quia Bonaventura diceret, quòd Papa non potest dispensare de Voto simplici, nisi in casu in quo de facto Votum efficitur perniciosum, & non ampliùs obligans, & hoc est tantummodò declarare Jus, hoc est, declarare quòd tunc Votum non obligat. Sanctus Thomas ultra hoc diceret, quòd non solùm in illo casu, sed adveniente causa rationabili, cum qua tamen de facto adhuc Votum tenet & obligat, Papa potest dispensare pro illa causa rationabili, & hoc est, Jus relaxare, quia ibi non declarat, sed cassat obligationem.

Solutio Objectionum.

AD rationes alterius opinionis, quòd postquam Votum emissum est, oritur obligatio, non Jure positivo, sed divino & naturali, quia de Jure naturali est, quòd homo sit verax in promissis, & super Jus divinum aut naturale nihil potest Papa; dicunt aliqui quòd in omni voto, intelligitur conditio explicitè, vel implicitè, putà si Superiori placeat: sed ut dicit Sanctus Thomas, talis solutio nihil valet; quia si posteà Papæ non placeret quòd observarem, non essem ampliùs obligatus, quod est falsum. Et ratio Sancti Thomæ est: sunt aliqua in quibus sumus liberi; & dato quòd Papa

Digitized by Google

Papa illa prohibeat; possumus tamen licitè illa facere, ut servare castitatem: si Papa mihi prohiberet illam servare, possum oppositum facere, & ipso prohibente, possum vovere, & illam servare. Et ad Argumentum: ex Jure naturali oritur obligatio Voti; ergo de Jure naturali est quòd observetur. Verum est, quousque obligatio à Superiore gerente vices Dei, pro causa rationabili sit ablata, & non aliàs. Ad aliud, si Sortes promittat aliquid quod potest facere & non facit, mendax est: similiter, si jurat, perjurus est. Sed Papa non potest dispensare, nec in perjurio, nec in mendacio; verum est, remanente obligatione; sed quando est ablata vel soluta obligatio, nec est mendax, nec perjurus.

Resolutio ergo est, quòd Papa potest solvere aliquem ab obligatione Voti simplicis, & sic Jus relaxare, & non tantùm declarare.

CAP. XIV.

An Papa possit dispensare in Voto solemni.

QUantùm ad secundam partem, de qua est major difficultas; an videlicet Papa possit solvere ab obligatione Voti solemnis, hoc est, dispensare in Voto solemni, dicit Sanctus Thomas quòd non, & hoc non ratione objecti, seu materiæ de qua est Votum, quod non possit recompensari in melius; sed ratione solemnitatis, quia *Quod semel Deo sanctificatum est, ampliùs ad humanos usus trahi nequit.*

Alia est opinio aliorum communiter tenentium oppositum, videlicet Durandi, Richardi & aliorum: quòd *Quando emittitur Votum de aliquo, & postea supervenit casus in quo esset incautum & perniciosum vovere de novo, Votum priùs emissum non ampliùs obligat*: & hoc fatetur etiam Sanctus Thomas. Sed potest accidere talis casus Sorti, in Voto castitatis perpetuæ; ergo Votum priùs emissum à Sorte, de castitate perpetua, non ampliùs obligat; & sic in tali casu, Papa potest dispensare, ad minùs Jus declarare: ut patet in casu quo Regnum adveniret filio Regis unico Religioso, & est verisimile quod Regnum exponeretur maximis bellis & discriminibus, nisi capiat illud, & videtur quòd plùs tenetur ad servandum bonum commune, quàm castitatem. Et hoc Argumentum videtur mihi apparentissimum, quòd non possit emitti Votum solemne (de quocumque bono de Consilio, ut de castitate) quantumcumque sit solemne, quin possit accidere casus in quo Papa possit dispensare, id est, Jus relaxare. Et arguitur contra Thomam sic: Solemnitas Voti est solùm ex institutione Ecclesiæ, & non ex Jure divino aut naturali; sed in casu aliquo, in omni Jure positivo humano potest Papa dispensare, vel saltem Jus declarare; ergo in Voto solemni castitatis: cùm Votum solemne nihil importet ultra simplex Votum, nisi aliquid purè positivum, ex institutione Ecclesiastica. Sed in omni Jure positivo & humano, potest Papa dispensare, saltem epieikeizare; ergo si potest in Voto simplici castitatis, potest in solemni. Votum duplici tantum modo solemnisatur, scilicet per Professionem Religionis, & per Sacri Ordinis susceptionem.

Sed contra hoc, est Argumentum fortissimum pro parte Sancti Thomæ. Arguitur sic; Votum solemne, saltem Religionis, dirimit Matrimonium contractum ratum & non consummatum, & non dirimit Jure humano; ergo divino: & ultra; ergo à fortiori Jure divino impediet Matrimonium futurum; ergo Jure divino illegitimat hanc personam ad contrahendum: sed Papa in personis illegitimis Jure divino, dispensare non potest; ergo nec etiam in Voto solemni dispensare potest.

Quòd autem Matrimonium ratum non dirimatur Jure humano, sed divino; patet per illud: *Quod Deus conjunxit homo non separet*; Matth. xix. 6. Ergo Papa non habet Potestatem separandi matrimonialiter conjunctos: & Matrimonium per Jus humanum non dirimetur, si sit priùs contractum. Hinc dicunt communiter Doctores, quòd Gentiles in tertio gradu contrahentes, & qui ita contraxerunt, si convertantur ad Fidem, debent manere in tali Matrimonio, quia illud est verum Matrimonium, & non potest solvi Jure positivo humano; ergo Minor satis probata, quòd tale Votum non dirimit Matrimonium Jure humano, sed divino.

Quantùm ad hoc Argumentum, est diversitas inter Doctores: nam dicit de Palude, in 4. duo, quæ non videntur cohærere & stare simul. Primùm, quòd ista mors civilis, quæ fit per Votum solemne Religionis, dirimit Jure divino Matrimonium ratum, non consummatum. Secundum, quòd ista mors impedit contrahendum, idque solùm esse Jure humano, & solùm ex illegitimatione humana. Sed arguitur contra hoc, ex dictis Paludani: ista simul starent, Matrimonium ratum dirimitur, & tamen si posteà attentet contrahere sine causa legitima, contrahet de facto. Patet; illa simul stabant antequam esset talis mors, putà si esset abrogatum illud Jus illegitimationis: tunc si tentet contrahere, de facto contrahet; ergo stando præcisè in Lege divina, posset desponsare duas viventes simul absque morte. Item, postquàm contraxit cum secunda, utrùm ad dirimendum illud Matrimonium sit necessarium aliud Votum solemne de novo: non est apparentia quòd sic; ergo difficile est dicere quòd Votum solemne divino Jure dirimat Matrimonium ratum, & tamen Jure positivo solùm impediat contrahendum.

Dicunt Juristæ aliter, quòd Papa potest dispensare in Matrimonio rato. Item, quòd potest statuere quòd per secundum Matrimonium rumpatur primum. Ultra & habetur in quadam Glossa: Quidam Princeps quæsivit dispensationem à Papa, & allegavit Papæ unam Glossam dicentem quòd potest. Respondit illi Papa, maledictus qui te docuit illam Glossam quæ dicit quòd possum; possum quidem, sed non nisi pro magna necessitate. Et illa Glossa dicit, quòd Papa potest relaxare obligationem mutuam quæ oritur ex mutuo consensu, ante consummationem Matrimonii. Et ad authoritatem *Quos Deus conjunxit, &c.* verum est, quando est conjunctio corporum & animorum simul. Istud tamen videtur mirabile, quòd Papa possit dissolvere Matrimonium ex beneplacito suo, & quòd possit statuere quòd per secundum Matrimonium rumpatur primum: *Quia tunc aliquis posset omnes mulieres desponsare.* Videtur mihi dicendum quòd tale Votum solemne Religionis, Jure divino dirimat Matrimonium ratum, & impediat, eodem Jure, Matrimonium contrahendum.

Doctor, à capite VII. ad XI. Quæstione I. disputat an Papa supremam habeat Potestatem in temporalibus.

SOlvit Doctor argumenta Innocentii, quibus nitebatur probare plenitudinem Potestatis in temporalibus competere Summo Pontifici, ex verbis Christi, *Quodcumque ligaveris, &c.* Nam dicit Innocentius, quòd *ly, quodcumque*, nihil excipit: solvit authoritatem Innocentii, quòd non solùm est falsa; sed etiam hæreticalis, & quod multa verba Innocentii sapiunt hæresim. Posteà mitiùs agendo cum Innocentio, dicit quòd Christus nihil excepit, sed posteà excipienda docuit, vel aliter, nihil excepit quod sit necessarium ad consecutionem felicitatis æternæ. Quod ad authoritatem Hieremiæ I. 10. *Ecce constitui te super Gentes & super Regna, &c.* ostendit Doctor, quatuor rationibus, illam esse sophisticam. Primò, quia Hieremias non erat Summus Sacerdos; & hoc dato quòd fuis-

Digitized by Google

fuisset, dictum fuit illi tantummodò sicut Prophetæ. Unde & ibidem præmisit Dominus, *Prophetam in gentibus dedi te, &c.* Ergo Doctor, non multùm curans de authoritate Innocentii, dicit illam authoritatem, quâ fundat se in Hieremia, non esse multùm curandam. Nam Innocentius in eodem capite, dicit, quòd extra Ecclesiam nullum est verum dominium, & quòd non est concessum, sed tantummodò permissum à Deo; sed dicit Doctor, quòd hoc est hæreticale, & circa hoc movebuntur duæ quæstiones.

An liceat Fidelibus litigare coram Judice infideli.

JAm Doctor, in cap. XII. solvit rationem positam in 2. cap. cùm arguitur, probando quòd Papa habeat supremam Potestatem, & plenitudinem in temporalibus. Ille qui habet temporalia, seu secularia judicare, sine exceptione, habet plenam Potestatem in illis; sed Papa est hujusmodi: ergo. Consequentia est certa cum Majore; sed Minor probatur. 1. Corinth. VI. 3. *Angelos judicabimus, quanto magis secularia*: hoc dicit sine exceptione; ergo. Respondet Doctor, negando Minorem, & ad authoritatem Pauli dicitur, quòd Paulus non dicit hoc in sua propria persona, quia loquitur in plurali, neque erat Papa, neque loquebatur in persona Pontificis; sed dicit hoc, loquens de toto cœtu fidelium, volens dicere quòd inter fideles esset aliquis constituendus à fidelibus, sive laïcus, sive Clericus, & adhuc magis laïcus quàm Clericus, qui haberet causas temporales & seculares inter ipsos dijudicare, salvo tamen Jure Judicis infidelis. Ultra, dicit Doctor, quòd non vult dicere Paulus quòd sit constituendus Judex in secularibus, qui in rebus temporalibus habeat omnimodam plenitudinem Potestatis in ipsis, quia hoc esset perniciosum Reipublicæ; posset enim me privare bonis meis sine culpa: sed est aliquis constituendus in rebus temporalibus, qui habeat dicere Jus; putà, hoc est justum, vel non; hoc est tuum, vel alterius; non quòd habeat omnimodam plenitudinem Potestatis, neque omnium dominium. Dicitur tamen, salvo Jure infidelium: nam tempore Pauli & Apostolorum, erant multi conversi Christiani, qui nullam habebant Jurisdictionem, & proindè eorum Jurisdictio temporalis erat apud infideles: neque prohibuit Paulus fidelibus quòd non agerent causas coram infidelibus Superioribus, sed fecit Paulus ut quilibet bonus Judex debet facere. Primò, incitavit partes ut concordarent inter se, sine strepitu judiciali, & si non possent, caperent Arbitrum, ne eorum malitia cognosceretur ab infidelibus. Ultra, dicit Doctor, quod fidelis potest in quibusdam causis litigare coram infideli, & Paulus noluit omninò præcipere quòd nullo modo litigarent coram infideli, sed priùs componerent si possent, quod in aliquibus casibus est licitum. Primus casus, quando infidelis convocat fidelem ad infidelem Judicem habentem ordinariam Potestatem super eum, ut Sortes fidelis habitat in Regno infidelium, convocatur ab infideli, coram Judice infideli, tenetur parere. Secundus casus, si alter fidelis, quamvis malitiosè trahatur ad Judicem infidelem habentem Potestatem Jurisdictionis inter reos, oportet quòd se defendat. Tertius casus, si Sortes fidelis est actor, & tenetur rem propriam recuperare, & pro tunc non potest nisi coram Judice infideli: in hoc casu tenetur partem convocare coram Judice infideli. Paulus ergo non vult dicere quòd sit illicitum litigare coram infideli Judice; sed dicit quòd in primitiva Ecclesia debebat potiùs contumeliam aliquam pati, quàm litigare coram illo.

An Sacerdotes Legis Mosaïcæ fuerint Superiores Regibus, quantùm ad temporalia.

VEniendum est nunc ad solutionem quartæ rationis, quæ tangitur à Doctore in 2. cap. & refutatur in cap. 12. Ibi, *Ad quartam Allegationem inductam*, &c. Arguitur quòd Papa habeat supremam A Potestatem laïcam in temporalibus: nam in Antiquo Testamento, Sacerdotes semper fuerunt Superiores Regibus; ergo habebant majorem Potestatem quàm ipsi Reges. Patet de Samuele, qui unxit Saülem in Regem, & dedit ei Potestatem Regalem: & cùm nullus det quod non habet, sequitur quòd habebat Potestatem Regalem ad minùs eminenter. Similiter, 4. *Regum*, *cap.* XVIII. Jojada constituit Joas Regem. Item, patet de Carolo Magno, & Constantino Imperatore, qui exhibuerunt semper reverentiam Summis Pontificibus. Et sic patet quòd tam in Veteri Testamento, quàm apud Gentiles & Christianos, Sacerdotes unxerunt Reges & deposuerunt eos à Regno, ut dictum est de Samuële, qui unxit Saülem & eum deposuit.

Quantùm ad hoc, est solùm difficultas in exponendis Sacris Literis. Nam 1. *Regum*, VIII. quæsiverunt filii Israël à Samuële, qui erat eorum Judex; B Regem, & consuluit Dominum: dicit ei Dominus ℣. 22. *Constitue super eos Regem.* &c. Respondet Doctor, quòd Samuel non constituit super eos Regem tamquam habens authoritatem constituendi, sed fuit promulgator constitutionis Dei, & hoc est satis conforme illis textibus; nam Samuel non habebat Potestatem Regiam. Tenet de Alliaco, quòd Deus erat immediatus Rex filiorum Israël, antequam esset constitutus Rex Saül; & Samuel erat sicut sunt Domini de Parlamento sub Rege, ità quòd Samuel erat Minister Regis, excercendo actus potentiæ Regiæ, tamquam Minister & Judex. Patet ℣. 7. *Ipsi non te spreverunt sed me, ne regnem super eos.* Ergo Samuel erat solus Minister, & Deus verus Rex C Judæorum. Ultra, dicit Doctor, quòd Samuel non habebat Potestatem instituendi Regem, sed solùm ab illo habuit ministrationem, qui habuit Potestatem instituendi Regem, scilicet à Deo, & ratio est; non enim constituit Samuel Saülem Regem, authoritate sua, sed authoritate illius, cujus Mandato tenebatur parere, tamquam Minister: neque Samuel eum deposuit, sed Deus; nam dicitur in textu, 1. Reg. XV. 23. *Quia abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne regnes ampliùs.* Ideò fuit solùm Sententiæ deponentis insinuator & promulgator. Ideò quantùm ad primum argumentum, nego quòd Samuel instituerit & deposuerit Saülem, sed fuit Minister, sicut Domini de Parlamento proferunt Sententiam de deponendo aliquem à Ducatu, non authoritate quam habent in se, sed Regia. Non potest hoc etiam esse, dato quòd Samuel fuisset Levita: nam omnes de genere Levi non erant Sacerdotes, licèt D benè essent Levitæ, sed soli de domo Aaron erant Sacerdotes. Quantùm ad aliud, cùm dicitur quòd Jojada fecit Joas Regem, hoc negatur; imò erat Jojada filius Regis, & remansit, & erat tutor & custos Joas veri Regis: unde postea mandavit Athaliam occidi, sed ex hoc nihil potest inferri. Quòd autem Alexander Magnus exhibuerit reverentiam Summis Sacerdotibus, dico quòd etiam Reges debent hoc facere: nam Potestas Ecclesiastica est præferenda Regali, non in temporalibus. Ideò Alexander non exhibuit reverentiam Jojadæ Sacerdoti, tamquam Supremo in temporalibus; sed tamquam majori se in altero genere Potestatis, spiritualis scilicet. Pariter dicendum est de Carolo Magno.

Ex dictis patet, quòd Samuel non contulit Potesta-

Digitized by Google

testatem Regiam Davidi, eo quòd Potestas Regia fuerit collata Sacerdotibus, imò Samuel non erat Sacerdos, quia non erat de domo Aaron. Ergo Doctores, attribuentes Papæ plenitudinem Potestatis in temporalibus, in hoc male se fundabant quòd in Antiquo Testamento fuit collata Potestas Regibus per ipsos Sacerdotes; nam hoc solutum est.

Constantinus neque dedit, neque dare potuit Imperium Romano Pontifici.

A DOctor jam in XII. capite, ibi, *Quòd verò prædicti*, &c. nititur probare quòd istæ allegationes sunt contra allegantes, & quòd Constantinus, Justinianus, & Carolus Magnus, non recognoverunt Sacerdotes tamquam Superiores in temporalibus. Primò, patet de Constantino, qui dedit temporalia Summo Pontifici; ergo illa non erant Summi Pontificis, sed ipsius Constantini, ante donationem. Item, non legitur quòd Constantinus resignaverit Potestatem Imperialem, tamquam non suam, & postea habuerit eam ex dono Pontificis: legitur tamen quòd ipse temporalia dedit, ex can. *Constantinus, dist.* 96. ergo hoc erat suum. Igitur non recognovit Papam suum Superiorem in temporalibus. Non est difficultas apud opinionem communiorem, quæ fatetur quòd ante Constantinum Magnum, Papa non habebat authoritatem Imperialem, & sic eam non habuit authoritate Dei, vel ex institutione Christi. Sed difficultas est inter Doctores, an post illam collationem factam Sylvestro Papæ, Papa habuerit illam authoritatem Imperialem: & videtur quòd sic, per illos duos Canones *Constantinus*, ubi dicitur, quòd Constantinus coronam & authoritatem Imperialem dedit Apostolis; ergo ex resignatione facta, jam Summus Pontifex habet supremam Potestatem in temporalibus, saltem in Regionibus Occidentis. Item, ex 2. can. *Constantinus*, habetur quòd consilio Satraparum, omnem Potestatem Imperialem contulit Sedi Apostolicæ: ergo, &c. Dicitur quòd in capite illorum Canonum, tamquam non habentium authoritatem, ponitur *Palea*. Nam dicunt communiter Doctores, quòd numquam legerunt in historiis authenticis, quòd Constantinus resignaverit Imperium: legitur benè quòd Constantinus fundavit Ecclesias Romæ, & eas dotavit, sed quòd resignaverit Imperium Occidentale, numquam legitur. Ultra dicunt plerique Doctores, quòd quamvis nisus fuisset resignare, hoc tamen non potuit: nam dicitur Imperator Augustus ab augendo, potest enim augere, sed non diminuere Imperium, & non habet authoritatem, neque Potestatem dandi, neque Regiones illius alienandi, sicut Rex Franciæ non habet authoritatem resignandi Regnum, neque Provinciam datam Fisco, alteri dare. Regnum enim non est Regis, sed Communitatis, & ipsa Potestas Regia est ipsius Communitatis, ideò non potest alteri ad libitum resignare: de patrimonio potest, sed non de Regno; ita dicunt de Constantino. Unde donatio videtur quædam esse, sed unus Imperator non potest condere Legem quæ successorem liget & obliget; ergo non potest, quantùm ad ea quæ sunt Imperii, donationem facere quæ obliget sequentes.

Regnum Franciæ numquam fuit subjectum Imperio.

DIcunt tertiò, supposito quòd Constantinus habuerit Potestatem dandi, adhuc propter hoc non potest argui quòd Papa habeat authoritatem super Regnum Franciæ, quia illud non erat subjectum Constantino: nunquam enim Rex Franciæ habuit Superiorem in temporalibus: & dato quòd aliquando Regnum Franciæ tyrannicè occupatum fuisset, nunquam tamen pacificè. Hoc etiam patet, capite *Per venerabilem*, *Qui filii sunt legitimi*, & Glossa in illo capite corrumpit textum, neque quadrat cum textu.

Justinianus & Carolus Magnus non agnoverunt Papam Superiorem in temporalibus.

DE Justiniano expressè dicit Doctor, & benè ex verbis Justiniani in Legibus positis habetur, quòd ipse non recognoscebat Papam suum Superiorem in temporalibus, imò inferiorem. Patet: ille non recognovit illum suum Superiorem in temporalibus, qui condidit Leges quas vult ab illo observari, super dispositione temporalium: sed Justinianus edidit Leges super dispositione temporalium, quas volebat etiam à Summo Pontifice observari. Patet: edidit Legem quòd contra Romanum Pontificem non curreret præscriptio nisi centenaria, per hoc enim fatebatur se habere supremam Jurisdictionem in temporalibus super Pontificem, quamvis recognoscat se simpliciter inferiorem, quia Potestas spiritualis est excellentior temporali, & potest excommunicari & absolvi; ergo est simpliciter inferior: B sed quantùm ad res temporales, Justinianus non recognovit Superiorem. Similiter dicendum est de Carolo Magno, quòd non recognoscebat Superiorem in temporalibus.

CAP. XIII. DOCTORIS.

Christus non contulit Petro Potestatem excellentiæ, sed Ordinariam & limitatam.

Ad quintam allegationem, &c.

ARguit quintò, & circa hoc mota est quæstio. Christus habuit Potestatem in temporalibus; sed Papa est ejus Vicarius: ergo habet supremam in temporalibus. Et Innocentius III. adducit pro se, quòd Imperator accepit à Papa ensem, & eum vibrat, ad denotandum quòd habet Potestatem illam à Papa, uti ense. Dictum est de Christo quo C ad divinitatem, quod habuit supremum Dominium; & utrùm, quo ad humanitatem, dictum est amplè supra. Jam difficultas est, an habuerit supremam Jurisdictionis Potestatem in temporalibus: non habuit à Patre, nec à Matre; an à Deo? Aliqui dicunt quòd non, ut Mendicantes, qui tenent quòd Christus fuit verè mendicus: sed quidam Doctor hoc reputat hæreticum. Dico quòd si illam habuit; tamen non sequitur; Christus habuit supremam Jurisdictionis Potestatem in singulis rebus temporalibus; ergo etiam ejus Vicarius. Non valet consequentia: nam Christus secundùm humanitatem, majorem Potestatem habuit quàm Papa habeat, putà instituendi Legem Evangelicam, neque etiam habuit potentiam alligatam Sacramentis; poterat enim condonare sine applicatione Sacramentorum. Et Vicarius ejus non habet illam, sed solùm illam quæ ex- D plicatur in suo Vicariatu. Nam dedit ei Potestatem remittendi peccata, prædicandi, instituendi ministros Ecclesiæ, excommunicandi, dandi Indulgentias, &c. sed nullibi reperitur quòd dederit ei Potestatem instituendi & destituendi Reges temporales: ideò ex collatione Potestatis sibi factæ à Christo, non habet Potestatem supremam Jurisdictionis in temporalibus. An Christus illam habuerit à Deo, credo quòd sic, *Data est enim*, inquit, *mihi summa Potestas in cœlo & in terra*: Matth. XXVIII. 18. & aliquando illam exercuit, videlicet quando misit dæmones in porcos, aliàs intulisset damnum proximo: similiter, quando, acceptis funiculis, ejecit vendentes & ementes de templo.

CAP. XIV.

Digitized by Google

CAP. XIV. DOCTORIS.

Aliquas esse actiones corporis, quæ non subjiciuntur animæ.

Ad sextam Allegationem, &c.

AD sextam, cùm sic arguitur: Sicut se habet anima ad corpus, ita spiritualia ad corporalia, (nam gratia est præferenda cuicumque bono temporali. Item, sicut corpus regitur per animam, ita corporalia regi debent per spiritualia, & per illos qui Potestatem spiritualem habent, & tales debent impedire ne habentes temporalia utantur illis contra Legem Dei, & eos coërcere:) dico quòd corpus, quantùm ad aliquas actiones, non subjicitur animæ, ut in descensu & multis aliis operationibus. Eodem modo dico, quòd habentes administrationem rerum temporalium, quantùm ad aliquid, non subjiciuntur habentibus Jurisdictionem spiritualem, ut in istis Contractibus, emptione, venditione & multis aliis: ideò est aliquantulùm simile, & aliquantulùm dissimile; quare nihil ex hoc concludi potest.

CAP. XV. DOCTORIS

Papa non est omnibus Legibus humanis solutus.

Ad septimam, Respondetur, &c.

QUantùm ad septimum arguitur sic: Ille qui est omnibus Legibus solutus, habet Potestatem supremam & civilem; sed Papa est ejusmodi, &c. Negatur Minor: quia Papa non est Lege divina solutus; sed est benè solutus Legibus humanis aliorum Pontificum; nam sicut ille qui edit & constituit Legem, non obligat seipsum, ita nec suos successores. An sit autem solutus Legibus Conciliorum Universalium, dico quòd est obligatus illis, imò vovet observare Leges Conciliorum, sed hoc infra tractabitur. Dico etiam quòd aliquibus Legibus civilibus non est solutus, ut patet in præscriptionibus. Imò Papa fatetur contra se currere Legem præscriptionis. Imò, si sint aliquæ Leges de obligatione & Jure alterius, tenetur eas observare, ut si aliquis transtulerit rem suam in Papam cum aliqua conditione, Papa tenetur ad illam conditionem (Prælati seculares sunt capaces donorum temporalium, secùs de Regularibus), ut si Rex aliquam civitatem donaret Ecclesiæ Romanæ, cum conditione de solvendo tributo, vel recognitione honorum, illa Lege Pontifex obligatur, quia res transit cum conditione apposita per dantem; ideò falsum est simpliciter, quòd sit Papa omnibus Legibus humanis solutus.

CAP. XVI. DOCTORIS.

Semper in dubiis obediendum est Pontifici.

Ad octavam Allegationem, &c.

AD octavum: Ille cui est obediendum in omnibus, habet supremam Potestatem in omnibus; Papa est ejusmodi: nego quòd universaliter sit Papæ obediendum in omnibus, imò si præciperet Papa quòd contraherem Matrimonium, non teneor obedire: sed hoc intelligitur in omnibus necessariis ad consequendum felicitatem æternam, & ad observationem Legis Evangelicæ. Sed quis judicabit hoc esse necessarium? Dico quod docti viri judicabunt doctrinaliter, & Papa authoritativè: similiter & Concilium Generale potest authoritativè judicare. Sed si Papa falsè judicaret, ad prudentes spectat judicare illum malè judicasse, & talis non obediendo est tutus, dummodò sit apparens quòd malè præcepit, sed in dubiis semper est ei obediendum.

CAP. XVII. DOCTORIS.

Tribus de causis Papa subire debet humanum Judicium.

Ad aliam Allegationem ibidem, &c.

A AD ultimam allegationem, arguunt pro secunda opinione: Ille est supremus in temporalibus, à cujus Judicio in quacumque re non licet appellare, nec de ejus Judicio judicare: sed Papa est ejusmodi; igitur, &c. Minor patet. 9. q. 3. *Can. patet.* Sed negatur Minor, imò Papa in tribus casibus judicari potest. Primus, ponitur *dist.* 40. *Can. si Papa. Ceteros judicaturus, à nemine judicabitur, nisi in crimine heresis, vel Fidei.* Ergo per illud Capitulum, Papa tenetur subire Judicium humanum in materia hæresis. Dicit tamen Doctor, quòd contingere potest Papam de facto esse hæreticum, sive interiori hæresi, sive exteriori: contingit secundò non esse hæreticum, sed de hæresi diffamatum, vel suspectum. Si autem fuerit hæreticus qualicumque hæresi, sive mentali, sive exteriori, non est ampliùs Papa, & est opinio Doctoris quam tenet hîc, & in 1. Libro Dialog. quòd quicumque cadit in hæresim, sive manifestam, sive occul-
B tam, tàm Jure divino, quàm humano, est Ecclesiastica Potestate privatus; & hoc, de Potestate Ecclesiastica Jurisdictionis, secus est de Ordine. Adducit Doctor unam authoritatem & unam rationem: authoritas est, ad Titum. III. 10. *Hæreticum hominem post primam & secundam admonitionem devita.* Et ex hoc sumitur tale argumentum: Nullus obligatur suum caput supremum devitare, imò tenetur eum sequi: sed quilibet Christianus cognoscens Summum Pontificem esse hæreticum, tenetur eum devitare, post primam & secundam monitionem; ergo de facto non est ampliùs Summus Pontifex. Unde dicit Glossa 24. q. 1. Cano. *Achatius. Si scirem meum Prælatum hæreticum, & excommunicaret me, non dimitterem celebrare in secreto, non tamen in publico.* Secundò arguitur sic: ille qui non est membrum Ecclesiæ, non est caput Ecclesiæ; sed hæreticus qualicumque hæresi, non est membrum Ecclesiæ, quamvis sit membrum putridum vel aridum; non est tamen simpliciter membrum, & ablata
C Fide nulla est conventio ad Christum: ergo non est ampliùs membrum corporis mystici, scilicet Ecclesiæ; ergo non est caput, quamvis Ecclesia existimaret eum Papam, quia potest tota Ecclesia errare in facto, non autem in Jure. Tamen non est ampliùs Papa, neque caput Ecclesiæ, si sit verè hæreticus, & est opinio Doctoris. Sed posito quòd non sit de facto hæreticus, sed solùm diffamatus de hæresi. Dicit Doctor quòd tenetur subire Judicium humanum. Sed quis judicabit eum? Respondet quod Episcopus loci in quo tunc est Papa; & si non sit Episcopus, tunc Episcopi vicini debent eum judicare: & supposito quòd tales Episcopi nolint audire accusantem & denuntiantem, & per consequens neque eum judicare, tunc quilibet habens Potestatem coërcitivam, ut Rex vel Imperator, ubi non potest aliter judicari, possunt violenter eum capere Sed si sit aliquis eum accusans vel plures, & non sit hæreticus, verumtamen tenetur subire Judicium humanum, putà Concilii, & si non sit congregatum,
D debent congregari Episcopi propinquiores.

Secundus casus in quo debet subire Judicium humanum est, quando est diffamatus de peccato publico notorio, in prædicto can. *Si Papa*, in Glossa: ut si sit notorius fornicator, & frequenter charitativè correptus, & nolit emendari, & præcipuè si tale crimen cedat in perniciem Ecclesiæ: dicit Glossa quòd *Pertinacia æquivalet hæresi*, & eodem modo de eo Judicium fieri debet, sicut de hæretico.

Tertius casus est, quando Pontifex aliquid detinet quod est alterius, ut aliquam Regionem, vel Provin-

Digitized by Google

ciam alicujus Ducis, debet subire Judicium humanum: sed quis eum judicabit? Dicit Doctor: vel ille cujus bonum detinet, habet Superiorem, vel non; si non habet, ut Imperator, debent ex communi consensu dare Potestatem Arbitro, judicandi. Sed si Papa nolit se subjicere; tunc armis ille poterit recuperare res suas, & movere arma contra Summum Pontificem, quoniam est invasor. Si autem ille cujus possessionem detinet, habet Superiorem, recurrere debet ad illum, & ejus authoritate potest movere bellum & arma contra ipsum. Quare movetur quæstio sequens circa istud Capitulum XIV.

CAP. XVIII.

An à Sententia Summi Pontificis possit appellari.

JAm quæritur, utrùm à Sententia Summi Pontificis possit appellari, & an sit altera Potestas super Potestatem Summi Pontificis; quod est quærere, utrùm Summus Pontifex in sua Potestate alteri Potestati etiam ordinariè subjiciatur, etiam manendo Summus Pontifex. Arguitur quòd non, Canone, *Nemo*. 9. q. 3. *Nemo judicabit primam Sedem*, id est, Apostolicam: *neque enim a Clero, neque ab Augusto, neque a Regibus, neque à populo Judex judicabitur*; Ergo non est Potestas quæ sit ordinariè Superior ad Summum Pontificem.

Quid, & quando Concilium sine Pontifice congregari possit.

OPpositum deducitur ex deductione Constantiensis & Basileensis Conciliorum, quibus, quilibet Christianus, etiam in Papali dignitate constitutus, obedire tenetur; ergo, &c. Pro cujus declaratione videndum est quid sit Concilium Generale. Communiter autem definitur sic, & præcipuè à Joanne de Gersonio: *Est Congregatio authoritate legitimè facta ad aliquem locum, ex omni statu Hierarchico, nullâ personâ fideli petente audiri exclusâ, ad tractandum ea quæ concernunt publicam Ecclesiæ utilitatem & mores ipsius.* Ex prima particula sequitur quòd omnis congregatio non legitimè vocata & congregata, non est Concilium Generale: & generaliter, authoritas legitima, est authoritas Pontificis. Verumtamen in tribus casibus sine ejus authoritate potest Concilium congregari. Primus casus; si Papa sit mortuus, vel morte civili vel naturali: nam aliquando vacavit duobus Annis Sedes Apostolica; tunc sine ejus authoritate potest Generale Concilium convocari. Secundus casus, si Papa legitimè requisitus, renuat convocare Concilium. Tertius, quando tempus & locus fuerunt assignata per Concilium præcedens, sicut in Concilio Basileensi assignatum fuit Concilium futurum Lugduni infra septennium: & in primis duobus casibus, non refert quis convocaverit; tamen inprimis recurrendum est ad Cardinales. Secundò, dicitur Concilium debere congregari *ex omni statu Hierarchico*: nam sunt duo status Hierarchici in Ecclesia, scilicet status Prælatorum superiorum, & inferiorum; unde in tali Concilio debent interesse singuli Episcopi: similiter ex parte Cleri & Curatorum, de singulis Episcopatibus, aliquis debet interesse, & tales habent vocem, & authoritatem deliberandi in Concilio. Deinde dicitur, *Nullâ personâ fideli petente audiri exclusâ, ad tractandum ea quæ concernunt Ecclesiam & mores ipsius*: & quia Ecclesia non potest tota congregari in uno loco, Concilium Generale repræsentat illam.

Concilium Generale immediatè à Christo habet Potestatem coërcitivam supra Summum Pontificem.

QUæritur nunc, utrùm tale Generale Concilium ritè congregatum, ordinariam habeat Jurisdictionis Potestatem supra Papam. Respondetur quòd hoc potest dupliciter intelligi: uno modo quòd Papa teneatur obtemperare statutis & decretis per Concilium sub pœna peccati; quòd si non obtemperaverit, quòd Concilium habeat authoritatem & Potestatem feriendi Papam, etiam ipso remanente Summo Pontifice, pœnâ Ecclesiasticâ, id est, excommunicatione.
A Supponitur ulteriùs, quòd sex sunt Potestates Ecclesiæ, quæ tactæ sunt priùs. prima, super Corpus Christi verum. Secunda, super Corpus Christi mysticum. Item, Potestas Apostolica, coërcendi, instituendi Prælatos Ecclesiæ: & sexta sumendi necessaria vitæ.

Istis suppositis, sit prima Propositio. Concilium Generale legitimè congregatum, immediatè à Christo habet illam Potestatem coërcitivam in Foro exteriori & publico, loquor enim de Potestate quæ respicit Forum exterius: nam Concilium Generale non habet Potestatem consecrandi neque absolvendi sacramentaliter, cùm non sit Sacerdos. Est solummodò quæstio de Potestate Jurisdictionis, in Foro exteriori, quam authoritatem habet à Christo immediatè, & non à Papa, ut dicunt Juristæ. Patet Propositio. *Matth.* XVIII. 15. Loquebatur Dominus ad Petrum immediatè, *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. tandem dicit, ℣. 17. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi*
B *tanquam Ethnicus & publicanus*: posteà subjunxit in plurali, *quæcumque solveritis*, &c. Ergo Christus dedit authoritatem Ecclesiæ cognoscendi, per hoc quod dicit, DIC ECCLESIÆ, & sic, ut benè dicit Gerson, non dicit, DIC ECCLESIÆ, id est, Prælatis Ecclesiæ, quia *loquebatur Petro, qui non potest esse accusator, testis, & Judex:* Ideò ibidem capitur Ecclesia pro aggregatione Prælatorum. Dedit ergo Potestatem Ecclesiæ cognoscendi, &c. Ergo Concilium Generale immediatè repræsentat Ecclesiam Universalem, quia constituitur ex cujuslibet Ecclesiæ partiali membro, habet Potestatem cognoscendi super quemcumque, & cognitione habita sententiandi, & contra non parentes exercendi pœnam, & Censuras Ecclesiasticas: & in illa authoritate fundant se Doctores, quòd Concilium Generale habet immediatè à Christo Potestatem Jurisdictionis coërcitivam. Habitum est supra quomodò Potestas Ecclesiastica Ju-
C risdictionis, saltem quæ respicit Forum publicum, est toti Ecclesiæ à Christo immediatè communicata: quod patet, Matth. XVIII. *Si peccaverit in te frater tuus*, statim subdit, DIC ECCLESIÆ, in quo verbo est data authoritas cognoscendi de crimine, quia frustra fuisset dicere Ecclesiæ, nisi Ecclesia authoritatem haberet; & si est data Ecclesiæ Potestas cognoscendi, & per consequens puniendi, id est, excommunicandi. Ergo ex prima institutione Christi, authoritas Jurisdictionis est Ecclesiæ communicata, & per consequens Concilio Generali Ecclesiam Universalem repræsentanti, quia constituitur ex aliquo membro cujuslibet Ecclesiæ particularis.

Concilium exercere potest omnes actus Jurisdictionis, excepta Sacramentorum administratione.

D
CIrca hanc Propositionem, quæ est multùm universalis, ponuntur aliquæ particulares, de actibus Jurisdictionis Ecclesiasticæ: unde multi sunt actus Jurisdictionis, seu effectus Potestatis Ecclesiasticæ, quos exercere potest Concilium Generale, scilicet *Edere Canones. Dare Indulgentias. Excommunicare*, & sub excommunicatione continentur, sive intelliguntur aliæ pœnæ quas Ecclesia exercere potest, ratione criminis, ut *Interdicere. Degradare*, &c. & ultra, potest *Dispensare*: & isti sunt quatuor effectus Potestatis Ecclesiasticæ quos exercere potest Concilium Generale, & similiter omnes similes actus qui respiciunt Jurisdictionem, excepta Absolutione Sacramentali, & qui sunt actus Jurisdictionis exterioris potest exercere, & quan-

Digitized by Google

quantùm ad istos actus, ponit aliquis Doctor aliquas Propositiones.

Prima Propositio.

Concilium Generale potest ex hac authoritate sibi à Christo immediatè data, edere Canones punitivos: Patet sic. Primò, Concilium Basileense edidit Canones punitivos contra Sacerdotes publicè fornicarios, quòd per trimestre fructibus suorum Beneficiorum priventur; & si recidivarent, & non corrigerentur, perpetuò privarentur Beneficio, 82. *Distinct. Cano. Presbyter.* Item, dicit textus, de Presbytero qui dedit Literas quibus docetur de possessionibus Ecclesiæ, quòd ille tenebitur secundùm Concilium Gangrense restituere damnum quod incurrit Ecclesia, propter revelationem illarum Literarum, vel perditionem possessionum, & quòd privaretur perceptione Sacri Corporis & Sanguinis. Ideò Concilium Generale, ex illa authoritate, potest edere Canones punitivos.

Secunda Propositio.

Concilium Generale potest dare Indulgentias, & hoc fuit practicatum in Concilio Basileensi: nam Græci excusabant se quòd propter paupertatem non poterant venire ad Concilium, tunc Concilium dedit Indulgentias largientibus bona & pecunias pro expensis Græcorum, pro sublevatione paupertatis ipsorum. Ista secunda Propositio sic suadetur: Indulgentiæ procedunt à clave, ita quòd datio Indulgentiarum est effectus clavis Ecclesiæ: sed clavis Regni cœlorum est data Petro, non tanquam personæ privatæ, sed ut repræsentanti totam Ecclesiam. 24. q. 1. *Cano. Quodcumque.* Nam *fuerunt claves Ecclesiæ datæ Beato Petro, non ut singulari personæ*, dicit Augustinus, sed ut repræsentanti Ecclesiam; ergo Concilium Generale repræsentans immediatè totam Ecclesiam Uuiversalem, & immediatiùs quàm Petrus, habet istam Potestatem. Item, Concilium Generale potest limitare largitionem Indulgentiarum in ipsis Episcopis & Prælatis; ergo potest largiri Indulgentias: Nam si potest limitare, ergo eminentiùs habet illam Potestatem. Patet antecedens, in cap. *Cum ex eo, De pœnitentiis & remissionibus*, ubi limitat Concilium, quòd in Dedicatione non dentur Indulgentiæ ultra annum; & in Annivesariis, ultra quadraginta dies: ergo Concilium habet Potestatem limitandi Indulgentias, & per consequens conferendi.

Tertia Propositio.

Potest Concilium excommunicare. Patet in verbis Christi, Matthæi XVIII. 17. *Si non audierit te, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*, id est, excommunicatus: similiter in cap. *Omnis utrisque sexus*, quod editum est in Concilio Generali, ubi excommunicantur non communicantes semel in Anno, & arcentur ab ingressu Ecclesiæ. Ergo Concilium excommunicat eos; ergo Concilium potest excommunicare.

Quarta Propositio.

Concilium Generale potest dispensare. Can. *Presbyter.* Distinct. 82. Nam est editus Canon quòd Presbyter fornicator deponatur: & ab illo Canone dispensatum fuit in Concilio Gangrensi, quòd permitteretur in Ordinibus susceptis ministrare, post peractam decem Annorum pœnitentiam: ideò contra Canones punitivos potest Concilium dispensare.

Ergo habetur resolutoriè, quòd Concilium in istis quatuor supra nominatis, potest exercere Potestatem Ecclesiasticam Jurisdictionis, & quòd habet Potestatem edendi Canones punitivos, dandi Indulgentias, &c. Similiter talem Potestatem habet qualem Papa, ut notum est, & proindè potest edere Canones, conferre Indulgentias, excommunicare, dispensare, &c.

Utrùm Papa judicari possit à Concilio.

Cum ergo in Concilio, & in Papa sint istæ duæ Potestates; utrùm respiciant se ex æquo, hoc est, an neutra habeat Potestatem super aliam, ita quòd una non sit super aliam, vel an una habeat authoritatem super aliam, ut puta, utrùm authoritas Concilii sit super authoritatem Papæ. De hoc est controversia inter Doctores: pro cujus declaratione notandum est, quòd multa sunt annexa authoritati alicujus Superioris. Primum est, quòd ab inferiori ad Superiorem licet appellare, ut ab Episcopo, ad Archiepiscopum; ab Archiepiscopo, ad Primatem; & à Primate, ad Papam: similiter à Baillivo, ad Curiam Parlamenti, &c. Secundum est, quòd ille habens authoritatem superiorem, potest habentem authoritatem inferiorem *judicare, punire, deponere, ejus Leges infringere*: nam fungens authoritate superiori, habet Potestatem coërcitivam super illum qui habet inferiorem. Tertium, habens authoritatem Superioris, sive Superior, potest edere Leges & Constitutiones, & tenebitur inferior secundùm illas judicare, ita quòd si oppositum faciat, de facto ejus Judicium nullum erit, ita quòd potest Potestatem inferioris certis Legibus arctare ad se conformandum illis. Quartum, Superior, vel habens authoritatem Superioris, certis de causis, aliquos potest eximere à Potestate inferioris, ut Papa multos eximit à Potestate inferiorum, sive Episcoporum.

Istis suppositis, est difficultas, utrùm à Papa ad Concilium, vel è contra, possit appellari, vel neutrum ad alterum. Item, utrùm Concilium possit Papam deponere & judicare, vel è contra: vel neutrum alterum. Item, utrùm possit Concilium aliquos à Potestate Papæ eximere, vel è contra neutrum alterum. Item, utrùm Concilium possit edere Canones quibus teneatur Papa parere, vel è diverso, vel neutro modo.

Est apparentia in multis textibus, quòd Papa non possit judicari à Concilio, ut allegatum est supra, Canone, *Nemo judicabit primam Sedem, neque à Cæsare, neque à Clero, neque à Regibus*, &c. Ergo Concilium non potest judicare Papam; ideò non est supra ipsum, & per consequens, Papa non est inferior Concilio. Similiter in capite, *Significasti. De electione, & electi potestate.* Omnia Concilia sunt authoritate Summi Pontificis celebrata; ergo authoritate Papæ. Igitur, &c. Item, Statuta Concilii Generalis non possunt ligare Papam, quia de ratione Superioris est, quòd possit inferiorem suis Legibus arctare; ergo, istis testibus, videtur quòd nullo modo dici possit quòd Concilium sit supra Papam, & quòd authoritas Papæ sit sub Concilio, vel infra Concilium collocata.

Resolutio Scholæ Parisiensis & Ecclesiæ Gallicanæ est, in omnibus Actibus Jurisdictionis, Papam subesse Concilio.

Quantùm ad ista, est conclusio quam tenent omnes Doctores Parisienses & Galli, quòd Potestas Papæ est subjecta Potestati Concilii. Dico primò, quod quantùm ad originem, seu institutionem, Potestas Papæ non est supra Concilium, neque è diverso, quia utraque immediatè est à Christo instituta; ergo quantùm ad hoc, una non est super aliam, neque una dependet ab altera. Sed dicunt communiter omnes Doctores Parisienses, quòd Potestas Papæ, est sub Potestate Concilii, quantùm ad hoc quòd Concilium potest certis Legibus Papam arctare, ita quòd teneatur Papa judicare secundùm Leges, & Constitutiones à Concilio latas: & quantùm ad hoc, est expressa determinatio Concilii Constantiensis & Basileensis, quòd *Concilium in Spiritu sancto congregatum, Universalem Ecclesiam repræsentans, immediatè habeat à Christo Potestatem, cui omnis Christianus, etiam in Papali dignitate constitutus, obedire*

dire tenetur. Ergo Concilium potest Papam certis Legibus arctare, &c. Et isto modo, quantùm ad Collationes Beneficiorum, est arctata Potestas Papæ in Regno Franciæ, neque potest sibi ea reservare ampliùs. Ergo quantùm ad ista, est ei data certa Lex, & si faciat contra, ejus Sententia erit nulla: & apparentia est in ista opinione. Nam quandocumque sunt duæ Potestates ejusdem generis, & *una est deviabilis & altera non: Potestas quæ est in supposito deviabili, debet dirigi secundùm Potestatem indeviabilem. Sed quilibet Papa est deviabilis, & Concilium Generale ritè congregatum est indeviabile.* Ergo Potestas Papæ debet dirigi secundùm dispositionem Concilii Generalis. Apparentia est maxima in Majore: sed Minor est vera. Nam Papa potest diviare, imò potest hæreticari, est enim homo non confirmatus in gratia, & remanet æqualiter peccator sicut priùs. Quod autem Concilium ritè congregatum non possit errare, patet: semper enim dirigitur specialiter à Spiritu sancto, quàntùm ad exercitium suæ Potestatis, & ideò non potest errare, secundùm id, secundùm quod dirigitur; igitur, &c. Patet Major. Actuum xv. 28 *Visum est spiritui sancto & nobis.* Præponitur Spiritus sanctus quasi regens Concilium, & gubernans; ergo signum est quòd Spiritus sanctus semper regit, & gubernat Concilium; ergo ratione indeviabilitatis nituntur ostendere quòd Concilium sit supra Papam, quantùm ad illud, quòd est de ratione superioris Potestatis, certis Legibus posse arctare inferiorem.

Quantùm ad aliud, quòd est de ratione superioris Potestatis, quòd licet ab inferiori ad eum appellare qui superiorem habet authoritatem, videtur satis manifestum, quòd licet à Papa ad Concilium appellare, quoniam Papa est deviabilis, & Concilium non potest errare; ergo quantùm ad hoc, apparet Papam esse inferiorem.

Quantùm verò ad aliud, videlicet quòd Potestas superior potest inferiorem judicare; utrùm scilicet ipsum Concilium possit Papam judicare, aut deponere à Papali dignitate, & alium instituere: dico, quantùm ad hoc, quòd Concilium est supra Papam; & ipsum judicare potest, & habet authoritatem immediatè à Christo, & est maxima apparentia, cùm Papa sit defectibilis, quòd possit ab ipso Concilio pro erratis puniri. Dicit Dominus de Gersonio, quòd quemadmodùm Papa potest dare libellum repudii sponsæ suæ, id est Ecclesiæ, hoc est cedere Papatu; eodem modo, si Papa sit inutilis sponsæ, id est, Ecclesiæ, poterit sponsa eum repudiare, & ipsum à Papatu auferre. Ergo quantùm ad istum effectum Jurisdictionis, quòd Superior potest inferiorem judicare; videtur apparenter, quòd Concilium sit supra Papam. Difficultas autem, quantùm ad istum modum dicendi, an Concilium possit excommunicare Papam, manente in Papatu, id est, adhuc ipso existente Papa, posteà tractabitur.

Quantùm ad alium effectum superioris Potestatis, an Concilium possit reliquos eximere à Potestate Papæ, sicut Papa aliquos eximit à Potestate Episcoporum: dico quòd Concilium, quantùm ad aliquos effectus, potest aliquos eximere à Potestate Papæ: nam potest facere Concilium quòd Papa non possit aliquos actus Jurisdictionis exercere in aliquam personam, sicut priùs potuisset ante illam prohitionem: verumtamen non potest, quantùm ad omnes, ita ut non possit posteà aliquos exercere, imò non potest prohiberi univesaliter ab omnibus actibus circa aliquam personam. Dat Gerson exemplum, de quodam Cardinali, respectu cujus inhibitum est Papæ, ne posset pro peccatis præteritis illum punire, & quòd remaneret perpetuus Legatus, videlicet quòd Papa non posset illum privare perpetua Legatione. Sed sic est, quòd Papa illos actus Jurisdictionis non potuit exercere in illum, post tale Privilegium: Ergo Concilium potest aliquas personas eximere à Potestate Papæ, quantùm ad certos actus Jurisdictionis: sed de peccatis futuris non potest Concilium hoc facere, neque aliquos eximere à Potestate coërcitiva Papæ, nisi Concilium esset tunc congregatum, & hoc sibi reservaret.

Adhuc restat difficultas de illo, an Concilium possit aliquem omninò eximere à Potestate Papæ, ita quòd Papa non posset eum excommunicare, nec pro peccatis præteritis, nec pro futuris, ut dicunt aliqui de Rege Franciæ, quòd Papa non potest eum excommunicare. Sed credo quòd Concilium non potest illum omninò eximere, quin possit ab ipso Papa verè excommunicari, pro causa justa, & pro vera contumacia, nisi Concilium tunc esset congregatum, & reservaret sibi talem punitionem.

A

Potestas Concilii intensivè, extensivè, & indeviabiliter, major est Potestate Papæ.

RESolutio ergo est, quod Potestas Papæ potest à Concilio certis arctari Legibus, & ab ipso ad Concilium potest appellari, & potest judicari à Concilio, putà, & maximè, si esset hæreticus & obstinatus, & in perniciem Ecclesiæ gubernaret, tùm potest deponi à Concilio. Potest etiam Concilium certas personas eximere à Potestate Papæ, quantùm ad aliquos casus: ideò quantùm ad ista, Potestas Papæ est sub Concilio, & Concilium super ipsum Papam, propter multa. Primò, ratione indeviabilitatis. Secundò, quia Potestas Concilii ad plura se extendit quàm Potestas Papæ: nam ad quemcumque effectum se extendit Potestas Papæ, similiter & Concilii, & cum
B Concilio ad ipsum Papam; ideò, ratione extensionis, Potestas Concilii est supra Papam, quamvis Potestas Papæ non sit à Concilio, sed immediatè à Deo; sicut & Potestas Concilii non est a Papa, sed etiam immediatè à Deo: nihilominùs Potestas Papæ est subdita Potestati Concilii, sicut Potestas Baillivi, est sub Potestate præpositi.

Conclusio Synodi debet fieri non Papæ, sed nomine Concilii.

PRopter difficultatem supra tactam, orta est quæstio, sub qua forma deberet poni Conclusio in Conciliis Generalibus. Nam reperitur in Statutis Conciliorum hoc modo; *Nos, Sacro approbante Concilio, statuimus*, &c. Aliquando reperitur; *Sancta Synodus statuit, &c.* Aliquando reperitur; *Sacri Concilii authoritas*, in ca. *De jurejurando*, ubi est Conclusio sub ista forma:
C *Sacri authoritate Concilii inhibemus, &c.* Fuit ergo controversia, sub qua forma deberet poni Concilii Conclusio, an nomine Concilii, an nomine Papæ: Dicit de Alliaco, quòd melior modus est dicere sic: *Sancta Synodus statuit, &c.* vel sic: *Authoritate Sacri Concilii statuimus*, &c. Isti duo sunt meliores modi ponendi Conclusiones in Conciliis, & non nomine Papæ.

CAPUT XVI.

An Concilium possit errare.

COntra hunc modum dicendi, sunt aliqui in oppositum: & pro ampliori declaratione, resumenda sunt aliqua priùs dicta. Nam dictum est primò, quòd Concilium est supra Papam, ratione indeviabilitatis. Secundò, quia potest ipsum Papam ju-
D dicare, & non è contra, & eum deponere, pro rationabili causa. Tertiò, quia Concilium potest Potestatem Papæ certis arctare Legibus.

Circa primum, Panormitanus in cap. *Significasti De electione & electi Potestate*, ponit oppositum, & dicit, & plerique Juristæ cum eo, quòd falsum est quòd Concilium non possit errare: benè verum est quòd Ecclesia Universalis non potest errare, & quòd extra Ecclesiam non est salus; sed Concilium non est Ecclesia, nam quilibet Christianus, est de Ecclesia, & non de Concilio, deinde semper manet Ecclesia, & non Conci-

cilium. Quamvis ergo Ecclesia Universalis errare non possit, nihilominùs Concilium errare potest in moribus & Fide, ut dicit Panormitanus. Hujus ratio est: Concilium Meldense erravit, ergo Concilium potest errare. Patet Antecedens; nam 36. q. 2. duo proponuntur Canones, unus Concilii Meldensis, alter Hieronymi. Canon Concilii est talis: *Placuit, ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniant, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint.* Sed Hieronymus, Can. *Tria. Tria* A *legitima conjugia in Scripturis leguntur. Primum legitimum conjugium est, virgo casta in virginitate viro data legitimè*, &c. *Secundum, virgo in civitate deprehensa à viro, & illi per vim copulata, si voluerit Pater ejus dotabit eam iste vir, quantùm judicaverit Pater, & dabit pretium pudicitiæ ejus. Tertium, est filia prædicta deprehensa, si non fuerit voluntas Patris, trahet eam à prædicto viro, & tradet eam alii*, &c. Unde arguitur sic: Illud Matrimonium secundum, est legitimum teste Hieronymo, imò videtur dicere Gratianus, quòd authoritas Hieronymi, fulcita authoritate sacræ Scripturæ, est præferenda authoritati Concilii, hoc est præcipuum argumentum Panormitani, ad probandum quòd Concilium potest errare.

Sed respondetur ad hoc, negando quòd Concilium Meldense erraverit. Et ad probationem, dico, quòd Concilium decernit quòd raptor non potest raptam virginem habere, nisi priùs subjaceat publicæ Pœnitentiæ, & ita solvit Martinus, in *De temperantia*, in materia de raptu. Benè verum est, quòd si sit solus consensus cum dote, raptor non potest raptam habere; sed si cum hoc subjaceat publicæ Pœnitentiæ, consentientibus parentibus, potest illam habere, & illud est secundum legitimum Matrimonium quod dicit Hieronymus, in Can. *Tria*, & sic non probat Panormitanus intentum. Item, Hieronymus fuit ante Concilium, & certum est quòd *Concilium potest illegitimare personas quæ priùs erant legitimæ*: & potest esse quòd tempore Hieronymi illæ personæ erant legitimæ ad contrahendum; sed posteà sunt illegitimatæ à Concilio Meldensi, & sic resolutoriè tenendum est, & est probabiliùs quòd Concilium ritè congregatum, non potest errare in Fide, & in bonis moribus.

Concilium errare non potest in Quæstione Juris: de Sanctorum Canonizatione, dubium est, quia Factum est.

UTrùm Concilium in aliquibus aliis possit errare, communiter dicunt Doctores quòd sic, in iis quæ sunt Facti, & non Juris. Exemplum: si Sortes verè contrahat cum Bertha, non in facie Ecclesiæ; & posteà attentet contrahere cum Thiberga, in facie Ecclesiæ, si materia deferatur ad Concilium, judicabit Sortem debere manere cum secunda, & de facto errabit in illo Facto, judicando Sortem esse virum Thibergæ: sed istud est unum Factum, & non unum Jus. Ergo in iis quæ consistunt in Facto, & non in Jure, errare potest Concilium. Utrùm possit errare in canonizando Sanctos, est difficultas; quia quòd iste sit Sanctus, vel non, est unum Factum. Utrùm possit errare in quolibet Facto, dicit Occam quòd multiplicia sunt Facta. Quædam ex sacris Literis elici possunt. Exemplum: quòd Christus circuierit per totam Judæam, est unum Factum quod trahitur ex sacris Literis: similiter quòd Moyses deduxerit filios Israël per desertum. Aliud est Factum quod ex sacris Literis non trahitur, ut quòd Sortes sit vir Berthæ. Istis suppositis sit ista Propositio.

Non potest Concilium errare in Facto quod potest trahi ex sacris Litteris, quia consequenter erraret in iis quæ sunt Fidei: sed in Facto quod non potest trahi ex Sacris Literis, Concilium errare potest. Sed in Fide & bonis moribus non potest errare, quia in his specialiter dirigitur à Spiritu sancto. *Actuum* xv. 28. dicitur, *Visum est Spiritui Sancto & nobis*, ubi ponitur primò Spiritus sanctus, tanquam director Concilii Generalis; sed Spiritus sanctus non potest errare, vel aliquem facere errare, neque decipere; ergo Spiritus sanctus non potest etiam dirigere, vel aliquem facere errare, errore Facti, pluSquam errore Juris; & ideò Spiritus Sanctus non potest esse director erroris Facti, nec Juris. Dico quòd Concilium Generale dirigitur specialiter à Spiritu sancto in omnibus necessariis; dico etiam quòd in sententiando quòd Sortes est vir Berthæ, in casu prædicto, Concilium dirigitur à Spiritu sancto, imò quod benè sententiat; quia secundùm allegata & probata, & tenetur sic sententiare: sed non oportet quòd Spiritus sanctus sit specialiter director omnium aliorum quæ sunt in Concilio, putà judiciorum intellectus * speculativorum; nam hoc est unum judicium † speculativum: hic est vir hujus mulieris. Sed semper Spiritus sanctus est specialis director quarumcumque Sententiarum, & Judiciorum latorum per Concilium.

Concilium repræsentat Ecclesiam propinquè. Petrus verò remotè.

QUantùm ad primum argumentum Panormitani, B dicentis quòd falsum est quòd Concilium non potest errare: dico quòd ista Propositio quæ assumit, est falsa, scilicet, Sola Ecclesia Universalis errare non potest: & cùm arguit sic Panormitanus; Sola Universalis Ecclesia est, pro qua Christus oravit ne deficeret Fides sua, (dixit enim Petro repræsentanti totam Ecclesiam *Ego rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua.* Luc. XXII. 32. ergo non potest trahi ex sacris Literis quòd Concilium errare non potest, sed solùm Universalis Ecclesia:) nego; imò dico etiam, quòd rogavit pro Concilio. Unde dicit quidam Doctor, quod sicut Petrus repræsentat Universalem Ecclesiam, per Can. *Quodcunque*, 24. q. 1. *Datæ sunt claves Petro, ut repræsentanti Ecclesiam Universalem*, similiter Concilium Generale repræsentat Universalem Ecclesiam immediatè, quia constituitur ex cujuslibet Ecclesiæ particularis aliquo membro, & datæ sunt claves Petro repræsentanti Universalem Ecclesiam, de remotè. Ergo dicit Do- C ctor, quòd quamvis Petrus sit deviabilis; nihilominùs Concilium Generale immediatè Universalem Ecclesiam repræsentans, errare non potest. Et ecce quantùm ad primum argumentum.

Secundum erat, quòd Concilium Generale est supra Papam, quia ipsum judicare potest, ratione indeviabilitatis, & ab ipso ad Concilium potest appellari. Contra autem arguitur 9. q. 3. Can. *Nemo judicabit primam Sedem.* Item 40. dist. Can. *Si Papa*, ubi dicitur quòd *Papa, nisi in materia hæresis, non potest judicari*, &c. Quantùm ad Can. *Nemo*, Occam optimè solvit: Nemo judicabit primam Sedem justitiam temperatè desiderantem, hoc est, quandiù justè agit, non debet judicari. Alii textus, sunt Constitutiones Papæ, & Constitutiones Pontificum, qui pro se loquebantur, & nemini credendum est in sua causa.

Aliæ sunt meliores apparentiæ: Christus erat super D totum Concilium & non subjectus Concilio, sed constituit Petrum & ejus Successores suos Vicarios; ergo Petrus & ejus successores sunt super Concilium. Secundò, non est difficultas quin Christus instituerit Politiam Christianam in optimo genere Politiæ, aliàs non fuisset bonus instituens; sed optimum genus Politiæ est Politia Regalis, putà quando unus solus principatur: si ergo Concilium principatur super Papam, Politia Christiana esset Aristocratica & non Regalis; ergo oportet, de necessitate, fateri quòd Concilium sit Papæ subjectum, & non è diverso.

Quantùm ad Primum, non est difficultas quin Christus

* *Practicorum.* † *Practicum.*

Digitized by Google

ftus fuerit fuper Concilium: concedo etiam quòd, fecundùm humanitatem, fecit Papam fuum Vicarium: tamen confequentia non valet; ergo Papa eft fuper Concilium. Nam non eft difficultas quin Chriftus fuerit fuper infideles; & tamen Papa non habet Poteftatem fuper illos: ergo confequentia non valet; Chriftus fuit fuper Concilium Generale, & fecit Papam Vicarium fuum; ergo Papa eft fuper Concilium Generale: ficut non valet; Chriftus fuit fuper infideles, & fecit Papam fuum Vicarium; ergo A Papa eft fuper infideles.

Ad Secundum. Optimum genus Politiæ eft Regale; ergo Politia Chriftiana eft Regalis: concedo; quia dicit Petrus, *Vos eftis genus electum, Sacerdotium Regale.* 1. Pet. 11. 9. Sed illa dicitur Regalis, quando unus folus dominatur & non plures: verum eft regulariter; nam in civilibus non dicitur Politia Regalis, ex eo quòd nulla Congregatio fit fuper Regem, nam Congregatio nobilium Politiæ civilis, immediatè eft fupra Regem, & pro inidoneitate poffunt deponi Reges, ut patet de Childerico & Zacharia. Non vocatur ergo Regalis, eo quòd nulla Congregatio fit fuper illum qui gubernat; fed in Communitatibus eft congregatio femper regens, & femper manet in effe Congregationis. Sed in Politia Regali non fic eft, quia non eft femper Congregatio nobilium congregata, quæ fit femper fuper Regem: fic eft de Ecclefia Uni- B verfali, femper eft unus Papa regulariter, fed tale Concilium Generale quod eft congregatum ex omnibus aliis Prælatis, vel eorum Vicariis, non femper eft congregatum, ut femper gubernet totam Chriftianitatem. Hinc eft quòd Politia Chriftiana eft Regalis, & non Ariftocratica, vel Timocratica. Confilium politicum eft fupra Regem, & ipfum judicare & deponere poteft, pro inidoneitate & certa culpa. Similiter, non eft aliqua Congregatio, quæ regulariter maneat, quæ fit fupra Papam; fed nihilominùs tota Congregatio Prælatorum effet fuprà Papam, & nihilominùs Politia Chriftiana eft Regalis & eft argumentum præcipuum de Turrecremata, quòd Politia Chriftiana eft Regalis, & per confequens, Papa eft fuper Concilium, & quòd Eugenius Papa poterat diffipare Concilium Bafileenfe. Sed fatis vifum eft quomodò folvitur argumentum.

Ad alias apparentias. Poteftas Papæ eft immedia- C tè à Chrifto inftituta, & non à Concilio, neque poteft inftitui à Concilio, fed à folo Deo eft inftituibilis. Tunc arguitur fic: quandocumque eft aliquis inftitutus in aliqua Poteftate fuper aliquam Communitatem, quæ Poteftas non eft ab ipfa Communitate, fuper quam conftituitur, inftituta; fed folùm ab aliquo qui eft Superior ad illam totam Communitatem, ille non poteft auferri, nec deponi ab illa tota Communitate: nam fecùs eft de Poteftate Regali & Civili, quæ eft inftituta ab ipfo populo, & per populum alicui communicata. Sed Poteftas Papalis non eft communicabilis, nec inftituibilis ab aliquo de Communitate humana, nec diffolubilis; nam illam Papalem authoritatem Concilium non poteft inftituere, nec diffolvere, imò à folo Deo Papalis illa dignitas inftitui poteft.

Dico primò, quòd Ecclefia non poteft auferre Poteftatem Papalem, quia non poteft illam inftituere, & *Unumquodque diffolvitur per eafdem caufas ex quibus componitur*, ut habet Regula Juris. Sed D difficultas eft, an poffit illa dignitas auferri ab ifto, quia antequam habeat illam Poteftatem Papalem, aliquid Communitatis requiritur, puta quod ab ipfis Cardinalibus eligatur; & quo facto eft electus, confequitur illam dignitatem Papalem, non ab illa Communitate eligentium, fed ab ipfo Deo. Nam datur analogia: Baptifmus eft unum requifitum ad gratiam, & gratia folùm à Deo eft, & non à Baptifmo; ergo videtur quòd Communitas non poteft auferre Poteftatem Papalem ab ifto. Quantùm ad argumentum, haberet magnam apparentiam, nifi effet ab illo qui inftituit Poteftas auferendi: fed Ecclefiæ eft collata à Deo Poteftas auferendi Papam, fi peccaverit, & fuper quemcumque, & illa Poteftas eft collata in ædificationem Ecclefiæ, & non in deftructionem: imò, à Superiore Communitatis collata eft in ædificationem: hinc eft, quòd apud Communitatem relicta eft Poteftas, fi in detrimentum Ecclefiæ agat, ipfum auferendi; & per confequens, Concilium immediatè à Chrifto habet authoritatem Jurifdictionis exterioris fuper quemlibet Chriftianum. Et argumentum de facto haberet bonam apparentiam, nifi Deus illam Poteftatem deponendi Concilio reliquiffet. Et hæc de Prima Quæftione fufficiant.

SECUNDA QUÆSTIO.

De Suprema Poteftate Laïca.

CAP. I.

De Proprietate effentiali Poteftatis, & in quo præcipuè fundetur.

In prima quæftione, vifum eft, an Suprema Poteftas Laïcalis, & Suprema Spiritualis, in eandem perfonam cadere poffint, & quid fit Poteftas Spiritualis, & in quo eft fubjectivè, & qui funt actus illius Poteftatis; & quia omnis Poteftas dicitur Poteftas in ordine ad actum; propterea vifum eft qui funt actus illius Poteftatis fupremæ in fpiritualibus; & tandem vifum eft, an Papa fit fubjectus Concilio Generali.

Jam quæritur in hac fecunda quæftione, utrùm Poteftas Suprema Laïca, feu temporalis, proprietatem fibi propriè propriam habeat immediatè à Deo. Unde videndum eft, quid fit Poteftas in temporalibus: & Poteftas in Propofito capitur pro Poteftate Jurifdictionis, quod nihil aliud eft, quàm facultas propinqua dicendi Jus, id eft, fententiandi quid juftum, & quid injuftum. Ideò Poteftas in temporalibus eft Poteftas dicendi Jus in temporalibus, & Suprema Poteftas in temporalibus, eft Suprema Poteftas dicendi Jus in temporalibus, & ab illa ad alteram non eft appellatio, neque ab altera judicari poteft.

In primo capitulo, circa quæftionem motam, funt duæ opiniones; una dicentium Supremam Poteftatem in temporalibus, proprietatem propriè propriam habere, non immediatè à Deo, fed à Papa, & fuit recitata in 2. capite primæ quæftionis, quòd Papa habet Supremam Poteftatem Jurifdictionis in temporalibus: fed hoc repudiatum fuit multis argumentis.

Alia opinio ponit aliquas diftinctiones. Prima. Proprietas alicujus dicitur alicui propriè propria dupliciter; & quælibet Poteftas tàm Laïca, quàm Spiritualis, habet fuas proprietates propriè proprias. Nam proprietas Spiritualis propriè propria, eft poffe excommunicare, abfolvere, Indulgentias conferre, & alias Poteftates, de quibus actum eft priùs, exercere; funt enim proprietates propriæ illi Poteftati Spirituali. Sed Poteftas propriè propria Poteftati Laïcali, eft, difcernere de poffeffionibus, cujus fint judicare, condemnare hominem ad mortem civilem, folvere à morte civili, poffe à populis fubditis tributa exigere, pro neceffitate Reipublicæ, &c. Unde tripliciter intelligi poteft, quòd aliqua proprietas dicatur alicui propriè propria: uno modo, quòd fit illi propriffimè propria, ita quòd illi foli conveniat, & fic quòd nulli alteri. Alio modò, dicitur alicui propriè propria fic, quòd licèt non fit ei propriiffima, nihilominùs inter omnes proprietates magis illi convenit, & fic, refpectu

Digitized by Google

pectu istius, dicitur propriè propria, quòd quamvis alicui conveniat, tamen isti magis propriè, quàm cuicumque alteri.

Secunda distinctio, aliquid esse immediatè à Deo, dupliciter intelligitur. Primo modo, quòd illud sit à Deo sine quocumque signo creato, & sine quacumque dispositione creata prævia, ita quòd nullum signum creatum præcedit, ut hoc fiat à Deo. Et isto modo Moyses habuit ducatum populi Israël immediatè à Deo, quia sine quacumque dispositione prævia, Deus per semetipsum contulit ducatum Moysi. Secundo modo, quòd ad illum solùm Deus concurrit, tamen aliqua dispositione prævia, ut cùm Sortes baptizatur; gratia quæ infunditur Sorti, est immediatè à Deo, sed non est à Deo, nisi præsupposito signo & dispositione prævia. Similiter, cùm aliquis eligitur in Papam, illa Potestas Pontificalis est immediatè à Deo, quia non est instituibilis à creatura: verumtamen, Deus isti non illam confert, nisi aliqua electione prævia. Similiter anima rationalis est immediatè à Deo, sed non creatur, nisi aliquo disposito ad illam suscipiendam.

De fundamento Civilis Dominii.

IStis distinctionibus positis, est quæstio utrùm talis Potestas sit à Deo, videlicet quòd non sit à Deo, nisi præsupposito ministerio alicujus creaturæ prævio: vel quæstio potest intelligi, utrùm à solo Deo, videlicet quòd concursus creaturæ nihil faciat; verumtamen instituit ministerium creatum antequam illam conferat. Pro cujus declaratione, primò est inquirendum, in quo fundatur illa Potestas Laica, utrùm in gratia gratum faciente, vel in altero dono supernaturali gratuito: vel in Fide, vel charactere; & de ista quæstione fuerunt controversiæ inter Doctores.

Utrùm Civile Dominium fundetur in Charitate.

ARmachanus, in Tractatu, de paupertate Christi, tenet quòd omne Dominium, seu originale, seu civile, seu principativum, quod dicitur Jurisdictionis, fundatur in gratia gratum faciente; ita quòd quàm citò peccator perdit gratiam, tàm citò perdat Dominium. Hanc propositionem nititur aliquibus rationibus probare. Prima, *Genes.* I. 26. ubi dicitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, ut dominetur omnibus bestiis terræ.* Ergo Dominium ipsius Adæ fundabatur in charitate, ergo & quodlibet aliud Dominium: quod autem fundetur Dominium Adæ in charitate, patet per hoc quod dictum est: *Faciamus ad imaginem*, supple, per collationem gratuitorum, antequam dominetur; ergo signum est quòd illa dispositio requiritur ad Dominium. Item, Abel habebat Dominium in aliquibus rebus, Genes. IV 3. 4. *Obtulit Domino de gregibus suis: sed Cain de fructibus terræ*; ergo per hoc quod dicit, *de suis gregibus*, signum est quod Abel habebat Dominium, & ipse Cain non, quia erat peccator. Tertium argumentum: Usus rerum necessarius ad vitam conservandam fundatur in charitate; ergo, à fortiori, Dominium fundatur in charitate. Patet Antecedens, I. *Regum*, cap. XXI. 4. Cùm David pateretur famen, petiit Panes Propositionis, cui respondit Abimelech, *Mundi sunt pueri?* signum erat quod nisi essent mundi, non potuissent vesci illis Panibus; ergo cùm minus sit uti, quàm habere Dominium, si talis usus fundetur in charitate, ergo & Dominium. Quartò, justè vivere est homagium Deo debitum, propter Dominium nobis impensum, ergo si non justè vivit homo, perdit Dominium rerum, quemadmodùm vassallus, propter ingratitudinem, & scelus contra Dominum, perdit Feudum. Quintò & ultimò, peccator non est dignus pane quo vescitur; ergo quilibet peccator est dignus morte, ergo est indignus vitâ. Imò, à fortiori, est indignus iis quæ necessario requiruntur ad sustentationem vitæ, scilicet comestibilibus & potu. Propter has rationes, tenet Armachanus, quòd omne Dominium, tàm civile, quàm originale, fundatur in gratia gratum faciente.

Dominium Civile non fundatur in dono supernaturali.

A QUantùm ad hoc, de Alliaco ponit multas Propositiones. Primò, consequenter ad Occam, dicit tria. Dominium Civile vel Temporale, sive Potestas Laïca, non fundatur in gratia prædestinationis. Secundò, non fundatur in gratia gratum faciente. Tertiò, nec in dono supernaturali creaturæ infuso. Patet primum evidenter, quia tunc non posset esse certitudo in mundo de Dominio alicujus. Patet sequela; non potest esse certitudo, quòd iste sit prædestinatus, *Nemo enim scit an odio, vel amore dignus sit*, Eccle. IX. 10. Igitur. Si dicas: hoc aufert certitudinem Dominiorum purè civilium, & ponit quemlibet possessorem alicujus rei in statu peccati mortalis: patet; quia quilibet habet dubitare de qualibet rè, an sit sua. Ultra dicit, & benè, quòd tale Dominium non fundatur in gratia gratum faciente; hoc est, non requiritur gratia gratum faciens, ad hoc

B quòd aliquis sit Dominus alicujus rei. Præcipua ratio habetur, I. Exodi. I. 20. *Dominus fecit domos obstetricibus Ægyptiacis, quia ad Mandatum Pharaonis non interficiebant pueros Judæorum.* Ergo illæ domus erant earum; sed illæ obstetrices non erant in charitate, imò erant idololatræ: ideò dicit Gregorius, quòd illud obsequium remuneravit Dominus bono temporali, quod aliàs remunerasset bono æterno. Ideò non solùm falsum est, imò hæresim sapit, dicere quòd Dominium civile fundetur in gratia gratum faciente. Infert de Alliaco contra Armachanum, quòd si Rex peccaret mortaliter, devolveretur Regnum ad filium, similiter si Rex habeat duos filios, & junior priùs baptizetur, quòd Regnum devolveretur ei. Patet: merebatur illum habere, & non perdit propter peccatum, ut suppono. Igitur. Et multa alia infert absurda.

Dico ultra, quòd non fundatur in Fide, nec in Charactere, nec in aliquo dono supernaturali: nam apud Gentiles fuit verum Dominium civile, antequam Christus veniret; sed in ipsis non fuit character, nec gratia

C gratum faciens, quamvis haberent gratias gratis datas. Igitur. Unde supra, cùm assignabantur differentiæ inter Dominium Spirituale & Civile, dictum est in una illarum differentiarum, quòd Spirituale fundabatur in dono supernaturali, & non Civile Dominium. Quæritur ergo in quo fundatur. Dicit de Alliaco, quòd in duobus communiter, scilicet, *in aliquo titulo creato.* Secundò, *in approbatione divina.* Nam antequam aliquis sit alicujus rei verus Dominus, oportet de necessitate, Deum approbare, id est, Deum velle quòd illo Dominio, sive illa Potestate potiatur. Ratio est; quia Deus supremus est Dominus omnium, quia *Domini est terra* Ps. 23. Ceteri verò Domini, sunt solùm sub ipso. Ergo antequam aliquis sit Dominus, oportet de necessitate approbatio Domini Superioris: nam sicut est impossibile causam secundam agere sine prima, ita est impossibile Dominum inferiorem, habere justum Dominium, vel Pote-

D statem, nisi ex approbatione divina. Hoc dicit Apostolus: *Non est Potestas nisi a Deo.* Rom. XII. I. Ergo nullus habet Potestatem Jurisdictionis, nisi ex approbatione divina: sed Deus communiter approbando, habet, vel utitur aliquibus titulis creatis, quibus mediantibus, approbat, scilicet, vel titulo successionis, hereditatis, venditionis, donationis, vel aliqua permutatione, &c. Tota ergo resolutio de Alliaco est, quòd Dominium Civile non fundatur in gratia prædestinationis, nec in gratia gratum faciente, nec in Fide, aut charactere, sive aliquo dono supernaturali; sed in sola appro-

Digitized by Google

batione divina fundatur quæcumque Poteſtas Juriſdictionis Civilis & Laïcæ, ita quòd cauſa efficiens, quare iſte eſt Dominus hujus, vel illus rei, vel habet Juriſdictionem, eſt quia Deus vult, & approbat illum eſſe Dominum illius.

Solutio Argumentorum Armachani.

A Reſtat modò ſolvere argumenta Armachani. Quantùm ad primum argumentum de Adam, quòd præpoſitus eſt Dominus ceteris, per dona ſpiritualia: dico quòd non eſt inconveniens quòd aliquando Deus ſumpſerit pro titulo, dona gratuita, forſitan ſicut fecit in Adam & Abel; ſed hoc non requiritur ultra, imò eſſet erroneum hoc dicere. Quantùm ad aliud de David, quòd non poterat juſtè uti panibus Propoſitionis, ſine charitate, ergo nec habere juſtum Dominium, ſine charitate; negatur conſequentia: nam quòd non potuiſſet illis panibus juſtè uti, ſine charitate, hoc non eſt quòd ad Dominium requiratur charitas; ſed hoc erat, quia panes Sancti erant: ſicut ad hoc quòd aliquis utatur Euchariſtia, hoc non eſt quòd ad Dominium illius requiratur charitas; ſed hoc eſt, ratione diſpoſitionis illius requiſitæ ad tali cibo veſcendum. Quantùm ad aliud: peccator quilibet eſt dignus morte & indignus vita; utrumque concedo. Nam Deus poſſet juſtè abſtrahere ea quæ requiruntur ad vitæ peccatoris ſuſtentationem, & eum juſtè dare morti, ratione peccati, & auferre quæcumque neceſſaria vitæ, & tamen non aufert; ſicut vaſſallus rebellans, eſt indignus Feudo quem habet. Ergo Dominus aufert; non valet conſequentia: imò poteſt ei relinquere tale Feudum. Similiter conſequentia non valet: offendens Deum, eſt indignus pane quo veſcitur, ergo Deus aufert & privat talem offendentem tali pane. Sed benè ſequitur: ergo juſtè poſſet privare, ſi vellet. Et ſic patet quomodò iſta argumenta Armachani nihil concludunt contra concluſionem principalem, videlicet, quòd Dominium Civile non fundatur in charitate, ſed in approbatione divina.

CAP. II.

An habens Supremam Poteſtatem in temporalibus, habeat proprietatem in aliquibus rebus particularibus.

Conſequenter, Doctor in 2. Capitulo ponit duos modos dicendi circa quæſtionem; videlicet utrùm habens ſupremam Poteſtatem laïcam, ex ratione illius Poteſtatis ſupremæ, habeat aliquam proprietatem ſibi propriè propriam: ſupponitur quod dictum eſt priùs, in præcedenti capitulo, quid eſt habere Poteſtatem propriè propriam, & quid eſt habere immediatè à Deo. Item, dictum eſt priùs, quòd quamvis Rex, vel aliquis Dominus temporalis habeat Juriſdictionem ſuper bona mea, & corpus meum; nihilominùs bona mea & corpus meum non ſunt ejus: nam non ſum ſervus ejus, ideò non habet Dominium proprietatis in illis.

Iſtis ſuppoſitis, difficultas eſt, utrùm ipſi ſupremæ Poteſtati laïcæ (quia talis) ſint aliqua bona, quorum proprietas ad eum ſpectet qui fungitur tali Poteſtate: dicit Doctor in principio quòd habens ſupremam Poteſtatem laïcam, habet proprietatem in aliquibus rebus, putà quas habebat antequam fungeretur tali dignitate & Poteſtate ſuprema, & quas obtinet, nomine privato, & non nomine Regio, vel Imperatorio; in talibus habet proprietatem propriè propriam: ſed difficultas eſt, utrùm ſint alia bona ita connexa illi ſupremæ Poteſtati laïcæ, ſeu temporali, quòd quantùm ad proprietatem propriè propriam, ſemper ſint illius qui fungitur tali Poteſtate, & quòd habeat proprietatem in illis rebus; & talis eſt difficultas de Curatis, & Prælatis Eccleſiæ: nam Curæ Paſtorali, & Epiſcopatui, aliquando ſunt annexa aliqua bona. Quæritur inter Doctores, utrùm talia bona, quo ad proprietatem, ſint illius qui habet talem Curam Paſtoralem, ita quòd realiter ſint ejus. Similiter, quia Imperiali dignitati annexa ſunt aliqua; utrùm talia, quo ad proprietatem propriè propriam, ſint illius qui de facto fungitur dignitate Imperiali.

Prima opinio dicit quòd non ſunt ejus; & argumentum hujus opinionis eſt: quandocumque aliqua, quo ad proprietatem, ſunt alicujus, poteſt qualitercumque vult, & pro libito, de illis diſponere, & ſi donat, de facto tenet talis donatio; ſi prodigè exponat, licèt peccet, non tenetur ad reſtitutionem illorum. Sed ſi Imperator diſponat prodigè de rebus annexis Imperio, non ſolùm peccat; ſed tenetur etiam de bonis propriis reſtituere Imperio. Ergo talia non ſunt eis, quantùm ad Dominium & proprietatem propriè propriam, talia inquam annexa dignitati Imperiali. Similiter dicunt hoc argumento, quòd Epiſcopus prodigè exponens bona Epiſcopatûs, tenetur ad reſtitutionem, quia non ſunt ejus, B ſed totius Cleri, & eſt, ut dicunt, ſolùm adminiſtrator. Item, qui habet ſupremam Poteſtatem laïcam Regalem, regit ad utilitatem publicam & communem; & ille non regit, qui regit pro ſuo privato bono. Ergo annexa tali regimini, ſunt Communitatis & non dominantis, ideò Rex non eſt niſi adminiſtrator, & eſt apparentia pro iſta opinione.

Alia eſt opinio, quòd Imperator habet proprietatem, & quòd illa ſunt ejus propriè, ita quòd habens Imperium, habet proprietatem propriè propriam in aliquibus rebus; & motivum illius eſt: ille qui habet dignitatem Imperialem, debet maximè pollere virtutibus Politicis, inter quas magnificentia & liberalitas ſunt maximæ; ſed non poteſt illis virtutibus pollere, niſi habeat abundantiam rerum; & niſi ſit proprietarius, non poteſt donare. Ergo in talibus habet proprietatem: & quando eſt in tali dignitate C conſtitutus, aliqui efficiuntur inimici ejus, quibus non poteſt facilè reſiſtere, ſine acquiſitione amicorum, & manutenentia, & largitione bonorum: ſed ſic eſt quòd non poteſt illa largiri, niſi habeat proprietatem in illis. Igitur. Utrùm ergo Rex, vel Imperator habeat proprietatem in illis bonis, quæ ſunt à Communitate deputata dignitati Regiæ, vel Imperiali, vel utrùm ſit adminiſtrator, nam levantur tributa, & pedagia, ſalagia, &c. ſimiliter, ſunt aliquæ poſſeſſiones, & urbes, & caſtra data Regi, non pro perſona ſua, ſed pro utilitate Regni: quod non ſint ejus, eſt apparentia; quia Rex non poteſt alienare Regnum, neque præcipuas urbes Regni in alterum transferre.

CAP. III.

An Imperator habeat ſuam Poteſtatem immediatè à Deo, vel à Papa.

D Quantùm ad tertium caput: ſuppoſito quòd Rex, vel Imperator habeat proprietatem propriè propriam; eſt difficultas à quo habet immediatè, vel à Deo, vel à Papa. Prima opinio quòd immediatè habet à Deo, quemadmodùm quando eligitur Sortes in Papam, eo facto quo eſt electus, & electioni præbet conſenſum, Deus ei confert immediatè authoritatem Papalem, ſive ſpiritualem, & illam non habet ab Electoribus, quia illam non habent: ita eo facto quo aliquis eſt electus Imperator, & præbuit conſenſum, habet Poteſtatem temporalem ſupremam à Deo immediatè. Iſtius opinionis eſt Gloſſa, 96. *diſt. Can. Si Imperator.* Ratio iſtorum eſt: quandocumque aliquis eli-

Digitized by Google

eligitur ad Potestatem aliquam, & non habet illam ab Electoribus, nec à coronante, nec à confirmante, illam habet immediatè à Deo: sed Imperator, non habet Potestatem Imperialem ab Electoribus, quamvis requiratur electio, nec à confirmante; ergo habet immediatè à Deo. Præterea, dicunt Doctores, quòd Papa habet immediatè à Deo Potestatem, non à confirmante; quia non indiget confirmatione, & si sit aliquis confirmans, est solùm propter pompam, & non propter necessitatem (sed Episcopus requirit, de necessitate, confirmationem, ideò non habet Episcopus immediatè Potestatem, nisi à confirmante; & non habet antequam confirmetur & consecretur) eodem modo dicunt de Imperatore, quàm citò est electus, antequam confirmetur, habet Potestatem supremam laïcam Jurisdictionis, & de facto potest uti illâ, & exercere; & exercitium tenet: & propterea dicunt, quòd nec habet à Confirmatore, nec ab Electore, sed immediatè ab ipso Deo.

Secunda opinio, quòd Imperator non habet immediatè illam à Deo, sed immediatè à Papa, & mediante Papa ab ipso Deo; ista opinio, adducit multas rationes. Prima est apparentior: quando est aliquis in aliqua Potestate constitutus, & alteri, ratione talis Potestatis, præstat juramentum fidelitatis, videtur habere illam ab illo cui præstat juramentum fidelitatis; sed sic est quòd Imperator præstat juramentum fidelitatis Papæ; ergo habet illam à Papa (in Gallia Episcopi præstant juramentum Regi, quantùm ad temporalia; & Papæ, quantùm ad spiritualia:) sed Imperator in coronatione ultima, præstat juramentum fidelitatis Papæ; ergo habet illam Potestatem laïcam à Papa, & non immediatè à Deo. Videantur aliæ rationes in Doctore.

Visum est utrùm Imperator habeat proprietatem proprie propriam in rebus appropriatis dignitati Imperiali, quia non est difficultas quin habeat in aliquibus rebus quas habebat antequam esset Imperator, & in rebus posteà acquisitis propriâ industriâ: sed difficultas erat de rebus dignitati Imperiali annexis, & sicut dictum est, est eadem difficultas sicut de Clericis, an habeant proprietatem rerum annexarum Beneficio, & hanc difficultatem quærit Doctor, in 2. Tractatu 2. partis Dialogi. *Lib.* 2.

Utrùm autem Imperator sit Dominus omnium rerum, apparet quòd sic: nam Imperator est Dominus totius mundi; ergo & omnium rerum temporalium. Item, Imperator est Dominus aliorum hominum à se; ergo, à fortiori, est Dominus omnium rerum quæ possidentur ab illis hominibus. Alia est apparentia: Rex quilibet est Dominus omnium quæ sunt in Regno suo; ergo Imperator mundi, omnium quæ sunt in mundo. Patet Antecedens, 1. *Regum* VIII. 11. dicit Samuel ad populum petentem Regem: *Hoc erit Jus Regis, filios vestros tollet in curribus, & faciet sibi Centuriones, &c.* Si hoc erit Jus Regis; ergo poterat hoc justè facere. Præterea, ℣. 13. *Filias vestras tollet & faciet unguentarias, vineas & agros tollet, & dabit servis suis.* Ex illis verbis, patet quod Rex habet proprietatem & dominium & personarum & bonorum, quia potest & filios tollere, & filias ad servitium suum, & ad utilitatem propriam; similiter tollet vineas & agros. Ergo unusquisque Rex, Jurè & justè habet dominium singularem rerum quæ sunt in Regno suo. Pro ista Quæstione supponendum est quæ dicta sunt suprà, quòd Dominus potest *importare* * *Dominium proprietatis, vel Dominium Jurisdictionis*, ita quòd sit sensus; Utrùm Imperator habeat Dominium Juris, hoc est, Potestatem dicendi Jus super singula quæ sunt in Regno, vel utrùm habeat proprietatem illarum rerum, ita quòd sit verum dicere; quælibet res Regni est Imperatoris, vel Regis. Secundò, supponendum; quamvis ille qui non habet Dominium proprietatis, habeat tamen Dominium Jurisdictionis in aliquo casu; ideò habere Potestatem transferendi, invito Domino particulari, rem ejus, in proprietatem alterius, ut Sortes qui de facto est verus Rex, nihilominùs non habet Potestatem proprietatis, id est, proprietatem in rebus Platonis, sed solùm Potestatem Jurisdictionis; dico quòd Sortes Rex habet aliquando in casu, Potestatem transferendi res Platonis in Ciceronem, & hoc spectat ad Dominium Jurisdictionis. Nam Plato potest peccare, ratione cujus peccati res suæ erunt Fisco applicandæ, quo facto ad Sortem Regem spectabit, non ratione Dominii proprietatis, sed ratione Dominii Jurisdictionis, res Platonis in Dominium alterius transferre. Isto modo Imperatores & Reges, quamvis in illis rebus non habuissent proprietatem, nihilominùs per Leges usucapionis, & præscriptionis, transtulerunt illas, authoritate Jurisdictionis, in præscribentes & usucapientes. Notandum ultra, quòd Dominium Jurisdictionis, non solùm se extendit ad res possessas; sed etiam ad personas: ad Rom. XIII. 4. *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram, ei qui malum agit.* Item, notandum; quòd rerum existentium in Regno, quædam sunt immobiles, aliæ verò mobiles. Immobiles, quæ non possunt transferri, ut ager domus: &c. mobiles, quæ transferri possunt, ut aurum, argentum, lectus, vasa, &c. Et istarum utræque, quædam appropriantur Imperatori, sic quod nulli alteri: aliàs verò appropriantur quibusdam alteris. Exemplum primi, ut fructus pædagiorum, taliarum, salinarum, &c. similiter, castra, & quædam urbes sunt appropriatæ Imperatori, vel Regi, sic quòd nulli alteri. Istis suppositis, utrùm Imperator sit Dominus omnium rerum, sit prima Propositio.

Imperator non est Dominus, quantùm ad proprietatem, omnium rerum quæ sunt in mundo, imò non est Dominus omnium rerum quæ sunt in Imperio suo, & capio Imperatorem, ac si esset Dominus totius mundi. Patet: quilibet qui est Dominus alicujus rei, potest illam vendere, sed non potest Imperator omnem rem vendere; ergo non est Dominus, quantùm ad proprietatem cujuslibet rei. Ista propositio ponitur in can. *eos*, 1. q. 1. Habetur ibidem quòd omnis Dominus rem suam vendere potest, si vult, sive servum, sive aliquid eorum quæ possidet: sed sic est quòd Imperator non potest singulas res Imperii vendere si vult. Patet: non potest res meas ad libitum suum vendere, sine peccato; ergo ipse non habet proprietatem in illis rebus. Unde expressè habetur, 23. q. 8. can. *Quæ omnia sunt Imperatorum*: dicit expressè Glossa, *Non quo ad proprietatem, sed quantùm ad Jurisdictionem.* Relinquitur ergo prima Propositio vera, quòd quamvis esset aliquis Imperator totius mundi; tamen non esset Dominus omnium rerum, ut *ly* Dominus importat Dominium proprietatis. Secundò, patet ista Propositio: Quicumque dat rem, cedit proprietati illius, & transfert illam in alium, & non remanet ampliùs illius rei proprietarius, imò; hoc est donare: sed Imperator multa dat & dedit; ergo non remanet ampliùs illarum rerum proprietarius. Et ista Propositio est manifesta, videlicet quòd Imperator non est Dominus singularum rerum. Pariformiter Rex Franciæ non est Dominus omnium quæ sunt in Regno suo, imò nihil proprietatis habet in agris meis, licèt habeat proprietatem Jurisdictionis in illis.

Regnum Franciæ non dependet ab Imperio.

Secunda Propositio. Imperator non est Dominus omnium rerum, ut *ly* Dominus importat Dominium Jurisdictionis, & non proprietatem: Patet primò. Non est

* *Duplex Dominium.*

est Dominus Regni Franciæ, neque illorum qui sunt in illo Regno: capite, *Per venerabilem. Qui filii sunt legitimi*, Rex Franciæ in temporalibus nullum recognoscit Superiorem. Hanc Propositionem ponit de Mironis, in Tractatu quem edidit de re Ecclesiastica, & deducitur in procœmio Pragmaticæ Sanctionis. Apparentia est: multi Reges qui nullum recognoverunt Superiorem in temporalibus, fuerunt optimi viri canonizati, ut sanctus Ludovicus, & non est verisimile quòd si habuissent Superiores in temporalibus, quòd non recognovissent illos: Igitur. A
Et ista est Propositio Doctoris, quam credo veram, videlicèt quòd Imperator, quantùm ad ea quæ sunt in Regno Franciæ, nullam habet Potestatem Jurisdictionis.

Utrùm Ecclesiastici, Jure divino, sint exempti à Jurisdictione Civili.

Secundò. Imperator non habet Potestatem in viros Ecclesiasticos, præcipuè in Sacerdotes; imò sunt exempti, Jure divino, ut dictum est priùs, à Jurisdictione laica. Hoc expressè habet Innocentius, in cap. *Solitæ. De majoritate & obedien.* & cùm dicitur, *non sine causa gladium portat*, Rom. XIII. 4. hoc est intelligendum, quòd solùm in eos gladio utitur, id est, Jurisdictione temporali, qui sunt illi subjecti, putà in laicos. Hujus opinionis est Innocentius III. quòd Sacerdotes, & Ecclesiastici nullomodò Potestati, id est, Jurisdictioni Imperiali sunt subjecti. Et hoc dicit Panormitan. in cap. *Solitæ.* Ergo, secunda propositio vera, quòd Imperator non habet Dominium Jurisdictionis in singulis hominibus, & rebus mundi. Consequenter apud Doctorem dicitur, quòd in rebus mobilibus appropriatis Imperio, habet Dominium proprietatis. Patet sic: Ille habet Dominium proprietatis in aliqua re, qui potest illam qualitercumque, & ad libitum exponere, quamvis aliquando peccet exponendo, qui tamen non tenetur ad restitutionem: sed Imperator qualitercumque exponat proventus Imperii & fructus, id est, res mobiles, ut fructus urbium, &c. nullomodò tenetur ad restitutionem, quocumque modo exponat; hoc est certissimum: ergo quantùm ad istas res mobiles Imperator habet Dominium proprietatis. Eodem modo dicitur de Ecclesiasticis, quòd in rebus mobilibus, id est, in fructibus Beneficiorum qui proveniunt ex rebus, hoc est, ex agris & possessionibus annexis Beneficio, habent proprietatem; & qualitercumque exponant illos fructus, non tenentur ad restitutionem, ut dicit Dominus de Gersonio. Similiter Imperator, quantùm ad res mobiles sibi provenientes ratione dignitatis Imperialis, habet in illis proprietatem propriè propriam. Sed quantùm ad res immobiles, dicit Occam, in loco prææallegato: si alienatio illarum rerum immobilium non sit in detrimentum Imperii, tunc Imperator potest donare & alienare; ut quædam castra, quosdam agros non notabiles; sed si alienatio illarum rerum sit in maximum detrimentum Imperii, nullomodò potest alienare, pro libito, imò si tentet alienare, alienatio est nulla, & tenetur restituere.

Resolutio. Imperator, sive Rex, non habet Dominium proprietatis in singulis rebus Regni, vel Imperii. Secundò, non habet Dominium Jurisdictionis in singulis rebus, nec in singulis personis; sed quantùm ad res mobiles annexas Imperio, habet proprietatem & Dominium proprietatis, ad libitum suum disponendo. Quantùm verò ad immobiles, ut est Imperium ipsum, Urbes, Castra, Jura Imperialia, Ducatus, quorum alienatio esset in detrimentum Imperii, non habet Dominium proprietatis, quia ut dictum est, non potest pro libito alienare, vel donando, vel vendendo, vel commutando: eodem modo dicendum de quolibet Rege, & suo Regno. Unde filia, in Regno Franciæ, succedit in rebus mobilibus; sed quantùm ad immobilia ad Regnum spectantia, ut Regnum ipsum, & ceteras urbes quæ sunt Regno annexæ, numquam succedit: ratio est, quia numquam fuerunt Patri Regi appropriata, quia numquam potuisset pro libito disponere, neque uti, imò quantùm ad res mobiles, habet proprietatem propriè propriam; similiter quantùm ad res immobiles quæ non sunt de annexis, vel propriis Regni.

His dictis, restat solvere authoritatem, 1. Regum VIII. *Hoc erit Jus Regis, &c. filios & vineas tollet*, &c. Quantùm ad hoc, dicit Occam quòd ibi Jus non notat Dominium proprietatis, sed Jurisdictionis; nam istud Jus, scilicet sumere filios & agros, erit solùm Jus illa assumendi in utilitatem publicam: nam Rex, pro utilitate & conservatione Reipublicæ, occurrente necessitate, potest accipere homines ad hoc, & cujuscumque hominis bona licitè sumere, ad tuitionem Reipublicæ & Regni. Et ideò hoc erit Jus Regis, hoc est, hanc habebit Potestatem, ut pro utilitate, cùm fuerit opportunum, sumat & filios, & vineas, & agros; sed ex illo textu non intelligitur quòd Rex illis utatur pro utilitate privata & propria, sed publica.

CAP. IV.

In quo recitantur tres Opiniones variæ, quomodò Imperium sit à Papa.

Habitum est de duabus opinionibus. Prima erat: Imperator habet proprietatem à Deo immediatè, præsupposito aliquo humano, id est, electione. Secunda, quòd habet à Papa; & ista dividitur in tres opiniones, ut patet in 4. capitulo Doctoris.

Prima, quòd Papa habet plenitudinem Potestatis omnimodam in rebus temporalibus, ita quòd potest, absque peccato, unumquemque Dominum temporalem removere: sed hoc fuit impugnatum.

Secunda, dicit quòd Imperator habet illam Potestatem à Papa, quia Petro commissæ sunt claves & terreni, & spiritualis Regni; nam *Dati sunt Petro duo gladii, scilicet temporalis & spiritualis*; sed cùm aliquis est institutus in illa Potestate, non potest Summus Pontifex eum removere: ideò ista secunda opinio dicit, quòd Potestas Imperialis est à Papa, & ipse Imperator electus nihil habet Potestatis, quousque confirmetur à Papa, & Papa dat ei summam Potestatem in temporalibus: sed ipso confirmato, non potest Papa ipsum destituere, nisi propter duas causas. Prima, pro delicto, sicut privantur vassalli Feudo, pro delicto admisso in Dominos suos. Secunda, propter necessitatem & utilitatem Reipublicæ, putà si talis efficeretur omninò inidoneus ad imperandum. In illis casibus potest Imperator destitui à Papa. Habet ergo secundùm hanc opinionem, Potestatem Imperator à Papa, sicut Curatus ab Episcopo. Et quemadmodùm Episcopus, postquam instituit aliquem Curatum in Beneficio, non potest illum privare Beneficio, nisi pro certa causa; ita etiam Papa non potest Imperatorem, postquam est institutus, deponere.

Tertia Opinio est, quòd Imperator sumit Potestatem à Papa, non Jure divino, sed Jure humano; ita quòd tempore Constantini Magni, ex consensu Romanorum, convocavit ipse Constantinus suos Satrapas & Nobiles, & inito consensu communi, translatum est Jus Imperii Occidentalis ad Papam. Dicit ergo tertia opinio, quòd Imperator habet Potestatem Jurisdictionis à Papa, sed non est Jure

Digitized by Google

Jure divino, putà quòd Christus contulerit Papæ Potestatem constituendi Imperatorem; sed Jure humano, inquantùm ipse Imperator, ex consensu Romanorum, transtulit Jus Imperii in Summum Pontificem.

Et sic resolutio est ista. Prima opinio dicit, quòd Imperialis Potestas est immediatè à Christo. Secunda, quòd est immediatè à Papa, & ista secunda dividitur in tres modos dicendi. Primus, quòd Papa potest, pro libito, disponere & deponere. Secundus, quòd Papa, Jure divino, potest disponere & instituere Imperatorem; sed ipso instituto, non potest deponere, sine causa. Tertius, quòd talis Potestas est immediatè à Papa, sed solùm Jure positivo, puta post collationem à Constantino: & isti tres modi dicendi, ponuntur in 4. capitulo Doctoris.

CAP. V.

An Imperator habeat sibi appropriata immediatè à Papa, vel à Deo.

VIsum est in præcedentibus, de duabus opinionibus, & de subdivisione secundæ, in tres modos dicendi: visum est etiam quomodò Imperator est Dominus, aut quantùm ad proprietatem, aut quantùm ad Jurisdictionem, de rebus datis Imperio; putà de immobilibus, non habet Dominium pinguissimum; quia illas non potest alienare, quod est proprietas Dominii pinguissimi, in Can. *Eos* 1. *quæst.* 1. Qui potest alienare cùm vult, habet Dominium pinguissimum; sed quantùm ad fructus perceptos, & res mobiles, habet Dominium pinguissimum. Eodem modo dicendum est de Ecclesiasticis; nam Episcopus non habet Dominium pinguissimum in rebus immobilibus concessis Episcopatui, scilicet in villis, agris, castellis: illa enim alienare non potest. Sed in fructibus perceptis de illis rebus immobilibus, opinio communior est, quòd habet Dominium pinguissimum, & quamvis peccet, malè utendo illis fructibus, non tenetur tamen restituere, & potest illos donare cuicumque voluerit, & donatio tenet, licèt aliquando peccet donando. Alii dicunt quod est solùm dispensator.

Consequenter, in isto Capite ponitur tertia opinio, quam credo solam veram inter ceteras, quæ dicit, quòd Imperator non habet proprietatem sibi, vel non habet ea dona quæ sunt appropriata sibi immediatè, à Deo, nec à Papa, primo, vel secundo modo habendi; sed habet immediatè à Deo, tertio modo habendi: nam, ut visum est, habere immediatè à Deo, primo modo, est sic habere à Deo, quòd à nullo alio habeatur, nec etiam aliquid prævium præsupponitur, ut illud habeatur à Deo, sicut habuit Moyses ducatum filiorum Israël immediatè à Deo. Sed habere immediatè à Deo, secundo modo, est habere à solo Deo, aliquo tamen præsupposito. Verùm, habere, tertio modo, immediatè à Deo, est illud in principio habere ex donatione hominis; sed postquam donatum est, non tenet quod est donatum, nisi à Deo, ita quòd in possidendo illo, possessor nullum recognoscat Superiorem, præter Deum. Tunc dico quòd Imperator non habet illa quæ habet, immediatè à Deo, primo vel secundo modis; sed tertio modo. Patet, quantùm ad primum; nam illa quæ habet, ratione Imperii, non est dicendum quòd illa habeat immediatè à Deo, nisi constet vel per revelationem, vel per Scripturam: sed non constat neque revelatione, neque Sciptura sacra, Imperatorem illa quæ habet, habere immediatè à Deo: ergo non habet immediatè à Deo, primo, vel secundo modis habendi. Unde quando aliquid potest haberi ab hominibus, non est dicendum quòd immediatè habeatur à Deo, nisi per revelationem, vel per Scripturam sacram habeatur notum & constet. Sed bona Imperatoris possunt haberi ab hominibus. Patet; Deus fecit humanum genus Dominum cunctarum rerum, *Genes.* 1. Ergo humanum genus potest in alterum transferre aliquarum rerum Dominium; ergo illa quæ habet Imperator possunt humanitùs, vel ab hominibus acquiri, & non constat quòd habeantur immediatè à Deo, neque per revelationem, neque per Scripturam sacram; nam Deus numquam revelavit alicui vel aliquibus, quòd in aliquem transtulerit Imperium, saltem in istum qui nunc est; nec habetur per Scripturam; ergo non est dicendum quòd immediatè sit à Deo. Dices per illud habetur, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* Matth. XXII. 21. Dico quòd per illa verba, non habetur quòd Deus dederit aliqua Cæsari, quia Imperator; sed habetur solùm quòd quæ dedistis priùs, & ad quæ reddenda estis priùs obligati, ex vestro consensu, reddite; & sic, ex illa authoritate, non potest haberi quòd Imperium sit immediatè à Deo. Secundum dictum: illud est immediatè à Deo tertio modo (nam postquam Sortes factus est Imperator, quæ sunt data Imperio non sunt data intuitu suæ personæ) in quo non recognoscit Superiorem præter Deum; ergo post illam donationem, habet illa immediatè à Deo, tertio modo habendi, scilicet à Deo, & non est vassallus alicujus. Ideò quantùm ad ea quæ habet, ratione Imperii, tenet illa immediatè à solo Deo; ideò benè dicit Doctor, factum est quòd Imperator habeat Potestatem in illis, & ad regendum Communitatem indiget bonis. Ideò sunt assignata quædam, quæ sunt adjuncta dignitati Imperiali, & hoc ab hominibus, licèt post adjunctionem non recognoscat Imperator illos homines Superiores qui talia dederunt, sed solùm in istis habet Deum pro Superiore, quià ampliùs nullum recognoscit Superiorem. Sed quantùm ad donationem, tenet immediatè à Congregatione populi, vel generis humani. Et ista opinio est facillima & verior, videlicet, quòd Imperator non tenet immediatè Imperium, nec à Papa, nec à Deo, primo vel secundo modo tenendi, seu habendi; sed tenet immediatè à Deo, tertio modo habendi.

Imperator non habet Imperium à Papa.

NItitur jam solvere Argumenta in oppositum, pro secunda opinione, quæ dicit, quòd immediatè Imperator habet Imperium à Papa; nam dicit Nicolaus Papa, quòd *Deus Petro terreni & cœlestis Imperii claves contulit*, sive commisit. Ergo, sicut Petro est commissa spiritualis Potestas, ita & terrena; ergo Imperator tenet illam à Papa. Unde Nicolaus, & Innocentius, maximè loquuti sunt pro Potestate Papæ. Unde committere claves cœlestis Regni, est dare Potestatem spiritualem; & terreni, est dare Potestatem laïcam. Quantùm ad hoc, sanè exponenda sunt verba Nicolai Papæ, ne videantur sapere hæresim: unde dicit Nicolaus, in eodem Canone, quòd Christus immediatè fundavit Ecclesiam Romanam, & supra Petram Fidei nascentis erexit; hoc nisi sanè intelligatur, est contra decursum sacræ Scripturæ. Nam Christus non erexit immediatè super Fidem nascentem Ecclesiam Romanam. Patet; quia Ecclesia Hierosolymitana & Antiochena erant priùs erectæ, quàm Romana. Ergo illa verba, secundùm rigorem verborum, sapiunt hæresim manifestam. Eodem modo ista duo verba, quòd Beato Petro claves Regni cœlestis & terreni commisit, &c. nisi exponan-

Digitized by Google

nantur sanè, sapiunt hæresim, & maxima inconvenientia sequerentur. Primum, quòd Reges Francorum qui nunquam recognoverunt Superiorem, *Extravag. Qui filii sunt legitimi*, cap. *Per venerabilem*, fuissent manifestè hæretici. Patet: quia habuissent assensum firmissimum contra Articulum Fidei; quia si Christus commisit Petro Potestatem laïcam, hoc est Articulus Fidei, quòd omnis illam habens, immediatè habet ab illo. Sed dico quòd illa verba: Christus commisit Petro curam cœlestis & terreni Regni, dupliciter exponuntur. Uno modò, quòd cœlestis Regni habeat Potestatem, hoc est, Ecclesiæ Triumphantis, & hoc est falsum; quia non habet Papa Potestatem super illos qui sunt de Ecclesia Triumphante, sed solùm in eos qui sunt in carne mortali. Sed per cœleste Regnum intelligit bonos, & per terrenum malos, & in utrosque habet Potestatem, scilicet spiritualem, quæ vocatur potestas clavis. Secunda expositio est, quòd per cœleste Regnum, intelligit eos quorum conversatio est in cœlo, hoc est, qui totaliter sunt dati vitæ spirituali, ut sunt contemplativi, & qui non curant temporalia: & per Regnum terrenum intelligit eos qui se dant vitæ activæ, & terrenis negotiis. Ideò Papa intelligit per Regnum cœleste, Congregationem Ecclesiasticorum, & per terrenum, Congregationem laïcorum, & data est Petro à Christo super utrosque Potestas spiritualis. Tertiò. Illa verba possunt sic exponi: commisit Petro claves terreni & cœlestis Regni, hoc est, dedit ei Potestatem super Imperatorem, qui habet Regnum terrenum: non quòd dederit Potestatem temporalem, sed spiritualem; quæ Potestas vocatur clavis spiritualis; & quælibet istarum expositionum sufficit. Ideò per Regnum cœleste, non debemus intelligere Paradisum; nec per terrenum, Imperium: sed per cœleste, bonorum; & per terrenum, malorum Congregatio intelligitur. Et tunc fateor quòd Petro data est utraque Potestas, ut visum est; nam habet potestatem Jurisdictionis spiritualem coërcitivam super bonos & malos.

CAP. VII. Doctoris.

Jure divino, Ecclesiastici non sunt exempti à Jurisdictione Civili.

Ad secundam Allegationem, &c.

Secundò arguit: Ab illo est Imperium qui est supremus Judex inter mortales & cunctorum mortalium; sed Papa est ejusmodi: ergo. Dico quòd Minor est falsa. Primò, Papa non est Judex infidelium, in cap. *Gaudemus*, *De divort. Statuta Apostolica non ligant infideles*, & 1. Corinth. v. 12. *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare?* Secundò. Si intelligas quòd sit Judex cunctorum fidelium, ex hoc non infertur quòd Imperium sit à Papa. Nam Imperator, quâ Imperator, habet Potestatem super infideles qui sunt in terra Imperii, & Papa nihil Potestatis habet super illos. Ergo Imperator non habet suam Potestatem laïcam à Papa: sed dico quòd Papa est Supremus Judex cunctorum fidelium in spiritualibus, sed non in temporalibus, imò Imperator est Judex Papæ in temporalibus. Unde Doctor ponit talem Propositionem: Imperator est Judex Papæ in temporalibus. Patet: antequam aliquis efficitur Papa, Imperator est Judex ejus; ergo postquam est effectus Papa. Patet consequentia ex illo verbo Apostoli. *Unusquisque maneat in eadem vocatione in qua vocatus est, si sit servus, non sit ei curæ.* I. Cor. VII. 20. 21. Tunc arguitur sic: Jus divinum, nullum liberat à servitute; ergo si Sortes sit servus Imperatoris, antequam electus in Papam, post electionem non liberabitur à servitute, Jure divino, & loquor semper de Jure divino; sed si liberatur, hoc est solùm Jure positivo. Patet ex Apostolo, *Unusquisque maneat*, *&c.* Ergo cùm Papa subdatur Imperatori, quantùm ad temporalia, antequam eligatur; ipso electo, saltem ex Jure divino, non liberabitur ab illa servitute & subjectione; ideò Imperator, quantùm ad temporalia, est Judex supremus Summi Pontificis, & ista est sententia Doctoris, quòd Ecclesiastici non sunt exemti Jure divino; sed solùm Jure humano, si sint.

CAP. VIII. Doctoris.

An Papa possit deponere Imperatorem.

Ad tertiam allegationem, &c.

Tertiò. Arguitur ad idem: Ab illo est Imperium qui potest Imperatorem deponere: sed Papa hoc potest: igitur. Major est certa, quia cujus est constituere, ejusdem est destituere, & è diverso; sed Papa potest constituere Imperatorem: ergo & deponere. Patet in can. *Alius* 15. q. 6. Zacharias Papa deposuit Regem Francorum, & instituit Pipinum Patrem Caroli. Similiter Innocentius deposuit Federicum Imperatorem: ergo Papa potest deponere ipsum Imperatorem.

Ad primum respondet Doctor: transeat Major; & ad Minorem notat quòd Imperator potest esse dignus depositione dupliciter. Uno modo, propter crimen spirituale, ut propter hæresim, quia hæreticus & schismaticus, & utitur Potestate sua in detrimentum Christianitatis. Alio modo, propter crimen civile, ut puta, quando negligit administrare justitiam quam tenetur administrare ex officio; vel quando utitur sua Potestate in utilitatem propriam, subtrahendo bona à subditis, pro suo commodo particulari, & non communi. Tunc si Imperator sit dignus depositione, propter crimen primi generis, putà propter spirituale, potest deponi à Papa, cùm habeat plenam Potestatem in puniendis peccatis spiritualibus. Sed si fuerit dignus depositione, propter crimen civile & politicum, non spectat tunc ad Papam Imperatorem deponere; sed ad eos ad quos spectat eum ordinare, hoc est, ad Communitatem civilem, vel ad eos qui gerunt vices Communitatis civilis, in quos scilicet Communitas transtulit suam Potestatem. Ideò, propter crimen spirituale, potest à Papa deponi Imperator: propter verò crimen civile, ab ipsa Communitate, &c. Aliter dicit Joannes de Parisiis breviter, quòd propter nullum crimen, sive spirituale, sive civile, spectat ad Papam Imperatorem deponere, nisi per accidens. Unde notandum, quòd ad illum spectat juridicè aliquem deponere ab aliqua Potestate, qui Sententiâ latâ de depositione, est depositus, hoc est, quâ sententiâ latâ, nihil habet ampliùs Potestatis. Hoc supposito, dicit; qualicumque crimine irretiatur Imperator, non potest Papa ferre Sententiam, quâ latâ ipse Imperator sit à Potestate pristina depositus; sed per accidens potest, quia potest excommunicare ipsum pro crimine, & singulos cum eo participantes, & sic inhibere subditis ne participent cum illo, & per illam excommunicationem illos cogere ad depositionem ipsius Imperatoris. Ideò non spectat ad Papam (dicit) sententialiter deponere ipsum, licèt spectet sententialiter excommunicare, & finaliter per Censuram excommunicationis, eos qui habent authoritatem deponendi, cogere ut illum deponant, & sic, per accidens deponit solummodò, & non directè. Eodem modo dicit Joannes de Parisiis, quòd Im-

Digitized by Google

Imperator potest Papam deponere: putà si Papa utatur sua Potestate in detrimentum Reipublicæ, potest Imperator sub pœna confiscationis bonorum purè civilium, quæ tenet ab Imperatore, vel à Rege, tanquam vassallus, propter hujusmodi Sententiam latam ab Imperatore, illi ad quos spectat, cogentur tandem ipsum auferre à sua Potestate Summi Pontificatus; sed non potest per se, qualicumque crimine sit irretitus, deponere. Verumtamen, dicit Doctor, quòd Papa potest Imperatorem deponere, in duobus casibus. Primus, pro crimine purè spirituali, ut est hæresis. Secundus, quando illi ad quos spectat, Jure ordinario, sunt negligentes ipsum deponere. Unde dicit Doctor 3. *part. dialog.* 2. *lib.* quòd universaliter si negligat Judex secularis exercere Jurisdictionem laïcam, pro loco & tempore, devolvitur Potestas exercendi ad Judicem spiritualem. Ergo ubi ad quos spectat Imperatoris depositio, non possunt auferre, vel negligunt, devolvitur Potestas auferendi ad Summum Pontificem. Jam respondendum ad Can. *Alius*, & dico, quòd sic intelligitur: *Zacharias deposuit Regem, id est, deponentibus consensit.* Unde tunc temporis non erat adhuc Universitas Parisiensis, quia tempore Caroli Magni fundata fuit, & sic pauci erant Docti in Francia, & habuerunt recursum ad Papam, & sic deposuit, id est, consensit ut possent deponere, & sic non deposuit authoritativè. Quantùm ad aliud, de Innocentio, qui deposuit Federicum Imperatorem, dicit Doctor quòd Innocentius deposuit in Concilio, non quòd habuerit authoritatem deponendi; sed Concilium quod habuerat authoritatem deponendi, deposuit, & Innocentius tulit Sententiam; vel loco Concilii, à quo acceperat authoritatem deponendi, deposuit.

Resolutio Doctoris in hoc argumento est cum apparentia, quod numquam potest Papa Principem secularem (seclusis suis vassallis) deponere, nisi in duobus casibus prætactis.

CAP. IX. X. XI. DOCTORIS.

Ad quartam Allegationem, &c.

PApa potest supremum Imperium transferre de Gente in Gentem; ergo ab ipso dependet Potestas Imperialis. Patet: Papa transtulit Imperium à Græcis, in Germanos. Dicit Doctor quòd Papa potest transferre Imperium, sed hoc est solùm casualiter. Unde Papa potest exercere Jurisdictionem in purè temporalibus casualiter, hoc est, quando non est Judex secularis; ita si sit congregatio populi, potest Papa transferre, & hoc casualiter. Secundo, potest pro crimine purè spirituali, ut si Gens illius Imperii efficeretur hæretica, vel transferret se ad aliam Sectam, dimittendo Religionem Christianam, posset propter hoc Papa illam Gentem privare dignitate Imperiali, & sic transferre in aliam Gentem, sed hoc non est regulariter, sed solùm casualiter. Regulariter potest pro crimine hæresis, sed non pro crimine civili, nisi casualiter, putà in defectu alterius, quia potest pro negligentia, ut dictum est.

Coronatio nihil Juris tribuit Imperatori, aut Regi Francorum.

COntrà: Ab illo est Imperium, à quo Imperator examinatur, inungitur, & coronatur; sed post electionem, Imperator futurus electus examinatur, inungitur, & coronatur à Papa; ergo, &c. Nego antecedens, & ratio est; quia per talem examinationem Imperator nihil Juris & Potestatis accipit à coronante, vel examinante; sed eo facto quô electus est, habet Summam Potestatem Imperialem, sicut Papa electus, ante confirmationem, quamvis etiam non sit Sacerdos, habet omnimodam Potestatem Jurisdictionis in Ecclesia: similiter dicendum de Imperatore isto modo. Idem argumentum curreret de Rege Francorum, qui inungitur ab Archiepiscopo Rhemensi, & tamen nihil Potestatis ab illo accipit; nam illud est solùm solemnitatis, & non Potestatis. Similiter multi fuerunt Imperatores qui non coronabantur à Papa, & erant veri Imperatores; nam talis coronatio saltem, Jure divino, nihil dat Potestatis, sed est tantummodò solemnitas.

A Quærit consequenter Doctor, quare Imperator præsentetur examinandus Papæ, postquam est electus. Dicit, ut corrigatur de magnis criminibus à Papa, si commiserit. Secundò, & apparentiùs, ut Papa cognoscat & declaret electionem esse validam. Unde quando Papa mittit Legatum ad Regem, Literæ præsentantur Parlamento, non quòd Parlamentum aliquid Potestatis exhibeat Legato, sed ut Parlamentum declaret Potestatem esse in tali Legato. Similiter, postquam Imperator est electus, præsentatur Papæ, ut declaret talem electionem fuisse legitimam, & authoritatem Imperialem esse in electo, & est resolutio Doctoris, quamvis multi textus Decretalium videantur sonare oppositum. In capitulo, *Per venerabilem*, dicit Papa, quòd ad ipsum spectat Imperatorem confirmare, ita quòd ante confirmationem nihil habet Potestatis. Hanc tribuit sibi

B Papa Potestatem, sed oppositum est probabilius. Et primò dico, quòd ut repræsentetur electus Papæ, est de Jure positivo. Secundò, præsentatur Imperator non ut habeat authoritatem à Papa. Tertiò, præsentatur, ut declaretur quòd talis electio est legitima. Dico ergo quòd nihil habet Potestatis à Papa, sed ab electione, & non habet à Deo, apud Doctorem, & est opinio probabilior; sed habet à populo, & populus potest dare Papæ authoritatem instituendi Imperatorem, quia populus illam habet, & potest in alterum transferre, & si sic, hoc est solùm Jure positivo: sed non legitur passus, in quo trahi possit quòd populus talem Potestatem instituendi Imperatorem contulerit Papæ; Ergo, &c. Ad argumentum: Imperator tenetur præstare juramentum fidelitatis Papæ; sed illud juramentum fidelitatis est signum vassallatus; ergo Imperator est vassallus Papæ; ergo habet Potestatem à Papa, &c. Quantùm ad hoc, nego quòd teneatur præstare juramentum Papæ; imò

C potiùs, è diverso, Papa habens prædia, tenetur potiùs præstare juramentum fidelitatis Imperatori, ratione prædiorum, & ad tributum solvendum. Paulus enim ad Rom. XIII. 7. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Et Christus, Matth. XXII. 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.* Secundò, fateor quod Imperator præstat juramentum Papæ, non ratione Imperii, sed quòd tuebitur & defensabit Ecclesiam; sicut Rex jurat in Curia Parlamenti, se defensurum Regnum, &c. & tamen non accipit Potestatem Regiam ab illa Curia: unde Jure naturali, inter Dominum & subditum, est mutua obligatio; quia Dominus, sive Princeps, tenetur subditos defendere & tueri, & ipsi tenentur ad tributum solvendum Principi. Dico ergo, quòd non jurat, neque præstat juramentum Papæ, tanquam recognoscens illum Superiorem in temporalibus, sed

D ut dictum est.

CAP. XII. DOCTORIS.

Ad Septimam rationem adductam, &c.

An Papa habeat Jus utriusque gladii, & Potestatem absolvendi Vassallos a juramento fidelitatis.

VIsum est de quibusdam rationibus, quibus nitebantur adversæ opiniones probare Imperium esse im-

Digitized by Google

immediatè à Papa, & allegatus est Canon, *Alius*. 15. q. 6. Sed difficultas est ex Canonibus sequentibus, quia dictum est quòd Papa non potest deponere Regem, nisi in duobus casibus, scilicet pro crimine Ecclesiastico, id est, hæresi, quia Papa habet plenam Potestatem in illis criminibus. Secundus, quando non sunt alii ad quos spectat ordinariè & juridicè depositio, quia sicut tenet Doctor, & habetur, *De Foro competenti*, quòd vacante Sede Imperiali, quia non est tunc Judex ordinarius, Jus cognoscendi de causis Imperialibus devolvitur ad Papam: sunt ap- A parentiæ pro opposito. Unde aliquem esse Regem, nihil aliud est, quàm habere superioritatem erga subditos, & in subditis est obligatio parendi Regi, & Sententiæ definitivæ ipsius, quantùm ad res quæ sunt Jurisdictionis.

Tunc arguitur sic: Papa potest unumquemque absolvere a juramento fidelitatis quod præstitit Regi; ergo Papa potest unumquemque Regem deponere, quantùm ad illam Potestatem Regalem, & Jurisdictionem quam habet erga subditos. Tunc benè sequetur; isti absolvuntur à juramento fidelitatis præstito Regi; ergo Rex non est ampliùs Superior eorum: sed Papa potest facere Antecedens, id est, ipsos absolvere ab obligatione juramenti fidelitatis; ergo potest facere etiam Consequens, putà quòd Rex non habeat ampliùs superioritatem super ipsos, & quòd non sint ampliùs vassalli & subditi ejus; ergo B Papa potest facere quòd non sit ampliùs Rex, non solùm casualiter, sed etiam ordinariè & ultra; ergo potest istum ab illa Potestate destituere. Patet Antecedens: ad Papam ordinariè spectat dispensatio in Votis & juramentis; ergo Papa, Potestate ordinaria & regulari, potest illos absolvere ab obligatione juramenti & fidelitatis quod præstiterunt Principi: & ecce ratio præcipua Juristarum, probantium ex illa, quòd potest Dominium temporale auferre ab ipso Principe.

Secundò arguitur sic: Papa potest excommunicare Dominum temporalem, in cap. *Novit. De Judiciis*: ubi se ostendit habere Potestatem excommunicandi Regem Francorum. Sed in casu quo Rex esset excommunicatus, vassalli ejus pro tunc, non te- C nerentur ei præbere obedientiam, & pro tunc, Sententia lata à Rege nulla esset, quia Sententia ab excommunicato lata nullius est efficaciæ; ergo pro tunc, deponit Papa Dominum temporalem à Jurisdictione quam habet: & ista sunt duo apparentiora argumenta pro parte adversa.

Quantùm ad primum; concesso quòd Papa potest absolvere subditum à juramento fidelitatis; negatur antecedens, saltem capiendo solvere, ut, tantùm valet, sicut relaxare, & non Jus declarare. Et ad probationem, cùm dicitur: Papa potest unumquemque dispensare à juramento sicut à Voto, cùm sit eadem obligatio utriusque, imò secundùm Holcot, juramentum magis obligat, quàm Votum; ergo potest omnes vassallos à juramento fidelitatis absolvere. Dico quòd duplex est juramentum: quoddam, quod fit solùm in reverentiam Dei; aliud est, D quod fit in favorem certæ personæ, altera à jurante. Ut Sortes jurans perpetuò servare castitatem, hoc juramentum non fit in utilitatem alterius personæ à jurante, sed solùm in utilitatem propriam ipsius jurantis, & reverentiam Dei. Exemplum secundi, Sortes jurat se soluturum Platoni decem aureos, istud juramentum fit in utilitatem alterius personæ à jurante, scilicet in utilitatem Platonis. Similiter juramentum præstitum Principi à subditis, fit in utilitatem Domini, & non solùm propter reverentiam Dei. His suppositis,

Quantùm ad juramenta primi generis, Papa potest dispensare, cùm sit Vicarius Dei: quantùm verò ad juramenta secundi generis, non potest dispensare, hoc est, Jus relaxare, quia Papa non habet Potestatem aliquam faciendi contra ea quæ sunt in perniciem, & damnum alterius. Nam non potest solvere Sortem ab obligatione quâ Platoni obligatur, ut in casu prædicto. Similiter si Papa solveret vassallos à juramento fidelitatis Principis, hoc esset in perniciem & detrimentum Principis & libertatis Regiæ: ideò à quocumque juramento vel obligatione, quæ obligatio est in utilitatem alterius personæ à persona obligante, non potest Papa talem ab alterius obligatione solvere. Nam faciendo de obligato non obligatum, hoc esset in injuriam alterius personæ; & si hoc faceret, teneretur ad restitutionem. Et sic resolutio est, quòd à juramento præstito in favorem & utilitatem alterius personæ, à persona quæ juravit, Papa non potest dispensare, neque alterum ab obligatione ex juramento proveniente solvere. Quare non potest Papa regulariter solvere vassallum ab obligatione, quâ obligatur suo Superiori.

Ad aliud, cùm dicitur, Papa, ordinaria Potestate & regulari, potest Regem & Principem excommunicare, concedo; nec potest aliquis eximi à tali Juridica Potestate, nisi per Concilium, ut dictum est supra: sed in casu quo temporalis Dominus erit excommunicatus, vassalli tunc non tenentur ei obedire; ergo tunc non habet Potestatem Jurisdictionis in subditos quam priùs habebat.

Hoc argumentum tangit multa satis difficilia: nam habetur ex multis testibus, & ex practica, quòd familiares excommunicati possunt participare cum eo, ad minùs in rebus civilibus: ergo cum Rege excommunicato, vassalli & subjecti possunt participare, cùm sint quodammodò servi ejus; nam obedientiam tenentur illi dare & exhibere. Quantùm ad hoc, dicitur in Ca. *Nemo*, & in Glossa, quòd illa obligatio vassalli & subditi, qui non est servus domesticus, pro tempore quo Dominus est excommunicatus, est sopita, sed non ablata; imò, pro tempore excommunicationis Principis, servi locatitii non tenentur communicare cum illo in rebus civilibus: sed alii subditi, dicit Glossa, *Absolvuntur ab actu obligationis, sed non ab obligatione*, & tenentur, pro tali tempore, cum eo non participare & non ei obedire: sed ipso absoluto ab excommunicatione, tenentur ut priùs.

Circa hoc est alia difficultas. Si Sortes sit excommunicatus, & Plato habeat aliquid à Sorte quod accepit furto vel mutuo, utrùm Plato teneatur illi pro tunc restituere: si sic; ergo tenetur cum eo participare. Resolutio Glossæ est, quòd pro tali tempore, si non possit restituere aliter, nisi participando cum eo, non tenetur, neque potest licitè tunc restituere, & sic restitutio aliquando, ratione excommunicationis sopitur: eodem modo dicendum est in vassallis, quod ratione excommunicationis Principis sopitur eorum obligatio, sed non solvitur simpliciter.

Opinio Doctoris simpliciter probabilior est, quòd nec per excommunicationem, nec alio modo potest Papa Principem deponere à sua dignitate Imperiali & Regali.

Sed arguit Doctor contra hoc in septima ratione: Ab illo est Imperium, qui habet utrumque gladium, scilicet tàm spiritualem quàm temporalem; sed Papa est ejusmodi: ergo. Patet Antecedens, supponendo quòd per gladium materialem intelligatur Potestas Regia, ad quem spectat uti gladio in malos, ad Rom. XIII. 4. *Non sine causa gladium portat*: sed Petro & successoribus commissus est uterque gladius. Lucæ XXII. 38. quæsivit Christus an essent gladii, respondit Petrus: *Ecce duo gladii* sunt; & cùm eruisset Petrus unum illorum, dixit Christus: *Mitte gladium tuum in vaginam*; & non dixit, aufer gladium: & per hoc ostenditur quòd *prohibuit usum illius, & non Potestatem*. Et ex illo passu arguunt, quòd utraque Potestas est commissa Petro, & ista sen-

Digitized by Google

sententia videtur esse Innocentii III. quòd in gremio Ecclesiæ ambo gladii sunt, & qui extra Ecclesiam sunt, nullius habent gladii Potestatem. Respondet Doctor, negando quòd uterque gladius sit commissus Petro. Et ad probationem Lucæ XXII. dicit, quòd duo sunt, in sensu literali, & hoc intelligitur de gladiis materialibus; & tempore quo Christus hoc quæsivit, nondùm Petrus erat Papa, sed post Resurrectionem factus est: ideò tunc non quærebat an haberet gladium spiritualem. Benè verum est quòd in sensu mystico, potest intelligi per istos duos gladios ista duplex Potestas; sed ex sensu mystico non potest efficax argumentum ad aliquid probandum sumi, nisi fuerit per alium passum Scripturæ habitum. Ideò per illos duos gladios non potest inferri quòd fuerit Petro & successoribus commissa utraque Potestas. Secundò, ego dicerem, quòd quamvis intelligatur in sensu literali; non tamen sequitur quòd fuerit commissa Petro: nam licèt in Ecclesia sit utraque Potestas, non tamen in eadem persona; nam illa Potestas quæ significatur per gladium materialem, est Petro prohibita: dicit enim Christus Petro, Joan. XVIII. 11. *Mitte gladium in vaginam. Reges Gentium dominantur eorum*, Luc. XXII. 25. *&c.* Si verò, in sensu literali per utrumque gladium, utraque Potestas acciperetur, solùm potest inferri, quòd utraque Potestas est in Ecclesia; sed non potest inferri, quòd utraque Potestas sit in Ecclesia in eadem persona. Et ad verba Innocentii, si intelligantur quòd extra Ecclesiam nullus habebat legitimam Potestatem quâ utatur gladio materiali, illa sapiunt hæresim; nam & apud fideles, & apud infideles, est vera Potestas Laïca. Ideò parum curandum est de authoritate Innocentii in Proposito.

CAP. XIII. Doctoris

Ad octavam rationem ejusdem, &c.

Arguitur sic: Ab illo est Imperium, in ordine ad quem se habet Imperator, ut discipulus ad Magistrum; sed Imperator in ordine ad Papam, est ejusmodi, in cap. *Solitæ*, *De majorit. & obedient.* ergo Imperium est à Summo Pontifice. Item dicitur, quòd quidquid lucis habet Luna, hoc à Sole; ergo à simili, quidquid Potestatis habet Imperator, hoc est à Papa. Dico quòd tales comparationes Imperatoris ad Papam, non fuerunt propter temporalia, sed solùm propter spiritualia, quæ suscipit ab ipso Papa: Imperator enim est filius Papæ, non propter temporalia, sed propter spiritualia, & sic ex his non potest inferri quòd Imperium sit à Papa.

CAP. XIV. Doctoris.

Ad decimam rationem, respondetur, &c.

Arguitur sic: Ab illo est Imperium, qui vacante Imperatore, habet Imperium regere; sed mortuo Imperatore Imperium habet regi à Papa: ergo. Dico quòd cùm deest Imperator ex institutione Christi, Imperium non debet regi à Papa, imò ab Electoribus Imperatoris, & de facto ita est quòd regitur ab eis: & tamen si Papa, ex institutione Christi haberet regere Imperium, mortuo Imperatore, malè facerent Electores, si non permitterent eum regere, & *In Potestatibus male factum est cedere Juri suo.* Sed si Papa habeat regere, illud est solùm ex institutione humana: ideò, vacante Imperatore, qui habent illum instituere, debent illud Imperium regere. Similiter, vacante Papatu, qui habent Papam eligere & instituere, ut sunt Cardinales, debent Papatum regere. Similiter, vacante Episcopatu, Canonici qui habent alium præficere & eligere, debent Episcopatum regere. Et hæc pauca circa secundam quæstionem dicta sufficiant; jam ad tertiam sequentem quæstionem.

QUÆSTIO TERTIA.

CAP. I.

An Jurisdictionis temporalis authoritas dependeat à Papa & Romana Ecclesia.

IN præcedenti quæstione quærebatur, an Imperator habeat possessiones quas possidet, ratione Imperii, à Papa, vel à Deo; & tandem resolutio Doctoris fuit, quòd non habet immediatè, nec à Deo, nec à Papa, ad istum sensum quòd nec Deus, nec Papa immediatè ei contulerit tales possessiones; sed immediatè à populo sic, quòd sunt collatæ ipsi ab ipso populo, & post collationem, nullum recognoscit Superiorem in illis, præter Deum, & sic in isto sensu, habet immediatè à Deo illas possessiones. Visum est etiam principaliter de duobus punctis. Primum, utrùm bona annexa dignitati Imperiali sint Imperatoris, quantùm ad proprietatem, & de hoc fuerunt duæ opiniones. Secundò, visum est an Imperator sit proprietarius omnium rerum Imperii, putà an sit proprietarius in bonis Sortis Gulielmi, Joannis, &c. & satis ad hoc responsum est secundùm mentem Doctoris.

Jam in ista tertia quæstione quæritur, utrùm Papa & Romana Ecclesia habeat committere Jurisdictionem Imperatori, & ceteris Principibus non recognoscentibus Superiorem in temporalibus; ita quod Potestas judicandi quam habent temporales Domini cujuscumque conditionis fuerint, non recognoscentes Superiorem in temporalibus, sit à Papa, ex ordinaria sua Potestate, hoc est, an Papa, ex ordinaria Potestate habeat committere Jurisdictionem Dominis temporalibus, ita quòd sine tali commissione inordinatè illam Jurisdictionem exerceant. Et antequam aggrediamur quæstionem, primò supponenda sunt aliqua, pro intellectu illius. Primò, quòd Imperator, vel Rex habet multas Potestates judiciarias. Primò, habet Potestatem punitivam in corpus hominum subditorum, & in bonis; ita quòd potest illos ad mortem condemnare, ad mutilationem membri, ad carceres perpetuos, & ad bonorum perditionem: & ista vocatur Potestas punitiva in corpus subditorum, & auferendi eorum bona & libertates. Præter hanc punitivam, habet aliam Potestatem Jurisdictionis, secundùm quam potest & tenetur adjudicare unicuique quod suum est: nam quando est quæstio de possessione, potest Rex authoritativè definire cujus sit, & sic judicando, non punit aliquem; nam per hoc quod judicat hanc rem esse Platonis, quam Sortes nitebatur usurpare, non punit ipsum Sortem; ideò illa Potestas non est punitiva, aut correctiva, est tamen Jurisdictionis: habet etiam Potestatem dividendi Dominia, in Canone, *Quo Jure*, 8. *distinct.* Habet etiam Potestatem præceptivam, ad quam spectat Leges condere: & Potestatem imponendi talias, & tributa, pro exigentia boni communis, Reipublicæ, & Regni. Utrùm autem illas Potestates habeat à Papa, vel à Romana Ecclesia.

Quantùm ad primam Potestatem, scilicet punitivam, & super corpus & membra, & bona subditorum, sunt difficultates: Prima, an liceat Imperatori, & Regi, sive Domino temporali occidere maleficos. Secunda, an liceat Principi occidere innocentem. Tertia, supposito quòd aliquem justè condemnare potest ad mortem, an liceat condemnato fu-

Digitized by Google

fugere, si possit, similiter se defendere à morte: & istæ sunt tres difficultates præcipuæ circa Potestatem punitivam, quantùm ad punitionem mortis.

An liceat Principi punire maleficos.

QUantùm ad Primam difficultatem arguitur quòd non: Deus enim vult eos vivere. Ezechielis. XXXIII. 11. *Nolo mortem peccatoris, &c.* Ergo cùm Imperator debeat se conformare voluntati divinæ, non debet aliquem morte punire. Oppositum arguitur, Exod. XXII. 18. *Maleficos non patieris vivere, &c.* Pro solutione hujus difficultatis advertendum est, duplices esse homines malos in Politia: quidam sunt mali solùm sibi, ut mali malitiâ cordis, & cogitationis, & non operis exterioris, qui non progrediuntur ad opus exterius; tamen illud opus, & malitia eorum non est nota. Similiter quamvis aliquando progrediuntur ad opus exterius; tamen illud opus non est perturbativum Reipublicæ, neque damnum proximo inferens, ut prodigè exponens sua bona. Alii verò sunt mali, & sibi, & aliis, ut fures & homicidæ; qui damnum proximo inferunt. Supponendum ulteriùs, quòd quælibet persona se habet in ordine ad Communitatem, sicut membrum in ordine ad corpus. Nam sicut corpus hominis constituitur ex pluribus membris; sic corpus humanum politicum constituitur ex pluribus personis, & quælibet particularis persona, in ordine ad totam Politiam, se habet sicut membrum unum, in ordine ad suum corpus. Tertiò, supponitur, quòd Principes imperantes debent intendere bonum commune & non proprium; & hoc habetur ex Aristotele, ponente differentiam inter Despotem & Regem, sive Principem; quia Despotes intendit bonum proprium, & Princeps bonum commune. Nam Despotes principatur aliquibus tamquam servis, intendendo solum bonum particulare. His suppositis, sit prima Propositio.

Homini privato non licet maleficum occidere.

NOn licet alicui privatæ personæ maleficum occidere, quantumcumque nocivum Communitati, & hoc, capiendo privatam personam quæ non habet Potestatem, neque commissariam, neque ordinariam in Republica. Ista Propositio est Augustini, 1. *de Civitate Dei*, dicentis. *Qui sine authoritate publica maleficum occidit, ab homicidio immunis esse non potest.* Et ista Propositio deducitur etiam ad longum 23. q. 5. per totum, videlicet quòd non licet cuique privatæ personæ quemque maleficum occidere. Unde rationem assignat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 64. *Artic.* 3. Non est licitum quemquam interficere, nisi ejus vita fuerit Communitati nociva, sicut non est licitum membrum abscindere, nisi propter utilitatem totius corporis; ita nec est licitum membrum Communitatis removere, nisi propter utilitatem totius Communitatis. Ergo, solùm ad illum spectat interimere maleficum, qui habet curam totius Communitatis, nec amore vindictæ, nec odio personæ; sed solùm propter bonum publicum, & amorem justitiæ & æquitatis; ideò solùm qui habet intendere bonum Communitatis, habet hoc facere: sed hujusmodi non est persona privata; aliàs non esset privata, sed publica. Igitur, &c.

Secunda Propositio responsiva ad quæstionem; Licet personæ publicæ maleficum occidere Communitati nocivum; hæc patet manifestè, & sunt multæ authoritates Augustini, in Libro, *De civitate*, ad hoc facientes, & Exodi XXII. 18. *Non patieris maleficos vivere.* Imò est Præceptum. Verumtamen ratio potest haberi ex supra dictis: quilibet homo particularis, in ordine ad totam Communitatem, est membrum: ergo sicut licet gerenti curam totius corporis, abscindere membrum, pro sanitate totius corporis; similiter licebit gerenti curam Communitatis, pro utilitate ipsius Reipublicæ, aliquam personam interimere: ideò licet Principi, Regi, & habentibus curam Communitatis, maleficos interficere. Et ad Præceptum divinum, *Non occides*, Exod. XX. 13. dicitur quòd prohibetur occidere, authoritate privata, sed non publica.

Circa Primam Propositionem, est difficultas, & ponitur talis casus: Sortes cognoscit quòd Plato vult & potest totam Rempublicam destruere, & incendio dare; nihilominùs antequam hoc faciat Plato, non potest ipse Sortes aliter providere Reipublicæ, quia est privata persona, nisi Platonem interficiat: an, in tali casu, teneatur Sortes, qui est privata persona, Platonem occidere? Et videtur quòd sic; quia magis tenetur tueri totam Communitatem, quàm vitam propriam, sive personam propriam: sed in casu quo Plato invaderet sortem, volendo eum interficere, nisi aliter posset evadere, quàm occidendo Platonem, non malè faceret, illum occidendo, quia vim vi repellere licet, ut clamant Jura. Ergo ubi non potest aliter subvenire Reipublicæ, nisi interficiendo Platonem, videtur quòd teneatur illum occidere; quia tenetur se morti exponere pro salute Communitatis: ergo licet in casu personæ privatæ maleficum occidere.

Circa secundam Propositionem potest esse difficultas, & arguitur sic: Persona publica non habet authoritatem, nisi à personis privatis, & præcipuè quando fit per electionem; ergo personæ privatæ habent authoritatem quam dant isti: ergo licet privatis personis maleficum interficere. Unde certum est quòd ubi Rex fit per electionem, non habet Potestatem, nisi à subditis eligentibus; ergo illi habent talem Potestatem, & per consequens, licet eis exequi actum illius Potestatis: ergo licet personæ privatæ, sicut publicæ, maleficos occidere.

Quantùm ad primum; dicunt aliqui, præcipuè Buridanus, quòd, in tali casu, potest occidere Platonem, & hoc non facit ut persona privata, sed publica, gerente vices Communitatis. Verumtamen Dominus de Gersonio, in Tractatu quem fecit super isto Præcepto, *Non occides*, dicit quòd quamvis Plato sit tyrannus, volens totam Rempublicam destruere, & sit Sortes persona privata, nullam habens authoritatem super Platonem, neque commissionem ordinariam, non licet illi occidere Platonem; & ratio sua est, quia *Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona.* Licèt ergo teneatur Sortes destructionem Reipublicæ impedire, pro posse suo, hoc tamen est per media licita. Sed argumentum est forte in oppositum, & multùm apparens, si Sortes cognoscat Platonem velle ipsum interficere, nisi possit aliter evadere, quàm eum occidendo, non peccat illum occidendo. Ergo, à fortiori, cùm plùs teneatur Reipublicæ, quàm propriæ saluti, simpliciter videtur posse, &c. quantùm ad hoc argumentum: licet Sorti occidere Platonem ipsum impetentem, ubi non potest aliter evadere; sed est diversitas inter Doctores. Nam tenet de Anchona, quòd non licet occidere invasorem, etiam quamvis non pateat evasio, nisi per occisionem; imò dicit quòd occidendo peccat. Unde dicit quòd tripliciter potest homo occidi: uno modo, odio personæ, vel amore vindictæ, & probatur per illud, *Non occides*: alio modo, occiditur amore justitiæ, & hoc per illud præcipitur *Maleficos ne patiare vivere*: tertio modo, occiditur necessitate inevitabili, & hoc permittitur, Exodi XXII. ubi permittitur quòd fur nocturnus occidatur. Unde dicit, quòd permissio est de minori malo; & ideò dicit quòd non debemus, vim vi repellendo, occidere, quamvis non possimus aliter evadere, & ratio ejus est: plus teneor deligere animam proximi, quàm corpus meum; sed occidendo istum qui

qui me injustè & malo animo aggreditur, perdo animam ejus; quia ipse peccat mortaliter, cùm sit in actu peccati, me nitendo occidere: sed si permittam me occidere, solùm perdo corpus meum, & non animam. Ergo Lege Charitatis, plùs obligor permittere quòd interficiat me, quàm illum occidere in tali actu peccati, cùm Lege Charitatis, plùs tenear diligere animam proximi, quàm corpus meum; nam corpus meum est ultimum in ordine Charitatis quod teneor diligere. Adducit ipse de Anchona authoritates Augustini, quæ videntur hoc expresè sonare; nam dicit, *Lib.* 1. *De libero arbit.* Homo qui inculpata Lege alium aggreditur & occidit, qualiter immunis sit à peccato videre nequeo. Ergo ex authoritate Augustini, talis realiter occidens aggressorem peccat.

Tamen ista opinio videtur multùm dura & difficilis, cùm communis omnium Doctorum opinio sit in oppositum: nam secundùm illam opinionem sequitur quòd nullus posset licitè in bello justo alterum occidere; nam si est justum ex parte mea, tunc ex parte partis adversæ est injustum, & ideò scio adversarium esse in peccato, cum injustè pugnat contra me: & propter hoc argumentum, dicit de Anchona, quòd non licet unquam gerenti bellum ex parte sui justum, adversarios occidere, quod tamen videtur absurdum. Proptereà ab aliis aliter dicitur. Unde Sanctus Thomas 2. 2. q. 64. dicit quod *Invasus, si intendat invasorem occidere, ita quòd ex intentione occidat; de facto peccat: sed si intendat se solùm defendere, & vitam conservare, & se defendendo occidat, nullo modo peccat.* Ita quòd nullo modo intendit occisionem, sed ei displicet talis occisio; imò alius seipsum occidit, in quantum non resistit ei qui impetit; & dicere oppositum, esset multùm durum, & videtur contra æquitatem naturalem, permittere se interficere, ubi potest evitare.

Ad Argumentum quod est fortissimum: Licet Sorti occidere Platonem, pro defensione suæ vitæ propriæ; dico quòd verum est, sed non licet intendere voluntariè. Unde dico duo: primum, sum certus quòd Plato aggredietur me, & non adhuc aggreditur, quare non licet mihi illum tunc occidere: sed quando est in actu aggrediendi, licèt occidere, si non possim aliter evadere. Similiter dico, si Plato esset in actu oppugnandi civitatem, licet cuilibet de civitate illum occidere, quia sunt defensores: sed quando solùm constat de proposito, dico quòd non licet mihi privatæ personæ illum occidere nunc, quamvis constet mihi certitudinaliter quòd cras evertet civitatem.

Resolutio est: licet privatæ personæ invasorem occidere, modò non habeat intentionem occidendi. Secundò, licet civiliter cuilibet de civitate occidere oppugnantem civitatem, quando est in actu destruendi, sed non licet quando est solùm in proposito destruendi.

Quantùm ad argumentum contra secundam Propositionem: Rex nullam habet Potestatem, nisi à populo; ergo tota Communitas habet authoritatem occidendi. Dico quòd si nullus esset Rex, sicut quilibet potest abscindere membrum putridum à corpore suo, quando non est alius qui abscindat; ita similiter tota Communitas potest, &c. sed ista persona singularis, vel illa, non potest: unde, sicut Rex potest, ita Communitas, à qua Rex habet authoritatem; sed particularis persona non potest. Ideò quantùm ad primam Potestatem correctionis, quilibet Imperator & Dominus temporalis habet authoritatem auferendi vitam.

An aliquando liceat Principi, vel Judici occidere innocentes.

A Quantùm ad secundam Quæstionem, quâ quærebatur an liceat Principi occidere innocentes; nam visum est quomodò licèt Principi occidere, non tamen omnes maleficos, putà maleficos malitia interiore & exteriore, quando talis malitia non perturbat Rempublicam, &c. quæritur an liceat Principi occidere innocentem. Et apparet quòd sic: nam licet Principi exponere urbem igni & gladio, pro rebellione. Sed in illa sunt aliqui innocentes, ut parvuli; ergo licet Principi occidere innocentem: consequentia est certa; & antecedens, quo ad primam partem, videtur practicari sæpè. Oppositum tamen arguitur, Exodi XXIII. 7. *Insontem & justum non occides.*

Pro solutione, dupliciter potest intelligi Quæstio: uno modo sic; an liceat Principi occidere illum qui realiter est innocens, est tamen probatus nocens & malefactor, & Princeps, vel Judex non habet certitudinem de opposito, putà de ejus innocentia. Quantùm ad hoc, nulli Doctori est dubium, quin possit Princeps, vel Judex talem damnare ad mortem.

B Sed tota difficultas est inter Doctores, utrùm liceat Principi, vel Judici, qui, ut persona privata, habet certitudinem de innocentia istius, sed non potest illam probare, quia convincitur nocens per testes omni exceptione majores, an liceat illum innocentem damnare ad mortem? Circa hoc est multiplex modus dicendi. De Lyra dicit duo super illud Exodi. *Insontem & justum non occides.* Primum est, si Judex, vel Princeps est certus de maleficio Platonis, putà quòd est homicida; nihilominùs Plato probatur innocens coram Judice ab illo facto cujus Sortes Judex habet certitudinem de opposito, non licet Sorti occidere Platonem. Hoc probatur: nam si liceat tunc Sorti occidere Platonem; vel licitum est ei ut privatæ, vel ut publicæ personæ: non primum, quia nulli, ut privatæ personæ, licet quemquam interficere: nec potest dici secundum, quia non habet viam convenientem ut

C occidat, ut publica persona, quia non est ei, ordine Juris, probatus nocens, ut publicæ personæ: ergo in tali casu non licet Sorti occidere Platonem, & hoc de necessitate est fatendum. Habetur, *De consecrat. distinct.* 2. quòd non licet Sacerdoti Curato expellere à mensa Christi illum quem scit peccatorem, ut privata persona; ergo eodem modo hìc dicendum est. Secundum dictum ipsius De Lyra est, si Sortes Princeps, vel Judex sciat Platonem innocentem, nihilominùs per testes omni exceptione majores est probatus nocens, ut putà homicida, non licet etiam, dicit De Lyra, ipsi Sorti damnare Platonem ad mortem, vel occidere; & hujus sententiæ est Gullielmus Odonis, super Libros Ethicorum, & ratio præcipua est ex textu jam allegato Exodi XXIII. Nam si est innocens, ergo est indignus morte; ergo occidens & sciens,

D peccat contra justitiam: & sic, resolutio De Lyra est, quòd Judex non tenetur judicare secundùm allegata & probata, quando habet scientiam particularem de opposito, quamvis non possit repellere testes, neque probare innocentiam accusati, imò tenetur non judicare secundùm allegata & probata: & ista duo dicta differunt; quia in primo casu non habet viam occidendi, & in secundo habet viam non occidendi, sed cedendi Officio. Primum patet; quia quamvis sciat illum dignum morte: non habet viam occidendi; nam non habet viam occidendi tunc, nisi ut privata persona; sed non licet ei

Digitized by Google

ei, ut privata persone; igitur. Secundum patet; putà quòd habeat viam non occidendi, quia potest cedere Officio, &c.

Licet Judici Innocentem, probatum nocentem, damnare.

OPpositæ sententiæ est sanctus Thom. 2. 2. q. 67. *Artic.* 2. & idem dicit Altisiodorensis, & Richardus, & Glossa, *De consecr. dist.* 2. & idem habetur 3. q. 7. can. *Judicet*, in Glossa tenent omnes cum sancto Thoma, qui in tali casu dicit: Aut Sortes est supremus Judex, putà Imperator, vel Rex, non recognoscens Superiorem in tali Potestate juridica, aut non est supremus Judex. Si non sit Judex supremus; vel potest remittere ad Superiorem, vel non: si non, putà quia vel Superior præcepit ei ut cognoscat de causa, dicit quòd propter hoc tenetur renunciare. Si non potest tunc; vel potest sine scandalo ab injustitia ipsum liberare, vel non, nam aliqui sunt casus ita enormes, in quibus etiam supremus Judex non potest dare vitam sine scandalo justitiæ, in tali casu non potest non occidere, imo tenetur condemnare.

Resolutio Thomæ est, Quæstione allegata, Articulo 2. quòd *Judex potest cognoscere aliqua dupliciter: uno modo ut privata persona, alio modo ut publica. Si ut privata, nec licet condemnare nec absolvere, quia secundùm talem cognitionem nullam habet Potestatem.* Sed ut persona publica, aliquid potest cognoscere dupliciter: uno modo in communi, alio modo in particulari. In communi, per Legem naturalem, divinam, aut humanam, hoc est, per Leges publicas, divinas, aut humanas, contra quas nullas probationes admittere debet: unde in communi cognoscit quòd omnis malefactor est occidendus, quando malefactor est perturbativus Reipublicæ. Alio modo potest cognoscere in facto particulari, ut persona publica, putà per instrumenta, & testes, & alia ejusmodi legitima documenta, quæ debet sequi in judicando, magis quàm id quod ipse novit tamquam privata persona: Dicit ergo quòd in casu, in quo Sortes Judex scit Platonem innocentem, nihilominùs probatur nocens, & fecit omnem indaginem ad refellendum testes, & non potest illum liberare sine scandalo justitiæ, in tali casu, licet Sorti Judici Platonem innocentem damnare ad mortem, & istam opinionem dicit Præpositivus probabiliorem, & hoc intellige sanè, putà supponendo quòd non tenetur cedere Officio, contra id quod dicit de Lyra, & non potest remittere ad alterum, & si non cedat Officio, tenetur condemnare. Ratio mea fortissima pro ista opinione est ista: Capio Sortem Episcopum, coram quo agitatur materia de Matrimonio inter Sortem & Bertham; nam Sortes probat Bertham esse suam uxorem, nihilominùs Episcopus scit oppositum, sed non potest probare, & Plato probat per testes omni exceptione majores, quòd Bertha sit uxor ejus, quia eam desponsavit in facie Ecclesiæ; tunc Episcopus tenetur adjudicare illam adhærere Sorti, & ei reddere debitum. Et potest casus poni districtiùs, putà quòd causa agitetur coram Papa, qui non potest cedere Papatu, nisi ex consensu Cardinalium & Ecclesiæ; & ratione insufficientiæ, & supposito quòd non potest cedere; ergo oportet de necessitate quòd judicet, & non potest judicare quòd non sit uxor illius: patet; per opinantem oppositum non potest judicare de aliquo, nisi sciat ut persona publica, quia scientia ut persona particularis non sufficit ad ferendum Judicium; ergo saltem in casu Judex tenetur judicare contra scientiam quam habet ut persona privata, sive particularis. Eodem modo Judex laïcus debet facere: nam si probaverit hanc rem esse meam, quæ de facto non est mea, & Judex certò scit quòd non est mea, tenetur tamen adjudicare illam rem mihi: similiter tenetur condemnare innocentem probatum nocentem, quamvis, ut persona privata, sciat oppositum, & hoc, servato ordine Juris, quem tenetur observare. Quid ergo ad argumentum, Exodi XXIII.? Exponunt: Insontem, id est, quem cognoscis insontem & justum, ut persona talis, id est, ut persona publica, non debes condemnare; sed in casu Judex non cognoscit istum insontem ut Judex, imò habet ea quæ sufficiunt ad oppositum, ut persona publica, ideò in tali casu potest illum adjudicare morti. Dices; nunquam licet alicui facere contra conscientiam; sed iste occidendo facit contra conscientiam: ergo, non licet istum occidere. Verum est quòd nunquam licet alicui facere contra conscientiam: sed nego quod iste faciat contra conscientiam. Contrà, judicat istum esse innocentem, neque dignum pœna & morte, & judicat eum non esse occidendum: dico, quòd judicat eum esse occidendum, si rectè judicat: unde ista consequentia nihil valet; Iste est innocens; ergo non est dignus morte. Unde dico, quòd ex parte Judicis justè occiditur: & istud Judicium esset erroneum in Judice; Iste non est judicandus à me: imò istud Judicium est verùm; Iste est judicandus à me; & non tenetur illud deponere. Contrà, ergo faciet contra conscientiam: nego, & dico quòd facere contra conscientiam, est facere contra dictamen practicum de aliquo faciendo, vel non faciendo. Quamvis ergo Judex judicet quòd est innocens, & verè; tamen judicat rectè quòd est occidendus. Eodem modo dicendum est de lictore, qui cognoscit certitudinaliter condemnatum ad mortem per Judicem, esse innocentem, debet eum suspendere, quamvis sciat illum esse indignum morte, postquam habet Mandatum à Judice justè præcipiente, & justè condemnante. Et ista opinio videtur probabilior, quòd postquam non potest ad alterum remittere, neque absolvere sine scandalo, & concesso quòd non tenetur cedere Officio (nam esset valdè difficile quòd Rex teneretur cedere Regno, propter istum casum particularem) quòd ipse Judex debet talem innocentem condemnare.

An Potestas coërcitiva Laïca sit à Papa, vel Ecclesia.

HIs prælibatis, circa materiam tertiæ Quæstionis, accedendum est ad illam tertiam Quæstionem, qua quærebatur utrùm talem Potestatem coërcitivam Imperator, vel Dominus temporalis habeat à Papa & Romana Ecclesia. Prima opinio est, quòd ex institutione Christi habuit talem à Papa, cujus opinionis sunt qui dicebant in præcedentibus Quæstionibus, quòd Papa habet plenitudinem Potestatis, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus, & quòd in utrisque potest facere sine peccato omne illud quod non est contra Legem naturæ, aut divinam: sed Papam committere talem Jurisdictionem, non est contra Legem naturæ, aut divinam, sive Evangelicam. Item, qui exercet illam sine commissione Summi Pontificis, injustè exercet: patet, nisi Papa committeret, negligenter faceret opus sibi commissum, & non potest Papa per se exercere; nam data est ei Potestas, & prohibitum est ei ne illam exerceat: ergo oportet quòd alteri committat, & nisi alteri committeret, negligeret opus sibi commissum. Quòd autem exercens sine commissione Papæ, injustè exerceat, patet: Quicumque assumit honorem, nisi ad illum sit vocatus tanquam Aaron, *Heb.* v. 4. etiam loquendo de honore, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, præsumptuosè assumit, & talis est notandus de ambitione, & non intrat per ostium. Unde ad Prælatum spectat juridicè & ordinariè providere de Beneficiis particularibus. Ergo eodem modo, cùm

Digitized by Google

cùm ad Papam ordinariè spectet istam Jurisdictionem committere, etiam ex institutione Christi, si aliquis eam assumat libero suo arbitrio, ambitiosè assumit: & iste est primus modus dicendi, quòd omnes exercentes Jurisdictionem temporalem, habent illam Potestatem exercendi à Papa. Ultra dicit Doctor, quòd ejusdem sententiæ debent esse qui tenent, quòd A licèt Papa non habeat illam plenitutidem Potestatis, de qua dictum est, *Quæst.* I. *capite* I. tamen habet plenitudinem Potestatis, quantùm ad omnia quæ necessaria sunt pro Communitate fidelium gubernanda: sed ad debitum regimen fidelium necesse est quòd sint aliqui exercentes usum gladii; ergo, si Papa habet plenitudinem Potestatis, ita quod potest quicquid non est contra Legem naturæ, aut Evangelicam, sive dicatur quòd habet plenitudinem Potestatis, & quòd teneàtur providere de regimine fidelium, tenetur committere istas Jurisdictiones temporales.

An liceat condemnato capitis fugere.

TErtia Quæstio Proposita in principio hujus tertiæ Quæstionis erat: an condemnato à Principe, ad mortem, liceat fugere, si pateat ei locus fugæ; & apparet quòd non, per illud quod scribitur ad Rom. B XIII. 2. *Qui Potestati resistit, ordinationi Dei resistit*, & loquor de Potestate Principum: sed non licet resistere ordinationi Dei; ergo non licet resistere Principi seculari. Si igitur damnatus ad mortem aufugeret, resisteret hujusmodi Potestati; ergo non licitè faceret, & per consequens peccaret, & injustè ageret. Oppositum tamen arguitur: Quilibet naturaliter inclinatur ad servandum vitam suam; ergo licet servare, quando hoc fieri potest sine jactura alterius, putà sine percussione, vel læsione alterius, vel damno, ut putà, si aliquis haberet damnatum custodire sub aliqua pœna, non licet ei aufugere. Pro ista quæstione advertendum est, quòd aliud est loqui de injustè damnato, & de justè damnato: & iterùm de justè damnato potest intelligi dupliciter, vel de illo qui est justè damnatus ex parte Judicis, & non ex parte sui. Ex parte Judicis, putà, quia Judex servavit ordinem Juris, judicando illum secundùm allegata & probata, & tamen ipse de facto est innocens; aut de justè damnato, & ex parte Judicis, C & ex parte sui; quia videlicet servatus est ordo Juris in damnando ipsum, & realiter merebatur damnari, quia nocens erat, & malefactor.

Prima Propositio.

HIs suppositis, sit prima Propositio. Injustè damnatus ad mortem ex parte Judicis, putà quia non servavit ordinem Juris, vel non habuit probationes sufficientes ad damnandum ipsum, potest, imò tenetur fugere, si ei pateat locus fugæ. Patet sic, quòd teneatur fugere: nam Jure naturali, quilibet tenetur servare vitam propriam, quantùm potest, medio licito, ergo Sortes qui est injustè damnatus, ex parte Judicis, si pateat ei locus fugæ & non fugiat, peccat contra Legem naturalem, quâ tenetur D servare vitam suam, quantùm potest; ergo, cùm istud medium, putà fugere, sit Sorti licitum, ad servandum vitam, imò est ei licitum, quemadmodùm esset ei licitum fugere contra hostes eum injustè aggredientes; nam persequentes se tenetur Jure naturali fugere. Alia ratio adducitur ab aliquo Doctore quæ talis est: Ille Judex adjudicando illum morti peccavit, ergo dando Sententiam executioni peccabit, & Sortes quâ Lege, scilicet divinâ, tenetur diligere proximum, etiam vitare peccatum in proximum; ergo cùm teneatur vitare peccatum in proximum, etiam tenetur fugere, si ei patet locus fugæ. Dices; ergo Martyres obligabantur fugere, cùm multis pateret locus fugæ; & essent injustè damnati ad mortem. Dico quòd quando ex fuga imminebat scandalum Fidei, non tenebantur fugere; imò oportet quòd injustè damnatus maneat, præcipuè si ex fuga illius immineret periculum in Fide.

Secunda Propositio.

LIcet damnato injustè isto modo, impetere Judicem, & rebellare si possit, ita quòd posset vincere vi sua. Patet: unicuique vim vi repellere licet, & hoc quando infertur vis injustè; sed in illo casu infertur vis injustè; ergo in illo casu licet vim vi repellere, cum moderamine inculpatæ tutelæ: & hoc expressè habetur, Proverb. XXIV. II. *Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum liberare non cesses*, & loquitur de illis qui dicuntur injustè ad interitum: & arguitur sic; Quilibet tenetur se magis diligere & liberare, quàm quemcumque proximum; sed sic est, quòd quando proximus injustè ducitur ad mortem, quilibet tenetur eum liberare, si possit, etiam per violentiam; ergo à fortiori, si possit, ipse illam vi repellere debet, imò ad hoc tenetur.

Tertia Propositio.

JUstè damnatus, ex parte Judicis, tamen injustè, ex parte sui, licitè potest aufugere, si pateat ei locus fugæ, quia est realiter innocens. Patet apud omnes Doctores. Si A. possessio sit mea, nihilominùs Plato probat eam suam, & per Judicem adjudicatur Platoni; si possum, *sine periculo corporis & famæ*, eam occupare & rapere, benè facio; dicitur notanter, *sine periculo famæ*, quia si eam capiendo reputarer fur & latro, non debeo eam capere; nam bona fama præstantior est bonis fortunæ; dicitur notanter etiam, *sine periculo corporis*, quia corpus magis est diligendum quàm fama, & fama quàm bona externa, & super omnia ista, vita est magis diligenda. Ergo, à simili, si Sortes sit justè damnatus, ex parte Judicis, & justè, ex parte sui; adhuc corpus suum remanet ejus; ergo potest fugere, etiam cum periculo famæ, quia corpus magis est diligendum quàm fama.

Quarta Propositio, in qua est difficultas inter Doctores.

SI Sortes sit justè damnatus ad mortem, ex parte Judicis & sui, & pateat ei locus fugæ, an teneatur aufugere? Dico, quòd potest licitè aufugere, & sine peccato, & in hoc major pars Doctorum convenit. Hoc tenet de Gandavo, *Quodlib.* 9. Quamvis oppositum imputetur Sancto Thomæ; tamen non legi in ipso, sed dicit, quòd licitè potest aufugere, ut patet 2. 2. q. 69. *Ultimo Art.* in solutione 2. argumenti, ubi dicit quòd nullus condemnatur ad manendum in loco unde ducatur ad mortem: tenetur tamen non resistere agenti quin patiatur quod justum est eum pati; sicut etiam si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere, esset seipsum occidere. Patet sic: *Unusquisque tenetur servare vitam suam, Jure naturali indispensabili, dummodò possit hoc medio licito, & sine jactura alterius;* sed ita in tali casu, Sortes potest conservare vitam suam. Primò, Judex non patitur jacturam ex ejus fuga, neque custos, supposito quòd non servet eum sub pœna; ergo, &c.

Holcot in 3. Sententiarum adducit multas rationes ad istam Propositionem; nam Sortes potest postea majus bonum Communitati facere, quàm mors ejus fuisset Communitati bona, quia non licet interficere nisi propter bonum commune, similiter potest pœnitere, & multa alia bona facere. Ergo in tali casu Sorti proponenti illo bona facere, licèt aufu-

Digitized by Google

aufugere. Et hoc satis suadet Sanctus Thomas, in loco præallegato, de condemnato ut fame pereat, qui potest comedere si ministretur ei cibus, quia nullus potest condemnari ut seipsum interficiat: imò dicit de Gandavo, si posset violenter à custode carceris, vel quovis alio, panem subtrahere, licitè potest, quia in tali casu, cum sit in extrema necessitate, omnia sunt ei communia. Diceret aliquis, & est apparentia major quæ possit haberi pro parte opposita: Si Sortes esset condemnatus ad perditionem bonorum, post illam condemnationem non potest illis bonis uti, neque retinere, imò committeret furtum, quia non sunt ampliùs ejus; similiter, si Sortes justo Judicio condemnetur in servitutem alicujus, non potest post Sententiam latam aufugere ab eo, imò tenetur parere ei cujus est servus; imò si fugiat, tenetur de damno Domino suo, & eum recompensare de injuria facta: ergo, à simili, si Sortes sit justè damnatus ad mortem, corpus ejus & vita non videtur ampliùs esse ipsius, sed Reipublicæ; ergo si fugiat, injuriam facit Communitati, cui vita ejus adjudicata est, & per consequens ipse peccat. Et ista est major apparentia quæ haberi potest pro opposito, & hoc assumunt alii Doctores, tenentes oppositam partem.

Quantùm ad hoc, optimè respondet de Gandavo, dicens, quòd dupliciter contingit habere Dominium in aliqua re. *Uno modo, quantùm ad substantiam rei; alio modo, quantùm ad exercitium operationum aliquarum circa illam rem.* Primo modo, ille habet Dominium, qui substantiam rei alienare potest: secundo modo, qui locavit equum, vel domum, habet Dominium, isto secundo modo. Hoc supposito, dicit ulterius, quòd *Nullus potest habere Dominium in corpore alterius, quantùm ad substantiam, præter animam informantem tale corpus:* ut, sit Sortes, quantumcumque servus, damnatus ad mortem, nullus habet Dominium, quantùm ad substantiam corporis ejus & vitam, præter animam ipsius, quæ id habet à Deo; quia, quantùm ad substantiam, semper remanet corpus animæ. Ergo anima tenetur regere ipsum, nutrire, & conservare in esse, quantùm potest; sed quantùm ad aliquas operationes exercendas circa corpus, Judex habet Dominium, ut putà citare eum, provocare, incarcerare, mortem inferre, &c. & sic malefactoris corpus, quantùm ad substantiam, semper remanet animæ ejus; sed quantùm ad aliquas operationes exercendas, Dominium est apud Judicem. Propterea dicit idem de Gandavo, & consequenter Sanctus Thomas, quòd si Sortes sit vinculatus, non licet ei frangere vincula & carcerem, quia non habet Dominium sui corporis, quantùm ad hoc, neque rebellare: nam si rebellaret, liceret Principi illum invadere, bellum enim est injustum ex parte Sortis; ergo illicitè rebellat: & est argumentum efficax; quia si rebellat & Princeps aggrediatur, bellum est justum ex parte Principis; ergo injustum ex parte alterius. Ergo propositum verum.

Resolutio igitur istius materiæ est, quòd quamvis sit Sortes justè condemnatus & non vinculatus, neque clausus in carcere, neque datus alteri in custodiam, sub pœna, ita quòd non immineat alicui personæ detrimentum ex ejus fuga, licet ipsi fugere.

Sed est difficultas, utrùm teneatur fugere in tali casu, vel solùm sit consilium: dicit de Gandavo, quòd satis elici potest, quòd tenetur fugere, imò si non fugiat, est homicida sui: nihilominus dicit Joannes de Gersonio, in Tractatu quem fecit *De esu carnium*, quòd potest licitè expectare mortem pro suis demeritis, & satisfacere pro peccatis. Videtur tamen mihi, quòd si sit ei licitum fugere, quòd pro tunc etiam tenetur fugere; quia, Jure naturali, tenetur servare vitam corporis, & quia patet ei medium licitum ad illam servandam; ergo tenetur: & hoc dicit de Gandavo, & Thomas, de illo qui est damnatus ut pereat fame, quòd tenetur comedere si habeat panem, quia illud est medium licitum ad servandam vitam suam. Unde de Gandavo ponit differentiam inter istos quatuor terminos, *necessitas, fas, jus, & licitum.* Unde non solùm in tali casu est jus, fas, aut licitum, sed necessitatis est fugere: & ista opinio videtur probabilior.

A

Argumenta quibus probatur Jurisdictionem Principum Laïcorum dependere à Summo Pontifice.

PRo ista opinione potest sic argui. Habita sunt tria dicta. Primum, quòd Papa habet Potestatem committendi Jurisdictionem laïcam & temporalem. Secundum, quòd tenetur illam committere, quia aliàs negligeret onus sibi commissum. Tertium, quòd quilibet qui assumit Jurisdictionem illam, sine commissione Papæ, est arguendus de ambitione, quia assumit honorem non vocatus, & intrat non per ostium.

Prima ratio hujus opinionis est: necessarium est
B in omni Communitati habere supremum, à quo cunctorum Jurisdictiones dependeant; sed tota Communitas Christianorum, est Communitas volentium ad invicem communicare: ergo oportet esse supremum in illa Communitate, &c. Sed nullus alius potest assignari præter Papam; ergo ab ipso dependet Jurisdictio omnium aliorum: populus enim, si est benè ordinatus, uni gubernatori & non pluribus debet esse subjectus, Proverb. XI. 14. *Ubi non est gubernator, populus corruet.* Loquitur enim in singulari, & non in plurali, cùm inquit *gubernator*, & non gubernatores; ergo videtur innuere, quod uni populo unus supremus debet esse gubernator, & non plures: & cùm totum genus humanum unus populus sit, qui optima Constitutione & Institutione (volentium ad invicem vivere & communicare) regi debeat, necesse est esse Principem supremum, à quo
C ceteri dependeant, & illi Supremo in omnibus pareant. Præcipua ratio inter ceteras est ista: Si non sit Supremus aliquis à quo ceterorum Jurisdictio dependeat, poterunt esse aliquæ in aliqua Communitate non subordinatæ Jurisdictiones, quarum quilibet illas exercens erit Supremus & nulli alteri subjectus; ergo poterunt esse plures Superiores non habentes Superiorem. Sed hoc, optimo modo regendi obviare videtur; quia si sint plures Superiorem non habentes, quorum neuter sit alteri subjectus; vel præerunt eidem populo, vel diversis. Si eidem populo, ergo non poterit populus exhibere quod est exhibendum Superiori; quia si ambo simul contraria præcipiant, non poterunt subditi suis Superioribus parere; ergo necesse erit ut sint alteri inobedientes, & ad impossibile obligati, quod est impossibile: ergo in Communitate benè ordinata, non possunt esse duo Principes non subordinati. Si autem illi duo Superiorem non habentes præsint diversis populis; ergo illæ Communitates non erunt benè ordinatæ. Patet: inter illos populos possunt
D esse dissensiones; cùm natura humana sit prona ad dissentiendum, & inter diversos Superiorem non habentes, leviter poterit oriri discordia, quæ per Superiorem sedari non poterit: discordia autem inter majores Superiorem non habentes periculosa est, secundùm Aristotelem, 6. *Politic. cap. 9.* Ergo si non sit aliquis Superior ad utrumque illorum populorum, & ad utrumque istorum qui præsunt istis duobus populis, tales Communitates non sunt benè ordinatæ. Ergo dicit Doctor, oportet confiteri quòd sit unus aliis omnibus Superior, à quo cunctorum Potestates & Jurisdictiones dependeant, & non videtur alius à Summo Pontifice: ergo si Jurisdictio omnium alio-

Digitized by Google

aliorum dependeat à Summo Pontifice; tunc nec Imperator, nec alius Princeps debet Jurisdictionem temporalem exercere, nisi sibi à Summo Pontifice committatur. Et hæc est summa hujus opinionis, scilicet quòd omnis Jurisdictionis authoritas dependeat à Summo Pontifice.

CAP. II.

Alia est opinio, quòd nec Papa, nec Romana Ecclesia, &c.

Jurisdictio Civilis, nec actu, nec regulariter potest competere Pontifici, aut Ecclesiæ Romanæ.

VIsum est de Jurisdictione Principum secularium, ad quos spectat maleficos & in corpore & in bonis punire; & illa prima est Jurisdictio quæ vocatur coërcitiva, & authoritas publica maleficos damnandi contrahitur à populo: & in primo capite fuerunt allegatæ opiniones, unà quòd nullus Princeps temporalis potest justè actum Jurisdictionis exercere, nisi ex commissione Papæ & Romanæ Ecclesiæ. Nunc in isto secundo capite ponitur secunda opinio, quæ dividitur in tres modos dicendi partiales; & universaliter ista opinio dicit, quòd Principes seculares, absque commissione Papæ & Romanæ Ecclesiæ, possunt Jurisdictiones seculares licitè exercere, ita quòd *Nec Papa, nec Ecclesia, habent, ex institutione Christi, quod debeant illas Jurisdictiones illis Principibus secularibus committere.*

Marsilius de Padua, circa hanc materiam ponit tria dicta. Primum, quòd Papa nullam habet Potestatem coërcitivam, sive coactivam, ex institutione Christi, & quòd nullus habet Potestatem excommunicandi, nisi ex beneplacito populi, aut Principis; & nititur hoc deducere ex authoritate Pauli, qui excommunicavit fornicatorem, convocato populo. Secundò dicit, quòd Papa non est exemptus ab habente Potestatem coactivam, imò ipse subjectus est Principi seculari habenti Potestatem coactivam. Tertium dictum, quòd si delinquat, vel in spiritualibus, vel in temporalibus, à Principe venit coërcendus: sed ista opinio, quantùm ad multa, est damnata & scandalosa; quod patet per usum contrarium; nam excommunicare potest Papa, & quotidie facit, sine consensu populi; ergo, &c.

Secundus modus dicendi est, quòd Papa, quantùm ad spiritualia, habet Potestatem coactivam per Censuras spirituales, putà per Excommunicationem, ut in peccatis contra Sacramenta, & contra Evangelium; sed in temporalibus, nec habet regulariter, nec casualiter Potestatem coactivam, ex institutione Christi, sed si habeat, hoc est à Principe, vel populo.

Tertius modus dicendi est, Papa habet Potestatem coactivam per Censuras spirituales in spiritualibus, sed in temporalibus non habet illam *regulariter*, *sed solùm casualiter.* Et videtur difficultas ex varietate textuum, an videlicet Papa, ex institutione Christi, in causis purè laïcis, habeat Potestatem discernendi, judicandi, & cogendi.

Opinio Juristarum, quantùm ad hoc, est quòd Summus Pontifex non habet *regulariter*, sed *casualiter*: *regulariter*, hoc est, non debet exercere illa quæ sunt Potestatis puræ laïcæ; ideò dicunt illum illam habere in habitu, sed non in actu, quia *casualiter* potest & debet, putà in duobus casibus. Primus, quando deest Princeps secularis. Secundus, si Princeps secularis non possit, vel negligat illam exercere. In talibus casibus potest, imò tenetur Papa administrare justitiam in rebus temporalibus: ideò casualiter orta quæstione de possessione aliqua, Ecclesiastici possunt se intromittere, non tamen regulariter, sed in duobus tantùm casibus priùs tactis. Quantùm ad primum, *Extravag.* in cap. *Licet*, *De foro competen.* quòd vacante Imperio, potest Papa se intromittere de negotiis temporalibus. Quantùm ad secundum, in cap. *Ex tenore*, eodem titulo: nam si Imperator non vult causam terminare, Papa debet, ex institutione Christi, illam terminare. Propterea, ex institutione Christi, habet Jurisdictionem laïcam in habitu, sed non in actu. Datur simile; si Duces subjecti Regi, nollent Jurisdictionem administrare, tunc debet Rex illam administrare, & illam habet in habitu: similiter dicendum est de Summo Pontifice.

Doctor arguit pro ista opinione, & non arguit particulariter pro aliquo istorum trium modorum, sed universaliter pro tota opinione. Ille non habet suam Jurisdictionem ab illo cujus est Dominus, quia nunquam Dominus habet Jurisdictionem à servo; sed Imperator est Dominus Papæ in temporalibus, nam habetur Textus 11. q. Can. *Sacerdotibus*, ubi Papa vocat Imperatorem Dominum suum; ergo est Dominus ejus. Secundò, ad rem, arguitur ratione, quòd Papa sit subjectus Imperatori, in qua fundant se Doctores, quæ videtur eis peremptoria: Quælibet res transit cum onere suo, nisi super hoc habeatur speciale privilegium: sed prædia quæ transierunt de novo in Dominium Papæ, putà per collationem Principum, ut Constantini, & Regis Franciæ, putà in Avinione, illa erant Imperatori & Principibus subjecta; ergo transierunt cum tali onere, nisi super hoc habeatur speciale privilegium. Ergo Papa quantùm ad illa, est Imperatori & Regibus subditus. Unde dictum est, quòd Principes non solùm habent Potestatem in res, sed etiam in personas, quia possunt incarcerare & occidere. Dico tamen quòd, quantùm ad istam Potestatem quæ respicit personas, est apparentia quòd Papa sit exemptus, ita quòd Imperator non potest incarcerare, nec occidere eum, quamvis commiserit crimen tali pœna dignum: sed quantùm ad ipsas res, quòd Jure divino sit exemptus, nulla est apparentia. Ergo dicit Doctor: ad minùs habetur quòd ratione prædiorum quæ transierunt cum onere suo in Dominium Papæ (& quæ antequam transirent erant subjecta Principi, quantùm ad Jurisdictionem, ratione illorum habens Dominium) efficitur subjectus alteri habenti Jurisdictionem super illa. *De foro competen.* cap. ultimo. Patet hoc: persona dupliciter efficitur subjecta; uno modo, ratione criminis; alio modo, ratione possessionis.

Resolutio est, quantùm ad primum modum dicendi Marsilii de Padua: Erroneum est quòd Papa non habeat Potestatem coactivam in nullis rebus. Item uterque duorum secundorum modorum est probabilis, videlicet quòd Papa in rebus purè civilibus nullam Jurisdictionem, nec regulariter nec casualiter habeat, Jure divino, & ex institutione divina; vel quòd habeat non regulariter, sed casualiter, putà in duobus casibus tantùm supra numeratis, scilicet si nullus sit Judex temporalis, & si non potest exercere, vel negligat, probabile est quòd casualiter, in illis duobus casibus, habeat Jurisdictionem administrandi in temporalibus.

CAPUT III.

His opinionibus breviter &c.

Papa in spiritualibus, non in temporalibus, est Superior Principum Laïcorum.

JAm nititur solvere unam rationem opinionis præcedentis, & resolutio Doctoris est, quòd Papa non

non habet committere Principibus secularibus Jurisdictionem civilem, sed illam habent à populo. Sed arguitur pro parte opposita sic: Communitas volentium ad invicem vivere, & in actibus civilibus conversari, inter quos potest oriri discordia, non est benè ordinata, nisi sit aliquis Superior qui possit illorum causas & discordias terminare, aliàs sequerentur bella & multa alia inconvenientia; sed tota A Communitas omnium Christianorum, est Communitas volentium ad invicem vivere, &c. ergo non est benè ordinata, nisi sit unus Superior: sed non potest dari talis Superior, nisi Papa; ergo est omnium Christianorum Superior: sed inferiores non habent Jurisdictionem nisi à Superiore; ergo omnes habent suas Jurisdictiones ex commissione Papæ.

Quantùm ad hoc argumentum; concessa Majore, negatur Minor, putà quòd talis Supremus non potest esse alius præter Papam; imò secundùm unum modum dicendi, est aliquis alter à Summo Pontifice, ex electione populi, & consensu majoris partis, aut sanioris, cui etiam Papa est subjectus, saltem in temporalibus, scilicet Imperator: & ista est prima solutio. Hoc etiam dicit Marsilius de Padua. Secunda solutio tangitur à Doctore, ubi aliter respondetur, & ista secunda solutio est melior: & dico quòd omnium Christianorum est unus Superior, qui potest causas terminare spirituales, ut Papa, & alter qui potest causas civiles, ut Imperator. Sed quid dicendum, si Reges non sunt subditi Imperatori? Dico, quòd sufficit quòd sint duo vel plures Superiores, unus uni parti præsidens, & alter alteri, ut Sortes Gallus, & Plato Hispanus, nullus est amborum Superior: sed quilibet habet suum Superiorem, & ortâ discordiâ inter illos, *Actor sequatur Forum rei*, ut Gallus conveniat Hispanum, coram suo Judice, & Principe Hispano; & Hispanus Gallum, etiam coram suo; ideò non requiritur quòd utriusque sit unus Superior, sed quòd quilibet habeat suum Superiorem: & dummodò isti Superiores sint prudentes, poterunt suas Communitates optimè regere.

CAP. IV.

Porrò quia ista videntur, non, &c.

Principatus omnis, tùm Ecclesiasticus, cùm Laicus, non est institutus propter Principem, sed propter populum.

Videnda sunt pertinentia ad bonum Principatum. Primum, quòd sit ordinatus in bonum commune, & non in utilitatem alicujus personæ privatæ; unde Aristoteles non solùm ponit differentiam boni Principatus à Tyranno, sed etiam à Despotico licito, quia Principatus est ordinatus ad communem utilitatem. Isto modo, Christus instituit Principatum Sacerdotalem propter utilitatem communem, & non propter bonum privatum Petri & successorum: talis autem Principatus Papalis & Episcopalis, est ex ordinatione Christi, quod insinuatum est à Christo, cùm Petrum fecit Papam, dicendo: *Pasce oves meas*, Joan. XXI. 17. quasi dicat, super oves meas te Principem constituo, ut non tollas ab eis lac & lanam, nisi pro necessitatibus tuis, juxta illud 1. ad Corinthios IX. 7. *Quis pascit gregem, & de lacte ejus non manducat?* Ecclesiastici enim habent titulum petendi & exigendi temporalia, pro spiritualibus, ut patet ex illa authoritate Pauli. Principatus ergo Apostolicus est ordinatus, non propter bonum Principantis; sed propter bonum commune subjectorum, ad obtinendum Regnum cœlorum: & ideò Petrus dicit aliis Pastoribus, 1 Petr. V. 2. *Pascite qui est in vobis gregem Dei.* Ex istis authoritatibus habetur manifestè, quòd Principatus Apostolicus est institutus propter bonum commune. *Propterea, si Petrus aliquid instituisset contra libertatem alicujus particularis personæ, ubi non fuisset necessitas aut magna utilitas, illa institutio, sive præceptio, non obligasset.* Nam quæ fiunt à Judice, & in illa materia in qua non habet Potestatem judicandi, nullius sunt efficaciæ. Unde non fuit data Petro Potestas, nisi in utilitatem subditorum: quare si Papa ferat Sententiam Excommunicationis, & non pro causa vera vel apparente, non est timenda.

CAP. V.

Secundò, ad optimum Principatum, &c.

Monarchiam præferendam esse omnibus aliis formis Principatuum, aut Politiarum: & de fine eorumdem Principatuum.

Visum est an Principes seculares habeant suas Jurisdictiones à Papa; & est opinio communis inter Doctores Parisienses quòd non. Imò, B antequam esset aliquis Summus Pontifex, erant Principes seculares habentes suas Jurisdictiones: & ille modus est tripartitus, ut visum est; nam dicebat Marsilius, quòd Papa nullam habet Potestatem coactivam. Alii quòd habet in spiritualibus coactivam, sed non in temporalibus, nec regulariter. Alii, quòd in temporalibus non regulariter, sed casualiter; & est opinio Juristarum, cap. *Licet*, & cap. *Ex tenore, De Foro competenti*. Item dictum est, quòd ad optimum Principatum requiritur quòd unus principetur propter utilitatem communem; & hoc fuit deductum in 4. capite. In isto 5. capite, Doctor assumit secundùm quod convenit optimo Principatui, quòd Principans sit unus, sicut Principatus est unus; ita quòd ad optimum Principatum de necessitate requiritur quòd unus principetur, qui sit Superior ceteris omnibus.

C Pro isto potest multipliciter argui, ex mente Aristotelis in 3. *Politic.* Nihilominùs Doctor adducit præcipuam rationem Aristotelis, quam facit loco præallegato, volens probare quòd Principatus Regalis, in quo Principans est unus, sit melior Principatu Aristocratico, in quo pauci principantur; & Timocratico, in quo multi principantur: & sub Regali Principatu, comprehenditur omnis Principatus in quo unus solus dominatur, sive sit Dux, sive Comes, vel Baillivus. Et arguitur sic: Ille Principatus est melior, qui conservat subjectos in amicitia, pace, charitate, & concordia, prohibendo & impediendo discordias, rixas, & tumultus inter subditos: sed Principatu Regali ista maximè vitantur; ergo est principalis inter ceteros, & omnium optimus: & ista Propositio est manifesta; quia *Omnis Principatus est ordinatus ad conservandam charitatem & pacem inter subditos, & ad vitandam dissensiones & rixas inter illos.* Ergo ille est optimus, quo D maximè servantur illa, & maximè vitantur illa, cujusmodi est Regalis. Igitur quòd talis sit optimus qui talia facit, patet per multas authoritates Scripturæ. Unde & Princeps pacis Christus, super cujus humerum factus est optimus Principatus, corporaliter ab Apostolis & ceteris fidelibus recessurus, ipsis dilectionem & amicitiam singulariter imponebat, dicens: Joan. XV. 12. *Hoc est Preceptum meum, ut invicem diligatis*, & cap. XIV. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, & XVI. 33. ait, *in me pacem habeatis*, & *Matth.* X. 12. dicit Apostolus: *Intrantes domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui.* Finis ergo Principatus cujusli-

Digitized by Google

cujuslibet, est conservatio pacis subditorum, & vitatio discordiarum: sed hoc maximè fit per Principatum Regalem. Pro cujus declaratione, notandum est, quòd dissensio proveniens in Regno, non potest nisi tripliciter provenire. Vel provenit inter subditos, putà cum subditi dissentiunt inter se. Secundò, vel cum est dissensio subditorum, ad Principem: vel Principis ad subditos, & isti duo ultimi modi coincidunt. Sed in Principatu Aristocratico vel Timocratico, potest provenire dissensio & subditorum ad subditos, & subditorum ad Principantes; & unius partis Principantium, ad alteram partem Principantium: sed per Principatum Regalem, faciliùs conservatur pax subditorum, & vitatur discordia inter ipsos; ergo. Insuper dicit Doctor, quando dissentiunt subditi inter se, illa dissensio facilè sedari potest per Principantem: sed si oriretur dissensio Principantium ad Principantes, etiam ad omnes alios faciliter se diffundet, ut testatur Aristoteles, *Politic. 5. Cap. 9.* Ideò difficile esset illam sedare, propterea quòd subditorum pars adhæret uni parti, & altera alteri, & sequitur dissensio in populo; ergo dissensio proveniens in Principatu Aristocratico vel Timoratico, est multò gravior & perniciosior, quàm illa quæ provenire potest in Principatu Regali.

Resolutio Doctoris post Aristotelem, & communiter omnium Doctorum est, quòd ad optimum Principatum requiritur, quòd sit unus Principans. Ratio præcipua Aristotelis est, quia quando est unus Principans, in dissensionibus, facilior est recursus ad Principantem, quàm quando sunt plures Principantes: ergo Regalis est melior.

Dices: dicit Sapiens, Proverb. xi. 14. *Salus ubi consilia multa*; sed in Principatu Aristocratico & Timocratio sunt multa consilia, & plura quàm in Regali; ergo est præstantior Regali, nam Princeps ad hoc est ordinatus, ut prævideat pericula imminentia & illis obsistat: sed hoc meliùs prævident plures sapientes, quàm unus solus, *Plura enim vident oculi, quam oculus*; quod unus non videt, alter videt, & hoc de necessitate requiritur, putà prævisio periculorum imminentium, & eorum quæ possunt ducere Rempublicam ad interitum & ruinam. Ergo melior est Principatus Aristocraticus, vel Timocraticus, quàm Regalis, & hoc est præcipuum Argumentum partis adversæ, tenentis oppositum. Ad hoc respondet Sanctus Thomas, in Lib. *De regimine Principum*, & post eum Ægidius de Roma; supposito quòd omnes homines essent boni, non quærentes nisi quod justum est, & homini & Reipublicæ, melior esset Principatus Aristocraticus, vel Timocraticus, quàm Regalis: nam duo aut tres quærentes bonum commune, meliùs provident, quàm unus. Sed supposita conditione & perversitate, quæ jam reperitur inter homines, quia unusquisque, saltem pro majori parte, quærit quod suum est, & non bonum commune: supposita ergo tali perversitate hominum, pro majori parte, & etiam quia *Stultorum infinitus est numerus*, Eccle. 11. 15. & ex multis Principantibus, quilibet niteretur acquirere sibi majores divitias & honores, & ex hoc facile oriretur dissensio inter Principantes, in perniciem boni communis; ideò, supposita conditione hominum nunc viventium, præstentior est Principatus Regalis,

CAP. VI.

Consequenter restat inquirere, &c.

De Plenitudine Potestatis, & aliis quæ repugnant, aut conveniunt optimo Principatui.

VISUM est quomodò duo requiruntur ad optimum Principatum. Primum: quod instituitur propter bonum commune. Secundum, quòd sit unus Principans. Nunc videndum est quæ sunt incompatibilia illi Principatui optimo, & quæ sunt impertinentia.

Primò, est incompatibile illi Principatui, in quantum hujusmodi, habere servos propriè dictos, non dico locatitios, imò necesse est illos locatitios habere. Ratio est; nullus est in servitutem redigendus, nisi propter ejus culpam: ergo de ratione optimi Principatus, repugnat illi habere servos propriè dictos, puta quòd necessariò sint servi tali Principanti, & est præcipua ratio quæ majorem habet apparentiam. A Nam secundùm Aristotelem 1. *Polit.* Melior est Principatus liberorum, quàm servorum; quia melior est Principatus qui est meliorum subditorum, sicut melior est Principatus hominum, quàm bestiarum: liberi autem sunt meliores, quàm servi: quare Principatus servorum non est optimus judicandus: melius est enim principari bonis, quàm malis: ergo iste Principatus qui est super omnimodò liberos, hoc est, qui non sunt servi emptitii, est melior, & hunc vocat Aristoteles Regalem. Unde in plerisque locis habentur tales servi emptitii & abjecti, sed hoc repugnat optimo Principatui, putà quòd de ratione illius sint tales servi abjecti & addicti Principanti, sive sint boni, sive sint mali.

Ultrà, repugnat optimo Principatui plenitudo Potestatis in temporalibus. Patet: illud repugnat quod est in damnum & perniciem subditorum; sed ista pleB nitudo Potestatis in temporalibus est ejusmodi. Nam est in perniciem Reipublicæ, quòd Princeps possit res cujuscumque privatæ personæ in Dominium alterius transferre, pro libito suo; & hoc posset, si haberet illam plenitudinem Potestatis de qua dictum est prima quæstione, in capite 6.

Consequenter, restat inquirere quæ possunt adesse & abesse optimo Principatui, & breviter dicitur quòd ad optimum Principatum spectat unicuique quod suum est reddere, hoc est, Justitiam administrare, Leges condere, Judices inferiores & alios Officiales deligere & constituere, operationes quarumcumque virtutum præcipere, & quilibet Princeps, ex officio, ad ista tenetur: sed tamen ad hoc videtur esse principalissimè constitutus, ut corrigat & puniat delinquentes. Patet 1. Tim. 1. 9. *Lex justo non est posita, sed injustis, & non subditis.* Præcipuum C igitur quod pertinet ad Principem est peccatorum correctio. Patet: Principes ad hoc maximè sunt creati, propter mutuam & pacificam tranquillamque conversationem subditorum fovendam, & discordias dissidiaque sedanda: & nihil aliud vult dicere in isto 6. capite, quàm quòd Princeps inter cetera, magis debet intendere punitioni malorum; ita quòd actus principalis, propter quem Princeps est institutus, est delinquentium punitio & correctio.

Ex his patet quæ sunt optimo Principatui necessariò annexa, & quæ incompatibilia, & quæ impertinentia, & dictum est quòd ad optimum Principatum, necesse est quòd sit propter bonum commune, & quòd Principans principetur liberis, & non servis, & quòd sit unus Principans, & non plures. Item, D repugnat optimo Principatui habere plenitudinem Potestatis, putà quòd possit, ad placitum suum, transferre rem meam in alterum, sine quocumque meo peccato vel causâ, & facere quidquid non repugnat Juri naturæ & divino: & visum est etiam quomodò præcipuus actus Principantis, est mulorum punitioni intendere.

Digitized by Google

His visis dicitur quòd optimo, &c.

De iis quæ non repugnant optimo Principatui.

JAm Doctor infert aliqua Corollaria.

Primum Corollarium.

NOn repugnat optimo Principatui Supremo optimè ordinato, aliquam esse Potestatem juridicam alicujus, vel aliquorum de Communitate illa, quæ nullomodò ab ipso Supremo Principante dependeat, & quæ non sit ab ipso instituta, hoc est quæ non dependeat ab ipso, nec quo ad institutionem, nec quo ad destitutionem, saltem regulariter. Patet: dictum est quòd optimus Principatus est institutus propter bonum commune, & malorum correctionem; ergo si non impediat malorum coërcitionem, ita quod nullus delinquens in illa Communitate justam & debitam effugiat ultionem, non repugnat Supremo Principatui, esse aliquam talem Jurisdictionem, B quæ nullomodò dependeat ab ipso Supremo, nec quo ad institutionem, nec quo ad destitutionem; nec etiam talis Jurisdictio bono Communi repugnat. Patet sic: undecumque coërceantur malefactores, dummodò coërceantur per Potestatem aliquam, undecumque sit talis Potestas, vel à Supremo, vel ab altero, non est impertinens bono communi, si puniantur per Potestatem publicam & coërcitivam; ergo corollarium verum. Hinc est quòd in aliquibus Regnis, ut fertur in Regno Arragoniæ, Rex non habet instituere Jurisdictiones, imò est aliqua Potestas juridica quæ habetur ex successione parentum: ita quòd post Patres, filii sunt Judices, & filii filiorum erunt Judices, nec illos Rex potest destituere, imò sunt supra Regem, quantùm ad illam Jurisdictionem.

Secundum Corollarium.

NOn repugnat optimo Principatui, aliquam personam Politiæ esse regulariter exemptam ab ejus Jurisdictione, dummodò sit casualiter subjecta, puta ratione criminis ab ea commissi: dicitur regulariter, quia ut patet in 1. corollario, non repugnat optimo Principatui aliquam personam habere Jurisdictionem, quæ nullomodò dependeat à Supremo Principante; ergo illa non regulariter est subjecta, sed benè casualiter, putà si peccat talis persona in Rempublicam, tunc ad Supremum Principatum spectat illam punire.

Tertium Corollarium.

NOn repugnat optimo Principatui & Supremo, correctionem illius personæ sic regulariter exemptæ ad aliquem alterum, vel ad aliquos spectare, D quàm ad Supremum Principantem. Patet sic; quicquid non repugnat bono communi, est compatibile optimo Principatui & Supremo, sed quòd ista persona sic exempta puniatur ab aliis quàm à Supremo Principante, non est repugnans bono communi, & punitioni malorum; ergo, &c. Unde ponit ista Doctor, volens dicere quòd Papa non est Supremus Principatus in Politia; sed Imperator, si foret aliquis ex universali consensu totius populi. Ultra dicit, quòd non obstante quòd ipse Imperator sit Supremus Principans; non tamen repugnat quin Papa habeat Potestatem coërcitivam, putà excommunicandi illum. Similiter Papa est regulariter exemptus à Principe, quia non potest eum Imperator, pro qualicumque crimine punire, dato quòd Papa committeret crimen quod scandalizaret totam Ecclesiam, adhuc regulariter non spectat ad Supremum Principantem eum punire, sed ad Concilium Generale.

Resolutio ergo talis est. Non repugnat optimo Principatui & Supremo, esse Potestatem aliquam in A Politia quæ non dependeat ab eo, neque quo ad institutionem, neque quo ad destitutionem: præterea non repugnat esse personam exemptam à tali Principante, quantùm ad correctionem, quin possit per alios fieri, quàm per Supremum Principantem.

CAP. VII.

Sanè licèt præscripta opinio, &c.

Quo in casu Monarchia mutari debeat in Aristocratiam, aut Democratiam.

IN hoc septimo capite vult dicere Doctor quòd quamvis supra dicta de optimo Principatu sint vera, tàm de Principatu universali, quàm particulari regulariter; nihilominùs, ille Principatus Regalis, in casu, non est optimus, imò mutandus in Aristocraticum, vel Timocraticum. Patet; in casu quo Principans esset tyrannus, vel quando plures aspirarent ad principandum, & meliùs servaretur bonum commune per plures Principantes: ideò casualiter alius Principatus potest esse melior quàm Regius, dummodò semper servetur prima conditio necessariò requisita ad bonum Principatum, putà quòd sit propter bonum commune. Et secunda conditio, putà quòd unus principetur, casualiter potest esse falsa, putà si ille unicus ad tyrannizandum aspiraret, & declinaret; tunc optimus Principatus non esset simpliciter omnium optimus, imò multis esset nocivus, quemadmodùm declarat Doctor in præsenti capite. Reliqua autem quæ dicit, clara sunt; quare C transeo ad aliud, in quo solvuntur rationes probantes, quòd debet esse unus Supremus Principans.

CAP. VIII.

Per scripta puta, &c.

Solutio Argumentorum Capitis primi, unicam Monarchiam confirmantium.

IN hoc capite solvuntur rationes probantes quòd debet esse unus Supremus Principans. Arguitur sic; In omni Communitate aliquorum volentium communionem habere ad invicem, & habere contractus, ratione quorum possent oriri dissensiones & discordiæ, necesse est habere Supremum in illa Communitate, à quo ceteræ Potestates & Jurisdictiones dependeant: sed tota Communitas mortalium est congregatio, &c. Ergo oportet quòd sit unus Supremus, à quo ceteræ Potestates & Jurisdictiones dependeant. Sed nullus potest esse nisi Papa, quia Potestas ejus non dependet nisi à Deo, & non à Principe, vel Regibus. Ad hoc argumentum, negatur Major; quia non repugnat optimo Principatui esse aliquam Jurisdictionem quæ non dependeat ab illo, ut dictum est in primo corollario, & sufficit quòd casualiter dependeat, & non regulariter.

Alia ratio præcipua. Si sint duo præcipientes non subordinati, & ambo vocent eandem personam juridicè, talis persona erit perplexa. Exemplum: ut si Imperator vocet Sortem pro re civili, & Papa, eodem tempore, vocet eundem pro re Ecclesiastica; si istæ Pote-

Digitized by Google

Potestates sic se haberent, quòd nulla ab altera dependeret, jam Sortes esset perplexus: nam si vadat ad Papam, contemnit Imperatorem & peccat, quando res est licita; & è contra, si vadat ad Imperatorem, contemnit Papam. Ergo Politia non erit optimè ordinata, si sint duæ Potestates coërcitivæ in Communitate, & nulla dependeat ab altera. Doctor respondet, negando quòd sequatur personam in aliquo casu esse perplexam; quia vel in vocatione ambo explicant causam quare vocant, vel non: si explicant causam, vadat ad eum qui urgentiorem explicat causam; ut Rex vocat Sortem, ut defendat civitatem, quia imminet periculum, similiter Papa vocat illum pro causa non tam urgenti; debet tunc obedire Regi, ideò debet ire ad illum qui causam urgentiorem explicat, secundùm quod vir prudens judicabit, in illis exercitatus. Si verò nullus explicat causam, dico quòd necessarium est ire ad Supremum Principantem; ut si Papa & Rex vocant me, apparentia est quòd debeo ire ad Regem: *Nam Rex habet majus dominium in corpora nostra, quàm Papa, quia non dominatur corporibus.*

Contrà. Potestas Papæ à nullo dependet, nisi à Deo; sed Potestas Regalis ab alio dependet, putà à populo: ergo Papa habet Potestatem immediatè à Deo, & per consequens majorem. Respondent, quòd dupliciter intelligitur Potestatem aliquam dependere à Deo. Uno modo quòd nullus præter Deum illam instituit, & sic Potestas Papalis dependet à Deo. Alio modo, quòd Deus illam conferat, nullo requisito creato, & sic Potestas Papalis nunc non sic dependet à Deo, quia prærequiritur electio; sed illa quæ fuit in Petro à solo Deo dependebat. Tertio modo, quòd à solo Deo dependeat, quantùm ad destitutionem, & sic Potestas Papalis non à solo Deo dependet, quia Concilium Generale potest destituere ipsum Papam.

Dico ergo tria. Primum, Potestas Papalis dependet à solo Deo, quantùm ad institutionem. Secundum, non dependet à solo Deo, quantùm ad novam collationem, quia requiritur electio. Tertium, neque dependet à solo Deo, quantùm ad destitutionem. Dico ultra quòd Potestas Regalis non dependet à solo Deo, quantùm ad illa tria supradicta. Unde argumentum benè probat, quòd Potestas Papalis est dignior quàm Regalis; sed non probat quòd ipsa sit supra Potestatem Regiam, quantùm ad institutionem & destitutionem.

Resolutio ergo hujus quæstionis tertiæ est: Potestas Jurisdictionis Principum secularium non dependet nec à Papa, nec à Romana Ecclesia, imò Papa illam Jurisdictionem laïcam non habet, nisi ex collatione Imperatorum & Principum, aut ex præscriptione. Opinio verò Juristarum est communis, quòd Summus Pontifex habet eam, saltem in habitu, hoc est, si talis Princeps qui habet eam regulariter, negligat illam exercere, vel non possit, tunc ad Papam spectat illam exercere, & hoc, est habere in habitu, in capite *Novit*, *De Judiciis.*

QUÆSTIO QUARTA.

CAPUT UNICUM.

IN præcedenti Quæstione visum est utrùm Principes seculares habeant suas Jurisdictiones à Summo Pontifice, vel ab Ecclesia Romana. Resolutio fuit quòd non, & Doctor in tertia Quæstione nihil aliud requisivit, nisi quæ requiruntur ad optimum Principatum, & quæ sunt illi repugnantia, & quæ compatibilia, & quæ impertinentia; & præsupponebat Summum Principatum non esse in Summo Pontifice; sed Supremum Principantem, si aliquis esset in toto Orbe, esse laïcum, &c. Consequenter in ista quarta Quæstione quærit, *Utrùm electio alicujus in Regem Romanorum, eo ipso quo est electus, habeat in terris Imperialibus Jurisdictionem & plenitudinem administrationis; vel eo ipso quo est unctus & coronatus per Summum Pontificem*, & hæc materia ampliùs tractabitur in octava Quæstione. Hujus duo sunt modi dicendi. Et primò, supponendum est, quòd postquam Constantinus cessit Imperio Occidentali, & transtulit Imperium in Potestatem Papæ; primus qui
A imperavit ab illo tempore in partibus Occidentalibus, fuit Carolus Magnus filius Pipini, qui substitutus fuit loco Childerici, ab ipso Zacharia Papa depositi, in Can. *Alius*, 15. *qu.* 6. Secundò, supponendum est, quòd antequam Carolus Magnus imperaret, erat Rex Francorum Jure hereditario proveniente à Patre suo Pipino. Item, supponitur quòd antequam ipse Carolus Magnus esset Imperator, vi belli justi, multas Terras & Regiones acquisiverat, scilicet majorem partem Italiæ, & Alemaniæ, & Vasconiam: nam qui ibidem regnabant, vel erant infideles, vel inimici Ecclesiæ, & sic justo bello acquisiverat; ideò antequam esset Imperator, in multis Regnis erat Princeps.

Istis suppositis, dicit prima opinio, quòd Rex Romanorum antequam sit coronatus, habet Jurisdictionem in rebus & Provinciis in quibus Carolus
B Magnus justè dominabatur antequam esset Imperator: & ista prima opinio dicit duo. Primum, quòd Rex Romanorum, eo ipso quod est Rex Romanorum, antequam confirmetur & coronetur, in rebus in quibus Carolus Magnus habebat Potestatem principativam, antequam esset Imperator, habet etiam, antequam sit Imperator. Secundum dictum, quòd in rebus Occidentalibus, in quibus nihil administrationis habebat Carolus Magnus, antequam esset Rex Romanorum, nihil habet Juris.

Secunda opinio quam tenet Communitas Principum Germaniæ; quòd eadem est Jurisdictio penitùs, & administratio Regis Romanorum, & Imperatorum; ita quòd solùm est acquisitio novi nominis in consecratione & coronatione, & non alicujus novi Juris: ita quòd quamcumque administrationem habet Imperator, eandem habet Rex Roma-
C norum, & in quibuscumque Terris & Regnis; ita quòd confirmatio, vel coronatio quæ fit per Summum Pontificem, vel Legatum ejus, non dat electo novam administrationem, sed solùm novum nomen, quia vocatur Imperator tunc, & non priùs vocabatur. Unde ista opinio opinatur & supponit, quòd antequam esset aliquis Papa, institutus erat Imperator, & vocabatur Rex Romanorum. Tunc arguitur sic: Rex Romanorum qui nondùm est coronatus, est successor & heres illorum Imperatorum qui erant ante Papam; sed quilibet successor in re, succedit in tanta Potestate, quantam habet ille cui succedit, per Regulam Juris, *Si quis. Lib.* 6. Ergo iste qui nunc est Rex Romanorum, quamvis non sit coronatus, succedit in tanta Potestate, quantam habebant prædecessores ejus, qui fuerunt antequam unquam esset Papa. Ergo eo ipso quòd Rex est Romanorum, habet tantam administrationem & Potestatem, quantam habuerunt illi qui præcesserunt
D Papam.

Doctor in tertio capite nititur ponere differentiam inter has duas opiniones. Prima dicit, quòd nullus est legitimus Rex Romanorum & Imperator inter illos qui fuerunt post Carolum Magnum, & quòd nihil Juris habent in Regno & Imperio, nisi in quantum sunt ejusdem Caroli Magni successores; non solùm in quantum fuit Imperator, sed etiam in quantum fuit Francorum Rex, hereditate succedens Pipino Patri suo, qui, deposito Childerico, Rex Francorum subrogatus fuit; ut ad longum patet in historiis, & in quantum idem Carolus Magnus, per bella justa & licita, sibi

Digitized by Google

multas Terras acquisivit, & Regno Francorum adjunxit.

Secunda opinio. Ut aliquis sit Rex Romanorum & Imperator, non oportet quòd succedat Carolo, ut Regi Gallorum; sed sufficit quòd succedat Carolo Imperatori, imò succedunt, & sunt successores principaliter primorum Imperatorum & Regum Romanorum, quorum nonnulli fuerunt temporibus Christi & Apostolorum, ideò non sunt successores Caroli, nisi in quantum ipse fuit successor primorum Imperatorum. Patet; nam est magis apparens quòd Cæsar Augustus fuit Imperator, quàm Carolus Magnus; est enim approbatum ex Sacris Literis, A & ex verbo Christi, quòd fuit verus Imperator ipse Cæsar Augustus: dicit enim Christus; *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, Matth. XXII. 21. & non dicit reddite quæ Cæsar dicit esse sua, sed quæ de facto sunt Cæsaris. Ex illo passu habetur certitudo, quòd Cæsar erat verus Imperator. Similiter, *Actuum* XX. Paulus appellavit ad Cæsarem; ergo testatur Paulus quòd habebat Potestatem judicandi ipsum: ergo in Judæa habebat Cæsar verum Dominium Jurisdictionis; ergo ex Sacris Literis satis habetur quòd fuit verus Principans. Ergo si aliquis sit verus Rex Romanorum & Princeps, est magis illorum successione qui erant tempore Christi, quàm Caroli Magni; ergo Imperator, qui nunc est magis successor illorum qui fuerunt tempore illo. Unde non est nobis certum de Carolo Magno, nisi per quasdam historias, & Decreta Pontificum: sed est Articulus Fidei, quòd illi fuerunt, tempore Christi, veri Imperatores. Prima opinio dicit, quòd nullus est verus Rex Romanorum, nisi ut succedit Carolo filio Pipini & Regi Gallorum. Secunda opinio dicit, quòd sufficit quòd succedat Carolo Magno, ut Imperatori; sed veriùs succedit, ut Augusto, & vocantur Imperatores Augusti.

Ultra dicit secunda opinio, in quo jacet difficultas, quòd nunquam fuit aliquis legitimus Rex Francorum, ante Carolum Magnum, ita quòd Pipinus & Childericus non fuerunt veri Reges Francorum; ergo Carolus Magnus non fuit verus Rex Francorum, nisi postquam Imperator factus est. Patet sic: nam si aliquis fuerit legitimus Rex Francorum, antequam Carolus Magnus esset Imperator; vel fuit eo ipso quòd Pater ejus erat verus Rex Francorum, vel fuit cum consensu populi, vel ex eo quòd Papa illam Potestatem ei contulit: sed nullum istorum est C dicendum, & supponitur quòd Romani aliquando verum Principatum habuerunt in Regno Francorum. Hoc supposito, Galli post illud Jus, rebellaverunt Imperatori, & sibi Regem constituerunt. Hoc supposito, vult probare Doctor quòd antequam Carolus Magnus esset verus Imperator, non fuit aliquis verus Rex Francorum. Patet: si ante; vel fuit per hereditariam successionem, vel per consensum populi, id est, per electionem veram, vel interpretativam, vel alio modo: sed nullum istorum est dicendum: igitur. Unde primus Rex Francorum tyrannicè Regnum occupavit, si erat verus Principatus Regni Francorum apud Romanos: sicut nullus potest modo intrare Regnum Francorum, & illud occupare, nisi ex consensu Regis, vel Gallorum, nisi intret tyrannicè: ergo principium hujus Principatus nullius fuit efficaciæ; ergo nec successio. Fortè diceret aliquis quòd successu temporis præscripserunt. Contrà, *Ad præscriptionem requiritur bona fides*; ergo si fuit mala fides, non potuerunt præscribere. Item, contra Supremum Principantem, non currit præscriptio; quia subjicitur Legi; ergo si Regnum Francorum primò spectabat ad Imperatorem, non potuit currere præscriptio. Ergo cùm prima introductio in Regnum Francorum fuerit post Principatum Romanorum legitimè acquisitum, non potuit aliquis, contradicente Romano Imperatore, intrare, nisi tyrannicè.

Dico quòd incœpit esse legitimus Rex in Gallia, ex consensu populi, quia consensit populus in aliquem, ut regeret. Contrà; quamvis populus qui non habet Regem, per consensum suum posset liberè aliquem Regem facere; populus tamen qui habet Regem, Rege non peccante, non potest alterum facere Regem: ergo si contradixerit Imperator, qui habebat legitimum Principatum in Gallos, nullus consensus illorum potuit facere quòd ille qui intravit tyrannicè esset verus Rex Galliæ: unde non potest populus Galliæ facere Regem novum, absque demerito illius qui nunc est, & non cedente eo, sed si non haberet Regem, posset aliquem instituere. Dicit Chrysostomus super hoc Matth. XXI. 2. *Solvite, & adducite mihi*, quòd populus qui elegit Regem, non potest ampliùs illum destituere, nisi propter peccatum. Si ergo populus consenserit in novum Regem, altero contradicente, nihil Juris habuit; ergo non potuit esse Rex per talem consensum, nec potuit fieri per donum Papæ, qui non potest alterum, in damnum alterius constituere. Ergo si Principatus fuit apud Regem Romanorum, Papa non potuit transferre, sine peccato, aut consensu. Et ista opinio dicit quòd antequam Carolus Magnus esset Imperator, nullus fuit verus Rex Gallorum.

Sed non est apparentia: quia Clodovæus fuit B Sanctus, & allata sunt illi insignia Gallorum. Ad rationes dico, quòd Imperator intravit tyrannicè in Gallias, & contradicebat populus, & quamvis fuerit victor, nihilominùs tyrannicè occupavit Galliam, & non regulariter. Contrà: posteà populus consensit; dico quòd non constat de consensu populi. Secundò, dico, quòd licèt consenserit populus, *Ille consensus fuit exactus per metum cadentem in constantem virum*; ergo non dabat Potestatem, &c. Nam si aliquis populus esset absque Rege, & consentiat per metum cadentem in constantem virum, talis in quem consentit non est verus Rex, cùm talis consensus non det Potestatem plenariam: & dato quòd posteà consensissent Galli, non sequitur quòd Imperator habuerit super Gallos Potestatem, quia talis consensus fuit per metum, qui non dat Potestatem. Dico ergo, quòd credo ita esse, quia Galli non fuerunt longo tempore sine rebellione; ergo signum est quòd non consenserunt: & sic Argumentum non habet magnam apparentiam.

Resolutio secundæ opinionis, quæ est conformior practicæ modernæ est, quòd Rex Romanorum non succedit Carolo Magno, in quantùm erat Rex Francorum, quia aliquando fuit Carolus Magnus Rex Francorum, & nondum erat Rex Romanorum; sed longo post tempore effectus est Rex Romanorum, & Imperator; igitur Rex Romanorum non succedit Carolo, ut Regi Francorum, sed ut Imperatori. Ultra dicit, quod Rex Romanorum, postquam à Principibus Germaniæ est electus, antequam coronetur, habet omnem administrationem in temporalibus, quam habet post coronationem: & hanc opinionem tenent Juristæ multi, & habent tenere, qui ponunt Imperatorem non esse in temporalibus Papæ subjectum, quod patet. Nam benè sequitur: Iste in temporalibus nullum habet recognoscere Superiorem; ergo D quantùm ad istam administrationem, quæ respicit temporalia, à nulla singulari persona accipit authoritatem. Nam si ab ista singulari persona acciperet authoritatem; ergo illa singularis persona haberet universaliorem Potestatem, quàm alius qui ab ea accipit; & ejus Potestas acciperetur ab illa. Unde Rex Francorum, nullam administrationem sumit ab Archiepiscopo Rhemensi, quamvis inungat ipsum, sed illud est solemnitatis solùm. Dico similiter, quòd postquam Rex Romanorum est ritè electus, illa Coronatio post electionem, est solùm solemnitatis; sicut con-

Digitized by Google

concordant Juristæ, & Theologi, quòd Papa postquam est electus, habet Supremam administrationem in spiritualibus, & omnimodam Jurisdictionem: & per hoc quòd coronatur ad Altare S. Joannis Lateranensis, nihil Potestatis de novo accipit, cùm nulla singularis persona Potestatem spiritualem illi conferre possit. Similiter est de Rege Romanorum, cùm nullum recognoscat in temporalibus Superiorem, nullus potest Potestatem illi conferre, sed quòd confirmetur & coronetur à Papa, hoc est solemnitatis & non necessitatis.

Dices, practica videtur in oppositum: nam Imperator iste Maximilianus, fuit electus antequam moreretur ultimus, & tamen post electionem non habuit administrationem Imperialem in temporalibus; ergo Imperator aliundè sumit istam Potestatem quàm ab electione, & non potest dici Imperator, nisi à confirmatione & coronatione; ergo ab illa sumit illam Potestatem Imperialem. Si dicas quòd electus habeat administrationem antequam præcedens moriatur, tunc duo haberent administrationem ex æquo, & sic Imperium non esset Regale, quod non est dicendum: unde eligitur, ut eo mortuo, succedat priori in tali dignitate, & Potestate quam habuit præcedens. Nam qui habent providere Imperio, possunt, pro rationalibi causa, eligere illum qui debet succedere, ita quòd priore mortuo, electus realiter immediatè post mortem prædecessoris, consequitur actualem authoritatem, quam priùs habebat in potentia; sicut Rege mortuo, proximus masculus consequitur Potestatem Regiam in Regno Franciæ. Similiter possunt qui habent providere Imperio, determinare certam personam, quæ habeat talem Potestatem, & ex rationabili causa id faciunt ante mortem, ad evitanda jurgia & bella. Patet igitur, quòd antequam moriatur Imperator, ille qui jam electus est in Regem Romanorum, non habet illam Potestatem Imperatoriam actu. Dices; à quo sumit postea? Dico quòd ab electione præcedente, quæ priore mortuo, electum constituit in tali Potestate, quemadmodùm filius est heres, Patre mortuo. Hæc autem est resolutio Doctoris, & opinio quæ videtur probabilior inter duas opiniones, & communis practica.

Sed Doctor movet difficultatem de Carolo Magno; nam sicut dictum est, fuit verus heres Pipini: sed mortuo Pipinio, acquisivit Carolus Magnus multas Terras, in quibus ante acquisitionem nihil Juris, aut Potestatis Regalis habebat, ut in Tholoza, Vasconia, Alemania, & Hispania, & post acquisitionem, habebat in illis Potestatem, non ut heres Pipini. Doctor supponit, tanquam certum ex historiis, quòd Carolus Magnus fuit verus Rex Gallorum, ex successione Pipini. Sed quo Jure possidebat illas Terras in quibus nihil habuit? Dicit Doctor; quamvis ante acquisitionem nihil Juris in illis habuerit, fortè diceretur benè quòd Jure belli habuit: nam qui in bello justo aliquid acquirit, illud efficitur suum, & æstimandum est quòd Carolus Magnus justo bello acquisivit multa; & dicit Doctor duo. Primum, quòd quamvis ante acquisitionem nihil Juris in illis habuisset, nihilominùs aliqui tyrannicè regebant illas Provincias in perniciem subditorum, & in contumeliam Dei & Fidei: ideò quilibet Potens, ut Carolus Magnus, potuit justè movere bellum contra eos, & illos Terris illis & Provinciis spoliare, in quibus Terris & Provinciis Carolus habuit Regiam Potestatem, illo Jure quo alii Reges in Regnis suis, qui Potestate Regia decorantur; in illis tamen Terris, ut nonnullis apparet, Carolus, antequam esset Imperator, non habuit Regiam Potestatem.

Consequenter ponit aliquos casus, in quibus quæ capiuntur in bello non efficiuntur capientis & detinentis. Primus; quando bellum est de rebus repetundis in bello justo, & tantum est acceptum ab hostibus, quod secundùm sanam conscientiam, est ei satisfactum de omni damno dato, & labore, & operibus, tàm suis quàm suorum; tùm si capiatur aliquid ultra, quamvis bellum sit justum, illud non efficitur capientis. Ergo non semper in bello justo, quod capitur ab hoste, efficitur ejus qui capit. Secundus casus est, quando ille contra quem geritur bellum justum, offert Jus, & vult satisfacere. Alius est casus, quando ille qui gerit bellum justum, non habet Jurisdictionem super illos quibus facit bellum justum, sed tantummodò pugnat, & alii eum invadunt; tunc enim, nec bona, nec personam adversam capere licet, nec invasorem detinere: sed potest ille qui justè pugnat, & repellit injuriam, res quibus spoliatus est vendicare & recuperare. Alius casus, quando habens justum bellum capit rem alterius, ab hoste injustè detentam. Res enim vel servus innocentis, aut etiam innocens homo, si detinetur ab hoste, & post capiatur à justè pugnante, non transit in Dominium capientis. Item, si subditi, & vassalli alicujus Domini, authoritate sui Domini pugnant contra invasores & detentores rerum Domini, si illas capiant & recuperent, non efficiuntur detinentium & occupantium: non enim propter hoc quod bello justo illas res capiunt, Dominus illarum perdit Dominium. Patet igitur casus, in quibus gerentes bella justa, non efficiuntur Domini rerum quas in illis bellis justis occupant.

His suppositis, dicit Doctor, quòd licèt Carolus per bella justa occupaverit multas Provincias, & Terras, non potuit tamen per ejusmodi bella justa, facere eas suas, quia pertinebant ad Dominium & Jus Imperatoris, & fortè aliquæ illarum ad Jus & Dominium aliorum, qui non poterant per Carolum privari Jure quod habebant in eis. Verumtamen Carolus poterat illas Terras licitè occupare, & fructus accipere, quousque sibi satisfactum esset de laboribus, & expensis, & operibus suis, & suorum; præsertim si veri Domini illarum Terrarum ipsas modo debito minimè repetabant. Sicut autem per hujusmodi occupationem, non potuit illorum Dominium acquirere, saltem principale; ita nec per eam in eis potuit dignitatem Regiam adipisci: sed postquam fuit Imperator, nactus fuit in eis Imperialem & Regiam Potestatem. Quamobrem, quia Imperatores successores Caroli, non succedebant Carolo, inquantùm erat Rex Francorum, nec inquantùm per bella justa Terras aliquas occupavit; aliquas assignavit Imperio, ut Imperator successor suus omnes illas eodem Jure possideret: aliquas autem attulit cuidam filio suo aut nepoti. Ideò Imperatores Romanorum, seu successores Caroli, eodem Jure, vel diverso, possident omnes Terras sibi subjectas, quo possidebat Carolus, inquantùm Imperator erat, & quas possidere debent, inquantùm Reges, seu Imperatores Romanorum. Ut autem sciatur, quare dicitur eodem Jure, vel diverso, notat Doctor, quòd Carolus, & quidam alius Imperator, non habent omninò idem Jus, seu Potestatem in omnibus Terris sibi subjectis. Nam Imperator, vel Rex aliquibus Terris & Urbibus præest immediatè, aliis vero mediatè. Dicitur præesse immediatè, quando nullum alium recognoscunt Dominum, præter illum: dicitur præesse mediatè, quando alter Dominus præest immediatè, qui habet immediatum Dominium, quamvis talis sit Regi vel Imperatori subjectus.

Concludit Doctor in fine hujus capituli tertii, quòd Carolus antequam esset Imperator, non habuit regularem in Italia Potestatem; & ideò Italia nunquam fuit à Dominio Regni Germaniæ, quasi Regnum accessorium, à principali separata; si præsertim Italia comprehendat etiam Romam, quæ est caput Imperii: sed aliquo tempore tàm Italia quàm Germania fuit prædictis causis Imperio deputata ad onera Imperii sufferenda.

CON-

Digitized by Google

CONCLUSIO.

VINCENTII DOESMIER, A

Auditoris

JACOBI ALMAIN.

ET hæc sunt, amantissime Lector, quæ ego, ipso legente excepi, nec alias quæstiones legit: tùm quia faciles, tùm legitimo impedimento irretitus cessavit. Poterit studiosus Lector quod residui est percurrere & errata corrigere, & nobis veniam dare. Visum est tamen nobis bonum Libellum à se compositum, de Authoritate Ecclesiæ *seu* Sacrorum Conciliorum, *in calce hujus Lecturæ, propter materiarum affinitatem, posuisse.* B

EXPLICIT.

POrrò, idem Almainus, Commentariis in aliquot distinctiones quarti Sententiarum, ubi agit de Pœnitentia, disputans de Præcepto Confessionis, Distinctione 17. *Articulo tertio, quærens an Summus Pontifex teneatur semel in Anno, ad diem Pascha confiteri, juxta Præceptum*, Omnis utriusque sexus, *hæc subjicit.* „ Aliqui „ dicerent, *ait*, quòd Papa non obligatur ad illud „ Præceptum: tamen tenendo partem veram, quòd „ Summus Pontifex obligatur per Statuta Conciliorum, & qui diceret oppositum, saltem in Francia, „ reputaretur hæreticus, obligatur vi Præcepti humani, & tenetur semel in Anno sumere Eucharistiam, patet ex capitulo: sed non potest sumi Eucharistia, sine peccato, ab eo qui est conscius peccati „ mortalis, nisi confiteatur; Ergo Summus Pontifex „ tenetur confiteri, &c.

DISPU-


Digitized by Google

JOANNIS MAJORIS
Doctoris Parisiensis
DISPUTATIO,
De Statu, & Potestate Ecclesiæ.

Excerpta ad verbum, ex ejusdem Commentariis in Librum IV. Sententiarum. Distinct. XXIV. *Fol.* CCXIII.

ARGUMENTUM.

1. *Ecclesiæ Politiam esse Monarchicam.*
2. *Episcopos & Parochos fuisse immediatè à Christo institutos.*
3. *Papam non habere Jus gladii, aut Dominium temporale, super Reges, & Principes Christianos.*



ERTIÒ, circa hanc distinctionem quæro, an Petrus & Successores ejus Primatum habeant in terra, ex institutione Christi, tàm in spiritualibus quàm in temporalibus. Respondetur: licèt circa utrumque membrum variè à variis respondeatur, & multi sint dicentes quòd nullus Episcopus, ex institutione Christi, habet Superiorem in spiritualibus; & quemadmodùm quilibet Rex in suo Regno est supremus Monarcha, & Superiorem in temporalibus non agnoscit, ita esse jactant isti, de quolibet Episcopo, in suo Episcopatu. Et si Romanus Pontifex Superioritatem habeat, dicunt quòd illam ab hominibus acceperit, vel de facto.

Sed ponam Conclusiones sequentes, quid sentiam explicantes. Quarum prima est. Petrus, ex institutione Christi, est institutus Apostolorum vertex & caput, & supra quemlibet alium, sive particularem Ecclesiam. In præsentiarum enim de præeminentia, seu superioritate, inter Maximum Pontificem, & Universale Concilium, loqui non propono. Probatur Conclusio: Joannis ultimo, ℣. 15 17. Christus dicit Petro: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* Dicis, sicut alii dicunt: non est data ei, per illa verba, authoritas super aliquem Apostolorum, quia illa intelliguntur de pastu spirituali, & corporali, si essent in necessitate; etiam indefinitè protulit, ad cujus veritatem sufficit veritas unius singularis: licèt enim illa sit oratio imperativi modi, &, per consequens, non propositio, tamen loco futuri indicativi capitur. Contrà: Pascere, in Scriptura, capitur ut tantùm valet, quantùm potestativè alere, ut Ezechi. XXXIV. 2. *Væ Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos.* Et Joannis X. 1. *Qui non intrat per ostium, non est pastor ovium.* Præterea; æquè expediens erat populo Christi habere Pastorem Potestativum, ut Pastorem qui verbo vitæ & corporaliter pasceret. Ergo sicut unum concedis, reliquum concedere debes. Quod dicis, Christum indefinitè locutum, nihil valet. Quemadmodùm enim in concessione Beneficii, vel Privilegii, concessio indefinitè & simpliciter facta intelligitur generaliter, *De privileg.* C. *Quia circa.* sic commissio Potestatis vel Officii indefinitè & simpliciter facta, debet intelligi universaliter: ut scilicet omnia intelligantur concessa, quæ non sunt prohibita, & de quibus est committendi ratio: de quibus non est verosimile quòd concedens, unum committeret alicui, & aliud servaret; quia qui nihil excepit, & potuit excipere, totum commisisse videtur.

Secundò, arguitur ad idem. Christus Legislator optimus, optimam Politiam in Ecclesia instituit: sed illa est Regalis, ut patet VIII. *Ethi.* & III. *Politicorum*, ex Philosopho. Nec videtur cui alteri à Petro, hanc Potestatem commisit; igitur. Insuper Matth. XVI. 18. Christus dixit Petro: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, & tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cœlis.* Sed dicis: Per pronomen *hanc*, non demonstravit Simonem Petrum, sed seipsum, quem Petrus confessus est, quia quæsivit Christus ex Petro: ℣. 13. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* & paulò post respondit Petrus: ℣. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Cui Christus: *super hanc Petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Et hoc patet per Glossam interlinearem, & Augustinum, in Libro Retractationum, sic dicentem: *Dixi in quodam loco, de Apostolo Petro, quòd in illo, tanquam in Petra ædificata sit Ecclesia; sed scio me postea scripsisse, me sic exposuisse quia a Domino dictum est*: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, *ut*, super hanc, *intelligeretur quem confessus est Petrus*, &c. Benè, in his verbis (dicunt,) Petro promittuntur claves, sed non convincitur ex ipsis quòd eas super alios habuerit Apostolos, quia Joannis XX. 22. indifferenter omnibus dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Hoc non valet; nam licèt quis Scripturam pro Petro adductam, per aliam Scripturam sic exponere laboret, hoc non sufficit, & ratio est: nam quando sunt multi sensus Scripturæ, & dubitatur in quo sensu Scriptura intelligatur, *Ille sensus est indubitatus, qui a viris omni exceptione majoribus colligitur.* Sed sic est in proposito. Anacletus enim Apostolorum contemporaneus, XXII. *Dist.* C. *Sacrosancta Romana*, sic inquit. *Sacrosancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & Salvatore nostro Primatum obtinuit.* Idem ostenditur, testimonio Marcelli Papæ & Martyris: 24. q. 1. C. *Rogamus.* & ita tenuerunt in tota illa ætate, & posteà, exercitatissimi & fundatissimi Doctores, quibus contraire, in hac parte, extremæ temeritatis est.

Sed contra hanc Conclusionem arguitur. Petrus non erat supra Paulum; ergo non super quemlibet constitutus est à Christo. Antecedens probatur, quia *ad Galatas* XI. 6. sic dicit Apostolus: *Mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt, sed contra, cùm vidissent quod creditum est mihi Evangelium præputii, sicut & Petro circumcisionis. (Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.)* Ex istis formatur argumentum. Si Petrus fuisset institutus Universalis Pastor Ecclesiæ, poterat æquè immediatè suum Officium in quolibet loco exercere, & sic prædicare Gentibus. Respondetur. Argumentum nihil aliud probat, nisi quòd Officium evangelizandi, seu Apostolatus, non accepit à Petro, sed missus fuit à Deo, priusquam Petrum adiret: omnes enim erant Petro pares, quantùm ad Ordinem & Episcopatum. Ad illud, de determinato loco, dicitur quòd in pluribus locis Petrus prædicabat Judæis, interdùm Gentilibus, ut Centurioni; & cùm ab Antiochia transiret Romam, non est verosimile quin transeundo seminaverit verbum Dei. Et licèt Paulus dicatur Doctor Gentium, quia Gentium conversioni & eruditioni plurimùm invigilavit; interdùm tamen etiam Judæis verbum Dei effudit, ut patet *Actuum* VII. & XIII. Petrus tamen, si voluisset, suum Officium in quocumque loco poterat exercere.

Secundò, arguitur. Anacletus Papa, ut scribitur, 21. *Dist.* C. *In novo.* dicit sic: *Ceteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & Potestatem acceperunt, ipsumque Principem eorum esse voluerunt.* Et confirmatur hæc authoritas à signo, quia Græci sequuntur contradictorium conclusionis nostræ, & non est dicendum quòd tantus populus, in re tam ardua erraret; populus, inquam, qui Fidem ante Romanos suscepit, & pleraque Ecclesiæ bases habuit. Ad secundum; respondet Glossa, quòd secundariò volebant Petrum esse caput ceterorum; sed hoc primò à Christo habuerunt. Nam si Christus Politiam Aristocraticam in spiritalibus reliquisset, non potuissent Apostoli eam in Regalem mutare. Ad aliud: non est verosimile quod primi illi magni Græci tenuerint oppositum. De hæreticis autem Bohemis, & posterioribus Græcis loqui non oportet.

Hic potest fieri Argumentum de Indis, & Christianis in aliis locis separatis, quia si reliqua necessaria ad Fidem crederent, nescii quòd Romanus Pontifex sit caput Ecclesiæ, durum est dicere quòd sint in statu damnationis. Occam in fine tertiæ Partis Dialogi, probabile putat, quòd Politia Regalis Ecclesiæ, potest pro urgentissima causa, duobus, ex æquo, communicari, licèt glo. in c *Non autem.* 7. q. 1. teneat oppositum; quia est una Ecclesia Catholica. Hoc idem tenet Armachanus, Lib. 7. *ad Armenios*, C. 15. Sed ratio Glossæ est nulla: *Ecclesia enim non dicitur una ab unitate capitis ministerialis, sed à Christo & unitate Fidei; ut videre est post mortem Papæ, ante creationem alterius.* Porrò si essent duo, uterque posset absolvere quemlibet sibi subjectum. An autem ita fieri possit ab hominibus, pro urgentissima causa, Jus divinum exponendo, non insisto, loquor de facto nunc.

Tertiò, arguitur. Non est unum Caput in temporalibus, cui Reges sunt subjecti omnes; ergo hoc non congruit in spiritalibus. Respondetur. Consequentia est nulla. Nam primò, Summus Pontificatus est ex institutione Christi; nulla tamen Monarchia, in temporalibus, est ex ejus institutione, & hoc est rationabile: nam cum modica impensa gladio spirituali utitur Pontifex, ut Excommunicatione, & Interdicto, & ceteris Canonicis pœnis. Gladius autem Imperatoris, debet esse magnus exercitus; quia si perdatur, victus habebitur contemptui, nam *Eventus belli est dubius, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius.* 2. Reg. XI. 25. Secundò, bona spiritualia in nullius possessione sunt, sed sunt Communitatis Ecclesiasticæ: quapropter congruum est habere unum Caput, pro bonorum illorum administratione. Bona verò laicorum sunt singulorum, secundùm quod homines justis titulis sua bona acquirunt, emptione, hereditate, vel aliâ viâ; quare non est opus uno Capite pro illis. Insuper, variarum Regionum diversi sunt mores, in temporalibus; ergo congruum est habere Caput, secundùm morum exigentiam. Sed duobus Regibus contendentibus, quis litem dirimet? Satius ergo est habere unum Caput in temporalibus. Respondeó. Quis pacem inter Federicum tertium, & Matthiam Ponnoniæ Regem composuit, cùm Imperatorem à Vienna, sui Ducatus primaria urbe, ejecit Matthias? In nullo enim Senatu, pro Regnorum partitione disputatur; sed finem litis, de Regnis partiundis, gladius imponere solet, loquor de facto. Dicis: quis finem materiæ litigiosæ inter Romanum Pontificem & alium inferiorem ponet? Si dicatur acquiescendum esse Capiti; sic dices de Imperatore & Rege. Dico non esse idem, ut patet ex discrimine superiùs tacto.

Secunda Conclusio. Episcopi reliqui à Maximo Pontifice sunt ex institutione Christi, sicut Maximus Pontifex. Probatur; nam XXI. Distinct. C. *In Novo Testamento.* scribitur: *Ceteri vero Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt*, & intelligo de Sacerdotio & Episcopatu, & non de Jurisdictione; si enim tunc non fuissent Episcopi, non fuissent Petro pares in honore. Et in eodem cap. *Ipsis quoque decedentibus, in loco eorum surrexerunt Episcopi.* Idem patet XXI. Dist. C. I. in ver. *simpliciter.* ubi dicitur: *Simpliciter verò, majorum & minorum Sacerdotum discretio, in Novo Testamento, ab ipso Christo sumpsit exordium, qui* XII. *Apostolos, tanquam majores Sacerdotes,* LXXII. *Discipulos, quasi minores Sacerdotes instituit; Petrum verò, quasi Summum Sacerdotem elegit.* &c. Præterea Glossa marginalis, Lucæ X. dicit: *Sicut in Apostolis est forma Episcoporum; Sic in* LXXII. *Discipulis, est forma Presbyterorum*, hoc est, Curatorum. Et ex istis potest iterum sic formari argumentum. Presbyteri, hoc est Curati, sunt ex institutione Christi; ergo & Episcopi. Ampliùs, *De Summa Trinitate, & Fide Catholica.* C. I. §. *Una.* dicitur, quòd Sacramentum Eucharistiæ nemo potest conficere, nisi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus, secundùm claves Ecclesiæ quas ipse concessit Apostolis, eorumque successoribus Jesus Christus; sed Sacerdos non ordinatur à clave Sacerdotali, sed solùm Episcopali; ergo Christus claves Apostolis tradidit Episcopales. Rursùs, dato opposito, scilicet quòd Episcopi & Curati non sunt ex institutione Christi, sed ex institutione Summi Pontificis, ita quòd Petrus sua authoritate instituit Apostolos Episcopos, & Maximi Pontificis authoritate instituuntur alii Episcopi; ergo Romanus Pontifex potest unumquemque Episcopum & Curatum, & omnes destituere, de potentia sua absoluta, non creando novos; quia quos unus Pontifex sua authoritate creat, non obligat suos posteriores sive successores continuare, nam par in parem non habet authoritatem, & *Omnis res, per quascumque causas oritur, per easdem dissolvitur*: de Regu. Jur. *Omnes.* Sed hoc concedere non reputo conveniens: igitur. Insuper, idem habetur, *De consuetu.* C. *Quanto.* Item, communiter tenetur, quòd Episcopi possunt confirmare, & non simplices Sacerdotes ullo pacto; sed non video quòd Maximus Pontifex possit hanc Potestatem Episcopalem, plus quàm Sacramenta instituere. Si dicas: Petrus fuit minister, creando reliquos Apostolos Episcopos, & Deus hanc Potestatem dedit, quòd possent confirmare, & dare Ordines, sicut Sacerdos baptizat, & Deus characterem baptismalem infundit; jam habeo intentum. Postquam hæc scripsi, ante impressionem, occurrit mihi alia probatio istius Con-

Digitized by Google

Conclusionis. Nam primus Articulus fratris Joannis Angeli prædicatus Tornaci, fuit iste.

Fratres præsentati Episcopo, & admissi, sunt proprii Sacerdotes & veri Curati, & melius quam Presbyteri parochiales, quia facultatem suam habent à Summo Pontifice, & dicti Presbyteri ab Episcopo dumtaxat. Ecce examinationem Facultatis nostræ, à 34. Annis præteritis. *Quidquid sit de prima parte, propter æquivocationem istius termini,* proprii, *dicit tamen Facultas, quòd Propositio in se, & quoad omnes reliquas partes & probationem partis ultimæ, qua dicitur* (ab Episcopo dumtaxat) *est scandalosa, in Fide erronea, Hierarchici Ordinis destructiva, & pro conservatione ejusdem Ordinis, publicè revocanda & abjuranda.*

Tertia Conclusio. *Maximus Pontifex non habet Dominium temporale super Reges.* Probatur. Nam dato opposito, sequitur quòd Reges sunt ejus vasalli, & eos ad nutum à Regno trudere potest de facto, licèt peccet, sine causa eos expellendo, quemadmodùm fortassis contingit de multis ejus Officialibus & subjectis in temporalibus; sed hoc non est concedendum.

Secundò, arguitur ad idem. Nullum titulum habet super Regnum Francorum, vel Hispaniarum in temporalibus; ergo non sunt ei subjecta in temporalibus. Antecedens patet. Nam quæro quem titulum? Si dicas: succedit Christo, & Christus est Dominus omnium. Contrà: probare non potes quòd Christus, secundùm humanitatem, est Dominus omnium, cùm dixerit Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Joan. XVIII. 36. Et illo dato, consequentia est invalida, & impossibile est eam probare: crebrò enim vicarius non est tantæ authoritatis, quantæ est Superior cujus est vicarius. Nam Christus instituit Sacramenta, dedit Legem gratiæ, & potest revocare omne Jus divinum positivum: hoc tamen non potest Pontifex.

Tertiò, arguitur. Dato opposito, sequitur hæc conclusio: Constantinus nihil dedit Sylvestro, sed solùm restituit ei debitum; cujus contrarium dicitur. 96. *Dist.* C. *Constantinus*, & 12. q. 1. c. *Futuram.* Præterea ipsi Pontifices fatentur ad se non spectare Jurisdictionem temporalem, nec velle Juri Regum detrahere, ut Innocentius III. in c. *Novit. De Judiciis.* Et Alexander III. in c. *Causam. Qui filii sint legitimi*, & in illo famato c. *Per venerabilem. eo. ti.* Innocentius III. dicit quòd *Rex Francorum Superiorem in temporalibus minimè recognoscit*, propterea cum filio tanquam cum inferiore dispensare poterat. Sed dicis cum Glossâ: *non recognoscit de Facto, debet tamen de Jure.* Hanc Glossam probo esse Aurelianensem, & textus corruptivam; quia si sic, Romanus Pontifex non sufficienter respondisset illi nobili de Monte Pessulano petenti Dispensationem pro suo spurio, quo modo Rex cum suo illegitimo filio dispensaret. Nam dixit Romanus Pontifex: Rex Francorum est Supremus in suo Regno, in temporalibus. Si locutus fuisset de Facto, responsio fuisset nulla; poterat enim sic ille nobilis respondere: ego non cognosco, vel non cognoscam amodò Superiorem de facto.

Quintò arguitur. Oppositum asserens, & Maximum Pontificem, & Reges offendit, & eis nocumentum præstat; ergo sapiens non debet illud asserere. Quòd non prosit Pontificibus manifestum est, quia facit eos, quantùm in se est, sollicitos, ut illud Mathematicum Imperium in temporalibus manutenant; quia non patiuntur diminutionem in temporalibus ad se spectantibus, verè vel apparenter, & sic ministratur eis materia rapiendi alieni Imperii, quod nunquam ad finem deducere poterunt, ut legimus de Bonifacio Octavo, contra Philippum Pulchrum, & aliis variis. Similiter est nocumentum Regibus in temporalibus, pro suis Regnis defendendis, & in spiritualibus, quia multa mala, tempore belli, committuntur. Propterea Joannes Gerson, asserentes talia, blandientes appellat.

Sextò, arguitur. Multi devoti Reges, à Pontificibus Maximis canonizati, nunquam Romanos Pontifices supra se in temporalibus admiserunt, & in hoc mortui sunt; ergo signum est quòd Romani Pontifices non habent Dominium omnium in temporalibus.

Septimò arguitur. Papa non est Dominus omnium bonorum Ecclesiæ; ergo non est Dominus omnium bonorum temporalium. Antecedens patebit paulo inferiùs in hac distinctione, & Consequentia est nota.

Contra Secundam Conclusionem arguitur, probando quòd solus Petrus est institutus Pontifex à Christo, & omnes alii, instituti Pontifices à Petro, argumentis adversariorum, scilicet Petri Paludani, in Tractatu. *De Potestate Ecclesiæ*, & Joannis de Turre cremata, Cardinalis Sancti Sixti, quibus tenent oppositum.

Primò, arguitur per c. *Porrò.* 66. *dist*, ubi dicitur: *Porro Hierosolymitanus primus Archiepiscopus beatus Jacobus, qui justus dicebatur & secundùm carnem frater Domini nuncupatus est, à Petro, Jacobo & Joanne Apostolis est ordinatus; ergo Jacobus Alphei non est ordinatus Episcopus à Christo immediatè.* Ad hoc argumentum respondet Glossa multifariàm, cujus aliquæ expositiones sufficiunt.

Una, quòd non ordinarunt eum Episcopum, sed Archiepiscopum, & sic ordinaverunt eum in administrationem alicujus certi loci, priùs enim erat Episcopus sine Titulo. Sed contra hoc replicant isti: si hæc non erat vera Ordinatio Episcopi facta, non convenienter susceperunt ex ea formam Ordinationis Episcoporum in Ecclesia, contra Anacletum, in dicto c. *In novo. Dist.* 31.

Responsio. Quæritur ab aliis quis ordinaverit Petrum, & non dabunt tres. Dico ergo esse Constitutionem humanam quòd Episcopus ordinetur à tribus. Paulus enim non quæsivit duos pro ordinatione Titi & Timothei. Nam primæ ad Timotheum. IV. 14. dicit: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ est tibi data per prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Glossa autem marginalis dicens, *Presbyterii*, pro *Presbyterorum*, est voluntaria, magis literæ repugnans quàm eam explicans. Rursùs, Romanus Pontifex, si velit, potest solus Episcopum aliquem ordinare, sine duorum ope, ut Hugo & multi alii concedunt. Præterea Rusticus & Eleutherius, qui cum beato Dionysio ad Gallias venerunt, non erant Episcopi, sed Galliæ Episcopos solus Dionysius ordinavit. Ecclesia tamen nunc utitur tribus Episcopis, in Pontificum creatione, ad imitationem Petri, Joannis & Jacobi Majoris, qui Jacobum Alphei creaverunt, ut dicitur in c. *Porrò.* Item, in c. *Archiepiscopus*, ejusdem distinctionis, habetur quòd Archiepiscopus ab omnibus suæ Provinciæ Episcopis ordinetur, & si aliter præsumptum fuerit, viribus carere non dubium est, quia irrita erit Ordinatio. Sed istud non requiritur de necessitate; ergo nec aliud ei adjunctum.

Secundò arguitur: in c. *In novo.* dicitur quòd primò Petro in Ecclesia Pontificatus datus est.

Respondetur: hoc non potest adjuvare adversarios, quia immediatè ante illa verba dicitur: *A Petro Sacerdotalis exit Ordo, & tamen isti alii concedunt omnes Apostolos esse factos Sacerdotes à Christo.* Pro talibus ergo omnibus dicatur quòd Petrus erat primò dignitate Episcopus & Sacerdos, quia generalis Pastor Ecclesiæ. Est etiam vero simile quòd priùs Christus incœpit à Petro, ut in lotione pedum, quod convincitur ex eis verbis: *Non lavabis mihi pedes in æternum.* Joan. XIII. 8. Nam si ab aliquo alio incœpisset, verosimile est quòd ille, sicut Petrus, recusasset, & passim inter Apostolos, ab Evangelistis primus numeratur. Sed Christus dando ei Ordines & Episcopatum, etiam alios ordinavit.

Tertiò arguitur: nihil asserendum de divinis, nisi quòd ex divinarum Scripturarum testimonio, vel ratione, probari potest; sed Apostolos alios à Petro, fuisse ordinatos à Christo, nec authoritate, nec ratione convinci potest.

Respondeo: Minor non est sufficienter probata; nam sufficit ex Majoribus nostris habere fundamentum. Porrò Anacletum Apostolorum vicinum, vel contemporaneum introducimus ad hoc convincendum. C. *In novo.* Et refellitur Argumentum, quærendo ab adversariis, ubi est factus Petrus Episcopus? Non Matthei. XVI. 19. quando dixit Christus: *Quodcunque ligaveris*, &c. quia nondum erat Sacerdos; & da unum locum: idem dicam de aliis Apostolis. Per A ista autem verba Joannis ultimo: *Pasce oves meas*, &c. ordinatus est Vicarius Dei generalis. Si dicas: constat quòd Petrus est factus Episcopus, licèt Evangelistæ non allegent determinatum locum, hoc eadem facilitate dicam de aliis. Sed pro omnibus dicitur, quòd primò erant Apostoli, & posteà Sacerdotes ordinati in Cœna, quia ante Cœnam nondum Corpus Christi consecratum erat sub speciebus panis & vini, & in illa Cœna fecit eos Sacerdotes, cùm dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. XXII. 19. nam satis erant ab eo examinati Sacerdotio digni, & est verosimile quòd omnes Ordines eis contulerit, videlicet & alios Sacros & Minores; etiam dedit eis in Cœna Potestatem super Corpus suum verum, & ut aliquibus placet, etiam super Corpus Christi mysticum, in Foro interiori: quia si non dedisset eis Potestatem super Corpus Christi mysticum in Cœna, B non fuissent completi Sacerdotes, quod reputatur inconveniens. Sive autem per eadem verba dedit eis Potestatem super utrumque, sive per alia, non refert, quia utrumque facere poterat: secùs est de Episcopis nostris potentiam delegatam & subordinatam habentibus. Oppositum tamen est communius, super Corpus Christi mysticum, & credo illud esse rationabilius. Post Resurrectionem verò ordinavit eos Episcopos omnes, *Joannis*. XX. 21. 22. 23. per illa verba: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset; insufflavit & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Nec obstat quòd post immediatè subjungitur. ℣. 24. *Thomas non erat cum illis;* quia Christus poterat eum ordinare Episcopum absentem, quemadmodùm, ut scribitur Numeri. 11. 26. *Super Heldad & Medad, requievit spiritus, absentes.* Etiam Deus est ubique. Et quòd istud sit rationabile ostendo: nam in Cœna fecit eos Sacerdotes; ergo habebant C Potestatem super Corpus Christi verum, & secundùm aliquos super Corpus Christi mysticum; ergo per illa verba Joannis XX. dedit eis aliam Potestatem constituendi eos magnos Sacerdotes, id est, Episcopos. Nec obstat, quòd hoc dicatur Sacerdotibus, quia idipsum dicitur in creatione Episcoporum. Etiam in aliis Ordinibus non habes formam adæquatam quâ usus est Christus, quando Ordines contulit. Quare arguere de ipso, ut de Episcopis nostris, est debile Argumentum. Insuper tu ipse da formam quâ usus est Christus, creando Petrum Episcopum.

Quartò arguitur: Barnabas & Paulus non sunt creati Episcopi à Christo; ergo nec alii. Antecedens patet, quia *Actuum* XIII. 3. dicitur: *Tunc jejunantes & orantes imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Ergo illic facti erant Episcopi.

Respondetur: consequentia est nulla, quia non erant de Sacro Apostolorum numero duodenario, sed Apostoli separatim. Si dicas: Judas fuit Episco- D pus ante mortem: nam *Psalmo.* CVIII. 8. & *Actuum primo* dicitur: *Et Episcopatum illius accipiat alter*, & tamen ipse non erat ordinatus post ultimam Cœnam; ergo Apostoli erant creati Episcopi ante Resurrectionem.

Respondetur: hoc non juvat adversarios. Judas enim nunquam fuit Episcopus. Ad verbum autem allegatum dicitur, quòd per Episcopatum Apostolatus intelligitur. Tenendo etiam viam communem, non fuit completè Sacerdos, quia super Corpus Christi mysticum nullam accepit Potestatem.

Contra tertiam Conclusionem arguitur sic: Pontifex comparatur Soli, *de Majo. & obed.* Can. *Solitæ*, & Imperator Lunæ; modo Luna lumen capit à Sole; igitur. Secundò arguitur: Zacharias Papa deposuit Regem Francorum, & instituit Pipinum Patrem Caroli Magni, ut habetur 15. q. 6. c. *Alius.* ubi Gelasius Papa Anastasio Imperatori scribit: „Alius item „Romanus Pontifex, Zacharias scilicet, Regem Fran„corum non tàm pro suis iniquitatibus, quàm pro eo „quod tantæ Potestati erat inutilis, à Regno deposuit, „& Pipinum Caroli Imperatoris Patrem in ejus lo„cum substituit, omnesque Francigenas à juramento „fidelitatis absolvit. Quod etiam, ex authoritate fre„quenti, agit Sancta Ecclesia, cùm milites absolvit à „vinculo juramenti.„

Ad primum dicitur, quòd ex mystica Theologia debile capitur Argumentum, ut dicit Augustinus, ad Vincentium Donatistam, & Dionysius, in Epistola ad Titum, dicens quòd *Symbolica Theologia non est argumentativa.* Item, vulgo dicimus: Argumentum à simili claudicat uno pede, sed sufficit aliqualis similitudo. Nam sicut Sol lumen suum Lunæ communicat (quod patet ex cornibus ejus oppositis Soli ipsi in quadris, & plenilunio in oppositione) sic Fidem & illustrationem in ambiguis Fidei Imperator à Maximo Pontifice accipit, & hoc sufficit quoad aliqualem similitudinem. Et reflectitur Argumentum in arguentes. Luna aliquod lumen ex se habet, ut videmus in deliquio Lunæ, cùm Sol est in capite Draconis, & Luna in cauda, vel contra: & dato quòd Luna nihil luminis habeat nisi à Sole; tamen influentiam aliam habet super humida, cùm medullæ ossium sint incremento Lunæ majores. Periti etiam hortorum cultores in inserendis arboribus hoc noverunt. Idem patet de fluxu & refluxu maris, & hoc per solam suam influentiam occultam habet, imò est mirabile dictu, quòd cùm est ex altera parte terræ, faciat mare fluere, & refluere in parte opposita, nec ab hac influentia impeditur à tota sphæra terræ, & Sol fortè influentiam talem ob sphæram terræ non habet. Sic dicitur in proposito, quòd Reges non habent suas Potestates immediatè à Romano Pontifice, nec influentiam ab eo ullam in temporalibus suscipiunt; sed consensu populi, successione, electione, donatione, vel alio titulo habent Regna. Potestas enim terrena non sic dependet à Potestate spirituali Maximi Pontificis, ut Centurio à Principe militiæ; sed sunt duæ Potestates non subordinatæ, quarum neutra dependet ab altera. Nam Regnum possidens non est vassallus Romani Pontificis, nec Imperator illo modo est ei subjectus, saltem quoad Terras quas non habet ab Ecclesia: non enim loquor de Terris quas in Italia habet, quas tenet vel tenere debet (uti referunt) ut Ecclesiæ obsequatur.

Sed contra hoc arguitur: ergo totus Mundus monstrosus erit, cùm non habeat unum caput. Item, quomodò aliter Maximus Pontifex erit caput Ecclesiæ? Respondetur: Mundus, multas æquivocationes habet; capiendo autem Mundum pro Universo, Deus est caput ejus, & mortuo Pontifice, manet caput sicut & corpus.

Secundo dico, quòd Romanus Pontifex est caput Ecclesiæ, imò totius Universi, vel esse debet: per Romanum autem Pontificem semper Maximum Pontificem intelligo. Et sicut anima corpori præstat, licèt aliquid possit corpus quod non potest anima; tamen anima dicitur simpliciter perfectior, sicut facile est dare duo individua se habentia, ut excedens & excessum: & tamen quia unum habet conditiones perfectiores, simpliciter dicitur alio perfectius. Exemplum: quantitas continua immediatiùs inhæret substantiæ, quàm qualitas; & sic quamdam perfectionem supra qualitatem habet: sed quia aliquas proprietates multò nobiliores habet qualitas, quia agit, quod substantiis nobilissimis convenit, simpliciter dicitur

tur esse perfectior. Similiter peccatum Evæ, in commeltione pomi vetiti, habebat circumstantiam aggravantem, quia instigavit virum & plus voluit: sed quia plus rationis habebat Protoparens Adam, datur alia circumstantia peccatum Adæ aggravans; quo non obstante, unum peccatum dicitur esse majus alio simpliciter. Simpliciter dico quod sine addito dico primo priorum. Sic Rex potest dispensare in temporalibus cum illegitimè natis, ut in hereditate succedant, & non Pontifex, ut ipsimet Pontifices ingenuè fatentur, & eorum authoritates sunt magis contra eos, quàm pro eis. Nec valet dicere quòd hoc dicant ob humilitatem, quia non deberent illud facere, ut patet: *De veracitate. Quarto Ethic.* & ejus extremis

Secundò, non est verosimile quòd vellent id facere in suam jacturam temporalem.

Tertiò, quidquid ipsi dicant, vel posteriores, restabit probare quo Jure spectet ad eos aliorum Regnum.

Ad secundum, respondet Glossa, quòd non oportet uti illo vocabulo (deposuit) in significatione quâ capitur, prima fronte, sed sic exponit; deponentibus consensit: & hoc cognoscitur ex Francorum Annalibus. Nam cum Hildericus totus deses & inutilis regnaret apud Gallos, & Pipinus habenas Reipublicæ strenuè moderaretur, Optimates Franciæ miserunt Legationem ad Pontificem Maximum, quia Universitas Parisiensis nondum florebat, sciscitantes ab eo, an ille deberet regnare qui otio torpebat, an ille qui æstum diei portabat. Quibus cùm respondisset Pontifex, quòd posterior regnare deberet, Primores Regni Pipinum Regem creaverunt; & sic Zacharias deposuit, hoc est, erat aliqua causa motiva, quare Regni Proceres Regem deposuerunt; sicut applicans activa passivis dicitur producere ignem.

Insuper ex talibus factis singularibus, quæ ex devotione ad Ecclesiam, & non debito Juris fiunt, non est trahendum aliquid in consequentiam, quamadmodùm nec ex multis aliis: ut ubi Imperatores elegerunt Maximos Pontifices: similiter quòd aliqui Maximi Pontifices depositi sunt per Imperatores, & sicut recitat Ecclesiastica Historia, multi Sacerdotes apud Constantinum Magnum suas querelas deponebant; ex quibus nullum potest sumi Argumentum.

Tertiò, arguitur per Bernardum, ad Eugenium Papam, Libro quarto, dicentem: *Quid tibi denuò gladium usurpare tentas, quem semel jussus es deponere in vaginam? quem tamen qui tum negat, non satis videtur attendere Verbum Domini sic dicentis:* Joann. XVIII. 11. Converte gladium tuum in vaginam, *tuus est ergo, & forsitan ipse tuo nutu evaginandus; alioquin si ad te nullo modo pertineret, Apostolis dicentibus.* Luc. XXII. 38. Ecce gladii duo, *non respondisset Dominus:* satis est, *sed nimis.* Item est vulgare dictum: *Unum gladium habet Maximus Pontifex actu, alium in habitu.*

Quartò, Maximus Pontifex potest dispensare in spiritualibus; ergo & in temporalibus. Nam qui potest majus, potest minus.

Ad tertium, illud de gladiis est hyperbolicè dictum, quare ex ipso non potest trahi efficax argumentum.

Secundò, ipse ponit forsitan, & hoc sufficit pro toto.

Tertiò dicitur, quòd unum gladium habet actu, scilicet spiritualem, cùm interdicit & excommunicat: alium habet in habitu, id est, potest rogare Principes terrenos, quatenùs sint sibi subsidio, & sic habet alium in habitu, id est, in potentia; nec capitur hîc habitus, ut capitur ab Aristotele 11. *Ethic.*

Ad quartum conceditur, quando minus includitur in illo majori; alioquin non oportet: homo enim potest ratiocinari, non autem volare.

Et concludendo dicam quòd hîc potest esse una Disputatio verbalis, & alia realis. Nam si dicatur Maximus Pontifex esse Dominus omnium, & omnes alii Principes ejus vassalli, & posse eos instituere & destituere, ad suum nutum, licèt iniquè faciat, hoc judico falsum, & contradictionem hujus sensus posui in conclusione. Si verò dicatur, quòd nullo modo potest legitimare in temporalibus, quoad successionem in terris Regum: si legitimet, vel legitimare conetur, nihil agit, & quòd Reges non sunt ejus vassalli, sed aliquod Dominium habet, petatur in quo sensu. Hoc dixerim, quia interdùm invenimus verbosas positiones in sententia convenientes, & solùm verbis discrepantes. Si enim intelligatur habere Dominium in temporalibus casualiter, & multùm posse agere ad depositionem Regum, suadendo, consultando, imò alios ad gladium provocando in eos, quando sunt labefactatores Fidei, & Reipublicæ Christianæ prorsùs inutiles; hoc mitius ferendum est, nec est alienum à dictis nostris. Si verò aliqui Reges, cum populo, se tradiderunt Romanis Pontificibus, ut fertur de Anglis, nihil ad nos. Collector namque Romani Pontificis pecuniam in Anglia colligit, ex qualibet domo denarium, ut intellexi, qui denarius Papalis dicitur; sed illic oportet videre an solus Rex Regnum Pontifici subdidit, vel Rex & populus. Non tamen opinor quòd Angli ullo modo permitterent Pontificem destituere suum Regem, & alium constituere: nunquam enim aliquem Romanorum Pontificum hoc facere permiserunt.

Hactenùs quomodò Petrus, ex institutione Christi, est caput Ecclesiæ, & quilibet ejus successor, quamvis de successore in Evangelio non legatur. Nam Christus Legislator optimus, Politiam Regalem & optimam instituit, non pro uno, sed toto tempore, ad diem Judicii usque. Et tàm Episcopi, quàm Curati, sunt ex institutione Christi, ut Petrus. Ceterum Petrus, aut successor ejus, ex institutione Christi non habet Dominium in temporalibus; sed solùm in illis quæ Principes seculi illi benignè, & gratis contulerunt, & conferunt. Dico tamen, de Jure naturæ esse quòd pascatur & sustineatur (si nihil habeat) secundùm decentiam capitis, pro quanto vigilat & laborat pro se, & reliqua parte corporis. Quamvis autem Leges Civiles de præscriptionibus tollat, ut in c. *Fi. De præscrip.* vel aliquas alias, hoc non arguit Pontificem habere Dominium super Reges: sed idcircò facit quòd Lex illa nutrit peccatum; & quòd actus ille non est Jurisdictionis Civilis, sed Ecclesiasticæ, ad quam spectat singula peccata salubri remedio cohibere: alioquin nullam Legem Civilem tollere potest, ut dicit Glos. in regula *Possessor. De Regu. Juris. Lib. 6.* Habet tamen Pontifex Dominium in terris Ecclesiæ à Constantino datis, quas in Italia tenet. Nam Constantinus & populus in illam donationem consensit; & quidquid sit, jam in Terris illis præscripsit, & peccat, Terras illas auferre tentans ab Ecclesia. Sed licet nullus Rex Superiorem in temporalibus agnoscat, omnium tamen Regum caput est Pontifex, quia est eorum caput in spiritualibus. Alibi autem prolixiùs materiam inter Imperatorem & Reges deduco, an nullam præeminentiam Imperator habeat super Reges.

Prætereà, reliquos Apostolos Episcopos factos à Christo diximus post Resurrectionem, & per consequens, tàm Episcopi, quàm Curati, sunt de Jure divino, quemadmodùm Romanus Pontifex; nec aliquis purus homo potest illud Jus, & illas Potestates tollere ab Ecclesia, plus quàm Summum Pontificatum; licèt Petrus Paludanus, & de Turrecremata teneant oppositum. Sed hoc quod ipsi tenent censuit in Fide hæresim Facultas nostra, & hoc idem aliis rationibus munivimus.

Digitized by Google

JOANNIS MAJORIS

Doctoris Theologi Parisiensis,

DISPUTATIO,

De Authoritate Concilii, supra Pontificem Maximum,

Excerpta ex ejusdem Commentariis in Matthæum, Cap. XVIII. *fol.* LXVIII. *Columna* III. *Editionis Joannis Granjon, Bibliopolæ Parisiensis, apud Clausum Brunelium, Anno* M.D.XVIII.

Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, &c. *Matthæi*. XVIII. 15.

CIrca literam, dubitatur an omnis excommunicatus & moriens talis, sit damnatus. Respondetur, aliquis est excommunicatus duobus modis. Uno modo justè; & tunc requiritur contumacia: si homo non sit contumax, non est dicendum Ecclesiæ. Patet per verba literæ præcedentis: si quis extra talem causam excommunicet, caveat à dicto Christi, *Omis qui gladio percutit, gladio perbit*, Mat. XXVI. 52. & hoc quando est excommunicatio lata ab homine. In excommunicatione lata à Jure, sufficeret facere factum, cujus gratiâ fertur potissimùm excommunicatio, si homo illud sciat, tunc est interpretativè contumax: parum distat si sit ignorantia vincibilis. Timeo ne multi Prælatorum, multùm peccent in nimia facilitate excommunicandi.

Ad justam excommunicationem, requiritur primò, quòd homo sit contumax, & quòd feratur Sententia, quatenùs convertatur ad rationem: ille debet esse finis excommunicationis à Superiore; & non post Appellationem legitimam.

Secundò: aliquis est excommunicatus injustè, & hoc duobus modis. Uno modo injustè, quia non servantur omnia ad justam excommunicationem requisita, & stat quòd sit vera excommunicatio adhuc, utpotè quòd homo est contumax, & excommunicatur à Superiore, odio, vel amore alteriùs. Alio modo, aliquis est excommunicatus injustè, quia deficit aliquid de essentia excommunicationis, ut potè si non est excommunicatus à suo Superiore, vel post Appellationem legitimam, vel nullo modo ob contumaciam, hoc est, non propter contumaciam formalem, vel virtualem; vel pro opere bono, hoc est, quando excommunicatio continet intolerabilem errorem. * Secundo modo, excommunicatio † injusta est timenda, & petenda est Absolutio ab ea, quia est vera excommunicatio: excommunicatio verò secundo modo, nullomodò est timenda; quia non est excommunicatio plusquam homo mortuus est homo, cùm clavis erret, & hoc pacto non est timenda excommunicatio.

His præmissis dicitur: homo excommunicatus ultimo modo, non privatur suffragiis Ecclesiæ, nec nocet ei excommunicatio, ferat tamen æquanimiter coram his qui non noverunt Sententiam esse nullam, ne videatur Ecclesiæ contemptor; sed coram doctis & casum intelligentibus, non oportet aliorum societatem aufugere.

Ulteriùs dicitur, si homo sit verè excommunicatus & est paratus quærere Absolutionem, quantùm in ipso est, non est ampliùs in peccato. Ergo stat dare multos excommunicatos realiter, salvatos: sive autem sepeliantur in Ecclesia, vel in terra sancta, vel non; non refert quo ad damnationem; licèt in loco Sacro in quo fiunt preces, homo citiùs possit liberari à pœna Purgatorii.

* *Hic videtur loco* Secundo, *legendum* Primo
† *Et loco* injusta, justa

A *Disputatio. An Papa subditus sit fraternæ correctioni, & Concilio Universali.*

QUæritur circa hanc materiam, *Si peccaverit in te frater tuus*, Matth. XVIII. 15. & *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlo*, &c. c. XVI. 19. An quilibet frater non sit hac correptione corripiendus. Et arguitur ad partem affirmativam: Eadem est ratio de quolibet fratre; ergo si unus est corripiendus, quilibet erit corripiendus. Ad partem negativam arguitur: per Ecclesiam intelligitur Prælatus Ecclesiæ; sed aliquis est Prælatus Ecclesiæ, qui non habet Superiorem, utpotè Romanus Pontifex, ergo si ipse peccet, non possumus denunciare peccatum suum Ecclesiæ. Hæc quæstio quærit, an Maximus Pontifex sit super Universale Concilium, vel super Universalem Ecclesiam, quam Concilium repræsentat.

B Super præfata quæstione sunt modi dicendi oppositi, quorum unus tenet Papam esse supra Concilium Universale: hunc modum aliqui Cardinalium tenuerunt, & tenent communiter Thomistæ; & Romæ, ut asseritur, nulli fas est oppositum tueri. Alium modum semper nostra Universitas Parisiana, à diebus Concilii Constantiensis imitata est; sic quòd in ea, qui prædictam viam tenuerit, in campo, cogitur eam revocare. Ego autem licèt possum ab hac quæstione declinare, tamen cum ita patenter incidat in caput quod tracto, vix possum dissimulare. Dicam tamen aliqua, quæ judicio eorum ad quos spectat, relinquo examinanda, & non tractabo prolixè materiam, quia hoc à via Commentariorum discederet. Duos Articulos faciam.

In priore ponam definitionem Concilii Universalis, cum unica Conclusione. *Concilium*, sic definitur, *est Congregatio ex omni statu hierarchico, quorum interest, convocata ab iis quibus incumbit, ad tractandum com-* C *muni intentione, de utilitate publica Christiana.* Per Congregationem ex omni statu, causa materialis tangitur; per hunc, vel hos quibus incumbit, causa efficiens; per communem intentionem, causa formalis; per utilitatem, causa finalis insinuatur. Hoc præmisso, ponam unam Conclusionem, quam paucis rationibus colorabo; posteà firmiores rationes occurrentes, quas alii ponderant, & quæ menti occurrunt, inducam in oppositum, & eas diluere curabo.

Conclusio sit hæc unica: *Concilium ritè congregatum, Universalem Ecclesiam repræsentans, est super Maximum Pontificem*: & capio Ecclesiam, pro Ecclesia ab eo separata. Parum refert apud alios, si eum etiam includerem, quia dicunt eum solum tantam habere Potestatem, sicut totam Ecclesiam, eo incluso. Probatur primò hæc Conclusio: quando sunt duæ Potestates A & B, & appellatur ab A ad B, & non contra; D & B, potest pro demeritis deponere & exauthorare A, & non contra; & præscribere ei Leges obligatorias; tunc B, est major A. Sed sic est de Concilio & Romano Pontifice; igitur Consequentia tenet cum Majore: & Minor probatur per verba capituli quod tractamus, *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. Romanus enim Pontifex est frater noster, habet eundem Patrem in cœlis nobiscum, & dicit Orationem Dominicam nobiscum, & est homo circundatus infirmitate, sicut alii viatores: quilibet Christianus est frater noster, 11. q. 3. Can. *Ad mensam*. Ergo possumus eum corripere, & in casu tenemur. Sed hic dicis,

Digitized by Google

dicis: possumus eum corripere in secreto, vel adducendo unum testem, vel duos, si peccatum sit iteraturus; sed non possumus dicere Ecclesiæ, quia non habet Superiorem. Isto modo intellexit Gregorius hanc authoritatem, in Registro, reprehendendo Joannem Patriarcham Constantinopolitanum, eo quod se Universalem Patriarcham scripsit, dicens: *Et nos quidem, in quibus, per ausum temerarium, culpa committitur, servamus quod præcepit veritas, dicens*: Si peccaverit in te frater tuus, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus: Matth. XVIII. 15. 17. *Et ego per responsales meos, semel & bis, verbis humilibus, hæc quæ in tota Ecclesia peccatores corrigere studui, per me scribo, quicquid humiliter facere debui non omisi, sed in ea correctione despicior; restat ut Ecclesiam, de qua paulò ante præmittitur,* Si Ecclesiam non audierit, *&c. adeam.* Ipse Gregorius qui erat Papa, non intendebat quòd ipse seipsum adiret. Simili modo, Nicolaus Papa dicit Lothario Regi, & habetur 11. q. 3. Ca. *Præcipue.*

Contra hoc, arguitur sic: Ergo Papa est deterioris conditionis, quàm alii Christiani, si non potest per Ecclesiam corrigi. Insuper per illa verba, *Dic Ecclesiæ*, datur Potestas toti Ecclesiæ, capiendo Ecclesiam pro Prælatis majoribus, & minoribus, sive pro Concilio Generali totam Ecclesiam repræsentante, quia pluraliter subjungitur, *Quæcumque alligaveritis super terram, ligata erunt & in cœlis.* Matth. XVIII. 18. Non est illic sermo de ligatione & absolutione, in Foro interiore & pœnitentiali, quia nunquam aliquis defert peccatum alterius, Ecclesiæ, in illo Foro, (etsi interdùm contingat, quòd homo non potest proprium peccatum confiteri, quin teneatur alterius delictum detegere illic) sed, ut notum est ex serie capituli, & Doctorum expositionibus, est sermo de denunciatione & correptione fratris, in Foro exteriore.

Secundò, arguitur ad idem, semper probando illam Minorem assumptam: Claves non datæ sunt Petro, nisi nomine Ecclesiæ, & nisi propter Ecclesiam; ergo citiùs datæ sunt Ecclesiæ; quia propter quod unumquodque tale, & illud magis 1. Posteriorum: Antecedens patet per Augustinum, super Joannem, & recitatur 24. q. 1. Can. *Quodcumque*, ubi sic dicitur. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis*, &c. Matth. XVI. 19. *Si hoc Petro tantum dictum est, non hoc facit Ecclesia; si autem & in Ecclesia fit, ut quæ in terra ligantur, etiam in cœlo ligentur; & quæ solvuntur in terra, solvantur & in cœlo: quia cùm excommunicat Ecclesia in terra, in cœlo ligatur excommunicatus; & cum reconciliatur aliquis in Ecclesia, & in cœlo solvitur & reconciliatur: si ergo hoc in Ecclesia fit, Petrus, quando claves accepit, Ecclesiam sanctam significavit: si ergo in persona Petri, significati sunt in Ecclesia boni; & in Judæ persona, significati sunt mali in Ecclesia*: vide Augustinum, Homilia 45. super Joannem.

Tertiò, arguitur: non solùm à Summo Pontifice, sed à Summo Pontifice, cum particulari Ecclesia, potest appellari ad Concilium, sive Universalem Ecclesiam; & Sententia Summi Pontificis, & Concilii particularis, potest solvi ab Universali Concilio: igitur Universale Concilium est super Romanum Pontificem. Antecedens patet ex Epistola Augustini ad Glorium, Eleusium, & Felicem Grammaticum. Epistola est 162. in ordine Epistolarum: illic mentionem facit de depositione Cæciliani Episcopi Carthaginensis, ab Episcopis Africanis injustè facta, quòd videntes Orbem communicare cum Cæciliano, & non cum eo quem instituerant, & cùm agerent causam cum Melciade Episcopo Romano, quatenùs eorum Sententiam confirmaret, & condemnati fuissent à Melciade, dicit Augustinus ad propositum, *Quasi non eis ad hoc dici posset, & justissimè dici: ecce putemus illos Episcopos qui Romæ judicarunt, non bonos Judices fuisse, restabat adhuc plenarium Ecclesiæ Universalis Concilium, ubi etiam cum ipsis Judicibus causa posset agitari, ut si malè judicasse convicti essent, eorum Sententiæ solverentur.* Istud etiam confirmatur authoritate Augustini, Psalmo CVI. dicentis, *Sunt enim quædam à Domino, quæ ad Apostolum Petrum propterea pertinere videantur; nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad Ecclesiam, cujus ille cognoscitur in figura gestasse personam; propter Primatum quem in Discipulis habuit; sicut illud*, Tibi dabo claves Regni cœlorum, *& similia hujusmodi.* Hoc ex Augustino superiùs allegavimus, in cap. 16. dicente, 1. Retractationum: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo, tanquam in Petra, ædificata est Ecclesia; sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse, quòd à Domino dictum est*, Tu es Petrus & super hanc Petram ædificaco Ecclesiam meam; *ut*, super hanc, *intelligeretur, quam confessus est Petrus, dicens*: Tu es Christus Filius Dei vivi: &c. ut in 16. capite diximus. Idem Augustinus Sermone 15. *De Apostolis Petro & Paulo, dicit*, Tibi dabo claves Regni cœlorum: *per hoc unitati & Universali Ecclesiæ claves dedit*: Et Libro 2. Quæstionum Veteris & Novi Testamenti, Quæst. 78. post multa verba sic ait: *Has autem claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ*: & August. in Libro. *De agone Christiano*, reprobat errorem eorum qui dicunt claves Ecclesiæ esse datas soli Petro, & non Ecclesiæ. Istud expressè tenet Hieronymus, in Commentario suo Matthæi, XVI. & Rabanus ait: *Hæc autem ligandi atque solvendi Potestas, quamvis soli Petro data videatur, tamen ceteris Apostolis datur.*

Quartò arguitur: Concilium definit nomine Ecclesiæ, & non nomine Papæ, & non nisi propter authoritatem superioritatis est, quòd ita definiat. Patet ex Actibus Apostolorum, ex quibus fundamenta Conciliorum capta sunt in Ecclesia: nam *Actuum* I. 23. scribitur, *Et statuerunt duos, Joseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Matthiam*, hoc est, Apostoli statuerunt, licèt Petrus hoc in medium proposuit: similiter, *Actuum*. VI. Apostoli omnes elegerunt Stephanum & socios ejus. Hoc ampliùs patet, *Actuum*. XVI. in quo dicitur, quomodò aliqui fratres dixerunt, oportet servare legalia: & facta seditione non minima, Paulus, Barnabas, & quidam alii ex aliis, hoc est, ex utrisque dissentientibus, ascenderunt Hierosolymam, propositurі quæstionem coram Apostolis, ubi Jacobus, nomine Concilii Universalis, licèt Petrus esset præsens, protulit Sententiam, & tota multitudo Seniorum, qui erant Hierosolymis, misit Epistolam his qui erant Antiochiæ. Patet per stylum, quia scripserunt: *Apostoli & seniores fratres, his qui Antiochiæ sunt, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex Gentibus, salutem*, & quæ sequuntur: *Act.* XV. 23. Posteà ad propositum dixerunt: ℣. 34. *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis, &c.* Ecce ergo, in hac gravi quæstione, Petrus non dedit Sententiam, sed Apostolorum & fratrum Senatus, qui Ecclesiam Universalem repræsentabat. Simile habetur, *Actuum*. XXI. Injunctum erat Paulo à tota congregatione Seniorum, quòd debebat se conformare in cæremoniis Legis. In omnibus istis Conciliis Apostolorum, multitudo omnia definit, nomine multitudinis, & non nomine Petri. Ergo volebant innuere quòd multitudo erat super Petrum, & majoris authoritatis quàm Petrus: ergo sic est faciendum in Conciliis sequentibus Si dicas, hoc Petrus eis, ex humilitate, concessit; sic dicam de Jacobo, & de multis ad Petrum spectantibus, quod Ecclesia ei permisit, ex humilitate.

Quintò arguitur: Papa potest deponi à Concilio, pro suo delicto; ergo Concilium, respectu ejus, habet superioritatem; inferior enim non deponit Superiorem: Antecedens patet, si est hæreticus, 40. *Dist. Can. Si Papa.* Sed dicis: quando labitur in hæresim, desinit esse Papa. Si hoc esset; quando laberetur in occultam hæresim, tunc incertus esset Papatus, & propterea nullus Episcopus desinit habere suum Officium propter hæresim. Insuper, vel hæresis tollit ab illo Papatum, de Jure naturæ & divino, vel

Digitized by Google

vel solùm, de Jure humano: duo prima non videntur plusquàm alia graviora peccata ** non utilimum, quis potest illam Legem statuere? Non Papa, quia par in parem non habet Imperium: si unus Papa hoc statuit, & Titius est Canonicè electus in Papam, licèt labatur in hæresim, non est obligatus, Lege prædecessoris.

Hæc superioritas patet in Can. *Nunc autem*, 21. *Distinct.* & *Can. Anastasius.* 19. *Distinct.* & *Can. Achatius.* 24. q. 1. & *Can. Si duo.* 79. *Distinct.* Fortè dicis, more aliquorum: Licèt Papatus posset à persona istius tolli; tamen Papatus non tollitur in se; vel sic, & redit in idem, nihil potest Concilium in Papam, sed deponit ministerialiter convinctionem passivam Papatus ab isto Papa. Quidam autem Dominus * Cardinalis, magnum facit factum super hoc, dicens: Papatus est à Deo, persona Papæ à Patre suo, conjunctio Papatus in persona istius, est ab homine vel hominibus; modo Concilium potest in hanc conjunctionem passivam, sed non in Papatum. Addit, nec mireris tu qui Philosophiam profiteris, quòd aliquis potest in conjunctionem formæ cum materia, qui non potest in formam. Istud non valet, & ratio est, quia coincidit cum aliis. Omnes rectè loquentes volunt, quòd dignitas Papalis est à Deo, & persona Papæ est à parentibus suis, & causis universalibus, licèt applicatio Papatus sit ab hominibus: deponere Papatum ab isto qui est Papa, est eum Papatu exuere, & habere authoritatem super virum qui est Papa; sicut separans formam intellectivam à materia, hominem perimit, licèt formam intellectivam non perimat. Et licèt Papatus sit persona Papæ, puta Leo X. potest tamen hic desinere esse Papa (Leone demonstrato) quando desinit esse Leo. Concilium ergo potest deponere Papam, in casu hæresis, & in omni casu quo pertinaciter Ecclesiam scandalizat incorrigibiliter & contumaciter, ut rectè dicit Glossa, in Canone præfato, *Si Papa*, ubi quærit, quare potest accusari citiùs in hæresi, quàm in alio crimine. Dicit: *Certè credo, si Papa esset incorrigibilis, & peccatum ejus esset notorium, & scandalizaret Ecclesiam, posset accusari: nam contumacia est hæresis*, ut patet, 81. *Distinct. Can. Si qui Presbyteri*: & contumax, dicitur infidelis, ut 38. *Distinct. Can. Nullus.* quam Glossam, dicit Panormitanus, in caput *Significasti. De electionibus*, esse singularem, & fermè ab omnibus approbatam. Idem dicit Ludovicus, in consilio 73. quod incipit, *Quæstio discutienda*: alii dicerent id esse verum, in hæresi solùm propriè dicta; sed reverà, ista Glossa apparet fundata in æquitate naturali.

Arguitur sic sexto: Rex utilitatem Reipublicæ dissipans & evertens incorrigibiliter, est deponendus à Communitate cui præest; ergo Maximus Pontifex, si procedat de vitio in vitium, notoriè & incorrigibiliter, est deponendus; tenet Consequentia: alioquin melius esset provisum Politiæ seculari, quàm Ecclesiæ. Si dicis, non est idem; Rex non habet robur & authoritatem, nisi à Regno, cui liberè præest. Pontifex habet authoritatem à Deo, propterea non est idem. Scio non esse idem adæquatè; tamen quo ad hanc similitudinem, censeo idem esse, cùm Dominus dederit Potestatem Ecclesiæ immediatè, corrigendi fratres, *Matth.* XVIII. & nullus frater est exceptus: ergo, si Papa est incorrigibilis, est deponendus, & non nisi à Superioribus ejus. In hoc igitur, dicere quòd oportet pro eo solùm rogare Deum, & quòd non est aliud remedium, est unum extraneum sine ratione.

Septimò, arguitur: Christus Legislator optimus, reliquit optimam Politiam in Ecclesia; sed hîc est optima Politia, dando Politiam Regalem, hoc est, unum caput, quod si laboret ad destructionem sui & totius corporis, quod reliquum corpus potest ponere ei cauterium. Primò, cum humiliter monendo, procedendo secundùm ordinem Evangelicum jam sæpe dictum, & si sit incorrigibilis, eum à Papatu exuendo: plura vident oculi, quàm oculus, & unum delinquentem corrigere habent.

Octavò, arguitur: quilibet debet sequi illum modum qui est lumini naturali conformior, nisi de opposito doceatur per Legem divinam: sed conformius est lumini naturali, quòd caput incorrigibile authoritate sua exuatur, ut alii timorem habeant, & ad benè agendum animentur: & adversariorum rationes solventur *** quamcumque Legem habuerunt; ergo hic modus est conformior. Et confirmatur istud exemplariter. Si Rex Francus iret Hierosolymam, & Regnum suum alicui Principi relinqueret moderandum, qui omnia perverteret, malè meritis dando Officia, & probos deprimendo; quis judicaret, quin Regina probè ageret, resistendo Principi illi? Imò illa est intentio præsumptiva Regis. Sed sic est in propositio: Christus ascendit ad Patrem, Vicario vices suas commisit, ejus sponsa est Ecclesia: si Vicarius, more Principis *A* incorrigibiliter procedet; quis diceret quod Ecclesia malè ageret, privando Vicarium authoritate sua?

Nonò, arguitur: hac via reformabitur tàm caput quàm membra, & opposito dato, caput nunquam reformabitur, imò ad monstruositatem capitis, multa mala sequentur, secundùm antiquum diverbium, *Quando caput dolet, cetera membra dolent*: & malitiam capitis, communiter, inferiores imitantur. Ad motum primi mobilis, moventur sphæræ inferiores, & talia sunt subjecta, qualia afficiuntur ab eorum prædicatis.

Decimò, arguitur: hoc sacra & sancta Synodus Constantiensis definivit, quòd Concilium habet authoritatem immediatè à Deo, tàm super Romanum Pontificem, quàm super reliqua membra: modo, Concilium legitimè congregatum non potest errare.

Dicis: solùm illi de Obedientia Joannis XXIII. definiverunt, & Prælati Gregorii XIII. & Benedicti XIII. hoc non admiserunt. Istud non est vero simile: Cardinalis Cameracensis, Nicalaus Cusanus, Cardinalis Petri ad vincula, Patriarcha Antiochenus, & Joannes Gerson, viri famatissimi, in Concilio existentes, nunquam illud pro medio cepissent, si Concilium non fuisset conclusum à majore parte Concilii, & per consequens, à toto categoricè. Tùm secundò, non restrinxissent illud schisma, quod XL. Annis duravit, de duobus, vel tribus Pontificibus eligendis: sed si dissensissent Patres trium, vel duarum Obedientiarum, iteratò novos elegissent, quod tamen non fecerunt, sed unanimiter Martinum V. elegerunt. Fortè dicis: Concilium Constantiense loquebatur in illo facto, quo erant tres contendentes de Papatu, & per consequens, nullus fuit Papa indubitatus, & in hoc casu ancipiti, Concilium est super Papam. Contrà: Aliquis istorum trium, vel duorum, erat verus Papa, & Concilium est super talem, & eum deponit; ergo realiter, tanquam superioritatem habens, Papam deponit. Secundò, famati viri qui Concilio interfuerunt, non usi fuissent illâ Maximâ universaliter, ad probandum modum quem teneo; & de aliis Conciliis non longè absimile legimus. Hac theorica usum est Concilium Basileense: dicit quidam, utrumque Concilium deliravit, concludendo hanc propositionem in decimo Argumento tactam. Secundò, definiverunt quòd Concilium congregaretur de decennio in decennium, & tamen ad Romanum Pontificem solum spectat tales Leges imponere. Tertiò, Concilium Basileense noluit se mutare ad instantiam Eugenii IV. quamquam spectat ad Pontificem locum mutare, ut certum esse dicit.

Sed iste non rationabiliter loquitur de Concilio Constantiensi, quod cum maximis Conciliis potest æquiparari; nec egrediebatur limites suos Concilium Constantiense: quia cùm definivit quòd Superioritatem haberet, respectu Pontificis; pote-

* *Cajetanum intelligit.*

Digitized by Google

poterat ei imponere Leges obligatorias. Eodem modo dicitur: Pontifex non potest mutare Concilium congregatum, Concilio dissentiente; quia inferior non potest Superiores movere, eis nolentibus. Alius dicit: Concilium Basileense peperit basiliscum, sed ille est imitator beati Thomæ, volens authoritatem Concilii enervare, quod concluserat Divam Virginem non fuisse in Originali conceptam.

Undecimo arguitur: perpetua plenitudo Potestatis residet in Ecclesia, juxta verba Christi, Matthæi ultimo, *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*: sed si illa plenitudo esset in Papa, esset mortalis, & corruptibils ad mortem Papæ; non sic in Concilio & in Ecclesia, in qua aliquibus mortuis, alii succedunt, *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii*; Ps. XLIV. 17. Ergo Universalis Ecclesia est perpetua, vel perpetua est Ecclesia; nec refert iste modus loquendi in proposito, quia Ecclesia Universalis nunquam moritur, Can. *Turbatur*. 2. q. 4. sicut in temporalibus loquitur Aristoteles, 3. *Politicorum*. 8. dicens quòd regimen civitatis debet manere & consistere secundùm ordinationem politicam, apud valentiorem partem ipsius civitatis.

Dicis; dignitas Papalis est perpetua in sua causa, quia homines possunt statim Pontificem eligere. Contra hoc arguitur: possunt homines diù stare ab electione; & varios eligere, ut fuit ante Concilium Constantiense, ad XL. Annos; ergo si Concilium esset congregatum, posset omnem Potestatem exercere, quam potest Romanus Pontifex: alioquin Deus Politiam Ecclesiasticam non benè instituisset; sicut mortuo Rege, sine herede adulto, Communitas potest exercere omnia quæ Rex potest in vita. Nec valet dicere: Rex habet authoritatem ab hominibus quibus præest, qui sunt susceptivi omnis Potestatis cujus Rex est capax: non autem sic hîc, quia Summus Pontifex est à Deo. Hoc nihil est dictum; licèt enim Romanus Pontifex sit à Deo, tamen non est vero simile, quòd Deus non reliquerit illam Potestatem in Ecclesia, sicut illa Potestas Politica residet inter homines unius Regni.

Possent prætereà multæ aliæ authoritates Pontificum ad hanc Conclusionem positam adduci, quòd scilicet multò majoris authoritatis sunt, quàm Concilium, & possent etiam multæ aliæ rationes in medium adferri ad id positum: sed istis contentus supersedebo.

Solutio Argumentorum Cajetani.

NUnc adversariorum rationes in medium afferam: & videamus præ oculis, si solvi possunt in radice, sine scrupulo veracis replicæ. Contra hunc modum, sive contra hanc nostram Conclusionem arguitur, per caput *Significasti*, *De electione*, ubi sic dicitur: in Conciliis statutum non inveniri, quòd Romanæ Ecclesiæ Legem ulla Concilia præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ authoritatem, & facta sint, & robur acceperint, & in eorum Statutis, Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas, ut patet, 17. *distinct.* per totum. &. 3. q. 7. *Can. Dudum*

Respondet Joannes Gerson, Doctor vocatus Christianissimus, loquendo contra errores Petri de Luna; *Quòd Jura Romanorum Pontificum*, *sunt reverenter glossanda*, *& interpretanda conformiter ad Legem divinam*; *aliàs non merentur dici Jura*: quòd si quis contendere voluerit illa esse vera, ut jacent, ait, *Cum libertate Evangelica, hac Jura negabimus.* Hoc autem præposui omnibus solutionibus argumentorum, ut videas, quòd Doctor & apparenter dixisset, *Adducantur Jura divina, vel Sanctorum authoritates*, quibus fides adhibenda est in hac parte: propterea non mirabere, si dem in hac parte aliquas expositiones quæ Pontificum textibus, prima fronte, videbuntur alienæ: sic enim in multis materiis problematicis, cùm sint rationes, vel authoritates hinc inde apparentes, quid mirum si non semper eamus ad corticem verborum, & ad hoc quod verba, prima fronte, prætendunt? Multi passus Pontificum dari possunt, qui omninò oppositum insinuent, ita quòd Commentatores dicere solent, ecce Argumentum quòd Concilium est supra Papam, sicut & converso. Hoc non obstante ad singula quæ ponderanda judico, respondere curabo.

Dico quòd caput *Significasti*, allatum, duas habet partes. Prior est; Concilia congregantur authoritate A Romani Pontificis: secunda pars est; robur Concilia accipiunt à Summo Pontifice, & ejus authoritas est patenter excepta, &c. Dico quòd ad eum spectat convocare Concilium, & ita facit communiter, & sic aliquo modo dat robur Conciliis, quia est causa congregandi Concilii: sicut ad aliquem sensum concedi potest, quòd Sacerdos dat characterem baptismalem, quia ponit requisita ad hoc, ut characterem Deus infundat. Etiam Pontificis authoritas, communiter est excepta in Conciliis, quia multæ Conciliorum definitiones sunt humanæ, & interdùm patiuntur exceptionem & epieikeiam, & Concilium non potest semper congregari; ergo rationi consentaneum est habere aliquem, qui in illa materia dispenset, ille erit Romanus Pontifex: & hoc sufficit capiti *Significasti* in medium allato.

B Secundò, dico; ubi Pontifex non esset, vel esset captivus, vel demens, vel nollet Concilium congregare, quando ratio jubet ipsum esse congregandum, Concilium potest & debet congregari, Papa contradicente; & talem authoritatem Ecclesia habet à Deo, sicut Communitates aliæ humanæ, in suis Politiis: & ubi Concilium esset congregatum, sive à Cardinalibus, sive à Maximo Pontifice, sive à semetipso, æqualem authoritatem habet & robur æquale, & hoc robur immediatè habet à Deo, per illa verba Matthæi XVIII. 17. *Dic Ecclesiæ*, qui *si Ecclesiam non audierit*, &c. *Amen dico vobis ubicumque fuerint duo vel tres congregati*, &c. ℣. 20. & ca. ult. ℣. 20. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

Tertiò, ubi Concilium contradiceret Pontifici in statutis, Pontifex nec potest dispensare; positiva humana sunt ei relicta ad dispensandum, si Concilium majoris authoritatis ei non prohibeat.

Sed contra illud arguitur: Quando Romanus Pontifex est in Concilio, ipse Leges statuit & imponit, & non Concilium, quod solùm consulit, & Papa definit, sicut viri Regem consulunt, & ipse definit, & Leges imponit: Patet illud, *De consanguin. & affini.* Cap. C *non debet*, in §. *Cum ergo*; ubi dicit Innocentius III. *Cum jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta, ita eam volumus esse perpetuam, non obstantibus Constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel à nobis.*

Respondetur: communes definitiones Conciliorum emanare à nomine, & sub nomine Concilii; & ille modus est melior, tùm quia summa authoritas in Concilio residet, quod in Fide & moribus errare nequit. Tùm secundò, modus ille est conformior deliberationibus Concilii Universalis Apostolorum, ut patet ex superiùs allegatis, ex lectione Actuum, quæ est emanatio sub nomine Papæ existentis in Concilio, est à præcone Legis, ipse est nobilius membrum in Ecclesia: propterea Concilium permittit quòd sub ejus nomine fiat emanatio Legis, licet ponatur utrobique aliquid sapiens de authoritate Concilii, ut patet in Decretali al- D legata; Approbante Concilio: & posteà utitur plurali numero, ad se, & Concilium designandum, *De summa Trinit. & Fide Catholica*, Cap. *Damnamus*, dicitur: *Nos autem, Sacro approbante Concilio, credimus & confitemur, &c.* Idem patet: *De jurejurando.* Cap. *Nimis*, & in plerisque aliis locis. Et ad formam argumenti, nego quòd Concilium solùm consulit, imò consulendo definit, & definiendo consulit, sicut in deliberationibus Capitulorum, quilibet suam assertionem & opinionem in medium affert, & causam dicti sui reddit, & à pluralitate concludit, sicut Rector Parisiensis Academiæ facit. Ex quo fit, ut tot sint partialiter definientes in Con-

Digitized by Google

Concilio, quot deliberationes in eodem habent: partialiter autem definire, eſt abſolutè definire.

Secundò, arguitur: ex Can. *Nemo* 9. q. 3. ſcribitur; *Nemo judicabit primam Sedem: neque enim ab Auguſto, neque ab omni Clero, neque à Regibus, neque à populo Judex judicabitur.* Non valet dicere; nullus homo poteſt ipſum judicare, quia illic in litera ſequitur, *neque à toto Clero*, ibi Clerus eſt nomen collectivum; ergo Canon ille vult dicere quòd tota Eccleſia non poteſt Papam judicare; ergo ille modus dicendi eſt nullus, qui dicit quòd Papa eſt ſuper unamquamque Eccleſiam, non tamen ſuper totam (excludendo Pontificem): & confirmatur hoc. Papa dicitur Rector univerſalis Eccleſiæ, & gregis Domini Rector: ut patet, *De electiòn.* in VI. capit. *Ubi periculum eſt.* Unde in oratione dicitur: *Deus omnium fidelium Paſtor & Rector, famulum tuum Papam noſtrum, quem Paſtorem Eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti, &c.* Et ita de multis authoritatibus, quæ videntur ſonare quòd Romanus Pontifex Paſtor eſt totius Eccleſiæ, pari forma quomodò eſt corpus ſine capite: & non eſt aſſignandum unum corpus, niſi totalis Eccleſia. Reſpondetur: Canon ille ſuam expoſitionem ſecum adducit, quia dicitur, *Nemo judicabit primam Sedem, juſtitiam temperatè deſiderantem*: dummodò igitur exerceat juſtitiam, non eſt judicandus, quia *Juſto non eſt Lex poſita*, ſecundùm Apoſtolum, 1. *Tim.* 1. 9. ſecùs eſt autem in multis caſibus.

Ad alias authoritates, dicitur communiter quòd exponuntur de particularibus Eccleſiis: & quia Papa nullum Superiorem habet in terris, ideò dicitur Paſtor Univerſalis Eccleſiæ, & illud poteſt exponi ad bonum ſenſum; ego autem pro omnibus authoritatibus, eas concedo regulariter, & communiter, quòd eſt Rector Univerſalis Eccleſiæ, & caput Eccleſiæ, & curam ejus habet ſecundùm verbum Chriſti, x. Joannis. 16. *Alias oves habeo, &c fiet unus Paſtor & unum ovile, &c.* & ſecundùm authoritates adductas, & plures quæ adduci poſſunt; hoc tamen ſtat in caſu particulari, quòd tota Eccleſia & Concilium ipſam repræſentans, Papa ſecluſo, eſt ſuper ipſum, ut quando eſt collectum. Exemplum in ſimili: Franciſcus dicitur communiter Rex totius Regni Franciæ, & non modò eſt ſuper unam Provinciam Galliæ; ſed ſuper totam categorematicè, non obſtante quòd præcipua pars eſt ſuper ipſum, à qua authoritatem habet, quæ non poteſt tollere ab eo Regnum ſuum, ſine rationabili & arduiſſima cauſa. Sic Romanus Pontifex eſt regulariter ſuper totam Eccleſiam, pro aliqua parte, vel eſt ſuper totum corpus, cui præeſt, tanquam caput regulariter: ſed habitualiter & virtualiter, Eccleſia eſt ſuper ipſum; & ſi Concilium eſſet collectum, Univerſalem Eccleſiam repræſentans actualiter, habet ſuperioritatem, & eam exercere poteſt in Papam. Si contrà dicat, in hoc ſolùm eſt diſcrimen; Pontificatus eſt de Jure divino, & ex inſtitutione Chriſti, & Rex habet Regnum à toto populo: (nunc de Saüle, Davide Regibus Judæ & Iſraëlis non loquor.) Reſpondeo; ſed authoritas communicata eſt Eccleſiæ à Chriſto, ſicut Summus Pontificatus, & authoritas illa non dependet ab authoritate Summi Pontificatus, ſed immediatè à Deo, & ſic aliquo modo convenit Poteſtas Eccleſiæ, cum Poteſtate populi unius Regni, & aliquo modo differt; nam quo ad ſuperioritatem convenit, ita quòd ſicut populus virtualiter eſt ſuper Regem, & in caſu, ut in rebus arduis, in quibus convocantur tres Status Regni, qui Regem in caſibus habent dirigere: ſic in caſibus arduis, Concilium Univerſale ritè congregatum, habet Leges obligatorias Pontifici imponere, quo ad ejus perſonam, & non quo ad dignitatem ipſam. Hoc pro tanto dico, quòd corpus Eccleſiæ non poteſt mutare Politiam Regalem Eccleſiæ in Ariſtocratiam, vel Timocratiam, quia tunc contraveniret inſtitutioni Chriſti: populus autem liber, pro rationabili cauſa, poteſt Politiam mutare.

Sed contra illud arguitur: Caput verum, eſt ſuper totum corpus, & ſemper; ergo Romanus Pontifex eſt ſuper corpus myſticum, in omnem eventum; & per conſequens, corpus collectum, nullam ſuperioritatem habet caſualiter ſuper Papam, qui eſt caput ſuum. Reſpondetur. Caput verum non eſt ſupra totum corpus; quia corpus, etiam caput, & reliquas partes includit: quemadmodùm caput animalis veri,
A non ſupra totum animal eſt; ſic Papa non eſt ſupra totam Eccleſiam, quia Papa eſt pars Eccleſiæ, quomodo Papa non eſt ſupra ſe, ſi loquaris de aliis partibus, ſicut in diſtributione accommoda dicere ſolemus: tunc dico, quòd non eſt omnimoda ſimilitudo, caput verum eſt ſupra totum corpus, ſemper capiendo corpus pro reliqua parte: non autem Papa ſuper corpus myſticum, nec quo ad hoc eſt ſimile. Ad ſimilitudinem non requiritur omninò ſimilis ſimilitudo: nam Chriſtus qui eſt caput eſſentialis Eccleſiæ, *ad Epheſios*, 1. hoc modo eſt ſuper totum corpus, includendo Pontificem, & reliquum corpus Eccleſiæ, & Chriſtus regulariter & in omnem eventum, eſt ſuper totum corpus, & totam Eccleſiam, quæ etiam vocatur corpus Chriſti myſticum, cujus caput eſt Chriſtus, hoc eſt, caput eſſentiale, ſive Papa ſit, ſive non ſit, ut cum eſt mortuus. Poteſt aliquis dicere, ad exemplum hominis vivi, caput nonnumquam eſt propinquius centro quàm corpus,
B quando indiſpoſitè & contortè ſtat ſuper caput: ſic quando Papæ demerita requirunt ſuperioritatem corporis, tunc corpus actualiter eſt ſuper eum: Fortè dicis: Papa eſt caput Eccleſiæ; ergo habet aliquod corpus, capiendo corpus pro illo quod eſt ei ſubjectum, & regulariter, in omnem eventum, inconveniens eſt quòd ſit aliquod caput, cui non detur aliquod corpus.

Præterea objicitur; Papa eſt ſuper hanc particularem Eccleſiam regulariter & caſualiter, & ſuper illam regulariter & caſualiter, & ſic de qualibet alia; ergo ſuper omnes Eccleſias particulares regulariter & caſualiter; ergo ſuper totam.

Præterea Epiſcopus Pariſinus eſt ſuper totam ſuam Diœceſim regulariter & caſualiter; ergo & Romanus Pontifex ſuper totam Eccleſiam. Tenet conſequentia; totam Chriſtianitatem habet Papa pro Parochia; ſicut Pariſinus Epiſcopus Pontificatum Pariſienſem.

Ad has rationes reſpondetur, negando quòd Papa ſit caput totius Eccleſiæ, illo modo; & ſicut non habet re-
C liquam partem corpus hoc modo ſumptum, ſic non eſt caput hoc modo: concedo quòd eſt caput regulariter; ſed non propterea ſequitur quòd habeat corpus adæquatum totam Eccleſiam, in omnem eventum; ut patet de Rege & ſuo Regno.

Ad ſecundum Argumentum, concedo Antecedens in ſenſu copulativo ſeu diviſo; ſed nego Conſequentiam, ſive *ly, omnes* capiatur collectivè, ſive diſtributivè: ſi ſecundo modo capiatur, habet unam ſingularem falſam, ſcilicet in ſingulari numero; ſequitur benè in ſenſu diviſo, quòd Papa eſt ſuper omnem Eccleſiam particularem: at ſi capiatur, *ly, omnes* collectivè, manifeſtum eſt quòd non eſt in ſenſu diviſo, ſed in ſenſu copulato: hæc enim eſt diſtinguenda; Papa eſt ſupra hanc Eccleſiam particularem, regulariter & caſualiter ſimul, & Papa eſt ſuper hanc aliam Eccleſiam particularem, regulariter & caſualiter ſimul, & ſic de ſingulis. In ſenſu enim copulativo, iſta propoſitio eſt vera; in ſenſu verò copu-
D lato eſt falſa, nec prior infert ſecundam; ſicut non ſequitur, iſte Sol eſt hac parte major, & iſte Sol eſt illa etiam parte major, & ſic de ſingulis; ergo in ſenſu compoſito, eſt utraque parte major: Antecedens enim eſt verum, ut liquet, & conſequens falſum, cùm totum eſt omnibus ſuis partibus æquale, vel realiter idem cum ipſis; ut ſanior tenet poſitio.

Ad aliud argumentum quo dicis: Epiſcopus Pariſienſis eſt ſupra totam ſuam Diœceſim, &c. concedo Antecedens, & nego Conſequentiam. Nam Epiſcopus Pariſienſis poteſt in aliquam operationem in qua nul-

lus

lus suæ Diœcesis potest exire, potest confirmare, Ordinesque conferre, quod nullus in sua Diœcesi facere potest, non habet Episcopum in sua Diœcesi ei subjectum. Tota Ecclesia, vel Concilium Ecclesiam repræsentans, potest facere omnia quæ potest facere Papa, & aliquam prærogativam habet ultra Papam, ut posthac ampliùs dicetur. Aliquis est super unumquemque suæ familiæ, & super omnes regulariter & casualiter: alter verò quamquam major; non sic est super omnes. Exemplum de patrefamilias, respectu liberorum & famulorum, quos pro sua utilitate sibi acquisivit, & sic de uno parvo Dominio: Rex tamen non est super omnes in Regno regulariter & casualiter, quia vel electus est, vel ejus primus prædecessor erat electus à populo, pro communi populi utilitate, & non pro sua.

Contra dicta arguitur. Ex his sequitur quòd Politia Ecclesiastica non esset optima, cùm non sit Regalis, quam Aristoteles, VIII. *Ethic.* Politiarum optimam reputat. Consequens est inconveniens, & quòd sequatur patet. Cùm Concilium est supra Papam, Politia potiùs debet dici Aristocratica, imò tota Ecclesia in Orbe est super eum, & sic Politia Ecclesiastica est Timocratica, quæ est Politiarum infima & rarissima.

Respondetur. Aliqui dicunt Politiam Ecclesiasticam esse mixtam, sed non sic dico. Ad argumentum nego sequelam, & nego quòd Politia Ecclesiastica non sit optima; & quòd non sit Regalis. Ad Politiam verò Regalem, non requiritur quòd Rex sit super omnes sui Regni, tàm regulariter, quàm casualiter, ut ex dictis liquet: sed sat est, quòd Rex sit super unumquemlibet, & super totum Regnum regulariter; & Regnum sit super eum casualiter, & in aliquo eventu. Sic est etiam de Politia Ecclesiastica; Papa regulariter est super unumquemlibet, & super omnes in Christianismo dispersos casualiter: sed quando Concilium Universale est congregatum, est super Romanum Pontificem. *Exodi* XVIII. Constituti sunt Tribuni, Centuriones, Quinquagenarii, & Decanii in sublevamen Moysis, & Seniores, de quibus superiùs loquuti sumus.

Fortè dicis, Moyses erat super omnes istos; ergo & Pontifex est super Concilium Universale: negatur consequentia; non fuit data hæc authoritas Ecclesiæ Mosaïcæ, vel saltem illis paucis viris, quæ data est toti Ecclesiæ Christianæ.

Sed contra illud arguitur: Christus, ex supradictis, est supra totam Ecclesiam, sive dispersam, sive collectam, sive casualiter, sive regulariter: sed Papa est Vicarius Christi & Præsidens ejus in terris; ergo est super eandem Ecclesiam, in omni illo sensu dicto.

Respondetur. Concedo Majorem, & Minorem; sed nego Consequentiam cum consequente: raro enim Vicarius habet materiam ita latam, & sic acceptam, sicut ille cujus est Vicarius. Christus est super totam Ecclesiam, & super Papam, nec sic etiam est Romanus Pontifex. Secundò, Christus potest mutare Sacramenta, & facere quòd fiat Baptismus in aceto, vel vino, & non in aqua: quòd Corpus Christi consecretur in alia materia quàm in pane, ut in caseo, vel in carne; non autem Romanus Pontifex.

Tertiò, arguitur. In Papa est suprema Potestas Ecclesiastica, & in Concilio est alia Potestas suprema, & illæ Potestates realiter distinguuntur, quia sunt in variis subjectis: modò pluralitas Principum est mala XII. *Metaphy.* Ergo non sunt duæ Potestates supremæ; & Potestas Papalis est suprema in Ecclesia, ut notum est; ergo Potestas Ecclesiastica non est suprema, & est Potestas: ergo est Potestati Papæ subjecta.

Respondetur. Potestas Ecclesiastica in recto, nihil aliud est, metaphysicè loquendo, quàm homo, vel homines Potestatem habentes: aliquid tamen importat vocabulum, vel connotat, ut patet per definitionem ejus; & per consequens, suprema Potestas non est tanquam accidens in Papa inhæsivè, vel in Concilio. Non pono relationes reales, vel rationes distinctas à fundamento & termino: sed Metaphysicâ relictâ, ad rem respondendo, dico, quòd est eadem Potestas, per regulam topicam, *Ubi unum propter alterum, ibi alterum tantùm*, ut patet in Extravag. Bonifacii VIII. *Unam sanctam.* Hoc declaro exemplariter; est suprema Potestas in Christo, & suprema in Maximo Pontifice: illic reducam idem argumentum contra te. Similiter in Regno Francorum, vel Scotorum; est suprema Potestas etiam in eorum Regibus, meliùs dicantur duæ Potestates realiter, quarum una est superior & illimitatior quàm alia, ad quam alia subordinatur, & sic est quodammodò una: sic est in proposito. Potestas Christi super Ecclesiam est illimitatior quàm Potestas Papæ, quæ habet limites certos, in quos potest, non autem sic Deus; sicut equus circulariter movens lapidem molendini, habet certos limites in quos incedere habet, non autem homo equum dirigens, sed licenter vagatur ubi vult: sic de Christo, non potente malè agere, & potente facere omne quod non implicat. Non sic autem est de Romano Pontifice. In Christo est suprema Potestas regularis & casualis independens, qui potest omne quod non implicat contradictionem: in Pontifice est suprema Potestas Ecclesiastica regularis, qua potest in Ecclesiæ ædificationem, à quo non licet appellare regulariter; sed cùm possit errare, & malè agere, non esset rationabile quòd non liceret à tali Sententia appellare casualiter. Est una alia quodammodò superior Potestas & illimitatior, scilicet Potestas Concilii, quod non potest errare in Fide, vel esse in quolibet ejus membro peccato obnoxio, à quo in terris non licet appellare; sed in Sententia ejus standum est ultimatè, sicut in specialissimis jubet Plato quiescere.

Concilium Universale repræsentat totam Ecclesiam, quæ est sine macula & ruga, Christi sponsa: & sicut repræsentatum non potest errare, ita nec repræsentans, ut piè creditur, secundùm promissionem Christi, *Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*, Luc. XXII. 32. Non loquitur de Fide personali Petri; quæ defuit post illam promissionem; quod Christus innuebat dicens: *Et tu conversus aliquando, confirma fratres tuos.* Hoc ad personam Petri dixit: nec inconvenit in eadem authoritate hypothetica, quòd una pars intelligatur de Ecclesia, cui Petrus præest, & alia pars de persona Petri: sicut in simili dicitur, *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me*: Joan. X. 18. Similiter in Regno, & in toto populo libero, est suprema & fontalis Potestas inabrogabilis; in Rege verò, Potestas ministerialis honesto ministerio; & sic aliquo modo sunt duæ Potestates: sed quia una ordinatur propter aliam, potest vocari una effectualis, sicut est in Ecclesia. In Pontifice autem est Potestas suprema regularis ad Ecclesiam ordinata, unde illa est illimitatior in Ecclesia; & sic cùm una ordinetur propter alteram, quodammodò potest dici una Potestas: Papa enim est immediatum caput à Christo, in suo genere, & Ecclesia est immediatè à Christo, in suo genere. Pontifex est Vicarius Christi, & Ecclesia est ejus sponsa, cujus Papa est caput, ad dictum sensum, & minister, secundùm quod in suis Literis dicitur, *Servus servorum Dei*, modò omnes de Ecclesia sunt servi Dei.

Sed contra illud, *Concilium, vel Ecclesiam esse sanctam*, non arguit Ecclesiam habere superioritatem super Pontificem; quia sic vetula sancta, esset super Pontificem Maximum: idem patet de *non errare*; ergo malè ex talibus concluditur superioritas inter Pontificem & Concilium. Etiam Concilia multa errarunt; ergo Concilium potest errare sicut Pontifex. Et confirmatur illud: non sunt confirmati, nec possunt non errare, vel mortaliter agere, plusquàm Pontifex. Igitur.

Digitized by Google

Respondetur, (concedendo Ecclesiam esse sanctam, non arguit eam habere authoritatem, &c.) quòd multa sunt alia quæ coadjuvant: nam cùm semper Ecclesia sancta sit, errare nequit; unde ad eam spectat reformare unumquemlibet, tàm in capite quàm in membris, cum ceteris allegatis. Ergo concluditur quòd in Ecclesia est suprema Potestas in terris. Ad aliud nego quòd Concilia ritè congregata errarunt: & nego quòd non sint in gratia confirmati: & patet ex superiùs allegatis, ubi loquuti sumus de sanctitate Ecclesiæ.

Ex omnibus patet, quòd parum refert, licèt dicantur duæ supremæ Potestates, sive non, distinguendo quòd sint duæ; quia una in aliam reducitur, quod idem est. Aristoteles autem loquebatur de prima causa: Inconveniens est dare duas primas causas: quæro abs te, an Aristoteles non vocasset Regem supremum in suo Regno, primum est caput; & certum est quòd sic dicere debebat, non obstante quòd populus liber, est super Regem casualiter, id est, in casu quo Regnum Rex in tyrannidem converteret; & etiam incorrigibilis potest à populo deponi, tanquam à superiore Potestate: ita debebat Aristoteles dicere; Rex terrenus, est primæ causæ, seu primo motori subjectus, in causis subordinatis, quarum una ordinatur propter aliam, non inconvenit dare duo prima.

Quartò, arguitur, contra primam probationem, quæ stat in illa authoritate, *Matthæi*. XVIII. per quam probatur quòd claves sunt collatæ Ecclesiæ. Si hoc esset verum, sequeretur quòd claves priùs erant collatæ Ecclesiæ, quàm Petro; hoc est inconveniens: igitur. Quòd sequatur patet; licèt claves Ecclesiæ erant promissæ Petro, *Matthæi*, XVI. non tamen erant ei collatæ in vita Christi, nec conveniens erat, cùm Christus adhuc vivebat vita mortali. Collatæ ergo fuerunt Petro post Resurrectionem: sed ante claves sunt collatæ Ecclesiæ, per illud Matthæi XVIII. 18. *Amen dico vobis quæcumque alligaveritis, &c.* Quòd sit inconveniens, patet; quia tunc Ecclesia poterat instituere unum Summum Pontificem, qui tunc fuisset caput in Ecclesia, antequam Christus caput instituisset, vel dato quòd Christus caput non instituisset. Patet: sicut populus liber in magna quantitate, potest sibi constituere Regem; sic totus populus habens in se claves, poterat instituere unum caput. Fortè dicis non, quia Episcopi non poterant constituere Episcopum. Contra hoc arguitur; supposito quòd fuissent Episcopi, poterant caput Episcopum instituere: similiter laïcus potest esse Papa in sensu composito, sicut non Sacerdos est Curatus, & potest habere Jurisdictionem in Foro exteriore. Respondetur concedendo totum illatum; sed illa institutio fuisset solùm humana, & poterat iterato deponi ab hominibus: non est sic de Petri institutione & successoribus ejus, qui Primatum habent ex institutione Christi.

Quintò, arguitur; & est secundum argumentum contra eandem probationem. Quando dicitur, *Dic Ecclesiæ*, Matth. XVIII. 17. vel intelligitur Prælatus Ecclesiæ, vel intelligitur tota Ecclesia, vel Concilium ipsam repræsentans: non secundum, quia tunc quilibet deberet solùm adire Ecclesiam, vel Concilium Universale, & si sic, rarissima esset ista correctio Evangelica; ergo primum habetur, quòd per Ecclesiam intelligitur Ecclesiæ Prælatus; & confirmatur, quia Glossa ita exponit Ecclesiam. Respondetur: sermones sunt accipiendi secundùm materiam subjectam. Per Ecclesiam intelligitur ille qui habet Jurisdictionem castigandi, sive sit Prior, Abbas, Decanus, Archidiaconus, Concilium Provinciale, aut Universale; modo Papa non habet supra se, nisi Concilium; ergo Ecclesia in ejus correctione adibit Universale Concilium ritè congregatum.

Sextò, arguitur ad idem: Concilium Universale non potest exercere illa omnia quæ potest Romanus Pontifex; ergo non est tantæ Potestatis, sicut Romanus Pontifex. Antecedens patet: Concilium non potest dare Indulgentias, conferre Beneficia, nec dare Ordines, cùm non sit Sacerdos.

Septimò, arguitur: Ecclesia dicitur una, & non nisi ab unitate capitis; ergo est unum caput.

Ad Sextum, respondetur, negando Antecedens: potest dare Indulgentias. Papa dat Indulgentias de thesauro Ecclesiæ, à fortiore Ecclesia de illo thesauro dare
A potest Indulgentias; potest dare Beneficia, ferre Canones latæ Sententiæ, restringere materiam Matrimonii, dispensare in Beneficiis, creare Cardinales, & omnia facere potest, quæ potest Romanus Pontifex, hoc est, Maximus Pontifex: quia ubi Papa ibi Roma.

Ad Septimum, respondetur: quando nullus est Papa, Ecclesia non est minùs una, quàm vivente Papa, quia *Ecclesia dicitur una ab unitate capitis essentialis, scilicet Christi, qui non moritur, & ab unitate Fidei, & Charitatis, & non ab unitate capitis accidentalis: stat virum aliquem Papæ contradicere, & esse de unitate Ecclesiæ, dummodò stet sub capite Christo, est de unitate Ecclesiæ.*

Octavò, arguitur: Sanctus Thomas & multi Theologi tenuerunt & tenent Papam esse supra Concilium; ergo non est tutum oppositum.

Nonò, arguitur: magis favet pietati & Fidei, tenere Papam esse supra Concilium, quàm è converso; ergo
B illud est tenendum citiùs quàm oppositum. Vel modus quem tenemus est de Fide, & de necessitate credendorum, vel solùm probabilis; si primum, sequitur quòd alii oppositum asserentes sunt hæretici, cùm pede fixo oppositum asserant; si secundum, ergo licitum est tenere oppositum.

Ad Octavum, dicitur: Beatus Thomas tenuit quòd Diva Virgo fuit in originali peccato concepta: quòd materia non potest esse sine forma, de potentia Dei absoluta: quòd Deus potest modò facere duos Angelos ejusdem speciei specialissimæ, & multa similia, quæ omninò improbabilia in Schola putantur.

De Theologis multò plures tenuerunt oppositum. Superiùs ostensum est quòd Augustinus, & alii Doctores tenent partem quam insequimur: hoc tenuerunt varii Cardinales, ut Joannes, Patriarcha Antiochenus; Petrus de Alliaco, Cardinalis Cameracensis; Nicolaus de Cusa, Cardinalis; Doctor vocatus Christianissimus, Joannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, profectò numquam satis laudatus; & nostra Facultas,
C à diebus Concilii Constantiensis (in qua plures exercitatos habebis Theologos, quàm in duobus vel tribus Regnis) quæ sic hanc partem fovet, quòd nulli hoc licuit asserere oppositum probabile: adde etiam quòd æquitas naturalis est pro hoc modo, & contra omnem rectam rationem est, dicere quòd si Papa malè agat & dissipet bona Ecclesiæ, quòd non potest argui. Paulus Petrum publicè arguebat post Pontificatum Summum. Et si sit incorrigibilis est deponendus, ratione culpæ suæ, imò sine culpa sua, licèt non sine causa est deponendus; utpotè si sit captivus apud infideles, & nulla est spes liberationis ejus; vel si duo contendant, & aliter pax procurari non potest; vel si sit demens, & inutilis.

Ad Nonum, negatur antecedens: extollere Papam cum depressione Ecclesiæ Universalis (quæ semper est Sancta, & Judicium habet ultimatum, tàm in materia Fidei, quàm morum) non est benè actum:
D Quòd vero plures Pontificem extollant quàm Concilium, non miraberis. Concilium rarò congregatur, nec dat dignitates Ecclesiasticas, Papa dat eas: hinc homines ei blandiuntur, dicentes quòd solus potest omnia quadrare rotunda, & rotundare quadrata, tàm in spiritualibus quàm in temporalibus.

Addendum est; non sequitur: hic modus est certus, ergo est de Fide, nam certum est me esse, sed me esse non est de Fide. Homo tamen potest hìc replicare dicendo, assensus iste non est evidens:

Con-

Digitized by Google

Concilium est supra Papam, & est certus, non est scientia, neque sapientia, &c. Ergo est Fides: sed transeat.

Concludendo dico: hic modus cuilibet sapienti Pontifici debet esse gratior opposito, licèt dicamus Concilium esse casualiter super Pontificem, & posse eum corrigere; cum hoc enim dicimus Papam esse ex institutione Christi, non deponibilem, sine gravissima causa, quæ vix ter contigit mille Annis, & si Papa millies juraret tueri libertatem Pontificatus Summi, debet tamen parere rationi, & velle corrigi, si incorrigibiliter delinquat:

Non facio plures rationes contra istum modum quem teneo *** quia videndo analogias & rationum assignatarum solutiones, facilè omnia diluuntur, quæ ab adversariis adducuntur, vel adduci possunt.

ADMONITIO AD LECTOREM.

NON te fugere debet, Lector benevole, Joannem Majorem duos lucubrasse Commentarios in Evangelium Matthæi: Priorem Anno 1518. in quo habetur Quæstio hæc, De Authoritate Ecclesiæ & Concilii: *Posteriorem, Anno 1529. quo Commentarios edidit in quatuor Evangelia.*

JOANNIS MAJORIS
Doctoris Theologi Parisiensis
DISPUTATIO
DE
POTESTATE PAPÆ
IN
REBUS TEMPORALIBUS

Excerpta ex ejusdem Commentariis in Caput XVI. *Matthæi, Folio* 59. *verso. Editionis Joannis Granjon, Bibliopolæ Parisiensis, apud Clausum Brunellum*, Anno 1518.

Scholia Capitis XVI. in Evangelium Matthæi.

Et accesserunt ad eum Pharisæi & Saducæi, Matth. XVI. 1.

HUJUS capitis decimi sexti quatuor sunt principales partes.

In prima confutat Pharisæos quærentes signum de cœlo, ductos occasione prioris Miraculi.

Secundò, instruit Discipulos cavere ab hæresi.

Tertiò, Fide divinitatis suæ pascit eos.

Quartò, suam Passionem ostendit: & quia in hac Fide fundatur Ecclesia, interserit Sermonem de Ecclesiæ fundamento & ejus clavibus.

Circa primam partem, scito quòd isti Pharisæi & Saducæi dederunt se Astronomiæ, propterea voluptatem posuerunt quærere signum de cœlo: etiam ex malignitate eorum putarunt quòd signa facta à Christo non sufficiebant, sed signum cœleste petebant, non tamen ampliùs credituri quàm anteà; cum sufficientia signa quòd erat verus Propheta & Messias jam haberent. Petebant ergo signum de cœlo, declarativum temporis Adventus Messiæ, ut daret ignem de cœlo more Heliæ, vel more Samuelis tonitrua, tempore indispositio ad hoc: ac si dicerent; ostende nobis talia signa, & illa calumniari non possumus.

Respondit: aliqua sunt quæ potestis ex signis cœlestibus prævidere; ut si nox fuerit rubea, dicitis crastina die habebitur dies pulcher: sic de aliquo signo mane viso dicitis, non erit pulcher. Sed non potestis ex signis cœli cognoscere quando Deus Messiam est missurus, nec talia quæ à mera voluntate Dei, vel hominis dependent: & hoc est quod dicit in litera: ℣. 2. *Vespere, dicitis serenum erit*, puta crastinus dies erit serenus: & tangitur causa *rubicundum est enim cœlum. Et mane*, dicere potestis, *hodie tempestas*, supple erit: *Rutilat enim triste cœlum.* ℣. 3. Hoc contingit in coruscatione & tonitruo, & per nubes cognoscitur. *Faciem* ergo *cœli dijudicare nostis*, puta ex istis signis, *signa autem temporum non potestis scire*; hoc est, signa posita in prædestinatione Dei de Adventu Christi: in talibus consulenda Prophetarum oracula, ut illud Danielis IX. & illud Genesis XLIX. & similia. *Generatio mala & adultera signum quærit*: ℣. 4. superiùs id exposuimus.

Sequitur Textus: *Et cum venissent Discipuli ejus trans fretum.* ℣. 5. Hîc concludit doctrinam Pharisæorum à Discipulis suis vitandam, non solùm tanquam curiosam & inutilem; sed & periculosam: propterea eam fermentum vocat, propter corruptionem malitiæ in ea contentam: *Qui dicit illis: Intuemini, & cavete à fermento Pharisæorum, & Saducæorum*: ℣. 6. hoc est, à vanis eorum Traditionibus. *At illi cogitabant inter se dicentes*, ℣. 7. Benè cavimus, *quia non accepimus* ab eis *panem.* Putabant enim Apostoli quòd Christus loqueretur de pane fermentato: & obliti sunt panem portare hac vice, quia nolebant à Christo separari. Reliqua litera est clara.

Sequitur Textus: *Venit ergo Jesus in partes Cæsareæ Philippi*: ℣. 13. dicitur autem Cæsarea Philippi, quia erat renovata & ampliata à Philippo Tetrarcha fratre Herodis, qui tunc eam nominavit Cæsaream, in honorem Cæsaris, qui ei quartam partem Regni dedit: dicitur etiam Cæsarea Philippi, ad discrimen alterius, quæ dicitur Cæsarea Palæstinæ, ubi Cornelius Centurio mansit. *Act.* X. Hæc Civitas antiquitùs dicta est Lachis, & posteà Dan, à filiis Dan eam occupantibus. *Judicum* XVIII. Posteà dicta est Cæsarea Philippi, cujus doctissimus ille Eusebius fuit Episcopus; propterea dicitur Eusebius Cæsariensis: nunc verò Paneas dicitur. *Et interrogabat Discipulos suos*: non quòd eum aliquæ opiniones laterent; sed ut ex eorum fideli confessione ampliùs in Fide solidarentur, dicens: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* ℣. 13. hoc est, quæ opinio confertur in vulgo de me? Hîc datur nobis exemplum quærendi, quæ opinio in vulgo de nobis habetur, ut si invenerimus malam, & mali tali societate simus, eam fugiamus; si bonam, in illa continuemus: quia *Cum Sancto sanctus eris, & cum perverso perverteris*; Ps. XVII. 27. Non dixit, *me*, dicit interlinearis, ne insolenter loqui videatur. *At illi dixerunt*, varia est opinio in vulgo de te, *alii* dicunt te esse *Joannem* à mortuis resuscitatum, sic putabat Herodes, XIV. hujus, sic inquiens: *Joannes quem ego decollavi, surrexit à mortuis, & virtutes operantur in illo*: *Alii Heliam* propter zelum veritatis; *Alii verò Hieremiam. Alii* dicunt te esse *unum de Prophetis*: ℣. 14. nesciunt in particulari qui est ille. *Dicit illis Jesus*: *Vos quem me esse dicitis*: ℣. 15. si alii errent de me quis sum, quæ est opinio vestra de me? quia vos fuistis mecum ab initio miraculorum meorum, & longe ultra vulgus sentitis. *Respondit Simon Petrus*, *Tu es Filius Dei vivi.* ℣. 16. Quæstio movebatur omnibus Apostolis, respondit Petrus pro omnibus: ubi Interlinearis, *Omnia complexus est, & divinitatem & humanitatem in ipso posuit.* Ac si diceret: nos omnes judicamus te Filium Dei natura-

Digitized by Google

turalem. *Dei vivi*, ponitur, pro infidelibus putantibus Principes viros, sive bonos, sive malos, translatos in divinitatem, ut Jovem, Herculem, & hujusmodi monstra. *Secundi Machabaeorum* XI 23. Antiochus Rex scripsit de Patre suo mortuo: *Patre nostro inter Deos translato, nos volentes eos qui sunt in Regno nostro sine tumultu agere*, &c.

Quando quaesivit opinionem vulgi, multi, vel omnes responderunt: quia litera dicit: *At illi dixerunt*. Quando quaesivit quid sentirent Apostoli, Petrus pro omnibus respondit, quia Apostolorum erat praecipuus: *Respondens autem Jesus dixit ei: Beatus es*: ℣. 16. Haec tam alta confessio te ad beatitudinem deducet, *Simon Bar-Jona*, Filius columbae Syriacè, dicit Interlinearis. *Quia caro & sanguis non revelavit tibi*, hoc est, homo mortalis non docuit te hanc veritatem: *Sed Pater meus*, &c. ℣. 17. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram*, quam confessus es, *aedificabo Ecclesiam meam*. ℣. 18. Hoc pronomen *hanc*, non demonstrat Petrum, sed Christum qui est Petra: *Petra autem erat Christus*. Primae Corinthiorum X. 4. Et Augustinus, in Libro Retractationum sic inquit: *Dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in Petra aedificata est Ecclesia*: Sed scio me posteà saepissimè sic exposuisse quòd à Domino dictum est, *Tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*: ut, *super hanc* intelligeretur quem confessus est Petrus dicens: *Tu es Christus Filius Dei vivi*: ℣. 15. ac si Petrus ab hac Petra appellatus, personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc Petram aedificatur. Non enim dictum est illi, Tu es Petra, sed *Tu es Petrus*: *Petra autem erat Christus*, quem confessus est Simon, sicut tota Ecclesia confitetur. Et Glossa marginalis illud exponens idem tenet, sic inquiens, *Petrus à me Petra, ita ut mihi retineam dignitatem fundamenti: tu super me ordinabis lapides mundos & abjicies leprosos*. Et Interlinearis in verbo *Ecclesiam*, dicit, *id est, Christum, in quem credis. Et portae Inferi non praevalebunt adversus eam*, ℣. 18. hoc est, persequutiones Tyrannorum, haereses, & hujusmodi non possunt Ecclesiam totaliter à Fide avertere. *Et tibi dabo claves Regni coelorum*, non solùm pro te, sed pro aliis: claves sunt scientia discernendi intra lepram & non lepram; & claves potentiae, ut dignos valeant admittere, & indignos excludere. *Et quodcumque ligaveris super terram*, &c. ℣. 19. hoc bifariam legi potest. Uno modo quòd Papa, vel Episcopus, vel alius non habet Potestatem super mortuos: & sic hoc complexum, *super terram*, determinat hoc verbum, *ligaveris*, vel *solveris*. Aliis placet quòd potest Papa concedere Indulgentias existentibus in Purgatorio: & isti hunc passum exponerent sic, dicentes: quicquid tu existens super terram ligaveris, ligatum erit; & quicquid solveris super terram, solutum erit, ubicumque locorum.

Circa hanc literam dubitatur quot modis capitur Ecclesia, & quo modo à Synagoga differat.

Secundò, an tota Ecclesia semper sit sancta, & an ratione illius, Caput, qui praeest Papa, dici possit Sanctus.

Tertiò, an per ista verba, *Tibi dabo claves Regni coelorum*, & *quicquid ligaveris super terram*, Petro Monarchia in spiritualibus concessa est.

Quartò, dubitatur an si Papa injustè aliquem absolvat, vel liget, talis est taliter ligatus, vel solutus coram Deo.

Respondetur. Ecclesia multùm aequivocè capitur in Scriptura, & in usu loquendi.

Primo modo, capitur pro domo materiali Laudibus divinis deputata, eo genere loquutionis, quo continens, nomine contenti vocatur; ut vas aeneum, vel argenteum, in quo Christi Sanguis continetur, Calix vocatur.

Secundo modo, accipitur pro Congregatione omnium Fidelium, tàm viatorum, quàm comprehensorum: & sic dividitur, tanquam totum integrale, in Ecclesiam Militantem & Triumphantem.

Tertio modo, capitur Ecclesia pro omnibus Fidelibus Viatoribus; & sic capitur Psal. XXI. 26. *Apud te laus mea in Ecclesia magna*, Glossa, in toto Orbe, non modò in Africa, ut aiunt Donatistae.

Quarto modo, capitur pro Universitate unius Provinciae, aut familiae; sic capit Apostolus, *ad Romanos ultimo*, inquiens: *Salutat vos Caius hospes meus, & universa Ecclesia*. A Glossa, *Provinciae unde Caius erat*. Hoc idem patet, secundae ad Corinthios primo; *Paulus Ecclesiae Dei quae est Corinthi*.

Quinto modo, capitur pro illo qui praesidet in Congregatione, & sic capitur XVIII. 15. hujus, *Si peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiae*, id est, *his qui praesunt*, ut dicit Glossa.

Sexto modo, accipitur pro Clericis tantùm. Patet. Sed dicitur: Ecclesia & Synagoga idem significant, sunt Graeca nomina significantia tantùm, sicut Congregatio vel Conventus: nunc communiùs, nomen Synagoga, Ecclesiae existentium in Lege Mosaïca attribuimus. Unde Augustinus super istud Psalmi LXXXI. tractans istud: *Deus stetit in Synagoga Deorum*, id est, *populorum Israël*, & ipsorum propriè Synagoga dicitur, quamvis & Ecclesia dicta sit. Sed nostram, Apostoli, nunquam Synagogam dixerunt, sed semper Ecclesiam; & istud patet ex usu loquendi. Congregatio fidelium in Lege, nunc Ecclesia, nunc Synagoga vocatur: patet Numerorum XVI. 2. *Insurrexerunt contra* B *Moysem ducenti quinquaginta viri proceres Synagogae*, & *Cap.* XX. 4. ejusdem Libri legimus: *Cur eduxisti Ecclesiam Dei in solitudinem?*

Ad secundam dubitationem dicitur quòd Ecclesia semper est Sancta, vel si libet hanc logicè loquendo capere, semper Sancta est Ecclesia: patet Psalmo penultimo, 1. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorum*. Ubi Glossa, *Ecclesia Sanctorum, Ecclesia Catholica est, Ecclesia Sanctorum non est dicenda Ecclesia haereticorum*. Et Canticorum IV. 7. de Ecclesia dicitur, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*. Et *Credo in unam Sanctam Ecclesiam Catholicam*. Quando unus est in peccato, alter stat & resurgit: & sic semper habetur aliquis Sanctus in Ecclesia. Insuper multi sunt baptizati ante annos discretionis, tales nullam culpam habent. Et primae Corinthiorum III. 17. *Templum Dei Sanctum est, quod estis vos*.

Insuper, semper aliquis est in Ecclesia in gratia; ergo C semper aliquis est Sanctus. Tenet consequentia, quia verificatio antecedentis consequens verificat. Quando Ecclesia cantat illum Hymnum Angelicum, *Gloria in excelsis, Tu solus sanctus*, sermo est de sanctitate per naturam, & sancto per antonomasiam, ut primi Regum II. 2. *Quis Sanctus ut est Dominus*: vel ut alia habet translatio, *Non est Sanctus praeter te Domine*.

Sed contra te istud arguitur: plures sunt mali in Ecclesia, quàm boni; ergo non magis debet dici Sancta quàm mala: tenet consequentia; quia denominatio debet esse à majori parte. Fortè dicis, & sic est dicendum; Ecclesia non denominatur mala à majori parte, sed à meliore & sanctiore parte: sicut tota Logica categoricè dicitur scientia, à nobiliore qualitate, licèt sint opiniones in ea & errores.

D Contra hoc arguitur: benè sequitur; quilibet in Ecclesia est in peccato; ergo tota Ecclesia, non est Sancta: consequentia est nota. Antecedens patet per istud quod scribitur primae Joannis primo: 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. Et istud confirmatur: ita docuit nos orare, *Matthaei* VI. 12. Christus dicens: *Dimitte nobis debita nostra*.

Secundò, arguitur; Ecclesiastae IX. 1. *Nemo scit utrùm sit dignus odio, vel amore*. Ergo quilibet dubitare habet se esse in gratia; ergo etiam dubitare quod tota multitudo est Sancta.

Ad

Ad primum, inter arguendum, sufficienter responsum est, ad finem usque.

Ad istud Joannis, primò dicitur: licèt homo non possit dicere sine mendacio quòd non est in peccato, cùm non constet ei quòd non est in peccato, non sequitur propterea quòd sit in peccato. Secundò, etsi esset in veniali præcisè, gratiam haberet. Tertiò, parvuli non sunt in aliquo peccato post Baptismum, vel Circumcisionem. Ad confirmationem respondetur: licèt quilibet orando dicat; *Dimitte nobis debita nostra*; Matth. VI. 12. stat non quemlibet esse in peccato, etiam quo ad adultos: potest esse debitor pœnæ, ut suo loco respondimus superius.

Ad secundum dicitur: illic est sermo de prædestinatione, vel reprobatione.

Secundò dico, licèt dubitem de quolibet adulto an sit in peccato, non tamen dubito de tota multitudine. Exemplum in simili: quocumque homine demonstrato, dubito an sit Ambianensis, tamen non oportet quòd dubitem propterea de hac, nullus homo est Ambianensis: stat crebriter quamlibet singularem alicujus indefinitæ esse dubiam, & indefinitam notam in veritate. Pari forma stat, quamlibet sumere alicujus universalis esse dubiam quoad ejus veritatem & falsitatem universalis notam.

Tertiò, arguitur: nullus modò in Ecclesia Militante est in gratia confirmatus; ergo quilibet potest in mortale peccatum labi.

Quartò, arguitur: Fides mansit solummodò in Diva Virgine, propterea una candela manet lucens, aliis extinctis, in Tenebris Paschalibus, & potest mori ipsa, reliquis sic stantibus.

Quintò, Ecclesia incœpit ab Abel, ut dicemus, & ipso occiso, non oportet aliquem fuisse Sanctum; ergo saltem interdùm erat ruga in Ecclesia.

Ad tertium Argumentum, concedo Antecedens, Consequentiam & Consequens: sicut Aristoteles in lumine naturali concederet tibi. Quilibet homo mundi potest mori in hac hebdomada, vel in hoc die: sed negaret quòd possibile est totam multitudinem esse mortuam: similiter non sequitur; quodlibet astrum potest esse supra nos; ergo possibile est, quodlibet astrum est supra nos: vel quòd possibile est ita ponere, naturaliter loquendo.

Ad quartum, Antecedens non probatur: licèt Apostoli erant increduli, tempore tridui; tamen non est verosimile quin multi erant alii tunc in Orbe, tàm inter Judæos, quàm inter Gentiles (qui non obligabantur ad Legem Mosaïcam) in gratia. Aliæ candelæ extinguntur propter Apostolos, in illa societate parva stat quòd ipsa sola stetit. Secundò, concesso toto illo casu, Argumentum non concludit, ut patebit, respondendo ad quintum: ad quòd dico, mortuo Abele, Adam & Eva, erant in gratia vel Adam, vel Eva.

Ex hoc patet, quod potest talis loquutio admitti: Papa est Pater Sanctus, licèt sit in mortali, quia præest uni sanctæ Societati. Wicleff & Huz illum modum loquendi non debuerunt irridere, cùm habeat sensum sufficienter verum.

Ad Tertium, dicitur quòd non: sed claves Ecclesiæ Petro promissæ sunt à Christo, & quicquid Christus promisit adimplevit; sed non adimplevit in vita, quia non erat decens habere aliud Caput in Ecclesia, Christo vivente, secundùm humanitatem, in terra: dedit ei in effectu claves, post Resurrectionem. *Joannis ultimo.*

Ad Quartum, respondetur quòd non: In illo dicto, *Quicquid ligaveris super terram, ligatum erit in cœlis*, Matth. XVI. 19. Intelligitur, clave non errante: si clavis erret, nihil facit Romanus Pontifex; non potest te cogere sine culpa prævia intrare Religionem, nec potest culpam remittere (sine pœnitentia:) & si pecuniam tuam tolleret, ad restitutionem teneretur. Unde D. Hieronymus hîc hunc passum exponens sic dicit: *Istum locum Episcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cùm apud Deum non Sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus enim in Levitico de leprosis, ubi jubentur se ostendere Sacerdotibus, ut si lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiant: non quòd Sacerdotes leprosos faciant & immundos; sed quòd habeant notitiam leprosi, & possint discernere quis immundus sit. Quo modo ergo ibi leprosum Sacerdos immundum facit, sic & hîc ligat vel solvit Episcopus vel Presbyter, non eos qui insontes sunt, vel innoxii: sed pro Officio suo, cùm peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus.* Non ergo ex illis verbis concessit Romano Pontifici, hoc est, Maximo Pontifici (quia ubi Papa ibi Roma) omnia.

Et quia est difficultas inter varios, an Romanus Pontifex sit Dominus omnium, hoc est, supremus, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus; de spiritualibus inter sapientes Latinos concors est sententia, est Supremus in spiritualibus, hoc est, super unum quemlibet alium: sed an super totam Ecclesiam, vel universale Concilium Ecclesiam repræsentans, partitus est modus loquendi. Unus, quem Canonistæ, authoritatibus Pontificis Maximi stipati tenent cum Italia, quòd Pontifex est etiam supra Concilium ritè congregatum, quod repræsentat universalem Ecclesiam. Alius est modus, qui Constantiæ conclusus est, omninò illi oppositus: unde nostra Universitas, & Gallia tota insequitur oppositum. Hanc materiam nunc relinquam, quia majorem indaginem requirit, & prolixitatem, quàm patitur Commentarius Evangelii.

Duo tamen requiram, per modum brevium quæstionum. An Romanus Pontifex sit supremus Monarcha, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus: & quia multi ad pauca aspicientes, ad nomen luctantur, videatur discrimen in re. Et quia aliqui revocant in dubium donationem Constantini Ecclesiæ factam de terris Ecclesiæ, gratiâ illius, brevem quæstionem scribam.

Pro expeditione primi, quæritur an Maximus Pontifex sit supremus Monarcha, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus? Pono Conclusiones.

Prima est, Maximus Pontifex est supremus inter mortales in spiritualibus. Circa temporalia variè opinantur homines: aliqui tollunt à Pontifice Dominium in temporalibus; alii ei blandientes, ut Joannes Gerson dicit, dant ei Dominium in temporalibus omnibus; & plerique ponentes eandem sententiam, discrimen ponunt verbale: sed quod dicere volumus patebit ex dicendis.

Aggrediendo ergo propositum, sit secunda Conclusio.

Romanus Pontifex non est Dominus omnium in temporalibus: sive, quod idem est, Reges non sunt subjecti Romano Pontifici in temporalibus. Primam Conclusionem pro nunc suppono; quia de ea aliàs prolixiùs loquutus sum. Intentio nostra est nunc solùm loqui de temporalibus. Hanc Conclusionem probabo testimoniis Scriptorum Maximi Pontificis, quod apud multos est majoris ponderis contra suam dominationem, quàm pro illa.

Prima probatio fundatur in capite illo famato, *Per venerabilem. Extrav. Qui filii sunt legitimi. Versiculo, Insuper*: ubi dicit Innocentius III. *Insuper cùm Rex Superiorem in temporalibus minimè recognoscat.* Lex loquitur de Jure & non de facto, prout Glossa existimat, ut in quæstione præcedenti loquuti sumus. Hoc idem habet Dominus Innocentius III. in cap. *Novit, de Judiciis*, sic inquiens: *Novit ille qui nihil ignorat*, &c. Et post ad propositum: *Non putet aliquis quòd Jurisdictionem Illustris Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus.* Casus illic agitur de pacto servando, Jurejurando medio, inter Regem Franciæ & Angliæ, de Comitatu Pictaviæ: ubi

Digitized by Google

ubi Pontifex sententialiter dicit, licet non spectet ad eum discernere inter Jurisdictionem vassalli & Domini: tamen ad ipsum spectat cognoscere de transgressione jurisjurandi. Ubi Glossa communis sic ait: *Per hoc quod hic dicitur, patet quòd Ecclesia, vel Papa, non habet utrumque gladium.* Et asserit Alexander. III. de Rege Anglorum, *Qui filii sunt legitimi.* Cap. *Causam.* Versiculo *Nos*, sic inquit: *Nos attendentes quòd ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare, ne videamur Juri Regis Anglorum detrahere.* Ubi Pontifex Judicium possessionum, hoc est, temporalium Regi relinquit, & committit causam Matrimonii Ecclesiasticis viris. Hoc satis expressè liquet, in capite, *Lator* ejusdem Tituli. Hoc patet *de Consecrat. dist.* 3. *Celebritatem.* & 23. *quæst.* 5. *Regum.* & 8. *Dist.* *Quo Jure.* Non est facienda vis de Glossa illic, quia utrumque disputat, nihil resolvens. Propterea sicut superiùs dixi, textus ponderare, cum eorum intentione, oportebit, Glossematibus posthabitis. Præterea Lex Evangelica est libertatis & mansuetudinis, respectu Legis Mosaïcæ, ut dicit B. Jacobus, in Canonica sua, *Cap. primo*; ℣. 25. sic inquiens: *Qui autem perspexerit in Lege perfectæ libertatis, & permanserit in ea, non auditor obliviosus factus, sed factor operis; hic beatus in facto suo erit.* Et Apostolus, ad Galatas III. 24. *Itaque Lex Pædagogus noster fuit in Christo Jesu*, & quæ sequuntur. Et in IV. 1. ejusdem, dicit: *Dico autem quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit Dominus omnium; sed sub Tutoribus & Actoribus est, usque ad præfinitum tempus à Patre: ita & nos, cùm essemus parvuli, sub elementis mundi eramus, servientes: At ubi venit plenitudo temporis*, & quæ sequuntur. Et Augustinus in Libro contra Adimantum, *Arma Legis & Evangelii, timor & amor: timor respicit conditionem servilem, amor autem liberam.*

Sed si omnes Christiani &, eorum singula & cuncta bona essent Romani Pontificis, esset major servitus quàm Legis Mosaïcæ, in qua erant homines liberi, tàm quoad se, quàm eorum bona. Insuper contra talem, si hanc Potestatem haberet, ex Jure divino, prout aliqui eorum asserunt, non curreret præscriptio. Sed hoc est falsum, ut patet, *de Centenaria. Extravag. De præscript. Si diligenti.* Præterea Ecclesia instituta à Christo, non minùs, imò magis respicit utilitatem communem, quàm Politia secularis. Sed in ea homines sunt liberi, & Rex est pro bono communi, & non è converso, ut superiùs diximus; igitur. Ampliùs, aliqui erant veri Pontifices istius Dominii incapaces, ut Religiosi; Ergo si unus verus Pontifex non habet proprietatem in singulis rebus; nec aliquis tenetur servare suam Regulam illi obediendo, licèt non Superiori, quia nullum habet: ergo eodem modo paupertatem. Præterea Episcopatus non est ex institutione Papæ. Petrus non misit alios Apostolos ad prædicandum, sed Christus, quorum successores sunt Episcopi: nec LXXII. Discipulos, quibus succedunt Curati: sed Christus misit eos immediatè. Patet, *Joannis.* XX. & *Lucæ.* X. Paulus dicit suum Apostolatum accepisse à Deo, & non à Petro: ad Galatas primo, *Paulus*, inquit, *Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem*: & infra, *neque ab homine illud accepi, neque didici.*

Contra hanc conclusionem secundam arguitur sic: Zacharias Papa Childericum Francorum Regem deposuit. 15. *quæst.* 6. *Can. Alius*, & instituit Pipinum Caroli Magni Patrem. Ad hoc respondetur multifariàm. Tùm primò, apud Chronographos discrimen super hoc invenies, & Decretum nullius ponderis, nisi pro quanto authoritatem aliundè habet, utpotè ab authoritate Ecclesiæ, vel Doctorum. Tum secundò, ad quæstionem facti non respondet Jurisconsultus. Tum tertiò, respondit illic Apparatus in Glossa super illo verbo, *deposuit, id est, deponentibus consensit.* Pares Franciæ consultabant cum Maximo Pontifice, qui eis ita consuluit; & Pares qui Status Regni repræsentabant, Regem tanquam inutilem deposuerunt: quibus Pontifex consensit & ita consuluit; quia in rebus arduis & ambiguis, quemadmodùm est depositio Regis, consulendus est Pontifex, secundùm illud Deuteronomii XVII. *Si difficile & ambiguum apud te Judicium esse perspexeris*, &c. & transumptivè habetur, *Qui filii sint legitimi.* Cap. *Per venerabilem.* §. *Rationibus.* Tum quartò, fortè dubii Principes Franciæ, Rempublicam repræsentantes, dederunt authoritatem Zachariæ, ut faceret quod expediens videretur: & ipse declaravit Regem deponendum, & ipse deposuit, authoritate ei concessa. Non credo quòd tentaverit Francum sine consensu Regni à Regno dejicere, nec se in hoc posuisset: oppositum non est mihi verosimile. Tum Quintò, negligentibus Judicibus secularibus, Pontifex potissimum in causa pia potest ferre Judicium, ut patet in casu illius viduæ de qua tractatur, *De foro competenti.* Cap. *Ex tenore*: Crebrò, exigentibus culpis Pontificum, depositi sunt ab Imperatoribus. Patet de Constantino.

Secundò, arguitur sic; Papa est caput totius Ecclesiæ, & præest cuicumque Regi; ergo est Dominus, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus. Soli comparatur: Imperator, sive Rex, quod idem est, comparatur Lunæ, *De majoritate & obedientia. Solitæ.* Respondetur; Papa est caput in spiritualibus, & per consequens est caput simpliciter, hoc est, sine addito: sicut anima præstat corpori, sic spirituale corporali: sicut secundùm multos Theologos Justitia originalis erat in sola anima, & non in aliis potentiis, illâ tranquillâ totus homo est tranquillus. Contendere de antiquitate, est quæstio non magni fructus. Primogeniti, tempore Legis naturæ, erant Sacerdotes, licèt non tales quales nunc habemus Sacerdotes habentes claves Evangelicas; præcesserunt; de antiquitate non est gloriandum: quid profuit Beato Andreæ quòd ad Apostolatum ante Simonem ejus fratrem vocaretur? De antiquitate non est concedendum, sed nobilitate finis, Pontificem esse nobiliorem, quàm finis Regis. Regis est, facere homines tranquillè vivere in politia circa temporalia, non curando de cœlestibus. Pontificis est, ordinare homines ad benè beatèque vivendum. Insuper Potestas Papalis est à Deo instituta, nec ab hominibus deponibilis: secùs est de Regia Potestate. Insuper temporalia sunt ob spiritualia, & non è converso. Id est, quasi quis objecerit: acquirimus temporalia, ut ex iis vivamus, & Deo serviamus, & non è converso modo: quoniam sunt duo, fines quorum A est. B fini subordinatus: B est nobilior.

Tertiò, arguitur; Pontifex est Vicarius Christi; ergo debet habere ita latum Dominium sicut Christus. Modo Christus est Dominus; tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, tàm secundùm divinitatem, quàm secundùm humanitatem. Matthæi ultimo. 18. *Data est mihi omnis Potestas in cœlo & in terra*: & illud patet *in Extravag. Bonifacii VIII. De majoritate & obedientia* Cap. *Unam sanctam Ecclesiam* §. *Certè.* Sic inquit Bonifacius, *Certè qui in Potestate Petri temporalem gladium negat, malè verbum Domini attendit proferentis.* Converte gladium tuum in vaginam: Joann. XVIII. 11. *uterque ergo est in Potestate Ecclesiæ, spiritalis scilicet gladius, & materialis.* Et in practica, hic Dominus Bonifacius, ut Roberti Guagini verbis utar, Regnum Francorum Alberto Alemanorum Imperatori, abjecto Philippo Pulchro, tradidit. Et Martinus IV. Regnum Petri Arragonensis asseruit occupantis esse.

Respondetur, concedendo antecedens, consequentia tamen est nulla. Sed circa tacta in argumento sunt dubia: secundùm divinitatem, *Domini est terra, & plenitudo ejus; Orbis terrarum*, Ps. XXIII. secundùm humanitatem,

Digitized by Google

tatem, non est natus omnium terrarum heres, & an Judææ, nunc non insisto: quia à multis utraque pars defenditur; sive, per communicationem idiomatum, secùndum humanitatem, dicatur Dominus omnium, sive non, hoc nihil refert. Multa poterat Christus, quæ non potest Pontifex: pedibus siccis incedere super aquas; quadraginta diebus jejunare, nihil comedendo; instituere Sacramenta; circa multa Præcepta sua dispensare, ea revocando: hæc non potest Pontifex Vicarius Petri, & successor ejus est limitatus. Extravagans Bonifacii non movet. Fateor, Pontifex est Caput Ecclesiæ, & utrumque gladium habet; differenter tamen, spiritualem actu, temporalem habitu, ut vulgò dicitur: sed hoc expositione eget, & potest habere duos sensus.

Unus est: committit authoritatem Regibus, exercere Jurisdictionem circa temporalia, & nullam aliam authoritatem, vel Potestatem habent, nisi ab eo commissam; & ille est sensus de quo dicitur esse contentio, quem dico esse falsum.

Alius sensus: habet gladium temporalem, hoc est, quando tempus postulat; implorata ope Regum, potest ab eis habere gladium temporalem, pro defensione Ecclesiæ, vel aliâ causâ justâ. & hoc patet; in Extravagante Domini Bonifacii, sic dicit: *Uterque ergo est in Potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius & materialis: sed is quidem pro Ecclesia: ille verò ab Ecclesia exercendus.* Ac si diceret: is, scilicet materialis, est pro Ecclesia, ordinatur pro defensione Ecclesiæ, & causarum rationabilium, cum tempus efflagitat, secundùm illud dictum B. Bernardi, ad Eugenium, *Aggredere subditos verbo, non ferro: quid usurpare gladium tentas, quem semel jussus es mittere in vaginam.* Et illic iterum dicit, *Gladium materialem habet Papa nutu, Imperator vero jussu, miles usu vel manu:* tetigi in solutione ad primum varia quæ pro multis Argumentis conducunt.

Etiam Clemens V. successor Domini Bonifacii, in Extravagante. *Meruit*, declarat quòd nihil Juris habet Romana Ecclesia super Regnum Francorum, quàm ante Constitutionem Bonifacii VIII. & licèt homines communiter loquantur de superbia Domini Bonifacii VIII. habebat quoddam bonum desiderium adeundæ Hierosolymæ, & voluit Philippum Pulchrum ad hoc allicere: in hoc zelum Pontificis laudo; sed non in excessu contra prædictum Philippum. Hoc non est studere paci, sed jacere seminaria belli. Franci restiterunt, cum Philippus Proceres collegit Parisiis, aperiens casum Domini Bonifacii VIII. convertens se ad omnes, quærens quem reputarent Regem; unanimiter eum prædicabant: & sic nec casus Domini Bonifacii, nec Martini IV. ad aliquem effectum pervenit.

De quæstionibus Facti non oportet multùm curare, ut superiùs diximus. Sed dicis, quo modo Pontifex habet gladium materialem habitu? In sensu præfato, cùm Philippus Pulcher, ipso alliciente, noluit adire Hierusalem. Oportet allicere Reges ad ista ardua negotia benevolentiâ, & ubi nolunt relinquendi sunt: licèt fortè erat expediens, non tamen necessarium. Etiam Rex, ut præsumitur, habuit justam excusationem. Fateor Pontifex non habet gladium Regum quomodocumque vult, istud nullomodò expedit, quemadmodùm non expediebat quòd Albertus, cui ter Imperium negavit Bonifacius, Philippum invasisset. Imò sapiens judicat non benè actum, consulere duo potentissima Christianorum Regna contra se acies moliri.

Quartò, arguitur: Christus tradidit Petro claves Regni, inquiens, *Tu es Petrus, & quodcumque ligaveris in terra, erit ligatum & in cœlis* Matthæi XVI. 18. 19. Ex illo Textu sic formo Argumentum. Christus nihil excipiendo, nec quo ad spiritualia, nec quo ad temporalia, B. Petro promisit Potestatem: & per consequens, prout nunc supponitur, successoribus ejus. Ergo nec nos debemus aliquid excipere. Imò habet plenitudinem Potestatis, tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus.

Quintò, arguitur, ex dictis Nicolai Papæ, 22. Dist. Cap. *Omnes*, sic dicentis, *Christus Romanam Ecclesiam solus ipse constituit & fundavit, & supra Petram Fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro Clavigero æternæ vitæ similiter terreni & cœlestis Imperii Jura commisit.*

Ad quartum respondetur; quòd Christus per hujusmodi verba non dedit Petro, nec successoribus ejus illam Potestatem quam capit Argumentum; non erat expediens subditis & Communitati, & etiam Ecclesiæ Præsulibus, quia multa mala perpetrarent, mutando Regna, & Dominia ad nutum, & seminarium esset seditionum, litis, & belli, & pro uno homine, nimis premeret subditos à Christo sic dilectos, ut proprio suo & pretioso Sanguine eos redemerit, pro utilitate eorum posuit caput, & non è converso; sicut est in Politia seculari. Nullomodò ergo est putandum quòd per illa verba, vel quæcumque alia, talem Potestatem Pontifici contulerit. Ergo verba prædicta de clavibus, sunt de claudendo & aperiendo Regno cœlorum, ad sensum in quartum Sententiarum declaratum: dedit enim ei in causa Potestatem super talia, ad sensum Doctorum, in solutione ad primum. Ad formam Argumenti: licèt Christus verbo vocaliter nihil excipit; aliqua tamen sunt excipienda, palam est. Non potest contra Legem naturæ & divinam. Ratio naturalis est ἐπιείκεια, multa dicta indefinitè vel universaliter exponit. Carthusiensis vovet se non comesturum carnes, & tamen in necessitate est exceptio: sic de promissione, & jurejurando. Et Salvator noster Christus exemplo, & Apostoli docuerunt temporalia esse excipienda: docuit Apostolos humilitatem, Matthæi. XXII. 21. & Lucæ XX. 25. Et dicebat: *Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt*, prout in quæstione precedenti allegavimus: & Paulus ad Romanos XIII. 7. dicit, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.* Christus solvit tributum ubi non tenebatur, *Matthæi* XVII. Propterea expedit Pontifici Summo, non tollere aliorum libertates, sed citiùs cedere Juri suo, interdùm, in temporalibus. Dicitur: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*: secundæ ad Timotheum, II. 4. Et Petrus ad Clementem, ut patet XI. Quæstione. I. *Te quidem oportet irreprehensibiliter vivere, ne Fidejussor existas, ne Advocatus litium fias, neve in ulla aliqua occupatione prorsùs inveniaris mundialis Officii occasione perplexus, neque enim Judicem, neque Cognitorem secularium negotiorum hodie te ordinare vult Christus.* Et iterum, in eadem Epistola: bonus Petrus ad Clementem, eadem causa, & quæstione quâ priùs in Capitulo: *Sicut enim tibi impietatis crimen est, tibi, neglectis verbi studiis suscipere seculares.* Et ex Canone Apostolorum. *Dist.* 88. Cap. *Episcopus*, sic dicitur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, nequaquam seculares curas assumat; sin aliter, dejiciatur.* Pontifex debet esse sicut Moyses, inter Deum & populum, quia non debet se involvere in temporalibus: propterea portant coronam, & pilorum tonsuram. 12. *Dist.* Cap. *Duo sunt genera.* Episcopi & Religiosi ad hoc repræsentandum majores coronas quàm alii deferunt, exemplo Christi: cùm quidam eum rogaret ut Judicium ferret inter eum & ejus fratrem, respondit Christus: *Homo, quis me constituit Judicem super vos.* Luc. XII. 14. Et ad hoc, in probatione conclusionis, Pontificum scripta attulimus.

Ad Quintum, dicitur: illic non habetur quòd habeat Dominium in temporalibus, sed dicitur Jura habet: si aliquod Jus habet, patet, solvendo primum: illic etiam ponitur cœlestis, & notum est quòd non habeat illic proprietatem.

Sextò, arguitur: Pontifex dispensat in spiritualibus; ergo in temporalibus. Tenet consequentia. Qui potest in majus

Digitized by Google

majus, potest in minus. Non est opus probare Antecedens, cùm hoc toto die videmus de spuriis, & similibus.

Septimò, arguitur: vel Pontifex habet proprietatem in omnibus temporalibus, vel in nullis, vel in aliquibus tantùm: non secundum, quia sic non benè viveret; spiritualia non possunt consistere sine temporalibus. Improbatur tertium membrum, quia æqualis est ratio in omnibus; ergo primum membrum est dandum.

Ad Sextum; negatur consequentia in Terris Regum: quia hoc est mittere falcem in messem alienam, sicut ipse dicit. *Extravagant. Qui filii sunt legitimi.* Cap. *Per venerabilem.* Nec probatio Consequentiæ valet in rebus diversarum rationum, quemadmodùm sunt spiritualia & temporalia. Homo ratiocinatur, & tamen volare nequit, quod est minus. Si dicas, est ei majus, quia difficilius, sic est in proposito. Et tibi ita dicetur, si quis spurius Francus, vel Hispanus haberet Dispensationem Pontificis, Rex Francorum vel Hispaniarum, talem minimè ad hereditatem admittere tenetur: nec expediret permittere se fraudari Jure suo. Non placet illa opinio Glossæ, in cap. præfato, *Per venerabilem*, quòd Papa indirectè & consequutivè dispensat in temporalibus: sed quòd nullomodò dispensat quo ad consequutionem hereditatis, quæ est alteri debita. Rex autem pro rationabili causa dispensare in temporalibus potest. Ostiensis dicit quòd ad Papam spectat dispensare in omnibus, principaliter, & ad nullum alium: quia illegitimus provenit defectu Matrimonii, sicut principale ad eum spectat, ita & accessorium: si potest illegitimare, quod est odiosum, potest legitimare, quod est favorabile. Hæc opinio est contra Textum, & ratio sua nullius est momenti: legitimare potest personas relictas legitimas à Deo, ut patet in tertio, & quarto gradu consanguinitatis; & cum aliquibus in secundo gradu: hoc est, de Foro suo, aliud est de Foro alterius.

Ad septimum dico; aliqui Pontifices nullius rei, saltem non usu consumptibilis, habent proprietatem, ut quando Religiosi efficiuntur Maximi Pontifices, non obstante, habent curam & Dominium gubernativum Ecclesiæ, sicut alii susceptivi proprietatem. Exemplum in simili superiùs diximus: Rex habet Dominium legitimum omnium quæ sunt in Regno suo, & tamen illa non sunt ejus, ut superiùs meminimus. Aliqui Pontifices aliquorum habent proprietatem, & super hoc erit quæstio ad partem.

Octavò arguitur sic: si Pontifex non sit Dominus omnium in temporalibus, dabuntur duo capita, & sic unius corporis mystici erunt duo capita: & per consequens totum corpus erit monstruosum. Patet: unum erit caput in spiritualibus, & aliud in temporalibus; imò decem capita in temporalibus, quia decem Reges & plures: & sic oportet dare duo principia bonorum & malorum, quod est error Manichæi.

Nonò arguitur: Unus Rex Britanniæ est ei subjectus in temporalibus. Ergo & alterius eadem videtur ratio. Antecedens patet de Rege Anglo, prout asserit contentum in Archivis Pontificis, & refert Joannes Andreas, in Cap. *Causam. Qui filii sunt legitimi.* Joannes Henrici filius, Richardi Frater, Regnum in Feudum accepit à Romana Ecclesia.

Ad Octavum: negatur quòd sunt duo capita; unum caput non est contentum sub alio regulariter, sed casualiter, modo temporalia sunt Romano Pontifici subjecta: sed non stando in terminis; si intelligas regulariter; concedo undecim capita in toto corpore mystico, quorum nullum capit influentiam ab illo in temporalibus: sicut nec unus Rex ab alio dependet; ita nec à Pontifice regulariter in temporalibus. Non est omninò simile inter caput verum & corpus verum, & inter caput mysticum & corpus mysticum. Caput verum est super reliquam partem sui corporis; & tamen nego Regem esse majoris Potestatis quàm reliquam partem sui Regni: itidem, nego Pontificem esse super reliquam partem Ecclesiæ. Et quando unus Rex in temporalibus haberet omnia Regna subjecta, tunc concedo duo capita, in sensu quo procedimus, unum in spiritualibus, & illud in temporalibus. Nec est inconveniens Regem habere aliquam præeminentiam in temporalibus, quâ vacat Maximus Pontifex. Sed Rex quilibet est Pontifici subjectus in spiritualibus, & illud est majoris excellentiæ: sicut materia prima est substantiæ sustentaculum, & basis multis accidentibus, ut calori, vel humiditati, & nullius est activitatis physicæ: & tamen calor est multùm activus. Modo posse agere est perfectionis, ecce accidens aliquam perfectionem vel dominationem perfectionis habet, quam non habet materia prima; sed simpliciter materia prima substantiæ, cùm est substantia, est perfectior simpliciter: sic in proposito inter Pontificem & Regem; & concedo ulteriùs in talibus, neuter est alteri subjectus, componant pacem, ubi accidit materia litis pro finibus regundis more Regum: sicut inter Pontificem & Reges & alias Communitates frequenter videmus. Si Pontifex uteretur probitate quâ decet bonum Pastorem, communiter Reges ei concederent in casu ancipiti; vel si nollent, Pontificis est dare locum pro pace temporali. Crebrò Pontifices nostri omnes sunt magis soliciti pro augendo nummo Episcopatus, quàm de salute animarum: & student sub honesta umbra, Ecclesiæ scilicet, magnificare suas fimbrias, ut magnificentur ab hominibus mundanis. Redeundo paululùm ad formam, nego propterea quòd totum corpus est monstruosum: monstrum est defectus in natura 2. *Physicorum.* Imò esset magna subjectio, quia esset unum caput ad imaginationem multorum & monstruositas. Ex illo minimè sequitur error Manichæorum: quia dico quòd temporalia & spiritualia sunt à Deo: Pontifex etiam solus est Vicarius Christi, & non Imperator, vel Rex.

Ad Nonum: Consequentia est nulla: sed ad materiam Argumenti; nego quòd Rex possit reddere Regnum suum subjectum alicui alteri, sine consensu sui Regni, quemadmodùm nec vendere, vel aliter alienare potest. Audiendi essent prudentes Angli & Chronographi in hoc casu. Sed præsumitur pro Ecclesia, quòd populus cum Rege consensit in toto Regno. Congregatur aliqua pecuniola, quæ vocatur denarius Papalis: sic alii Reges possunt se reddere subjectos Ecclesiæ, si vellent, cum consensu populi; sed credo quòd nec populo, nec Pontifici expedit.

Decimò, arguitur sic: Imperator est subjectus Pontifici in temporalibus, sicut Canonistæ communiùs tenent. Jurat Pontifici fidelitatem, coronatur ab eo, ei datur gladius quem vibrat, in signum quòd Potestatem accipit à Pontifice, & ipse est Rex, ut superiùs commemoravimus; ergo & alii Reges.

Undecimò, arguitur: Samuel erat supra Saül, & David, & eos inungebat; ergo Pontifex est super omnes Reges.

Ad Decimum, non video quin Germani sint ita liberi, sicut quicumque alii, nec Regnum potentius armis, & libertate, inter Christianos video. Nego quòd Imperator sit aliquo pacto Pontifici subjectus in temporalibus, quamprimùm est electus Alemanorum Rex. Si minus in vectigalibus, quàm multi alii Reges colligat, hoc non obstat, populus multùm innititur suæ libertati. Populus totus est super Regem: conduceret tamen eorum Reipublicæ quòd populus ei obtemperaret. Quo ad Terras Ecclesiæ concedo quòd est Pontifici subjectus, sicut Carolus Flandrus est Franco, quo ad aliqua subjectus; non autem quo ad Austriam, vel Occidentem Hesperiam.

Ad Undecimum: Nego quòd Samuel erat super prænominatos Reges; inungere, vel coronare, nihil superioritatis arguit. Archipræsul Rhemensis Francum inungit, & alius Episcopus, ex more, potest eum coronare: non sequitur propterea ulla majo-

ritas

Digitized by Google

ritas in temporalibus; sicut nec Ostiensis est major Maximo Pontifice in spiritualibus, esto quòd eum inungat: illa est solùm solennitas.

Epilogando dico Romanum Pontificem Caput cujuslibet in spiritualibus, non tamen in temporalibus, potissimùm regulariter. De trium coronarum latione, in unctione in capite, & Regum in armis, ex his factis mysticis Argumentum bonum cudere nequis. Fortè hoc in honore Trinitatis facit, ut Petrus & multi successores talia portarunt, est ei subjectus Rex in spiritualibus, utrumque gladium habet, scilicet spiritualem & temporalem, sed longè differenter: unum actu, non quòd semper exerceat; sed immediatè & regulariter exit in actum illius gladii, excommunicando, interdicendo, absolvendo, & sic de ceteris id genus. Temporalem gladium habet imperativè, non utar illo modo loquendi, in habitu, propter iterum aliam expositionem. Temporalem habet, implorando Reges, ut ei, & Reipublicæ, quando tempus expostulat, succurrant; quemadmodùm Pipinus, Carolus Magnus, & Otho fecerunt: & gladium temporalem habet ab aliis, & per consequens non immediatè, qui tenentur, pro tempore & loco, Pontifici, vel ad ejus nutum vibrare: sed consulendi sunt prudentes, quando est præceptum Regibus & Principibus: quemadmodùm in corpore, oculus habet suum officium distinctum ab aure, & ita de aliis organis quæ se mutuò juvant. Natura non ordinavit unum ad duo officia, ut de Delphico gladio, *Primo Politicorum.*

Ulteriùs patet quòd Reges non capiunt Potestatem hujus gladii materialis à Pontifice Maximo, sed à consensu populi mediatè, vel immediatè: nec illud plurimùm distat in effectu, ab opinione multorum Canonistarum alteri parti, ut putatur, nimis faventium.

Quærit Panormitanus, in *Cap. Novit. De Judiciis.* Ad quid valet ista majoritas in temporalibus, cùm Papa non potest perturbare Jurisdictionem temporalem Principis, nec minuere, nec exercere; ut in Capitulo, *Si Imperator*, & in Capitulo, *Cùm ad verum. 96. Distinct.* & in Capitulo sæpe dicto, *Novit.* Respondet; valet ad multa. Primò, ut ipsum Imperatorem tanquam inferiorem destituat, exigentibus causis. Item, quia in arduissimis causis, grassante scandalo in Christianitate, potest se intromittere, & in laicos illam Potestatem ei à Deo attributam exercere sententialiter. Parum, vel nihil, ab his duobus dictis disco. In primis potest rogare eos ad quos spectat, pro bono communi, quòd aliquis inutilis Reipulicæ perturbativus deponatur, si major pars eorum ad quos spectat consentiret. Ubi non potest prævalere, ob multitudinem resistentem, frustra tunc aliquid tentaret; ut quando creatus est Pipinus Francorum Rex. De Imperatore luculentiùs super hoc loquar, quæstione sequenti: & hoc ego voco casualiter exercere superioritatem, & non regulariter.

Distinguo hanc iteratò: Papa deponit Reges inutiles. Qui sunt super Reges, ut populus, Regem deponunt: & sic Papa aliquo modo Reges deponit, hoc est, suasoriè, ut diximus ex Glossa 15. *quæst. 6. Can. Alius.*

Alius sensus: Pontifex deponit Regem inutilem, cognitum inutilem à suis, pro utilitate Reipublicæ Christianæ, Gallicæ, vel Hispanicæ, authoritate ei commissa à Deo super Reges in illo casu, sed non regulariter; quia est Vicarius Christi, qui habet respicere ad totum corpus, & ejus utilitatem, & sic in illo casu habet, licèt non regulariter.

Tertius sensus: ubi Reges non habent Potestatem in Regnis suis nisi à Papa, & sunt ejus vassalli, malè ageret si eos deponeret Regno, sine causa: sed tamen ubi tentaret eos deponere, teneret depositio de facto.

Duo primi sensus differunt, sed non latè. Tertius sensus plurimùm ab utroque præcedenti differt. Primum sensum concedo; secundum sensum etiam admitto, si populus secum consentiat, populus, inquam, prudens & religiosus. Hoc dico, propter Bohemos, & si qui sunt similes. Quando Proceres Franciæ, & subditi omnes, qui semper postquam Fidem ceperunt manserunt in Religione Christiana, consentirent in Regem, ut in Philippum Pulchrum, non concedo quòd ad Pontificem spectat depositio Regis, vel casum interpretari, ut ad Bonifacium VIII. quia dato opposito, facilè daretur aditus ad confusionem in Politia Christiana habenda. Hostes etiam in majori numero, possunt cum Pontifice dicere talem Regem esse deponendum, ut Dominus Julius, respectu Christianissimi viri Ludovici XII. in nostris diebus: & si hac via, jentaret cum uno Rege, posthac pranderet cum alio, qui esset ejus amicus, & cœnaret cum reliquis. Tertium sensum opinor falsissimum, & in eo potissimùm vertitur quæstio, si debeat esse depositio realis.

Secundo loco quæritur; an Constantinus contulerit justum Titulum Pontifici, in Terris quæ nunc vocantur Ecclesiæ. Est hic modus dicendi: aliqui volunt quòd nunquam ei dedit Terras in Italia, nec Romanam Urbem; aliquibus placet, quòd nec dare poterat Italiam, sive istas Terras quæ dicuntur Ecclesiæ; alii tenentes Pontificem habere Dominium tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus, dicunt, quòd nihil dedit; sed solùm detentum injustè restituit: sed oppositum istius in quæstione præcedenti tenuimus. Ponam succinctè Conclusiones ad quæstionem responsivas:

Prima Conclusio. Ecclesia licitè cepit & capit Dominium rerum, tàm mobilium, quàm immobilium.

Secunda Conclusio. Constantinus Magnus licitè multa contulit Ecclesiis, & multi alii Principes.

Tertia Conclusio. Romanus Pontifex justè possidet aliquas Terras, ut in Romandiola, & in iis locis qui vocantur Terræ Ecclesiæ: & in his est Dominus, tàm in temporalibus, quàm in spiritualibus.

Probatio primæ Conclusionis. Æquum est quòd homines vacantes Dei servitio habeant provisionem vitæ, ut patet, *Prima Corinthiorum* IX. & *primo Metaphysicæ*, de Ægyptiis Sacerdotibus. Insuper homines cultui divino mancipati, essent nimis solliciti circa temporalia acquirenda, quia sollicitudo devotioni, circa cultum divinum, præstaret impedimentum. Propterea hoc Sancti Patres exemplo docuerunt, quorum vita est à nobis imitanda; quod patet. Recitatur ex Prospero 12. *Quæst.* 1. Cap. *Expedit*: ubi dicitur Facultates Ecclesiæ possideri. Et in eodem capite sequitur. *Denique Sanctus Paulinus, ut ipsi melius nostis, ingentia prædia quæ fuerunt sua, vendita, pauperibus erogavit: sed cùm factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensavit*: & sequitur in eodem, *Nonne sanctus Hilarius omnia sua aut Parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogavit? Is tamen cum merito suæ perfectionis fieret Ecclesiæ Arelatensis Episcopus, quæ illa tunc habebat Ecclesia non solùm possidebat; sed etiam, acceptis fidelium numerosis hereditatibus, ampliavit.* Et quòd necessaria sunt immobilia patet; quia da oppositum: unus prodigus Prælatus, si omnia essent mobilia, illa statim dissipare posset, & nihil relinquere successori. Ergo expediens erat habere immobilia. Et Melchiades Papa 12. Quæst. 1. Cap. *Futuram*, dicit: propterea Apostoli Terras vendebant in Judæa, videntes Ecclesiam non mansuram illic, sed ituram ad Gentes, sic inquiens: *Futuram Ecclesiam in Gentibus Apostoli prævidebant, idcircò prædia in Judæa minimè sunt adepti, sed pretia tantummodò ad fovendos egentes.* Et Urbanus Papa, Cap. *Videntes*, in eadem causa & quæstione, sic inquit: *Videntes autem Summi Sacerdotes, & alii, atque Levitæ, & reliqui fideles plus utilitatis posse conferre, si hereditates & agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi traderent, eo quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quàm futuris temporibus, plura & elegantiora ministrare possent fidelibus, communem vitam du-*

Digitized by Google

ducentibus, &c. Augustinus, prout recitatur in capite, *Habebat*, sic inquit : *Habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Tunc Primùm, Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta.* Ex his; ratione & authoritate Virorum Illustrium, vides quòd Ecclesia accepit bona, tàm mobilia, quàm immobilia. Oppositum est error Pauperum Lugdunensium, & Bohemorum. Insuper homines maximè peccant, res Ecclesiasticas subtrahentes ab Ecclesiasticis viris. Ergo Ecclesiastici justè eas possident. Antecedens patet : 12. *Quæstio.* 2. per varia capitula, ut in capitulo, *Qui Christi.* In capite, *Augustino*, & multis aliis. Thomas Cantuarensis mortuus est pro libertatibus Ecclesiæ, vide Libellum.

Tamen ex hac Conclusione probata, sequitur secunda Conclusio, quoniam expediebat Ecclesiasticis viris cultui divino mancipatis, habere bona applicata, & non poterant habere, nisi à dantibus. Ergo licitè Principes eis dederunt bona.

Tertia Conclusio probatur ratione : Reformati Religiosi Mendicantes, habent hortos propè Conventum : & alii Religiosi in communi viventes, habent bona eorum statui convenientia. Sed Romanus Pontifex Caput Ecclesiæ, egebat pluribus bonis; ergo. Insuper, ut ipse, & Cardinales quietè tractarent negotia Ecclesiæ, expediebat ut aliquas Terras propè se haberent, ne fuissent infestati à Principibus vicinis; ecce suasionem. Propterea Sylvester, & alii probi & canonizati Pontifices, has Terras tenuerunt; sed non tenuissent illas Terras, manendo in eorum bonitate, si eis non licuisset. Igitur hæc tertia Conclusio per ampliùs patebit, respondendo rationibus in oppositum. Hoc patet, 96. Distinct. Capite, *Constantinus Imperator Coronam & omnem Regiam dignitatem in Urbe Romana & in Italia, & in partibus Occidentalibus Apostolico concessit*: Sed illic est sermo in capitulo sequenti, quòd ei totum Imperium contulerit. Ad utrumque capitulum ponitur *Palea*. Oportet ergo aliter ostendere Conclusionem. Probatur per illud quod scribitur 12. Quæstione. 1. Capite, *Futuram* : ubi dicit Melchiades Papa, ultra medium capitis, quòd Sedem Imperialem Successoribus B. Petri reliquerit; hoc est, Romam & alias Terras adjacentes. Hoc patet 63. Distinct. Capite, *Ego Ludovicus*. Hoc patet, *De Electione*. Capite, *Fundamenta*. Ubi Nicolaus III. sic inquit in §. *Ne autem ipsa Mater Ecclesia in congregatione & pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius, ipsis adjuta, spiritualibus semper proficeret incrementis, non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini Monarchæ à Deo provisa & curata baptismalibus fomentis infirmitas, quandam quasi adjiceret ipsi Ecclesiæ firmitatem; qui quarto die sui Baptismatis, unà cum omnibus Satrapis & universo Senatu, Optimatibus etiam & cuncto populo, in persona B. Sylvestri, sibi Romanam concedendo Urbem relinquens, ab eo & successoribus ejus per Pragmaticum Constitutum dispenendum esse decernens, in ipsa Urbe, utriusque Potestatis Monarchiam Romanis Pontificibus declararet: non justum arbitrans, ut ubi Sacerdotii Principatum, & Christianæ Religionis Caput, Imperator cœlestis instituit, illic Imperator terrenus habeat Potestatem*, & quæ sequuntur. Propterea in Terris Ecclesiæ Pontifex dispensat in temporalibus. Ampliùs, quicquid sit, Reges alii rationabiliter præscripserunt contra Imperatorem, ut superiùs memoravimus. Ergo etiam Pontifex, in Terris illis Ecclesiæ, dato quòd historias, & allegata inficiari volueris.

Contra duas primas Conclusiones simul sumptas arguitur sic: Ab omnibus recitatur, tempore quo Constantinus Magnus incœpit dotare Ecclesiam, audita est vox in aëre, *Hodie effusum venenum in Ecclesia*: & videmus Beneficatos viros multùm insolescere: & causa est, ista immensitas bonorum.

Insuper ab aliquibus putatur quòd opes Ecclesiæ sunt seminaria belli toti Italiæ, ita quòd rarissimè est illic pax. Pastores Abrahæ & Loth non poterant mutuò convenire, cùm effecti essent divites, *Genesis.* XIII. Opes sunt spinæ, ex sententia Christi, *Lucæ.* VIII.

Ad primum respondetur; quòd opes Ecclesiæ sunt malis Prælatis exitiale malum; bonis, materia exercendæ virtutis : saliva jejuni hominis, est serpenti venenum, non autem homini. Et fortè plures his bonis abutuntur, quàm benè utuntur, secundùm regulam topicam: homines, ut in pluribus, sunt mali, & *Stultorum infinitus est numerus*, Eccle. 1. 15. Et Hieronymus, in Epistola, *De vita Monachi Malchi*, describens eam : *Ecclesia*, inquit, *adulta persequutionibus crevit, Martyriis coronata fuit : sed postquam ad Principes Christianos venit; potentia ex divitiis major est facta, sed virtutibus minor.* Nec sequitur quòd bona sunt ab Ecclesia auferenda, ut putat Wicleffus & sui sequaces: coalescente malitia populi, parum daretur ministris Dei, & quæ data sunt Domino, extra manus laïcorum sunt. In perpetuum benè meriti sunt de Ecclesia, qui illa bona Domino dederunt; si alii abutantur, eis imputetur.

Tertiò, arguitur: Prælatus potest prædia Ecclesiæ vendere & alia mobilia dare, quo facto, nihil manebit apud Ecclesiam. Quòd potest illa vendere, patet; est illorum Dominus, cùm nullus est alius illorum Dominus. Respondetur, negando quòd potest illa vendere, nec est Dominus illorum bonorùm, sed œconomus: hoc patet 12. Quæst. 2. Capite, *Monemus*, & tribus sequentibus. In capite, *Non liceat*, dicitur à Symmacho Papa : *Non liceat Papæ prædium Ecclesiæ alienare aliquo modo, pro aliqua necessitate.* Sed dicis; sic objicit Glossa: Quomodò Symmachus poterat hunc Pontificem Leonem decimum ligare, cùm par in parem non habeat authoritatem? Respondet, congruum quòd hanc Legem servet: illud non sufficit, quia esset contra utilitatem communem Ecclesiæ, si Pontifici daretur Facultas res Ecclesiasticas posse alienare : quia sicut unus prodigus Pontifex carni & sanguini plùs affectus quàm par esset, posset omnia dilapidare, quod est inconveniens. Ad alienandas res immobiles Ecclesiæ Cathedralis, requiritur consensus Capituli, & rescriptio eorum. Extravag. *De his quæ fiunt à Prælatis, sine consensu Capituli.* Capit. 1. Si sit Ecclesia inferior, sufficit consensus Episcopi. 12. *Quæst.* 2. *Abbatibus.* & Cap. *Placuit.* & hoc, si Episcopus non est author alienationis: si esset author alienationis, requiritur consensus Capituli Ecclesiæ Cathedralis. Raro in tali multitudine potest error contingere, tutius est in omnibus habere illius Capituli consensum : sed antequam sit alienatio, aliqua requiruntur. Vel erit Ecclesiæ necessitas, ut quia debita urgent Ecclesiam, & non potest de fructibus satisfacere; vel quia est utilius Ecclesiæ. Extravag. *De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis.* Cap. *Super*. Tertius, est pietatis causa. 12. Quæst. 2. Cap. *Aurum.* & cap. *Sanctorum.* In cap. *Aurum*, & sunt verba Ambrosii, in Officiis. *Aurum etiam habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus.* Alius casus virtualiter coincidens cum secundo; quia res illa est magis damnosa Ecclesiæ, quàm utilis. Patet, 18. *quæst.* 2. Cap. *Cellulas*, tales parvas potest Episcopus alienare, sicut illic dicitur, sine consensu Capituli. Apparatus credit quòd etiam requiritur consensus Capituli, cujus opinionis ego sum. Quis est Dominus bonorum Ecclesiæ? in 24. Dist. 4. jam loquutus sum.

Quartò, arguitur : Ista bona superflua, sunt causa fastus & superbiæ Prælatis. Ergo non conducit has opes coacervare. Respondetur : si Episcopus habet, vel Abbas, unde sufficienter provideatur suo statui, melius est ei, quàm habere multa. Fateor si haberet superflua, & ea in pios usus erogaret, benè ageret, & pecunia ei esset materia exercendæ virtutis : sed considе-

Digitized by Google

siderata qualitate hominum, magis prodest habere mediocria, quàm plura. Et ex illo sequitur, quòd si Episcopus habet sufficienter pro suo Episcopali statu, imprudenter facit, aut Terras emendo, aut Beneficium extollendo. Videtur ei quòd faciat in Ecclesiæ gloriam, magnificando Episcopatum: dicere ausim quòd gloria Ecclesiæ non est in hoc nitore vestium, annulorum, & copia equorum. Unde Hieronymus; & recitatur 12. *quæst.* 2. Cap. *Gloria*: ubi sic dicitur, *Gloria Episcopi, est pauperum inopiæ providere: ignominia Sacerdotis, est propriis studere divitiis*: Et paulò post, *Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmore nitent, auro laquearia splendent, gemmis Altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla est electio.* Sceleri nunquam defuit excusatio: scio dicent; faciunt in gloriam Ecclesiæ, ut in honore habeantur. At apud prudentes habentur contemptui & non in majori honore. Quid conducit habere hæc frena deaurata, & incedere cum tanta multitudine? Nunquid mille scuta sufficere possunt Episcopo, vel mille franci Abbati, vel sexcenti? Si ita fieret, nobiles non intrarent ad Episcopatus, & Prælaturas; nec quærerent has pingues Commendas.

Ulteriùs sequitur, quòd imprudens est Prælatus qui à minuta plebe colligit hinc inde, ut elevet Beneficium, quemadmodùm faciunt Episcopi. Si Beneficia essent parvi valoris, potentes & inutiles Beneficium non quærerent. Scimus Canonicos, contra Confessorem Regineum ipsum devotum murmurare, quòd nihil duceret proventus Episcopi citiùs per exactiones augere, arguentes eum, ita quòd faceret quòd Episcopatus magno viro non sufficeret: non est hîc sermo de magnitudine virtutis. Si pauca, ut mille scuta, vel francos haberet Episcopus, non esset tantùm impeditus à multitudine clientum. At dicis, in Lege Mosaïca multa in Ecclesia erant ex auro. Ad hoc eleganter respondet Hieronymus, & recitatur in cap. præfato, *Gloria Episcopi*, inquiens: *Tunc hæc probabantur à Domino, quando Sacerdotes Hostias immolabant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum: nunc verò, cùm paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicarit, portemus Crucem & divitias lutum putabimus.*

Sed dicis, in Festo omnium Sanctorum legitur quomodò à Phoca Cæsare Romanus Pontifex, &c.

Contra tertiam Conclusionem argumentor. Non licet Regi Francorum dare suum Regnum alteri: non habet ita pingue Jus in Regno suo, sicut ego in capitio meo. Ergo nec licuit Constantino Romam, Romandiolam, & istas Terras, quæ reputantur Ecclesiæ, Sylvestro & successoribus ejus dare: saltem successor poterat illud revocare. Imperator debet esse Augustus, & Rempublicam augere, & eam non diminuere. Confirmatur hæc ratio; Romanus Pontifex facit Imperatorem jurare, quòd manutenebit dominationem Terrarum datarum Ecclesiæ à Constantino, Carolo, Henrico, Otthone IV. & aliis. Illud patet, *De jurejurando*, Cap. *Romani Principes. in Clementinis.* Et hoc non est, nisi quia donatio Constantini revocari potest à successore; quia in præjudicium ejus diminuere non potest Imperium. Concedo de Rege Francorum qui nunc est; sed de Constantino cum suis, nego, & negationis ratio est: Pontifex non habebat aliquid de quo poterat vivere, secundùm decentiam sui status, & non poterat vacare divinis, nulla temporalia habendo, ita commodè sicut oportuit. Licèt solus Rex Francorum non possit alienare suum Regnum; tamen ipse & Regnum ejus, possunt, pro rationabili causa, conferre partem, vel totum, cui voluerit. Populi voluntas nunquam proponebatur, deinde modo Constantinus, & subditi, in illam donationem consenserunt. Scimus Acursium, in Autentica, *Quomodò oportet Episcopum*, post principium, Collatione secunda, tenere quòd hæc Collatio non valuit, & ita multi Legistæ, & Laurentius Valla tenent: sed dico, Collationem licitam & robur habere.

Ad confirmationem, concedo quòd Pontifex facit Imperatorem ita jurare, & hoc faciat, ne revocet Terras Ecclesiæ datas à Prædecessoribus: licèt injustè faceret: modò non est verosimile, quòd injustè tot Romani Pontifices tales Terras à diebus Constantini tenuissent; inter quos tot Sancti extiterunt, & tot Sancti Doctores & Sapientes approbarunt.

A Tertiò, arguitur: Tribus Levi non habuit possessionem in Terra Promissionis, quæ erat mancipata cultui divino; ergo Romanus Pontifex, & Episcopi, non debent habere proprietatem ullam in Terris.

Quartò. Pontifex sufficientem provisionem habet aliundè in Annatis, & in alia pecunia collecta; ergo non est opus hac congerie pecuniarum.

Ad tertium dicitur. Illud est unum ceremoniale.

Ad quartum dicitur. Multis non placent istæ Annatæ, nec quòd Pontifex tantùm innititur collectioni pecuniarum: vident eos dedisse strictas Leges, & de pluralitate Beneficiorum, & gradibus consanguinatis, & passim in his dispensant, quod indicium est fieri ad collectionem pecuniarum. Non negandum est; quoniam Pontifex potest malè agere sicut unus alius: sed volumus dicere quòd licitè tenet istas Terras Ecclesiæ.

Circa ista dubitatur, quomodò Imperium de Græcis ad Latinos transtulerit, & an in hoc suam falcem in messem alienam posuerit?

B Secundò, dubitatur, an Pontifex potest obligare ad omnia illa quæ non sunt contra Præceptum Legis naturæ, vel divinæ?

Ad primum dicitur; Pontifex & consensus populi, à Græcis meritò deposuerunt Imperium. Hoc poterat Pontifex, se solo, in Terris Ecclesiæ: sed quo ad alia, ipse cum consensu populi poterat. Cùm Carolus Magnus, de Ecclesia, & Romanis optimè meritus, venit Romam, acclamaverunt omnes eum Imperatorem, Græci fovebant schismata & hæreses, desides erant, non poterant opitulari Ecclesiæ, ægrè seipsos ab hostibus tueri poterant; justum erat illos in illo casu Imperio privare: & secundùm sensum triplicem in quæstione præcedenti recitatum, est probabile quòd in illa necessitate erat Judex, licèt non regulariter; qualis Sacerdos qui quemcumqe absolvit in quocumque casu reservato, & tunc est Summus

C Judex, licèt non, extra necessitatem. Jam Reges, pro majori parte, ab Imperio decesserant; vel sic, Itali Carolum Imperatorem acclamarunt, Galli & Germani consenserunt. Ergo magna pars populi eum Imperatorem admisit. Jam ante Hispani, Britanni, & multi alii se ab Imperio subtraxerant. Ergo consensu populi, apud aliquas Gentes mansit Imperator, & cum hoc conceditur, quòd Constantinopoli mansit Imperator apud Græcos: nec inconvenit duos vel tres, in variis locis, habere Imperatores, sicut est de Regibus: non requiritur consensus Græcorum in Carolum, licèt ex superabundanti istud est clarius.

Ad secundum dicitur, quòd non; & patuit jam ex quæstione præcedenti: quo ad aliqua non potest dispensare in temporalibus, ut aliquis habeat hereditatem in terra aliena; nec potest facere Reges & alios ei servos, nec potest tollere Leges civiles in Terra ei non subjecta. Sed hîc diceret aliquis, hoc est contra li-

D bertatem Evangelicam; non potest cogere aliquem servare continentiam sine culpa præcedenti, vel sine causa patenti, quia teste Ambrosio, *Sola est enim virginitas quæ suaderi potest, imperari non potest.* 32. quæst. 2. Cap. *Integritas*. Non potest aliquem obligare sine culpa intrare Religionem, vel facere hujusmodi opera supererogationis: dixi, sine culpa, ratione delicti. Patet istud; non potest dispensare sine causa in Voto, sicut dicit Glossa, in cap. *Non est Voti.* Non est securus quo ad Deum, cum quo Papa dispensat; nisi sub causa dispensandi. Sed hîc diceretur; servare Votum, est

Digitized by Google

est de Jure naturæ, licèt vovere, sit de consilio. Non potest sibi ordinare successorem. 8. *Quæst.* 1. *Cap. Episcopo*, & quatuor Capitibus sequentibus. Ex Concilio Antiocheno sic dicitur: *Episcopo non liceat, per se successorem alterum sibi constituere, licèt ad exitum vitæ perveniat: quòd si tale quid factum fuerit, irritum sit hujusmodi constitutum.* Et quia sequela erat mala, Clemens à Petro institutus, Papatui cessit, & electus est canonicè Linus, & posteà Cletus, quo mortuo, demùm electus est Clemens: *Et sic Clemens secundùm unum modum computandi, fuit secundus; secundùm alium quartus*, ut dicit Glossa, in Cap. *Unde secundùm verbum commune*:

Disputat hìc mundus, quartus fueritve secundus.

Et sic Petrus minus cautè fecit, eligendo Clementem: non erat humanum statutum eum reddens animadversum, sicut jam est. Verosimile est quòd Valerius Episcopus cessit, & posteà Augustinus electus est, & datus est ei Coadjutor solùm, ut patet 7. *Quæst.* 1. *Non autem.* & *Dist.* 40. *Ante omnia.* De Moyse qui elegit Josue, non oportet loqui. Tùm primò hoc fecit ex Præcepto Dei, qui his Legibus non astringitur: tùm secundò, in illa tempestate Summum Sacerdotium Jure hereditario descendit.

Ecce quomodò Ecclesia licitè cepit bona tàm mobilia, quàm immobilia, & licitè alii ei hoc contulerunt: nonnunquam aliquid licitè suscipitur, quod non licitè datur, ut patet in pecunia fœnori. Interdùm è converso, ut dives fingens se pauperem. Sed non sunt petendæ opes immensæ in Ecclesia, quæ secundùm sententiam Salvatoris, *Lucæ* VIII. ut superius, inter
A arguendum allegatum est, sunt spinæ. Ulterius patet, quomodò collatio Terrarum Ecclesiæ à Constantino & populo valuit, & quo modo pro rationabili causa Imperium de Gente in Gentem mutatur, & quòd Pontifex non potest obligativè imponere homini sine culpa prævia, omne istud quod non est contra Legem naturæ, vel divinam.

B Sequitur Textus: *Tunc præcepit Discipulis*, &c. Matth. XVI. 20. Hìc cùm Discipuli confessi sunt ejus divinitatem, præcepit eis, ut id nemini dicerent: nec istud obviat quòd illis prædictum est, capite decimo hujus, quòd ejus Adventum prædicarent: quia ante solùm denunciarunt Adventum cujusdam magni Prophetæ, nihil de divinitate ejus dicentes; & illam voluit hìc occultari, ne scandalizarentur vulgares homines, videntes eum tàm
C ignominiosè pati: sed cùm à mortuis gloriosè resurrexit, voluit hoc publicè prædicari. Per Jesum Christum Filium Dei, ostendit quòd Christus est nomen commune Sancto Prophetæ, & Filio Dei, ut dicit Hieronymus; Jesus proprium vocabulum Salvatoris, &c.

FINIS. TOMI II.




Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google



Digitized by Google

